7
2-g
31

7
1 M
24

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

64 E 8
7.- 2.g.31

Digitized by Google

Digitized by Google

METROPOLIS REMENSIS HISTORIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

METROPOLIS REMENSIS HISTORIA.

SIVE SVPPLEMENTVM FRODOARDI,

AB ANNO CM. LXX.

AD NOSTRAM ÆTATEM

FIDELITER ET ACCVRATE' PRODVCTVM.

TOMUS II.

IN QUO, PRÆTER SERIEM HISTORICAM PRÆSULUM, bullæ pontificiæ, Regum diplomata, tituli fundationum, à quinque ſummis Pontificibus Remis coacta Concilia, Eccleſiarum origines, ac in eis ſacra lipſana, diſtinctè & ordinatè referuntur.

Studio, & labore DOM. GUILELMI MARLOT *Doctoris Theologi, S. Nicaſij Remenſis M. Prioris, & Fivienſis Cellæ prope Inſulas Adminiſtratoris.*

OPUS POSTHUMUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

REMIS.

Ex Officina PROTASII LELORAIN Typographi, viâ S. Stephani, ſub ſigno nominis Ieſu.

M. DC. LXXIX.

Cum Approbatione & Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRIMI LIBRI EPITOME

ADVLTO jam, ac propemodum seneſcente decimo ſæculo, quo Frodoardi ſupplementum auſpicor, turbidus admodum fuit Regni, ac provinciæ Remenſis ſtatus, cùm ad occaſum vergente Carolinâ ſtirpe, Remenſe ſolium conſcendit illuſtris Adalberō, ſummi Cancellariatûs titulo fulgens, & Monaſteriorum Moſomi, ac beati Theodorici reſtaurator munificus. Tunc enim inſertâ primùm Regno Magni Hugonis ſobole, Viromanduis Comitibus, Rocci quoque, ac Retellj, impeditiſſimis Reipublicæ temporibus, licentia data eſt longè, latéque per Campaniam noſtram dominatum proferendi. Sed & ipſa Eccleſiæ facies nonnihil deturpata erat atque deformis, pleriſque, non tam virtute, quàm vi, dolo, ambitu, ac ſimoniâ, cum ſacri cœtus dedecore, ad infulas convolantibus.

Gerberti in obtinendo Archiepiſcopatu ſagacitatem pervicax cum Arnulfo diſcordia comprobabit; Azelini Laudunenſis ambitum pro Ebalo, invectáque ab eo nequiter geſta, Fulberti Epiſtolæ: ſimoniam verò (quod gravius eſt) Concilium Remis ſub Leone IX. coactum, ubi centuris & anathematibus hæc ab eo ſtrenuè revincta eſt, & oppreſſa; licet fibris renaſcentibus ſubinde, velut rediviva pullularit. Tanti Pontificis in Gallia peryodos, prætioſámque apud Remenſes incolas moram, ex Anſelmi itinerario paullo uberiùs ſubnecto. Nobilium quoque vexationes Clero inflictas, & caſus Eccleſiarum, quas cum fœnore Gervaſius reſarcivit ingentis animi Præſul, pietatis, & munificentiæ, cujus illuſtria monimenta ad invidiam temporum ſuperſunt in urbe Remenſi, ubi veteres Baſilicas Nicaſij præſertim, ac Dionyſij magnis impendijs ad priſtinum ſplendorem poſtliminio revocavit: de Baſilica S. Nicaſij, & reſtitutione Regulæ in ea egimus Tomo 1. ſub finem; de poſtrema hac quòd multa ſcitu digna contineat, copioſiùs agendum eſt, eáque viſum ad hujus libri calcem conſultiùs remittenda, ne rerum nimia prolixitas hiſtoriæ filum interturbet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

CAP. I. ADALBERO Remensis Ecclesiæ statum, & scholas pristino nitori restituit, Remigianis dat Abbatiam sancti Timothei, Mosomense cœnobium vetustate prolapsum instaurat.

CAP. II. Beati Arnulfi Martyris corpus detectum, ac terrâ refossum Otto Comes tentat sibi asserere, at divinitus ab Adalberone vindicatur.

CAP. III. Mosomi descriptio, ac variæ ejusdem vices, quamdiu sub Archiepiscoporum Remensium temporali stetit dominio.

CAP. IV. Mosomensis cœnobij, ut & sancti Vincentij prope Laudunum instauratio, Synodi apud Montem-sanctæ Mariæ in pago Tardanensi auctoritate comprobatur.

CAP. V. Elenchus Abbatum Monasterij sanctæ Mariæ Mosomensis.

CAP. VI. Sacra aliquot pignora quæ apud Mosomenses coluntur.

CAP. VII. Cœnobij sancti Theodorici prope Remos initia, successus, exitium, ejusdémque renovatio per Adalberonem Archiepiscopum.

CAP. VIII. Beati Theodorici corpus è veteri sepulcro in thecam argenteam transfertur ab Adalberone Archiepiscopo, præsente Lothario Rege.

CAP. IX. De regulari observantia Monasterij sancti Theodorici aliquid, ac de gisto in eodem à Francorum Regibus olim percipi solito.

CAP. X. Synopsis Abbatum Monasterij sancti Theodorici. Sacra lipsana quibus beati Theodorici gazophylacium locupletatur.

CAP. XI. Vindemiæ & Virtutum, quæ dominij erant Canonicorum Rem. dantur Manassæ & Heriberto. Tetbaldus Ambianensis exauctoratur. Lotharius Remis pactum init cum Ottone.

CAP. XII. Partibus Ottonis impensè favens Adalbero infidelitatis insimulatur, ab eo crimine purgat se apud Regem Lotharij obitus, & Ludovici V.

CAP. XIII Hugo Capetus Remis ab Adalberone inauguratur, ejusdem Præsulis Epistolæ ad Ducem Carolum, obitus item & sepultura.

CAP. XIV. Arnulfus XL. Archiepiscopus. Vrbis Remorum depræda tio, Commonitorium & anathema in reos. Hugo Rex, & Episcopi de Arnulfi perfidia conqueruntur.

CAP. XV.

Digitized by Google

CAP. XV. *Synodus Remenſis, in qua præſentibus Hugone & Roberto Regibus, ob perfidiæ crimen Arnulfus deponitur.*

CAP. XVI. *Gerbertus in locum Arnulfi ſuffectus, tres annos ſedem Remenſem occupat.*

CAP. XVII. *Arnulfus Priſtinæ dignitati reſtitutus privilegium recipit à Silveſtro II. De Azelino Laudunenſi, & de Fulradi Abbatis S. Vedaſti proclamatione ad ſidem Remenſem.*

CAP. XVIII. *Silveſter Pontifex, Gerbertus antea dictus, obit. Renovantur Eccleſiæ. Leutardus Hereticus apud vicum Virtuti inſanit. Arnulfus Gerardo Cameracenſi partem reliquiarum Ss. Mauri & Timothei impertit, defungitur.*

CAP. XIX. *Ortum in conſecratione Bertoldi Sueſſionenſis diſſidium ſedat Gerardus Cameracenſis, & intercedit ne Ebalus eligatur Remenſis Archiepiſcopus.*

CAP. XX. *Ebalus XLI. Archiepiſcopus, ad eum ſcribit Fulbertus Carnotenſis.*

CAP. XXI. *De electione Hugonis ad Epiſcopatum Noviomenſem, ſeu Tornacenſem, & de Simonia Adalberonis Laudunenſis. Item de expulſione Drogonis Tarvannenſis à ſua ſede, & obitu Ebali Archiepiſcopi.*

CAP. XXII. *De villa Sparnaco, & diverſo ejuſdem ſtatu uſque ad Odonem Campanienſem, cujus ſtudio, & ſumptibus reſtructum eſt ſancti Martini Monaſterium.*

CAP. XXIII. *Comitum Trecenſium primordia, genus, nobilitas, eorumque dynaſtia per Campaniam propagatio.*

CAP. XXIV. *Viri doctrinâ & ſanctitate celebres qui in urbe, vel diœceſi Remenſi claruerunt ſub Archiepiſcopis Arnulfo, & Ebalo.*

CAP. XXV. *Guido Caſtellionenſis XLII. Archiepiſcopus, ſub eo Nobiles Eccleſiarum prædia invadunt, Epiſcoporum de his querelæ, & ad terrorem latæ in reos comminationes.*

CAP. XXVI. *Altaria Cœnobijs dantur illo, & ſequenti ſæculo, quare?*

CAP. XXVII. *Prioratum de Ventelay fundat Comes Theobaldus. Remigianis dat privilegium Henricus Germaniæ Rex. Lietbertus ſit Cameracenſis Epiſcopus*

CAP. XXVIII. *Bruno Tullenſis Epiſcopus ad ſummum Pontificatum eligitur, Remiſque Concilium indicit contra Simoniacos.*

CAP. XXIX. *Dedicatâ glorioſi Francorum Apoſtoli Baſilicâ, Leo IX. Pontifex in eadem die ſequenti Concilium celebrat, quo conſtituti Canones, præſertim contra Simoniacos, & inceſtuoſos.*

CAP. XXX. *Sancti Remigij celebritas primâ Octobris, quæ lapſu temporis penè exoleverat, decreto Cleri Gallicani feliciter renovatur anno 1657.*

Digitized by Google

METROPOLIS REMENSIS HISTORIÆ.

LIBER PRIMUS.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 970.

Adalbero Remensis Eccleſiæ ſtatum, & Scholas priſtino nitori reſtituit, Remigianis dat Abbatiam ſancti Timothei, Moſomenſe cœnobium vetuſtate prolapſum inſtaurat.

CAPUT PRIMUM.

INITIUM mihi operis magni & inclyti Adalberonis præſulatus erit eo clarior, ac memoriâ dignus, quòd ſecundæ Francorum dynaſtiæ dominatum finiat, ſequentem verò, Capetiorum dictam, inchoet, quæ ad noſtram hanc uſque ætatem feliciter propagatur. In utrâque ſi quidem tanta præſul hic dexteritate & prudentiâ ſe rebus gerendis applicuit, ut receptam ab Anteceſſoribus Summi Cancellariatus dignitatem, difficillimis admodum temporibus, cum integritatis fama conſervarit.

Talis autem ac tantus vir Adalbero, Godefridi Comitis Arduennæ filius fuit, Godefridi & Henrici Comitis frater ex appendice ad Frodoardum. Godefridus enim ſenior tres ſuſcepit liberos ex uxore, cujus nomen latet; Godefridum Arduennæ Comitem, & Virduni, à quo duces inferioris Lotharingiæ; Henricum Comitem in Arduenna, & Adalberonem Archiepiſcopum Remenſem.

Godefridum Pater Adalber. nominatur 14 Cal. Septem. in obit. Rem.

Claris igitur hic præſtans natalibus in regimen animarum favore, & providentia Lotharij Regis, & aſſenſu, procerum Occidentalis Franciæ aſſumptus, in multis ſe dignum infulis comprobavit. Nam ſtatim ac inauguratus eſt, ut erat Eccleſiaſticis diſciplinis apprimè inſtructus, Remenſis Eccleſiæ religionem nimis tepefactam, quæque ævi dentes ſubierat, in meliorem reparavit ſtatum, utilitatibus inibi Deo ſervientium inſtantem dans operam,

Aſſenſu procerum Occidentalis Francia & Regalo munificentiâ

conſitutum dicetur Antiſtes in Chronico Moſom. An. 971.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An. 970.*

& impensam. Et ut quod mente voluebat diuturniùs esset (verbis hic Chronici Mosom. utar) Canonicos ad simul convivendum, & ut Claustri ambitu horum habitacula coercerentur vehementer hortatus est. Hinc idem Chronicon de Adalberone alibi differens, refert Canonicos Rem. ex pauperibus divites, ex Rusticis ornatos, & ex separatim in casis habitantibus, religiosos, & convictores tandem effeciſſe, quod ex situ Remensis claustri, ex communi mensa suo præsertim sæculo vigente, probare nititur, quamvis præ magnitudine (inquit) & Nobilitate illius ævi, pauca rigidi moris tunc vestigia supereſſent. Subdit non nihil de sancti Dionysij Ecclesia, quod scitu dignum est. Ait enim hanc extra muros urbis pro foribus Majoris Ecclesiæ Dei Genitricis, hoc Consilio ab Adalberone fuisse institutam; ut ostio contra ostium posito cum Sacerdos ad sacra Missarum solemnia versus Orientem astaret, Sacerdotem principalis Ecclesiæ semper intueretur; & sic quicquid ille supplicans orando præmitteret, ille subsequens, præmissa offerendo firmaret, quatenùs isti de ijs quæ præoccubuerat crescceret devotio; & ille interiora intendens, & sanctificationibus securus astans, Angelum fortem & ad defendendum paratissimum, & armatum haberet à tergo; cùm verò ille populum salutans, & Occidentem respiciens, *Dominus vobiscum* diceret, istum altrinsecus positum Sacerdotem, cum omnibus circunstantibus divini numinis invocatione, & virtute in precando benediceret. Quæ verba non satis indicant an utriusque Ecclesiæ altaria sibi ipsis directè oppositа fuerint, ut sunt ostia, quatènus S. Dionysij Sacerdos alterum in Occidentem vertens se, precando benediceret. Id forsan auctor ob vicinium Ecclesiarum, scripsit, circa quod hactenus ut [illegible]tatur, nihil fuit innovatum.

Scholæ etiam Remenses in pristinum splendorem ab Adalberone restitutæ sunt, quibus Gerbertum sui sæculi Oraculum, & in Mathematicis nulli secundum, prefecit. Unde Papirius Masso, probatæ auctoritatis scriptor, libenter agnoscit, hoc tempore scholas Remenses cæteris palmam præripuisse propter Gerberti auctoritatem, præstantiamque, cui eam ob causam Otto & Robertus in disciplinam sunt dati. Helgandus quoque Robertum Remis educatum sub Gerberto fetetur. ***Fuit idem Rex (inquit) sapientissimus litterarum, cujus prudentissimo cordi erant insita à Deo data perfectæ sapientiæ dona. Nam à pijssimâ Matre schola Remensi traditus Domino Gerberto ad eruddiendum est datus, qui eum sufficienter instrueret disciplinis, ut in omnibus Deo omnipotenti complaceret virtutibus.***

Adalbero Gerberti operâ in pluribus usus est, maximè verò in texendis epistolis cujus nomine multæ inscribuntur ad Reges, & principes, & ad Cleri Gallicani primarios: nec mirum; cum enim prædictus Archiepiscopus summi Cancellariatus dignitate sub Lothario fulserit, ut probabimus, & indicat tabula donationis Fayæ cœnobio S. Joannis bonæ vallis in Thoarensi pago, An. 973. resque variæ, & difficiles turbido regni statu emerserint, quo insigniori exscriptore, & Amanuensi uti potuit, qui acriori suo stilo, & dicendi peritiâ, mentes quò vellet, flectere noverat.

Anno sui regiminis primo ut quoddam liberalitatis specimen erga Remigianos exhiberet, Abbatiam sancti Timothei Rem. quæ præcedentium fuerat Archiepiscoporum, pro hospitum receptione eis contuliſſe narratur; quod falsum videri posset, cum Appendicis auctor ad Frodoardum Artaldo id diserte tribuat. Extat Joan. 13. rescriptum Pontificatus anno octavo, ubi prædictæ donationis per Adalberonem fit mentio. At cum Autographum non viderim, nutetque Antigraphi fides, ob annos præsertim Pontificatus Joannis, qui ad octavum vix prorogari possunt eo describendo supersedendum duxi. Ecclesia autem sancti Timothei sæculi more Abbatia hic vocatur, licet cœtus tunc expers esset Clericorum, dataque hoc titulo

Gervasius ab Aldaberone Abbatiam S. Timothei Remigianis datam agnoscit charta infrà citanda.

Sic Ecclesia S. Nicasij Abbatia vocatur in Philippi. 1. diplomate, qua potiebatur Theobaldo in commendam.

tulo primum est Odalrico Aquensi in solatium sui exilij, postmodum verò Remigianis ad usum hospitalitatis, hoc est ut ex ipsius reditibus supervenientes hospites cujuscumque conditionis alerentur. ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An 970.

Diœcesim posteà lustrans præsul Adalbero, quædam loca reperit perfecto decore composita, quædam verò pristinæ dignitatis casu cadente, prorsus neglecta inter quæ Mosomi Cœnobialis locus vetustate celebris, ac beatæ Mariæ dicatus à priori sua nobilitate tunc multùm defecerat. Ab exordio siquidem Moniales hunc incoluisse traditur, quæ cùm à primario religionis tramite multùm deflexissent, torpor siquidem & segnities sensim apud eas irrepserat, hic Canonici subrogati sunt, sub Heriveo, qui pariter cum nec cultus Dei, nec redituum quidquam pensi haberent, brevi horum incuriâ Collegium in tantam egestatem redactum est, ut rebus partim subtractis partim incurrentibus malis fœdè dilapidatis, vix alendis Clericis aliquid superesset.

Perpendens igitur dignissimus Antistes prædictum locum pro mundi infelicitate in Canonicali ordine ulteriùs stare non posse, æternorum spe animatus, adhibito fidelium suorum salubri Consilio, Monachos sub Lethaldo Abbate ibidem præficiendos constituit, ut hi rebus delegatis sobriè utentes, vota precesque solvant pro se, qui ditiores, his sellas parabat, pro suis posteris, ceterisque Remensis Ecclesiæ Ordinibus. Hæc breviter ex charta Adalberonis; cætera inferius reddentur. Quædam enim hic præmittenda sunt de Corporis beati Arnulphi detectione ab auctore coætaneo descripta, & de commisso juxta oppidum Varx ab Adalberone prælio in Ottonem Comitem, quæ cum susceptæ reparationis Mosomi præludia sint, Historiæ multùm lucis adferent ac lectoribus, ut spero, jucunditatis.

Beati Arnulfi Martyris corpus detectum, ac terra refossum, Otto Comes tentat sibi asserere, at divinitùs ab Adalberone vendicatur.

CAPUT II.

BEATUS Arnulfus pio æstuans desiderio visendi sepulchrum sanctorum, è Lotharingia, unde ortus erat, in Gallias venit, pergénsque per comitatum Porcensem, à Latronibus in valle, quæ Marceolis dicitur, haud procul à silva, cui frigidi montis nomen est, ex improviso interceptus, diris simis plagis usque ad mortem vulneratur. Cum vix ad vallem, quam Gruerias vocant ægrè perveniisset, hunc juxta viam regiam vulnerum dolore depressum incolæ procul intuentes viatorem primò in levi umbra apricantem existimarunt, tum exploratorem, quòd nihil moveretur, ut certiores, tandem fierent, mittunt qui scisciteretur ab eo cujas, & quis-nam esset; compertâ veritate, sedulam ei navarunt operam. At ille finem suæ peregrinationis sibi adesse sentiens, Viaticum petijt, cóque recepto, junctis manibus, erectisque in Cœlum oculis, se Domino enixiùs commendabat, tùm adstantibus dixit, peregrinum me cernitis, peregrinum [illegible] in hoc loco & in hac via, meæ peregrinationis sepelite.

Corporis Bti Arnulfi detectio. Ista ab auctore Coætaneo descripta, edita a D. Sigeberto in Chron. Mosom.

Sepulto juxta viam regiam Arnulfo, incertum quamdiù ibi jacuerit, cùm Martyrij tempus adhuc lateat, Fidelis quidem sepulturam esse satis testabatur prominens aggestus, at nomen, sanctitas, virtus prorsus ignota: donec quidam è vicinioribus pagis gravi febre laborans, desperatâ sanitate,

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An. 970.*

admonetur in ſomno ut ad Martyris ſepulchrum opem petiturus fidenter accedat: Adijt ille, & fuſis Deo, ac ſancto Martyri precibus, ſanus & incolumis confeſtim evaſit. Hoc miraculo incolæ certiùs edocti, è regione Oratorium inſtruunt, in quod delatum Martyris corpus decentius quieſceret. Verùm egeſto aggere quo tumulus tegebatur, mirum, nulla vi, nullaque arte ab eo potuit amoveri unde timore perterriti, nihil ultrà audentes, tantùm facinus divinæ ordinationi relinquunt.

Erat cùm hæc inventio facta eſt, ea pars agri, quo ſepultus jacebat Arnulfus Nobilis cujuſdam viri nomine Airanni, qui cum identidem à cohæredibus in poſſeſſione ſibi debita contra jus turbaretur, unum ex his damnum ſæpiùs inferentem morte mulctavit. Facti tamen pœnitens, ac potentis præſidium ſibi quærendum ratus, divertit primò ad Vvarzeſimum quendam militari gloriâ clarum, tùm demùm protectorem ſibi delegit Ottonem Comitem, qui ex Cæſarea imperatorum familia ſatus, ditionem longè latèque gubernabat. Hic certior factus eorum quæ acciderant, circa B. Arnulfi venerabile Corpus, conventione factâ cum Airanno, fundum illius emit, quo jus in illud haberet, ſciens tamen in re tanti momenti nihil cunctandum, ocyus velut ſagax, & ſtrenuus negotiator venit ad tumulum, antequàm prædij empti fama ſe ſe longiùs effunderet, extractámque B. Martyris glebam, per manus Sacerdotum transfert Guiledium, ubi aliquandiu manſit in beati Hilarij Eccleſia, donec in caſtrum Varx, celebri totius regionis concurſu, deportatum eſt.

Otto Comes Cæſarea familia ortus.

Per id tempus Odalrico Archiepiſcopo Remenſi vivis exempto, eligitur Dominus Adalbero ad culmen Pontificale, qui cum non minùs pietate, quàm doctrinâ conſpicuus commiſſo ſibi gregi ſedulò curam impenderet, ſtatim à quibuſdam regni proceribus laceſſitur, maximè verò ab Ottone cum quo graves quondam exercuerat inimicitias: hic opibus & potentia fretus, tempus opportunum eas vindicândi ſibi adeſſe ſentiens, cœpit Archiepiſcopum procaciter aggredi, terrere minis, agros, & prædia Eccleſiæ Remenſis devaſtare, cui ut ſe ſe tanquam murus pro domo Dei Archiepiſcopus opponeret armis litem dirimere ſtatuit.

Caſtrũ Varx iuxta Moſam.

Coactis igitur Eccleſiæ militibus, cum Amicorum copijs Caſtrum Varx, præcipuum Ottonis munimentum, obſidione cinxit. Erat hic locus, tùm naturâ, tùm arte munitiſſimus, quippe quem Moſa alluens, hinc Sulmona peninſulam aditu non facili efficit. Comiſſo itaque ad muros prælio, utriuſque res cominùs geritur, illis acriter oppugnantibus, alijs verò haud ſegniter renitentibus, interdum anceps fit victoria.

Iunix flumen tranſmeat.

Dum nimium anxiè obſidionis finem expectat Archiepiſcopus, ſubitò è caſtris egreditur Junix ſeu bucula, quæ non natando, ſed ſenſim legens alveum pedetentim, quacumque pervium fuit vadum, flumen tranſmeavit. Portentum hoc ſibi proſperum auguratur Adalbero, *ſequamur (inquit) quo nos Deus vocat, certum enim futuræ victoriæ argumentum nobis hoc animal adeſſe non dubito.* Habitâ itaque ad exercitum concione, Milites tùm gloriæ, tùm ſpe prædæ ad hoſtium expugnationem incendit Godefridus frater Epiſcopi, vadum (qua Bucula præceſſerat) primus ingreditur & omnibus acerrimè intentis prælio per ignita miſſilia ignem jubet apponi, qui undequaque accenſis flammis ad Cœlum evomit, dextrâ lævâque errabundus, obvia quæque demetit ignorans parcere, conſumptiſque omnibus, foribus Eccleſiæ propinquabat, in quam nuper tranſlatum fuerat B. Arnulfi corpus ab Ottone; huic, quamvis ligneæ, cum propius igni [illegible]ceſſit ſubito reſedit, fractâ, & in ſe reliſa virtute. Epiſcopus rei novitate perculſus, percontatur ab incolis quid hic rei eſſet, illi Hiſtoriam eorum quæ acciderant, ab origine pandunt, tùm omnia maturo perpendens judicio, *Ite, inquit, Sacerdotibus, qui eum comitabantur, ite intro & Beati Martyris Feretrum*

retrum diligenter extrahite. Illis juſſa complentibus, ecce qui priùs veluti languens ignis defecerat, vires illico reſumens ſubitò irruit, & quidquid intactum ante reliquerat, Eccleſiam nimirum & domum, abſorbet, & vorat. Lætus hoc miraculo Epiſcopus, quia voti compos, & victor, jubet parari navim, quæ ſacro-ſancta pignora Brachas, ubi Confeſſor egregius Viventius requieſcit, ſolemni cum apparatu deportaret. ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An.* 971.

Brachas Gall. Braine.

Regreſſo interim ad caſtra exercitu, dum ordinat Epiſcopus, qui comites irent Clerici, qui remiges, fixa navis ſine cuſtodia hærebat in littore, cum ecce aquila deſuper advolans nauta certiſſimus aſſedit in puppi, quæ cunctis ſpectantibus navim per medios fluctus contra fluminis curſum, aquis deorſum fluentibus, greſſu velociſſimo deducebat. Quod ubi denunciatum eſt Epiſcopo, ſtupens hic admiratione, jubet ut proſequantur aliqui per crepidines alvei, ratus quod ubi navis ſubſtiterit, velle Dei eſſe ut ibi beati Martyris pignus debitum à fidelibus cultum per ſuccedentia tempora recipiat. Inſequentibus ergo navim ijs quibus juſſum fuerat, divinæ bonitati placuit Servi ſui gloriam coram infinita prope multitudine, quæ ad famam gratulabunda accurrerat, demonſtrare. Nam in villa Tortiaco, vidua quædam, plus minùs anno cæca, deducta ad navim, velum quod ferebat dedit, recepit, oculis admovit, & confeſtim ſtupentibus omnibus vidit.

Aquila Remigio fungitur Officio.

Horum omnium certiſſimus nuntiùs Moſomum perveniens, narrat Clero, & populo theſaurum omni auro pretioſiorem brevi adfuturum; hi ſimul adunati proceſſionem inſtruunt, & obviam eunt cum ingenti gaudio, ac totius regionis applauſu. Corpus ſanctiſſimum recipiunt nono Calend. Auguſti anno ab incarnat. nongenteſimo ſeptuageſimo primo, præſulatùs dom. Adalberonis ſecundo, & in Eccleſia collegiata B. Mariæ reverenter collocant. Hactenus Auctor ſupra citatus. Nunc Moſomi, ac Moſomenſis Cœnobij hiſtoriam proſequamur.

Moſomi deſcriptio, ac variæ ejuſdem vices quamdiu ſub Archiepiſcoporum Rem. temporali ſtetit dominio.

CAPUT III.

MOSOMUM ſupra Moſam octodecim leucis diſtans à Durocorto, ex clarioribus oppidis eſt Remenſis Epiſcopij: hujus primùm meminit beatus Remigius epiſtolâ ad Fulconem Tungrenſem: ***Fas ergo fuit ut inlicitis ordinationibus tuis, à te credideris occupandam loci Moſomagenſis Eccleſiam, quam Metropolitani urbis Remorum, ſub ope Chriſti, ſua ſemper ordinatione rexerunt.*** Eccleſiæ quoque ejuſdem loci quinque ſolidos largitus eſt in prolixiori teſtamento, teſtatúrque Hincmarus Clodoaldum, interfectis fratribus ſuis, quos unà cum eo poſt obitum patris, Chrotildis Regina nutriebat, partem hereditatis à patruis Regibus obtinuiſſe, de qua Duziacum villam in pago Moſomagenſi cum appendiciis ſuis, pluribus ſcilicet pagis ac villulis juxta Moſam, & ultra Charum fluvium, S. Remigio, ac Remenſi contulit Eccleſiæ. Hinc ſat clarè deducitur, quàm latè patens ejuſmodi Moſomagenſis tractus fuerit, quia Moſomo primaria urbe, quòd amœniorem regionis partem occuparet, & fortè meditullium, Moſomagenſis dictus eſt, ut alij celebriores pagi in Campania, Regiteſtenſis, Porcenſis, Pertenſis, nomina pariter ab oppidis ſortiuntur, quæ opibus, antiquitate, ac populorum frequentia cæteris antecelleret. Moſomum autem dictum eſt à Moſa fluvio qui illud irrigat, & leniter alluit verſus Galliam, territorium

In vita ſancti Remigij.

De Duziaco vel duoderiaco egi lib. 3. c. 34. Tom. 1.

Digitized by Google

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. territorium ejus præter prata, & terras arabiles, silvásque, vites alit ex quibus conficitur vinum non contemnendi saporis.

An. 971. Ex prædicta Clodoaldi donatione, quam non satis aperuit Hincmarus, ex veteribus chartis, & ex longa & interrupta possessione, certum habeo totam hanc ferè regionem ditioni Rem. Archiepiscoporum pridem, etiam in temporalibus, paruisse; unde Mosomi ab ijs exstructum Castellum legimus, quod eâ Normannorum irruptione in rogos abijt, cum Remensis diœcesis miserè vastata est sub Carolomanno. Heriveus per id tempus in Archiepiscopum assumtus, quo bellum civile, & intestinum exarsit ob Principum discordias, Mosomum reparatis munijt muris, ex Frodoardo. Et Ecclesiam de novo suis sumptibus restauratam sub Genitricis Dei invocatione, ut olim dedicavit, collocatis ibi sancti Victoris ossibus, quæ haud procul ab eo fuerant Castello reperta.

Annales Bertini an. 881.

Frodoard. lib. 4. Cap. 13.

Addit idem Auctor in Chronico antè prospectum Castri Mosomi habitam Synodum in Ecclesia sancti Petri an. 948. qua sedes Remensis Artaldo adjudicatur, & Hugoni injunctum ut à communione, & regimine prædictæ Ecclesiæ abstineret. Varias postmodum civitas hæc inter Regnum & Imperium constituta subijt vices, quæ diœcesi noxiæ fuerunt, dissidentibus inter se Artaldo & Hugone pro Archiepiscopatu. Heribertus Mosomi Castellum à Bosone abstulit, qui in id furtivo bello se intruserat, ut inde prædia Rem. Ecclesiæ faciliùs invaderet. At anno 942. Ludovicus Rex, qui Artaldi partes tuebatur, gravè ferens Mosomum ab Heriberto occupari armis, aggredi illud & obsidere nisus est: eo tamen discedere coacto, Lotharienses Episcopi, Castellanis ad deditionem novâ obsidione compulsis, recuperatum Mosomum Regi tradidêre à quo funditus eversum est anno 948.

Adalbero Cœnobij Mosomensis instaurator, prædictam villam novo præsidio vallavit, ex Gerberti epistola 94. *Magna res seriò agitur, Mosomum & Maceriæ multitudine militum communit, Dux Cono pro suo Ottone insidias molitur, &c.* Synodum in ea congregat Leo Sedis apostolicæ Legatus anno 995. IV. Nonas Junij, qua Gerbertus, qui exauctorato Arnulfo sedi Remensi suffectus est, patientissimè auditus: tandem Arnulfi Comitis ditioni cessit sub Manasse Archiepiscopo, si quid conjectari licet ex Charta vetustate penitus exesa, & cancellata, ex qua vix quod sequitur excerpere licuit.

Papir. Masso. lib. 3. Historiæ Francor.

Arnulfus, & ejus filius Otto Castellaniam Mosomi abjurarunt, &c.

Extat hæc charta in Bibliotheca Eccl. Rem.

NE Remensis Ecclesiæ memoriâ efflueret, memorialibus in posterum literis mandavimus quomodo Manasses Archiepiscopus Castellaniam Mosomi ..... Arnulfo Comiti, ejúsque filio Ottoni, & eorum heredibus reddiderit .... quia idem Arnulfus prætaxatam Castellaniam, inde depulso Flanderico, à Manasse jam depósito comparaverat. Raynoldus bonæ memoriæ Archiepiscopus invasionem Arnulfi abhorrens, & frequentes ejus injurias ferre detrectans, ut expelleretur, voluit, & factum est: in cujus expulsionis vindictam Arnulfus cum Ottone diu desæviens, ad hoc jam redegerat Castellum & circumjacentem patriam, ut foris omnibus vastatis, Mosomi admodum pauci supererent, quos tantæ cogebat egestatis miseria ut minitarentur fugam, nisi Remensis Ecclesia compararet eis pacem, super quorum calamitate, & prohibendo Rem. Ecclesiæ tam imminenti damno, Manasses Archiepiscopus ductus misericordia & consilio, cum Arnulfo & Ottone, eorumque successoribus in perpetuum confœderavit sibi & Ecclesiæ pacem. Et ejusmodi quidem tenoris ordine, ut Arnulfus

Manasses Raynaldi seu Raynoldi successor.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 971.

Arnulfus & Otto præfatam abjurarent Caſtellaniam, & exinde in poſterum Caſtellaniæ reclamationem, exceptis his tribus villis Frechnor, Mulſencuten, & Sachi, quæs Otto quidem de manu Archiepiſcopi in feodum accipiens, eidem pro illis hominium fecit, & acceptas reddidit Balduino Caſtellano . . . .

Ex his haud obſcurè colligitur à Manaſſe I. quem infra ob depravatos mores exauctoratum videbimus, Caſtellaniam Moſomi prædictis Comitibus dono fuiſſe conceſſam, vel oppigneratam, qua per aliquot annos potiti ſunt, donec Rainaldus, Manaſſis Succeſſor eam ab ipſis vindicavit: fuitque deinceps Dominij Remenſis Eccleſiæ uſque ad Carolum V. à quo Urbem de Veſly ſupra Vidulam cum appenditijs pro ea in concambium Remenſes Archiepiſcopi acceperunt, ut alibi dicemus. Cæterum tanto in pretio habebatur ob ſitum, & ſupremam auctoritatem, ut caſtrum rebus omnibus inſtructum in ea haberent Archiepiſcopi, & Caſtellanum, qui ſede vacante fidelitatem præſtabat Capitulo. Illic tempore Concilij Rem. An. 1119. ſummus Pontifex Calliſtus cum Imperatore collocuturus perrexit, ac ſæpius ibidem Legati Apoſtolici moram fecerunt pro pace Concilianda inter regnum & Imperium. Laboravit etiam Vvilelmus Cardinalis Romæ pro Epiſcopatu in ea conſtituendo, & obtinuerat ea conditione ut Monaſterium B. Virginis non mutaretur in Eccleſiam ſæcularem An. 1198. at eo ſtatim obeunte, res infecta manſit, nec deinceps conſecuta eſt effectum.

Summus Pontifex ratam habet cœnobij Moſomenſis renovationem factam ab Adalberone Archiep.

Moſomenſe vel Mojomagenſe cœnobium dicitur.

POſt tot rerum vices, totiuſque regionis vaſtitatem quæ ſub ultimis Carolinæ ſtirpis Regibus contigit, nemini mirum videri debet quod Canonicalis ordo dudum in Eccleſia beatæ Mariæ Moſomenſis Herivei ſtudio ſtabilitus detrimenti aliquid acceperit, ſenſimque imminutus ſcribatur diſciplinæ vigor, cum Adalbero Metropolitanæ Eccleſiæ Cathedram inijt. Hic igitur præſul eximius occaſionem nactus Tranſlationis Beati Arnulfi ſupra expoſitæ, cujus ſanctitatem Deus pluribus nuper ſignis probaverat; ſtatuit Cœnobium & Eccleſiam Moſomagenſem in decentiorem ſtatum reparare. Verum ut id, quod mente verſabat, firmius ſtabiliretur, Legatos ſuos Romam prius cum litteris dirigendos cenſuit ſupplex peiturus à ſummo Pontifice, ut hanc Moſomagenſis Cœnobij renovationem confirmare dignaretur quod & lubens præſtitit Pontifex hoc diplomate.

Ioannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Cariſſimo in Domino fratri Adalberoni ſanctæ Remenſis Eccleſiæ digniſſimo Archipræſuli perpetuam in Domino ſalutem. Si Eccleſias longè latèque diffuſas divino nutu in ſancta religione creſcere cognoſcimus, Deo omnipotenti laudibus exultare, gratiaſque juges agere debemus, qua propter cognovimus tuâ induſtriâ ſtabilitum in Moſomo Caſtro, quod eſt ſuper fluvium Moſæ, in veneratione Dei genitricis Mariæ Monaſterium religione decuſatum, tuis proprietatibus, Eccleſiæque tuæ terris & Eccleſijs dotatum, quod ſub tutela beati Petri Apoſtolorum Principis decreti noſtri pagina, te orante benignè ſuſcipimus, inſuper locellum qui à Stephano viro illuſtri, atque ejus conjuge Fredin de Thin nomine conſtitutus, ſanctoque ſuppoſitus Remigio fuit quem eidem Monaſterio Moſomo, quia per ſe ob exiguitatem rerum ſtare non poterat contuliſti, collatis rebus in recompenſatione Beato Remigio conſentientibus fratribus. Vt autem cognoſcat univerſa Eccleſia nos unanimiter aſſentire, & a te collata, & conferenda, ſeu collata à quibuslibet in terris cultis, & incultis, vineis, pratis, Eccleſijs, mancipijs utriuſque ſexus, aquis, aquarumque decurſibus, in omnibus ad ſupradictum Monaſterium, pertinentibus

15. Parochiſt ſeu altaristi cum decimis dependentes.

Locellum de Thin.

Monaſterium Moſomenſe terris Eccleſiæ Rem. ditatum.

Digitized by Google

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *Ann.* 971.

nentibus reſpectu beati Petri Apoſtolorum principis, & noſtri firmamus decreto; quatenus ſine livore oblatrantium locus quietus, & inviolabilis jugiter permaneat. Si quis interea (quod non credimus) temerario auſu contra ea quæ ab hac noſtra auctoritate piè, & firmiter per hoc noſtrum privilegium diſpoſita ſunt, ire tentaverit, vel hæc quæ à nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dicti Monaſterij ſtatuta ſunt frangere, & in quodam tranſgredi; ſciat ſe auctoritate ſancti Petri, cujus quamquã immeriti vices agimus anathematis vinculo inodadatum, & cum diabolo, & cum Iuda traditore Domini noſtri Ieſu Chriſti æterno incendio concremandum. At verò qui pio intuitu obſervator in omnibus extiterit cuſtodiens noſtri Apoſtolici conſtituti ad cultum Dei reſpicientis perceptionem; beatitudinem, gratiam, & delictorum ſuorum indulgentiam conſequatur, & uitæ æternæ particeps efficiatur. Scriptum per manum Stephani ſcriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Aprili.

Delictorum Indulgentia promittitur.

Data per manus Andreæ Epiſcopi, 9. Cal. Maij anno Pontificatus Domini noſtri Joannis ſanctiſſimi, & tertij decimi Papæ ſeptimo: imperij autem Domini Ottonis Majoris Auguſti II. *Junioris. vero* 5. *Indict.* 15.

ADepto ſummi Pontificis conſenſu Archiepiſcopus intra trimeſtre ſpatium Moſomum venit ibique Benedictinorum Coloniam è Remigianis, qui in Comitatu Porcenſi vota Deo reddebant apud prioratum de Thin, ſecum deducens, expulſis Canonicis liberioris vitæ in Monaſterij poſſeſſionem induxit ſeptimo ante idus Novem. An. 971. Sed ne tanto ſtudio à ſe ſtabilita, quiſquam futuris temporibus infringere auderet, peculiari adhuc ſuæ auctoritatis præcepto corroboranda cenſuit, quod ad calcem Frodoardi Coluenerij curâ editum ſic incipit.

Refert Sirmũdus Adalberonis decretum ad annum 983.

Adalbero diuinâ propitiante clementiâ ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Notum fiat univerſis, cum præſentibus, tum futuris fidelibus quondam nobis Epiſcopio, gratia Dei, ac benignitate regia contradito, ſanctorum quoque loca quædam honore integro reperiſſe plurimum valentia, quædam verò priſtinæ dignitatis ſtatu deficiente prorſus neglecta. Inter quæ etiam ille Moſomi Cœnobialis locus, antiquitatis ſtudio certatim conſtructus. Ab exordio ſcilicet ſanctimonialium vitæ aptatus, poſtmodum verò Canonicorum ordine ab Herineo prædeceſſore noſtro meliùs informatus, &c. quæ ibi leguntur.

De præſentis verò decreti promulgatione ad Synodum montis ſanctæ Mariæ remiſſa cui præſidit, Adalbero, agam inferius.

Cæterum paræneticò ſermone ad recens à ſe inſtitutos Monachos habito, aliud ſuæ liberalitatis ſpecimen exibuit, quod Chronici auctor verbis his luculenter expræſſit. *Ecce iam in præſenti coram Deo, & teſtibus do mea menſula unam villulam Oduntem nomine cum omni banno ſuo ſubtraho, & alteram villulam ſociam, quantum mihi in iure meo venit. Itemque apud Romeliacum, & allencurtum quicquid mihi parum quidem ibidem competit, in promerendo jugi ſacrificio dominæ meæ Dei genitricis Mariæ uſibus ſibi fideliter ſervientium Monachorum lubens perpetuo habenda offero, & auctoritate qua debeo, vel poſſum legaliter trado.*

De patrimonio autem meo, quod in partem mihi cedit, ſi fratrem Godefridum ſuper hoc negotio Chriſti adminiculante gratia perſuadendo .... cum potuero: quicquid in Metenſi Epiſcopio habeo in villis vid. Bretanaco, Rothilia, Madrangiſiis, ad manſos viginti octo. Itemque de terra quam dicunt ſulcos ſancti Remigij in duobus

Digitized by Google

duobus locis Roſcolis, & Caſtello ad manſos duodecim, ne indigentiâ vini ſatis optimi vos coangustet, ſublevare curabo. Bernelliacum verò ad tria millia hinc poſita ad faciendum ſaginam in paſtione veſtrorum porcorum, cum omnibus appenditijs ubi de manibus illis, quæ nunc in beneficio tenent, aut precario, aut concambio aut cujuſcùmque ingenij affectu eripere qui verò, uſibus veſtris tantum in peccatorum maculas aſſiduis precibus extergite libens acquirere inſtabo, &c. Sic Epiſcopus coram multorum frequentiâ ipſum Abbatem, & fratres benevolè alloquens in pace dimiſit.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 971.

Hæc per acta eſſe ann. 971. Indict 15. Epacta 22. concurrente. Benedict. Chron. auctor aſſerit.

Moſomenſis Cœnobij, ut & Sancti Vincentij propè Laudunum inſtauratio, Synodi apud Montem ſanctæ Mariæ in pago Tardanenſi auctoritate comprobatur.

CAPUT IV.

Vide Baron. ad. an. 970.

BInas Cœnobiùm ſcilicet S. Vincentij propè Laudunum, & Moſomagenſis, eodem tempore mutationes, ad montis ſanctæ Mariæ Synodum remiſſas, ut ab Epiſcopis probarentur, tradunt alliquot ſchedulæ, ſed quo anno hæc coacta ſit, cum inter ſe parum cohæreant dictu difficile eſt: rem in paucis aggrediar. Adalberonis ſtudium erga Moſomenſes præiverat Venerabilis Rorico ſanctæ Laudunenſis Eccleſiæ Præſul, Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi forſan, aut aliorum ſolertiam æmulatus in purgando grege à pravorum Clericorum ignavia, & fœditate.

Exactis ſiquidem ab æde Vincentiana, dudum à Brunechilde Regina unq fermè lapide, à Lauduno fundatâ Clericis, quos in eam Adelelmus deceſſor invexerat, Benedictinos ibidem reſtituendos ſtatuit. Reſtitutioniſque decretum ad Synodum ſanctæ Mariæ Tardanenſis mittendum, quo Præſulum accedente conſenſu, ad rei firmitatem, & robur nihil deeſſet. Decreti pericopen hic attexere non pigebit, licet à Chartarum collectoribus haud ita pridem editum eſt.

Roriconis Epiſcopi decretum pro reſtitutione Monachorum in Cœnobio Vincentiano.

Sancti Vincentij Laudun. Eccleſiæ.

AVxiliante ſuperna propitiationis clementia, Rorico, etſi indignus ſanctæ Laudun. Eccleſiæ Præſulatum adeptus conſiderans ultimæ evocationis ſortem, ut cæteris, mihi quoque imminere, peccatorum quoque meorum, quam magno preſſus grauamine, cepi apud me tacita deliberatione tractare quiddam huic ſedi, cui auctore Deo præſideo profuturum. Meis verò opinor conſulendis criminibus per neceſſarium. Siquidem in latere montis, cui præeminet civitas in proſpectu ſcilicet ejus, eſt Eccleſia ſita ſancti Vincentij Egregij Martyris, cultu & honore venerabilis, ſuper quâ famâ ferebatur antiquis temporibus inſignem fuiſſe Monaſticæ conuerſationis, quæ quidam moderno tempore deſtitutionis ſuccumbebat penuriæ donec prædeceſſor meus Adelelmus undecumque ſumptibus duodecim Canonicorum in ea ſeruiturum Conuentum conſtituit ordine viuendi

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *Ann.* 973.

Religioſum. Quo ita defuncto crebreſcentibus diuerſorum cladium malis penè ad priſtinum prolapſa eſt deſolationis detrimentum. Quod ego non æquanimiter ferens maximè quia non tam ſedis hujus Epiſcoporum, ſed etiam Nobilium, nec-non laycorum habebatur ſepultura. Accito generali conuentu, ipſius conſilio deliberaui in Antiquum, ut fama erat conuerſationis Monaſticæ ſtatum reformare, & pro ut dictabat temporis opportunitas quantulum cumque numerum Monachorum aggregare. Euocatis igitur à Monaſterio ſancti Benedicti ſupra Ligerim ſito duodecim Monachis eis venerabilem Melchanum præfeci Abbatem, eumque cum cæteris Monachis in eodem Cœnobio ad Deo ſeruiendum conſtitui, quibus inter cætera beneficia à me collata ſecundæ ſedis Epiſcopatus dignitatem ab anteceſſoribus noſtris antiquis eidem Eccleſiæ conceſſa approbans confirmaui: ſepulturam quoque Epiſcoporum, Canonicorum, Caſatorum, cuſtodum, Matris Eccleſiæ Capellanorum ac ſeruientium & familiarium eorum, conceſſi etiam procinctum & diſtrictum vallis & Montis, &c. ut autem hæc auctoritas firmiori valeat vigore, tam proprio ſigillo, quam Clericorum noſtrorum, & Nobilium laycorum teſtimonio ſubter roborare cenſuimus.

In ea pridem Epiſcopi ſepelichantur, & Nobiles.

Secunda Sedes Epiſcopatus.

Signum Roriconis indigni Laudunenſis Præſulis.

STatuimus ergo eam mittere Venerandæ Synodo, quæ habita eſt apud Montem ſanctæ Mariæ in pago Tardanenſi menſe Maio, ubi recitatum eſt hoc reſidente Domino Adalberone Archiepiſcopo cum Coepiſcopis, atque communi aſſenſu ab eis roboratum.

Adalbero ſanctæ Eccleſiæ Remenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi, & corroboravi.

Actum Lauduni anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti 961. Indict. 4. Calend. Octobris in anno 7. Lotharij Regis.

IBi aliqua permixta ſunt, & forſan addita in Autographo, cum annus quo præſens decretum ſubſignatum eſt à Roricone, non cohæreat cum Præſulatu Adalberonis; fieri enim poteſt, & ita credimus, ut verba illa, *Statuimus ergo eam mittere*, interpoſita fuerint inter ſignum Roriconis, & ſequentia, *Actum Lauduno*, poſt habitam Synodum in pago Tardanenſi, ſicque hanc reſtitutionem revera inchoatam fuiſſe anno 961. ut prælibatum eſt. Vel certè 971. confirmatum verò anno 973. quod ex ſequenti privilegio amplius conſtabit.

Roriconis decretum Lotharius Rex, ut pietati conſonum, regio diplomate confirmavitin quo cum Adalbero Remenſis ſummi Cancellarij dignitate decoretur, qua etiam præfulſit poſt aſſumptum Hugonem ad regni faſtigium, hîc præcæteris exhibendum putavi.

Lotharij Regis decretum pro Vincentianis.

IN nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis Lotharius diuinâ propitiante clementiâ Francorum Rex, ſi fidelium noſtrorum ratis petitionibus &c. qua propter cunctis Eccleſiæ filijs liquido pateat, quoniam venerabilis Laudunicæ Eccleſiæ Rorico Epiſcopus noſtram manſuetudinem humiliter poſtulauit, quatenus precioſiſſimi Martyris Chriſti Vincentij Baſilicæ in ſuburbio dictæ ciuitatis ſupra montem conſtructæ, adeoque honoratæ ut ſecunda ſedes ex Antiquo ſit appellata, &

Digitized by Google

& Episcoporum, Canonicorum, ac Nobilium laicorum: fuerit sepultura, ob quasdam res ibi nouiter fidelium largitione aggregatas, nostræ Regiæ auctoritatis præceptum renouare dignaremur. Nam eidem loco petente prænominato præsule præcepti nostri jam dudum cautionem impertiueramus. Cum ille ibi in suam suorũque & urbis Tutelam Monasticam constituerat Regulam; cujus petitionem cum idoneam & proficuam esse comperimus ob amorem Dei, & præcellentissimi Martyris ejus Vincentij ob salutem nostram, conjugis, & prolis totiusque nostræ posteritatis statuimus. Hoc nostræ auctoritatis seu renouationis præcepto jam dictæ Basilicæ, ut inibi Monasticus ordo Deo auxiliante perduret, statuimus etiam ut Abbas & Monachi ibi Domino militantes quietè & liberè teneant quæcumque ex antiquo ad ipsum locum possessa, quæcumque à sæpe dicto Episcopo, & Canonicis ejus addita &c. Ut autem hæc nostræ serenitatis inviolabilem semper obtineat vigorem manu nostra eam subter signauimus, & de sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 975.

Actum Compendio palatio Regis, anno Dominicæ Incarnationis 975. anno 22. regnante Lothario Rege. Signum Lotharij glorioſissimi Regis.

Ego Adalbero Regius Notarius ad vices Domini Adalberonis Remorum Archiepiscopi, & summi Cancellarij recognovi.

INquirendum restat quo tandem anno Synodus apud Montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi celebrata sit; nam quod spectat ad ea quæ à patribus sancita sunt, præter decreti confirmationem pro stabiliendis Benedictinis apud Mosomum, vix quicquam nobis super est: Et quidem Mss. Codices in discutienda temporis ratione multum sibi ipsis adversantur. Igniacensis vult coactam Synodum anno 983. cui hactenus creditum est, at Mosomensis an. 976. & eo verius quod Theobaldi Ambianensis necdum exauctorati nomen in subscriptionibus emineat, & Hettorus Cameracensis, qui anno 976. 4. Calend. Julij certissimè obijt. Et Revera quis credat Adalberonem distulisse per tot annos post rescriptum Joannis 13. pro cogenda Synodo, quæ ratam haberet recens à se factam mutationem in Mosomensi Cœnobio? nisi quis satius putet remittendam esse ad annum. 977. eo quod Laudunensis Adalbero, & Haydulphus Noviomensis Episcopi eidem legantur interfuisse, & hic obierit anno 977. die Nativitatis S. Joannis Baptistæ; ille verò ordinatus sit Episcopus eodem anno Calend. Aprilis, sic enim uterque adesse potuit. Crediderim sæpius Episcopos in pago Tardanensi ad Synodum conveniisse, ut ex Gerberti Epistolis suspicari licet, Episcoporumque nomina, qui diversis temporibus interfuerunt, ab aliquo in unum fuisse collata, quòd eam nunc parit obscuritatem.

977.

Mons sanctæ Mariæ in pago Tardanensi Diœcesis Suessionensis, super planitiem paululum creditus est ut nomen indicat, ubi est Ecclesia Collegiata, unquam Provinciæ Rĕ. Episcopi sæpiùs convenerunt, quòd locus hic ferè in Provinciæ meditullium sit, haud procul à villa quæ Basoches nominatur; juxta rivulum qui in Vesle influit in Vidulam.

In hac igitur Synodo mense Maio convocata, decretum reformationis Monasteriorum, Mosomensis præsertim, publicè recitatum est, coram Venerandis Episcopis, & Abbatibus, cæterisque nonnullis fidelibus pio assensu faventibus, imo etiam collaudantibus, atque confirmantibus, id quod præfati Præsules statuerant. Episcoporum nomina, quæ in Igniacensi Mss. desiderantur suppleri possunt ex Mosomensi & Remigiano ubi referuntur hoc ordine.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP.

Ego Adalbero præſes Synodi ſubſcripſi, & corroboravi.

An. 977.

Ego Vvido Sueſſion. Eccleſiæ Epiſcop. } Signum Hugonis Archidiaconi.
Ego Hildricus Belvac. Epiſcopus. } Signum Geranni Archidiaconi.
Ego Theobaldus Ambian. Epiſcopus. } Signum Rogeri Archidiaconi.
Al. Gero. Ego Hydulphus Noviom. Epiſcopus. } Signum Erluini Archidiaconi.
Ego Tendo Cameracen. Epiſcopus. } Signum Emmonis Archidiaconi.
Ego Adalbero Laudun. Epiſcopus. } Sig. Rodulphi Abb. S. Remigij.
Ego Conſtantinus Silvanect. Epiſcop. } Sig. Odolei Abbat. S. Medardi.
Ego Lindulphus Taman. Epiſcop. } Sig. Ratoldi Abbatis Corbey.
Signum Alberti Rem. Archidiaconi. } Sig. Bertandi Abb. S. Vincentij.
Signum Lendonis. Sigillum Theobaldi Archidiaconi. } Sig. Adſonis Abbatis S. Baſoli.

Poſtquam hæc acta ſunt, Beatæ Memoriæ Præſul Adalbero datâ benedictione Concilium ſoluit cum pace & gratia adeuntibus ſingulis ad propria. In Moſomenſi codice ſic habetur. *Ego Adalbero jam preſcriptus Archipræſul eidem Concilio Deo auctore Pontificali auctoritate, præſidens, manu noſtra præſcribens roboravi. Sed & cæteri haud ſecus cenſuerunt manibus appoſitis ſolidari, hoc ipſum Pontificale ſtatutum Apoſtolicæ auctoritatis priuilegio petitionis noſtræ obtentu, ut cumque ſubnixum, ac per hoc ſummo honore omnibus reuerenter habendum.* Privilegium illud Summi. Pontificis ſupra à nobis relatum eſt, nec magni momenti aliud prædictus codex continet, quod Moſomenſis Cœnobij primordijs lucem adferat. Supereſt ut Elenchum eorum qui ei præfuerunt, Abbatum proferamus.

Elenchus Abbatum Monaſterij ſanctæ Mariæ Moſomenſis.

CAPUT V.

LEotaldus ex priore de Thin, lectus Abbas, regularis vitæ normam cum paucis ſodalibus auſpicatur apud Moſomum anno 971. datis ab Adalberone pro eodem prioratu de Thin à Remigianis dependente, fundis Alueti commodioribus ut habetur in Chronico. Hic præfuit annos 25. menſes 7. dies 12. obijtque 13. Calend. Julij an. 997.

LOTHARIVS REX.

Boſo ſuffectus 3. Cal. Julij eodem anno, principem Eccleſiæ aram ſtabilivit ubi nunc eſt: quam Arnulfus Rem. Archiep. conſecravit decimo quarto Calend. Julij anno 999. Monaſterium muris cinxit, duo Molendina extra urbem conſtruxit, tabulamque ſummi Altaris auro & argento ab Imperatore Henrico ſuppeditatis exornavit, cujus extat præceptum in archivis, quo omnes poſſeſſiones Monaſterij confirmat datum Enodij anno 1023. hoc enim anno convenerat Imperator cum Roberto Rege juxta Sigeberti Chronicon. Thecam quoque argenteam prædictus Boſo Abbas fabricari fecit in quam tranſlatum eſt Corpus B. Victoris ab Ebalo Archiepiſcopo 4. idus Septemb. 1025. tum anno ſequenti, depoſito carnis onere, ad curiam Regis æterni evolavit.

Joannes poſt aliquot menſes ſubrogatus, muros Eccleſiæ inter chorum & turres erexiſſe fertur, mortemque obijſſe pridiè nonas Septemb. anno 1031. poſt annos quatuor, menſem unum, dies quatuor Regiminis.

Rodulphus

Digitized by Google

Rodulphus ab Ebalo Rem. Archiep. Calend. Octob. eodem anno Gandavi, ubi tunc agebat, in demortui locum ordinatur. Huc usque Chronicon Monasterij. Cætera quæ sequantur ex vetustis ruderibus eruit Nicolaus Habert prædicti Cœnobij Prior dignissi, quibus nonnulla ex varijs Chartularijs addidimus. Evivis abijt Rodulfus pridie nonas Augusti non anno 1048. sed 49. cum interfuerit Concilio generali Remis habito sub Leone 9. post annos sexdecim præfecturæ. ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 977.

Bernerus sancti Arnulfi Martyris corpus è thecâ ligneâ, in qua primò delatum fuit è Vvarco, in argenteam transtulit, quam à Gandavensibus Muemosyni loco acceperat illustris Adalbero. Habent veteres membranæ in ea quoque inclusam mediam reliquiarum partem S. Bertulfi, seu potius Bertuini, ut advertit auctor Catalogi, cum alijs plerisque, operâ Reverendi Hugonis Cardinalis octavo idus Junij anno 1063. Domini Gervasij Archiep. decimo, decessit Bernerus 14. Januarij 1069.

Guido majorum vestigijs insistens brachium sancti Arnulfi à reliquo corpore separatum Thecâ argenteâ decoravit, ut versus sequentes eidem inscripti testantur.

Martyris Arnulfi radiat manus inclita signo
Hanc Abbas Guido vestivit tegmine digno.

Hujus tempore Alodium curtis nomine supra Vidulam Ermentruda nobilis Monasterio concessit, ut & Manasses Archiep. Villulam prope Fimas 1073. desijt Guido 13. Calend. Februarij anno 1083. ex indice Abbatum, at in Charta Manassæ Archiepisc. quo altare de Athei Cœnobio sancti Basoli adscripsit anno Pontificatus 7. legitur Gibuinus Abbas Mosomensis 1076. Igitur. Villelmus.

Gibuinus ex predicta donationis charta Guidoni successit anno 1076. quo verò obierit, nescitur.

Heribertus fato functus Calend. Novemb.

Reginaldus 4. nonas Februarij in Necrologio.

Rodulphus 2. nominatur in Chartulario sancti Dionysij Rem. anno 1100. hic à Paschali Pontifice Concilium Trecis celebrante privilegium bonorum Monasterij obtinuit quod penè exoletum est, ut pote omnium antiquissimum, decessit 3. nonas Maij 1107.

Haydericus subscripsit Chartæ Rodulfi viridis Archiep. anno 1119. & Callistum Pontificem è Concilio Remensi Mosomum euntem excepit hospitio nono Cal. Novemb. 1124. ubi cum Henrico quinto Imperatore, qui in villam Brevilliacum pagi Mosomensis venerat, Pontifex collocutus est. Haydericus abijt 10. Cal. Januarij 1127.

Richardus legitur in charta erectionis Prioratus sancti Mauritij Rem. sub Raïnaldo Archiep. 1118. Confirmationem obtinet omnium bonorum sui Monasterij ab Innocentio 2. Remis Concilium celebrante 1131. Juvit suis opibus fundationem Cartusiæ montis Dei 1137. fato functus 10. Cal. Novemb. an. 1149. quo subscripsisse legitur in Chartulario Sandionysiano.

Joranus Sancto Bernardo admodum charus ex Epistola 161. Altare sancti Juliani de Macerijs à Samsone Archiepiscopo per cessionem Alberti cujusdam obtinet an. 1156. Ludovici junioris 10. receditque ab hominibus 4. Cal. Julij.

Gilbuinus legitur in Necrologio 7. Cal. Novemb.

Jacobus item 14. Cal. Septemb. cui successit.

Henricus, cujus tempore extructum Bellimontis oppidum in Hargonia à Vvillelmo Remorum antistite, decessit 7. idus Aprilis 1184. Beaumont.

Seybertus

ADALB. XXXVIII. ARCHIEP. *An 977.*

Seybertus, eo ſedente formatus Archiepiſcopus Trevirenſis Concilium Provinciale in Eccleſia Moſomenſi celebraſſe dicitur, quo jure Catalogi auctor non aperit. Philippus quoque Auguſtus Francorum Rex cum Frederico Ænobarbo Imper. Moſomi collocutus eſt 1187. anno ſequenti idem Abbas villas Antrecourt & Ronffi emit à Briardo Caſtellano de Altomonte ad bellum ſacrum proficiſcente. Sanxit etiam Villelmus Archiep. ut Decanus Moſom. & Preſbyteri decanatus feria 2. poſt Paſcha Chriſma & Oleum ſanctum in prædicta Abbatiali Eccleſia reciperent, tum orta inter Seybertum & Monachos controverſia de regulari obſervantia, permiſſum fuit illis lata ſententia per Abbatem S. Remigij, Decanum, & Cantorem Rem. Eccleſiæ, uti in poſterum botis, ſtragulis, & Caputijs. Obijt Seybertus 14. Cal. Aprilis.

Botis ſtragulis & Caputijs uti Monachis permittitur.

Jacobus vidit Monaſterij ſui ac urbis Moſomi conflagrationem anno 1232. coloniam Dommery nuncupatam ex territorio de Thin deduxit 1216. inijt ſocietatem cum Monachis ſancti Baſoli 1219. viam univerſæ carnis ingreſſus quinto idus Auguſti.

Joannes Eligitur 1220. brevi ei ſucceſſit.

Reginaldus qui & ſponte abdicavit nonis Martij 1227.

Andræas ab Henrico Remorum Archiep. confirmatus obijt 4. nonas Auguſti.

Hugo jurium confirmationem obtinet à Grego 9. quæ habebat in Parochiâ Moſomenſi, & S Martini circa Extremam unctionem, & oblationem Bullâ plombeâ Anagniæ 6. idus Octob. Pontificatus anno 4. datâ, item & facultatem divinum officium celebrandi tempore interdicti anno 1249 Circa finem Auguſti Henricus Gueldrenſis electus Leodienſis Epiſcopus occaſione munitionis cujuſdam per Rem. Archiep. editæ quæ Bullioneæ ditioni erat nocumento, Moſomum cum valida militum manu obſedit omnia circum ferro, incendijſque devaſtans fama tamen advenientis exercitus Rem. Archiep. territi milites, ſe ſe in fugam vertunt, pleriſque Charo fluvio ſubermſis. Exceſſit Hugo. 5. idus Februarij

Gerardus ceſſit jus omne quod habebat in nemore de Deüillet Thomæ Remorum Archiep. ejuſque Succeſſoribus anno 1258. quo etiam idem Archiep. cum villam de Douzi muris cingere ſtatuiſſet, ab Epiſcopo Leodienſi prohibitus eſt, eoque res proceſſit ut armis dirimenda videretur niſi bonorum virorum induſtria pax inter eos eâ conditione ſancita eſſet, ut quicquid ultra Charum fluvium Remorum Archiepiſcopo competebat, commune deinceps heret Leodienſi Epiſcopo. Gerardus cum ei nimium moleſti eſſent Cœnobium abdicavit coram Archiepiſcopo, cui ſubrogatur.

Fridericus de Sorbeto Præpoſitus Celſiæ primùm, tum Abbas ſancti Manſueti, apud Tullum Lotharingiæ urbem. Hic jura municipalia villarum de Autrecourt, & de Rouffy ordinaruit 1163. initaque ſocietate cum Monachis S. Salvatoris Diœceſis Catal. 1168. è vivis abijt.

Jacobus obijt 6. idus Auguſti ex Necrologio.

Milo item 5. Nonas Martij.

Gibaudus de Salvaterra aliàs Theobaldus, fit poſtea Abbas Monaſterij de Flaviniaco 1282. datâ Monachis ab Archiepiſcopo Abbatem Eligendi facultate, ſuffectus eſt.

Sacramentum fidelitatis Anno Domini 1289 feria ſexta ante latare Hieruſalem, Dominus Gerardus miles, Dominus de laſce ad Eccleſiam iſtam Moſomenſem perſonaliter acceſſit, & in præſentia totius Conventus recognovit ſe eſſe hominem Eccleſiæ beatæ Mariæ Moſomenſis, & fecit hominium ſuum in manibus D. Bertrandi Abbatis Moſom. & recognovit ſe tenere in feudum à prædicta Eccleſia Villas de Sedan & Balan, &c.

Bertrandus jurium Monaſterij vindex acerrimus, huic bis hominium factum eſt pro villis de Sedan & Balan; primum à Gerardo milite feria ſexta ante Dominicam lætare 1289. ſecundò poſt feſtum B. Vincentij 1298. ab eodem milite. Eidem etiam Nicolaus 4. confirmat omnes poſſeſſiones

&

& privilegia Monaſterij diplomate datô urbem veterem 3. Cal. Junij 1291. tum bonis Abbatiæ Remorum Archiepiſcopi curæ relictis ob æs alienum quo gravabatur, migravit à ſæculo decimo quinto calendas Aprilis. ADALB. XXXVIII. ARCHIEP. An. 977.

Fridericus de Baſeilles eligitur obtentâ prius facultate ab Archiepiſcopo 1303. obijt 15. Cal. Decembris.

Petrus de Fiſmes ſponte abdicavit coram Guilelmo Archiep. 3. idus Aprilis 1332. cui ſubrogatur.

Lambertus de Eſpargnemaille, vel de Inodio, cujus inſignia viſuntur in Cibario argenteo, quo utuntur Aſcetæ in ſolemnitate Corporis Chriſti. Hic obedientiam vovit Capitulo Remenſi 1332. menſe Januario.

Vericus Joanni Archiepiſcopo juravit 21. Decembris 1345. deſijt 7. Calend. Novemb.

Petrus Hazard vovit 20. Auguſti 1347. 27. Aprilis obijt.

Bernardus de Meſlun, juramentum præſtitit Eccleſiæ Remenſi menſe Decembri 1348.

Guido juramento ſe obſtrinxit 23. Maij 1354. deceſſit 13. Calend. Februarij.

Joannes iurat 11. Junij 1361. hujus tempore Remorum Archiepiſcopus permutavit ditionem Moſomenſem cum Carolo 5. Francorum Rege, à quo urbem Veſley nominatam in Cambium accepit ann. 1373. tandem factus Abbas S. Medardi Sueſſionenſis 1378.

Petrus de Eſſone Monachus ſancti Medardi, & propoſitus de Mariſco ei ſubrogatur, juratque Eccleſiæ Remenſi 18. Martij 1379. hic Caroli à conſilijs ab eo confirmationem bonorum Monaſterij obtinuit ann. 1400. fato functus ei ſubſtituitur.

Thomas de Catalauno Bacchalaurens, in decretis obedientiam vovit menſe Aprili 1400. eo ſedente Dominus Joannes Epiſcopus Juliacenſis Vicarius generalis Domini Reginaldi Rem. Archiepiſcopi benedixit Maius altare *Moſomenſis Eccleſiæ* 22. Martij 1414.

Joannes Oudin de Verpel, eligitur tempore Concilij Baſileenſis ut patet ex Bulla confirmationis ejuſdem data Baſileæ. Iterum confirmatur à Martino 5. à quo mitram cum Pontificalibus ornamentis pro ſe ſolo obtinuit. Munere Officialis Curiæ Remenſis perfunctus eſt & in Concilio Provinciali Moſomi celebrato latinè peroravit 1424. Pelvis argentea, Calix, Urceoli duo argentei ejus nomine & ſtemmate inſigniti adhuc extant. Defungitur pridie idus Auguſti ann. 1433. cui poſtridie ſucceſſor eligitur.

Thomas Cochin, ex Præpoſito ſancti Juliani in ſuburbio Macerienſi, qui intrabiennium deceſſit nono Calend. Auguſti ann. 1435.

Valterus ſeu Valcherus jurat Eccleſiæ Remenſi 20. Octobris 1436. obijt 15. Calend. Maij 1457.

Thomas de Aillicourt, ex Priore de Thin fidelitatem promittit die feſto Ss. Sacramenti 1457. exceſſit nundum biennio Præſulatus elapſo 3. nonas Maij 1459.

Valterus jurat Eccleſiæ Remenſi die 22. Aprilis 1459. huic cum graveſcere cœpiſcet valetudo Coadjutor datus eſt.

Petrus Hanel pridie Cal. Decembris 1480. oratorium è candido lapide inſigni opere in Priora Eccleſiæ extrui curat ann. 1485. egit animam 3. idus Februarij ann. 1487.

Joannes d'Agnerre, Bacchalaureus in decretis electus 28. Aprilis 1488. ob defectum natalium à ſede Apoſtolica confirmatur. Georgium de Ambuſia Cardinal. Roto. Archiep. Legatum S. S. A. miſſum ad componendas lites inter Ludovicum 12. Regem & Maximilianum Imper & Philippum Auſtriacum Moſomi excepit. Hic per quadrimeſtre hoſpitatus, conceſſit

Abbatibus

ADALB. XXXVIII. ARCHIEP. *An.* 977.

Abbatibus in posterum mitra & Pontificalibus Insignibus uterentur an. 1504. Joannes humana reliquit 7. idus Septemb. 1508.

Jacobus des Ayvelles ex Priore de Thin in regimen assumptus desijt 8. Decemb. ann. 1511.

Joannes Gilmer Præpositus Roserosis eligitur 16. die Martij 1511. cui negotium facessit, Petrus d Agnerre protonotarius S. A. Jure reservationis regimen Abbatiæ sibi vendicans fultus auctoritate, Gratiani d'Agnerre Baronis Ruminiaci ditionis Mosomensis pro regis Gentilij sui. Vicit tamen electus maximo hujus Monasterij emolumento. Nam quocumque oculos deflexeris, extra & intra Ecclesiam quæ magnificentiam ejus testantur, adeo ut potuerit gloriari cum Augusto Monasterium lateritium repertum, marmoreum reliquisse obijt 4. Cal. Octob. 1531.

Claudius de Villers, permutatione facta Prioratus de Thin, cum Abbatiali dignitate ne præda fieret hoc Monasterium Aulicis qui tum Ecclesiasticis beneficis inhiabant vovit obedientiam 18. Aprilis ann 1531. Demum in bigamiam beneficiorum more tunc adolescente prolapsus, extremum diem clausit Remis in Collegio vallis scholarum, cujus prior erat, & administrator perpetuus, ac Abbas Commendatarius de Elan 25. Augusti 1545.

Robertus de Lenoncourt Episcopus Metensis & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis primus Abbas Commendatarius.

Philippus de Lenoncourt Episcopus Catalaun. & S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis.

Franciscus Butor Thesaurarius S. Capellæ Palatij Paris. an. 1553.

Joannes de Rochefort. an. 1566.

Annas de Fondrat. an. 1603.

Renatus Ludovicus de Fiquermont 1617. obijt 1655. sub eo strictiorem vivendi morem ad D. Benedicti normam id temporis fermè Collapsam, restituerunt R. R. Patres Congregationis sancti Vitoni in Lotharingia, à senioribus Monachis benignè susceptí, & ut deinceps Mosomense Cœnobium regere Rege ac Renato consentiente subrogati.

LOTHARIVS REX.

Sacra aliquot Pignora quæ apud Mosomenses Coluntur.

CAPUT VI.

MOsomenses præter Deiparam sui Templi præsidem, habent aliquot Tutelares, quorum sacratissimis nobilitantur pignoribus. Inter hos sanctitate præeminet Beatus Victor, de quo pauca hæc ex Membranis decerpsi. Victor Mosomi natus se puritatis vindicem, Christi præcursoris exemplo, maximè comprobavit. Dum enim præfecti urbis cupiditati (qui sororem ejus turpiter deperibat) infracto adversaretur animo, sævitiam ejus velut pudicitiæ strenuus assertor, mortem expertus est. Effossis siquidem à Tyranni satellitibus puellæ oculis, Victor quoque ad ostium Ecclesiæ fœdè trucidatur; ubi & sepulturam nactus est, vel ut quidam habet codex juxta murum Ecclesiæ Sancti Petri.

S. Victor civis Mosomagensis.

Viri sanctitatem Deo aliquanto post miraculis revelante: Corpus ejus à Rigboldo Coepiscopo, vices Domini Hincmari per Diœcesim agente, sexto idus Februarij an. 880. è prædicta Basilica in Marianum parthenonem Castri Mosomensis, spectatorum ingenti frequentia, translatum est. Ubi velut urbis Patronus piè ac reverenter à Civibus colitur. De eo Martyrologium

Digitized by Google

tyrologium S. Timothei Rem. v. Idus Februarij. *In Mosomensi Cœnobio natale S. Victoris ejusdem loci Martyris.* Ejus sacra pignora tradit Flodoardus lib. 4. cap. 13. haud procul à Castello fuisse reperta, quæ Abbatis Bosonis studio postmodum è minus decenti, in nobiliorem thecam affabrè & subtiliter elaboratam delata sunt, ex schedis Monasterij. ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An.* 977.

Gaudet insuper Mosomensis Ecclesia S. Arnulfi corpore, de quo cap. 2. egimus, ac notabili parte S. Bolendis Virginis, quæ nobili genere nata, patre Odolardo Austrasiæ Ducis Præfecto, matre verò Nona, B. Amandi Episcopi Trajectensis sorore, septemdecim annos in Parthenone (cui Morcella nomen) sacro velata flammeo, ad obitum sanctè vitam exegit. Sepulcro ejus miraculis coruscante, corpus ritu solemni è loculo, in sacellum ab incolis piè constructum, trigesimo post ipsius dormitionem anno à B. Autberto Cameracensi, & Transmaro Turnacensi Episcopis translatum est. Indè pars aliqua in oppidum de Thin traducitur, cujus Mosomensis Ecclesia fit compos, Ascetis è prædicto Prioratu apud Mosomum, ut dixi, demigrantibus.

Aliquot etiam S. Bertulfi lipsana Adalberonis tempore Mosomenses obtinuisse feruntur. Hic cognomine Alemannus, sanctimoniâ claruit circa annum 668. vixítque aliquamdiu cum Vvauberto Renticensi Comite ad fluvium Ennonam, cujus ea pietas fuit, ut ditionem suam nihil potius quàm ædificijs Petro Apost. & Dionysio Martyri sacris exornare duceret. Bertulfus, qui relicto patriæ solo in Tarvanensem diœcesim concesserat, se primùm tanti Comitis obsequio mancipavit. Tum eo probante monasticam vitam professus tot virtutibus fulsit, ut inter Cælites post obitum relatus fuerit. Corporis ejus, intra Gandavensis urbis septa translati, pars quædam Adalberoni, Belgium ex officio lustranti, data est, quam Mosomensibus in sacrario reverenter collocandam concessit an. 971. ubi cum plerisque Sanctorum Reliquijs thecâ argenteâ decenter inclusa populorum cultui veneranda proponitur.

Cœnobij sancti Theoderici prope Remos initia, successus, exitium, ejusdémque renovatio per Adalberonem Archiepiscopum.

CAPUT VII.

SOLLICITAM suæ diœcesis curam gerens insignis Adalbero, se in multis gregi proficuum & utilem exhibuit. Etenim, licèt in diversa traheretur animus, gravioráque Regni negotia inter Magnates præcipuus sedulò administraret; vix tamen Mosomensis Cœnobij restaurationem compleverat, cùm sancti Theoderici domum à laicali statu abstrahere, & Monasterium in ea, sublato Presbyterorum minùs religiosè conversantium cœtu, instituere proposuit; *eámque* (Mosomensis hîc Chronici verbis utar) *ut olim sub beato Remigio ac inclyto Theoderico, multóque post eos tempore steterat, revocato Abbatis & Monachorum ordine in integrum restituere, præter hæc quæ antiqui juris fuerant, etiam Atteyas de sua mensa in Viromendensi territorio optima cespitis villam ad legumen, & sagimen liberaliter contulit, triticum quoque ex optimis, quæ terrâ procreat, mensæ fratrum per annum totum suppeditavit.* Hactenus Chronici Auctor, nec ultra de celebri hoc Cœnobio quidquam prosequitur.

Villa Atteyas meminit Frodoard. lib. 4. Cap. 1.

Digitized by Google

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An.* 977.

Ejus tamen initia cùm satis copiosè retulerim, agens de primis Abbatibus lib. 2. tom. 1. rursum ea repetere supervacaneum duxi. Varias igitur hîc quas postmodum subijt vices breviter profero, quò inclyti Adalberonis studium, pietas, & munificentia clariùs enitescant, qui genuinam fundatoris mentem apprimè secutus, Cœnobium ad antiquum morem revocando, æternam sibi gloriam comparavit.

Est autem illud (ut dixi) in monte situm, molli clivo jugum leniter versùs urbem demittente, ubi cœnobialis ædificij moles, piorum largitionibus sæpius restaurata, se se visendam exhibet, quam ut veterum olim Ascetarum severior cultus, sic à septingentis nunc propè annis Benedictinorum in ea receptus ordo, vel restitutus egregiè nobilitat. Quinam verò hoc intervallo (à veteribus scilicet Ascetis) ad nostrum Adalberonem hunc locum incoluerint, & quis horum vivendi ritus, obscura admodum disquisitio est.

Regularem vitam suspicor omnino desijsse sub ultimis Francorum Regibus primæ dynastiæ, cùm bellorum fluctibus quassatâ Campaniâ, servi Dei ex cellulis abire compulsi sunt: tunc enim dilapsis hinc indè, & in fuga forsan mortuis, Clerici se se in eorum locum facilè intruserunt, quorum fit mentio primùm (quod sciam) in Concil. Suessionensi an. 853. ubi Sigismundus quidam S. Theoderici Clericus immediatè post Canonicos Matricis Ecclesiæ ponitur, quos illegitimè consecraverat Ebo Archiepiscopus post latam in eum sententiam à Patribus Synodi Metensis. Sex quoque Canonici ejusdem Cœnobij nominantur in supplice libello Cleri Remensis ad Episcopum Suessionensem, quòd Visitatore non exspectato, post Hincmarum, Fulconem elegisse diceretur an. 882. & sic sæculares Clerici, haud dubiè ante Normannorum irruptionem, Monachis successerant, sub quibus ob persecutionis metum, sacra beati Theodulfi Abbatis pignora in Ecclesiam sancti Dionysij extra muros civitatis Remensis ab Heriveo constructam, translata sunt.

Cœnobium Montis-aurei ob hanc fortunæ ac status vicissitudinem bonorum temporalium jacturam non feciſse, probabile est, cùm tot Canonicos aleret, nec ædificijs ad hospitandum idoneis caruisse, cùm Synodus quinque Episcoporum, Artaldo Archiepiscopo præside, ibidem celebrata sit an. 953. At paullo post Conradus pacto cum Hungaris inito (inquit Frodoard.) ijsque per Regnum Lotharienſe adductis, & Gallias hostiliter ingressis, pagos Viromandensem, Laudunensem, Remensem, & Cathalaunensem cædibus, incendijs, ac rapinis, devastârunt: tunc Monasterium sancti Theoderici non modo suis opibus & sacra supellectile spoliatum est, sed & voracibus flammis penitus expositum, ut cuidam Otberto prius revelatum fuerat à quodam Clerico nuper è vivis exempto, monente eum consolando, ne hîc apud sæculum ultra manere cuperet, ob mala quæ toti provinciæ & Monasterio imminerent.

Gens Vngarorum Galliam ingressa rapinis cuncta devastat, Monasteriumque S. Theoderici flammis exurit, Frodoard. l. 1. c. 25.

Deus qui in adversis nusquam suos deserit, inter incursionum procellas, & Cœnobij cladem, beati Theoderici meritum infinitis revelavit prodigijs in ipsius tumulo ut & in fonte recèns exorto è sylvula Monasterio contigua, quem per tubulos plumbeos infra ipsius ambitum nuperi Abbates deduxerunt, ex cujus aqua ubi advenientes peregrini aliquid ebibissent, aut ex ea loti fuissent, levamen ab infirmitate miro modo sentiebant.

Frodoard. in Chron. ad annum 942.

Signis iterum, quietâ Galliâ, in beati Confessoris sepulcro coruscantibus, præsul Adalbero multum propensus in sanctam Benedictinorum Regulam, quòd in Gorgiensi Monasterio à pueris nutritus fuerat, ubi alvearium exstitit Monachorum, & sanctæ fervor Religionis, primo sui Pontificatus anno, Clericis tunc liberioris vitæ, Benedictinos substituendos esse duxit, juxta schedulam in veteri capsa beati Theoderici nuper repertam

tam ubi ſic habetur. *Porrò ipſa rudis mutatio anni* 1071. *Evenit anno* 100. *poſtquam hîc Monaſticus reſtitutus eſt ordo.* Videns ſiquidem oculatiſſimus Antiſtes, quod ab eo tempore quo prædictum Cœnobium (recluſorum olim auſteriori vita celebre & ſacris poſthac pignoribus ditatum) à Monaſtico ordine defeciſſet, & in Canonicalem qui omnino peſſum venerat, cœpiſſet devenire, in pejus ſenſim corruerit, cenſuit illud jam collapſum, & omnimodis inveteratum in priſtinam decoris majeſtatem reparare. ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An* 977.

Sed priuſquam ſe ad id accingeret, Regem ſibi omnino conveniendum putavit, ut ipſius auctoritate Rogerus Comes bona Monaſterij, qui dilapſis forſan huc illùcque Clericis, deique cultum negligentibus, uſurpaverat, abdicaret, quod & fecit libentiſſimè ut fuſius narrant Mſſ. codices. Tum rebus quæ ad ſervorum Dei habitacula forent neceſſaria in eo diſpoſitis ſocietatis ſufficiendæ, præpoſitum ſelegit virtute & eruditionis commendatione clarum Airardum nomine, quem in ordine Abbatum principem ſtatim collocabimus. *Forte Rogerius Rocheforti Comes.*

Hunc pariter multum laboraſſe referunt pro vindicandis prædijs ab eodem Comite violenter avulſis: & cum nobiles quidam è vicinia, Ungaris Galliam vaſtantibus, ea pariter inuaſiſſent, ne prædictorum bonorum reſtitutio, eos nimium oneraret, filijs eorum Deo ſervire cupientibus, Religionis habitum liberaliter indulſit; unde mos inolevit ut per aliquot annos aditus præſertim ad Monaſterium pateret nobilibus quod ex traditione tantum habetur.

Sed ut prædicta innovatio, Clericis ne quicquam renitentibus, facta in futurum robur obtineret, præfatus Archiepiſcopus eam Regio diplomate muniendam curavit quod ne ſenio temporum pereat, aut oblitteretur, hic deſcribendum cenſui.

Præceptum Lotharij Regis pro Monachis S. Theodorici in Clericorum locum ſubſtitutis.

IN Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Lotharius divinâ propitiante Clementiâ Francorum Rex. Si fidelium noſtrorum gratis petitionibus (Regiæ ſerenitatis aurem accommodando faventem, loca ſanctorum cum rebus ſibi jam traditis ſiue tradendis ſub honore congruo Regia auctoritate conſiſtere perficimus) id nimirum profuturum credimus cum ſtatus reipublicæ feliciter diſponendæ, tum etiam ſaluti perpetuæ ſolâ Dei gratiâ nobis obtinendæ.

Idcirco cunctorum ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium induſtria nouerit, piâ deuotione petente ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo Adalberone fideli noſtro, ſuadente begnigno hortatu Emmâ Reginâ Cariſſimâ conjuge noſtra, per deprecationem ipſius Archiepiſcopi Regiæ auctoritatis noſtræ præceptum à nobis liberali munere actum ſuper quadam Abbatia Cœnobij tertio milliario ab urbe diſparata, in honore Beati Bartholomei Apoſtoli, Beato diſponente Remigio ſub diuina reuelatione conſtituti, in quo Venerabilis Confeſſor Venerabiliter requieſcit Theodoricus, primus ejuſdem loci ſanctitatis merito ab eodem ſancto Dei Pontifice Monachorum Abbas inſtitutus; qui etiam ſacer locus, ubi cum jam malis, vel quibuſdam ſiniſtris undique irruentibus, à Monaſtico ordine negligenter deficere & in Canonicalem, quæ omninò peſſum negligenter viluit cœpiſſet deuenire: tandem diuino reſpectu procurante eodem Archiepiſcopo, in priſtini ordinis dignitatem eſt reportatus. *Eccleſia Montis hoc D. Bartholomeo primum ſacrata fuit ex hoc diplomate & ex bulla Ioan. 17. at non multò poſt obiit S. Theodoricus ipſius nomẽ induiſſe patet ex teſtamen. Fromundi apud Frodoa.*

Igitur ut hujuſmodi perfectio, vigore muniatur, perpetuo habenda conſeruetur, Regiæ majeſtatis roboratur ſigillo, ſicque Regali potentia idipſum decenter ſtabilitur quo præſcripto loco Emma jam pridem ſibi forte adquiſita, uel diuina

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 977.

miſeratione olim adquirenda inuiolabili jure perpetuo habenda conſeruetur: inſuper & illa quæ ſunt Menſi ſeptem in pago Veromandenſi, cum duabus Eccleſijs principalibus, & una Capella, quarum due id eſt Mater Eccleſia in honore ſanctæ Mariæ, cum Capella memoriæ ſanctæ Radegundis dedicata in Villa Attheyas; alia verò in honore ſancti Medardi in Villa Emme, jam dudum Remenſi Eccleſiæ per annos quinquaginta ſubtracta, ſed prafati Archiepiſcopi obtentu recepta, & eidem Monaſterio pro ſalute noſtra, & dilectæ conjugis Emmæ Reginæ dulciſſimæque prolis noſtræ, immo & pro remedio ſui ſuorumque ſucceſſorum ab ipſo jure tradendi delegata ſententia.

Itaque diffinitionis noſtræ hac ratione concludetur, ut in locis omnibus vel facultatibus, quas idem poſsidet locus, nemo unquam vel Comes, uel Vicecomes, uel judex, uel qualibet, ſecularis poteſtas præſumat placita, leges, uel cujuslibet diſtrictionis judicia ullatenus exercere, ſed omnis lex, juſtitia, atque judicium manu regularis Abbatis contineatur, uel ejus arbitrio hac eadem teneatur honore Archiepiſcopi ſeruato.

Patet ex Chron. Frod. Lotharium duxiſſe uxorem Emmam filiã Regis quôdam Italici ad An. 966.

Dignum etiam ducentes, ut quia inuiolabiliter præfatis Regiæ majeſtatis firmitate, corroborationeque contulimus, libertati, pariter rebus Monaſticis pro neceſſario prouideamus. Hoc juxta Domini Archiepiſcopi fidelis noſtri petitionem, aſſenſu uerò & fauore Noniomenſis Epiſcopi, ex ſententia & autoritate noſtraque præceptione firmiter affixum annexumque fuit, quatenus pro Altari & Eccleſijs illis, & Capella, Abbas & Monachi quotannis, ſemel tamen in anno ſolidos tredecim & ſex denarios ſolui facerent, & ſic Altare, & Eccleſiæ & Capella, ab omni inquietudine, ab omnibus conſuetudinibus, ab locationibus, rogatu, & exactionibus ſecure, quietè, & liberè permaneant.

Id dictum quod prædicta Eccleſia ſeu Altaria ſita eſſent in Diœceſi Noviom-

Vt autem hoc præceptum inuiolabiliter inconcuſſum jugiter permaneat, manus noſtra regali more idem dignanter confirmat, nonnullis fidelibus noſtris coram adſtantibus. Actum palatio Compendij ſub die 7. Cal. Iunij anno Incarn. Domini nongenteſimo ſeptuageſimo quarto indict. 2. 20. anno regnante ipſo glorioſiſſimo Rege Domino Lothario ſi autem quiſquam, quod minimè credimus, repertus fuerit, qui hanc noſtræ præceptionis ſententiam ullatenus infringere auſus fuerit, æternæ maledictionis Anathemate damnetur ut dignas perpetuæ ultionis pœnas luat, qui Regale ſimul & Pontificale decretum violare non metuit.

† *Adalbero Remorum Archiepiſcopus manu noſtra confirmo.*
† *Ego Vvido Sueſſorum Epiſcopus interfui, & firmavi.*
† *Ego Theobaldus Ambianenſis Epiſcopus interfui & firmavi.*
† *Ego Gilbertus Comes confirmavi.* † *Ego Vvido Comes confirmavi.*
† *Ego Manaſſes Comes confirmavi.* † *Ego Albertus Comes confirmavi.*
† *Ego Rogerus Comes confirmavi.* † *Ego Ragenerus Vicedominus confir.*

Beati Theodorici corpus veteri ſepulchro in Thecam argenteam transfertur ab Adalberone Archiepiſcopo præſente Lothario Rege.

CAPUT VIII.

REbus itáque, quantum licuit, in Cœnobio Montis hor ab Adalberone firmatis, ad ea quæ proprii Tutelaris cultum & reverentiam ſpectant, eo vel maximè mentem intendi quod miraculorum fama per totam adhuc vigeret provinciam, quibus Beati Confeſſoris Theodorici

Digitized by Google

dorici ſepulchrum mirificè ſuperiori ſæculo enituerat, unde cum novis poſt Monaſterij renovationem prodigiis rurſum inclareſceret, propoſuit tanti præſulis ſacratiſſimam Glebam, è ſepulchro lapideo in decentiorem locum transferre. Theca igitur ex argento ſuis impendiis affabrè præparata, decimum tertium menſis Martii an. 976. futuræ ttanſlationi deſignavit, ſed huic impræviſum adfuit obſtaculum, amoto ſiquidem lapide quo ſepulchrum operiebatur, omnium mox oculis Beatus Confeſſor Theodoricus precioſiſſimis coopertus veſtimentis apparuit adeo integer & incorruptus, ac ſi recens expiraſſet. Nec in hoc ſervati pudoris indicium, vel altioris meriti ſpecimen tantum effulſit, aliud ſubindè miraculum ſecutum, cum Clericis, iubente Archiepiſcopo corpus viri ſancti Elevare cupientibus, feretrum ita eſt aggravatum, ut illis quantumlibet annitentibus moveri non potuerit. ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *Ann.* 977.

Præſul his ſtupefactus pauliſper hæſit, præſertim cum eum tanti miraculi cauſa lateret. At Monachus quidam ex circumſtantibus propius accedens, reverenter illi ſuggeſſit ſe in Chartis Monaſterii aliquando legiſſe Theodoricum primum Auſtraſiæ Regem cum Beati Confeſſoris Feretro in tumulum laturus ſuos pridem ſupponeret humeros, fuſis lachrymis obnixius à Deo poſtulaſſe, ne prædicti Confeſſoris Corpus ex hoc ſepulchro ad aliud in poſterum transferri poſſet niſi præſente Regii ſanguinis Principe qui regale ſanctitati eius ſummitteret faſtigium.

Adalbero certior aliundè etiam factus eorum quæ à Monocho dicebantur, ceremonia omnino ſuperſedendum duxit, iuſſitque tumulum interim ſtragulâ holoſericâ operiendum, ne omnibus indiſcriminatim pateret, ſicque ſepulchrum manſit apertum ab eo die uſque ad Lotharij Regis adventum qui per Campaniam Remenſem haud ita poſt tranſiens, obnixè rogatus eſt ab Archiepiſcopo ut tranſlationi ſanctiſſimi Abbatis intereſſe vellet, cui ſe *libenter* adfuturum cum ſpopondiſſet, tantæ ſolemnitati magnificè cuncta præparantur, venienſque Rex, Emmâ Reginâ, multiſque proceribus Comitatus ad Monaſterium, vidit, ac miratus eſt Dei in ſanctis ſuis prorſus admiranda. Nam Clericis ad nutum Archiepiſcopi iterum conantibus è loculo ſanctiſſimum corpus extrahere, moveri ut prius non potuit, donec manum Rex admovens pretioſum onus ſine labore ſuis erectum humeris ad locum præparatum honorificè depoſuit.

Martyrologium locale de hac tranſlatione ſic habet 13. Cal. Maij. ***Inventio Corporis Beati Theodorici à Domino Adalberone Archiepiſcopo, qui ordinatione Beati Remigij primus Abbas extitit in monte hor, ubi incorruptus plus fermè quam trecentis quinquaginta annis requievit, & tranſlatio ipſius, atque ſancti Theodulfi in capſas argenteas.*** Fidem quoque horum omnium facit Chronicon Rem..his verbis. ***In Monte hor ſanctus Theodoricus levatur anno*** 975. & inſcriptio ſecundæ tranſlationis ſub Raimbaldo Abbate nuper in capſa veteri reperta cum ſereniſſima francorum Regina Anna Auſtriaca præſente in novam ſed longè ditiorem Thecam. Idem Beati Theodorici Corpus tranſlatum eſt anno 1632.

Prædictam ſacrorum pignorum Beati Theodorici è tumulo elevationem iteratis Deo approbante miraculis, frequens ad eum fiebat populorum concurſus febricitantium præſertim, è quibus plerique ſentiebant opem, & meritis ipſius ab ægritudine ſanabantur, ut quidam Adalgiſius præſbyter fuſius retulit in breviario geſtorum Confeſſoris Theodorici: brevique factum eſt, ut fidelium largitionibus ditatum fuerit Monaſterium. Multi enim Nobiles prædia, Villas, Altaria liberaliter ei contulerunt, inter quos merito excellit Adela Kanuti Danorum Regis uxor ac Roberti Comitis *Flandriæ* filia; quæ Marito à ſuis ſubditis ferali quadam ſeditione perempto, de

Digitized by Google

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *Ann. 977.*

de reditu in Patriam cogitans, ut efferatæ gentis sævitiam devitaret cum Carolo impubere filio clanculum ad patrem venit an. 1088. ac Theodoricum tunc miraculis clarum deprecatorem apud Deum sibi adsciscendum rata, eum votis suis ac precibus devincire studuit: utque sui obsequij tesseram in eum amplius testaretur, partem silvæ Territorij de Hardebec Monasterio ejus impertijt pro quiete animæ Regis Daniæ Mariti sui ac parentum suorum salute. Quin haud ita post Flandria pestilenti morbo laborante (hunc sacrum ignem, seuarsuram vocabant) obtinuit tam à Venerabili Rainaldo Archiepiscopo quam ab eximia Congregatione Beatæ Mariæ (sic enim Venerabile Capitulum nuncupat,) & à Radulfo Abbate, ut Beati Confessoris Feretrum per urbes Belgij deferretur, prædicta Adela cum proceribus & populis obviam prodeunte, ac illud ingenti lætitia & cultu velut Tutelarem & Alexicacon excipiente ac reverenter Comitante, tunc enim, ac sacris Lipsanis in Flandria existentibus (ut Mss. codices referunt) Donationem prædictæ silvæ de Harlebec per chyrothecam Adela Regina adimplevit seu potius renovavit ac solemniter confirmavit 13. Regni Philippi 1. 7. Pontificatus Rainaldi Archiepiscopi ac 3. præsulatus Radulfi Abbatis an. 1090 quam Robertus Flandriæ Comes Adelæ Reginæ Frater ad Bellum sacrum per Galliam pergens, & ab Abbate in Monasterio benignè susceptus, non approbavit modo, sed aliam superaddidit præsente Comite Theobaldo, ut ex Charta prædicti Comitis infra patebit.

Pars silvæ de Hardebec in Flandria datur. Beato Theodorico.

Donatio per Chyrothecam.

De Regulari observantia Monasterij sancti Theodorici aliquid, & de gisto ibidem à Francorum Regibus olim percipi solito.

CAPUT IX.

Anno 976.

QUàm arcta olim fuerit regularis observantia in Cœnobio montis aurei post faustam ab Adalberone inductam restaurationem, abundè colligi potest ex clarorum Abbatum indice qui ei per plures annos dignè præfuerunt, (sub sanctis enim Rectoribus vitæ strictioris Alumnos vixisse necesse est) & ex gestis eorum quibus abdicatis sæculi pompis portus illud fuit ac perfugium. Inter quos velut sol Clarissimus enituit B. Poppo ejusdem Monasterij Alumnus sub Abbate Josleberto: susceptо si quidem Religionis habitu anno 1003. virtutes sic excoluit ut Ædituus primum fuerit, tum hospitio præfectus, tantam curam impendit pauperibus recipiendis, ut sæpissimè stragula quâ operiebatur super eos expensa ab omni ægritudine sanaret. Hic postmodum à Venerabili Richardo Beati Vitoni Abbate accitus, ut suis ad virtutem esset incitamentum, Abbas S. Mauricij de Belloaco, sancti item Maximini Trevirensis, & de stabulo lectus est, ubi & diem clausit extremum an. 1048.

E Cluniaco, cujus fama sanctitatis orbem impleverat, statuta aliquot, & certum vivendi ritum Santheodorienses hausisse suspicor ex arcto societatis fœdere cum Cluniacensibus inito sub Petro Venerabili, ex Claustralium locorum dispositione, & silentio, & ex prolixiori receptâ psalmodiâ, maximè verò ex verbis Apologetici sancti Bernardi quædam liberius in Cluniacenses dicta excusantis ad Guilelmum Abbatem sancti Theodorici. *Quomodo, inquit, nos miserrimi hominum in pannis & semicinctijs, de cavernis, ut ait ille, dicimur judicare mundum, quodque inter cætera intolerabilius*

bilius eſt, etiam glorioſiſſimo ordini veſtro derogare, ſanctiùs qui in eo laudabiliter viuunt, impudenter detrahere. Guilelmus haud dubiè de Bernardo queſtus non fuiſſet, ut revera feciſſe videtur, ſi aliquam ſibi ac ſuo Monaſterio, ex illatâ Cluniacenſi ordini injuriâ notam inuri non ſenſiſſet. ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An.* 977.

Currente tertio decimo ſæculo regularis diſciplinæ fervor, quem ſuperior ætas ardentiſſimum viderat, ſeneſcente inſtituto paulatim remitti cœpit; Unde plærisque ob nimium rigorem morbo tabeſcentibus, quod ſeverius videbatur mox temperandum fuit, ſummorum Pontificum indultis ac diſpenſationibus, ſubindè etiam privilegijs roboranda fuere Monaſteriorum jura adverſus delegatos judices, frequentiora interdicta, ceſſationes à divinis, & aliquot pullulantes abuſus, quorum ſat magna congeries etiam nunc in Archivis Santheodoricianis conſervatur; ubi & extat Alexandri IV. qua facultatem impertit Monachis deferendi pileos ſuo ordini ac regulæ congruentes, pro ut prius conceſſerat Petrus S. R. E. Diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum reſcripto Anagniæ dato VIII. idus Julii Pontificatus Alexandri an. 2.

Hic quoque prætermitti non debet Monaſterium ſi non primitùs à Rege fundatum, procedente ſaltem tempore aliquot Regum largitionibus auctum ac privilegiis roboratum, unde giſti quotannis recipiendi ius (ut & apud Altumvillare, & ſanctum Baſolum) propter hoc ſibi deberi antiquitus Reges Chriſtianiſſimi dicebant, quod Ludovicus Rex IX. ad certum tempus reſtrixit hac Chartâ.

Altum Villare & ſancti Baſoli Canobia aque giſtum illud exhibere tenebatur ac Santheodoricianum.

Ludouicus Dei gratiâ francorum Rex uniuerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Notum facimus quod de giſto in quo S. Theodorici, de Altouillari, & S. Baſoli Eccleſiæ nobis tenebantur, de noſtro ac ipſarum Eccleſiarum Concenſu extitit ordinatum, quod nos & ſucceſſores noſtri apud Remos cum ibidem uenerimus, & non alibi percipere poterimus dictum giſtum, dum tamen non percipiamus giſtum aliud eâdem die, & tunc etiam ad minus cum integraliter completa fuerit Anni reuolutio, à die quo giſtum Anni percepimus, in cujus rei Teſtimonium præſentes litteras Eccleſiæ ſancti Theodorici, ſigilli noſtri munimine tradidimus roboratas. Datum Remis anno Domini 1255. menſe Decembri feria quinta ante Natiuitatem.

Notat D. Paſquier lib. 3. Cap. 36. pradicta jura adhuc viguiſſe ſub Carolo ſexto.

Nec eo tantum iure francorum Reges gaudebant in eo Monaſterio, ſed poſt cuiuſque Abbatis obitum, Guardiam, ſeu protectionem bonorum temporalium, tanquam prædicti iuris appendicem ſibi vendicarunt, Archiepiſcopo ne quicquam reclamante. Unde Alberico de Dormans Sancti Thedorici Abbate vivis ſublato, cum Joannes de Credonio Archiepiſcopus in ius illud ſe intruſiſſet, Carolus V. interceſſit, miſſiſque ad Ballivium Viromandenſem litteris quibus prædictum ius in eâdem Abbatiâ giſtum percipiendi poſt inaugurationem Remis factam luculenter exponit, Guardiámque ad ſe pertinere. Has licet Vernaculè ſcriptas quod rei illuſtrandæ conferant edere iuvabit.

Fortè Rex ſibi Guardiá vendicavit ab eo tempore quo Regni Bellovacus Laudunenſis inſtitutus eſt.

CHARLES, par la grace de Dieu, Roy de France: Au Bailly de Vermandois ou à ſon Lieutenant, Salut. Nous avons entendu que l'Abbé, qui n'aguere eſtoit en noſtre Egliſe de Saint Thierry de les Reims, laquelle eſt noſtre ſujette reſſortiſſante en noſtre Siege de Laon, eſt en noſtre protection & ſauvegarde, & en laquelle nous prenons un giſte le lendemain de noſtre Sacre; eſt allé de vie à Trépaſſement, & que nos Amés l'Archeveſque, & l'Archidiacre de Reims, ont fait, commis, & inſtitué en icelle par eux pluſieurs Appariteurs, Sergens & autres, & gouverner, lever, & exploiter de par eux le temporel d'icelle Egliſe, leſquels ont deſtitué les Officiers, gaſtent & diſſipent les biens, au vitupere de Nous & de noſtre droit Royal, prejudice & dommage de noſtre-

dite

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 977.

dite Egliſe. Pourquoy nous vous mandons que vous vous tranſportiés en ladite Egliſe, & vous informiés bien & diligemment des choſes deſſus dites, & ſi vous trouués qu'ils ayent fait choſes contre raiſon, ſi y pourueu de tel & conuenable remede, que noſtre droit & celuy de l'Egliſe y ſoit gardé, &c.

Donné à Paris, le vingtieſme jour d'Avril mil trois cens ſoixante & treize, de noſtre Regne le dizieſme.

Par le Roy, à la relation du Conſeil.

Prædictum jus giſtum percipiendi apud S. Theodoricum à Chriſtianiſſimis Regibus fluxiſſe putat Auctor vitæ præfati Confeſſoris vulgatæ anno 1632. à laudabili conſuetudine viſitandi ejus ſepulchrum quam diu ſervarunt Theodorici primi Auſtraſiorum Regis exemplo, quod an certâ & indubitatâ ratione nitatur curioſius hic non inquiro.

Synopſis Abbatum Monaſterij Sancti Theodorici.

CAPUT X.

AIrardus poſt inſtauratam ab Adalberone regulam primus Abbas 972.

Chriſtianus cujus nudum nomen reperio, migrat 3. Cal. Februarij.

Aſſo Hieroſolimam profectus obijt in itinere circa annum 990.

Joyſbertus vel Joſlebertus, cujus fit mentio in vita ſancti Pomponis Cryptam conſtruxit ſupra ſepulchrum S. Theodorici, an diſtingui debeat à Gilberto ſancti Gerardi Cameracenſis Epiſcopi conſanguineo qui ex Monacho ſancti Theodorici, factus eſt Maricolenſis Abbas, non ſatis conſtat: in veteri tamen Catalogo quieſcere legitur juxta altare Beatæ Virginis. Functus an. 993.

Dominicus, Eccleſiam à fundamentis renovavit. Situs ſub altari ſanctæ Crucis ann. 1022.

Extincta advocatio Monaſterij ſub Hērico I. quod onerosa & inutilis eſſet.

Albertus, interfuit dedicationi Baſilicæ ſancti Remigij, & Concilio generali ſub Leone 9. 1049. Philippi 1. inaugurationi 1059. abſumptus 1063.

Raimbaldus Vir ſcientiâ clarus, & inter Aſcetas hujus ſæculi nominatiſſimus, ut eſt in charta Ratbodi Noviomenſis Epiſcopi, legitur an. 1070. in tabulario ſancti Baſoli, & 1076. Transfert reliquias Beatorum Theodorici & Theodulfi in Thecas argenteas, ut narrat Adalgiſus & vetus membrana his verbis. *Vir piæ & laudabilis memoriæ pater, Cœnobij ſancti Theodorici Raimbaldus circumquaque manentibus egregiâ Venerandus erat religione, & famâ, & opere Is loculos Beatorum Confeſſorum recondendis corporibus aptos compoſuerat, auro & argento decorare intendebat, &c. quod & præſtitit ann. 1071. ex hac inſcriptione anno Dominicæ Incarnationis 1071. indict. 9. tranſlatum eſt hoc pretioſum corpus ſanctiſſimi Confeſſoris Theodorici fundatoris, & Abbatis primi hujus Cœnobij in hanc thecam, ſtudio & induſtriâ Raimbaldi ejuſdem loci Abbatis, & Venerabilium Cleri Matris Eccleſiæ, atque Abbatum Remenſis diœceſis 14 Calend. Maij infra majoris Hebdomadæ in termino Paſchali, epactâ exiſtente 17. concurrente 5. ciclo lunari, lunâ 15. anno ſecundo Pontificij prædicti Manaſſæ, & Raimbaldi Abbatis 8. hoc etiam Cal. die idem fœliciſſimus Theſaurus ante plures annos ab Adalberone ejuſdem ſedis Archiepiſcopo, de loco ubi poſitus per manus Theodorici Regis fuerat elevatus, & ad cultum amplioris reverentiæ in edito fuit poſitus. Porrò iſta rudis mutatio evenit anno 100 poſt hic Monaſticus reſtitutus eſt ordo.* Raimbaldus obijt 4. Calend. April. 1078.

Rogerus

ADALB. XXXIX ARCHIEP. *An.* 986.

Rogerus, vel Richerus electus anno 1078. nominatur in charta Raynaldi Rem. Archiepiſcopi 1084. cum Adalberone ſancti Vincentij Abbate, & anno 1087. in privilegio Elinandi Laudunenſis Epiſcopi, quo ipſe obijt VI. Idus Martij in Martyrologio.

Rodulfus, vel Radulfus in provinciali Synodo habita ſub Manaſſe Archiepiſcopo 1088. (Pſeudo-ſynodum fuiſſe reor cùm Manaſſes dudum à gradu cecidiſſet) Danorum Regina ab eo obtinuit, ut feretrum ſancti Theoderici deferretur per urbes Belgij tertio ſui regiminis anno 1090. Obijt an. 1111. Raynaldus Remorum Archiep. altare de Hermondivilla conventui obnoxium fecit in ſubſidium alimenti Monachorum.

Anno 1082. Monachi facti Theoderici Clericum inſtituunt in Eccleſia de Pettingem ex conceſſione Radbodi Tornacenſ. Epiſcopi. Spicil. Tom. 2. ſub Radulfo clarunt Gualdericus Laudun. Epiſc. ex Monacho ut quibuſdam placet.

Gauffridus vir magni nominis, rerúmque geſtarum gloriâ clarus, ex Priore-Majore ſancti Nicaſij Rem. ſub Ioranno, fit Abbas S. Theoderici an. 1112. tum ſancti Medardi Sueſſionenſis juſſu Calixti II. adhuc titulo Abbatis ſancti Theoderici legitur in Concil. Rem. apud Ordericum Vitalem an. 1119. Hunc Burchardus fratrem nominat, naturâ, an dignitate, incertum. Ad eum ſcribit S. Bernardus epiſt. 66. poſtremò ob eximias animi dotes & virtutis famam, Epiſcopus Cathalaunenſis electus eſt an. 1131 Eo regente, peccatis hominum Deo offenſo, ſuccendit plebs Remica villam ſancti Theoderici an. 1122. exiſtentibus Rogationibus Calend. Maij.

Guillelmus ex Monacho Nicaſiano fit Abbas Creſpcïenſis in Anoyo, vel Hannonia, tum S. Theoderici an. 1120. Ad eum ſcribit Apologeticum S. Bernardus, & de eo loquitur epiſt. 86. Abdicato regimine an. 1134. tranſit ad Signiacenſes, ubi obijt Prid. Id. Ianu. an. 1140. Gangiacum datam à Rege Theodorico de manu invaſorum vindicat Radulfus Archiep. ſub Guillelmo Abbate.

Hellinus, ſeu Hillinus ex Priore S. Amandi in Pabula, Eccleſiam factus Abbas ornamentis ac nova ſupellectile ditavit. Legitur in fundatione Carthuſiæ de Monte-Dei an. 1135. Cum eo & præcedenti Abbate ſocietatem *iniit Petrus venerab. Cluniacenſis Abbas*, conceſſítque ut Cluniaco Capitulum tenerent. Præfuit annos novem, menſes tres.

Aldricus, Albricus, ſive Albericus conſecratur à Bartholomæo Laudunenſi Epiſcopo, nomenque ejus diverſimodè legitur in Chartularijs ſancti Theoderici 1146. ſancti Dionyſij Rem. 1149. Boniſontis 1153. Obijt 1156.

Erbertus, vel Albertus ex Aquicintenſi Monacho 1157. migrat IV. Calend. Martij.

Heribertus nominatur in tabulario ſancti Nicaſij Rem. an. 1168. 1182. 1186. deceſſit 6. Calend. Decembris.

Galcherus ſeu, Valcherus an. 1191. 1197.

Fulco eximiæ virtutis & prudentiæ vir, delegatur à ſummo Pontifice pro lite dirimenda inter Abbatem ſancti Nicaſij, & Valcherum de Ruminiaco 1206 Obijt in Concil. Rom. ſub Innocentio IV. ſepultus in Eccleſia ſancti Johannis Baptiſtæ de Inſula. Sub eo parochia tranſlata dicitur in Capellam ſancto Hilario dicatam extrà ambitum Monaſterij. Ebalus ſancti Theoderici Monachus, eligitur Abbas S Johannis Laudun. anno 1200.

Milo ex Priore Clauſtrali Abbas renunciatur an. 1216. ſocietatem contraxit cum Abbate & Monachis ſancti Baſoli, cujus decretum incipit per hæc verba, *Ad univerſam notitiam, &c.* deſijt X. Calend. Julij 1232. Eo clavum tenente Robertus Præpoſitus fit Abbas S. Johan. Laudun. 1215.

Gerardus ex Camerario rexit Monaſterium 27. annis, legitúrque in variis Chartularijs 1233. 37. 46 vitâ functus an. 1260. Ordinationis ſuæ primo corpus ſancti Theoderici in novam tranſtulit capſam 23. Octob. die Dominicâ, annuente Henrico Archiepiſcopo; & præſentibus Jac Sueſſion. Phil. Catalaun. Vv. Tornaſ. A. Silvanect. G. Camerac. & M. Belvacenſ. Epiſcopis. Hinc ſex virgæ, ſeu baculi in ſcuto Monaſterij depinguntur, cùm

Seu pingi debent nonnumquam ut vulgo fieri ſolet.

ADALB. XXXVIII. ARCHIEP. *An.* 977.

quercu cui insidet Aquila, ab anno 1392. prædictæ translationi interfuerunt Enardus Abbas S. Basoli & quidam alij non infimi ordinis è Clero, Henrici Archiep. anno 7.

Johannes Fago benedictus anno 1261. chorum Ecclesiæ eleganti structura ædificat Principum donis adjutus, & fidelium eleemosynis, missis pro illorum temporum more in varias oras S. Theoderici reliquis, ad stipem pro Ecclesiæ restauratione corrogandam ; vice Petri Barbe Remensis Archiepiscopi approbat donationem quatuor modiorum vini annui reditûs, factam per M. Poncardon de Hermondivilla Clericum, percipiendorum super vineas de Cormisiaco sitas, cujus initialia verba subjicio. ***Universis præsentes litteras inspecturis Iohan. Dei patientiâ Abbas S. Theoderici juxta Remos, & G. de Issiaco Decanus Aurelian. vices gerentes in hac parte reverendi Patris Petri Dei gratia Remorum Archipræsulis salutem in Domino. Noveritis quòd nos auctoritate rever. &c. 1293.***

Rudulfus, ex Priore Monasterij, Abbas. 1300.

Johannes Albertus de Dormans ex Eleemosynario ad abbatialem dignitatem provectus, litteris ad hoc obtentis, quas exspectativas vocant, nominatur an. 1311. hic, consentiente Guillelmo de Tria Archiepiscopo, vendidit Præposituram de Pertinchen, non procul ab Audenarda, Conventui Sanctimonialium Belli-Loci, ordinis S. Claræ Diœcesis Tornacensis pretio 3600. librarum, excessit 1336.

Radulfus de Cupigni à Guillelmo Noviomensi Episcopo Vicario generali Rem. Archiepiscopi benedictus an. 1337. juramentum solitum de præstanda obedientia Metropolitanæ Ecclesiæ edidit die Martis post festum sancti Remigij mensis Octobris.

Clarinus obedientiam præstitit Archiepiscopo die S. Catharinæ in Capella palatij 1349. interfuit visitationi reliquiarum S. Nicasij cùm Johannes de Craon capsam aperuisset an. 1359. ad litem Canonicos Rem. inter, & Monachos comprimendam.

Petrus de Marciliaco, præstitit juramentum 9. Septemb. 1360.

Albericus de Dormans, per gratiam exspectativam promotus, jurat. 22. Maij 1363. eo vivis sublato, lis oritur inter Regis & Archiepiscopi ministros pro custodia bonorum Monasterij.

Guillelmus de Baracan vovit 24. mensis Julij 1373. desijt. 1395.

Stephanus de Meligni, ex Abbate S. Salvatoris Cathalaun. diœcesis, præstat juramentum 14. Februarij 1395.

Al. Rochebouard.

Fulcaudus de Rochechoüard, ex Abbate Montis-Majoris, eligitur, anno 1411. & 13. Aprilis juramentum præstat Eccl. Rem. Huic Martinus V. rescripsit pro unione Abbatiæ Aurei-montis cum hospitali sancti Antonij Rem. 1421.

Guillelmus Galoisius, aliàs Filastre ex Monacho sancti Petri Cathal. 1432. posteà Virdunensis Episcopus.

Aimericus, benedicitur à Guillelmo prædecessore 1437. quo etiam vovit Ecclesiæ Rem. Licentiam obtinuit utendi mitra 1454. interest Concilio provinciali anno sequenti, fitque Abbas sancti Remigij 1462. Hic Johannis Archiep. Rem. Vicarius generalis fuit anno 1451.

Radulfus obijt 1469.

Johannes Balue Cardinalis Andegavensis, vel S. Suzannæ 1469. Regi suspectus incarceratur, eo detento.

Arnulfus d'Anglure, alias Navarot Protonotarius, & Rem. Canonicus, se se in possessionem bonorum intrudit 1477. fratris nixus auctoritate aulici ac Regi familiaris, unde primus Commendatarius.

Ægidius d'Autreil, ex Priore S. Petri Corbiensis diœcesis Lingonensis, juramentum edidit 1490. Hic facultatem obtinuit utendi mitrâ, benedicendi populum,

Digitized by Google

populum, veſtes ſacerdotales, pallas altaris, tonſuram clericalem, & minores ordines ſuis Monachis conferendi, à Julio Papa II. 1508. bullâ, quæ ſic incipit, *Expoſuit veſtræ dilectionis ſinceritas.* ADALB. XXXIX. ARCHIEP. an. 977.

Franciſcus d'Autreil per reſignationem præcedentis, jurat 21. April. 1528.

Johannes de Marconay 1552.

Ludovicus Cardinalis à Guiſia 1556. 1559.

Jacobus Brotillard an. 1560.

Dominicus le Clerc, vel de Meugin. 1568.

Jacobus Bailly. 1575.

Carolus Bailly.

Paulus Bailly, eo regente inducta eſt reformatio à RR. Patribus Congregationis S. Mauri an. 1627. Deceſſit menſe Januario 1649.

Guillelmus Bailly, Advocatus regius in ſuperiori Conſiſtorio, poſſeſſionem inijt an. 1650.

Sacra lipſana quibus B. Theodorici gazophilacium locupletatur.

IN feretro auro infuſo, & induſtriè elaborato, reconditum ſervat ſanctiſſimi Theodorici primi Abbatis & fundatoris corpus integrum, præſente Lothario Rege è tumulo extractum an. 975. & miraculis illuſtre ante & poſt elevationem, ut ſupra notavimus.

Corpus item beati Theodulfi, à ſancto Theodorico ejuſdem Cœnobij Abbatis tertij, nuper in ditiſſima lipſanotheca reconditum, quæ formam arcæ fœderis egregiè repræſentat.

Ejuſdem S. Abbatis caput ſeparatum exhibet proſtans humero tenus ex argento, effigies ſuppedaneo innixa cruſtis argenteis paſſim exornato.

Brachium S. Theodorici in theca argentea incluſum brachij figuram referente.

Brachium quoque S. Theodulfi.

In duabus Lipſanothecis duas ſindones, viridis rubeíque coloris, leonibus atque bracteis aureis diſcriminatas, in quibus ſanctorum Theodorici, & Theodulfi corpora fuerunt involuta.

Præter has tutelarium præſtantes reliquias, Aſcetæ hujus loci peregrinantium pietati ſubſequentes etiam venerandas exponunt.

De reliquijs ſancti Bartholomæi Apoſtoli, titularis ac primi Eccleſiæ Patroni; in cujus annua feſtivitate maximus fit è Remorum civitate, & pagis adjacentibus, ad Montis-Hor populi concurſus plenarias Indulgentias lucraturi.

Mentum S. Benedicti Nurſitæ, Monachorum occidentalium Ducis & Patriarchæ.

Partem capitis, cum coſta S. Priſcæ Virginis & Martyris, que ſub Claudio juniore poſt inauditos cruciatus martyrio coronata eſt.

In theca argentea, turriculæ figuram referente, plures diverſorum Sanctorum reliquiæ.

Convolat quoque maxima febricitantium multitudo ad idem Monaſterium tribus milliaribus à Durocorto diſparatum, ut in ſcypho S. Theodorici laticem hauriant, ſed vas illud teſtaceum foliis ac floribus hinc indè diſcriminatum, quod fuerat ſanctiſſimo Abbati à Rege Auſtraſiorum Theodorico (ut fertur) mnemoſyni loco datum, ac caſu diſruptum, cùm ultimis his bellorum turbinibus milites anno 1652. per Campaniam Rem. graſſarentur, quidam heterodoxus furatus eſt, ſecúmque clam abſtulit, argentum ab eo detracturus, quo fractura quædam contexta erat & cooperta. Viget adhuc nihilominus peregrinatio, ut olim, ad Eccleſiam tam inſignis Patroni, ut indè ſanitatem febricitantes, & alij ægroti meritis ipſius, & interceſſione obtineant.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 977.

Vindeniſſa, & Virtutum quæ dominij erant Canonicorum Rem. dantur Manaſſæ & Heriberto. Teibaldus Ambianenſis exauctoratur. Lotharius Remus pactum init cum Ottone.

CAPUT XI.

COenobijs Moſomagenſi, & Montis-Hor in perfectiorem ſtatum feliciter reſtitutis, Præſul Adalbero ſuæ Metropoleos rectæ gubernationi totus incubuit, hoc unum præcipuè agens, ut perverſis hiſce temporibus, quibus Præſulum electiones pro nutu, & libidine Principum fiebant, ſaltem viri idonei & abſque ſimoniæ labe ad infulas promoverentur.

Nec de proventibus Eccleſiarum minor erat ipſius providentia, quamvis in ditiores villas dominij eccleſiaſtici plærique Nobiles totis viribus inhiarent. Animum enim ejus vehementer angebant novæ quorumdam molitiones, qui, Carolina ſtirpe ad exitum properante, Toparchiarum fundamenta per provinciam & diœceſim locabant, inter quos Manaſſes ſuper Azonam arce condita ſedem jam fixerat, Comitatum, qui Regiteſtenſis dictus eſt, uſque ad Moſam producturus; cùmque hic Vindeniſſa, ampla poteſtate & in amœniſſimo ſolo ſita, & finibus quos ſibi propoſuerat, contentâ, valdè indigeret, Adalbero ut erat perquam cordatus & ſapiens, cedendum eſſe tempori ratus, conſenſit ut ei per precariam villa hæc à Capitulo daretur pro quibuſdam prædijs relatis in charta, quæ ad calcem Frodoardi edita eſt, & ſic incipit.

» IN nomine Patris & Filij & Spiritus-ſancti. Notum ſit omnibus tam » præſentibus quàm futuris Fidelibus, quòd Manaſſes Miles poteſtatem » illam, quæ dicitur Vindeniſſa, à Canonicis Remenſis Eccleſiæ, favente quo- » que domno Adalberone Archipontifice, totam ſibi, ſuæque conjugi Oidelæ » (exceptis etiam Eccleſijs Canonicorum uſibus, jure dominij reſervatis, ſalva » rerum commutatione) per precariam efficaciter obtinuerit. Dedit itaque con- » trà idem Manaſſes competenti modo Canonicorum parti quidquid poſſidebat » in villa Tancauda, hoc eſt manſos IX. & molendinum & in Verniaco VIII. » manſos & dimidium, & in villa Columnis ædes duas in Comitatu Rem. &c. » eâ videlicet ratione altrinſecus ſtabilita hujuſmodi precariæ, ut ijdem Ca- » nonici pro reſpectu & veſtitura Tancaudam & Verniacum manu ſua teneant, » cetera verò tam ipſe Manaſſes, quàm ſua conjux prædicta cum eadem po- » teſtate Vindeniſſa, in ſua tantùmmodo vita, libera facultate ſibi teneant & » poſſideant. Ubi verò rebus humanis exceſſerint, totum illud ex integro præ- » dium, precario datis ſcilicet rebus, inviolabili jure ſorti Canonicorum jugiter » adhærentibus, in manus eorum pro debito legibus ad poſſidendum redeat, &c.

Ibi etiam fit mentio Comitatus Caſtrenſis ſuper fluvium Batr. & Comitatus Percenſis.

» Actum Remis in ſede VIII. Idus Novembris, an. XX. regnante Domno » Lothario Rege Francorum, Epiſcopatûs Adalberonis quarto.

» Domn. Adalbero ſubſcripſit, atque firmavit.

An Vindeniſſa ut condictum erat, in jus ac dominium Capituli redierit poſt Manaſſis obitum, non ſatis liquet, imo contrarium appendicis Auctor videtur aſſerere, cùm ait prædictam villam, in terra Comitis Regiteſtenſis ſitam, ſuo tempore à Vvitero Comite ſub trecenſu triginta ſolidorum teneri; Vviterus autem Comitatui ſucceſſit an. 1124. ut poſtea dicetur.

Heribertus quoque Trecenſis Regulus, callidè ſe in villam Virtuti intruſit, pactum iniens cum Capitulo Rem. ut ſaltem vitæ ſuæ decurſu prædictam villam, quam ex peruaſione jam ſibi vindicaverat, retinere poſſet, ſub conditionibus quæ ibi apponuntur, & ſunt ejuſmodi.

In

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 977.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Ego Leudo ſanctæ Remorum Eccleſiæ Præpoſitus, omniſque ejuſdem loci Canonicorum Congregatio. Nolumus latere omnium tam præſentium, quàm futurorum induſtriam, quoniam Heribertus Comes noſtræ humilitatis adiens conſpectum, petijt dari à nobis ſibi noſtri juris eam, quæ dicitur villa Virtutis, quam ipſe ſibi ex perſuaſione vendicabat, eâ videlicet ratione, ut pro veſtitu nobis ad præſens ex eâ retineremus manſos duos ingenuiles & veſtitos, & pro reſpectu annuatim perſoluere libram unam denariorum monetæ Remenſis feſtivitate S. Remigij Cal. Octob in diebus tantùm vitæ ſuæ, ſecluſis uxore ſua, infantibus & cunctis heredibus ſuis; cujus petitioni faventes, conceſſimus illi ſoli præfatam villam ſecundùm præſcriptam, ab eóque determinatam rationem, &c.

Sigil. domini Adalberonis Archiep. confirmantis & conſentientis.

Manaſſes, & Heribertus qui cum Capitulo Remenſi ad vitam ſolùm pepigerant pro Vindeniſſa, & Virtuto, promiſſis omnino ſtetiſſe non videntur, mens enim eorum erat harum additamento Toparchias ſuas porrectiores reddere, quod re vera perfeciſſe certum eſt, cùm has quocúmque modo acquiſitas ſibi ſic aſſeruerint, ut velut Comitatuum appendices, & proprias ſuis poſteris reliquerint.

Tetdone Cameracenſium Præſule vivis exemto 28. menſis Auguſti, Imperator è Sclauorum tractu rediens Rothado pijs moribus adornato inſulam Præſulatûs impertivit: *Æſtimans illum, ait Baldericus, lenitate animi, ſævitiam Cameracenſium repreſſurum.* Hujus Sedis ſublimitate adeptâ, circa initium Quadrageſimæ urbem petijt, nec multo poſt ab Adalberone Rem. Archiepiſcopo, cum quo in ſchola Gorzienſis Monaſterij arctam inierat amicitiam, ſumma cum veneratione ordinatus fuit. Refert Auctarium ad Frod. Chronicon ex vetuſtiſſimo codice, Adalberonem hoc anno arcuatum opus evertiſſe ſecus valvas Eccleſiæ Rem. poſitum, ſupra quod præter altare S. Salvatoris, fontes quoque miro opere hactenus permanſerant; ex quo planum fit templi fabricam longè aliam fuiſſe ab ea quæ nunc eſt. Eodem pariter anno tertio decimo Cal. Januarij Præſul Rorico ſanctæ Laudun. Eccleſiæ, quem Aſſo Monachus, *Totius ſapientiæ lumen*, nuncupat, langore paralyſis correptus, vitâ deceſſit, cui anno ſequenti ſucceſſit Adalbero juvenis, ex Lotharij natus Regno, die Palmarum Remis caractere epiſcopali ab Adalberone Rem. inſignitus. Hic dives quidem opum, poſſeſſionúmque locuples fuit, at infidus Regi, & Laudunenſis Eccleſiæ calamitatum origo, ut ſtatim videbimus.

Erat per id tempus quidam Ambianenſis Epiſcopus, Tetbaldus nomine, cujus protervia Adalberonis Metropolitani patientiam plurimùm exercuit. Quis verò ſit ille, & an idem qui intruſus tempore diſcordiæ inter Artaldum & Hugonem pro Archiepiſcopatu Remenſi, à Trevirenſi Synodo excommunicatus fuit, vix certò definiri poteſt. Niſi ipſe poſt obitum Regembaldi, quem Artaldus ad preces Cleri & populi legitimè conſecrârat, rurſus Ambianenſem ſedem invaſerit, aut certè quidam alius cognominis, qui anno 974. Lotharij Regis præcepto, ſuperius Cap. 7. à nobis relato, etiam ſubſcripſit poſt Vvidonem Archiepiſcopum.

Sirmundus putat in notis ad 3 lib Concil Gal Thetbaldum hunc eũ fuiſſe quem ante An. 8. Ambianis pſeudo Archiepiſc Hugo ordinaverat.

Quidquid ſit, ex ſynodica Concilij Rem. habemus Thetbaldum ſæpius correptum à Metropolitâ Adalberone non acquieviſſe, ſed monita ejus ſaudaciùs reſpuentem in malitia ſua inveteratum permanſiſſe, exoſum Deo, & hominibus, donec Archiantiſtes Adalbero eum ad Synodum vocavit coram Stephano Diacono Benedicti VII. Legato, VIII. Cal. Octob. an. 975. ut rationem redderet illegitimæ ſuæ ordinationis; & quia non comparuit, ut ei fuerat injunctum, excommunicationis gladio percuſſus eſt. En ſtatutum quod Stephanus, qui Synodo præfuit, & Archiepiſcopus Adalbero miſerunt ad pſeudo-Epiſcopum.

Epiſtola

Digitized by Google

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 977.

Epiſtola Stephani & Adalberonis ad Thetbaldum Ambianenſem.

» INveterate dierum malorum, vide quid lucri tua tibi contulit abſentia, noſtrâ ut abutaris patientiâ, contemptor legum divinarum atque humanarum? Sedem Apoſtolicam appellaſti, nec adijſti. Litteras pecuniâ, & mendacio tuo Romæ editas, à te accepimus XIV. Cal Auguſti, pluſculum in te, quàm pro te continentes. Cui Synodo nec interfuiſſes, niſi interpoſita conditione reſervandi honoris; quod abeſſe, fuit non adeſſe. Cur latitas? cur ſanctam Synodum fugis? ei quæ acta eſt V. Nonas Julias exhibere te noluiſti, & præſenti quæ denunciata eſt agi VIII. Cal. Octob. intereſſe recuſas.

» Convenerunt pro te reverendi Medici, qui morbos tuos optimè norunt, tyrannicam ſcilicet vim qua infatuatus es contra Regum velle, & illum tuum pſeudoarchiepiſcopum cum Epiſcopis excommunicatis, qui ſuarum manuum impoſitione, velut quodam contagio te infecerunt: & quoniam judicio domni Benedicti VII. Papæ in Synodo, qua Bonifacius damnatus eſt, incurabilis repertus es, nec ejus Filius Stephanus S. Rom. Eccleſiæ Diaconus, mederi tibi prævalet, velut morbidum & morboſum hircum ſeparamus te à grege dominico, & ex auctoritate Omnipotentis, & ſanctæ Mariæ, ſanctique Petri Principis Apoſtolorum, damnamus, & excommunicamus, ſacriſque liminibus Eccleſiæ arcemus, uſque ad veram tui recognitionem, & dignam ſatisfactionem.

» Ego Stephanus S. Romanæ Eccleſiæ Diaconus ad vicem domni. Benedicti Papæ ſeptimi huic ſtatuto præfui, & ſubſcripſi. Ego Adalbero S. Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus interfui, & firmavi cum reliquis.

Carolum Regis Lotharij fratrem Otto Imperator citeriori Lotharingia præfecerat, aliſque cõduxerat beneficijs ut fraterna motibus reſiſteret.

Utrum reſipuerit Thetbaldus hoc anathematis vinculo innodatus, apertè non liquet, quamvis nonnulla ſit ſuſpicandi ratio, maximè ſi coacta fuerit Synodus ad Montem ſanctæ Mariæ cui ſubſcripſiſſe legitur an. 983 ut notat Auctor appendicis ad Frodoardum.

Balder. C. 100. lib. 1.

Porrò ex his decreti verbis Stephani, & Adalberonis, *Infantuatus es contra Regum velle*, colligere eſt Thetbaldum exauctoratum eſſe, Ludovico jam à patre in Regni conſortium adſcito, quod hoc eventu opinor accidiſſe, cùm ortâ ſimultate inter Ottonem Imperatorem, & Lotharium Regem propter collatum Lotharingiæ Ducatum Carolo, Rex collecto exercitu ſtatuiſſet in ditione ſua renovare Lotharium Regnum, hoſtiliterque penetrâſſet uſque ad palatium Aquiſgrani. Et Otto ut vices redderet, condicto die Franciam uſque ad Cal. Decembris peruagatus, fines præſertim Remenſium, & Sueſſionum diversâ clade vaſtâſſet, tandem pax inter utróſque ſancitur, non ſuper Charum fluvium, ut ſcribit Sigebertus, ſed Remis civitate, renitentibus Hugone, Henrico fratre, & Regni Optimatibus. Nec ibi abjurat Rex Lotharingiam, ut falsò refert idem Auctor; ſed dat Ottoni in beneficio Lotharium Regnum, ex Hugone Floriacenſi. Quod clarioribus verbis Gerbertus qui tunc aderat, epiſtolâ ad Abbatem Auriliacenſem aſſerit, loquens de Adalberone Remenſi ſummo Cancellario, *Lotharienſes*, inquit, *ſervire cogit filio Imperatoris ſub Regis Franciæ clientela.* In hoc igitur Procerum Conventu Remis coacto, ſi quid conjecturâ aſſequi poſſum, Ludovicus V. inauguratus eſt, ut ex annorum Regni ejus computatione colligi poteſt.

Berlandus ſancti Vincentij Laudunenſis Abbas, ægrè ferens tamdiu Monaſterium ſuum beati Confeſſoris Botiani præſentiâ viduari contra authenticum Didonis Epiſcopi, humiliter petijt ab Adalberone Laudunenſi ut ſacræ tandem ejus reliquiæ à Canonicis, ob infeſtationem paganorum aliò tranſlatæ, pacatâ Galliâ ad proprium locum reducerentur, quod lubens annuit ſequenti diplomate, cui Remenſis Adalbero Metropolita ſubſcripſit.

Charta

Digitized by Google

Charta Adalberonis Laudunenſis Epiſcopi.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 980.

IN Nomine Dei & Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, Ego Adalbero Laudun. Eccleſiæ humilis præſul: Notum fieri uolumus præſentium, futurorûmque Dei fidelium ſolertiæ, quoniam Venerabilis Abbas Berlandus, Monaſterij S Vincentij noſtram adijt præſentiam deferens quoddam priuilegium loci ſui, quod eidem loco diuæ Memoriæ D. Dido Præſul octauus ſcilicet anteceſſor noſter fecerat de corpore S. Confeſſoris Botiani ut in eodem loco perpetualiter permaneret, Ibidemque Canonici ejuſdem ſancti qui Paganorum infeſtatione cum ſuo Patrono à Cella ipſius propulſi fuerant, & nulla certa ſede tenebantur, Domino fideliter in pſalmis, & hymnis, & ſpiritualibus Canticis quieta jam ſtatione potiti famulantur, transfuſis illo omnibus cum integritate rebus jure ad ipſam Cellam reſpicientibus. Fatebatur autem idem Abbas ſe non modice admirari quomodo S. Vincentij locus tanto theſauro, ideſt, Sancti Botiani corpore poſt tantum priuilegij robur fuerit alienatus ſimul obſecrans à nobis ſibi conſilium hinc tribui ne tantum loci ſui, &c.

Ecclesia de Petra Ponte in quam ob infestationem Paganorum plebs fidelis se receperat, Vincentianis datur.

Nos uerò rem diligentiſſimè inueſtigantes compertimus quod idem Deo deuotiſſimus præſul, cogente quam prædiximus Paganorum infeſtatione, Municipio de Petra Ponte ad confugium munimenque Chriſtianorum conſtructo, neceſſitate ductus, (ne ſcilicet illic degens fidelis populus ſacrarum tuitione reliquiarum careret) neue idem Municipium, quod Pontificalis ſedes extiterat, vileſceret, eundem Chriſti Confeſſorem illuc tranſtulit, atque in poſterum ibidem remanſurum collocavit, fortaſſe in recompenſationem hujus facti ſimile quid reſtituturus, quod utrum fecerit nec ne, ignotum. Igitur re utrimque conſiderata, nec privilegium volentes vacillare, nec caſtrum ſancti præſentia viduare, decernimus ſano ut nobis noſtriſque viſum eſt fidelibus intuitu, Eccleſiam ipſius caſtri ſanctæ Dei genitricis honore dicatam, ubi ſancti Corpus collocatum colitur, cum cæteris ſanctorum reliquijs ibidem quieſcentibus, & omnibus rebus, pertinentiis ſuis ad præfatum S. Vincentij locum tradere, & in Abbatis & Monachorum ejus veſtituras de noſtra trajcere, & ut Pontifici jam dicto, nobis, ſucceſſoribùſque noſtris, ſeniori noſtro Lothario Regi, & Dominæ noſtræ Emmæ Reginæ, atque filio eorum Ludovico æquæ Regi, *in ſacris orationibus ſuis, die noctuque prodeſſe ſatagant. Hanc ſucceſſorum quicumque futuri ſunt noſtrorum caritatem ſupplici imploramus devotione, ut memores ſortis humanæ ſibi proſpiciant, atque ab hoc noſtro actu non diſſentiant, quatenus prædictarum orationum participes facti, per hæc & cætera vitæ exercitia cæleſtem ad beatitudinem pertingant.*

Vt autem hæc noſtræ donationis auctoritas firmiorem in Dei nomine per ſuccedentia tempora obtineat vigorem hoc exindè fieri ſcriptum præcepimus, factumque propria manu roborantes fidelium noſtrorum Clericorum & Laycorum manibus roborari ſtatuimus.

Ego Adalbero Remorum Archiepiſcopus indignus †
Ego Adalbero Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus. †

SUb hoc tempore Otto Imperator in Calabriam pugnaturus veniens adverſus Græcos & Saracenos, ab eis ipſe devictus eſt ingenti prælio navali vaſtato exercitu, omnibùſque penè proceribus interfectis, ipſe quoque Imperator natando nitens evadere à nautis captus eſt, ſed mox à conjuge redemptus, brevi mœrore confectus obijt. Huic Otto filius qui tertius dictus eſt Rex, Veronæ ante obitum patris electus ſtatim Aquiſgrani coronatur. Nec propterea niſi ab eo tempore quo Imperij coronam à ſummo Pontifice ſuſcepit, Imperatoris nomen, ſed Regis dumtaxat ſuis Diplomatibus more majorum inſcripſit, ut patebit ex ſequenti quo bona Sancti Remigij in Germania confirmat.

Ex 4. Volumine fol. 76. tituli 92.

Priui-

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *Ann.* 977.

Privilegium Ottonis Regis pro Allodio de Marſna Remigianis à Gerbergâ Regina conceſſa.

Notegavius vocatur Epiſt. 30. Gerberti.

IN nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis Otto, annuente Divinâ clementiâ Rex, noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum induſtria, quod per interventum noſtrorum fidelium Epiſcoporum Vvengici ſcilicet Maguncienſis Archiepiſcopi atque Venerabilis Nocheri Leodienſis Eccleſiæ Pontificis, ſuis per deprecationem Heldeboldi Vvarmacenſis ſedis utilis nobis Præſulis renovando donamus privilegia Cœnobio Beati Remigij Francorum Apoſtoli ſecundum deprecationem Domini Letardi Abbatis, Monachorumque ipſius Cœnobij, ſuſcipientes ipſam obſecrationem per legationem fratris Adelardi ipſius loci Monachi fidelis noſtri, pro conſervando autem Religionis ſtatuta Domni Genitoris noſtri Imperatoris Auguſti Ottonis eidem Cœnobio conceſſa, noſtra auctoritate renovamus & roboramus, huic petitioni tam noſtrorum Epiſcoporum, quam Monachorum aſſenſum prabendo annuimus, & noſtræ ſerenitatis aures libenter accommodamus, & beneficia Domni Genitoris noſtri Monachis Deo ſanctòque Remigio famulantibus collata, noſtra quoque auctoritate rata fieri decrevimus, id ſcilicet inſtituendo, & jubendo, ut Abbatiam, quæ vocatur Marſna, cum fiſco, & cum omnibus appenditijs, quæ ad eam pertinent, jure quieto ipſi Monachi poſſideant ſicut domna Gerberga amica noſtra, Francorum Regina dedit pro remedio animæ ſuæ Sancto Remigio: Simul etiam & Cellam cum omnibus Appenditijs intra Voſagum ad eam pertinentibus ob amorem Sancti Remigij Regali præcepto firmamus, & corroboramus. Vt vero eumdem Ss Patrem B. Remigium in ultimo diſcuſſionis tremendo examine mereamur invenire adjutorem: hoc etiam addere congruum cenſuimus, ut in omnibus ubicumque locis intra regni noſtri fines ijdem Monachi habere noſcuntur, noſtræ corroborationis decreto firmiter conſtituta, nullus omnino nec Dux, nec Epiſcopus, nec Comes, nec alicujus perſonæ inconſiderata audacia, aliquod præjudicium, vel quamlibet indebitæ oppreſſionis violentiam, in omni terra ditionis eorum contra fas præſumat inferre, & ut hoc noſtræ immunitatis, conſtitutioniſque regale decretum, per ſuccedentia tempora maneat, & à cunctis credulitatis firmitatem teneat manu propriâ corroboravimus, atque annulli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum Domni Ottonis Glorioſiſſimi Regis. Hildebaldus Epiſcopus, & Cancellarius vice Vuillegiſili Archiepiſcopi recognovit. Data 3. Calend. Decemb. Anno Dominicæ Incarnationis 986. indict. 15. Anno autem tertij Ottonis regnantis tertio actum à Diſpargo fæliciter, Amen.

Partibus Ottonis impensè favens Adalbero infidelitatis inſimulatur, ab eo crimine purgat ſe apud Regem, Lotharij obitus, & Ludovici V.

CAPUT XII.

Theophania græca mulier, uxor Ottonis Imperatoris, cujus filia Adelais & Sophia.

OTtone poſt pugnam contra Saracenos extincto, ut vidimus, reſcripſit Adalbero Archiepiſcopis Trevirenſi, & Moguntino, ut pacatis turbinibus quibus Imperium fœdè concutiebatur junioris Ottonis partibus conſtanter adhærerent, ſe interea pro virili acturum apud Reges Francorum ut ipſi faverent quam maximè. *Reges Francorum*, inquit, *filio*

filio Theophania id eſt Ottoni, fauere dicitù nihilque eos conari, niſi tyrannidem Henrici, Regem ſe facere uolentis, ſub nomine aduocationis, uelle deſtruere. Henricus hic filius erat alterius Henrici fratris primi Ottonis ex Sigeberto. Et quoniam Exbertus Trevirenſis hunc videbatur velle præponere Ottoni, ſic eum aggreditur noſter Adalbero. Quo receſſit ſanctiſſima fides? exciderunt-ne animo beneficia Ottonum vobis conlata? magnam intelligentiam veſtram revocate, generoſitatem veſtram perpendite ne perpetuo dedecori generi veſtro eſſe velitis. Si vires vos deſtituere acclamatis, nos fautores & adjutores in talibus negotijs fore confidite. Poſtremo ſi ſalvâ dignitate veſtri nominis Vrbem Treuirorum tutari non uultis, Remorum utrique noſtrum ſit ſatis. Ditiores erimus quam Eucharius quondam, & Sixtus.

Epiſt. 22.

Epiſt. 26.

Lotharius Rex & Henricus Dux Bajuuariorum ſuperſtiti libero

regnum eripere nitebantur. Bald. lib. 1. cap. 106.

Epiſt. 85.

Dici non poteſt quantum inſudarit Adalbero pro pace Regnorum promovenda, & licet ſpecialis contra ſuam Eccleſiam commotio Heriberti Tricaſſini, & Ottonis Comitis filij Tetbaldi vehementer animum perturbaret, publica nuſquam deſervit negotia, ut vel exhoc colligi poteſt dum à Lotharienſis Regni primatibus, ut Archicancellarius, obſides accepit, dum filio Imperatoris parêre coegit. Sub Regis Francorum clientela, dum Henricum in Gallia regnare prohibuit, dum Caroli impetum eliſit, quia ſe in multis infenſum expertus eſt.

At Lotharius in tam lubrico rerum ſtatu, mutato conſilio Henricum Ottoni præferendum cenſuit, ut turbatis rebus in Germania, Lotharingiam recuperaret. Et quia Præſul Adalbero, Cæſaris filio, ſcilicet Ottoni, tenacius adhærebat, ſimultas indè exorta eſt, quæ tandem in eum, in Gerbertum, & in Godefridum Virdunenſem exarſit. *Nos, inquit, Gerbertus (Epiſtola ad Theophaniam Auguſtam) & Adalberonem infidiſſimos ſibi putant, eo quod de veſtra fidelitate benè ſentiamus.* Sed nihil æque Regis iram accendit, ac Adalberonis filij Comitis Godefridi promotio ad Epiſcopatum Virdunenſem, propter quam Urbem obſidione cinxit, & captos in ea Godefridum & Sigefridum Adalberonis parentes in vinculis diu retinuit.

Gerbertus hac detentione graviter commotus, Epiſcopum Virdunenſem ſic affatur. *Repentinus caſus ne nos terreat, filio Cæſaris fidem quam promiſiſtis inuiolabilem ſeruate, ſentiant in nobis hoſtes non ſe totum cepiſſe Godefridum, &c.* Et ut inter has tempeſtatum turbines, Hugonis Ducis Francorum amicitiam ſedulò ſibi conciliaret, addit, *Lotharius Rex Francia Prælatus eſt ſolo nomine, Hugo uerò non nomine, ſed actu & opere.* Idem etiam ſuggerit Adalberoni Remenſi. *Hæ ſunt rerum uices, & initia quibus ſceptra in alios deuoluuntur.* Porrò audiens prælatus Archiepiſcopus ſe infidelitatis & perfidiæ apud Reges inſimulari, hac brevi tandem Apologia ſe purgandum exiſtimavit.

Epiſt. 41.

Perfidiæ & infidelitatis crimine in Regiam majeſtatem arguor detineri, eo quod nepotem meum Clericum (videlicet meæ Eccleſiæ) licentia donauerim, quia & Palatium adierit & dono alterius Regis Epiſcopatum acceperit, ejus regni quod ſenior Lotharius Rex in proprium jus reuocauerit, quòdque gradus Eccleſiaſticos ei poſtmodum contulerim abſque licentia & auctoritate ſenioris mei.

Purgatio.

Cum Senior meus Rex Lotharius Lotharienſe Regnum non haberet, nec revocaret fratris mei filium, nix tandem ſic obtinui fide interpoſitâ, ut ſi uſus

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 985.

aliquando expoſceret, ſibi ſuiſque abſque pertinacia redderem. At cùm ageretur ut ſenior meus fitio Imperatoris aduocatus foret, câque de cauſa dati obſides eſſent, fratris mei rebus legatis, filium repetiui, nec ſegniter accipientem fidei violatorem increpitans, rem ſuam à multis interturbari, eum ſe ſtatum prodere dicit, terribilem judicem extremi judicij ultorem ſpretæ fidei, ac conſanguinitatis proclamat. Ergo quia ſenior meus de renocatione Regni nihil mihi dixerit, ſed deſola aduocatione; nec dandi licentiam Clerico interdixerat, ſed inſuper beneuole conſenſerat, ut à Legatis meis intellexi, ſi ea facere uellet, quæ pater ſuis ſponderat, & proficiſcentem abſolueret, & ut id pro quo obſides dati erant, ſinceriſſimè conſeruaret, fidem exegi, quam & hactenus obtulit, & adhuc ut credimus offert: Gradum Diaconatus & Præsbyteratus ei contuli, ne à nobis emancipatus in accipiendo alteri manciparetur, & ne Eccleſia noſtra inuidiæ pateret, Subdiacono ex ſe ad Epiſcopalem apicem aſſumpto, ſimulque quod hi gradus, nec Prouincias, nec Ciuitates, nec Villas quæ Regnorum ſunt, conferant, ſed quæ potius Cœleſtis ſunt Regni, id eſt aduerſari uitijs, coli uirtutes. In quo mihi crimen perfidiæ & infidelitatis protendebatur oſtendi, ut arbitror, & me fidem maximè habuiſſe, & fidelitatem ſeniori meo imprimis conſeruaſſe.

Epiſt. 60. Rebus poſtea aliquantiſper compoſitis, Sigefridus Comes ad ſua redijt, at Godefrido permiſſum non eſt, niſi ejurato Comitatu Virdunenſi, & Epiſcopatu pro filio integram Regibus fidem exhiberet. Inter moras Glorioſiſſimus Rex Lotharius Francorum Clariſſimum ſydus mundo ſubſtractus eſt. 6. nonas Martias, & Remis ſepultus in Æde Sancti Remigij ubi in Regem fuerat unctus, cui breve illud Epitaphium Gerbertus poſuit.

Cujus ad obſequium coiere Duces, bonus omnis
Quem coluit, ſate Cæſaribus, monimenta doloris,
Cæſar Lothari, prætendis luce ſecunda,
Terrifici Martis quod erat conſpectus in aſtro.

POſt Lotharij obitum, Ludovico qui octo ferè annos Clavum Reipublicæ tenuerat cum Patre, Francorum Principes fidem Sacramento firmarunt, nec ſegnius præſtitit Archicancellarius Adalbero, in hoc maximè incumbens, ut pacem inter Regnum & Imperium conciliaret, quin & Theophaniæ Imperatricis amicitiam impensè excolebat, quam Dominam & ſuæ Eccleſiæ benefactricem compellat his verbis, *Fovet noſtra Eccleſia inter præcipuos theſauros pignus veſtræ amicitiæ circa nos; ſentiat ergo Beatus Remigius tantæ Dominæ favorem ſi fieri poteſt in recipiendis rebus amiſſis, cùm propter ſui merita, tùm propter noſtra, ſi quæ placebunt, exhibenda ſervitia; ſentiamus & nos gratiam jam benè fundatam, ſcilicet ut Legato, & meluis ſcriptis de pace, & pacis conditione cum noſtro Rege habenda dignemini ſignificare nobis per omnia paratis quatum fas eſt fidem ſinceriſſimam exhibere.* Quæ autem munera Adalberoni miſerit, hæc ſunt, ut conjici poteſt ex Epiſtolâ 90. ad eandem Theophaniam.

Diſticon in Calice.

Hinc ſitis atque fames fugiunt, properate fideles
Dividit in populos has Præſul Adalbero gazas.

In

In donarijs.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. *An.* 986.

Virgo Maria tuum tibi Præſul Adalbero munus.

LUdovicus memor antiquæ benevolentiæ Ottonis Auguſti in Adalberonem, & cum Theophaniâ familiaris colloquij, velut hæres odij & inimicitiæ patris, exardeſcens irâ juſſit, ut Archiepiſcopus aut jurejurando fidem renovaret, aut urbe, Regnóque excederet; quin etiam Conventus Francorum 6. Calend. Aprilis ab eo indictus eſt, ubi iterum crimine infidelitatis accuſandus erat, quòd Epiſcopum Virdunenſem, anteà ſuum Clericum, licentiâ donaverit, quòdque in Preſbyterij honorem promoverit. Ita paſſim pro libidine ſe gerebat Ludovicus Rex, amicis inquietiſſimus, hoſtibus verò infeſtiſſimis, quibus undique premebatur, non multùm inquietus; unde quid de eo tunc ſentiendum erat, velox exitus comprobavit. Et quoniam quaſſatâ novitatum fluctibus republicâ, ſeriò agendum eſt, Adalbero, pro fortuna Ottonis & Heriberti colloquium expoſcit, Moſomum, & Macerias multitudine militum communivit, & apud Altum-Villare cum conſanguineis, maximè verò cùm Gocilone nepote, quid ſibi agendum ſit, pertractat. Interim Ludovicus Rex de Emmæ matris famâ & honore parum ſollicitus, ob rumores neſcio quos, & in Laudunenſem Epiſcopum dolore animi exardeſcens, propter nefanda, quæ de eo dicebantur, proprio eum expoliavit honore, unde ſic conqueritur Epiſcopus epiſt. 98. ad Provinciæ Remenſis Epiſcopos.

Quamvis Regia poteſtate per quorundam hominum factionem à propriâ ſede ſim ad præſens excluſus, epiſcopali tamen officio minimè ſum privatus, nec damnant crimina falsò illata, quem innocens in hac parte non remordet conſcientia; ſentiat ergo grex Paſtoris abſentiam, ſentiam & ego vos meam dolere vicem. Itaque moneo, oro, rogo, obſecro ac pro nomine terribilis ſemper viventis Domini obteſtor, ne Eccleſiæ meæ quolibet modo per quamlibet perſonam ſanctum chriſma tribuatis, nec epiſcopalem benedictionem, & Miſſarum ſolemnia in meæ Parochiæ peragatis, quia ſcriptum eſt: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *At ſi Divina & humana contemnitis jura, nec noſtris monitis acquieſcitis, quamquam Divina ultione ſitis feriendi, tamen ad majorem audientiam eccleſiaſtica legis vos provocatum iri pernoſcatis.*

Cùm acrior cura Regnorum in conficienda pace longiùs ab urbe Remenſi Adalberonem retineret, tandem apud Palatium Compendienſe decretum eſt ut 8. Calend. Junij ad Montem-Falconis dominæ Adalaidæ Imperatrici, & Duci Carolo, Rex Ludovicus, Regina Emma, Dux Henricus causâ ſtabiliendæ pacis occurrerent: Ibi Adalbero cum Rege collocuturus acceſſit, villas Virdunenſis Epiſcopij pro redemtione ſuâ una cum filio Adalberone Epiſcopo invitus donat Godefridus Comes, ſed vix hæc depacta ſunt, cùm Ludovicus juvenis hominem exuit, dubium an quæſita morte, ſepelitúrque in Eccleſiâ beati Cornelij Martyris Compendio, cui Carolus, frater Lotharij & patruus prædicti Ludovici, paterno & avito jure ſuccedere debebat, ſed Hugo Dux Francorum coronam præripuit à Francis expetitus, eò quod Carolus uxorem acceperat filiam Heriberti Comitis Tricaſſini, ſi Chronico Hugonis Floriacenſis credatur; ſed alij alias rationes ſuggerunt.

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 987.

Hugo Capetus Remis ab Adalberone inauguratur, ejuſdem Præſulis epiſtola ad Ducem Carolum, obitus item & ſepultura.

CAPUT XIII.

IN hoc Carolinæ gentis deliquio, ut ſe habuerit ſummus Regni Cancellarius Adalbero, & quantâ preſſus fuerit anguſtiâ, vix quiſquam dicere poteſt: noverat Caroli ingenium, leve, atrox, inſolens, ac ineptum Imperio; Hugonis verò docile, temperatum & cunctis præſtans dotibus: igitur tempori cedendum ratus, ac fortunæ, Hugonem jam electum, Noviomo publicè acclamatum, Remis unxit in Regem 5. Nonas Julij 987. ex Aimonij Continuatore lib. 5. cap. 45. ubi ſic loquitur: *An. 987. nuncius eſt in Regem in Remenſi civitate Hugo Dux, & in ipſo anno Robertus filius ejus, Rex ordinatus eſt.* Cui convenit Chronicon breve incerti Auctoris apud Andr. du Cheſne tom. 3. & Chron. Hugonis Floriacenſ. tom. 4. Non deſunt qui aſſerant Odonem filium Theobaldi Comitem Turonenſem, & Heribertum Comitem Trecarum coronationi intereſſe noluiſſe propter eorum affinitatem cum Carolo, Meyerus addit Arnulfum Flandrenſem, cujus ſimultate graviter offenſus Capetus, excidium Flandriæ minabatur, niſi ſtatim Arnulfus in verba Regis jurâſſet.

Exheredatus dicitur Carolus ob levitatem judicio Prælatorum in Charta Monaſterij Gellon.

idib. Octob. eodem anno. Inepti & tardi ingenij fuiſſe tradit Balder. lib. 1. cap. 100.

Hic igitur Rex Hugo cùm animos Procerum ſibi magis ac magis conciliare vellet, ſtatuit nihil aggredi niſi ex eorum nutu, & conſilio, ut ſignificat ipſi Seguino Senon. *Regali potentia in nullo abuti volentes, omnia negotia Reipublicæ in conſultatione & ſententia fidelium noſtrorum diſponimus, vóſque eorum participes fore digniſſimos judicamus. Itaque honeſtè & benigno affectu vos monemus, uti ante Cal. Novemb. eam fidem quam ceteri nobis firmaverunt, confirmetis, ob pacem & concordiam ſanctæ Eccleſiæ &c.* Adalberoni etiam Remenſi, qui eum unxerat, ſummi Cancellarij dignitatem aſſeruit, ut ex privilegio Corbeyenſis Monaſterij apertiſſimè conſtat, in quo Robertus regali nomine & auctoritate cum patre refulget, hoc eodem anno, cui hæc ſubſcriptio affecta eſt. *Ego Reginaldus Cancellarius ad vicem Adalberonis Archiepiſcopi ſummi Cancellarij recognovi.*

Adalberoni igitur magna opus fuit ſagacitate & induſtriâ, ut non tantum non impingeret in ſcopulos impendentium malorum ſub hac rerum viciſſitudine, ſed ut fortunam prius acquiſitam illibatam conſervaret. Extat etiam privilegium ab Hugone conceſſum Monachis ſancti Remigij, quo bona Eccleſiæ ſeu Monaſterij tam in ſuburbio, quàm alibi exiſtentia confirmantur; ſed quoniam in eo deſunt ſubſcriptiones & data, omittendum eſſe judicavi: ſimile huic habent Vincentiani Laudunenſes anno primo Hugonis Regis, cujus initium tale eſt.

Hugonis

Digitized by Google

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 987.

Hugonis Regis Diploma.

HUgo gratiâ Dei Rex, ſi poſtulationes quibuſcúmque in locis « Deo militantium audientes placido aſſenſu recipimus, earúm « que utilitatibus neceſſaria providendo, morem prædeceſſorum no- « ſtrorum, Francorum ſcilicet Imperatorum ac Regum ſequentes, ea « quæ illis divino fervore afflati, ſive conferimus, ſeu collata noſtris « edictis confirmamus, id nobis procul dubio ad ſempiternæ perceptio- « nem beatitudinis profuturum non dubitamus. «

Igitur notum ſit omnibus ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, quoniam Mo- « naſterij ſancti Vincentij Abbas Berlandus, ejúſque Monachi adeun- « tes noſtræ regiæ manſuetudinem excellentiæ per Adalberonem ſanctæ « Laudunenſis Eccleſiæ eximium præſulem, humiliter poſtulârunt, ut « pro Dei omnipotentis amore, & præmemorati Martyris venera- « bilitate, noſtríque Regni ſtatus honore, quicquid aut liberalitate « Regum, aut collatione Pontificum, ſeu impertitione Dei fidelium, « ad noſtrum uſque tempus eidem Monaſterio fuerat attributum, « noſtra auctoritate roboratum præcepti noſtri munimine dignaremur « innovare, &c. «

Signum Hugonis glorioſiſſimi Regis. «

Actum Compendio palatio in Dei nomine feliciter Amen. Anno « primo regnante ſereniſſimo Rege Hugone 6. Cal. Octob. indict. 15. «

Carolus interim furoris œſtro percitus, ac iræ impatiens, quòd Hugo ſibi in Regno prælatus ſit, regiam Urbem (Laudunum ſcilicet) proditione capit, ex qua vicinas urbes, agros, prædia, rapinis, incendiíſque hoſtiliter devaſtat, tum litteris ad Archiepiſcopum Remenſem per Legatos miſſis, conqueritur de eo quaſi incentor fuerit omnium malorum quæ ſibi acciderant, cui modeſtè ſed graviter ſic reſpondet.

Carolo Duci.

SI quid excellentiæ veſtræ noſtra ſervitus conferre poteſt, in hoc plurimùm gaudemus, & quia nunc ad vos ſecundùm imperium veſtrum non venimus, militum veſtrorum hac illácque diſcurrentium terror effecit. Porrò autem ſi de noſtra præſentia curatis, eos mittite, quorum fidei nos credere audeamus, quóſque duces itineris cum ſecuritate habere poſſimus. Et ut intelligatis hæc dici cum magna fide, recordamini conſilij noſtri, & collocutionis in palatio Inhelheim, & videte ſi quod promiſi vobis de pace inter Reges diu quæſita, peractum eſt. Interim fideliter admoneo ut Reginam & Epiſcopum ſecundùm dignitatem veſtram leniſſimè tractetis, & ne vos concludi inter mœnia ullatenus patiamini.

Gerbert. refert Epiſt. ad Vualder cuius opera Laudunum in manus Caroli venerit. Infra Cap. XVI.

Ex his clarè patet Reginam Emmam, & Epiſcopum Laudunenſem malè habitos à Carolo, Urbémque regiam captam ab eo, Adalgeri proditione, ut fuſiùs patebit ex actis Concilij S. Baſoli. Hugo certior factus de tyrannide Caroli adverſus Reginam, Laudunum obſidione vallat, quam ſolvere paratum ſe eſſe ſcribit ad Imperatorem, modò obſides det Carolus, & Reginam liberam relinquat; ſed poſt meridiem occupatis militibus regijs, vino & ſomno oppreſſis, oppidani totis viribus eruptionem fecerunt, illíſque repellentibus, & alijs reſiſtentibus, à mendicis cremata ſunt caſtra, quo incendio omnis apparatus obſidionis abſumptus eſt. Carolus hoc ſucceſſu elatus, iterum Archiepiſcopum litteris perſtringit, cui ſic reſpondet.

Adalbero

Digitized by Google

ADALB. XXXIX. ARCHIEP. An. 988.

Adalbero Archiepiscopus Remensis Duci Carolo.

QVomodo à me consilium quæritis, qui me inter infidissimos hostes deputatis? quomodo Patrem nominatis, cui vitam extorquere vultis? denique non sic promerui, sed perditorum hominum dolosa consilia semper fugi ac fugio, non de vobis dico; recordamini, quia dicitis ut recorder, quid vobiscum contulerim de vestra salute, cùm primùm nos adistis quid consilij dederim super adeundis Regni primatibus. Nam quis eram ut solus Regem imponerem Francis? publica sunt hæc negotia, non privata, odisse me putatis regium genus, testor Redemptorem meum quia non odi, quid potissimum sit vobis faciendum quæritis, hoc cùm difficile dictu sit, nec satis scio, nec si sciam, dicere ausim. Amicitiam meam exposcitis; utinam adsit ea dies, qua honestè liceat vestris adesse obsequijs, quamvis enim sanctuarium Domini pervaseritis, Reginam, cui quæ novimus juraſtis, comprehenderitis, Episcopum Laudunensem carceri mancipaveritis, Episcoporum anathema neglexeritis; taceo de seniore meo, contra quem ultra vires negotium suscepistis, tamen beneficij quo erga me usi estis, cum telis hostium, quæ subduxistis, immemor esse non possum, plura dicerem & quod vestri fautores imprimis sunt deceptores ac suorum negotiorum per vos, ut experiemini, effectores. Sed non est hujus temporis, &c.

Al. cum robur hostium subduxistis.

Epist 123. 131. & 136.

Rescripsit quoque idem Archiepiscopus Laudunensi Episcopo ut correctionem Domini æquo animo ferret, & si Job vel sacri ordinis antiquos Sacerdotes non valeat imitari, saltem sibi affinem, exemplar haberet Godefridum, interim salutis suæ non immemorem futurum spondet, si obsidio futura non sit, quod videtur optâsse, sed aliter se res habuit, nam obsidionem Laudunensis urbis, præterita pace sequestra, intermissam repetijt Rex Hugo 10. Cal. Novemb. cui interfuit Adalbero cum Regni primatibus, qui suppetias venerant: at ille labore obsidionis, ac vi febrium graviter exagitatus, se Remos reducendum curavit, ut ibi tantisper recrearet animum in lectione Sacræ scripturæ, & Boëtij, sed ingravescente morbo tandem exalavit animam 23. Januar. ex Chron. Mosom. cum Remensem diœcesim per decem & novem annos viriliter gubernâsset. Gerbertus Patris sui obitum planxit, virtutesque tamquam Patris Patriæ commendavit hoc laudis epiphonemate epist. 192. *Id momentum, ac ea vis erat domini mei Adalberonis in causis pendentibus ab æterno, ut eo in rerum principia resoluto, in primordiale chaos putaretur mundus relabi.* Corpus ejus in majori Ecclesia sub altari Dominicæ Cruci sacro conditur cum Epitaphio æneæ tabulæ inciso, quod ante prioris Ecclesiæ restaurationem adhuc extabat hoc modo.

Obijt 10. Cal. Februarij in Necrologio Mosom. & Remigiano 988 alias 989.

Alij dicunt obijsse Laudunique relegatus fuerat à Carolo Duce 5. Januarij.

Contulerat natura parens, quæ summa putavit
Ad meriti cumulum, tibi Præsul Adalbero, cùm te
Præstantem cunctis mortalibus abstulit orbi.
Quinta dies Fundentis aquæ cum pondere rerum.

Nunc hæc verba in brevi lapillo ad gradus sanctuarij vel juxta aquilam leguntur ADALBERO ARCHIEPISCOPUS.

Ex Codice Igniacensi.

„ Nec prætereundum est quod singulis annis dies defunctionis ejus „ venerabiliter recolitur, & eleemosyna panis & vini copiosa pauperibus „ distribuitur, quæetiam Eleemosyna *mandatum Adalberonis* nuncupatur, „ sumtus autem ad hoc sumitur de domo scilicet quæ vocatur, *hospitale pau-* „ *perum*, annonæ sextarij quatuor de Camera frumenti, quatuor de horreo „ indominicato annonæ modius unus, & vinum quod sufficiat.

Arnulfus

Digitized by Google

ARNULF. XL. ARCHIEP. An. 989.

Arnulfus XL. Archiepiſcopus. Urbis Remorum depradatio. Commonitorium & Anathema in reos. Hugo Rex & Epiſcopi de Arnulfi perfidia conqueruntur.

CAPUT XIV.

PRO adipiſcendo Remenſi Archiepiſcopatu multorum animos ambitio ſtimulabat; quidam donis ſibi ad eum iter parabant, Gerbertus ſe ſucceſſorem ab Adalberone delectum, voto totius Cleri, omnium Epiſcoporum, & aliquorum Militum ſuffragij jactitabat: ſed Hugo nactus occaſionem conciliandi ſibi amicitiam Arnulfi Principis regio ſtemmate orti, egit pro ea auctoritate qua pollebat, ſpe obtinendæ pacis, ut Præſulatûs infulis adhuc licèt juvenis donaretur. Cujus rei Arnulfus ſtatim certior factus per Adalberonem Laudunenſem, qui ad caſtra Regis venerat, Hugoni mox reconciliatur, & ſic Urbis obſidio ſoluta eſt. Porrò Arnulfus quondam Eccleſiæ Laudunenſis Canonicus, non frater Lotharij ut ſcribit continuator Aimonij, ſed filius ejus naturalis, & nepos Caroli Ducis Lotharingiæ fuit. Bruno Epiſcopus Lingonenſis de Gilberto Comitis Reginaldi filio loquens in Actis Concilij S. Baſoli eum fratrem ſuum unicum vocat, & Guidonem Comitem Sueſſionenſem conſobrinum. Unde ſequitur Lotharium primò ſororem duxiſſe Reginaldi, quæ poſthac à Rege repudiata Theobaldo de Monte-acuto nupſit, & ſic diſſoluto matrimonio, Arnulfus qui ab eo venerat, filius naturalis Regis reputatus eſt cum Richardo quodam, qui ejuſdem fratris titulo gaudet in Actis Synodalibus. Quidquid ſit, conſilium Hugonis fuit hac electione ſibi devincire Principem, qui aliàs obſtaculum eſſe poterat primordijs novellæ ſuæ dominationis; ſed aliter res evenit, ut videbimus. Arnulfi electionem recitat Gerbertus hac Epiſtolâ.

Gerbertus Epiſt. 150.

Filius quondam Eccleſiæ Laudun. ex Epiſt. Epiſcoporũ Provinciæ Remenſis ad Iohannem Papam.

Formula electionis Arnulfi Archiantiſtitis. Sanctæ ac univerſali Eccleſiæ ſalutem dicunt filij Remorum Metropolis.

DIvæ memoriæ Patre noſtro Adalberone ſenſus corporeos relinquente, clarum lumen Paſtoris amiſimus, præda hoſtium facti ſumus. Itáque dum molimur, conamur tanti viri reſarcire ruinas, elapſa ſunt canonica tempora, violatæ ſunt leges, quibus cavetur nullam Sedem amplius triginta dierum ſpatio vacare licere, nuncque tandem pulſantibus divina lux ſe apparuit, & quo ſequeremur oſtendit. Depulſo Antichriſto, ſimoniacâ hæreſi damnatâ, nos, inquam, qui dicimur Epiſcopi Diœceſeos Remorum Metropolis, cum omni Clero diverſi ordinis, populo acclamante, Orthodoxis Regibus noſtris conſentientibus, eligimus nobis in Præſulem virum pietate præſtantem, Fidæ inſignem, conſtantiâ mirabilem, in conſilijs providum, rebus gerendis aptum, in quo hæ virtutes quæ ſic clarè relucent, indicio ſunt cæteras abeſſe non poſſe, ARNULFUM *dicimus Lotharij Regis filium, quem & ſi altus ſanguis vitio temporis ſub anathemate poſitus aliquo infecit contagio, ſed tamen hunc Mater Eccleſia purificans, myſticis abluit Sacramentis Hunc, inquam, dicimus Laudunenſis Eccleſiæ Filium, & ut verius fateamur, Remenſis, ea quippe civitas Remenſe territorium, Remenſis Parochia eſt, nec*

Laudunenſis Diœceſis Remenſis Parochia dici debet.

Digitized by Google

ARNULF. XL. ARCHIEP. An. 991.

nec à Beato Remigio diuiſa, ut fieret aliena: Nimirum ille vir Deo plenus, unitatem appetens, non ſciſſionem affectans, ſic ſcidit ut cohæreret velut pars in toto, & quis, & quantus futurus eſſet intelligens, natale ſolum beauit Sacerdotij dignitate. Eligimus ergo hunc Arnulfum, hinc ortum, hîc educatum, ſimoniacæ hæreſis expertem, à factione tyrannicâ remotum, ſua cuique jura debita reddentem, ſanctuarium Dei non diſſipantem. Hinc procul ab electione, noſtra dolus, & ..... nec putent eam ad ſe pertinere filij Belial, filij pacis & concordiæ ſtabilem & ſolidam in perpetuum faciant confirmando, corroborando, ſubſcribendo.

Antequam onus pontificale ſuſciperet Arnulfus, Hugoni & Roberto Regibus Sacramentum præſtitit clientelæ ſeu fidelitatis, quod manu propria (ut moris eſt) ac ſigillo corroboravit, hoc pacto.

Sacramentum fidelitatis Arnulfi.

EGo Arnulfus gratia Dei præueniente Remorum Archiepiſcopus, promitto Regibus Francorum Hugoni & Roberto me fidem puriſſimam ſeruaturum, conſilium & auxilium ſecundùm meum ſcire & noſſe in omnibus negotijs præbiturum; inimicos eorum nec conſilio, nec auxilio ad eorum infidelitatem ſcienter adjuturum. Hæc in conſpectu diuinæ Majeſtatis & beatorum Spirituum, & totius Eccleſiæ aſſiſtens promitto, pro bene ſeruatis latûrus præmia æternæ benedictionis: ſi verò (quod nolo, & quod abſit) ab his deuiauero, omnis benedictio mea conuertatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & Epiſcopatum meum accipiat alter, recedant à me amici mei, ſintque perpetuo inimici. Huic ego Chirographo, à me edito in teſtimonium benedictionis, vel maledictionis meæ ſubſcribo, Fratréſque & Filios meos, ut ſubſcribant, rogo.

Ego Arnulfus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Arnulfus Remis inauguratus, animum ſtatim ad comparandos ſibi amicos undecúmque applicuit. Sciens benevolentiam, qua ſemper uſus erat Exbertus Trevirenſis circa beatæ recordationis prædeceſſorem Adalberonem, tutiorem ſe fore judicavit, ſi in hoc diſſidentium Regnorum tumultu, ac novitate ſuæ ordinationis, indiſſolubilem cum eo conſervaret amicitiam: nec excidit Francorum Apoſtoli memoria quem parentes ſui olim protectorem elegerant; nam ut apud Deum interceſſorem pariter habere mereretur, pietatis ſuæ, ac obſequij teſſeram erga eum teſtatus eſt, Aſcetis privilegio conceſſo pro ſuburbijs & alijs adjacentibus locis, cujus cum Apographum tantùm viderim, ubi annus non ſatis cohæret cum Regno Hugonis, & Arnulfi Præſulatu, conſultò hic omittendum cenſui.

Ceterum Carolus Lauduni velut limax in conclavi latitans, cùm nullum fœdus, nullæ induciæ, dolorem animi lenire poſſent, quin avitum Regnum quâ vi, quâ dolo repeteret, totam regionem tamquam infenſiſſimus hoſtis populabatur. Ac primùm Montem-acutum in Laudunenſi Pago doloſè cœpit, tum Sueſſionenſes agros, ac Remenſes pervagatus, cuncta rapinis, cæde, incendio devaſtabat. Fama eſt etiam ab Arnulfo Archiepiſcopo Remos fuiſſe evocatum, qui miſertus ſortis patrui ſui, cogitavit apud ſe quomodo civitatem ei traderet. Et quoniam aliàs uſus fuerat operâ Adalgeri Preſbyteri, iterum pepigit cum eo, datis portarum Urbis clavibus, ut eas confeſtim aperiret, cùm primùm Dux armatus adventaſſet; quod ita factum eſt. Unde Carolus ex condicto Urbem reſeratâ portâ ingreſſus, militibus eam diripiendam tradidit, Sanctuarium Dei polluit, clerum & populum cum Archiepiſcopo captivavit. Quod verò non levis ſuſpicio eſſet civitatem

Digitized by Google

tem juſſu Archiepiſcopi Carolo fuiſſe traditam, ipſe ut eam à ſe amoliretur adverſus omnes qui urbem ſpoliaſſent ſeveriſſimam Anathematis ſententiam intorſit; atque ut idem facerent alij Galliarum Epiſcopi vehementer hortatus eſt, quod & præſtiterunt collecti in unum apud Sylvanectum.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 989.

Commonitorium Arnulfi Archiepiſcopi Prædonibus Remorum.

QVid tibi uis prædonum Remenſium ſcelerata manus? nihilne te mouent pupilli & uiduæ lachryma, nec aduocatus eorum? uelis nolis Dominus tuus ipſe teſtis, & judex, & grauis ultor, cujus judicium non effugies, uide quid ante oculos ipſius egeris, ſanctam pudicitiam Virginum non erubuiſti, Matronas etiam Barbaris verendas nudas reliquiſti, Orphanum & pupillum non reſpexiſti, parum tibi hoc, acceſſiſti ad templum Matris Dei cunctis mortalibus reverendum, ejus Atrium perfregiſti, polluiſti, violaſti, quod oculi tui viderunt concupiviſti, quod manus attrectare potuerunt, rapuiſti, & nos quidem contra divinum & humanum jus miſericordia abutentes, quod cibi & potus abſtuliſti, non indulgemus, ſed propter impia tempora non exigimus, exigimus autem reliqua omnia quæ pollutis manibus peruaſiſti, ac retines. Redde ergo, aut ſententiam damnationis in peruaſores rerum Eccleſiaſticarum à ſacris Canonibus promulgatam, eam in te latam, multotieſque ferendam, excipe.

Anathema in Prædones.

Auctoritate Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, interveniente & adjuvante Beata Maria ſemper Virgine, auctoritate quoque ac poteſtate Apoſtolis tradita, nobiſque relicta, excommunicamus, Anathematizamus, Maledicimus, Damnamus, & à Liminibus ſanctæ Matris Eccleſiæ ſeparamus vos Remenſium prædonum Auctores, factores, cooperatores, fautores, & à proprijs Dominis rerum ſuarum ſub nomine emptionis abalienatores; obtenebreſcant oculi veſtri qui concupierunt; areſcant manus quæ rapuerunt, debilitentur omnia membra quæ adjuverunt, ſemper laboretis nec requiem inveniatis, fructúque laboris veri privemini, formidetis & paveatis à facie perſequentis, & non perſequentis hoſtis, ut tabeſcendo deficiatis, ſit portio veſtra cum juda traditore Domini, in terra mortis & tenebrarum, donec corda veſtra ad ſatisfactionem plenam convertantur. Hic autem ſit modus plenæ ſatisfactionis, ut omnia injuſtè ablata præter cibum & potum proprijs Dominis ex integro reſtituatis, coràmque Remenſi Eccleſia pœnitendo humiliemini, qui ſanctam Remenſem Eccleſiam reveriti non eſtis: Ne ceſſent à vobis hæ maledictiones ſcelerum veſtrorum perſecutrices, quandiu permanebitis in peccato pervaſionis, Amen. fiat, fiat.

Oratio invectiva Epiſcoporum Remenſis Diœceſeos, vice decreti Habita Sylvanectis.

QVouſque ſe extendet effrenata licentia veſtra, alterius proditionis juda ſatellites? ad quem finem ſcelerum incepta malitia veſtri ducis, ducis dicimus Adalgeri Præsbyteri qui nomen Sacerdotalis dignitatis ſuo nomine polluit. Te igitur interpellamus funeſte Præsbyter, quid tibi viſum eſt poſt illa cruenta arma, quibus te Lauduni exercuiſti ut iterum velis Apoſtata factus, Arnulfum Remorum Archiepiſcopum tradere, cum ante velut fidiſſimus cuſtos cubares, con-

Vide Epiſt. 22. Gerb. quæ ſic incepit quoniã frater & Coepiſcopus noſter Ardulfus infra ſuam Eccleſiam captus eſt propter vim hoſtium, ut ferunt &c.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 989.

viva assiduus esses, consilia disponeres, sacrosancta administrares? Num rigorem Ecclesiastica severitatis, vel judicium omnipotentis Dei effugere te putasti, urbis portas aperuisti, hostes introduxisti, Venerabile templum Matris Dei, atque ipsis barbaris reverendum, velut hostium castra oppugnasti, num etiam vos Prædonum maxima portio, qui Ecclesiæ ingentibus beneficijs eratis obligati, qui dicitis hæreditate possideamus sanctuarium Dei, qui signa militaria, loricati, & galeati cum scutis & lanceis ante aram Beatæ Dei Genitricis intulistis, qui pollutis manibus Pastorem cum Clero, & populo intra sancta sanctorum comprehendistis, custodiæ distribuistis, carceri mancipastis, & adhuc retinetis? Num, inquam, vos divina jura effugietis? Vos quorum dolo, & fraude, consilio & auxilio, tantum scelus factum est cum his qui Principes tanti facinoris fuerunt consociandi estis, ut pœnam peccati simul feratis, qui causa peccati simul conspiraſtis, bonòque civium Remensium, Prædones impijssimi velut sub hasta distraxistis: Nec etiam vos abesse debetis, qui in Adalberonem Laudunensem Episcopum non minus levia perfecistis, & ut pullulantem hæresim rescindamus quæ dictitat omnia licere Carolo etiam in sacris locis: Remensem simul ac Laudunensem Ecclesiam, utràmque sacrilegio, quamuis dissimili, pollutam, à sacris remouemus officijs, donec legitimè reconcilietur utraque, & ne quis nos talibus monstris hominum fauere, talibus negotijs assensum præbituros putet, sed pro fide qua niuimus, omnibus expositos periculis sententiam nostram ita confirmamus, stabilimus corroboramus.

Anathema in Reos.

AVctoritate Omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritus Sancti interueniente, & adjuuante Beata Maria semper Virgine, cum omnibus sanctis, Auctoritate quoque & potestate Apostolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, Anathematizamus, damnamus, & à liminibus Sancta Matris Ecclesiæ separamus Adalgerum præsbyterum, Diaboli membrum. Episcopi, Cleri, & totius populi Remensis traditorem, eos quoque qui hujus traditionis extiterunt inuentores, auctores, factores fautores cooperatores, ciuiumque depopulatores, & à propriis Dominis rerum suarum sub nomine emptionis, abalienatores. His adjungimus Laudunensis Episcopij pernasores, ac ipsius Episcopi grauissimos tortores, fiat illis, sicut scriptura dicit, qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam & sicut stipulam ante faciem uenti, sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris eos in tempestate tua, & in irâ tuâ turbabis eos, imple facies eorum ignominiâ & quærent nomen tuum Domine; erubescant & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur & pereant, & cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra; Et quia pupillum & uiduam non miserati sunt, neque templa Dei reueriti, Dominiumque Ecclesiarum sibi usurpauerunt, fiant filij eorum Orphani, & uxores uidua, scrutetur fœnerator omnem substantiam eorum, & diripiant alieni labores eorum, nutantes transferantur filij eorum & mendicent, ejiciantur de habitationibus suis, fiant dies eorum pauci, & principatum eorum accipiat alius, & duplici contritione contere eos Domine Deus noster, nisi resipiscant & Ecclesiæ Catholicæ fructuosi pœnitentia satisfaciant. Amen, fiat, fiat.

Hactenus nihil apertè contra Arnulfi proditionem decretum, sed totum Anathematis fulmen in Adalgeri funestum caput ceciderat; characteris Episcopalis dignitas, & Natalium præstantia tam execrabile facinus de illo cogitare non sinebant; at Gerbertus qui à civitate haud procul aberat, cum direptioni data est, cœpit nescio quid subodorari, ex his quæ in aula tractabantur, unde fortunam suam altius promoveret. Igitur cum non fidus modo,

Digitized by Google

modo, ſed etiam Arnulfo (ut quondam Adalberoni) eſſet ab Epiſtolis, ſciens conſulendum eſſe tempori, ſtylum quem pro eo aliás exercuerat, alio convertendum duxit, quamvis Epiſt. 14. mutare quodammodo videatur, ubi ſic Exbertum Trevirenſem compellatur: *peruenit beatiſſime Pater, gladius uſque ad animam, gladijs hoſtium undique perſtringimur, hinc fide promiſsâ Regibus Francorum uigemur, hinc poteſtate Principis Caroli Regnum ad ſe reuocantis addicti permutare Dominos aut exules fieri cogimur*; At Epiſt. 18. omnem à ſe excutit ſcrupulum & cunctationem, *ille ego (inquit) qui ſub Imperio Beatæ Memoriæ Patris mei Adalberonis militaueram in ſchola omnium, uirtutum, nunc ego regiam incolo aulam, cum Sacerdotibus Dei uerba uitæ conferens; nec ob amorem Caroli vel Arnulfi paſſus ſum diutius fieri organum Diaboli pro mendatio contra ueritatem declamando.* Ubi ſatis clarè ſuam conſcientiam detegit, quid de proditione Remorum Exbertus intelligere deberet. Hinc quidam de eo conqueſti ſunt nec perperam, quod Arnulfi crimen dolosè prodidiſſet, ut fatetur ipſe Epiſt. purgatoriâ ad Joannem 15. *Non ego Arnulfi peccata prodidi, ſed publicè peccantem reliqui, non ſpe, ut æmuli dicunt, capeſſendi ejus honoris, ſed ne communicarem peccatis alienis.*

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 991.

Fatetur Epiſt 18. querimoniam ex perſona Arnulfi ſubornaſſe.

Hugo Rex certior factus rerum omnium quæ acciderant (increbuerat enim rumor adverſus Arnulfum de proditione Remenſis civitatis) nihilque cunctandum ratus, ſtatuit eum ſubjicere Syhodali judicio, ut pœnas lueret ſuæ infidelitatis, & cum inconſultâ ſede Apoſtolicâ, ad quam judicia Epiſcoporum referenda ſunt, id probè ſciret fieri non poſſe, litteras ad Joannem Papam per nuncios ipſe direxit, dátque operám ut aliæ ſcribantur ab Epiſcopis Remenſis Provinciæ, quibus petitum eſt, ut idem Pontifex in Arnulfum ob inſignem proditionem, aliaque objecta crimina, damnationis ſententiam proferret. Epiſtola Regis ſic ſe habet.

Hugonis Regis Epiſtola ad Joannem Papam.

Iam Arnulfus inimicitias exercuerat adverſus Hugonē ante adeptum Archiepiſcopatum.

Beatiſſimo Papæ Ioanni Hugo Francorum Rex, nouis atque inuſitatis rebus permoti, ſummo ſtudio, ſummaque curâ, ueſtra conſilia expetenda decreuimus quippe cum ſciamus uos omne tempus in humanis ac diuinis ſtudijs peregiſſe; conſiderate ergo quæ facta ſunt, & facienda præſcribite, ut & ſacris legibus ſuus honor reddatur, & regalis poteſtas non annuletur. Arnulfus Regis Lotharij, ut dicitur, filius, poſt graues inimicitias & ſcelera quæ in nos Regnumque noſtrum exercuit, loco parentis adoptatus eſt à nobis, ac Metropoli Remorum gratis donatus, jusjurandum præbuit, quod contra præterita & futura ualeret Sacramenta. Libellum fidelitatis ſub nomine Chirographi conſcripſit, recitauit, corroborauit, corroborarique fecit, milites ac omnes ciues jurare coegit ut in noſtra perſiſterent fide, ſi ipſe aliquando in poteſtatem hoſtium deueniret; contra hæc omnia, ut certiſſimi teſtes ſunt, ipſe portas hoſtibus patefecit, Clerum ac populum ſuæ fidei creditum captiuitati & prædæ diſtribuit. Sed eſto eum eſſe addictum alienæ poteſtati, ut ipſe uideri uult, cur ciues & milites pejerare cogit? cur arma contra nos comparat? cur Vrbem ac caſtra contra nos munit? ſi captus eſt, cur non patitur liberari? ſi ui hoſtium oppreſſus, quare non uult ſibi ſubueniri? & ſi liberatus eſt, cur ad nos non redit? uocatur ad Palatium, & uenire contemnit, inuitatur ab Archiepiſcopis & Coepiſcopis nihil ſe eis debere reſpondet. Ergo qui uices Apoſtolorum tenetis, ſtatuite quid de altero juda fieri debeat, ne nomen Dei per nos blaſphemetur, & ne forte juſto dolore permoti, hac ueſtrâ taciturnitate urbis excidium, totiuſque Prouinciæ moliamur incendium, nec judici Deo excuſationem prætendetis, ſi nobis quærentibus atque ignorantibus, formam judicij dare nolueritis.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 991.

Item Epiſcoporum Epiſtola ad eundem.

DOmino & Reverendiſſimo Papæ Ioanni, Epiſcopi Remorum Diœceſeos. Non ſumus neſcij beatiſſime pater, jam dudum oportuiſſe nos expetere conſulta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro ruina, atque occaſu Sacerdotalis ordinis, ſed multitudine Tyrannorum preſſi, longitudine terrarum ſemoti, deſideria noſtra hactenus implere nequivimus; nunc itàque veſtro examini non ſine magno dolore perferimus novum atque inuſitatum crimen Arnulfi Remorum Archiepiſcopi, qui famoſus Apoſtata factus, locum Judæ traditoris olim in Eccleſia tenet, Qui filius quondam Eccleſiæ Laudunenſis cum Epiſcopum ſuum dolo & fraude ceperit, Eccleſiam ejus pervaſerit, ad cumulum ſuæ damnationis Remenſem ſibi creditam cum Clero & populo captivavit. Nec movet eum noſtra vocatio vel potius ſaluberrima exhortatio, Non Archiepiſcoporum Comprovincialium multoties repetita admonitio, non Canonicè facta coram Deo & Angelis ejus profeſſio, non Chirographi in conſpectu Eccleſiæ recitata deſcriptio, non numeroſa Sacramenta miris excogitata conſilijs, ſtant ſuo vitio complures Eccleſiæ paſtoribus viduatæ, pereunt innumerabiles populi ſine Sacerdotali benedictione, & confirmatione. Ipſe factione Tyrannicâ divina humanáque jura contemnens, Tyrannidem exercet, Regibus noſtris à quibus tantam gloriam gratis conſecutus eſt, interitum meditatur.

Ergo tandem ad monſtra perditiſſimi hominis expergefacti juimus in ſententiam Domini dicentis, ſi peccaverit in te frater tuus vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audieris, lucratus eris fratrem tuum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore teſtium duorum vel trium, ſtet omne verbum, quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, ſi autem & Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Adeſte Patres ruenti Eccleſiæ & ſententiam ex ſacris Canonibus promulgatam vel potius ab ipſa veritate prolatam, proferte in medium, ſentiamus in vobis alterum Petrum defenſorem, & corroboratorem Chriſtianæ fidei, ferat ſancta Romana Eccleſia ſententiam damnationis in reum, quem univerſalis damnat Eccleſia, ſuffragetur nobis veſtra auctoritas, & in hujus Apoſtatæ dejectione, & in ejus qui domni Dei præeſſe poſſit Archiepiſcopi nova ordinatione, ſimulque invocatis Epiſcopis noſtris fratribus neceſſariâ promotione, ut ſciamus & intelligamus cui intra cæteros Apoſtolatum veſtrum præferre debeamus.

Scilicet exordio Anni 991. ex Gerberto dum 18. menſes tradit interceſſiſſe ab eo tempore uſque ad Synodum Remenſem habitam Anno ſequenti menſe Iunio.

Miſſi quòque eodem tempore Romam Legati ab Heriberto Comite ſocero Caroli Principis, qui citius forſan appulſi, muneribus præoccuparunt Pontificem ſi (Gerberto credendum in propria cauſâ) cum interim Legati Regis & Epiſcoporum per triduum ante Palatij januas defatigati, nec admiſſi infecto negotio Galliam redire coacti ſunt. Ubi ergo à Romano Pontifice reverſi non fuiſſe auditos retulerunt, intellectum eſt, quaſi ex eo ſilentio judicandi facultatem in Francorum Epiſcopos devolutam. Unde tam à Rege, quam ab Epiſcopis, indictum, Remis Conſilium, ad quod ſæpe vocatus Arnulfus, cum excuſaret ſe quod à Carolo Rege Lauduni detineretur in Vinculis. Factum eſt inter hæc, ut proditioni Azelini Laudunenſis Epiſcopi, ab Hugone Rege eadem civitas, & qui in eâ erat Arnulfus cum Carolo caperetur. Quidam referunt prædictum Azelinum, qui & Adalbero dicitur, de quo adhuc Capite 17. agemus, veniâ à Carolo obtentâ, quod cum Hugone communicaſſet, ſuæ ſedi ab eo reſtitutum fuiſſe ac inter conſiliarios adſcitum, qui cum cuſtodiam quoque portarum Urbis inconſultè tradidiſſet, clam Hugoni mandaſſe, ſe condicto die, & horâ has ſibilo edito è domo Epiſcopali aperturum, quod & fecit, in cujus rei memoriam ſeu perfidiæ aut præſtiti obſequij monimentum, duas hinc indè in veſtibulo domus ſtatuas adhuc videri quarum una è collo fiſtula pendet. De Azelino

Epiſt. ad Vuilderodum Epiſcopum Argentin.

Gerber-

Digitized by Google

Guibertus de Nogento ſic loquitur. *Quid nequius quàm quòd dominum ſuum Regem innocentem puerum, cui ſacramentum fidelitatis ille præſtiterat, prodidit, & in exterum genus magni Caroli curſum genealogiæ transfudit? quod facinus die Cœnæ Dominicæ patravit:* Ob id, *vetulus traditor*, vocatur ab Eginaldo, à Nangio, & à Johanne de Neſle; quamvis non deſint qui de hac hiſtoria dubitent, ut Papirius Maſſo. Quidquid ſit, Carolus captus ab Hugone ductus eſt in cuſtodiam Aurelianis civitate, ait Hugo Floriacenſis tùncque penitus ex ſtemmatis ejus ramo exciſum eſt Regnum Francorum. At Arnulfum Rex deduci juſſit judicandum ad collectam Remis Synodum.

ARNULF. XL. ARCHIEP. *An.* 991.

Puer hic Carolus vocatur cum 46 eſſet annorum, natus enim eſt anno 945.

Synodus Remenſis in qua præſentibus Hugone & Roberto Regibus, ob perfidiæ crimen Arnulfus deponitur.

CAPUT XV.

ANNO ab Incarnatione Domini noſtri JESU CHRISTI 991. Indictione quarta, anno quinto regni domini Hugonis, & excellentiſſimi Regis Roberti, congregata eſt Synodus in Remenſi territorio. Actum eſt autem magnâ induſtriâ Principum, ut quia omnes Galliarum Epiſcopi eò convenire non poterant, propter quaſdam Regni neceſſitates, ij maximè convenirent, qui comprovinciales eſſent, deindè ex vicinis provincijs fama & dignitate honeſtiores, & qui legatione ſuarum provinciarum digni viderentur, ſuorum Fratrum abſentiam ſuâ præſentiâ ſuſtinere poſſent.

Igitur 15. Calend. Julij collecti ſunt in Baſilica Domni Baſoli Confeſſoris, Remorum quidam Diœceſani, Guido Sueſſionicæ Urbis Epiſcopus, *Adalbero* Laudunenſis, Heriveus Belvacenſis, Goteſmannus Ambianenſis, Ratbodus Noviomenſis, Odo Sylvanectenſis. Ex provincia Bituricenſium, quæ Aquitanorum eſſe putatur, Daibertus Archiepiſcopus. Ex provincia Lugdunenſium prima, Gualterus Epiſcopus Auguſtodunenſis, Bruno Lingonenſis, Milo Matiſconenſis. Ex provincia Senonenſium, quæ eſt prima Sequanorum Metropolis, Remenſique provinciæ contigua, Seguinus Archiepiſcopus, Arnulfus Aurelianenſis, Herebertus Autiſſiodorenſis. Præterea diverſarum urbium Abbates quamplurimi aderant, qui poſt ſolitariam Epiſcoporum diſputationem reſidere juſſi ſunt, &c.

Synodum hanc non Remis ſed in Monaſterio ſancti Baſoli tribus circiter leucis à Durocorto, ubi Arnulfus exauctoratus eſt, edidit Andræas Duchenius tom 4. rerum Francicarum, alicubi ſanè mutilam, ſed cui non nihil ſanè addi poſſet ex Autographo quod penes me habeo, in quo pariter multa deſunt, à cap. ſcilicet 25. ad cap. 40. At licet multa ſcitu digna contineat quæ ad Arnulfi cognationem ſpectant, totiúſque exauctorationis ſeriem pandat, hanc tranſcribere operæ pretium non putavi (præſertim cum velut ſpuria à collectoribus rejiciatur) ne præſens hoc opus nimiùm excreſcat. Referam tamen quæ Arnulfus Aurelianenſis Epiſcopus ordinis cuſtos, & omnium geſtorum interpres conſtitutus à Synodo (auditis quæ in Archiepiſcopum objiciebantur criminibus) converſus in eum, ſuo velut ſilentio ſe reum confitentem, protulit dicens.

Ex hiſ patet Robertum unctum in Regē an 990 ut ſcribit Albericus, quamvis poſt obitū Hugonis rurſum Aurelianis fuerit coronatus. An. 997.

Proſternere ergo, ait, *coram tuis dominis, corámque tuis Regibus, quos inexpiabiliter offendiſti, propriámque confitens culpam, pro tui vita ſupplica.* Qui cum in modum crucis proſtratus, pro vita & membris ejulatu quo poterat ſupplicaret, in lachymas & ſuſpiria Synodum totam convertit. Móxque Daibertus Bituricenſium Archiepiſcopus ad genua Principum provolutus, humilimas preces

ARNVLF. XL. ARCHIEP. an. 991. „ preces omnium pro ſalute viri offert, qui pietate flexi: *Vivat*, inquiunt, *veſtro beneficio, noſtráque degat ſub cuſtodiâ, nec ferrum nec vincula metuens,* „ *niſi fortè in fuga ſpem poſuerit.* Hoc dictum Epiſcopis non ſatis placuit, „ quippe cum putarent adoleſcenti fugam facilè poſſe perſuaderi, quam- „ obrem mortis legibus iterum ſubjaceret. Iterant ergo preces, & iterum „ obtinent juvenem minimè gladio feriendum, niſi iterum digna ultore „ gladio committat. Elevatus itáque à terra, nihilque grave ultra metuens, „ depoſitionem ſui attonitus exſpectabat. Quærebatur itáque ab eo, utrum „ abdicationem ſuam ex auctoritate Canonum ſolemniter celebrari vellet; „ quod cùm poteſtati Epiſcoporum aſſignâſſet, perſuaſum illi eſt, ut culmen „ honoris quod gradibus exſtulerat, gradibus deponeret. Reſignat ergo Regi, „ quæ à Rege acceperat, deponit quoque ſacerdotalis dignitatis inſignia apud „ Epiſcopos, non quidem exigentes, nec retinere cupientes; ſed ijs quorum „ intererat, impoſterùm reſervare diſponentes. Deindè libellum ſuæ abdica- „ tionis, ſecundùm exemplar abdicationis prædeceſſoris ſui Ebonis, præſcribi „ rogat, perſcriptúmque hoc modo in medio Conventu recitat.

Ego Arnulfus quondam Remorum Archiepiſcopus, recognoſcens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum, teſtes confeſſores meos Seguinum Archiepiſcopum, Daibertum Archiepiſcopum, Arnulfum Epiſcopum, Goteſmannum Epiſcopum, Brunonem Epiſcopum, Milonem Epiſcopum, Adalberonem Epiſcopum, Odonem Epiſcopum, Guidonem Epiſcopum, Heribertum Epiſcopum, conſtituì mihi judices delictorum meorum, & puram ipſis confeſſionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & ſalutem animæ meæ, ut recederem ab officio & miniſterio pontificali, quo me recognoſco eſſe indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus me peccaſſe ſecretò ipſis confeſſus ſum, & de quibus publicè arguebar, eo ſcilicet modo ut illi ſint teſtes alij ſuccedendi & conſecrandi in loco meo, qui dignè præeſſe & prodeſſe poſſit Eccleſiæ, cui hactenus indignus præfui, & ut inde ultrà nullam repetitionem, aut interpellationẽ auctoritate Canonum facere valeam manu „ *propriâ meâ ſubſcribens firmavi.* Quo perfecto ita ſubſcripſit. *Ego Arnulfus* „ *quondam Archiepiſcopus ſubſcripſi.* Huic libello Arnulfi præſentes Epiſcopi „ teſtes adfuerunt, atque ab eo rogati ſubſcribere, ſubſcripſerunt, ac ſin- „ gillatim illi dixerunt: *Secundùm tuam profeſſionem, & ſubſcriptionem, ceſſa* „ *ab officio.* Poſt hoc Clerum & populum à Sacramentorum nexu abſolvit, „ ut omnibus libera facultas in alterius tranſmeandi jura pateret.

„ His ſolemniter peractis, ecce Adalgerus Preſbyter ad Regum pedes „ proſternitur, ſéque privari communione conqueritur, eo quod imperio „ domini & Archiepiſcopi ſui, cui reſiſtendum non erat, paruerit. Cui Pater „ Arnulfus Aurelianenſis; *Aperuiſti*, inquit, *Vrbis portas hoſtibus?* & ille, *Aperui.* „ & pater Arnulfus, *ingreſſus es templum Dei hoſtiliter?* tum Preſbyter: *Negare* „ *non poſſum*, & Pater Arnulfus, *Ex ore*, inquit, *tuo te judico, ſanguis tuus ſuper* „ *caput tuum.* Subjunxit Gualterus Epiſcopus: *Quando*, inquit, *imperans Epiſcopus ita mulctatus eſt, tu obtemperans, ac manibus juſſa perficiens, conſe-* „ *quentem mulctam exolues.* Et pater Bruno: *Tu*, inquit, *ac tui ſimiles malis conſilijs & malis exſecutionibus juvenem perdidiſtis, ut ergo ille ploret, & tu cantes? aut quomodo queſtibus temperare potero, ſi nullâ afficiantur pœnâ qui filium patrui* „ *mei in has præcipitauêre miſerias.* Itáque Preſbyter jubetur ut quod malit, „ eligat, aut perpetuum anathema, aut ſui legitimam depoſitionem. Suâ „ enim ſponte venerat ſub conditione, ne quid violentiæ pateretur. Diu ergo „ ſecum deliberans, maluit deponi, quàm ſub perpetuo anathemate detineri.

Et Epiſcopi nullâ miſeratione circa eum adducti, veſte ſacerdotali induunt, & mox illi ſingula quaque uſque ad Subdiaconatum ſine reverentiâ detrahentes, „ *ſigillatim per ſingula ſubinferunt:* Ceſſa ab officio. *Deinde per legitimam reconciliationem, laicam illi tantum communionem concedunt, ac pœnitentiæ ſubdunt.*

Digitized by Google

ſubdunt. Eos verò ſacrilegos, urbiſque proditores, qui nec ſponte, nec vi ad ſatisfactionem venerant, iterato anathemate damnant. ARNULF. XL.

Sic igitur ſuo ſe Sacerdotio ſponte abdicavit Arnulfus, ex actis Synodi, quæ tanti ponderis non ſunt, quin ſuſpicio ſuboriri poſſit corrupta fuiſſe ab hæreticis, ut indè occaſionem haberent Sedi apoſtolicæ liberiùs & contumelioſiùs inſultandi. Imo Conciliorum collectores Synodum hanc Remenſem tamquam ſpuriam ab alijs explodunt, nec aliter eam vocant, quam Pſeudo-ſynodum, conciliabulum, aut commentarium à Gerberto editum, quòd non purè & ſimpliciter, ſed paraphraſticè, & rhetorico magis quàm hiſtorico more Acta Concilij deſcripſerit, ut ipſe fatetur in prologo: undè perperam libellus ille Gerberti, quem multis mendacijs refertum ediderunt Centuriatores anno 1600. *Synodus Eccleſiæ Gallicanæ* nominatur. Suſpicio quoque prona eſt Gerbertum, qui ad Archiepiſcopatum latenter aſpirabat, modum exceſſiſſe in hiſtoria deſcribenda; cùm Hugo Floriacenſis Arnulfum bonæ indolis fuiſſe dicat, ſed Hugonem ex invidiâ in progeniem Lotharij Regis inſtitiſſe apud Epiſcopos ut exauctoraretur, eo quod ex legitimo thoro procreatus non eſſet. ARCHIEP. *Exauctoratus An.* 991.

Addit Eginaldus ex legitimis, publicéque confirmatis hujus Synodi Actis, poſt relatam à primario Judice Seguino Archiepiſcopo Senonenſi interpoſitam reclamationem, reliquos quidem Epiſcopos licèt invitos ob metum Regis Hugonis conſenſiſſe Arnulfi degradationi, ac Gerberti ſubrogationi, & Seguinum ea de cauſa acriter ipſum Regem redarguiſſe, unde iram ipſius ac odium in ſe ipſum concitavit, Arnulfum autem poſt hæc alligatum detruſum fuiſſe in carcerem in civitate Aurelianenſi, ubi Carolus detinebatur. At verò cùm hæc omnia intellexiſſet Johannes Papa, valdè indignatum ſacris interdixiſſe omnibus Epiſcopis qui Arnulfum dejeciſſent, juſſiſſéque prædictam Synodum, indictâ aliâ Remis, per Leonem Abbatem à S. Sede apoſtolica miſſum, retractari & planè improbari, ut ſuo loco dicetur. *Ex auctario ad Aimoinum adjecto.*

Porrò quid de Arnulfi proditione cenſendum ſit, ſi Actorum ſupradictæ Synodi nulla ratio habeatur, vix quiſquam certò definire poteſt, cùm Eginaldus ſupreſſo infidelitatis crimine, virum pium, ac modeſtum fuiſſe aſſerat eúmque ob ſolam invidiam, ac natalium defectum urgente Capeto degradatum, cui adſtipulantur quidam Auctores ferè coetanei, & inter alios, Hugo Floriacenſis, & Guido de Baſochijs apud Albericum.

At Baldericus è contra tradit in Chronico Cameracenſi lib. 1. cap. 110. Arnulfum pro multis ſceleribus, & maximè pro infidelitate ſui Senioris, ab epiſcopali gradu depoſitum, ſed quia abſque licentia & auctoritate Romanæ ſedis Pontificis fuit degradatus, rurſum ei ad eamdem Sedem redi tum patuiſſe, quod Silveſter II. in privilegio eidem Arnulfo conceſſo ſatis expreſſit, & Auctor vitæ Abbonis Floriacenſis apud Duchenium tom. IV. apertè fatetur. fol. 129.

Gerbertus in locum Arnulfi ſuffectus tres annos ſedem Remenſem occupat.

CAPUT VII.

FINITA Synodo tractârunt Epiſcopi de ſubrogando Præſule in locum Arnulfi, quem exauctoratum vidimus: nec dubium quin Gerbertus, qui præſens aderat, Regum amicitiâ fretus, omnes ingenij vires pro adipiſcenda hac dignitate vehementer intenderit; opportunum tempus ſibi adeſſe videbatur, ſed opportunior Hugonis & Roberti præſentia, quæ *An.* 991.

Digitized by Google

ARNULF. XL. ARCHIEP. *An.* 992.

quæ ſic pellexit electorum animos ad id quod diu optabant, ut ſine alio delectu, Gerbertum concordantibus omnium votis nominarint ad Archiepiſcopatum Remenſem.

Hîc non immoror in deſcribendis ipſius ingenij dotibus, eloquentiâ, ſagacitate; cum infiniti propemodum ſcriptis ea celebrarint Auctores: noviſſimè luculenter ac copioſè Friſonius noſter in Gallia purpurata. Hunc Ditmarus in Magdeburgenſi Germanum fuiſſe putat, & cum Ottone diu verſatum, admirabile horologium fabricâſſe per inſtrumentum diabolicâ arte inventum, quo Principis animum facilè devinxerat. At Alexander Arnaldus è contra narrat traxiſſe originem, non quidem ex ignobili loco (ut Glaber aſſerit) ſed ex nobili familia de Cæſis in territorio Lemovicenſi, ex quo plures Epiſcopi prodierunt. Hunc ab Adalberone ex Floriacenſi Monaſterio accitum, litteras Remis docuiſſe, ac inter inſignes alios habuiſſe diſcipulos Robertum humanioribus litteris perfectiſſimè verſatum, & Ottonem, quorum ope Abbatias ſancti Columbani, & Bobienſem obtinuiſſe, dicemus poſtea. Tradunt Sammarthani Cancellariâ etiam dignitate donatum ab Hugone ex Chartulario Beatæ Mariæ Sueſſion. ubi habetur privilegium in quo Gerbertus illuſtri hoc titulo præfulget, quod accidiſſe reor poſt Adalberonis obitum, & adepto jam Remenſi Archiepiſcopatu.

Albericum indicem rerũ quas compoſuit Robertus Rex refert, an. 996. Item Concil. Lemovicenſe anno. 1029.

Sic igitur vir tanti nominis, & *quo litteratior nullus extitit*, ut ait Baldericus, Remenſem rexit Eccleſiam per aliquot annos, ubi compoſuit horologium mechanicum, & organa hydraulica, ex Bedæ Continuatore; cujus electionis formula viſa eſt digna, quæ huc ex libro epiſtolarum transferretur his verbis concepta.

Electio Gerberti Remorum Archiepiſcopi.

„SEmper quidem dilectiſſimi Fratres, judicia Dei juſta ſunt, ſed interdum „occulta. Ecce enim poſt diſſolutionem beatæ memoriæ Patris Adalbe„ronis quemdam ex ſemine regio prodeuntem, nobis, Eccleſiæque Remenſi „præfecimus, & clamore multitudinis impulſi, Scriptura dicente: *Vox po„puli, vox Dei*, & ſanctorum Canonum inſtitutis, deſiderium ac vota Cleri „& populi in electione Epiſcopi perquirentium, caligavit acies mentis noſtræ, „litteram incautè ſequendo, concordem ſententiam divinarum Scripturarum „parum inveſtigando: non erat quippe vox Dei, vox populi clamantis, „*Crucifige, Crucifige.* Ergo non omnis vox populi vox Dei eſt, nec omnis Cleri „& populi vota & deſideria in electione Epiſcopi perquirenda ſunt, ſed tan„tum ſimplicis & incorrupti, id eſt ſpe quæſtûs minimè electi, ſententiæ Pa„trum exponendæ *Non liceat*, inquit, *turbis electionem facere eorum qui ad Sa„cerdotium promoçantur, ſed judicium ſit Epiſcoporum, ut eum ipſi qui ordi„nandus eſt, probent, ſi in ſermone & in fide & in epiſcopali vita edoctus eſt.*

Non omnis Cleri & populi vota & deſideria in electione Epiſcopi perquirenda ſunt.

„ Nos igitur Epiſcopi Remorum diœceſeos, ſecundum has conſtitutiones „Patrum, favore, & conniventia utriuſque Principis noſtri Ugonis Auguſti, & „Excellentiſſimi Regis Roberti, aſſenſu quoque eorum qui Dei ſunt in Clero „& populo, eligimus nobis Archiepiſcopum Abbatem Gerbertum ætate ma„turum, natura prudentem, docilem, affabilem, miſericordem, nec præferimus „illi vagam adoleſcentiam, ambitionem ſe extollentem, omnia temerè mini„ſtrantem, imo nec talibus ſubjugari patienter auditu perferimus, quorum ſa„pientia, & conſilio eccleſiaſtica ac civilia jura amminiſtrari non poſſe ſcimus. „Cúmque in uno quoque Epiſcopo ſit hoc ſpeculandum, maximè tamen in „eo, qui cæteris præeſt, Metropolitano. Eligimus hunc itaque Gerbertum „qui, ... fuit, hujus vitam ac mores à puero novimus, ſtudium in divi„nis ac humanis rebus experti ſumus, hujus conſilijs ac magiſterio informari „quærimus, ejus electionem ſubſcribendo confirmamus, ſtabilimus, corro„boramus communi omnium bonorum conſultu.

Profeſſio

ARNVLF. XL. ARCHIEP. *Ann.* 994.

Profeſsio fidei Gerberti Remorum Archiepiſcopi.

EGo Gerbertus gratia Dei præueniente mox futurus Archiepiſcopus Remorum, ante omnia fidei documenta verbis ſimplicibus aſſero, ideſt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unum Deum eſſe confirmo, totámque in Trinitate Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, & coæternalem, & omnipotentem prædico, ſingulam quámque in Trinitate perſonam uerum Deum, & totas tres perſonas Vnum Deum profiteor. Incarnationem diuinam non in patre neque in Spiritu ſancto ſed in filio tantum credo, ut qui erat in diuinitate Dei Patris filius, ipſe fieret in homine Matris filius, Deus uerus ex patre, homo uerus ex Matre; Carnem ex Matris uiſceribus habentem, & animam humanam rationalem ſimul in eo utriuſque naturæ, id eſt hominem & Deum, unam perſonam, unum Filium, unum Chriſtum, unum Dominum Creaturarum omnium quæ ſunt, & auctorem, & Dominum, & rectorem cum Patre, & Spiritu ſancto. Confiteor paſſum eſſe uerâ carnis paſſione, mortuum uerâ Corporis ſui morte, reſurrexiſſe uerâ carnis ſuæ reſurrectione, & uerâ animæ ..... in qua ueniet judicare uiuos & mortuos aſſero. Noui & ueteris teſtamenti unum, eundémque credo auctorem, & Dominum, & Deum. Diabolum non per conditionem ſed per arbitrium factum eſſe malum. Credo hujus quam geſtamus & non alterius carnis Reſurrectionem. Credo judicium futurum, & recepturos ſingulos pro his quæ geſſerunt, uel pœnas uel præmia, nuptias non prohibeo, ſecunda Matrimonia non damno, carnium præceptionem non culpo, pœnitentibus reconciliatis communicare debere confiteor, in Baptiſmo omnia peccata id eſt tam illud Originale contractum, quam ea quæ voluntate admiſſa ſunt, dimitti credo, & extra Eccleſiam Catholicam nullum ſalvari confiteor. Sanctas Synodos quatuor quas uniuerſalis Mater Eccleſia confirmat, confirmo.

Poſt hæc quæ more Majorum ante inaugurationem præſtanda ſunt, Gerbertus, ut promotionem ſuam magis ac magis aſſereret, ad ea animum appulit quæ ſui muneris eſſe videbantur. Et quoniam intererant in Provincia Prædones quidam qui Eccleſiarum non modo agros & prædia populabantur, ſed clericos etiam rapinis & cæde vexabant, cenſuit eos primùm ex officio monendos ut ab his abſtinerent, & cum obduratos in malitia ſua eſſe ſentiret, comprovinciales ad Synodum convocavit, ubi ex omnium conſenſu ſequens in eos declaratio edita eſt.

Gerbertus & omnes Epiſcopi Diœceſeos Remenſium, peruaſoribus ejuſdem.

GErbertus gratia Dei Remorum Epiſcopus, Guido Sueſſionicus, Adalbero Laudunenſis, Ratbodus Nouiomenſis, Rotaldus Cameracenſis, Odo Syluenectenſis, Fulco Ambianenſis, Bruno Morinenſis, Heriveus Belvacenſis, per gratiam ſancti Spiritus Epiſcopi. Vobis Gerberto, ex his qui ſubſcripti ſunt peruaſoribus, carnificibus, atque tyrannis, diu modeſtia Sacerdotum furoris neſtri rabiem ſuſtinuit, & adhuc patienter expectat. Quo uſque ergo inſania neſtra ſanis intellectibus noſtris obſiſtet? clades Clero infertis, à Cleri, Monachorum, & pauperum rapinis non ceſſatis. Conuenimus ergo conſcientiam neſtram omnes Epiſcopi Remorum Diœceſeos, & ad ſatisfactionem inuitamus, ſpatiumque pœnitentiæ uſque in proximis Calendis attribuimus, tunc vos aut infertiles Eccleſiæ palmites recognituri, aut tamquam inutile lignum ab agro Dei gladio ſancti ſpiritus exciſuri.

Commonitorias quoque ſcripſit litteras idem Gerbertus æmulis Herveri Belvacenſis Epiſcopi, qui dignitatem ipſius contemptui habere videban-

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 992.

tur, momens interim prædictum Epiſcopum ut eos, ſi reſipuerint, ob pacis, caritatiſque cuſtodiam, velut exorbitantes filios blandè ſuſcipiat, ſin minus excommunicatione rationabiliter conſcripta, & ab eo ſolemniter celebrata, & celebri loco affixa, eoſdem percelleret. At cum modum forſan exceſſiſſet idem Epiſcopus, aut certè alius quidam comprovincialis, cujus nomen non latet, qui Eccleſiam interdicto ſuppoſuit, calamum quaſſatum non confringendum eſſe ſciens, aſperiùs eum perſtringit Gerbertus ſequenti Epiſtolâ.

Idem Gerbertus dixerat Epiſt. 19. quam venerabili Epiſc. Arnulpho ſcripſit. Quæ decreta Romanorum Pontificũ infantes baptizare vetuerunt?

Quanto moderamine ſalus animarum tractanda ſit, & veſtra fraternitas novit, ſommoperè penſandum eſt ut ne quid nimis. Ecce enim dum judicij ſeueritatem in Eccleſiam exercetis, modum à Patribus conſtitutum tranſcenditis. Nam quæ Concilia uel decreta paruulos baptizari, uel fidelium coemeteriis ſepeliri uetuerunt? Quod ſi is locus interdicto, & ut ſolemniter dicamus ueſtro banno jure tenetur adſtrictus, liceret Innocentibus Parochiarijs ad alia tranſmigrare loca, ſuiſque legaliter uti ſacris. Moneo igitur paternitatem ueſtram modum judicij temperare, totumque negotium ita pertractare, ut ante oculos Domina Majeſtatis placere poßitis, & Coepiſcoporum judicio non diſpliceatis. Varios mali temporis diu jam ſufferens motus, ad utrumque ſolatium, tamquam ad tutiſſimum confugio portum, alioquin aut ueſtra ſolabimur ope, aut peregrina nobis expetenda ſubſidia.

Epiſtola ejuſdem Fulconi Epiſcopo Ambianenſi pro quibuſdam exceßibus quæ in propria Parochia committebat.

INter varias magnarum occupationes, nullâ moleſtiâ magis afficimur, quàm veſtrorum exceſſuum relatione. Etſi enim totius Metropolis Remorum cura nobis injuncta eſt, ſed veſtri potiſſimùm, qui & annorum teneritudine, & morum leuitate pondus Sacerdotale nec dum ferre didiciſtis. Cur ergo contra pactum in commune ſtatutum uſque ad tempus Concilij perſuaſionem in propria Parochia feciſtis? nec in hoc enim alleuiamini, flores Eccleſiæ ſunt quas diripuiſtis, cum hoc niſi legibus fieri non liceat. Acceſſit ad hoc inlicitum armorum præſumptio, Eccleſiæ violatio, quaſi Sacerdoti omnia in Eccleſijs liceant. SED (AIT APOSTOLVS) OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIVNT. Licent per libitum arbitrium quo malè uſi eſtis, ſed non expediunt per jura diuina quæ contempſiſtis. Monemus itaque fraternitatem veſtram errata corrigere, & nobis quos offendiſtis, ſi placet, ſatisfacere, ut horum exceſſuum recognitio, multorum peccatorum poßit eſſe abolitio.

Ita paſſim ſe gerebat Gerbertus Præſul in munere obeundo, blandus amicis, & aſper ijs qui lenitatis Eccleſiaſticæ metas exceſſerant, ſed non diu quietus ſtetit in præfectura quam avidè concupierat, quod & ipſe ex ijs quæ in vulgus ſpargebantur ante præſenſit. Vnde cum in Gallia viri genere & ſcientiâ illuſtres non pauci, ægrè ferrent degradationem Arnulfi, & æmuli ſui fortunæ inviderent ex Epiſt. 35. *Dum Vrbem*, inquit, *Remorum, Dei cauſa fugio, Vrbi Remorum gratia Dei Prælatus ſum, quæ res, gentes & populos in mei excitant inuidiam.* Ut eorum conſilijs & conatibus Gerbertus maturè occurreret, amicos ſibi undique parandos eſſe duxit, maximè verò Adelaidem Imperatricem, in qua tamquam in templo virtutes omnes inhabitare aſſerit; & Arnulfum Aurelianenſem Epiſcopum, cujus clientelæ fortunam ſuam commiſerat; ſed imprimis Ottonis Auguſti amicitiam, ſi unquam alias ſibi devincire conatus eſt, quem ſic affatur Epiſt. 30. *A multis creditum eſt me apud veſtram pietatem poſſe opitulari multis, nunc operæ pretium eſt habere Patronos, amici quippe ſalubria cuncta*

Digitized by Google

cuncta . . . . . hoſtes dulcia Principis amaros exitus habitura, ſeu prophetico ſeu fanatico ſpiritu prædixerunt. Tribus ut ita dicam ſæculi ætatibus, vobis, Patri, Auo, inter hoſtes, & tela fidem puriſſimam exhibui, meam quantulamcumque perſonam Regibus furentibus, populis inſanientibus, pro veſtra ſalute oppoſui, &c.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. *An.* 995.

Per id temporis idem Rex Otto tertius rogatus à cœnobitis Remigianis, ut prædeceſſorum ſuorum exemplo, regali auctoritate Coſlam cujus meminit Beatus Remigius in ſuo teſtamento, confirmaret; Eorum precibus libenter annuit Chartâ præcedentibus ſimili cui poſt ſyngrapham Ottonis, ſubſcripſerunt. Hildebadus Epiſcopus & Cancellarius vice Vuifigiſili Archiepiſcopi 7. idus Maij anno Dominicæ Incarnat. 993. indictione 6. anno autem Domini tertij Ottonis regnantis 20. Actum in Villa Dodonis feliciter Amen.

Ottoni primo, ſecundo, & tertio obſequia præbuit Gerbertus.

Interim ſummus Pontifex injuriam Arnulfo irrogatam obliviſci non poterat, quod in eo læſa Apoſtolicæ ſedis jura apertiſſimè viderentur, unde ut tandem illi ſubveniret ſacris interdixit omnibus Epiſcopis qui Arnulfum dejeciſſent, & Gerbertum ordinaſſent, ut tradit Eginaldus, Porrò Apoſtolicis litteris exacerbatus ultra quam dici poteſt Gerbertus, in ipſum Romanum Pontificem ad Seguinum Archiepiſcopum litteras dedit, virulentas admodum (ait Baronius) & Catholico homine prorſus indignas, quibus totus in eo verſatur, ut excommunicationem Romani Pontificis contemnendam eſſe demonſtret; quo etiam argumento aliam ſatis prolixam Epiſtolam ſcripcit ad Vuilderodum Argentinæ civitatis Epiſcopum, in qua præter illâ quæ de Arnulfi cauſâ diſputat, multus eſt in eo, ut decretalium Epiſtolarum Romanorum Pontificum auctoritatem minuat, uſus etiam ad hoc argumentis Hincmari olim Remorum Archiepiſcopi. Et quoniam hujus Epiſtolæ (ſaltem exordium) Arnulfi depoſitionem luculenter aperit, hic illud referre extra rem non erit, nec fortè lectoribus ingratum.

Hæc Baron. refert & diſcutit in annalibus An. 993

Ex Gerberti Epiſtolâ ad Vuilderodum Argentinæ civitatis Epiſcopum, quæ eſt Apologia pro Remenſi Synodo.

Arnulfus Regis Lotharij (ut fama eſt) filius poſtquam ſuum Epiſcopum dolo & fraude circonuentum cum propria urbe captiuauit, poſt multum cruorem humani ſanguinis à ſe effuſi, poſt prædas & incendia in Conuentu Epiſcoporum totius Galliæ damnatus eſt. At deinde poſt obitum Beatæ memoriæ Adalberonis, à ſolo Adalberone Epiſcopo Laudunenſi reconciliatus ſpe obtinendæ pacis, Metropoli Remorum donatus eſt. Acceptis ab eo terribilibus Sacramentis, & libellari profeſſione pro fide ſuis Regibus conſeruanda quam & niuâ uoce in Conuentu Eccleſiæ recitauit, & propria manu ſubſcribendo corroborauit. Et ecce quaſi tempeſtas urbem ab eo proditam hoſtis inuaſit, ſanctuarium Dei polluit, ſpolia diripuit, Clerum & populum captiuauit. Poſt hæc uerò Arnulfus ſuos Prædones ſub Anathemate poſuit, atque ut idem facerent Galliarum Epiſcopi Imperauit, Prædia Eccleſiæ, quæ per Sacramentum ſuis militibus dederat, abſtulit, hoſtibus contulit, conjuratorum manum contra ſuum Regem, ejuſque exercitum in aciem ſub ſignis Caroli produxit. Interea Legatis, & litteris Synodicis Romanus Pontifex, ut Eccleſiæ turbatæ ſubueniret ammonetur, ſed neque Legatis, neque litteris conſulentibus conſulit. Itáque grauium Epiſcoporum facto conſultu, Legatis & litteris Synodicis ac muti admonitione Arnulfus Conuentus decem & octo menſibus, ut à cæpto furore deſiſteret, ſeque à ſcelere proditionis & rebellionis quo impetebatur, regulariter purgaret, noluit. Sed cùm à ſe fautores maximos nequitiæ ſuæ diſcedere ſenſit, territus Regem adiit, nouiſque Sacramentis ac nouis rerum conditionibus Regiæ menſæ particeps factus eſt, atque ita Regis irâ ſedatâ, omni crimine ſe exutum credidit, indéque mox rediens fi-

Laudunenſe.

Vrbem Remorum ſexto menſe à ſua ordinatione prodidit Gerbertus.

Anathemata in prædones ſupra retulimus.

Digitized by Google

ARNVLF. XL. ARCHIEP. *Ann.* 993.

dem Sacramentorum rupit conditionibus non ſeruatis. At ij quorum intererat, totiens ſe decipi, totiens bonis ſuis priuari non ferentes Lauduni arcem occupant, Arnulfus inter Regis hoſtes inuenitur, Synodo repreſentatur, pro tot, tantiſque flagitijs rationem reddere depoſcitur, qui diu ſecum atque cum ſuis familiaribus multum deliberans, ſuâ ſponte in confeſſionem peccatorum ſuorum erupit, ſuiſque confeſſoribus alios teſtes adhibuit, crimina ſua in libellum retulit, eique à ſe viuâ voce coram Eccleſia recitato ſubſcribſit, inſignia Sacerdotij depoſuit, eoque ſe abdicauit, confeſſoribus ſuis ac teſtibus atteſtantibus, & reſpondentibus ſecundum profeſſionem & ſubſcriptionem tuam, ceſſa ab officio, &c.

Hæc pro ſuſcepta cauſâ Gerbertus (ſi ei in omnibus credendum eſt.) At cum diſcordiarum motus pro Archiepiſcopatu Remenſi in dies ingraveſcerent, Hugo Rex Francorum Legationem iterum miſit ad Joannem Papam, qua eum ad litem componendam invitat, cujus tenor ſic ſe habet.

Hugonis Regis Epiſtola ad Joannem Papam.

Tendo Remenſis Archidiaconum.

HVgo Rex Papæ Ioanni Beatitudini ueſtræ ego, & Epiſcopi mei per T. Archidiaconum Remenſis Eccleſiæ ſcripta direximus, in quibus Arnulfi rationes vobis explanauimus, ſed hoc nunc obſecrando ſuperaddimus, ut mihi meiſque juſta decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra Apoſtolatum ueſtrum egiſſe ſcimus, quod ſi abſentibus non ſatis creditis, Gratianopolis ciuitas in confinio Galliæ & Italiæ ſita eſt, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere ſoliti fuerunt, hoc ſi nobis placet iterare poſſibile eſt. At ſi nos & noſtra inuiſere libet, ſummo cum honore deſcendentem de Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis obſequijs proſequemur. Hoc ex integro affectu dicimus ut intelligatis & cognoſcatis nos & noſtros ueſtra nolle declinare judicia. Petimus itaque ut T. Archidiaconi Legationem benignè ſuſcipiatis, ut dum quod petit obtinuerit, nos in ſuo aduentu efficiat latos & in ueſtro obſequio feruentiſſimos.

Romani Pontifices Francorum Regibus apud Gratianopolim olim occurrere ſoliti erant.

Quid reſcripſerit Pontifex ignoratur, certum tamen eſt Legatum miſiſſe Leonem Abbatem ſancti Bonifacij in Urbe, qui anno ſequenti indictione octavâ, habuit Moſomi Synodum quarto nonas Junij, in qua Gerbertus qui exauctorato Arnulfo ſuffectus in ejus locum fuerat, patientiſſimè auditus eſt. Orationem autem prædicti Gerberti hic haud inutiliter referendam cenſui.

Oratio Gerberti Archiepiſcopi habita in Concilio Moſomenſi.

Gerberti oratio Synodalis.

SEmper quidem Reuerendiſſimi Patres hunc diem pra oculis habui, ſpe ac uoto ad eum intendi, ex quo à fratribus meis admonitus, onus hoc Sacerdotij non ſine periculo capitis mei ſubij. Tanta erat apud me pereuntis populi ſalus, tanta ueſtra auctoritas, qua me fore tutum exiſtimabam Recordabar præteritorum beneficiorum dulcis atque . . . . . affabilitatis ueſtræ, qua præſtantium ſæpenumero cum multa laude uſus fueram. Cum ecce ſubitò contrarius rumor vos offenſos inſinuat, vitioque dare, quod magna paratum uirtute inter alios conſtabat. Horrui, fateor, & quos antea formidabam gladios, pra indignatione ueſtra poſthabui. Nunc quia propitia diuinitas coram tulit, quibus ſalutem meam ſemper commiſi, pauca ſuper innocentia mea referam, & quonam conſilio urbi Remorum prælatus ſim ediſſeram

Ego quidem poſt obitum diui Ottonis Aug. cùm ſtatuiſſem non diſcedere à clientela patris mei Adalberonis: ab eodem ignorans ad Sacerdotium præelectus ſum, atque

Digitized by Google

atque in ejus diſceſſu ad Dominum, coram illuſtribus uiris futurus ſum Paſtor Eccleſiæ deſignatus, ſed ſimoniaca hæreſis in petræ ſoliditate me ſtantem inueniens, repulit, Arnulfum prætulit. Cui autem pluſquam oportuit, fidele obſequium exhibui, donec eum per multos & per me apoſtatare palam intelligens, dato repudij libello, cum omnibus ſuis apoſtaticis dereliqui, non ſpe, non pactione capeſcendi ejus honoris, ut mei æmuli dicunt, ſed monſtroſis operibus diaboli uirtutis in effigie hominis latitantis; non idem, inquam, illum dereliqui, ſed ne illud propheticum incurrerem impio præbes auxilium, & his qui oderunt me amicitiâ jungeris, & idcircò quidem iram Domini mereberis. Deindè ſanctionibus Eccleſiaſticis per longa temporum ſpatia in eum peractis legéque peremptoria conſummata, cum nihil aliud reſtaret, judiciaria poteſtate Principis coërcetur, & tamquam ſeditioſus ſed & rebellis à principali Cathedra removetur lege Africani Concilij. ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 995. 2. Paralip. 19.

Iterum à fratribus meis & Regni primoribus Conventus & commonitus ſum, ut excluſo apoſtata, curam diſciſſi & dilaniati ſuſciperem populi; quod quidem diu diſtuli, & poſteà non ſatis ſpontè acquieui, quoniam quæ tormentorum genera me comitarentur, omnimodis intellexi. Hæc eſt viarum mearum ſimplicitas, hæc innocentiæ puritas, & coram Domino & vobis Sacerdotibus in his omnibus munda conſcientia. Sed ecce ex adverſo calumniator vocum novitatibus, ut major fiat invidia, delectus obloquitur: Dominum tuum tradidiſti, carceri mancipaſti, ſponſam ejus rapuiſti, ſedem peruaſiſti. Ita-ne ego Dominum tradidi, cujus numquam fueram ſervus, cui etiam nullum Sacramenti genus umquam præſtitiſſem? Sed ſâ illi ad tempus famulatus ſum, fecit hoc imperium patris mei Adalberonis, qui me in Remenſi Eccleſia commorari præcepit, quoad uſque Pontificis mei ſacrati mores actuſque dignoſcerem. Quod dum operior, hoſtium præda factus ſum; & quæ veſtra munificentia, magnorumque Ducum largitas clara & præcipua contulerat, violenta prædonum manus abſtulit, méque nudum penè gladios evaſiſſe doluit. Denique poſtquam illum apoſtatam dereliqui, vias & itinera illius non obſervavi, nec quolibet modo ei communicavi: quomodo ergo eum tradidi, qui ubi tunc temporis fuit neſcivi? Sed neque eum carceri mancipaui, qui nec nuper ſub preſentia fidelium teſtium conveni, ut propter me nec admonitum ullâ detineretur cuſtodiâ.

Si enim auctoritas veſtra pro me ſtaret, tantum Arnulfus vileſceret, ut mihi obeſſe minimum valeret. Quòd ſi contraria (quod abſit) ſententia veſtra decerneret; quid mea intereſſet, utrum Arnulfus an alius Remorum conſtitueretur Epiſcopus? Iam de rapta ſponſa, ſedeque peruaſa, quod dicitur ridiculum eſt. Dico enim primum, numquam illius fuiſſe ſponſam quam pro legitima donatione ſpiritualis dotis, collatis antè beneficijs expoliavit, proſcidit, dilaniavit. Hæc dum Sacerdotali inſignitus erat .... & jam omnia quæ notatæ ſponſæ fuiſſe videbantur, ſatellites Simonis vaſtaverunt. Dico etiam ſi concedatur, quolibet modo illius ſponſam fuiſſe: utique eſſe deſiit, poſtquam eam pollutam & violatam, & (ut ita dicam) adulteratam ſuis prædonibus proſtituit. Non igitur eam aut quam non habuit, uel quam ſuo ſcelere perdidit, illius ſponſam rapui. Sedem autem multitudine populorum refertam aduena & peregrinus, nullius fretus opibus, perſuadere qui potui? Sed forte Apoſtolicâ Sedes nobis opponitur, tamquam eâ inconſultâ ſummum hoc negotium diſcuſſum ſit uel ignorantia uel contumacia. Certe nihil actum eſt, uel agendum fuit, quod Apoſtolicæ Sedi relatum non fuerit, ejuſque per 18. menſes expectata ſententia. Sed dum ab hominibus conſilium non capitur, ad filij Dei ſupereminens eloquium recurritur: ſi oculus, inquit, tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice illum abs te. Et fratrem peccantem coram teſtibus, coram Eccleſia commonitum & non obtemperantem, decernit, habendum tamquam ethnicum & publicanum. Conuentus ergo Arnulfus & commonitus litteris & Legatis Epiſcoporum Galliæ, ut à cæpto furore deſiſteret, Matth. 5. Matth. 18.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. *Ann.* 993.

dem Sacramentorum rupit conditionibus non ſeruatis. At ij quorum intererat, totiens ſe decipi, totiens bonis ſuis priuari non ferentes Lauduni arcem occupant, Arnulfus inter Regis hoſtes inuenitur, Synodo repreſentatur, pro tot, tantiſque flagitijs rationem reddere depoſcitur, qui diu ſecum atque cum ſuis familiaribus multum deliberans, ſuâ ſponte in confeſſionem peccatorum ſuorum erupit, ſuiſque confeſſoribus alios teſtes adhibuit, crimina ſua in libellum retulit, eique à ſe viuâ voce coram Eccleſia recitato ſubſcribſit, inſignia Sacerdotij depoſuit, eoque ſe abdicauit, confeſſoribus ſuis ac teſtibus atteſtantibus, & reſpondentibus ſecundum profeſſionem & ſubſcriptionem tuam, ceſſa ab officio, &c.

Hæc pro ſuſcepta cauſâ Gerbertus (ſi ei in omnibus credendum eſt.) At cum diſcordiarum motus pro Archiepiſcopatu Remenſi in dies ingraveſcerent, Hugo Rex Francorum Legationem iterum miſit ad Joannem Papam, qua eum ad litem componendam invitat, cujus tenor ſic ſe habet.

Hugonis Regis Epiſtola ad Joannem Papam.

Tendo Remenſis Archidiaconus.

HVgo Rex Papæ Ioanni Beatitudini ueſtræ ego, & Epiſcopi mei per T. Archidiaconum Remenſis Eccleſiæ ſcripta direximus, in quibus Arnulfi rationes vobis explanauimus, ſed hoc nunc obſecrando ſuperaddimus, ut mihi meiſque juſta decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra Apoſtolatum ueſtrum egiſſe ſcimus, quod ſi abſentibus non ſatis creditis, Gratianopolis ciuitas in confinio Galliæ & Italiæ ſita eſt, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere ſoliti fuerunt, hoc ſi nobis placet iterare poſſibile eſt. At ſi nos & noſtra inuiſere libet, ſummo cum honore deſcendentem de Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis obſequijs proſequemur. Hoc ex integro affectu dicimus ut intelligatis & cognoſcatis nos & noſtros ueſtra nolle declinare judicia. Petimus itaque ut T. Archidiaconi Legationem benignè ſuſcipiatis, ut dum quod petit obtinuerit, nos in ſuo aduentu efficiat latos & in ueſtro obſequio feruentiſſimos.

Romani Pontifices Francorum Regibus apud Gratianopolim olim occurrere ſoliti erant.

Quid reſcripſerit Pontifex ignoratur, certum tamen eſt Legatum miſiſſe Leonem Abbatem ſancti Bonifacij in Urbe, qui anno ſequenti indictione octavâ, habuit Moſomi Synodum quarto nonas Junij, in qua Gerbertus qui exauctorato Arnulfo ſuffectus in ejus locum fuerat, patientiſſimè auditus eſt. Orationem autem prædicti Gerberti hic haud inutiliter referendam cenſui.

Oratio Gerberti Archiepiſcopi habita in Concilio Moſomenſi.

Gerberti oratio Synodalis.

SEmper quidem Reuerendiſſimi Patres hunc diem præ oculis habui, ſpe ac uoto ad eum intendi, ex quo à fratribus meis admonitus, onus hoc Sacerdotij non ſine periculo capitis mei ſubij. Tanta erat apud me pereuntis populi ſalus, tanta ueſtra auctoritas, qua me fore tutum exiſtimabam Recordabar præteritorum beneficiorum dulcis atque . . . . . affabilitatis ueſtræ, qua præſtantium ſæpenumero cum multa laude uſus fueram. Cum ecce ſubitò contrarius rumor vos offenſos inſinuat, vitioque dare, quod magna paratum uirtute inter alios conſtabat. Horrui, fateor, & quos antea formidabam gladios, præ indignatione ueſtra poſthabui. Nunc quia propitia diuinitas coram tulit, quibus ſalutem meam ſemper commiſi, pauca ſuper innocentia mea referam, & quonam conſilio urbi Remorum prælatus ſim ediſſeram

Ego quidem poſt obitum diui Ottonis Aug. cùm ſtatuiſſem non diſcedere à clientela patriæ mei Adalberonis: ab eodem ignorans ad Sacerdotium præelectus ſum, atque

gitized by Googl

atque in ejus diſceſſu ad Dominum, coram illuſtribus uiris futurus ſum Paſtor Eccleſiæ deſignatus, ſed ſimoniaca hæreſis in petræ ſoliditate me ſtantem inueniens, repulit, Arnulfum prætulit. Cui autem pluſquam oportuit, fidele obſequium exhibui, donec eum per multos & per me apoſtatare palam intelligens, dato repudij libello, cum omnibus ſuis apoſtaticis dereliqui, non ſpe, non pactione capeſcendi ejus honoris, ut mei æmuli dicunt, ſed monſtroſis operibus diaboli uirtutis in effigie hominis latitantis; non idem, inquam, illum dereliqui, ſed ne illud propheticum incurrerem impio præbes auxilium, & his qui oderunt me amicitiâ jungeris, & idcircò quidem iram Domini mereberis. Deindè ſanctionibus Eccleſiaſticis per longa temporum ſpatia in eum peractis legéque peremptoria conſummata, cum nihil aliud reſtaret, judiciaria poteſtate Principis coërcetur, & tamquam ſeditioſus ſed & rebellis à principali Cathedra removetur lege Africani Concilij. ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 995. 2. Paralip. 19.

Iterum à fratribus meis & Regni primoribus Conventus & commonitus ſum, ut excluſo apoſtata, curam diſciſſi & dilaniati ſuſciperem populi; quod quidem diu diſtuli, & poſteà non ſatis ſpontè acquieui, quoniam quæ tormentorum genera me comitarentur, omnimodis intellexi. Hæc eſt viarum mearum ſimplicitas, hæc innocentiæ puritas, & coram Domino & vobis Sacerdotibus in his omnibus munda conſcientia. Sed ecce ex adverſo calumniator vocum novitatibus, ut major fiat invidia, delectus obloquitur: Dominum tuum tradidiſti, carceri mancipaſti, ſponſam ejus rapuiſti, ſedem peruaſiſti. Ita-ne ego Dominum tradidi, cujus numquam fueram ſervus, cui etiam nullum Sacramenti genus umquam præſtitiſſem? Sed ſi illi ad tempus famulatus ſum, fecit hoc imperium patris mei Adalberonis, qui me in Remenſi Eccleſia commorari præcepit, quoad uſque Pontificis mei ſacrati mores actuſque dignoſcerem. Quod dum operior, hoſtium præda factus ſum; & quæ veſtra munificentia, magnorumque Ducum largitas clara & præcipua contulerat, violenta prædonum manus abſtulit, méque nudum penè gladios evaſiſſe doluit. Denique poſtquam illum apoſtatam dereliqui, vias & itinera illius non obſervavi, nec quolibet modo ei communicavi: quomodo ergo eum tradidi, qui ubi tunc temporis fuit neſcivi? Sed neque eum carceri mancipaui, qui nec nuper ſub preſentia fidelium teſtium conveni, ut propter me nec admonitum ullâ detineretur cuſtodiâ.

Si enim auctoritas veſtra pro me ſtaret, tantum Arnulfus vileſceret, ut mihi obeſſe minimum valeret. Quòd ſi contraria (quod abſit) ſententia veſtra decerneret; quid mea intereſſet, utrum Arnulfus an alius Remorum conſtitueretur Epiſcopus? Iam de rapta ſponſa, ſedeque peruaſa, quod dicitur ridiculum eſt. Dico enim primum, numquam illius fuiſſe ſponſam quam pro legitima donatione ſpiritualis dotis, collatis antè beneficijs expoliavit, proſcidit, dilaniavit. Hæc dum Sacerdotali inſignitus erat .... & jam omnia quæ notata ſponſe fuiſſe videbantur, ſatellites Simonis vaſtaverunt. Dico etiam ſi concedatur, quolibet modo illius ſponſam fuiſſe: utique eſſe deſiit, poſtquam eam pollutam & violatam, & (ut ita dicam) adulteratam ſuis prædonibus proſtituit. Non igitur eam aut quam non habuit, uel quam ſuo ſcelere perdidit, illius ſponſam rapui. Sedem autem multitudine populorum refertam aduena & peregrinus, nullius fretus opibus, peruadere qui potui? Sed forte Apoſtolicâ Sedes nobis opponitur, tamquam eâ inconſultâ ſummum hoc negotium diſcuſſum ſit uel ignorantia uel contumacia. Certe nihil actum eſt, uel agendum fuit, quod Apoſtolicæ Sedi relatum non fuerit, ejuſque per 18. menſes expectata ſententia. Sed dum ab hominibus conſilium non capitur, ad filij Dei ſupereminens eloquium recuritur: ſi oculus, inquit, tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice illum abs te. Et fratrem peccantem coram teſtibus, coram Eccleſia commonitum & non obtemperantem, decernit, habendum tamquam ethnicum & publicanum. Conuentus ergo Arnulfus & commonitus litteris & Legatis Epiſcoporum Galliæ, ut à cæpto furore deſiſteret; Matth. 5. Matth. 18.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 995.

ſiſteret, & ſi ualeret, ſe quodammodò addictionis ſcelere purgaret. Dum monita ſalubria contemnit, habitus eſt tamquam ethnicus & publicanus. Nec tamen idcirco dijudicatur ut ethnicus & publicanus, ob ſedis Apoſtolicæ reuerentiam, ſacrique Sacerdotij priuilegia, ſed à ſeipſo in ſeipſum ſententia damnationis prolata, hoc ſolum in uita ſua prædicare, egiſſe judicatum eſt, quia nimirum ſi eum, ipſo damnante Epiſcopi abſoluerent, pœnam ſceleris ejus incurrerent. Si, inquit, magnus Leo Papa, omnes Sacerdotes & mundus aſſentiat damnandis, damnatio conſentientes inuoluit, non prænaricationem conſenſus abſoluit. Hoc enim Deus omnium judicauit, qui peccantem mundum generali diluuio interemit. Et Papa Gelaſius: ergo, inquit, qui ſemel eſt cum ſuo auctore damnatus . . . . . quolibet prauæ communionis effectu execrationem ſui geſtat & pœnam.

Excluſo itaque illo ab Remenſi Eccleſia, mihi reluctanti, multumque ea quæ paſſus ſum & patior formidanti à fratribus meis Galliarum Epiſcopis hoc onus ſacerdotij ſub diuini nominis obteſtatione impoſitum eſt. Quod ſi fortè quidpiam à ſuis legibus deuiatum eſt: non id malitia, ſed temporis importunit neceſſitas, alioquin tempore hoſtili, omne jus, omneque licitum cauere, quid eſt aliud quam patriam perdere & necem inferre? Silent equidem leges inter arma, quibus ille Odo feralis beſtia ita hoc tempore abuſus eſt, ut reuerendiſſimos ſacerdotes Dei quaſi vilia mancipia manciparet, nec ab ipſis ſacris altaribus temperaret, commeatus publicos intercluderet.

Redeo ad me, reuerendiſſimi fratres, cui ſpecialiter ob ſalutem pereuntis populi, totiuſque Reipublicæ curam, mors furibunda cum ſuis incubuit copijs. Hinc dira egeſtas, horrea, & apothecas armata ſibi vendicat: illic fortis gladius, intus pavor dies ac noctes reddiderunt inſomnes. Sola veſtra auctoritas, ut tantorum malorum leuamen fieret, expectata eſt, quæ tantam vim habere creditur, ut non ſolum Remenſi, ſed etiam omni Eccleſiæ Gallorum deſolatæ, & penè ad nihilum redactæ ſubſidio eſſe valeat, quam diuinitate propitia expectamus, & ut fiat, omnes in commune oramus.

Ita Gerbertus per oravit, appellans Gallorum Epiſcopos, ut non obſcurè apparet, adverſus ſibi adverſantem & per Leonem Legatum urgentem Apoſtolicam ſedem.

Quæ autem ſint iſta ſecuta, & ſi ipſa Synodalia deficiant acta, ſatis tamen expreſſa, dilucidaque ex ejus temporis ſcriptoribus remanſere: nempè (ut audiſti) Gerbertum patientiſſimè auditum eſſe, ipſumque eandem orationem quam dixit, ſcriptam Leoni Legato Sedis Apoſtolicæ porrexiſſe, à quo plenior fuit Synodus Remis indicta, ut ubi Arnulfus fuiſſet ab Epiſcopatus gradu depoſitus, & in eum eleuatus Gerbertus, ibidem jam in ſuam auctoritatem ſacris legibus vindicatis, ſuo vigore pollentes ſternerent, quem magis regia potentia, quam Eccleſiaſtica jura in Cathedram invexiſſent, & reſtituerent quem præter jus, falque, urgente Rege & Epiſcopis illi faventibus, ſe abdicare coëgiſſent.

Sic igitur hoc eodem anno, cum ſummâ diligentia vocati Epiſcopi ad proximè celebrandam Remis Synodum ſe contuliſſent ibidem Cal. Julij. Epiſcopi qui Arnulfum ſede ſua dejecerunt, Remis ſunt à Leone auditi. Dicebant in totius Regni diſcrimine nihil melius & utilius fieri potuiſſe, quam ut tyranno excluſo, utilis populo & regno paſtor conſtitueretur.

Synodus Remenſis poſterior.

Quod verò arguebantur ſine ſedis Apoſtolicæ auctoritate id factum, reſpondebant his verbis: Regij ac noſtri Legati Romam profecti, & Epiſtolas Pontifici porrexerunt, & ab eo indignè ſuſcepti ſunt. Sed ut credimus (Gerbertus iſta inſinuat) quia creſcentio nulla munuſcula obtulerunt, per triduum à Palatio ſecluſi, nullo accepto reſponſo, redierunt.

Baron. ad An. 995.

Quod peccatis noſtris exigentibus prouenire non dubium eſt, ut Romana Eccleſia, quæ Mater & caput omnium Eccleſiarum eſt, per tyrannidem oppreſſa, omnia membra

membra debilitentur. (Hæc Baron.) Deindè nihil ſine præſentia Legati Apoſtolicæ ſedis in cauſa Arnulfi factum eſſe, docuerunt his verbis. *Certè Seguinus venerabilis vitæ Senonenſium Archiepiſcopus Domini Papæ Ioannis vices per Gallias ſibi creditas Romæ innouauit, & ita à latere Apoſtolici cum decreto Priuilegij veniens, ejus vices uſque ad præſens, omnium Epiſcoporum Galliæ conſenſu proſecutus eſt. In hujus ergo præſentia Arnulfus ſeipſum ſacerdotio exuit, atque juxta decreta Apoſtolicorum virorum Zoſimi, Leonis, atque Gregorij petitorio, & confeſſionis, ſeu ita placet dici, abdicationis accepto libello, ſacerdotalia depoſuit ſigna. Pro qua re ad judicium aduocamur, quaſi innocentem oppreſſerimus. Nos verò illum non ſolum non oppreſſimus, ſed etiam per decem & octo menſes, bella, ſeditiones, regni diſſidia molientem tolerauimus.* ARNVLF. XL. ARCHIEP. *Ann.* 995.

Sed videamus quæ ex appendice ad Aimonium addita, ſuperius cœpta recitari, ſunt reliqua. Nuntiavit, *Inquit auctor*, hæc omnia Præſuli Romano, qui valdè indignatus ſuper hoc facto, interdixit ſacris omnibus Epiſcopis, qui Arnulfum dejecerant, & Gerbertum ordinaverant. Miſit quoque Leonem Abbatem à ſede Apoſtolica ad Dominum Seguinum Archiepiſcopum urbis Senonicæ, qui vice ſua in urbe Remenſi Synodum congregaret: mandans illi, ut ſine dilatione reuocaret de carcere Arnulfum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterùm in urbe Remenſi ex juſſione Apoſtolica reuocatus eſt Arnulfus de cuſtodia, & cum honore magno receptus in propriâ ſede. Gerbertus autem intelligens, quod injuſtè Pontificalem ſuſcepiſſet dignitatem, pœnitentiâ ductus eſt. Altercationem verò Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valdè utilem plenius invenies in geſtis Pontificum Remorum. *Aimon. l. 5. Cap. 45.*

Hic ſpectare licet quanta coluerit obſeruantia Hugo Rex Francorum Joannem Pontificem, ut nulla habita ratione eorum quæ in Arnulfum Synodus decreviſſet, neque (quod plurimùm apud Reges etiam Chriſtianos valere ſolet) juris regnandi, ut obſequatur ipſi Romano Pontifici, in Eccleſiam Remenſem reſtitui Arnulfum eductum de carcere patitur, quem ſemper ut germen Carolinæ regnantis hactenus ſtirpis ſibi adverſantem expertus eſſet. Eſt planè in hoc & illud amplius mirandum, quod hoc præſertim tempore tanti fecerit Hugo Romanum Pontificem, quando eſſet contemptui apud ſuos, & à Creſcentio veluti vinctus, vel ſaltem obſeſſus detineretur in palatio, ut non niſi quem Creſcentius vellet, aditum ad illum habere poſſet, & qui Romæ contemnitur à tyranno, in Gallia adeò colatur à Rege.

996.

Gerbertus relicto Francorum regno ſe totum Ottoni Germaniæ Regi addixit, comitatuſque eſt eum in Italiam, ubi cum aliquantiſper Ravennæ conſtitiſſet, mox ejuſdem civitatis Archiepiſcopus è vita migravit, in cujus locum petente Clero & populo ac Regis conſenſu Gerbertus ſubrogatus eſt. Sed & hic ſtatim poſt Gregorij quinti obitum, cogente eodem Imperatore, apud quem gratia plurimùm valebat, ſummum adeptus eſt Pontificatum, mutatóque nomine, Silveſter ſecundus dictus eſt, de quo Helgaldus in vita Roberti Regis tradit eum de ſe ita in R. littera luſiſſe. *Gregorium hic ſanxit ut penes ſolos Germanos ſit jus eligendi Regē.*

qui poſt diadema à ſumme Pont. acceptum, Imperator nominaretur. Baron. hic & ad an. 1004.

Scandit ab R, Gerbertus in R, poſt Papa viget R.

Gerbertus priuſquàm partes iniret Ottonis ſcripſit Epiſtolam Adelaidi Reginæ, quæ videtur apud Baron. ad an. 995. & ſic incipit.

Dominæ & Glorioſæ Adelaidi Reginæ ſemper Auguſtæ Gerbertus Dei gratia Remenſis Epiſcopus, &c.

Arnulfus

Digitized by Google

ARNVLF. XL. ARCHIEP.

Ann. 997.

Arnulfus Priſtinæ dignitati reſtitutus Privilegium recipit à Silveſtro II. De Azelino Laudunenſi, & de Fulradi S. Vedaſti Abbatis proclamatione ad ſedem Remenſem.

CAPUT XVII.

SIC igitur Arnulfus, Rege conſentiente, cuſtodiâ tandem exemptus, Pontificatui reſtituitur, palliumque à Gregorio V. Joannis ſucceſſore per Abbonem Floriacenſem directum recepit, quod anno ſequenti accidiſſe clarum eſt; tum ex contumacia Gerberti qui ſubnixus ope Roberti Regis hoc anno Genàbi ſeu Aureliæ coronati, ex Alberico, ad ampliorem Synodum provocaverat, tum ex vita Abbonis. Nam cum Gregorius propter injuſtum carcerem Arnulfi toti regno Francorum anathema ſe invecturum comminatus eſſet, prædictus Abbo à Rege ob hanc præcipuè cauſam, Romam miſſus eſt, cui confeſtim injunctum ut regreſſus in Galliam, Arnulfum nullâ morâ interpoſitâ ſedi ſuæ reſtitueret, quod & præſtitit, palliúmque coopertum ut à Pontifice acceperat, reverenter obtulit.

998. Viguit hoc anno 998. hæreſis Leutardi Diœceſis Catalaunenſis Gebuino Epiſcopo convictus & confutatus.

Gerbertus interim ſummum Pontificatum adeptus poſt Gregorij V. obitum, ut erat generoſæ indolis, ſic grati animi monimentum erga ſedem Remenſem, cui aliquando præfuerat, teſtatus eſt inſigni quidem privilegio ad Arnulfum miſſo, ut ſic ne-quidem odij vel tumultatis vmbram in eum apud ſe relictam eſſe omnibus patefaceret: quod cum inaugurationis Regum ſeu benedictionis mentionem faciat, non abs re erit huc referre, quamvis Papirius Maſſo & quidam alij dudum ex manuſcripto codice ſancti Remigij deſumptum, publici juris fecerint. Sic autem ſe habet.

Arnulfo Archiepiſcopo Remenſi.

999. *Silveſter Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Arnulfo ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Apoſtolici culminis eſt, non ſolum peccantibus conſulere, verum etiam lapſos erigere, & proprijs privatos gradibus, reparatæ dignitatis inſignibus reformare, ut & Petro ſolvendi libera ſit poteſtas, & Romanæ gloriæ ubique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remenſi Archiepiſcopo, quibuſdam exceſſibus Pontificali honore privato ſubvenire dignum duximus, ut quia tua abdicatio Romano aſſenſu carnit, Romanæ pietatis munere credaris poſſe reparari. Eſt enim Petro ea ſumma facultas, ad quam nulla mortalium æquiparari valeat felicitas. Concedimus ergo per hujus privilegij noſtri ſtatuta tibi, baculo & annulo redditis, Archiepiſcopali officio fungi, & omnibus inſignibus quæcumque ad ſanctæ Metropolim Remenſis Eccleſiæ pertinent ſolito more perfrui, pallio ſolemnitatibus ſtatutis utaris, Benedictionem Regum Francorum, & tibi ſubjectorum Epiſcoporum obtineas, & omne Magiſterium, quod tui Anteceſſores habuiſſe viſi ſunt, noſtrâ auctoritate Apoſtolicâ geras. Præcipimus etiam ut nullus mortalium in Synodo, aut in quæcumque parte, Abdicationis tuæ crimen, tibi quoquomodo opponere præſumat, vel hac occaſione in improperij contra te verba exardeſcat, ſed noſtra te auctoritas muniat, etiamſi conſcien-*

Hic Silveſter Arnulfi crimen non diſſimulat.

Regum Benedictio ſeu conſecratio Remenſi Archiepiſcopo confirmatur.

Digitized by Google

conſcientiæ reatus accurrat. Confirmamus inſuper tibi, & concedimus Archiepiſcopatum Remenſem in integrum, cum omnibus Epiſcopatibus tibi ſubjectis, ſeu cum omnibus Monaſterijs, plebibus, titulis, Capellis, atque cortibus, Caſtellis, Villis, atque Caſalibus, & cum omnibus rebus ad Eccleſiam Remenſem pertinentibus, ſaluo & inviolabili teſtamento Beati Remigij Francorum Apoſtoli: ſtatuentes Apoſtolicâ cenſurâ ſub divini judicij obteſtatione, & Anathematis interdictione, ut nulli umquam noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, vel alia qualibet magna, parvaque perſonna hoc noſtrum Privilegium infringere liceat. Si quis uero (quod abſit) hoc Romanum decretum uiolare tentauerit, Anathema ſit.

ARNVLF. XLI. ARCHIEP. An. 999.

Extat etiam prædicti Silveſtri Papæ Epiſtola ad Azelinum Epiſcopum Laudunenſem, qua publicis eum accuſat crimnibus, maximè verò perfidiæ ac proditionis in Regem, & Remenſem Archiepiſcopum, cujus hic tenor eſt.

Azelino Epiſcopo Laudunenſi.

1000.

Silueſter Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Azelino Epiſcopo Laudunenſi, ſuper ſalute, & Apoſtolica benedictione. Nihil eſt quod admirari poſsis, quoniam ſub Pontificali nomine, homo etiam moribus eſſe deſijſti; ſi fides mortalem Deo ſociat perfidia nihilominus rationalem brutis animalibus æquat. Cum hoc totum te ſapere conſtet, uehemẽter admiramur, natiuam te conditionem reliquiſſe, & noua & inaudita ſcelera inhumaniùs perpetraſſe. Epiſtola Regis Roberti & ſuorum Pontificũ Apoſtolicis & Imperialibus oblata eſt manibus, quæ te corã uniuerſo Clero ac populo his publicis accuſat criminibus. Ad Synodum habitam compendio, cum à Remenſi & Turonenſi Archiepiſcopis, cæteriſque confratribus inuitatus fueris, acceptis à quibuſdam eorum & aliorũ Sacramentis, pro vitæ & membrorum, atque captionis ſecuritate, tandem uenisſe diceris, Synodalem ſeueritatem cum tibimetipſi conſcius merito perhorreſceres, ad miſericordiæ preces eâdem Epiſtola teſte veniſti, legibus te non poſſe objectis reſpondere manifeſtaſti, DOMINVM TVVM REGEM offendiſſe te non negaſti, indulgentiam tantummodo poſtulans per univerſam Synodum Regis gratiam innovatis perjurijs obſtinuiſti, datis obſidibus Archidiacono ſcilicet tuo, & altero Milite. Turres Lauduni te redditurum promiſiſti, Magiſtrum tuum Remenſem Archiepiſcopum pro accipiendis turribus ſub jude ſpecie tecum ducens, capere voluiſti, caris quippè fraudis in eum concepta detegit dolum. O Iuda Magiſtri proditionem innouans, & Pontificalem gloriam noſtris temporibus deturpans! cum Magiſtrum Archiepiſcopum tradere uelis, Domino Regi non parceres ſi poſſes in carcere tenes traditos Milites, & fefelliſſe non uereris Regem, ex orationum Epiſtolis quoties te monuimus, & ab his periculis eruere te deſideraumus? ſed quoniam irruentibus peccatorum cumulis te coercere nequiuimus, in hoc proxima Paſchali hebdomada Roma te adeſſe præcipimus, &c.

Azelinus nova ſcelera perpetrat ſub Arnulfo. De Azelino vide ſupra cap. 29.

De nova hac fraude ſeu perfidia Azelini Laudunenſis, nihil habetur apud Auctores: incertum quoque eſt an is Azelinus quem vetulum traditorem, ac Ducis Caroli conſiliarium vocat Hugo Floriacenſis poſt Eginaldum ſit idem cum Adalberone, qui ſub Ludovico Lotharij Regis filio è ſua ſede pulſus fuit, & qui in Hugonis Regis diplomate laudatur anno 987. Quod accidere putamus ex littera ſingulari A utriúſque nominis, quæ in publicis inſtrumentis plerúmque ſolitaria reperitur. At cùm ſtatim Azelinum apud Silveſtrum, & in Chartis Benignianis anno 1015. Adalberonem verò apud Fulbertum, & Baldericum promiſcuè vocatum legamus, binomium fuiſſe arbitramur, ut etiam ſentit Guibertus de Novigento. Nec mirum videri debet, cùm in Chronico Frodoardi ad annum 977. legamus prædictum valdè juvenem ad Epiſcopatum Laudunenſem promotum ævi plenum objiſſe, ut etiam Fulbertus teſtatur Epiſtola 46. & Necrologium Laudunenſe his verbis.

Chartam Hugonis habes primo Regni eius ſupra cap 13.

Baldericum in Hiſtor. Camer. lib. 3. cap. 24. & 26.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 1002.

Hic ævi plenus deceßit Adalbero Præſul.

OTto Imperator viribus audax, & exercitu pollens Romam profectus, virtutem Romani Imperij, moréſque Clericorum pravis uſibus vitiatos, ad normam Prioris gratiæ reformare cogitabat, & ad hoc Romanos loci accolas quodam lenocinio ſuis Teutonicis præferens, conſiliarios adhibuit. At quo inclinatiorem his præſtabat gratiam (ut ſe habet eorum effrenis inæqualitas morum) amicitiam ſeditione mutarunt, ipſúmque Imperatorem coacta manu in Palatio clauſere per triduum, actúmque de illo erat, ni Henricus Dux Bajoriæ, Hugóque Marchio Italiæ ſubveniſſent. Sic itaque Imperator cum Silveſtro Papa Roma egreſſus, Ravennam, Provinciarúmque urbes peragrat, & ad ulciſcendam irrogatam injuriam cogit auxilium: at dum hæc intendit, morbo correptus, diem clauſit an. 1002. extinctúmque in eo eſt penitus ſtemma regnantium Ottonum, nonniſi in nepotem magni Ottonis propagatum.

Ita Sigebertus & Baldericus. Alij aliter rem exponunt apud Spondanum. Hic Otto 3. à Pontifice diadema primus accepit Palmerium Objitque an. 1002. cui Henricus ſucceßit.

Poſt hunc Lotharienſes Henricum Henrici Ducis Bajoriariorum filium ſibi legunt ad Regni Imperium, virum moribus pium, conſilio providum, ac defuncti Imperatoris proximè conſanguineum, qui rogatus ab Aſcetis Remigianis immunitates Alodij de Coſſe ab Anteceſſoribus Regibus inſignitas, etiam ſequentis teſtamenti pagina, ſtudio, & hortatu Cunegundis Reginæ uxoris ſuæ corroboravit.

Præceptum Henrici Germaniæ Regis Cœnobitis Remigianis conceſſum.

Cur Privilegia Monaſteriis dentur.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Quoniam Regiæ dignitatis officium eſſe conſtat ut Monaſteria Deo, & ſanctis ejus dicata, ob conſervandum ſanctæ Religionis ſtatum, novis ſemper Priuilegijs contra omnes infeſtantium incurſiones muniantur. Idcircò nos interuentu dilectæ conjugis noſtræ Reginæ videlicet Cunegundis, fidelis etiam noſtri Epiſcopi Notheri, Regiæ noſtræ auctoritatis ſcriptum ſiue præceptum Monachis Deo ſanctóque Remigio eximio Francorum Doctori ſub regulari diſciplina in ſuburbio Remorum militantibus, à magno Ottone conceſſum, Regij etiam nominis auctoritate à Deo nobis collata roborare decreuimus. Vndè uolumus & firmiter jubemus, ut CVRTEM, COSLAM vocatam cum omnibus appenditijs ſuis ad jus, & proprietatem ejuſdem beati Remigij pertinentem, infra Regni noſtri terminos conſtitutam, quam omnibus retro temporibus ſub anteceſſoribus noſtris beneficiariam pro ſtatu & incolumitate regni uel Imperij ſui idem magnus Otto ad uſum prædicti Cœnobij ſicut & nos modò remiſit, & abſoluit, Monachi ibidem Deo, ſanctóque Remigio famulantes abſque ullius contradictione teneant, & poßideant, & quidquid utilitatis exindè prouenerit ſuis & ut libuerit uſibus adjungant.

Nullus etiam judex uel aduocatus hinc aliquid exigendi habeat poteſtatem, niſi quantum Abbas, aut Monachi ejuſdem Cœnobij dederint uel permiſerint. Et ut hoc noſtræ auctoritatis præceptum firmum & ſtabile permaneat, hanc Chartam conſcribi & annulli noſtri impreßione ſignari jußimus, quam & propria manu ſubter firmamus.

Signum Domni Henrici inuictiſſimi Regis.

Egilbertus Cancellarius vice Vuilligigis Archicancellarij recognoui. Data 5. idus Septemb. anno Dominicæ incarnationis 1002. indictione 1. anno verò Domini Henrici Regis primo. Actum Aquiſgrani.

Hinc

Digitized by Google

Hic etiam Henricus Rex Boſoni Abbati ſancti Medardi Sueſſionenſis conceſſit, interventu Friderici Comitis, facultatem ædificandi mercatum in villa quæ vocatur Doncherium infra diœceſim Remenſem, de qua ſuperiori tomo cùm Imperialis ejuſdem loci Prioratûs fundationem retulimus, undè Regis Privilegium hic iterum ſubnectere ſupervacaneum eſt, ne idem ſæpius repetatur. ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 1092.

Quid interim Arnulfus geſſerit, poſtquam tanto molimine ſedi Remenſi reſtitutus eſt, vix quidquam certi habetur. Refert Baldericus Fulradum ſancti Vedaſti Abbatem ſæpius à Rothardo Cameracenſi Epiſcopo monitum fuiſſe ut ad meliorem frugem rediret; at hunc paſtorali curâ neglectâ, plus nimio ſæcularibus oblectamentis indulſiſſe, quibus ut vacaret ſecurius, callidè Epiſcopum inter, & Flandrenſem Comitem odiorum ſparſiſſe ſemina, palámque jactare ſolitum habere ſe ſancti Vindiciani Privilegium Apoſtolica auctoritate firmatum, quo omnes inquietudines beatus ille Epiſcopus à Monaſterio Vedaſtino prudenter excluſit. Sed cùm nihil proficeret (privilegia ſi quæ ſunt Monachis, ut quietè ſecundùm regulam, non ut turpiter vivant concedi) paululùm reſipiſcens ad deditionis jugum ingratis pro tunc reflectitur. *Balder. lib. 1. cap. 117.*

At effrænata ipſius rabies iterum ſub Erluino Rothardi ſucceſſore inſolentiùs deſævijt, graviora quàm priùs (incentore diabolo) perpetrans quibus ut occurreret Epiſcopus, Atrebati in Clauſtro Monachorum coacto Concilio, tractavit cum Comite (quem Fulradi fallaciæ amplius non latebant) quid de eo agendum eſſet, & comperto quòd Religionis prorſus nihil haberet, pervicaciæ verò plurimùm, legaliter ab eo exauctoratur.

Fulradus raptâ ſecum pecuniâ, quam de rebus ſancti Vedaſti furto ſubtraxerat, Remenſis Eccleſiæ tribunal expetens, ærumnoſam ſortem Arnulfo Archipræſuli dolenter exponit, ſi quo modo lachrymis eum, vel muneribus flectere poſſet. Illum námque & miniſtros ejus oppignerayit pretio, ut ſibi, quaſi per præjudicium depoſito, aditus ad ſuam dignitatem iterum pateret. *Erat enim ipſe Archiepiſcopus degener animi* (ait Baldericus) *& quamvis ſupradictæ inſtitutionis conſultibus præjudicare non poſſet; donorum tamen avidus recipiebat oblata, ſuæ quidem avaritiæ magis, quàm illius conſulens cauſæ, in cujus ferendo ſuffragio, dum aliquanto temporis intentionem ſpei ſuſpenderet in ipſa urbe Fulradus, turpem converſationem agens, cum Iudæis negotia exercebat; at miſer interim morte præventus, divinæ ultione percuſſus impœnitens, nec confeſſus, diem obÿt.* Hactenus Auctor Chronici Cameracenſis, qui avaritiæ labem Arnulto Præſuli audatius impingit, quaſi à majorum ſuorum virtute turpiter deflexiſſet, quod vix crediderim, cùm Belgici ſcriptores nimium proclives ſint ad vituperandum, itaut ne ipſis etiam (maximè ſi Galli ſint) Romanis Pontificibus parcant. *Locum aliud Chronicon citat in quo hæc de Arnulfo non habentur fol. 170.*

Tradit Chronicon Flaviniacenſe ſub Arnulfo Archiepiſcopo, Richardum nobiliſſimâ Francorum ſtirpe, progenitum Remenſi Eccleſiæ litteris humanioribus à pueris fuiſſe traditum, qui in ea tantæ indolis ſpecimen dedit, ut ob egregios mores Præcentoris & Archidiaconi officium obtinuerit. Tum enarratis quæ ſtrenuè exſecutus eſt, quamdiu penes ipſum Remenſis Eccleſiæ ſtetit magiſterium, quiddam ſcitu dignum de eo refert, quod hîc ijſdem verbis inſerendum curavimus.

Chronicon Flaviniacenſe de Richardo Remenſis Eccleſiæ Decano.

SOlebat hic (inquit) ante crucem oratione quotidiana dicere, *Adoro te Chriſte Crucem aſcendentem, & benedico te.* Quam cum die una multa per- « *An.* 1003.
oraſſet inſtantiâ, ſurgens ab oratione, & Crucifixum cum lachrymis aſpiciens, «

ARNULF. XL. ARCHIEP. An. 1003. audivit vocem dicentem ſibi, *Tu me in terris benedixiſti, & ego benedico te*, Et elevata dextera, qui erat in forma Crucis, benedixit eum, quâ dulcedine compunctus gratias egit Sacerdoti ſummo. Chronici auctor Rodomi exiſtens, hoc ſe audiviſſe narrat ab Hugone Archidiacono Rotomagenſi, qui Remis in Eccleſia ſanctæ Mariæ præſens adfuit quando hæc geſta ſunt.

Addit idem Chronicon, Richardum, cùm abſque licentia Remenſis Archiepiſcopi monaſticum habitum ſuſcepiſſet, revocatum fuiſſe ab Archiepiſcopo, quaſi ab Eccleſia Remenſi inordinatè receſſiſſet, at conſolatum fuiſſe à Fingenio Abbate, qui R. Archiepiſcopo chartulam miſit hæc continentem: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, quam ille ſuſcipiens, & vim verbi diligentiùs perpendens: *Meritò* (ait) *abijt, qui ſpiritu Dei ductus eſt, & ideo à nobis repetendus non eſt.* De Richardo infra non nihil addemus.

Ad Calat. Cap. 5.

Silveſter Pontifex, Gerbertus antea dictus, obit. Renovantur Eccleſiæ per Gallias. Leutardus hæreticus apud vicum Virtuti inſanit. Arnulfus Gerardo Cameracenſi reliquias Ss. Mauri & Timothei impertit, defungitur.

CAPUT XVIII.

SILVESTER Papa, poſtquam ſedis ſuæ annum jam quintum inchoaſſet, obijt die 12. menſis Maij anno 1003. cujus geſta, cùm Remenſem Archiepiſcopatum Gerberti nomine tenuit, ſupra retuli, & adhuc infra aliquid referam, quæ verò ut ſummus Pontifex geſſit, inſtituti mei non ſunt.

Addendum tamen quod (ut opinor) ſcitu dignum eſt, præter epiſtolas perbreves antè Remenſem adeptum Archiepiſcopatum Remis ſcriptas, & nuper è Bibliotheca doctiſſimi Papirij Maſſonis in lucem emiſſas, aliquot alias à reverendo Patre Ludovico Jacob Carmelita non vulgaris litteraturæ viro, de Aſtronomia & Mathematica, & de alijs artibus ſeu ſcientijs, ex Bibliothecâ pontificiâ excerptas, videre potes, è quibus ſcientiæ ejus ſublimitas innoteſcit. Sed quod etiam laudi ejus plurimùm cedit, ex epiſtola cujus hæc eſt inſcriptio. *Ad univerſalem Eccleſiam ſceptris Regnorum imperantem*, conſtat primum hunc ſacræ militiæ claſſicum occinuiſſe.

Ingentem Remis ſibi comparaverat librorum congeriem Gerbertus, ex Epiſt. lib. 3. cap. 4.

Glaber narrat per hæc tempora contigiſſe in univerſo penè terrarum orbe, præcipuè tamen in Gallijs, innovari Eccleſiarum Baſilicas, licèt pleræque decenter locatæ, minimè indiguiſſent: æmulabatur tamen quæque gens adversùs alteram decentiore frui. Erat enim inſtar ac ſi mundus ipſe ſemel excutiendo, rejectâ vetuſtate, paſſim candidam Eccleſiarum veſtem indueret, ut ſtatim de renovatione beati Remigij diſſerendo videbimus; quæ quidem accidiſſe putat Baronius ex eo quòd videntes Chriſticolæ, jam lapſo tempore evanuiſſe, quæ de mundi interitu fuerant conſtanti aſſertione prædicta, quaſi tanto diſcrimine liberati, alacres ad Eccleſias erigendas ſurrexerunt: multa ſiquidem de adventu Antichriſti circa annum milleſimum ſparſerant inſani quidam ex plebe, quos egregiè refutarunt Abbo Floriacenſis, & Richardus quondam Remenſis Decanus, adeo ut hujus ſæculi initium viſum ſit arte diaboli obſcurari nubeculis, etiam in provincia Remenſi, quæ ſtatim evanuerunt.

An. 1004.

Plebeius

Plebeïus ſiquidem homo apud vicum Virtuti vocabulo, in Pago Catalaunenſi Leutardus nomine (Fanaticus furor ejus facit ut meminerimus) eò veſaniæ devenit, ut Satanæ Legatus certò credi potuerit. Nam cum in agro ſolus aliquando labore depreſſus obdormiſſet, apum viſione illum dire exagitantium à dæmone illuſus confeſtim exurgens, quaſi ex præcepto Evangelico dimiſit uxorem, Eccleſiámque velut oraturus ingreſſus, Crucem & Salvatoris imaginem contrivit, perſuadens ruſticis hæc ſe ex Dei revelatione patrare, decimas quoque dare inane eſſe docebat ex ſcripturâ, homo inſaniſſimus eâ abutens ad libitum, haud paruam ad ſe trahebat vulgi multitudinem. Sed cum illum ad ſe accercitum vir eruditiſſimus Libuinus Epiſcopus Catalaunenſis diſputatione confudiſſet, miſer ille Pſeudo-apoſtolus deſperatione adductus, in puteum ſe præcipitavit. Nonnulla alia refert idem auctor de ejuſmodi Diaboli conatibus per inſanos homines, quæ Joannis Prophetiæ omnino competere videntur, qua dixit expletis mille annis Satanam eſſe ſoluendum.

ARNVLF. XL. ARCHIEP. *An.* 1004.

Idem cap. 15.

Erluino Cameracenſi ad Patres appoſito 3. Februarij, Epiſcopales infulas non pauci Lotharienſes ambiebant. At Henricus Imperator Principum conſilio uſus, Gerardo Capellano ſuo, quem in pueritia Adalbero Remenſis Archiepiſcopus pro conſanguinitate ſecum ſub regula Canonica degentem, familiariter educaverat, eas meritò illi impertijt. Erat enim ex Lotharienſium ac Karlentium parentibus non infimis editus. Hic igitur inſignis prudentiæ vir obſervantiam ſuam erga Metropolim Remenſem Matrem ſuam in hoc vel maximè teſtatam eſſe voluit, quod & ſi honorabilius in civitate Bavemberg coram regia pompa, & Lotharienſi ſolertia ſciret ſe ordinandum, ut Imperator ſuggeſſerat, in cujus erat comitatu, tamen loci amore quo nutritus fuerat captus, à nullo quidem niſi à Metropolitano Remenſium Archiepiſcopo ſe ordinatum iri reſpondit. Quippè ſatis providè, competenter conſiderans, ne fortè videlicet etiam ipſe conſuetudini ſedis Metropolitanæ contraïre videretur, quod domnus Erluinus Epiſcopus ob diſcordiam inter Gerbertum & Arnulfum, Romæ ordinationem ſuſceperat. Quo audito Imperator altioris conſilij illum advertens, data reditus licentia, largitus eſt librum conſecrationis Clericorum, & ordinationem Epiſcopi continentem, ut per hunc videlicet conſecratus haud fortaſſe quidem indiſciplinatis moribus Karlentium irregulariter ordinaretur. Nec multò poſt paratis viaticis Eccleſiam Remenſem petens ſummâ cum veneratione ordinatur. Hæc Baldericus Cap. 2. cujus ſatis mirari non poſſum (abſit verbo injuria) vel ridiculam jactantiam, dum præfert Lotharienſes ritus Gallicanis, aut certè rituum Eccleſiæ Remenſis quæ in obſervandis cæremonijs longè excellit, perfectam inſcitiam, eo vel maximè quod ex hiſtoria conſtat ab Hincmaro Remenſi, qui ſub Karlenſibus vixit, Lotharienſes modum ſeu formulam conſecrandi Epiſcopos didiciſſe.

Obijt Erluinus anno 1018 & ſic vacavit ſedes 15. menſibus.

1012.

Patet id ex Frodo. cum Hincmarum Ioann. Camerac. cum Epiſcopis Laudun. & Belvac. Treuiros miſit ordinatione Bertulfi Archiep. item ex ipſo Balder. lib. 1. cap. 5.

Gerardus Cameracenſis patre defuncto apud Florinas pro loci reverentia quo natus fuerat, Monaſterium ſancti Ginculfi imperfectum à patre relictum, ad finem perduxit. Aliud quoque ſancti Joannis ex rebus ſuis fundavit, hoc quidem Clericorum, illud Monachorum, utrúmque annuente Baldrico Leodienſium Epiſcopo in cujus Parochia ſunt, conſecravit. Ipſa verò ſancti Joannis Abbatia domno Richardo Abbati commendatâ, idem Gerardus cœpit cogitare apud ſe quomodo eam Sanctorum reliquijs locupletaret: Et quoniam ſtricta quædam intercedebat neceſſitudo inter eum, & Arnulfum Remenſem Archiepiſcopum, petijt ab eo quandam venerabilium oſſium partem ſanctorum Martyrum Mauri & Timothei, quæ olim oſculatus fuerat cum Remis ageret, quod & obtinuit, ut fidem faciunt prædicti Arnulfi ac Capituli Remenſis litteræ, quas Molanus retulit in ſuo Martyrologio, è quibus verba hæc preſertim excerpſimus.

1013.

Chron. Camerac. lib. 3. cap. 18.

Fecimus

ARNVLF. XL. ARCHIEP. *Ann.* 1013.

Fecimus cum proximo noſtro Arnulfi filio quod caritas movet, & convicti ejus precibus prò voto petitionis contulimus talentum pretioſiſſimi ponderis Corpus Domini ac Deo digniſſimi Præsbyteri, & Martyris Mauri, qui ab Apoſtolis veniens Remenſis noviter fundatæ Eccleſiæ columna fuit, & tanto libentius id fieri decrevimus, quanto Notgeri Anteceſſoris veſtri ſanctæ Memoriæ, erga hujuſmodi rem, benevolentiam novimus. Cæterùm ne ſedes Epiſcopalis Patrocinio tanti fruſtretur Patroni, caput prædicti Martyris in eburnea theca reconditum reſervavimus: pro quo aliud eorum, qui cum eo paſſi ſunt mittere dignum duximus Timothei videlicet . . . . . hinc tertio nonas Novembris idem auctor ſic ſcribit. In vico Florinenſi exceptio corporis beati Mauri egregij Martyris. Cum expreſſa mentio, ut & ſancti Timothei habatur in Monaſterio Florinenſi.

B. Mauri columna Remenſis Eccleſiæ.

1014.

1018. Arnulfus qui ſtatim à ſua in auguratione Majus altare Eccleſiæ Moſomenſis vocatus à Baſone Abbate conſecrat, hoc anno ibidem exiſtens, Monaſterio dedit piſcationem Cari fluminis ſecus Duziacum decurrentis uſque ad Moſam, Altare etiam ejuſdem loci de Duziaco, & de Colredo vulgo Coroy in territorio Remenſi cum duabus tunicis dictionalibus. Anno item 1018. Fundationi Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Laurentij de Rozero ab Hilgando ejuſdem loci Dynaſta ſubſcripſit, tum moribus ipſe & annis maturus ſæculi ærumnas conſummavit 3. Nonas Martij, vel pridiè Nonas. Quo verò anno, ſunt diſcrepantes ſententiæ, quidam ut Colvenerius & Democharis putant an. 1009. obijſſe, quos à verò penitus aberrare probant ea quæ de Gerardi conſecratione ſupra retulimus. Sammarthani citant Privilegium Monaſterio Latiniaco conceſſum an. 1019. cui Arnulfus Archiepiſcopus tamquam regni Cancellarius ſubſcripſit, quem ego auguror eſſe Remenſem. Auctor Chronici Moſomenſis refert Arnulfi obitum an. 1021. Albericus 1023. cui ſubſcribendum puto, alioqui plures annos vacaſſet ſedes Remenſis, quod veriſimile non eſt, cum Guidonem Epiſcopum Silvanectenſem electum an. 1024. hortetur & moneat Fulbertus Carnotenſis ut interſit tamquam Suffraganeus Provinciæ Remenſis, conſecrationi Ebali Arnulfi ſucceſſoris. Arnulfus igitur vitâ functus in Eccleſia beati Remigij quam bonis cumulaverat tumulatus eſt, cui Aſceta quidam ſequens cecinit Epitaphium quod lapidi affixum adhuc cernitur è regione ſummi Altaris ad latus Evangelij.

Piſcaturam.

Hic jacet Arnulfus regali ſtemmate fuſus,
Remorum Præſul, nulli pietate ſecundus.
Spes inopum, pes debilium, Paſtor Monachorum,
Aſſertor veri, rigidi ſervator honeſti,
Quem fera mors rapuit, qua nulli parcere novit.
Flete Patrem Monachi, lachrimarum fonte perenni.

1023.

Glaber. lib. 3. cap. 2. Dithmarus de rebus Henrici, 6 Cal. Auguſti factum colloquium, Fulb. Epiſt. 13.

MEnſe Julio exeunte ejuſdem anni 1023. contigit memorabile colloquium Henrici Imperatoris cum Roberto Rege in finibus Remorum Diœceſeos, cujus meminit Sigebertus in Chronico, traditque quam Urbanè & comiter Robertum Imperator primum convenerit (ſpretâ Aulicorum ſuaſione, qui mutuum congreſſum paratis hinc indè navibus in fluminis medio faciendum cenſebant.) Quod Baldericus retulit jejunè admodum his verbis. *Imperator Regi Roberto cum ad ſe veniret in Villa Moſomo occurrere exiſtimavit*, Poſt hæc verò Rex Imperatorem convenit apud Evoſium patriam ſancti Gangerici, ubi ſe mutuis utrimque excepere muneribus. Fertur Moſomenſis Monaſterij poſſeſſiones in Imperio ſitas ab Henrico, Abbate petente, hoc eodem anno fuiſſe confirmatas lib. 3. cap. 37.

Ortum

Digitized by Google

ARNVLF. XL. ARCHIEP. An. 1023.

Ortum in consecratione Bertoldi Sueßionensis dißidium Sedat Gerardus Cameracensis, & intercedit ne Ebalus eligatur Remensis Archiepiscopus.

CAPUT XIX.

REMENSI Ecclesia vacante post obitum Arnulfi cogitur Synodus Provincialium Episcoporum Sueßionis pro consecrando Bertoldo in locum Deodati recens mortui. Azelinus Laudun. Episcopus, qui propter seniles annos auctoritate, & experientia pollebat, Harduinum Noviomensem callidè & fraudulenter criminatus est, extorrem eum & indignum fraternâ conventione coram Coepiscopis dictitans. Et ut id clarius innotesceret, litteras ex nomine domni Apostolici falsò signatas profert in medium, quibus patebat Harduinum pro multis criminibus anathematizatum. Cúmque pellectis jam suâ nequitiâ quibusdam Episcopis, Gerardum quoque Cameracensem in suas partes illicere conaretur, hic perversa ejus commenta declinans (quamvis Harduini lapsus aliquot non nesciret) longè ab eo dissensit, judicans Harduinum nequaquam judicio ejus debere damnari, cujus consilio objecta crimina perpetrasset, à Capellanis enim eorum Harduinus, hortante Azelino, quædam turpia fecisse didicerat. Horum verò contentio diu utrinque ventilata eo usque processit, ut suadente Diabolo ad arma volare parati essent, nisi Dominus Gerardus Camerac. partim blandimento verborum luctam, partim alterutrum expugnans ad tempus difficilimè tranquillasset.

Ex Balder. lib. 3. cap. 24 & 28.

Procedente verò tempore, cum simultas inter eos exorta sopiri non posset, ad Synodum in monte sanctæ Mariæ conveniunt Episcopi, ubi Azelinus timens objectiones Harduini quem suspectum habebat, illius commenta pervertens sibi consuluit, Epistolámque quam de Harduini culpis inscripserat uni Episcoporum porrexit legendam, quæ cum altâ voce in medio legeretur, auditum est anathema esse inter eos Harduinum videlicet ibi adstantem & Azelinum; quo lecto Synodus perturbatur, magnáque altercatio facta in alteram Synodum diligentius discutienda defertur quando autem, ubi coacta, & quisnam hujus discordiæ finis silet historia.

Agitur interea de electione Metropolitani inter Provinciales Episcopos. Azelinus Laudun. ut erat cæteris audacior, quidam Laïcum Ebulonem nomine, antea suum secretarium, & suæ calliditatis consium acclamavit, & ut Rex concederet suis adulationibus impetravit. Virum sanè (si Balderico credatur) nullius disciplinæ, nihil etiam litterarum, præter pauca syllogismorum argumenta scientem, quibus idiotas ac simplices quosque ludificari solebat. Sub specie verò litterarum ad tanti honoris fastigium dudum inhians, spem suam pecuniâ quam usuris turpiter coacervaverat, fovere nitebatur. Azelinus quoque in hoc maximè ingenij vim intendere cœpit, quo liberius per eum suas calliditates exerceret. Ad hujus tamen ordinationem vocatus Gerardus Cameracensis altiùs reclamavit, & hoc indignum (ut postea probavit eventus) & contra divina eloquia factum juxta

Item B. Balderic. cap. 29.

Patres indignos censuêrunt sæculares qui in ministerio Ecclesiastico essent exercitati. D. Greg. lib. 7. Regist. Epist. 118. ad Brunichildem Reginam. Extat etiam Can. 5. Octavæ Synodi gener. Ne Laycus in Episcopalem provehatur dignitatem. Vide Concil. Valent. sub Ludovico Imper. cap. 7. Atrebat. 2. cap. 1. Aurel. 5. cap. 11. Godefrid. Vindoc. Epist. 1.

illud

ARNVLF. XL. ARCHIEP. illud Apoſtoli *Non Neophitum* vivâ contradictione redarguit. Ita Balderi-
cus lib. 3. Gerardi nihilominus reclamatio irrita fuit, & Ebalum Præſulatu
non indignum res ab eo geſtæ poſtea comprobarunt. Nam licet novitius
An. 1023. Chriſtianus arcendus ſit ab Epiſcopatu ex mente Apoſtoli 1. ad Timoth.
Cap. 3. & ut Sardicenſis Synodus poſt Nicænam Cap. 2. ſeſſ. 13.
definivit, hoc de Clerico intelligendum non eſt ex Laïcorum fide-
lium cœtu in ſacrum ordinem recens adſcripto & qui in ſancta conver-
ſatione necdum poſuit rudimenta, quamvis hos pariter Neophitos dici à
Patribus plerúmque legamus. Etenim licet primis ſæculis ut Eccleſiarum
neceſſitati conſuleretur, creati utriuſque generis Epiſcopi fuerint non pauci,
quod in quibuſdam præclarè ſucceſſerat, ut Philogonio Antiochiæ, Nec-
tario Conſtãtinopoli, Ambroſio Mediolani, Sidonio apud Arvernos, poſteà
tamen ſublatâ neceſſitate, interdici, ambitúmque hominum ad ſacros ho-
nores repente proſilientium coerceri placuit; Unde Synodus Arvernenſis 2.
Cap. xi. Aurelianenſem 5. imitata, unius anni ſpatium Neophitis præfixerat can. ij.
his verbis. *Nullus ex Laicis abſque anni converſione præmiſſâ Epiſcopus ordine-
tur.* Si igitur Ebalus recens è Laïcorum cœtu prodibat, juſta fuit Camera-
cenſis contradictio, at regulis Eccleſiaſticis apprimæ imbutum fuiſſe ante
conſecrationem probabile eſt, ijſque dotibus præditum, quæ in Fulberti
Carnotenſis Epiſtola deſcribuntur, quam infra referemus.

Ebalus 41. Archiepiſcopus, ad eum ſcribit Fulbertus Carnotenſis.

CAPUT XX.

EBALO itáque, Gerardo Cameracenſi nequicquam reclammãte onus
Epiſcopale imponitur Azelini Laudun. (ut fertur) calliditate. Cu-
jus verò gentis ſeu proſapiæ Ebalus fuerit, haud ſatis compertum.
Baldericus natales tacet, ut famam minuat, & multa ironicè depromit.
Fulbertus Carnotenſis amicum & fidelem Azelini ultro fatetur Epiſt. 46.
Albericus ad An. 1023. At Albericus Comitem de Roceio falsò putat deluſus forſan vocum ſimi-
litudine, cum nullibi legatur Ebulum Roceienſem, qui revera tunc vive-
bat, Clericatui nomen dediſſe, ipſi tamen cõnſobrinum vel affinem fuiſſe
Ebalum Archiepiſcopum non abnuerim, cum frater illius Odo fortis dica-
tur in Necrologio Remenſi, qui ad tempus Comitatum Roceienſem uſur-
paverat, ut latius oſtendi in Genealogia Baronum de Ruminiaco.

Hic igitur Ebalus, quamvis Comprovincialium penè omnium lectus ſuf-
fragio fuerit, & à populo expetitus, non nulli tamen ejus ordinationi in-
tereſſe detrectabant, ob reclamationem præfati Gerardi Camerac. & inter
eos Guido Silvanectenſis, cujus ſcrupulum ut penitus abſtergeret Fulber-
tus magnæ vir auctoritatis in Eccleſia, hanc ei ſcripſit Epiſt. in qua quæ
jura requirant in Præſule conſecrando, graphicè & ſapienter exponit.

1024. ## *Egregiè dilecto Coepiſcopo ſuo Guidoni, Fulbertus.*

*AMor Iuſtitiæ qui tuam Pater animam imbuit ab nativitate, fecit eam of-
fenſam, & ab exceſſibus captam, cujus rei fidem cum ex aliorum dictis,
Epiſt. 31. tum ex litteris tuis evidenter accepi: ſed ab ordinatione Ebali Remenſis Archie-
piſcopi non valdè tibi metuendum eſſe puto, ſi eſt (ut dicitur) à Chriſtianis ab
in-*

Digitized by Google

EBALVS. XLI. ARCHIEP. An. 1024.

infantia Chriſtianus, ſano ſenſu, ſacris litteris eruditus, ſobrius, caſtus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nulla infamiæ nota turbatus, tandémque à Clero & populo ſuæ ciuitatis electus. Magni etenim viri, ut optimè noſti, Ambroſius Mediolanenſis, & Germanus Antiſſiodorenſis, alijque nonnulli, quia tales in Laico habitu extiterunt, ſubito nobis ſancti Præſules exierunt. Domnus verò Papa, cujus animaduerſionem te reuereri ſignificaſti, non eſt quod tibi merito debeat ſuccenſere, ſi te grauiter collapſæ ſanctæ Remenſis Eccleſiæ aliquam ſpem reſurrectionis audierit prouidiſſe Vale in perpetuum, memor mei fidelis tui, illi quoque ualeant, qui tuam memoriam mihi commendarunt.

Sic igitur diſcuſſis nebulis quas offundere tentaverat Gerardus Cameracenſis, Ebalus Comprovincialibus Remis convocatis, ſedi Archiepiſcopali incardinatur an. Dom. 1024. Quàm deinceps ſtrenuum diſpenſatorem domus Dei, & fidelem miniſtrum eximius hic Præſul exhibuerit, quæ ſequuntur apertiſſimè demonſtrant. Etenim ut domeſticis in Gallia motibus ſub novellis Regibus per id temporis laborari coeptum, ſic & in Eccleſia: proceres ſiquidem tanta aviditate in dominia à Regibus ſervis Dei collata ſæviebant, ut nihil intentatum ab ijs quo per fas & nefas horum Comitatus protenderentur. Quibus cum tamquam murus æneus acriter ſe opponeret Ebalus, maximas ſubindè calamitates ab ijs præſertim perpeſſus eſt qui in vicinia habitabant. Clarius id exponere non vacat, ſed quo jurè ſibi titulum Comitis Remorum tribuit Rainaldus apud Aimoinum? Unde partem Dominij civitatis habuerat Ebalus Roceienſis? ſi vera ſunt quæ tradit Albericus. Cum ex Flodoardo conſtet Comitatum cum moneta à Ludovico tranſmarino longè ante Eccleſiæ Remenſi fuiſſe conceſſa. Si quid juris igitur ſibi vendicarunt Comites de Roceio in urbe, id neceſſario factum eſt ex conniventia, & conceſſione Arnulfi horum conſanguinei, aut lite pendente inter eum & Gerbertum pro Archiep. Rem. quod paulo poſt maximâ induſtriâ ad ſe revocare conatus eſt Ebalus. Sed quantum præterea inſudarit, pro Prædijs & Villulis & quas Moleſtias ſit expertus ab Odone Comite Campaniæ, Fulberti Carnot. Epiſtola palam faciet, qua hortatur ut ſtrenuè ſe gerat, nec ſui gregis curam abdicet.

Succedit Arnulfo Ebalus, qui fuit Comes de Roceio qui Comitatū Remoſem per induſtriam ſuā ſicut vulgatū eſt, acquiſiuit ab Odone Comite an à duobus filijs ſuis Alberic. ad An. 1031.

Venerando Remorum Archipræſuli Ebalo, Fulbertus Carnotenſis humilis Epiſcopus.

Idem Fulbertum ſigna jucunditatis deſinere & triſtitiam atteſtari inſſit propter quaſdam machinationes Gaufridi Vicecomitis in Eccleſiam ſuam. Epiſt. 3. Imo propter hoc exul fieri à patria cupiebat.

ANguſtiæ tuæ compatiens, Odonem Comitem arguendo conueni. Reſpondit tandem quod in te deliquerat, emendare ſe velle, & ad tollendam animi tui ægritudinem adjuuare, quod maximè deſideras, ut Remenſis Eccleſia reſpiret ad priſtinam dignitatem ſi hæc tibi facere voluerit, recipere ſuadeo, ut quam primum expeditus redeas ad officium tuum: deindè ſuggero, & ſi non indiges, ut ad pacem pauperum componendam totâ mente ſatagas, quos ſui Reges & Principes uehementius affligunt. Præterea Beroldo Epiſcopo Sueſſionenſi referente, audini ſic te mœrore afflictum, ut curam gregis Domini relinquere uelis, quod ego acriter & amicè redarguo, teſtans te ſi hoc egeris non fuiſſe paſtorem. Vale memor mei peccatoris in orationibus tuis.

Quid damni tunc ab Odone Remenſis Eccleſia pateretur Fulbertus non aperit, nec ullibi me legiſſe recordor: niſi quis dicat Villas Epiſcopij Remenſis Sparnacum videlicet, Codiciacum, Fimmas, vallem Rodigimi, &c quondam avulſas ab Eccleſia, tum aliquot redditas ſub Odalrico, iterum violenter uſurpatas ab Odone Comite renitente Ebalo, pro quibus

EBALVS. XLI. ARCHIEP. *An.* 1024.

Comites Campaniæ hominium præſtabant Remorum Archiepiſcopis in primo eorum adventu, ut ex Chartis authenticis alibi probabimus.

Venerabilis item Fulbertus Hubertum quendam S. Remigij Monaſterium cauſâ diſcendæ honeſtatis viſitare diſponentem eidem Archiepiſcopo commendat ſequenti Epiſtola.

Diligendo ſemper atque Venerando Remorum Archiepiſcopo Ebalo Fulbertus Carnotenſis humilis Epiſcopus.

COmmunicare fontem intimæ charitatis de veſtra bonitate, non de noſtro merito confidentes, deprecamur optime pater, ut notum habere dignemini hunc charum noſtrum nomine Hubertum, qui de patria ſua cauſa diſcendæ honeſtatis egreſſus, & apud nos aliquandiu demoratus, talem ſe nobis exhibuit, ut non minus quam frater uterinus amari, & honorari meruerit. Nunc verò eâdem cauſâ permotus, Monaſterium S. Remigij, quod veſtrum eſt, viſitare diſpoſuit, ubi ſi in aliquo indiguerit veſtræ opis, ſentiat quæſumus viſcera pietatis. Vale.

Sigebert. ad ann. 1024.

Eodem anno inclytus Belvacenſis Epiſcopus Rogerus regni Cancellarius deceſſit, qui Eccleſiæ ſancti Petri B. Alliacum in Normannia, & Montiacum in Vermandenſi pago conceſſit: Comitatum quóque ejuſdem vrbis ab Odone Comite Campanienſi impetravit, dato ei pro commercio Caſtro Sincerio in Bituricenſi territorio ſito, quod ſibi patrimonij jure competebat, undè erectum illi Epitaphium in choro majoris Eccleſiæ, ne tanti beneficij memoriam poſterorum ulla deleat oblivio. Huic Vvarinus ſucceſſit, cujus meminit auctor vitæ Roberti Regis, hic & Beroldus Sueſſionenſis ſtatum regni funditus inclinari, jura confundi, & omne genus juſtitiæ profanari cernentes, cum Burgundiæ Epiſcopis commune decretum fecerunt, ut tam ſe ſe quam omnes homines Sacramento conſtringerent, pacem videlicet & juſtitiam ſervaturos, quorum commento altius cauſas advertens Gerardus Cameracenſis, nullum porrexit aſſenſum, incongruum videri aſſerens ſi quod regalis juris eſt, ſibi vendicare præſumerent. Hoc etiam modo ſanctæ Eccleſiæ ſtatum confundi, quæ geminis perſonis regali ſcilicet & Sacerdotali adminiſtrari præcipitur, huic orare, illi verò pugnare, Regum eſſe ſeditiones compeſcere, bella ſedare, pacis commercia dilatare &c. Poſteà tamen aliquorum Abbatum hortatu acquievit invitus.

Balder. cap. 27.

1025.

Laboratum anno ſequenti 1025. per æſtatem, æſtu maximo, & inſolitâ ſiccitate, nullo enim menſe Maio imbre terra maduerat. Hinc pervaſit pleráſque regiones febrium ardor, & peſtilentia, quæ Henrici Imperatoris obitus præſagia fuerunt, & Gaudefridi Ducis Lotharingiæ. Huic Gotelo ſucceſſit ab Ottone Fryſ. lib. 6. Dux Belgarum cognominatus: Alteri conradus, inter quos bellum mox exarſit. Robertus Rex ægrè ferens Lotharingiam vetus regni fœdum ad Saxones tranſijſſe, ſtatuit eam ex eorum manibus vendicare; at ob Hugonis filij præmaturam mortem, & domeſticas diſſentiones, quod mente conceperat, perficere non valuit, Hugo ſiquidem primogenitus illius, dum incomparabili mentis ſimul ac corporis decore floreret, exigentibus Majorum flagitijs, repente illum mundo mors invida ſubripuit, ac in eâdem qua primitus coronatus fuerat Eccleſia Beati Martyris Cornelij regio in Compendio ſepultus eſt. Poſt cujus obitum cœpit Robertus ſeriò apud ſe cogitare, quis potiſſimum ex reſiduis filijs poſt ſe regnare deberet. Conſtituerat autem ſecundum Burgundiæ Ducem, Henricum nomine, poſt Hugonem natum ſublimare; at Mater muliebri vanitate obnitens, gravis inter fratres diſcordiæ cauſa fuit. Quidam ex Auliciſ ſuperſedendum ſuadebant uſque ad obitum Roberti, ne hac contentione

Sigebert. Balder.

Helgaldus in Epitom. Glaber. lib. 3. cap. 3.

Digitized by Google

tione tranquilitas Regni turbaretur. At Fulbertus magni nominis inter Præſules, Henrici inaugurationem, ut pote majoris natu, accelerandam cenſebat, unde ut quàm primum fieret, ſequentem Epiſtolam Silvanectenſi Epiſcopo ſcripſit, qua hortatur ut Archiepiſcopum Remenſem moneat, cæteróſque Primates, ne rem ſaluti patriæ adeò profuturam in aliud tempus protrahat. EBALUS. XLI. ARCHIEP. An. 1026. Epiſt. 51.

Venerabili Patri & Coepiſcopo ſuo Guidoni Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus.

AD benedictionem Henrici regiæ prolis voto quidem rapior, ſed adverſa me corporis valetudo retardat, tentarem tamen utcumque moderatis equitationibus eò pervenire, ſi non abſterreret ſævitia matris ejus, cui ſatis creditur, cùm mala promittit, fidem facientibus geſtis ejus; qua difficultate prohibitus, rogo veſtram caritatem dilectiſſime, ut vice mea ſuadeatis Domno Archiepiſcopo Remenſi, cæteriſque Primoribus, ne qua occaſione differant benedictionem juvenis ſupradicti, ſpero enim illum Deo, & bonis hominibus placiturum. Vale.

Conſtantiâ Regina filia erat Guillelmi Comitis Tolo-ſani.

Res tandem ſe habuit, ut eximius ille Præſul Eccleſiæ Gallicanæ decus, & columen ſuaſerat; nam coadunatis Metropoli Remorum Regni Proceribus, Henricus quem pater delegerat, Regni coronæ ſtabilitur, unctionémque percipit ab Ebalo Remen. Archiep cum eo apparatu & pompa quæ regalem decet excellentiam an. Dom. 1027. ut conſtat tum ex Divionenſi Chronico, quo Henricus unctus dicitur ſex annos ante obitum patris; tum ex regio diplomate Monachis Angeriacenſis Cœnobij conceſſo, menſe Auguſto, Roberti Regis quadrageſimo, Henrici primo, Incarnationis verò 1027. Ebalus, qui novellum Regem ad Regni culmen provexerat, Roberto deinceps admodum carus fuit, & tantæ auctoritatis in Eccleſia Dei, & in aulâ, ut Fulbertus, cui res Eccleſiæ cordi erant, ſuppetias ab eo poſtulaverit pro Aveſgaudo adverſus Herbertum Comitem Cenomanenſem hoſtem ſibi infenſiſſimum, per epiſtolam ad eum miſſam, tot reſperſam laudibus, ut nihil ſuprâ, quas eò veriores eſſe puto, quòd Fulbertus ad ſenium vergens, omnis tunc (ſi umquam aliàs) expers aſſentationis fuerit. Juvat igitur hanc cum alijs referre. An. 1027.

Gloria & honore digno Patri & Archiepiſcopo Ebalo; Fulbertus humilis Epiſcopus, cum venerabili Cenomanenſium Epiſcopo Aveſgaudo, ſalutem.

SCientes vos habere zelum divinæ legis, nec minùs opitulari velle, quàm debere Fratribus veſtris ſed & plurimùm poſſe, fiducialiter à vobis auxilium petimus in neceſſitatibus noſtris, ac nunc quidem ſingulariter in præcurſorem Antichriſti Herbertum Comitem Cenomanis, qui Sedem epiſcopalem ejuſdem civitatis evertere nititur. Epiſcopum enim, prædictum videlicet Aveſgaudum, in ea cum pace manere non ſinit, domos ejus, & terras & fruges & omnia victualia, inſuper & Prebendas canonicas Eccleſiæ pervaſit. Hæc autem vos ad vivum ſentire volumus, niſuque indiſſimulato propellere, & ut facilem modum habeat petitio noſtra, precamur vos illi commonitorium ſcribere ut jam dicto Epiſcopo ſua reddat, & eum in pace vivere ſinat, alioquin pro certo noverit ſe vobis & à Suffraganeis veſtris excommunicatum iri, ex illo die quo eum excommunicaverit Aveſgaudus Epiſcopus Commonitorium quod illi ſacrilego veſtra dignatio mittet, nobis tranſcribi poſtulamus, & mitti. Vale in infinitum Angele conſilij magni te conſule Chriſti. An. 1028.

EBALUS. XLI. ARCHIEP. *An.* 1029.

Hoc malum per omnes Regni Episcopatus impunè grassabatur, exarsitque hoc anno apud Noviomum Castellani tyrannide, qui è regia turri prædas agebat: cùm enim Clerus & populus tot pervasionibus afflicti, nihil opis reciperent à Rege, consilio Harduini Episcopi prædictum præfectum civitate expellunt, arcémque diruunt, quæ juxtà curiam Episcopi posita exitio civitatis imminebat. Rex his vehementer commotus Episcopum sede deturbavit, pepulítque in exsilium.

Historia Noviom. fol. 752.

Harduinus sic pulsus, in Flandriam aufugit ad Barbatum Principem, ejúsque filium Regis generum, ut per eos Regi reconciliaretur. Pacem igitur Barbatus Comes inter Regem, ac Pontificem composuit, ejúsque rei gratiâ recepit ab Harduino duodecim altaria in Flandris, Curtracum scilicet, Pulham, Aldenardam, Cominium, &c. Sic tamen ut ipse dumtaxat Barbatus, ejúsque filius, ac nepos ex filio, Comites Flandriæ ea tenerent, inde redirent ad Ecclesiam. Hæc Meyerus ad an. 1027 cui concinit Fulbertus Epist. 58. *Tunc*, inquit, *Episcopi sacrilegâ temeritate ALTARIA LAICIS IN BENEFICIVM DABANT.* Sed an Sedi suæ restitutus fuerit Harduinus, prædictus Auctor non asserit. Si vera sunt quæ scribit Guido thesaurarius apud Vassorium, probábile est apud Noviomum diem clausisse, cùm dicat conditum in veteri Fratrum capitulo inter matrem & sororem, ac diem depositionis ejus annuatim celebrari 14. Cal. Augusti.

Episcopi sacrilegâ temeritate altaria Laicis en beneficium conferunt.

De Electione Hugonis ad Episcopatum Noviomensem seu Tornacensem, & de simonia Adalberonis Laudunensis: Item de expulsione Drogonis Tarvannensis à sua Sede; & obitu Ebali Archiepiscopi.

CAPUT XXI.

1030.

HARDUINO vita functo, Noviomensi ac Tornacensi Ecclesiæ viduatæ sufficitur Hugo Tornacensis Præpositus, & Archidiaconus Cameracensis, cujus virtutes ac veri Pastoris encomia depinguntur in formula electionis ad Metropolitam & Comprovinciales Episcopos, quam ex annalibus Vassorij, tamquam lapidem extra ordinem ædificij positum, hîc ad an. 1030. reponendum duximus, eo vel maximè quòd reperiam apud Meyerum, prædictum Hugonem interfuisse eodem anno Conventui Aldenardæ à Balduino Principe pro pace Flandrica indicto, quo supplicatione habita, divo Gerulfo (quòd Flandrici esset generis) tantus dicitur habitus honor, ut primum ubique sortiretur dignitatis locum, ejusque feretrum reliqua omnia præcederet. Epist. igitur utriusque Ecclesiæ sic se habet.

fol. 12 a.

» DOmino Ebalo glorioſiſſimo Remorum Archiepiſcopo: & ceteris diœ-
» ceſis Metropolis venerabilibus Epiſcopis, A. ſcilicet, Laudunenſi
» Epiſcopo, R. Cathalaunenſi, G. Cameracenſi, Va. Belvacenſi, Vui. Sil-
» vanectenſi, F. Ambianenſi, D. Tarvannenſi, Clerus & populus Novio-
» menſis, ac Tornacenſis Eccleſiæ, huic ſanctæ Sedi ſpecialiter obſequentes.
» Hugonem Eccleſiæ noſtræ Tornacenſis Præpoſitum, Camerac. autem
» Archidiaconum, quem communi voto Paſtorem eligimus, Rectorem
» depoſcimus, Pontificio proclamamus. Eligimus ergo eum talem, qualem ju-
» bet apoſtolica, & canonica auctoritas, Fide Catholicum, naturâ pruden-
» tem, docilem, patientem, moribus temperatum, vitâ caſtum, ſobrium, humilem,

Ex Cartulario Noviom.

humilem, affabilem, miſericordem, litteratum, in lege Dei inſtructum, « EBALUS
in ſcripturarum ſenſibus cautum, in dogmatibus eccleſiaſticis exercitatum, « XLI.
& ſecundùm ſcripturarum tramitem, traditionémque orthodoxam, & Ca- « ARCHIEP.
nonum ac decretorum Sedis apoſtolicæ, Præſulum conſtitutiones, ſano « An. 1031.
ſenſu eccleſiaſticas regulas intelligentem, ſanóque ſermone docentem atque «
ſervantem, &c. His ergo, & alijs virtutibus pleniſſimè pollentem omnimodis «
petimus, ut quantocyus veſtra benedictione nobis illum conſecretis Antiſti- «
tem, quatenus auctore Deo plebs, quæ diu epiſcopali regimine caruit, ſub «
tanto Pontifice, ad Paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum converſa, «
ſuo Domino militare valeat, quia teſtante ſcriptura, integritas præſiden- «
tium, ſalus eſt ſubditorum, & ubi incolumitas eſt obedientiæ, ibi ſana eſt «
forma doctrinæ; quia autem omnes nec evectione equorum, nec officio «
pedum adeſſe valemus, unanimes huic ſcripturæ aſſenſum præbemus. «

Adalbero Laudunenſis Epiſcopus, quem initiali dumtaxat littera A. de-ſignatum vidimus præcedenti Epiſtolâ utriuſque Cleri N. & T. cùm eſſet longâ, ſed minimè imbecilâ ſenectute confectus, cogitavit de ſubrogando ſibi ſucceſſore, ſecúmque exſecranda quâdam novitate Vvidonem Clericum nepotem Bertoldi Sueſſionenſis pecuniâ allectum, in Sede pontificali collo-care, quem Gerardus Cameracenſis vir doctrinæ ac pietatis commenda-tione clarus, ſequenti hac epiſtolâ tamquam ſimoniacum perſtringit. Apud Balder. lib. 3. cap. 29.

Domino Adalberoni ſanctæ Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Gerardus gratiâ Dei Coepiſcopus.

ETſi huc uſque vario de vobis plebis rumore nihil movebamur, dum « *Quo anno id accide-rit non ſatis con-ſtat.*
quidem & eccleſiaſticæ diſciplinæ cultibus, & publicæ adminiſtrationis «
actibus, haud mediocriter ſapere videbamus, nunc tamen ſtupor quidam «
mentem noſtram perturbat, & ut ita dicam, pænè exanimat, cum à vobis «
tam mirandum, atque inuſitatum nefas in ſanctâ Eccleſia eſſe audimus, ut «
videlicet unius Eccleſiæ regimen duobus cedat Paſtoribus, & vos eligendæ «
ſucceſſionis vobis arbitrium aſcribatis. Quod quidem nec in omni veteris «
teſtamenti Canone, aut apoſtolicâ Eccleſiâ, ipſi benè ſcitis, nulli donatum «
fuiſſe; verùm & ſi aliquem ex Sanctis per Spiritum de ſucceſſore prænunciaſſe «
audivimus, non noſtrum eſt in exemplum trahere, &c. «

Item ad Ebulonem Archiepiſcopum Remenſem, qui in hoc non con-ſenſerat, ita ſcribit.

E. Archiepiſcopo. G nullius meriti Epiſcopus.

QUoniam quamdam exſecrandæ uſurpationis novitatem infra diœceſim «
veſtram coaleſcere audivimus, videlicet ut una Eccleſia duos habeat «
Epiſcopos, & alter ad alterum ad inſtituendum ſibi ſucceſſorem liberum «
habeat arbitrium, quod ſanè nullius auctoritatis conſtat pondus habuiſſe, «
videmur jam intueri quoddam quaſi barathrum patens, de quo fumus teme- «
rariæ uſurpationis erumpens, portendit quoddam ſchiſmatis incendium fu- «
turum; per quod ſubeuntibus diſſidijs, Eccleſia à ſuæ pacis unitate ſolvatur. «
Nos verò, quoniam nullum vos huic ſententiæ præbuiſſe aſſenſum audivi- «
mus, gratias agimus Deo, &c. «

Idem quoque ſcribit Gerardus ad Beroldum Epiſcopum Sueſſionenſem, monens ne eum carnalis amor uſque adeò in ſiniſtrum rapiat, ut huic ad-inventioni, quæ Spiritui-ſancto plurimùm adverſatur, præſtet aſſenſum, quod etiam non feciſſe arbitramur, ut ille zelo Dei accenſus fortiter ſua-ſerat, maximè cùm non prædictus Vuido Clericus, ſed Gebuinus poſt Adalberonem Eccleſiæ Laudunenſi ſucceſſerit.

Nobilium

EBALUS. XLI. ARCHIEP. *An.* 1032.

Nobilium fœda perſecutio in Paſtores & Eccleſiæ dominia, cujus ſupra memini, hoc anno graviter exarſit in diœceſi Tarvannenſi: Flandrenſis ſi quidem Comitis procacitas & audacia in immenſum ſic excreverat, poſtquam ſobolem ſuam regali ornavit proſapia, ut timore Dei poſtpoſito Drogonem Tarvannenſem Epiſcopum nefario auſu à Sede ſua expulerit. Hic patriâ extorris, per fines diœceſis bonis omnibus ſpoliatus, & ſine comitatu velut exſul incedens, Fidelium animos commovebat. Gerardus Camer. fortunæ ejus compatiens, ad Fulconem Ambian. Epiſcopum ſcripſit, ut domno Archiepiſcopo Remenſi, ceteriſque Epiſcopis convocatis, ad ſuffragium Regis obtinendum vehementer eos excitaret. Gerardi epiſtolam refert Baldericus lib. 3. & ſic incipit. ***Quod Confrater noſter Tarvannenſium Epiſcopus D. à Comite Balduino tantis injurijs impulſatur, dolendum eſt, &c.*** Quid inde ſecutum ſit, exploratum non habeo: certum tamen eſt Drogonem Balduino Comite vivis ſublato, Sedi ſuæ reſtitutum fuiſſe, cùm ſubſcripſerit Concilio Rem. ſub Leone IX. anno 1049. ut videbimus.

Balduino Barbato Comiti Flandriæ, & obijt an 1036. Coluerunt hanc perſecutionem attribuit.

An. 1033.

Anno 1033. currente, Robertus Rex Chriſtianiſſimus magna opinionis ſanctitate ex hac vita migravit quadrageſimo primo anno, ex quo inunctus eſt, ex Alberico. Huic cura erat ut utilis Paſtor, licèt genere infimus, daretur Eccleſiæ, potius quàm perſona ſæcularis, pompas ineptas, & inepta præferens; primus Regum (quod ſciam) qui manu tangens infirmorum vulnera, ſignánſque ſigno Crucis, omnem ab eis auferret doloris infirmitatem. Ebalus quoque Archiepiſcopus in humanis eſſe deſijt, poſtquam Comitum Campaniæ veluti fundationum primitias in Remenſi diœceſi vidiſſet apud Sparnacum. Dies obitus ejus notatur v. idus Maij in Necrologio Remenſi anno 1033. ex Chronico Moſomenſi. Corpus ejus ſepultum jacet juxta gradus chori verſùs odeum, ſub lapide cui inſcriptum habetur. EBALUS ARCHIEPISCOPUS, dedit Canonicis Eccleſiam de Bethanacurte pro anniverſario ſuo.

Glaber Cap. 1.

Benedictus IX. cum vix annum ætatis decimum obtigiſſet ſit Papa. Hinc ſit, ut quod fuerat in primaria Galliarum ſede (Remenſi) antea præſumtum, in apoſtolica uſurpari poſſe Cathedrâ execranda ſibi perſuaſit ambitio. *Ita Baron.*

De Villa Sparnaco, ac diverſo ejuſdem ſtatu uſque ad Odonem Campanienſem, cujus ſtudio & ſumtibus reſtructum eſt ſancti Martini Monaſterium.

CAPUT XXII.

SPARNACUM ad Matronam ſitum, quinque leucis à Durocorto, varias ſub tribus Francorum Dynaſtijs ſubijſſe vices patet ex Chronicis, quas hîc breviter attexere haud erit ingratum. Hæc urbs ſoli amœnitate, ædificijs, & optimi vini copiâ, inter præcipuas Remenſis diœceſis meritò præfulget, cujus etymon è veteri lingua Gallica natum arbitror, cum ipſius initium prorſus lateat, certétque cum inſignioribus in vetuſtate. Quidam enim putant unam ex illis eſſe quibus Remorum Reſpublica primitus conſtitit, cujus fines intra Celticam protendebantur.

Primam Sparnaci notionem nobis ſuppeditat beatij Remigij prolixius teſtamentum, Hincmarus quoque, & ſancti Bercharij vita MS. ubi prædium publicum in Pago Remenſi dicitur, octo millibus ab urbe ſeparatum (milliare & mille paſſus ferè apud Gallos auctores ſumitur pro leuca communi) hîc

hîc verò non ſic ut patet: ſed quatenus mille quingenti paſſus leucam adæquant juxta Iſidorum & Jornanden Cap. 16. Fuit autem Sparnacum ſub Clodoveo cujuſdam Nobilis Franci Eulogij nomine, ut teſtatur citatus à nobis Hincmarus, qui cum ob crimen nobis incognitum, reus eſſet lezæ Majeſtatis, nec poſſet veniam à Rege obtinere, eam rogatu ſancti Remigij facile obtinuit. Is paulo poſt vitam faſtidiens, quod contra natalium ſuorum decus, eâ donari per indulgentiam meruiſſet, prædictam Villam beato Remigio lubens obtulit ut grati animi pignus: at ipſe pro ſuæ interceſſionis munere vitans retributionem, taxatum de theſauris Eccleſiaſticis pretium quinque millia argenti libras Eulogio dedit, ſicque prædicta urbs Eccleſiæ Dominium auxit, qua & diu ac pacificè potiti ſunt ſucceſſores ejus. Undè in veteribus Chronicis, Villa Remenſis Eccleſiæ Sparnacum paſſim vocitatur, eámque certis anni temporibus incolere ſolebant Remenſes Archiepiſcopi, & in vicinia ſpatiari, quod grata ſitu ſit, & temperatiſſimo aëre; eſt enim in valle admodùm feraci, cui ad Orientem lata, & viridis planities adjacet, quam fluvius alluit, & interſecat: ad meridiem habet terras arabiles, nemora verſus Aquilonem, quæ à Borealibus eam operiunt, undè in declivis montium, ubi oppidum de Hay tota Gallia celeberrimum ſunt vineæ ſimplici quidem adminiculo ſuſtentatæ, ſed quæ ſuaviſſimis autumnali tempore racemis turgeſcunt, è quibus præſtantiſſimum vinum conficitur, quod mox poſt vindemiam Remos, vel Pariſios, & indè in Angliam vel urbes Belgij transfertur.

EBALVS. XLI. ARCHIEP. An. 1033.

Situs ac Cœli temperies fecit, ut Beatus Nivardus Sparnaco rediens à vertice montis gratam conſpiciens planitiem Monaſterium Altivillarenſe ibidem conſtruxerit, dequo alibi diſſervimus. Eadem pariter cauſa fuit, cur quidam nobiles eam invaſerint ſub Pippino & Carolo Magno: è quorum manibus ægrè vendicata Eccleſiæ reſtituitur Imperatorum Ludovici & Lotharij diplomate apud Frodoardum.

Carolus calvus in Campania Remenſi ob regni negotia moram faciens, ad ſylvam Sparnaco contiguam venatum ibat, & ſub eo quædam placita ſeu Conventus in eâdem urbe coacti, relectáque ibidem Capitula ab Epiſcopis edita an. 846. menſe Junio ut habetur in annalibus Bertinianis.

Normannis in Pagum Remenſem ingreſſis, & obvia quæque deprædantibus, Hincmaro ſecum pretioſiſſimam gemmam Beati Remigij corpus deferenti portus fuit ac refugium: cujus ſucceſſor Fulco Patriæ ſecuritati proſpiciens, eo quod fluvius ad eam (Sparnacum) hoſtibus per Campaniam graſſantibus iter præcluderet, arce munivit, quam Odo Rex ob inunctum ab eo Carolum, velut apertè deſciviſſet, funditus evertit. Heriveus ad Pontificatum poſt Fulconem aſſumptus, munitionem de novo reſtituit apud Sparnacum quæ ab Haganonis complicibus direpta an. 923. ad Heribertos paulo poſt tranſijt, Hugone Viromandenſi & Artaldo pro Archiepiſcopatu digladiantibus. At Heriberti filius eam ſpontè Odalrico reſtituit an. 964.

Sub ultimis Regibus ſecundi ſtemmatis, cum Robertus Heriberti ſecundi filius apud Trecas, expulſo Anſegiſo urbis Epiſcopo, novelli principatus ſedem erexiſſet, complureſque villæ & Oppida, quæ ditionis erant Eccleſiaſticæ, ut amplior in dies Toparchia ejus fieret, adderentur cis matronam infra Remenſem Diœceſim Dominatum quoque porrexit. Unde Ebalus Archiepiſcopus invalido tunc Regum ac Legum auxilio partem Dominij Eccleſiaſtici cedere compulſus eſt, ut aliam ab horum rapacitate ſalvam conſervaret, Sparnacum ſcilicet, Codiciacum, Fimmam, Virtutum, Victoriacum, quæ in prædictorum Comitum jus conceſſerunt. Hinc Campanienſes ampliori vocabulo nominati ſunt, quod ijs vrbibus adaucti in ſuperiorem Campaniam ditionem ſuam protulerint, ob quas fidelitatem Re-

Comites Trecenſes primò, tum Campanienſes dicti ſunt.

EBALVS. XLI. ARCHIEP.

Remorum Archiepiſcopis præſtare tenebantur ut ex bullis Alexandri, Clementis, & Innocentij Pontificum inferius citandis abundè colligitur.

An. 1033.

Odo II. ex Tetbaldi familia Campanienſis Comes, poſt obitum Stephani affinis ſui Villam Sparnacum ſummo in pretio habuit, caſtrúmque in eâ non ignobile poſuit, cujus adhuc veſtigia reſtant; cúmque Monaſterium incendio caſu deformatum fuiſſet ſub Stephano, ſuis illud expenſis reſtruxit, inſtituitque in eo Canonicos ſæculares. 5. Regni Henrici primi Francorum Regis 1032. ex Charta prædicti Comitis, quæ adhuc integra conſervatur in tablino Sparnacenſi, cui concinit Albericus *Anno 5. Henrici Regis, Odo Comes Campania, & Ermengardis uxor ejuſdem, Monaſterium ſancti Martini de Sparnaco igne & bello dirutum reſtauravit & in eo Clericos aggregavit.*

Tetbaldus prædicti Odonis filius in eo quieſcit, cum hoc epitaphio longè poſt obitum (ut reor) poſito. *Cy giſt inhumé le Comte Tibaut fils de Eudes Fondateur de ceſte Egliſe en l'an 1032. & decedé l'an 1037.*

Prædictis Clericis agente ſancto Bernardo, Theobaldus 3. Regulares ſubrogavit anno 1127. ut dicetur infra.

Ceterùm Comitatu Campanienſi cum appenditijs ſceptro Francorum reſtituto, hominium quod Archiepiſcopo Remenſi præſtabatur, ceſſàvit ob Regalis dignitatis ſublimitatem, & ut Sparnacum celebrior eſſet, præpoſituram ab antiquo erectam Reges Chriſtianiſſimi non conſervarunt modo (cujus inſignia ſunt ex Navarreo & Campanienſi bipartita) ſed & regale conſiſtorium inſtituerunt, cum præfectura vectigalium Mareſcallia, &c. Adeò ut tot prærogativis nobilitata æquari poſſit illuſtrioribus Diœceſeos civitatibus, nec illi deeſſe videtur præter Ducatus titulum & Pariatus, quem tamen conjunctim delatum reperio cum caſtro ſancti Theodorici, & Caſtellione ſub Carolo IX. in gratiam ſerenniſſimi Ducis de Alenconio.

Comes Engolíſmenſis Domin⁹ de Sparnaco vocatur An. 1408.

Comitum Trecenſium primordia, genus, nobilitas, eorúmque dynaſtia per Campaniam propagatio.

CAPUT XXIII.

INSTAURATIO Sparnacenſis Eccleſiæ ſumptibus Odonis Campanienſis coepta ſub Ebalo Præſule, facem præbet ijs quæ ſuperius dicta ſunt, nobile ſcilicet Sparnacenſe Dominium tunc ab Eccleſia Remenſi penitus avulſum fuiſſe, Trecenſéſque Comites à ſe recens coacervatam Monarchiam in ultimos Campaniæ fines, quo jure, qua injuria protendiſſe, quæ duo clariora fient ex prædictorum Comitum propagine diligenter excuſſâ: ſunt enim ex varia ſtirpe progeniti. Ordiar à Bernardo Viromandenſium Comitum indubitatâ radice, cujus poſteritas, affinitate, rerumque geſtarum gloriâ per Provinciam Remenſem longè inclaruit.

Ex Regia erant Caroli magni proſapia & Hildebranda Roberti cognomine, fortiſſimi Ducis Francia, nata progeniti.

Bernardus Pipini Regis Italiæ filius ex concubina conſpirat in Ludovicum Pium Imperatorem an. 817. ac judicio magnatum Franciæ Capitali punitione dignum luminibus privatur. Migrat anno ſequenti.

Heribertus I. Dominus de Perona & de S. Quintino in Viromandia Rodulfum Comitem Cameracenſem peremit, & ipſe viciſſim à Balduino Flandrenſi Comite interfectus eſt anno 902.

Heribertus II. ſtetit à partibus Rodulfi Regis adverſus Carolum ſimplicem redijtque in gratiam cum Ludovico utramarino 943. & ſtatim obijt. Ex eo & Hugonis magni ſorore prodiderunt,

Odo

EBALVS XLI. ARCHIEP. An. 1033.

1	2	3.	4	5
Odo Dominus de Ham, & de Castro S. Theodorici qui Ambianum inuasit. an. 944.	*Hugo Remen. Archiep. adnitente patre.*	*Adalbertus bellum mouet in Regem Ludouicum cũ fratribus Roberto & Herib.*	*Robertus Trecensis Comes.*	*Heribertus Meldẽsis Comes, Trecensis postea.*

Alix uxor Arnulfi Flandrensis Comitis, Balduini Barbati patris obijt an. 960.

Leutgardis nupsit Vuilelmo dicto longa spada, Rodulfi Ducis filio. Postmodum Theobaldo Tricatori Gerlonis filio.

Robertus pedem primus fixit in Campania, expulso Ansegiso Episcopo Vrbe Trecensi. Divionem quoque sibi vendicare conatus est, jus in ea prætendens ex parte Alicis seu Vvertæ uxoris suæ Gisleberti Burgundi filiæ. De eo Flod. in Chron. ad annum. 958. & 59.

Heribertus Trecensis Comes post Roberti fratris obitum, Sparnacum Odalrico Archiep. Remensi restituit, villam Virtuti obtinuit à Capitulo Remensi, quam ex pervasione sibi vendicaverat sub Adalberone, cui subinde multum negotij intulit ex Gerberti Epistola ad Gerardum Abbatem. Victoriacum præterea invasit, Montem felicem munijt, Abbatias S. Medardi & Sanquintini uxoratus possedit. Vivis exemptus an. 997. vel 989. ex Alberico, & apud Latiniacum sepultus. Reliquit ex Otgina Eduardi Regis Anglorum filia, & relicta Caroli simplicis

Ad Gerardũ Abbatem.

Stephànum Comitem Trecensensem & Meldensem Roberti Regis consanguineum ex Charta Latiniacensi. Sine liberis sublatum an. 1030.

Alidem sive Agnetem Caroli Ducis Lotharingiæ, ac Lotharij Regis fratris uxorem.

Emmam Guilelmi dicti caput stuppæ Pictauiensis Ducis uxorem.

Post excessum Stephani I. Odo Blesensis, ac Turonensis Comes, Odonis I. filius, ac prædicti Stephani consobrinus, Comitatus Trecensem & Meldensem invasit, Roberto Rege nequitquam reclamante, sicque Comitatus Trecensis in Tetbaldi familiam transijt, quem ex Richilde Richarij Comitis uxore, ac Roberti Trecensis filij quidam prodijsse ferunt. At verius alij jus filiorum Tetbaldi Leutgardi Tricassinæ adscribunt, cum quâ is fortuitò matrimonij fœdus inivit. Tetbaldus siquidem tricator dictus, obscuræ lineæ, ut ait Glaber, erat enim Gerloni Dani filius, post necatum à se Vvilelmum Rotomagensem, quem specie colloquij fraudulenter nihilque cogitantem, pellexerat & deceperat, Trecas aufugit ad Heribertum Comitem, obtinetque ab eo Leutgardem sororem, prædicto Duci Rotomagensi prius jugatam, conjugio sibi copulari, ex qua genuit Odonem, patrem Odonis 2. qui Campanensis dictus est.

Odo prior Tetbaldi filius vestigijs patrum insistens, Bertam Conradi Regis filiam, & Radulfi itidem Regis Burgundiæ sororem desponsavit, undè graves discordiæ emerserunt. Huic Couciacum dedit Odalricus Archiep. Remen. ut aviditatem ipsius satiaret, Comitatu tamen Trecarum nusquam potitus est, cum eodem ferè anno 994. scilicet obierit, quo patruus suus Heribertus, qui Dynastiæ suæ hæredem reliquit Stephanum ut vidimus.

Odo prior Comitatu Trecensi nusquã potitus est.

Odo 2. quanto potentior, tanto fraudulentior fuit (si Glabro credimus) sublato siquidem è vivis Stephano Trecensiũ & Meldensium Comite

EBALVS. XLI. ARCHIEP. *An.* 1033.

Heriberti filio, ac Roberti Regis cognato ſine prole, univerſa latifundia in Regis Dominium jure ceſſura ſibi vindicavit, Trecas præſertim ob Leutgardem Theobaldi uxorem. Huic Mathildis primùm Richardi primi Normannorum Ducis filia nupta fuit, tum Ermengardis ex tabula fundationis S. Martini Sparnacenſis & Necrologio Remenſi ubi ſic habetur. 5. *Idus Martij Ermengardis Comitiſſa prima Campaniæ, uxor Odonis Comitis, nobis dedit Murmureium, & Manufirmam Virtutisvillæ pro anima mariti ſui.* Campanienſis primus ſibi nomen arrogavit; quod paternam hæreditatem longè lateque propagaſſet, relictæ Roberti Regis bellum intulit, ac Regi Rodulfo, quo Burgundiæ regnum præriperet. At Gocilo Dux totius Rethiæ, cis Rhenum ſubitò irruens, fuſo exercitu Odonem internecioni dedit an. 1037. cujus lacerum cadaver Rogerius Catalaunenſis Præſul, & Richardus Abbas à cæde ſuſcipientes uxori reddiderunt Turonis ſepeliendum juxtà patrem, perempto Odone, qui Ebalo Rem. Archiep. negotium faceſſerat.

Tetbaldus natu major Carnutenſem, & Turonenſem Comitatus, Stephanus verò Meldenſium, & Tricaſſinorum ſortiti ſunt. Uterque patrum ſuorum more, qui ſemper infidi Regibus fuerant, etiam adverſus Henricum I. rebellarunt, Odoni fratri ejus ſuppetias ferentes ut regnum invaderet, hos tamen Rex inordinem redegit, ablatâ à Tetbaldo urbe Turonicâ per Gauffridum Andegavenſem, quam ſuo mancipavit juri an. 1042. Stephanus moriens reliquit filium Odonem nomine, quem patruus bonis ſpoliatum fugere coegit ad Normannum Comitem, à quo benignè exceptus, uxorem & dotem unde viveret accepit, ſicque

Tetbaldus 2. nomine, ſi familiâ ſpectes, Ac 1. Comes Trecenſis & Campaniæ.

Tetbaldus Campanienſis Monarchiæ ſolus hæres fuit, nominatúrque in vita Beati Arnulfi Sueſſion. Epiſcopi, Comes cujuſdam Caſtelli, quod dicitur Virtutes; duxítque hic uxorem Adelardem Creſpienſem, ex qua ſuſcepit Stephanum, Hugonem, Philippum, &c. Tenuit ipſe Eccleſiam ſancti Nicaſij Remenſis in commendam ſub Philippo Rege; Prioratum de Venielay extruxit, atque dotavit. Doncherium à Monaſterio ſancti Medardi dependentem vi retinere niſus eſt. Functus an. circiter 1090. apud Sparnacum tumulatus.

Stephanus Carnutenſium Comes & Meldenſium, vivente patre Campaniam, alióſque Principatus adminiſtrabat ex Charta apud N. Camuzatium virum eruditiſſimum, nec ſine honoris præfatione nominandum, relata, Stephano Henrico ſub patre ſuo Theobaldo conſulatum ſuum regente ann. 1085. ſociavit ſibi in Matrimonium Adelam filiam Guilelmi Conqueſtoris ex Orderico Vitale: de qua Necrologium Rem. 4. *Idus Martij obÿt Adela beatæ memoriæ Bleſenſis Comitiſſa, quæ cum viro ſuo Stephano Comite pro Manufirma Virtutis Caſtri in vita ſua, & unius tantum hæredis, dedit nobis perpetuò habendum hoc quod habemus in villa de Fimÿs, &* 40. *ſolidos Prunienſis monetæ de cenſu prædicti Caſtri.* Hic Henricus Stephanus remiſit Eccleſiæ S. Remigij paſcuam inter Eſcolium & Saceium abſque omni vexatione, quod ei Abbas, & Monachi fraternitatem ſeu ſocietatem ſuæ Eccleſiæ obtuliſſent, teſtibus Vvalchero de Caſtellione & Vvermundo; ſecutúſque eſt Godefridum Hieroſolimam in bello ſacro ubi fortiter pugnans occubuit an. 1100. Prudentiæ & nobilitatis commendatione clarus apud Fulgerum Carnutenſem hiſtor. Hieroſolim. lib. 2. cui ſucceſſit

Ex Epiſt. 247 Ivonis, Patet Hugonem duxiſſe uxorem poſt diſſolutũ Matrimoniũ cum Conſtantia Philippi Regis filia.

Hugo Theobaldi 2. filius, & Stephani frater qui adſcita ſibi Conſtantia Philippi I. Francorum Regis filia thori conſorte, Eccleſijs multa bona largitus eſt, Caſtellum imprimis de Jona Moliſmenſibus Monachis an. 1102. Attiniacum Villam Rem. Archiepiſcopo quæ illi obvenerat ex uxoris dote. Triginta item ſolidos Remigianis ex Charta quæ ſic incipit *Ego Hugo*

igitized by Googl

EBALVS XLI. ARCHIEP An. 1033.

Hugo Comes Campanienſis filius Theobaldi Comitis ſecundum morem proavorum meorum, qui multas Salvatoris noſtri Eccleſias ſuâ munificentiâ nobilitaverunt &c. an. 1103. Hic Hieroſolimam protecturus jus quod habebat in villa Curtis Anſorum ceſſit eidem Monaſterio aſſenſu magnatum ſuæ curiæ, Coneſtabili ſcilicet Seneſchalli, & aliorum qui Chartæ donationis ſubſcripſerunt, *quam (inquit Hugo, & quod eſt notandum) Majeſtatis noſtræ Sigillo conſignari feci an.* 1114. Dedit etiam terram quæ dicitur Mons Reguli, cum ſylva Monaſterio ſancti Nicaſij; ſubſcripſitque erectioni Prioratus de Turribus ſupra Maternam an. 1125 titulo Comitis Campaniæ; quem tamen Comitatum paulo poſt Theobaldo Henrici fratris filio vendidit. Unde idem Hugo in bulla Innocentij 2. quæ eſt apud S. Nicaſium, Comes quondam Campaniæ nominatur an. 1136.

Theobaldus Henrici Stephani Carnotenſis, Bleſenſis, & Dunenſis Comitis, & Adelæ filius, magnus ob eximias virtutes, bonus propter Eleemoſinas & optimam indolem probitatemque nuncupatus; primus ſibi Campaniæ & Briæ Palatini nomen aſſumpſit. Unde in Chron. Moriniacenſi Comes Palatinus & intra Franciam ſecundus à Rege dictus, quod à Regia Francorum proſapia genus duceret, & ex Adela Guilelmi Angliæ Conqueſtoris filia quæ Henrici Anglorum Regis ſoror fuit. Subſcripſit fundationi Signiacenſi an. 1134. Beatúmque Norbertum tranſmiſit ad excellentiſſimum Lotharingiæ Principem, cujus ipſe filiam conjugem duxit. Hanc Mathildem quidam vocant Engilberti filiam ex qua ſuſcepit

Ex Hermanno Monacho de miraculis Sanctæ Mariæ Laudun. lib. 3. Cap. 9.

Theobaldum cognomẽto bonum, Bleſenſem Comitem, in tranſmarina expeditione mortuum.	*Henricum cognomẽto largum natum 1127.*	*Henricum Comitem.*	*Vvilelmum Remenſem Archiepiſcopum.*	*Adelam Ludovici 7. conjugem, ex qua Philippus Auguſtus prodijt.*

Theobaldus ad quem S. Bernardus, alijque nobiliores è clero ſcripſerunt obijt an. 1151. vel 1152. ex Chronico S. Petri Vivi. Apud Latiniacum ſepultus.

Henricus Comes Trecenſis Palatinus, Bleſenſis quóque, Carnotenſis, & Sancerræ, conſenſu Guiſiardi Ruciaſcenſis Comitis approbavit pro abdicatione fœodi Vicecomitatus Marolienſis in gratiam Monachorum S. Remigij 1177. Hieroſolimam proficiſcitur cum Petro de Curtiniaco 1179. Ex Chron. S. Petri functus 17. Martij 1180. Ex Maria Ludovici 7. & Eleonæ Aquitanicæ filia, quæ pariter 1197. exceſſit, Mariam reliquit filiam Balduino Comiti Flandrenſi Imperatori Conſtantinopolitano nuptam; & duos filios Henricum, & Theobaldum. Henricus Comitatui Campaniæ ut major natu ſucceſſiſſe legitur ex Charta pro advocatione de Condida in tabulario S. Remigij an. 1187. At ille ad bellum ſacrum profectus cum Philippo Auguſto & Richardo Anglorum Rege, Iſabellam Balduini 4. Regis Hieruſalem duxit an. 1192. ex qua Adelis Regina Cypri prodijt, & Philippa Airardi conjux Comitis Branacenſis, mater Iſabellæ conjugis Henrici de Grandiprato. Eo igitur abſente, & obeunte apud Achon an. 1197. ex Rigoldo

Henricus Hieroſolimorum rex &c. ſcribitur 18. Cal. Oct. in Necrol. Rem.

Theobaldus frater ejus & Henrici filius in Comitatum ſenſim ſe intruſit, duóſque filios ex Blancha Sancij Navarræ Regis filia ſuſcepit, Blancham ſcilicet quæ Ottoni Burgundiæ Comiti nupſit, & Theobaldum 5. Blancha Navarrea poſt exceſſum Theobaldi Mariti ſui titulum Comitiſſæ Campaniæ jugiter retinuit ab an. 1201. convenitque cum hæredibus Guilelmi Cabilonenſis pro Comitatu Perticenſi. Airardus tamen litem movit pro

EBALVS XLI. ARCHIEP *An. 1033.*

Comitatu Campaniæ poſt obitum Henrici ſoceri ſui adverſus Theobaldum, inveſtiturámque à Rege poſtulabat, & judicio parium cauſa cecidit an. 1216.

Theobaldus 5. adhuc juvenis Comitatui Campaniæ ſucceſſit, & regno Navarræ poſt obitum Sancij an. 1224. hominiúmque præſtitit Henrico Archiepiſcopo pro fœodis quæ ab Eccleſia Remenſi tenebat. Ex Margarita Archambaldi Borbonij filiâ tertiâ uxore, reliquit Theobaldum, Henricum &c. Hic cum alijs Ducibus in Syriam profectus eſt anno 1239.

Theobaldus 6. Iſabellam Ludovici IX. Francorum Regis duxit, Provinienſemque Dominicanorum conventum extruxit an. . . . . Noſocomio Remenſi nemora conceſſit 1270. Admortizavit decimas de Luquy ad leproſos Rementes ſpectantes 1269. Migrat ſine prole, cùm ex Affrica rediret in Galliam.

Henricus Theobaldi 6. frater ex Maria Atrebatenſi Roberti Franci filia, unicum filium habuit Theobaldum nomine, qui in pueritia fortuito caſu perijt, & Joannam bonorum ſuorum hæredem. Hæc in curiam Philippi Audacis ducta à Matre an. 1275. nupſit Philippo pulchro cum tredecim tantum eſſet annorum & ſic ipſius nomine & dote .

Philippus pulcher Rex Francorum Comes fuit Palatinus Campaniæ & Briæ, cui ſucceſſerunt Ludovicus Hutinus, Philippus longus, Carolus pulcher ſine liberis maſculis ſublati, undè tam regnum Navarræ quam Comitatus Campaniæ ad Joannam unicam filiam Ludovici Hutini ſpectabat, quæ Philippum Eburonicum Comitem duxerat, ſed à Rege pro his dynaſtijs alios Comitatus recepit, vel Rex obſtitit ne vetus Franciæ fœodum, juxtà legem ſalicam ad fœminam devolveretur: undè inſignis quidam juriſconſultus cuidam ſub Philippo Valeſio ſapienter reſpondit, Campanum beneficium eſſe Francorum Regum cum ſeptris rerum mixtura contuſum.

Edmundus filius H. Regis Angliæ vocatur Campaniæ & Briæ Comes Palatinus in tabulario Hoſpitalit. Rem. an. 1277. Hic duxerat veluti à Theobaldi Regis & Comitis Capaniæ Henrici fratris ex Pithœo.

Viri doctrinâ et ſanctitate illuſtres qui in urbe vel Diœceſi Remenſi claruerunt ſub Archiepiſcopis Arnulfo & Ebalo.

CAPUT XXIV.

DIFFICILLIMIS his Reipublicæ temporibus quibus Galliæ ſceptrum ad tertiæ dynaſtiæ Principes devolutum eſt, pauci admodum doctrinâ & ſanctitate celebres viri reperiuntur, quorum memoria vel ingenij partus ad nos pervenerint. Undè ſæculum illud ferreum ab omnibus cenſetur, & inconditum. Adalberoni tamen Patri Patriæ hoc debetur quod Remenſis Eccleſia ſuis orbata luminibus omnino non fuerit, ſed horum veluti radijs illuſtrata ſplendeat adhuc ad decus & ornamentum poſteritatis. Juvat hîc referre quæ de ea ſcribit auctor Chronici Flaviniacenſis cum de Richardo illo tempore Decano, & Præcentore loquitur.

Eccleſia Remenſis tanto tunc vernabat religionis decore, tot perſonarum nobilium, & religioſarum, quas ipſa in ſe educaverat, ſibi applaudebat honeſtâ numeroſitate, & decenti honeſtate vivendi, rectéque converſandi in caſtitate, in ſcientia &c. Ex his quidam à nobis præmittenda ſunt, antequam Ebalo ſucceſſor aſſignetur.

Gerbertus

EBALVS. ARCHIEP. XLI. An. 1033.

Gerbertus ſcholarum caput Eccleſiæ Remenſis.

GErbertus ſcholaſticus Adalberoni Archiepiſcopo ab Epiſtolis, & ſcholarum Remenſium Rector eximius, hoc ſæculo claruit inter inſignes, cujus ingenium, lucubrationes, & promotionem ad ſupremam Eccleſiæ dignitatem ſupra notavimus. Remis exiſtens primum ei ſtudium fuit bibliothecam ex ſelectioribus libris divitem reddere, quo Adalberoni, qui ſcientias in delitijs habuit, ac ſibi ſatisfaceret, quorum quidam adhuc extant apud nos. Doctrinæ ac eruditionis fama (quam ſibi per univerſum orbem conciliavit) clarior eſt, quam oratione exponi poſſit. Lubet tamen hîc referre quæ de eo narrat Albericus ex Guidone. *Venerat (inquit) in gratiam Hugonis Capeti famoſus ille artium peritiâ & ſubtilitate ingenij Gerbertus, Remis ut dicitur natus & apud Floriacum Monachus à puero. Indè in Hiſpaniam fugiens, Aſtrologiam à Saracenis didicit, & ita liberales artes ebibit ut in Galliam revocaret pridem ibi obſoletas. Abacum primus docuit, & ejus regulas, deinde fabuloſa de libro, quem à Magiſtro ſuo in Hiſpania raputt de Magia, cujus ope Dæmon tranſtulit illum in Franciam. Poſteà quia Robertum filium Hugonis Regis liberalibus diſciplinis inſtruxit, eum Rex in Remenſem Eccleſiam intruſit &c.* Hæc Alberici, quæ tamen ex alijs hauſit commenta, & ſuaves fabulæ exibilantur à Baronio, nec longiori indigent refutatione, ſufficit quod talis ac tantus vir ſcholas noſtras multiplici ſua eruditione non illuſtrarit modo, ſed etiam infinita propemodum diſcipulorum qui ad eum convolabant multitudine, celebres reddiderit, inter quos Regum filij ac Imperatorum numerantur, ut alios ex cœtu Præſulum omittam; tradit enim Chronicon Maleacenſe, Fulbertum, Carnotenſem præceptorem Gerbertum habuiſſe, ex quo Berengarius S. Martini Turonenſis Canonicus multa didicit, qui poſt ſe Brunonem Remenſem, pluresque alios reliquit hæredes ſuæ Philoſophiæ.

Gerbertus Remis natus ex Alberico.

Baron. ait Albericũ hanc fabellam hauſiſſe ex Bennone ſchiſmatico quam meliores note ſcriptores ut futilẽ & fabulanarrationeculâ explodũt totamtis ſuum cũ Fuelio ad lucerna lumen.

S. Gerardus Remenſis Eccleſiæ Canonicus & Epiſcopus Cameracenſis.

GErardus ut ſanguine, ſic eruditione ac moribus nobilis, inter hujus Diœceſis alumnos meritò accenſendus eſt. Hic enim ab Adalberone conſanguineo ſuo à pueris Remos vocatus, parentum conſenſu Arnulfi ſcilicet Ruminiacenſis, Toparchæ de Florines, patriâ Leodienſis, & Ermentrudis, ut erudiretur primis literarum rudimentis ſtatim operam dedit, tum Canonicatum adeptus, in ſcientia morum & Canonum ſic excelluit, ut viuum omnibus eſſet virtutis exemplar & ad litteras excolendas incitamentum. Igitur cum doctrinam cum pietate fœlici vinculo conjungere in ſchola Remenſi didiciſſet, ad Erluinum Cameracenſem Epiſcopum ſeceſſit, cui dudum ab Eleemoſynis fuit. Eo autem obeunte, Epiſcopatum ejus, Henrici primi Imperatoris benevolentia adeptus eſt an. 1014. Fertur Eccleſiam Remenſem Bambergenſi Gerardum prætuliſſe pro inaugurationis cæremonia, eo quod in ea inter initiatos nutritus fuiſſet, obtinuiſſeque ab Arnulfo Archiep. ſat notabilem reliquiarum partem S. Mauri Martyris quibus ditavit Eccleſiam de Florines recens á patre extructam, quam ipſe ſuis ſumpubus poſtmodum abſoluit.

Arnulfus Ruminacenſis Godefridi & Alpaidis filius Eccleſiæ Florin. fundator, genuit Godefridum & Gerardum. Balder. lib. 3. cap. 1.

Virtutes autem ejus in obeundo munere Epiſcopali, ſtudia, munificentiæ in Cameracenſem Eccleſiam, cum abundè referantur à Balderico, & in Hiſtoriæ

EBALVS. ARCHIEP. XLI. An. 1033.

Historia Leodiensi, non est quod in ijs recensendis prolixius immorer, cum instituti mei ratio ea sit illustrium virorum dumtaxat indicem texere, quorum ortus, educatio, vel etiam sanctitas diœcesim nostram nobilitarunt, ut de Gerardo Cameracensi affirmari potest ab humanis exempto circiter an. 1049.

Richardus Remensis Canonicus Præcentor & Decanus.

RIchardus ex villa nomine Banton in Argonia, haud procul à Monte Falconis oriundus, parentes habuit nobiles & Catholicos, qui ipsius optimè & liberaliter educandi summam curam habuerunt. Cumque Schola Remensis inter celebriores regni litterarum studio floreret, consilium eorum fuit, illue eum mittendi, ut Dei obsequio à pueris manciparetur. Enituit autem in eo tanta ingenij fœlicitas & propensio ad virtutem, ut brevi in Canonicorum Matricula adscriptus, postmodum verò crescente in eo morum gravitate, & sapientiâ, Præcentor & Decanus omnium calculis electus sit circa annum 1000. Incredibile dictu est quam impensè studuerit, ut Canonicalis ordo, vigórque disciplinæ clareret inter sodales, quámque se assiduum in munere obeundo ac vigilem præbuerit.

At cum mens ejus altiora meditaretur statuit Monachismum profiteri, ut se totum pietati consecraret. Hæc eo attentius cogitante, Friderius Godefridi veteris Virdunensis Comitis, & Arduennæ filius, ex Hierosolyma Remos transiens apud eum hospitatus est, à quo cum humanissimè exceptus esset, ambóque de perituris mundi vanitatibus & illecebris seriò tractallent, simul decreverunt calcatis omnibus habitum religionis in Monasterio S. Vitoni Virdunensis recipere, cujus paulo post, tyrocinio completo, & Fingenio Abbate vivis exempto, Richardus ob præclaras animi dotes regimen est adeptus.

De Richardo Bertarius hist. tempore Raimondi. Venerabilis Pater Richardus S. Vitoni factus est Monachus, deprimoribus Ecclesiæ Remensis Canonicis.

Cum autem sanctitatis ejus ac prudentiæ fama longè, latéque diffunderetur, Henricus I. Imperator, ipsius præsertim operâ, ac Gerardi Cameracensis, usus est pro fœdere stabiliendo inter regnum & Imperium, vnde statim sequutum est colloquium Roberti Regis cum Henrico I. super Charum fluvium apud Evasium de quo Sigebertus & alij ad an. 1023. Richardus Henrico tam carus fuit, ut quidam dicant hunc ab eo religionis habitum postulasse, impeditúmque ab Hillone Episcopo. At Albericus putat revera suscepisse, ac se totum Richardi consilio & directioni subdidisse. *Florebat enim, (inquit) Sigebertus hoc tempore Ecclesiastica religio per Abbates nominabiles: In Francia per Odilonem Cluniacensem, in Lotharingia per Richardum Virdunensem pia gravitate & grani pietate discretum, in Belgio per Poponem Stabulensem.* Valleburgus addit Richardum à Principibus tanto in pretio habitum, ut viginti & unius Abbatiarum coactus fuerit onus suscipere. Hierosolymam cum Eurino Trevirensi deindè profectus, Monasterium Sancti Michaelis reformavit, ac petente Rogerio Catalaunensi Episcopo, qui nuper Cœnobium S. Petri in vrbe construxerat, quosdam è suis ut asceticam vitam in eo inchoarent, ablegavit. Tum superveniente vocationis tempore cum Sancti Vitoni Familiam 42. annis summa cum laude rexisset, migravit à sæculo 14. Junij 1047. Refert citatus auctor Crucifixi imaginem quam secum ex Hierosolyma detulerat, lachrymas emisisse, cum pedes ejus antequam expiraret, piè oscularetur. Richardi nomen 3. Iunij legitur in Necrologio Ecclesiæ Remensis.

Albericus ad ann. 1019.

Monasterium S. Petri Catalaunensis.

S.

Digitized by Google

EBALVS. XLI. ARCHIEP. An. 1033.

S. Maurilius Remus origine, ac Rotomagenſis Archiepiſcopus.

SAnctus Maurilius civis Remenſis, ex probis & honeſtis parentibus ortus, præclaræ indolis fuit, & ad virtutes aptiſſimæ. Cum in ſchola Remenſi lac bonæ educationis cum humanioribus litteris ſuxiſſet, ſeverioris diſciplinæ cupidus relicto Patriæ ſolo, Leodium conceſſit, ubi virum nactus eſt diu quæſitum, ſub cujus Magiſterio animum virtutibus excoluit; tum Italiam expetens Florentiæ nomen Benedictinæ militiæ dedit, vixitque ibi mundo incognitus, donec quibuſdam diſcolis fratribus vitæ ejus ſeveritatem & continua exercitia invidentibus, in Franciam redire compulſus eſt, cum Goberto fideli comite reliquam vitæ in Fiſcanenſi Cœnobio regulariter expleturus. At Deus eum ibi diutius latere non ſinit: vacante ſcilicet Rotomagenſi Archiepiſcopatu per ceſſionem Malgeri, omnium votis ad eum invitus aſſumitur an. 1055. in hócque maximè incubuit poſt initam tanti Præſulatus poſſeſſionem ut inchoatum Principis Apoſtolorum Baſilicæ opus, eleganti ſtructura ad exitum perduceret, quam ipſe Calend. Octob. ſolemniter dedicavit an. 1063. Dies obitus ejus notatur in Martyrologio Benedictino & apud Claudium Robertum 5. idus Auguſti an. 1065. Tumulatúſque dicitur iuxta Crucifixum Cathedralis Eccleſiæ cum hoc epitaphio cupreæ laminæ adſcripto.

Guilelmus Gemeticenſis lib. 7. cap. 38.

Humani Cives lachrymam nolite negare
Veſtro Pontifici Maurilio Monacho.
Hunc Remis genuit, ſtudiorum legia Nutrix,
Potavit trifido fonte Philoſophico.
Vobis hanc ædem coeptam perfecit ad unguem
Lætitiâ magnâ, fecit & encenia.
Cum tibi Laurenti vigilat plebs ſobria Chriſti
Tranſit, & in cœlis laurea feſta colit.

Extat apud Ordericum Vitalem lib. 5. hiſtor. Eccleſiaſtic. De eo Guilelmus Pictavi. Sed vide præſertim D. Franciſcum de Pommeray Monach. Benedict. Congreg. S. Mauri in hiſtor. Archiep. Rotomagenſium pag. 254. de eo fuſè.

Conſtantius Remenſis Canonicus & Decanus.

COnſtantij Remenſis Canonici nomen, virtus, & charitas Patrum traditione, Chartiſque authenticis apud nos innoteſcunt, quibus patet Decani functum fuiſſe officio ſub Pontificatu Ebali, & Vvidonis Caſtillonei. Tradit Anſelmus in Itinerario Leonis, Conſtantium veterem baſilicam ſupra cryptas Martyrum Remis olim à beato Remigio conſtructam non reparaſſe modo, ſed & frontem eleganter condidiſſe, ac Dei famulos ibidem in ejus obſequium aggregaſſe. Decani Canonicorúmque meminit Charta Rodulfi Archiepiſcopi infra citanda. At horum Præbendas Capitulum Remenſe hoſpitalarijs ſancti Joannis Hieroſolym. pridem conceſſit, qui aliquot hactenus ibi Præſbyteros aluerunt ſub Præceptore Eccleſiaſtico. De Conſtantio Chronicon Flaviacenſe aliàs Virdunenſe de Richardo Remenſis Eccleſiæ Decano diſſerens, hæc habet. *Domini ac verè ſancti Conſtantij Canonici Eccleſiæ Remenſis pia ac recolenda in pauperes*

Opinor id factum ſub Henrico Ludovici VII. Regis fratre Ann. 1163. Extat enim arbitralis ſententia

prædecimò de Condato ſuper Axonam, prædictam Eccleſiam occupaſſe an. 1160. ubi Calcherus briſebarrè nominatur cum duobus ex ſuis confratribus in Chartulario S. Dionyſij Remenſis.

Digitized by Google

EBALVS XLI. ARCHIEP. An. 1033.

peres laudabilis rerum ſuarum profuſio, & totius patrimonij diſperſio, quorum alterum ipſa ſua commendat religio, & opera miſericordiæ, alterum adeò prædicat miſeratio, ut ipſi ſoli inventi ſint, qui tanti viri dum deſlent obitum, prædicant meritum. Hæc (inquit) inſeruimus, ut cognoſcat qui legerit tot & tales viros in palæſtra ſanctæ Remenſis Eccleſiæ, nec ſine magiſtris deſudaſſe, nec ſic ſolos euaſiſſe carneæ molis carcerem, ut non reliquerint aliquos ſui propoſiti teſtes & cooperatores. Prædictus Conſtantius in Necrologijs cum elogio memoratur, obijtque 10. Cal. Aprilis, quo Remenſe Capitulum ad prædictam Eccleſiam pergit, ubi miſſa ſolemnis celebratur pro defunctis ex rituali, die 25. aliàs 10. Calend. Aprilis. Dominus Conſtantius beatæ Mariæ Canonicus & ſacerdos, qui res dedit in cujus anniverſario nobis claviger aliàs cuſtos hoſpitij 14. ſolidos dat.

Beatus Poppo ſancti Theodorici propè Remos Monachus, & Abbas de Stavelo in diœceſi Leodienſi.

POpponem non ob natales inter eximios noſtræ diœceſis numeramus, ſed quod eam toto tempore quo apud ſanctum Theodoricum manſit, virtutibus ac miraculis mirum in modum illuſtrarit. Hic ut tradunt Flandrici auctores vitam à pueritia uſque ad adultam ætatem magno faſtu cum æqualibus in Curia Balduini Comitis tranſegit, donec grandior factus, de ſocianda ſibi conſorte æquè nobili anxius apud ſe cogitaret. Dum beati Audomari phano proximus per ſummæ noctis ſilentium eò progreditur paruo comitatu, mirabili abſtentus eſt prodigio, multâ repente circumfuſâ cœlitùs luce, viſáque ardere lancea quam gerebat.

Libri Martianenſes. Balzelinus ex Emerchtino in vita Popponis

Rei novitate perculſus cœpit animo revoluere, cujus gratia id contigiſſet, moxque mutato propoſito, armiſque procul abjectis, ne gratiæ Dei vocantis obſiſtere videretur, veloci curſu properat ad Cœnobium ſancti Theodorici propè Remos, ubi in album Aſcetarum numerum admitti à Joſberto Abbate ſupplex efflagitat. Hic votis ejus annuens, erudiendum eum commiſit Gilberto Gerardi Cameracenſis conſobrino, domus ut quidam ajunt Janitori, ac poſtmodum Mariſcolenſi Abbati. Expletiſque tyrocinij diebus, Poppo ut erat egregiæ indolis, hoſpitibus recipiendis ab Abbate præfectus eſt, quo in munere obeundo ſe uſque adeò mitem & propenſum erga eos exhibuit, ut ſæpius ægrotis in Noſcomio receptis Gauſapinâ quâ ipſe cooperiebatur, ſuper eos expenſâ, morbos abſterſerit.

Fama tanti viri ſenſim illuceſcente, Richardus de quo ſupra Remos tranſiens, obtinuit à Joſberto, ut Popponis operâ uti poſſet ad regulam in Monaſterijs reſtituendam, unde ad ſanctum Vedaſtum cum Richardo primùm profectus eſt, tum ad ſanctum Vitonum, cujus Præpoſitus fuit, & infirmarius, tandem Abbas renunciatur Monaſteriorum ſancti Mauritij de Beloaco & Maximini Trevirenſis, & de Stavelo, obijtque ætate 70. annorum, circa an. 1048. ſanctitate inſignis ex hiſtoria Leodienſi. De eo Martyrologium Benedictin. 25. Januarij. *Atrebati in Gallijs ſancti Popponis Abbatis miraculis clari.* Et Sigebertus ad an. 1027.

Narrat auctor vitæ ipſius dum expiatoriæ hoſtiæ inſiſteret corpori & ſanguini Chriſti communicaturus, tantam lachrymarum imbrem fundere ſolitum, ut caſula ſæpius madefacta appareret.

Vuido

Digitized by Google

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1033.

Vvido ſeu Guido Caſtellionenſis 42 Archiepiſcopus. Sub eo Nobiles Eccleſiarum prædia invadunt. Epiſcoporum de his querela, & ad terrorem latæ in reos excommunicationes.

CAPUT. XXV.

GUIDO de Caſtellione (celebre oppidum eſt ad Matronam ſitum haud procul à Sparnaco, ſex leucis ab Vrbe Remenſi diſparatum in Diœceſi Sueſſionenſi) Archiepiſcopalem inijt dignitatem menſe Julio ann. 1033. cujus proſapiam accuratè proſecutus eſt Andreas Ducheſne in gentis Caſtilloneæ genealogia, ubi eam ab Heriveo deducit, Herivei quondam Remenſis Archiepiſcopi Nepote, qui terram hanc in feodum, ſub Remenſis Eccleſiæ clientela tam ſibi quam poſteritati ſuæ tenendam tradiderat.

Chaſtillon de gueulles à trois pals de Vair au chef d'Or, brisé d'une Merlette de ſable au premier canton.

Pater ejus cujus nomen ignoratur, & qui vixit ſub Hugone & Roberto Regibus, tres filios ex Conjuge æquè ignota de nomine, poſt ſe reliquit, Gervaſium de Caſtellione Remenſis Eccleſiæ Vicedominum (hæc dignitas tunc Laïcalis erat) Miletium de Caſtellione, & Vvidonem Archiepiſcopum.

Hic ſcholæ Remenſi traditus à pueritia, per aliquot annos in vita Canonicali & ritibus Eccleſiaſticis ſedulò ſe exercuit, cumque non minus induſtriâ quam ſanguinis nobilitate polleret, ſic ſe cunctis affabilem præbuit, ut Sede vacante poſt obitum Ebali, certatim tam Clerici quam Populus animos in eum facilè converterint, quorum ſubnixus ſuffragio, & annitente Patre, qui Vicedominatus officio fungebatur in vrbe, Pontificatum tandem adeptus eſt, niſi quis dicat etiam largitionibus ad eum viam ſibi aperuiſſe ut acta Concilij ſub Leone nonnihil ſuſpicionis adferunt.

Quam verò turbidus fuerit regni & Eccleſiæ ſtatus cum Vvido Pontificatus inſulas induit, decretum de pace ſtabilienda à Franciæ Epiſcopis conditum (cujus Glaber meminit) ſatis indicat: nam ſeneſcente Roberto Rege, Comitum aviditati quodlibet obvium erat & licitum, adeò ut Eccleſiarum ſpolijs nobilioribuſque dominijs hinc indè etiam per vim diſtractis, naſcentes Toparchias augere non dubitarint. Cum multoties Senatus Eccleſiaſtici Symmiſtæ de hac prædandi audacia graviter & palam conqueſti fuiſſent, præſertim quod nullus eſſet miſeriarum finis & querimonias Flocci penderent nobiles.

Publicum decretum, quod Treuga Domini dicitur. Glaber. lib. 5. c. 3.

Concilia pluribus in locis & brevi temporis ſpatio ab Epiſcopis coacta ſunt, ut Bituricis & Bellovaci, quorum Canones qui ad rem faciunt, aut adhuc latent, aut periêre. Monet tamen Baronius in hanc rem præſertim Gallorum Præſules incubuiſſe, ut ſeditioſos & prædones, pacem Eccleſiarum turbantes compeſcerent, latâ in eos excomunicatione, quâ ſacris interdicti forent, & Chriſtiana ſepultura. At hi quos prædandi libido tranſverſos agebat, ſurdas aures præbere monitionibus, cenſuras nihili facere, ipſiſque ſuum commodum anteferre, quibus ad terrorem ſæpius Rex ipſe, tot vexationes indignè ferens, cum Epiſcopis ſubſcripſiſſe legitur. Celebres hîc ſubnectere poſſem ex tablinis Eccleſiarum; Laudunenſis primò pro advocationis extinctione, quæ nobili cuidam data fuerat, ut jura Eccleſiæ tueretur, & juſtitiam caſatis ſedulò adminiſtraret, eo ſiquidem

1034.

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1034.

aliter ſe gerente, anathema proclamatum eſt in eos qui hanc deinceps uſurpare præſumerent, à quo abſolvi quiſquam non poterit, donec ſatisfaciens ad Romanum Pontificem nudis pedibus eat, & ab eo reconciliatus redeat. Actum Lauduni 4. Idus Martij, an. 16. regnante Henrico. Eſt & aliud comminationis exemplum in tabulario ſancti Medardi Sueſſionenſis adverſus Dominum de Couciaco, qui cum jura inſolita a ſervientibus Monaſterij violenter extorqueret, querimoniâ apud Regem factâ & ad Epiſcopos Provinciæ Remenſis ne ulterius id committeret, anathemate prohibitum eſt, quod Rex propria manu firmavit, & poſt eum Vvido Archiepiſcopus & quidam Epiſcopi & Comites an. 1047.

Papa abſolut excommunicatos ab Epiſcopis, contra errorem eorum qui his temporibus excommunicatos ab Epiſcopis abſolui poſſe negabant, ex Baronio.

Haud diſſimile proferet idem Tabularium de Stephano Campanienſi Satrapa, qui Caſtellum de Vic à Monaſterio ſancti Medardi Sueſſionenſis abſtulerat, monitus ab Epiſcopis ſub anathematis maledictione ut illud reſtitueret. Poſt ſeptennium tandem pœnitentiâ tactus libens abdicavit. Nec Epiſcopi modo in bonorum Eccleſiaſticorum detentores anathematis gladium exercuerunt, ſed & divinum numen de his pœnas aliquando ſumpſiſſe legimus in codice Sueſſionenſi, cujus fragmentum hîc ſubjicere non inutile duximus.

Henrico I. Francorum Rege jura Reipublicæ juſto moderamine diſponente, contigit obire Palatij ſui primum conſulem Odonem, cujus filij Teutbaldus & Stephanus, cum paterni honoris dignitatem tueri & augere percuperent, in Regem arma corripuerunt. Rex conceſſis quæ Patris eorum fuerant, nonnulla ſibi vendicavit, Doncherium præſertim ſuper Moſam, quæ cum Monaſterij Sanctorum Medardi & Sebaſtiani ditionis eſſet, Palatio tamen ſuo in poſterùm ſervituram delegavit. At ne videretur ſanctorum Prædia ad proprios uſus avaritiæ ſtudio convertiſſe, maximè cum Villa hæc procul eſſet poſita, nec reditu ejus multum egeret, eam Goſciloni Duci Lotharienſium in beneficio tradidit poſſidendam; eàque ſecurè potitus eſt nihil penſi habens, quod à ſanctuario Dei perperam eſſet ablata.

Odo Campanienſis obiit 1037. Ex Mſs. codice Sueſſion. apud dominum Andr. du Cheſne.

Monaſterij Abbas mœrore tabeſcens, ob injuriam ſanctis irrogatam, diu quid ageret neſciebat, Regalis enim indignationis cenſuram verebatur, in hoc tamen rerum diſcrimine, advocatorum ope deſtitutus, Omnipotentis Dei expetijt auxilium, qui nuſquam derelinquit ſperantes in ſe.

Inito ergò cum fratribus conſilio, fieri diſpoſuit, unde & Rex terreretur de injuſta donatione, & qui ſanctorum res ſuſceperat poſſidendas, de temeraria ſuſceptione. Eccleſiam primùm cujus addictus erat obſequio, diuinis privavit officijs, tum ſanctorum corpora quæ in condigno condita erant loco, quaſi rerum ſuarum damna ſecum gemẽtia humi proſtravit, ut ſic afflictæ ſubveniret Eccleſiæ; ſanctique quibus vis illata fuerat, rebus reſtitutis, in ſuis reliquiis debitum honorẽ reciperent.

Evoluto anni circulo cum Doncherium Dux quaſi hæreditario jure poſſideret, contigit eum Imperiali edicto vocari apud Noviomagum ut curiæ præſens adeſſet. Proficiſcente eo & vigilias matutinales nocte, quæ Dominicam cœnam præceſſit, in Monaſterio ſancti Servatij Trajectenſis celebrante, divina ſe tandem ultio exeruit: expletis enim ijs, & obtenebratâ domo, vidit cum oraret in mentis exceſſu, ſanctos Sebaſtianum & Gregorium ad ejus dexteram, Medardum & Gildardum ad lævam inter ſe quærentes quid de eo facerent, qui res ſuæ Eccleſiæ à Rege iniquè conceſſas, tamquam relictum à Parentibus patrimonium retineret: confeſtim beato Gregorio præcipiente, Sebaſtianus Gocilonem haſtâ percuſſit, quo ictu expergefactus, ſanguinem per nares & os gliſcentem à corpore ſenſit, convocatiſque ſociis innotuit quid uidiſſet, ſe verò percuſſum ſanguis per os effluens ſatis teſtabatur; hoc uelut diuino inſtinctu monitus, terram uiolenter ab Eccleſia ſubreptam ſine cunctatione reſtituit, ſanctorum corpora quæ diu humi proſtrata jacuerant 12. Cal. Maias in proprium locum ſummâ cum veneratione repoſita ſunt; diuiniſque laudibus Eccleſia quæ diu ſilverat, lætanter inſonuit.

Alàs Donberedum.

Digitized by Google

Hujus consuetudinis prosternendi sacras reliquias, & imagines Crucifixi spinis sepiendi in signum mœroris & tristitiæ, cum jura Ecclesiastica violarentur, infra dabitur exemplum in Ecclesia Remensi sub Alberico Archiepiscopo. De cessatione verò divini officij & organorum, extat Fulberti Carnotensis Epistola 3. qua Robertum Regem sic alloquitur. *Scripsimus vobis de malis quæ irrogat Ecclesiæ nostræ Gaufridus Vicecomes, qui nec Dominũ nec excellentiam vestram se reuereri satis supérque indicat, cum & Castellum de Garladone à vobis olim dirutum restituit, de quo dicere possumus, ab Oriente panditur omne malum Ecclesiæ nostræ. Nunc quoque de ijsdem malis conquerimur. ..... pro quibus tacti dolore cordis intrinsecus, jam in tantum dolorem nostrum prodidimus, VT SIGNA IVCVNDITATIS ET LAETITIAE SIGNIFICARE SOLITA AB INTONANDO DESINERE, & tristiam nostram attestari quodammodo jusserimus, officiumque Diuinum hactenùs in Ecclesia nostra per Dei gratiam, cum magna cordis & oris jubilatione celebrari solitum; depressis nudo miserabiliter vocibus, & penè silentio proximis fieri, &c.*

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1035.

His mœstitiæ signis strenuè illo sæculo usi sunt invictissimi sacrarum rerum vindices, cum gravissimis eorum monitionibus dociles adhuc se præberent laïci, censurisque Ecclesiasticis ad terrorem incutiendum potissimùm institutis commoverentur.

A Dominijs purè temporalibus, ad altaria ventum est, redituſque illorum quibus hoc ævo plærique nobiles Episcoporum forsàn conniventia vel donatione partiebantur, traducebantque velut Patrimonium ad posteros. Ab his piorum virorum hortatu sacra hæc Præda sensim extorta est seu vindicata in maximum Ecclesiæ commodum ut capitibus 5. & 6. libri sequentis videbimus.

Altaria Cœnobijs dantur illo & sequenti sæculo, quare?

CAPUT XXVI.

DE Parochialibus Ecclesijs quæ in bullis Apostolicis passim altaria vocantur, instituti mei non est copiosiùs hîc differere: cum viri eximij varias earum vices à septennio sæculo usque ad Concil. Claromontanum (quo prava consuetudo altarium Redemptio dicta, penitus rescisa est ac interdicta) admodum accuratè editis scholijs evulgarint. Quod dicendum occurrit illud est, magnam Cœnobijs præsertim factam fuisse bonorum accessionem Altarium ab Episcopis largitione, quæ vel recens à se erectis, vel à Prædecessoribus dudum conditis impertiverunt, plerumque sine onere, sæpius verò ut Annatim preces, & postquam è corpore demigrassent, Anniversarium Monachi pro ijs solemniter celebrarent. Præsules ad id imprimis pellectos fuisse reor, quod cum ex certis revelationibus Dei famulis Divinitùs ostensis innotuisset, complures animas orationibus Cluniacensium, quibus illud ab exordio curæ fuit, à pœnis Purgatorij citiùs liberari; plærique è Primoribus Cleri propensiori solicitudine hoc pietatis opus prosequentes, præter alia quotidiana suffragia, quibus animabus defunctorum jugiter subvenitur, pro se ipsis etiam Anniversaria in perpetuum fieri curarunt, assignatis ad id reditibus quantum opus esset. Unde cum per trecentos & amplius annos pauci sint Episcopi & Abbates (ut alios omittam) qui in hunc finem aliquid de propria mensa non detraxerint, aut ex

Illustriss. D. de Marca in notis ad Concil. Claromõt. Sub Vrbano 2. coactum.

Digitized by Google

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1036.

acquiſitis liberaliter erogarint, mirum non eſt ſi veteres Abbatiæ & Capitula reditibus abundent, & ſi altaria ad hoc etiam conceſſa cum decimis, quæ Nobilibus olim ab Epiſcopis peſſimo uſu dabantur, adhuc legitimè ſed ut plurimùm cum onere poſſideant. Hoc in decurſu hiſtoriæ clarius patebit. Nunc ſufficit Vvidonis Archiepiſcopi privilegium proferre, quo Altare S. Stephani velatis ſancti Petri Remenſis conceſſit ex Autographo quod in Archivis Eccleſiæ ſervatur de promptum, paucis omiſſis quæ vix legi poſſunt, ſic autem incipit.

Vide infra ad An. 1093.

In nomine Dei Amen.

EGo Vuido Remorum Archiepiſcopus, Notum fieri volo omnibus Chriſtianis fidei cultoribus futuris atque præſentibus noſtræ conuentionis commune ſtatutum, quod de Altari S. Stephani fecimus cum S. Petri Abbatiſſa O. D. L. & ſanctimonialibus. Defuncto Dodone venit in noſtra manu & poteſtate ſupradictum Altare; Abbatiſſa uerò audita morte Dodonis, quam citius potuit adijt præſentiam noſtræ . . . . . familiaritatis, & ut ſæpe dictum Altare ſancto Petro concederem IMPERSONALITER requiſiuit. Tali tenore præbuimus aſſenſum petitioni Abbatiſſæ, & Sanctimonialium, ut quamdiu in hoc ſæculo uitâ comite fuerimus, memoria noſtri fieret unaquáque hora in orationibus earum.

Odila Abbatiſſa.

Perſonaliter tenendum concedit, hoc eſt ſine perſona quæ verè titularis ſuccedat. & ſit forſan Altare cum onere datur.

Poſtquam ſuprema dies ſubtracto lumine, noſtros clauſerit oculos, annuatim ſicut conuentio fuit ANNIVERSARIVM noſtrum recoletur ab illis, itaut in illo die pro animæ noſtræ remedio celebretur Vigilia & Defunctorum fiat commendatio, conuocatis duodecim Præsbyteris, totidem Miſſæ eodem die canantur, & pro anima noſtra in refectorio ſatientur pauperes triginta ob memoriam noſtri in unum congregentur, & ut dictum eſt pro ſupradicto Altari in nomine Chriſti reficiantur, quia ſcriptum eſt, quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et ut hoc noſtræ auctoritatis ſcriptum quod fecimus inconcuſſum maneat cunctis diebus; noſtra auctoritate omnino corroboramus. Inſuper & ſancti Petri regni Cælorum Clauigeri, cui prædictum Altare contulimus, hoc ſcriptum nos ipſi firmauimus, manuque fidelium noſtrorum roborari fecimus. Actum Remis regnante Rege Henrico an. 8. Epiſcopatus Domni Guidonis an. 2.

An. 2. Regni Henrici numerando à die coronationis ejuſdem.

Sig. Harduini Archidiaconi.
Sig. Richardi Archidiaconi.
Sig. Conranni Decani.
Sig. Alberti Camerarij.
Sig. Alberici
Sig. Harduini hujus loci Præpoſiti.

Oldaricus ad vicem Harduini Cancellarij ſcripſit, & ſubſcripſit.

Extat etiam in tabulario prædicti Monaſterij Charta Vvidonis Archiepiſcopi qua ſpecialiter agnoſcit Præpoſituram Rotundi Monaſterij (ſic enim regalis ac vetus Parthenon in hac indigitatur) Epiſcopalem nullatenus ſpectare poteſtatem cui ſubſcripſêre.

Rotundum Monaſterium vocatur, quod munus additũ ubi eſt Maius Altare perfectiſſimè Rotundus ſit intus & foris.

Beraldus Sueſſionenſis Epiſcopus.
Vuido Archiepiſcopus.
Harduinus Archidiaconus & Præpoſitus.
Richardus Archidiaconus. Guntrannus Decanus.
Richerus Cantor. Richerus Theſaurarius.
Albricus, Albertus, & Hardulfus Cancellarius.

Publicis his inſtrumentis aliud ſubvecto ejuſdem Vvidonis Archiep. quo Cœnobitis ſancti Remigij Altare de Cruſciniaco jure perenni poſſidendum conceſſit ob amorem Francorum Apoſtoli, & quidem ſine onere.

Charta

Digitized by Google

Charta Vuidonis Archiepiſcopi qua Remigianis confert Altare de Cruſciniaco.

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1040.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Vuido Dei gratia Remorum Archiep. notificare cupio Eccleſiæ noſtræ tam præſentibus quam futuris fidelibus, qualiter à Domino Abbate Theodorico, cæteriſque oratus & exoratus Altare de Villa quæ Cruſciniacus dicitur pro animæ meæ remedio S. Remigij tradiderim Cœnobio ad Dei gloriam, beati quoque Patris, & Anteceſſoris noſtri Remigij amorem, euidenter conſiderans par eſſe juſtis petitionibus acquieſcere, Dominumque honorari in ſancti ſui Confeſſoris veneratione. Non enim dignum judicaui rem petitam denegando Francorum Apoſtolo atque Patrono, refragari, cujus patrocinio nos ſperamus ſemper & ubique protegi. Ne autem inconſulta in Altari traditio putetur temeritas, conſenſu atque conſilio Beroldi Sueſſion. Epiſcopi, Clericorum etiam, ac Laycorum noſtrorum inſtinctu prædictum Altare S. Remigio tradidi poſſidendum jure perenni, tali permiſſione habita, ut una perſona defuncta, à loci Abbate præſentetur altera, cui Altare reddatur abſque omni pecunia, taliſque ſit perſonarum ſubſtitutio per ſæcula. Ita tamen ut pro reſpectu denarios 18. ſicut reliqua Altaria tam mihi quam Succeſſoribus meis ſoluat in Synodo annuâ. Hujus conuentionem traditionis volens permanere inuiolabilem ſcripto ſtudio deſtinaui poſteris ad conſeruationem. Quin imo auctoritate Dei Omnipotentis Patris & Filij & Spiritus ſancti, nec non Beatæ Mariæ Virginis, ſancti quoque Remigij, omniumque ſanctorum ſuffragantibus meritis, excommunicamus præfatæ conuentionis violatorem teſtibus his præſentibus.

Altaria Monaſteriis primùm ſub vicaria perſonarum conſtitutione tribuebantur, ut Vuido hic Remigianis dat Cruſciniacũ: poſtea vero ab Epiſcopis libera ab omni perſonatu data ſunt in gratiam Religioſorum Vt patet ex Charta Elinãdi Landun. Epiſcopi in Hiſtoria Dionyſij fol. 463. Item ex Altari de S. Thoma per Manaſſem Archiep. ann. 1096. conceſſa. Altare, inquit, Beati Thomæ S. Remigio contradidi & ut ibidem fratres Deo militantes aggregentur, abſque perſona tenendum conceſſi.

Vuidone Archiepiſcopo. *Beroldo Epiſcopo.*
Albrico Præpoſito. *Guntranno Chorepiſcopo*
Conſtantio Decano. *Richardo, Odalrico, &c.*

Actum eſt Remis ann. Dominicæ Incarnationis 1040. indict. 8. regnante Henrico Rege ann. 12. Epiſcopatus Domini Vuidonis 7. Teſtes Gerardus, Erlebaldus, Henricus, Bernaerus, Boſo, Rainaldus, Varinus. Vauterannus Cancellarius ſcripſit † & ſubſcripſit.

In ſigillo præſtat effigies Archiepiſcopi media parte corporis cum hac inſcriptione. Sigillum Vuidonis Archiep. Remenſis.

Hoc eodem anno ut refert Richardus de Vaſebourg, cum lis exorta eſſet inter Eccleſiam Remenſem, & Richardum S. Vitoni Virdunenſis Abbatem pro moneta Moſomenſi, quam Ebalus Archiepiſcopus monetæ Remenſi conjunxerat, adeptam prius poſſeſſionem, iterum aſſervit Vuido fœdere inito cum Abbate, cui ut damnum compenſaret Parochiam de vineis liberaliter conceſſit ann. 1040.

Moneta Moſomenſis.

Prioratum de Ventelay fundat Comes Theobaldus. Remigianis Privilegium dat Henricus Germaniæ Rex. Lietbertus fit Cameracenſis Epiſcopus.

CAPUT XXVII.

DYNASTÆ Campanienſes in immenſum dignitatis & divitiarum apicem provecti, quò ſe gratos erga Deum, beneficiorúmque ejus memores exhiberent, pluribus in locis loca ſacra ſuis ſumptibus erexerunt, ex quibus plura reſtant in Diœceſi Remenſi, inter quæ memo-

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1040.

memoratur Rociacum proximè, & Prioratus de Ventelay haud procul à Fimmis; cujus erectio cum in hunc annum incidat, aliquid de eo dicendum eſt, incipiendúmque ab initialibus verbis Chartæ Theobaldi Comitis in tablino majoris Monaſterij aſſervatæ, quæ ſic habent.

Ego Comes Theobaldus, & Mater mea Ermengardis, donamus Monaſterio majoris Monaſterij, quicquid Odo pater meus habebat apud Ventiliacum. Donationi huic quæ occaſio fuit Prioratum inſtituendi ſubſcripſère Henricus Rex Francorum, Vvido Remorum Archiepiſcopus, Tetbaldus Comes, Stephanus Comes, Ermengardis Comitiſſa, Hilduinus Comes (forſan de Roceio) Iſembardus Epiſcopus Aurelianenſis, Beroldus Epiſcopus, Nargandus Abbas, Tendo, & Robertus de Firmitate, &c. Harum litterarum antographum renovarunt aliquot Remenſis Provinciæ Abbates quo pondus ei & auctoritatem conciliarent, ſed integrum dumtaxat ſuper eſt nomen Simonis Abbatis S. Nicaſij.

Prioratum hunc majori Monaſterio à fundatione obnoxium fuiſſe tabulæ indicant, addúntque Theobaldum Sueſſionenſem Epiſcopum Altare de Ventiliaco eidem conceſſiſſe in Synodo Sueſſionis habita ann. 1084. indictione 7. Philippi Regis Francorum ann. 24. ſub Rainaldo Archiep. Pontificatus ſui ann. 1. aſſiſtentibus Epiſcopis Rogerio Catalaunenſi, Elinando Laudun. Gerardo Cameracenſi, Radbodo Noviomenſi, Roricone Ambianenſi. Vvidone Belvacenſi, Gerardo Ternannenſi, Theobaldo Campanienſi adhuc ſuperſtite. Archiepiſcopus eâdem tabula diſertè aſſerit ſe præbere conſenſum ut Altare de Ventiliaco, quod Comes Theobaldus de Caſamento Eccleſiæ Remenſis tenebat, detur ad opus Eccleſiæ de Ventiliaco, & Monachis ſancti Martini ſine perſona tenendum, quod prædicti Epiſcopi approbarunt. Cum autem prædictum Altare detur ab Archiepiſcopo ſine perſona tenendum, quidam inferunt Eccleſiæ Parochialis adminiſtrationem Monachis fuiſſe commiſſam, itaut Rectores primarij ſint prædictæ Eccleſiæ.

Altare de Ventiliaco datur Majori Monaſterio ſine perſona tenendum, quod Theobaldus Comes tenebat.

Tetbaldi Comitis ſucceſſores, juxtà depravatum ſæculi morem, nullâ habita ratione ſolemnis hujuſce donationis, indignis Prioratum vexarunt exactionibus, quæ modum omnino exceſſerant, forſan quod anno 1134. Henricus Tetbaldi filius, hominum Villæ de Ventiliaco defenſionem ſuſcepiſſet adverſus Hugonem Roſcienſem Comitem acriùs incolas de Ventiliaco infeſtantem, ob id penſitationes quot annis ei putantur attributæ, & ut loquuntur redhibitiones, hoc eſt novella obſequia. At ipſe paulo poſt vicem rependere volens, omnem totius Villæ juſtitiam pertinere declaravit ad Prioratum, datis apud Caſtellionem litteris, cui velut teſtes ſubſignarunt Gormandus & Haimo de Marolio, Girvidus de Fimis, & Lambertus de Caſtellione.

Eodem giſtum (ut vocant) & procurationem à famulis Prioratus ſibi deberi poſteà contendente, majoris Monaſterij Monachi de Vaſſallorum quiete ſolliciti, hoc onus ſic temperandum à prædicto Trecenſi Comite obtinuerunt, ut giſtum aut procurationem Inquilini Prioratus non ſoluerent niſi ipſe præſens adeſſet, ann. 1164. Quod Henricus Archiepiſcopus Remenſis decreto ſuo roboravit, Ludovico Rege Francorum conformante.

Conrando Imperatore apud Trajectum inſperata morte ſublato, in regnum Germaniæ ſucceſſit filius ejus Henricus, ab eo Rex ante duodecim annos inſtitutus, ut patebit ex præcepto Remigianis conceſſo, quod hic è Chartophilacio ob antiquitatis honorem à nobis diligenter exſcriptum reponimus.

Conradus Imperator obit. Henricus Germaniæ Rex ei ſuccedit.

Henrici

Digitized by Google

Henrici Germaniæ Regis Præceptum.

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1044.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Henricus divinâ favente clementiâ Rex. Quia Regiæ dignitatis, & Eccleſiaſtici regiminis nomen divino munere collatum accepimus, Eccleſias ſanctæ religioni dicatas, à violentorum quorundam incurſionibus, & inquietudinibus, novis privilegijs in ſcriptis authenticis defendere debemus. Qua propter omnium Chriſti, noſtrique fidelium, tam futurorum, quam præſentium ſolers induſtria noverit, qualiter nos præcipuè pro amore & reverentia noſtræ dilectæ conjugalis Agnetis Reginæ & Epiſcopi Brunonis interventu, & ob petitionem venerabilis Abbatis Theodorici ſcripta vel præcepta Monachis Dei, ſanctique Remigij ſervitio in Suburbio Remorum mancipatis, à magno Imperatore Ottone cæteriſque Regibus vel Imperatoribus anteceſſoribus noſtris, conceſſa, ſive condonata, Regia noſtra auctoritate confirmare & corroborare decrevimus. Hac igitur auctorali noſtra confirmatione ſtabilimus, & ſancimus, ut præfati Monachi prædia Coſla, & Marſna, cæteráque infra regni noſtri terminum conſtituta ad jus & proprietatem ejuſdem beati Remigij pertinentia, liberè teneant. . . . . ita quod nullus Iudex, Aduocatus, uel Comes hinc aliquid exigendi habeat poteſtatem, &c.

Signum Domni Henrici Regis inuictiſſimi.

Adelgerus Epiſcopus & Cancellarius Vice Bardonis Archicancellarij recognouit. Data 6 Cal. Maij an. Dom. Incarn. 1044. Indict 12 an. autem Henrici tertij ordinationis ejus 17. regni uerò 5. Acta apud Nouiomagum in Dei nomine feliciter, Amen.

De tertia ſolis Eclypſi ſupra Remorum civitatem viſa anno 1046. diſſerit Glaber libro quinto capite tertio. Ubi & ſtellam quæ manè Lucifer appellatur, inuſitato motu & agitatione hominibus minitari videbatur, dicit apparuiſſe. 1046.

Anno 1048. 14. Martij aliàs 1049. ſepulto honorabiliter ut decebat Gerardo Pontifice Cameracenſi, Henricum Regem Lotharienſium adeunt Archidiaconi, cum Caſatis Cameracenſis Eccleſiæ, portantes Baculum Pontificalem, & annunciantes Epiſcopi ſui depoſitionem. Ita Baldericus, qui cum alibi Gallos ignorantiæ & ſtupiditatis arguat, circa ritus Eccleſiaſticos, ut Lotharienſibus diſciplinæ palmam deferat, non advertit tamen quam turpiter & adulatoriè ijdem Lotharienſes ſe geſſerint poſt Gerardi obitum, & quomodo contra morem Eccleſiæ inſignia Epiſcopalia Regi deferentes, anſam præbuerunt nefario ſchiſmati in Germania exorto, & acri illi concertationi de inveſtituris, quæ multos annos nec ſine ſcandalo vexavit Eccleſiam, ſummóſque Pontifices exercuit. Conceſſo Civitatis Cameracenſis regimine Lietberto recens electo ab Imperatore, Cameraci ſtatim graviter tumultuatur. Nam id ægrè ferens Joannes Atrebas, qui ſe ejus Civitatis advocatum fortem dictitabat, excluſo urbe Pontifice, Principatum in ea arripuit. Dequa re certior factus Balduinus Flandren. conſcripto Milite Pontificem in urbem, ſedemque reſtituit advocatúmque poſſeſſionibus multavit, egitque in exilium. 1048.

Bruno Tullenſis Epiſcopus ad ſummum Pontificatum eligitur, Remiſque Concilium indicit contra Simoniacos.

CAPUT XXVIII.

DEFUNCTO Damaſo & Benedicto quem decenem ad Apoſtolicam cathedram electum ſeu verius intruſum vidimus, rurſum ſibi poſt abdicationem infulas vendicare nitente, ne tale monſtrum Eccleſia ſubire cogeretur, miſſa eſt à Romanis in Germaniam Legatio ad Henri- 1049.

Digitized by Google

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1049.

Henricum Imperatorem, ut quem Ecclesiæ utilem putaret Romam mitteret à Cardinalibus eligendum, qui cum designasset Brunonem Tullensium Episcopum ex nobili Francorum prosapia oriundum, & Conradi Imperatoris consobrinum [ut Vvibertus narrat] is à Clero & populo Romano renunciatus incredibili Christianæ Reipublicæ bono, idibus Februarij Romæ solemniter consecratur, vocatúsque fuit Leo nonus.

Quantis verò flagitijs conspurcata tunc esset & defœdata Ecclesiæ facies cum auspicatò Petri solium conscendit Leo, fusius explicant hujus sæculi auctores, tradúntque miserante Dei providentia ad eam dignitatem vocatum fuisse, ut maculas vitiorum non abstergeret modo, sed simoniacos vepres qui Patris-familias suffocabant sementem succideret, ac penitus eradicaret.

Inito igitur Pontificatu, muneris sui primitias Italiæ primùm consecravit, editis Romæ Canonibus contra Simoniacos, & Papiæ: tum per montem Jovis in Cisalpinas partes deveniens, alterum Remis, Moguntiæ alterum indixit Concilium, quibus labentem Ecclesiæ Gallicanæ fulciret statum, & tot tantisque quibus premebatur angustijs mederetur. Horum meminit Hermannus Contractus in Chron. ad ann. 1049. licet causam reticeat. At Anselmus Remensis Monachus & itinerarij Leonis auctor, non causas modo Concilij Remensis præsertim, sed minutas etiam circumstantias, tum dedicationis Ecclesiæ Francorum Apostoli, tum eorum etiam omnium quæ à Pontifice gesta sunt accuratè sic persequitur, ut nihil supra. Juvat ergo eum audire loquentem, ut ea scripto posteritati consignavit. Sed cum prædicti operis prior pars agat de instauratione Basilicæ sancti Remigij, quam huc remisimus, ac de solemni dedicatione quæ Concilium præcessit, duobus etiam Capitibus totum comprehendemus, nihil immutando eorum quæ ab Anselmo candidè referuntur, sed ijsdem omnino verbis cum Capitulorum divisione ut sunt in codice Nicasiano, exponemus.

Ordericus Vitalis lib. 5. Histor. Eccles.

Incipit narratio qualiter Ecclesia Beatissimi Remigij renovata, & à Domno Papa Leone 9. fuerit dedicata.

Cap. I.

BAsilica igitur glorioſi confeſſoris Chriſti Remigij corpore inſignita, quæ uſque ad moderna perduravit tempora, Remenſium quondam Archiepiſcoporum ſtudio inchoata, & à venerabilis memoriæ Hincmaro eorum ſucceſſore conſummata anno Incarnati Verbi octingenteſimo quinquageſimo ſecundo ab ipſo eſt dedicata. Quæ quidem non adeò operoſi ædificij ſolidata eſt munitione, quoniam barbaræ nationes per id temporis hanc infeſtantes provinciam frequenti incurſione, præfatos Præſules ab hujuſmodi præpediebant intentione, unde intra centum quinquaginta & duos annos tanta eſt attrita vetuſtate, ut jam ad caſum propinquans reparationem ſui videretur exigere.

Ecclesia B. Remigij ab Hincmaro consummata & dedicata. an. 852

Anno verò Dominicæ Incarnationis milleſimo quinto, poſt reparationem autem Monaſticæ religionis per Hugonem Pſeudo-Epiſcopum inibi factam ſexageſimo ſecundo, ab Arnulfo Archipræſule, eidem loco ordinatus eſt Airardus Abbas poſt Hincmarum præcipuè bonitatis virum, & in Cœnobiali ſtrenuum ordine ſextus, qui cum ſagaci intenderet animo plures dominici gregis Paſtores ſuâ ætate per Gallias enituiſſe, qui Eccleſias ſuas ex vetuſtate in potiorem ſtatum ſtuduerant reformare, deliberavit & ipſe operam adhibere in eius quæ ſibi commiſſa erat renovatione. Quapropter viris qui Architecturæ periti ferebantur aſcitis, futuri templi fabricam ex quadris lapidibus erigere cœpit à fundamentis multò quidem operoſiorem illis quas prænotatum eſt in Gallico regno renovatas, & ambitioſiorem, ideó-

Renovantur Ecclesiæ per Galliam.

Digitized by Google

ideoque ſibi & illius ævi hominibus inconſummabilem. Nam ubi per viginti & octo ferè annos Paſtorale officium amminiſtravit, ſenio confectus, coeptóque operi finem non imponens vitâ deceſſit. VVIDO XLII. ARCHIEP.

Huius ergo tempore ad Beati Remigij tumulum divina virtus ſe plurimis declaravit miraculis, quorum duo quædam quæ ego puer conſpexi huic narrationi inſerere operæpretium duxi, debet enim dilectio veſtra veniam dare, ſi præter ea quæ promiſit prologus aliqua interſeram, quæ tamen ſi ſciatis non ſit inutile. *An.* 1049. *Cap.* 3.

In villa ſancti Dionyſij Martyris, quæ dicitur Curtis ſuperior, erat quidam mendicus occulto Dei judicio tantæ calamitatis infortunio preſſus, ut pedes illi ambulandi ſubſidium denegarent, & calcanei ejus retro inflexi, natibus quaſi naturaliter inhærerent, &c. *Cap.* 4. & 5.

Abbati Airardo ut (præfatum eſt) vita exempto ſucceſſit Theodericus à *Vvidone* Remenſi Archiepiſcopo ibidem ordinatus, qui cum plurima Eccleſiaſticæ utilitati profutura decerneret diſponere, deliberavit reparationi Eccleſiæ ſuæ, quam ſuus prædeceſſor incœperat, manum perfectionis imponere, verùm quia gravè nimis & iexplebile ſibi illud erat incoeptum, deliberatio quoque ſua ſi id intenderet implere, videbatur non habitura effectum. Quo circa eorum qui inter ſibi commiſſos prudentiores habebantur, & ſeniorum Remenſis Provinciæ conſilio uſus, difficulter aggreſſus eſt diruere opus, quo penè diruto, & fundamentis quibuſdam relictis quæ architectis viſa ſunt neceſſaria fore futuris ædificiis, divinam domum cœpit faciliori quidem ſtructura, ſed non indè certiore conſtruere, ut aſpectum adhibentibus facile eſt cernere. *Cap.* 6.

Qua incœpta feliciter anno quinto ſuæ ordinationis, accenſi ſunt plures Catholici viri fervore divinæ religionis, ut pro facinorum ſuorum abolitione, parentúmque ſuorum, quorum corpora humata ibi erant requie, pro poſſe ad id opus condigna ſubſidia ſtuderent ſuppeditare. Nonnulli etiam de Eccleſiaſtica familia ſuum auxilium promptâ impenderunt benevolentiâ, ſuiſque plauſtris, & bobus tantis incœptis competentia advexerunt onera. Sicque fundamentis in quibus locis non erant locatis, & columnis ex diruto priori ædificio competenter diſpoſitis, arcus ſuper eos diligenter conſurgunt, & Baſilicæ fabrica inter manus artificum clareſcere viſa eſt. Tunc jam veſtibulorum parietibus undique erectis, & interioris templi faſtigijs altius elevatis vetuſta Eccleſia ab Hincmaro Archiepiſcopo (u dictum eſt) antiquitùs dedicata, eſt everſa funditus, & vilis interim tecti cooperto-riolum fabricatum ſuper chorum Fratrum, ubi abſque inquietudine ventorum & pluviarum diuinis poſſent vacare laudibus. Supra ſepulchrum verò beati Remigij cripta conſtructa eſt licet parva, ideóque toto corpori ſuo incongrua, pulchrè tamen columnis & arcubus fulta. *Cap.* 7.

Præfatus namque Abbas aſſiduus hortator aſſiſtens, conabatur ſummoperè, quatinus idem opus ad ſummam perfectionis conſurgeret ſuæ vitæ tempore, maximóque æſtuabat deſiderio, ut Papa Romano ſi quomodo valeret in Gallias evocato illud conſecrari faceret Apoſtolica benedictione, quod licet ex affectu piæ voluntatis proceſſerit, divina tamen diſpoſitio hoc differens, ejus ſucceſſori peragendum reſervavit. Nam morte immatura præventus, diem clauſit extremum, mœroris maximi ſe diligentibus relinquens infortunium expletis in regimine Monaſterij annis undecim & menſibus octo; qui cum deducta à Proavis polleret generoſitate, morum etiam eximia vigebat nobilitate, ſibi reverentiam exhibentibus ſe præcipua humilians lenitate, ſubditos ſibi & maximè ſanctæ religionis amatores devota excolens devotione, quibúſque magnis & minimis affabilis, ideòque quam plurimis Francorum Proceribus amabilis, honorem ſanctæ ſibi cre- *Cap.* 8.

VVIDO XLII. ARCHIEP *An. 1049.*

ditæ Eccleſiæ pro poſſe exaltavit, & exaltare voluit ſed quoniam occaſio mortis interveniens effectum piæ voluntati abſtulit, ejuſdem loci Præpoſitum Herimarum nomine adhuc juvenem ſibi ſucceſſorem delegit. Ipſum quippe quob habuerat in deſiderio reddidit adimpleturum ſtrenuè, qui ſibi adjutor & cooperator extiterat ante omnes in præfati operis exequutione, maximáque ſuppeditavit ſubſidia ex reditu Villarum ſuæ commiſſarum providentiæ.

Cap. 9.

Herimarus Abbas ordinatur à Vvidone Remen. Archiepiſco.

Hic ergo loco defuncti Patris ſubrogatus fratrum penè omnium unanimi ſententia, & memorati Vvidonis Remorum Archipræſulis ordinatùs, non diu paſſus eſt interruptum pendere memorabile coeptum ſui Anteceſſoris, ſed primo quidem dexteram Baſilicæ Crucem maxima ex parte jam inchoatam, & ſiniſtram nihil adhuc præter fundamenta habentem cum Cocleis quibus ad ſuperiora eſſet aſſenſus fecit ædificari: criptam autem quæ ſuper Beati Remigij ſepulchrum conſtructa fuerat, quia, ut ſuperius relatum eſt, præcipuè parvitate ſui alterius operis incongrua videbatur dirui, & aliam eminentiorem fecit reſtitui. Deindè trabibus de ſaltu juxta Orbacis Monaſterium ſito advectis, faſtigia ejuſdem conteguntur templi, ſicque decentiſſima domus tota apparavit in partibus ſuis.

Caput. 10.

Quapropter idem Abbas cum quibuſdam ſapientibus Remenſis Provinciæ, prudenti coepit tractare conſilio quatenus eandem faciens conſecrari benedictione, ſic prædeceſſoris ſui devoto ſatisfaceret deſiderio. Cui ut facultas non deeſſet optata peragendi, opportunitatem temporis obtulit dignatio divinæ diſpoſitionis. Defuncto ſiquidem Papa Damaſo, qui in civitate Brixenorum quæ eſt in Provincia Hyſtriæ fuerat Epiſcopus, & in Apoſtolicâ ſede intronizatus, triginta ſolummodo ibi vixerat diebus, Romani legatione de ejus obitu ad Imperatorem Henricum directa, petierunt ut Eccleſiæ Paſtore viduatæ, ab eo ſubrogaretur alius.

Caput. ij.

Bruno Tullenſis Epiſcop. ab Imperatore Summus Pontifex eligitur ſeu potius deſignatur.

Qui ſuper hoc negotio Epiſcoporum & Optimatum Imperij ſui quærens conſilium, invenit inter cæteros Domnum Brunonem Tullenſem Præſulem ad idem officium ſubeundum eſſe idoneum, ut pote qui ætatis maturitate, morúmque & ſcientiæ claritudine videbatur conſpicuus ſibíque ſanguinis affinitate proximus, unde Apoſtolicæ dignitatis ei adjudicata ſunt inſignia, juſſúmque eſt ab Auguſto ut ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones Romana inviſeret mœnia; ſed quia ſolemnia imminebant Nativitatis Dominicæ, hæc cum Clero cujus fuerat Paſtor diſpoſuit celebrare, eiſque celebratis, quo erat præceptum, abire. Hujus itaque Pontificis notitiam in colloquio à præfato Imperatore & Francorum Rege de pacis & amicitiæ confirmandæ gratia ante non multum tempus habito, memoratus Abbas Herimarus fuerat conſecratus, à quo etiam promiſſum acceperat quod in proximo quadrageſimali jejunio Beati Remigij ſepulchrum abſque equi ſolatio foret expeditus, quia cum eorumdem Regum aliquando familiaria ad invicem perferens mandata per contiguam regionem tranſierit, ipſius ſancti locum orationis gratia inuiſere neglexerit, quod idem Abbas ſagaciter recolens animo, ſua derigens ſcripta, illi ſuggerit ut quoniam pro delegato ſibi Apoſtolici Primatus officio Romam ire diſponit, ſi quando ad cognatos fines certo Eccleſiæ revocetur emolumento, non fiat irrita Francorum Apoſtolo ab eo facta promiſſio. Mittit verò ei in munere vas ad bibendum idoneum intus, & exterius auro decentiſſimè decoratum inſinuans illi de ipſius ſancti Eccleſia dedicanda ſuum cum petitione deſiderium. Ad hæc idem Epiſcopus benignè refert, quia etſi alia nulla ſe revocet Eccleſiæ utilitas, vel pro ſolo amore ſancti Remigij reverſurum ad Gallias, & ejus Baſilicam dedicaturum ſi divina annuerit benignitas.

Cele-

Digitized by Google

VVIDO XLij. ARCHIEP. *An.* 1049.

Celebratis ergo in ſede Civitatis Leucorum, duobus Dominicæ Nativitatis diebus, in tertio Clero ſuo valefaciens iter carpere Romam ducens aggreditur, quo perveniens cum favore totius populi honorabiliter excipitur, Apoſtolicæque dignitatis infulis inſignitus, in Ypapanthi Domini in Cathedra beati Petri intronizatur, & Leo Papa Romano more nuncupatur. Hic dignè amminiſtrans quæ ſui ſunt officij, inſtantérque diſponens, quæque videntur accommoda divinæ religioni, Quadrageſimalis temporis explet jejeunia, ſuccedentiáque Dominicæ Reſurrectionis ibi celebrat ſolemnia, quibus elapſis Synodum convocat Epiſcoporum Italiæ, & ibi quælibet perverſa in eorum Epiſcopijs pullulantia, aut corrigit, aut hortatur corrigere. *Cap.* 12.

Aliquanto autem tempore interlabente curriculo, Gallicum reviſere ſolum, tam beato Remigio facta promiſſio, quam ortodoxæ fidei in illis partibus adeò tepefactæ perſuadet intentio: undè à Romanis expetita licentia per quaſdam Latij urbes iter agens, in eis multa diſponit Eccleſiaſticæ honeſtati congrua, tandémque adit Imperatorem Henricum in regione Saxonica commorantem. *Cap.* 13. *Pontifex Gallicum revisit ſolum amore S. Remigij.*

Interea memoratus Abbas deſiderij ſui compotem ſe futurum ex ipſius Papæ certus pollicitatione, Regi Francorum Laudunum venienti occurrit in Pentecoſtes ſolemnitate, ejuſque conſilium & favorem expetit, de præfato templo Apoſtolica conſecrando benedictione, monens, & poſtulans, ut his agendis ſuam præſentiam exhibeat, & Epiſcopos regnique ſui Principes ſecum intereſſe faciat. Cui idem Rex ad præſens mente benigna annuit, ſeque niſi alicujus impedimenti interceſſerit caſus, tantæ feſtivitati adfuturum aſſerit, ex quo promiſſo Abbas lætificatus revertitur, indèque Papæ Coloniam Agrippinam cum Imperatore advenienti in Apoſtolorum Petri & Pauli Natalitio fit obvius, à quo adventus ſui ad Remenſe ſolum, gerendarúmque ibi rerum tempus, & ordinem inveſtigat diligentius. Ille verò ſibi notificans, pandit quomodo prius deliberaſſet, ut octava die ab ipſius ſancti feſtivitate quæ in Calendis Octobris habetur celeberrima, illò veniret, & illius Monaſterium dedicans, poſteà ibidem ex Epiſcopis Galliæ congregatam Synodum celebraret. Qua ſententia mutata, ad eundem locum in ſolemnitate ſancti Michaëlis Archangeli ſe venturum, & in Eccleſia Beatæ Mariæ Remis Miſſarum ſacra in eâdem die memorat celebraturum. Feſtum verò glorioſi Patris Remigij, pretioſi corporis ejus elevationi, & ſubſequentem Baſilicæ conſecrationi, cæteros deindè tres dies Synodi deputat celebrationi. *Cap.* 14.

Quibus auditis ad ſuum Cœnobium redijt Abbas, ſuáque ſcripta per Franciam, eíque contiguas direxit Provincias, invitans ſanctæ Eccleſiæ fideles ut ad tanti gaudij participationem concurrant mente promptiſſima, tam pro amore & veneratione ejuſdem Patroni ſui, quam ut benedictione muniri mererentur Apoſtolica.

Cæterum Papa Coloniâ digreſſus Tullum in Exaltatione Dominicæ ſanctæ Crucis venit, indéque circumjacentium regionum Epiſcopis, & Abbatibus literis ſuæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die ſibi occurrerent ad Synodum celebrandum in Baſilica præfati Francorum Apoſtoli, ut per quem ortodoxæ fidei initiati ſunt rudimentis, in ejus præſentia conſequerentur reparationem tepefactæ in ſe divinæ religionis. Hujuſmodi mandatis gratulatur pia fidelium devotio præparans ſe ſtudioſè ad implendum quod ex Apoſtolicæ dignitatis ſibi promulgatur edicto. Venenatus autem ſerpens qui ab exordio mundi ad humani generis inhiat præcipitium, tam ſalutari propoſito commenti ſui nititur proponere obſtaculum. Ad complendam enim perfidiæ ſuæ voluntatem, quoſdam potentiores laicos excitat qui inceſtis conjugijs operam dando, *Cap.* 15.

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1049.

& aliorum criminum nefarijs usibus se implicando, violatores erant honestatis Ecclesiasticæ, ideóque verebantur reatuum suorum latebras in lucem prodere. Sed & nonnullos Episcopos, & Abbates illis adjungit, qui in ovile Dominicum aliundè non per ostium irruperant, & in Ecclesijs suis Catholicorum Patrum sanctionibus contraria quædam pullulare permiserant, quæ condictæ Synodi examinationi reseranda manifestari metuebant; ut enim scriptum est, qui malè agit odit lucem, & idcirco peccatis suis magis magisque occultationis adhibet obnubilationem. Tantæ itáque perversitatis viri incentoris sui callida suggestione instincti, Regi Francorum suggerunt, regni sui decus adnihilari, si in eo Romani Pontificis auctoritatem dominari permitteret, vel si eidem ut decreverat occurrens præsentiæ suæ favorem ad cogendum Concilum exhiberet. Addunt etiam quod nullus Antecessorum ejus id reperiatur aliquando concessisse, ut ob similem causam in Franciæ urbes ingressus pateret alicui Papæ. His verò agendis pacis, & tranquillitatis congrua sunt tempora, regni autem ejus status sit in perturbatione non modicâ, quibusdam viris potentibus dominationis ejus jugum detrectantibus, terrásque & Castella quælibet ab ipsius ditione abalienantibus. Quapropter Regiæ dignitati ferunt congruere, utilitati Reipublicæ suæ sapienter consulere potius, quam Synodis intendere, Principes suos & totius exercitus sui potentiam in rebelles commovere. Ipsos etiam Episcopos & Abbates penes quos maxima pars facultatum regni est, censent immunes hujus expeditionis esse non debere, ante alios Abbatem S. Remigij quem quasi de rerum suarum abundantia præsumentem pro vanæ gloriæ amore, ad Monasterium consecrandum calumniabantur Romanæ urbis Pontificem evocasse.

His erant Gebuinus Landun. Episcopus & Comes de Brenna.

Nobiles seu Torparchæ sub Henrico I. civitatum vel subjectionis jugum excutere conabantur.

Episcopi & Abbates dextiores expeditionibus bellicis interesse debebant.

Hac igitur versipelli persuasione Rex emollitus, & ab honesto proposito ad seductionis devia flexus, Papæ per Sylvanectensem mandat Episcopum se, suósque Pontifices cum Abbatibus cogi ad comprimendam peruicaciam sibi resistentium, ideóque non posse occurrere illi in præfixo termino ad peragendum Concilium: undè adventum suum in Franciam in aliud tempus differat, quo absolutis hujusmodi negotijs, eum debito cum honore suscipiat. Ad hæc summus Pontifex remandat se nihilominus Synodum habiturum, Rege interim cum Episcopis, Abbatibus, Ecclesiarúmque perversis Rectoribus summi Pastoris examen pertimescentibus, in rebelles bella movente &c.

Cap. 16.

Adventus Papæ Leonis 9 in urbem Remensem. Cap. 17.

Igitur Domnus Papa à Leucorum urbe digressus ad Remensem iter aggreditur, & in opportunis locis singulis quibúsque noctibus mansione accepta in vigilia festivitatis S. Michaëlis ad Curmolensem villam venit, cui præfatus Abbas Remigianus ibidem obvius factus, quæcumque necessarius expetit usus, illi omnique comitatui ejus affluenter suppeditavit. Die verò sequenti ad sanctum pervenit Remigium, Archiepiscopis tribus comitatus, Trevirensi videlicet, Lugdunensi, Vesontionensi, alijsque viris honorabilibus, inter quos erat Joannes Episcopus Portuensis, & Petrus Ecclesiæ Romanæ Diaconus, & ipsius urbis Præfectus. Sic protinus conglobatur in unum tota fratum congregatio, & cum eis Abbatum, Monachorum, Clericorum qui jam ex multis confluxerant partibus numerosa concio, ex quibus omnibus in atrio basilicæ disponitur decentissima processio, Episcopis tribus Silvanectensi videlicet, Andegavensi, Nivernensi longè digestos ordines antecedentibus, textúmque Evangelij cum aqua benedicta, & aromatum odore ferentibus. Sic ergo dispositi Papam advenientem suscipiunt, cui Ecclesiam introeunti Responsorium *Iætentur cæli* &c. cum digna modulatione concinunt, & dum ante altare sanctæ Crucis orat, aliud Responsorium *Summæ Trinitati* videlicet concinentes finiunt. Progresso autem usque ad altare S. Christophori & ante venerandi Francorum

corum Apoſtoli ſepulchrum orationem explente, iterum hymnum *Te Deum laudamus* conſonis vocibus jubilant, qui tandem in ſede ſibi decenter apparata paululum quieſcens, adſtantes lætificavit benedictione Apoſtolica, & exindè egreſſus ab eiſdem pſallentium choris, cum divinis laudibus deducitur uſque ad civitatis mœnia, ubi ab Archiepiſcopo & Clero ſolēniter acceptus, ad templum Marianum Miſſarum ſolemnia celebraturus deducitur, quibus expletis Archipræſul Remenſis ſibi ſuiſque neceſſarios ſumptus in majori Palatio ſuppeditavit.

VVIDO XL II. ARCHIEP *An.* 1049.

Leo 9. in Archiepiſcopali aliquātulum reſedit ſede habēs ad dex-

tram Archiep. Remen. ad ſiniſtram vero Trevirenſem.

Die autem ſubſequenti ad ſanctum remeavit Remigium ejus feſta proximè acturus, undè facto ſibi balneo, lotus, & tonſus eſt, & quia ad ipſius ſancti Sepulchrum tota ferè Europa confluxerat, parari ſibi domum Eccleſiæ contiguam imperavit, ut vel ſic nec præmeretur à plebe, nec avelleretur à ſecretis. Ineredibile eſt quantam tunc temporis Eccleſia S. Remigij cluſerit promiſcui ſexus multitudinem, quot Epiſcoporum, Abbatum, Monachorum, & Clericorum agmina; qui verò conſtipatorum violentia repulſi propius accedere non valebant, nec Apoſtoli noſtri ſepulchrum vel tangere vel oſculari, de longè projectis muneribus quæ attulerant, illud quaſi projectis lapidibus pia tamen devotione obruebant.

Cap. 18.

Non eſt dictu facile quanta multitudo à finibus terræ Hiſpanorum, Britānorum, Francorum advenerat, Papa viſere præſentiam. Vvibertus in vita Leonis lib. 2. Cap. 4

Guilelm. gemmet lib. 7. Hiſtor. Anglorum Cap. 15. Ordericus vital. lib. 5. Rogerus ad An. 1049.

Eſt autem ante fores ipſius Baſilicæ quoddam ſpatioſum atrium, in quo quotiens denſitatem ſui non poterat perpeti, frequentia tantorum ſe explicabat coetuum, eò ducta aviditate cernendi ipſum beati Petri vicarium, poſt beati enim Remigij captatum ſuffragium, ad hujus ſummoperè inhiabat conſpectum, qui ut magnanimo deſiderantium ſatisfaceret affectui, eminentius ſolarium domus in qua morabatur petens, undè & adſtantes contueri, & ab eiſdem conſpici, & loquens poſſit audiri, Apoſtolica eos benedictione lætificavit, hiſque recedentibus, & alijs ſubindè, atque alijs illud atrium catervatim replentibus, ter in eâdem die, ſuæ exortationis monita impertiens ſalubria, liquido patefecit quæ vitanda, quæque ad ſalutem animarum ſuarum ſibi forent expetibilia. In eadem denique domo ſacra ſibi fecit celebrari, quia non dabatur uſpiam locus oportunus Eccleſiam introeundi, nec ipſi Fratres præ importunitate plebium ſolitum illic penſum divini valebant perſoluere officij.

Cap. 19.

Cap. 20.

Adveniente interea nocte, nec tamen confluentium rareſcente, ſed magis, magiſque crebreſcente copiâ, domnus Papa metuens ne in ſacris vigilijs Deo famulantes importunitate plebis prepedirentur exequi divinæ ſervitutis ſolemnia, tum etiam ne ſibi pretioſi corporis ſancti ipſius transferendi, Eccleſiæque dedicandæ inhiberetur copia, delegatis Clericis ſuis ejuſdem loci memorato Abbati ſpatioſitatem templi præcepit penitus evacuari, obſeratiſque diligenter foribus omnibus intercludi facultatem introeundi. Præcepit etiam ex ſua parte hoc populis annuntiari ut ad horam ſecederent, & abſque ulla ſui impetus inquietudine ſolemnis illius noctis excubias cum digna devotione à Deo militantibus celebrari ſinerent, ſe procul dubio die ſubſequenti eorum deſiderijs promittit ſatisfacturum, & theſaurum deſiderabilem quem quærebant, illorum conſpectibus expoſiturum, ſi verò mandatis detrectarent annuere, infecto negotio propter quod adveniſſet receſſurum fore. Quod cum tandem maxima difficultate fuiſſet obtentum, pluráque tamen numeroſitas populorum cum copioſis luminaribus deforis excubans ejuſdem pollicitationis preſtolabatur effectum, cereorum ubertate quaſi multiplici ſiderum ſplendore interius irradiata Eccleſia Deo ſervientium chori in canticis ſpiritualibus decentiſſimè

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1049.

tissimè illius noctis exegerunt spatia.

Manè autem facto susceptus est à Domino Papa intra Ecclesiam sanctus Martyr Cornelius, quem alijs sanctorum pignoribus Compedienses Clerici illò detulerant pro multis violentijs, quas Ecclesia sua patiebatur à quibusdam malefactoribus. Circa horam deindè tertiam redimitus idem Apostolicus infulis sacerdotalibus, ad glorioſi Patris Remigij sepulchrum procedit, cum thimiamaterijs & Crucibus, sociatis sibi Archiepiscopis quatuor Remensi videlicet, Trevirensi, Lugdunensi, Vesontionensi cum quibusdam alijs, sed & ipsius loci Abbate, Domnóque Hugone venerabili Patre Cœnobij Cluniacensis, & illius ordinis plurimis, cum quibus Letania facta, & super sanctum corpus non modicà thimiamatum accensa flagrantia cecinit Responsorium *DIRIGATVR ORATIO MEA.* Quo cum versu expleto, feretrum ut præparatis instrumentis aptatum ad portandum redderetur habile, à suo loco paululum removit, & Antiphonam *Confessor Domini Remigi* decantavit. At ubi competenter prò ut res exigebat, dispositum fuit, ipse ante alios cum præfatis Archiepiscopis, & Abbatibus suppositis humeris illud devotè lachrymans extulit, & Responsorium *iste est de subliminibus* inchoavit: cujus vocem subsequentes chori psallentium ovantes, erumpunt in jubilationis tripudium, pièque alacritate cordis. O quantorum ora manentium rigavit redundantia fletuum! quantorúmve mentes ad tanti Patris captanda suffragia sunt cumpunctæ in suspiria beatorum gemituum.

Cap. 21.

S. Cornelius Martyr Remos transfertur à Clericis Compendiensibus.

Papa suppositis humeris beati Remigij extulit corpus.

Tradens autem Domnus Papa eundem precioſum thesaurum se ultro ingerentium votis, ab inquietudine turbarum secessit in oratorium sanctæ Trinitatis, quod ad meridianam plagam infra ambitum ipsius Ecclesiæ decenter constructum erat Harduini cujusdam illius loci cœnobitæ studio, continens Dominicum sepulchrum eleganter imaginatum instar illius Hieroſolimitani, in quo noſtra requievit salvatio. Hoc igitur Trevirensem Archiepiscopum in sui præsentia eâdem die consecrare fecit, & consensu præfati Remorum Archipræsulis, multorum ibi sanctorum collocatis reliquijs.

Sanctæ Trinitatis oratorium, & Dominicum sepulchrum in Basilica sancti Remigij instar Hieroſolimitani consecrat Trevirensis Archiep.

Denique Monasterij foribus patefactis ubi illa cœlestis gemma desiderantium populorum est expoſita obtutibus, promiscuum vulgus præ nimia exultatione manibus plaudere visum est, innumeros in divinas laudes gratulabunda vociferatione erumpere, potentes, impotentes, nobiles, ignobiles, quémque pro suis viribus sũmopere niti, ut tam optata gaudia propiùs mereretur attingere: sed & quidam præ nimia desiderij sui festinatione præcipites, dum intra constipatos cuneos corruunt, non valentes resurgere suffocati, & conculcati intereunt. Rapitur & jactatur potius quam portetur pretioſi corporis theca, tot millium propellente frequentiâ, velut navis æquoreorum fluctuum hac & illac agitata violentiâ, nunc hi, nunc illi extorquendo sibi fœlicia vendicant dona. Et ut paucis multa concludantur, nec longis ambagibus legentium deficiat intentio, toto interstitio quod civitatem, & Castellum ipsius sancti interjacet, jucunda agitatur contentio. Adest Remensis Clerus cum civium multitudine Apoſtolum suum ad propriæ urbis mœnia elaborat devehere, quem vix ab hujuscemodi impetus densitate avulsum sanctæ Dei genitricis infert Ecclesiæ, ut cui vivens in corpore dignis laboribus vitæ præsentis multa comparaverat commoda, Catholicæque religionis competentia addiderat insignia, huic vel unius noctis morulâ, exultationem simul & sanctificationem suorum ossium exhiberet præsentia. Collocato ergo eo super sanctæ Crucis altare, Archiepiscopus Vesontionensis, ad altare beatæ Mariæ procedens Missarum solemnia cum eodem Clero de ipsius glorioſi Patris celebravit festivitate.

Cap. 22.

Archiep. Vesontion. ad altare B. Mariæ Missam celebrat.

His

His autem expletis, dum concurrentium devotio magis ac magis agglomeratur, diei interea elapso curriculo nox subsequitur, cujus tamen caligine Basilicæ illius adita nullomodo fiunt obscura, tot grutulabundi conventus suum quodammodo diem micantibus undique luminaribus præferunt. Monachi autem ibidem circa Patronum suum lætis invigilant excubijs, & matutinalem explent cursum, post quem easdem vigilias solemniter peragendas Canonici suscipiunt, horisque diurnis peractis, venerabile corpus cum divinis laudibus efferunt à beatæ Dei genitricis Ecclesiæ, quod in circuitu civitatis cum jucunditate deportantes, congruas stationes per præfixa faciunt spatia, cúmque ad eum locum ventum esset, ubi quondam fuerat porta antiquo, *Patens*, nuncupata vocabulo, per quam idem sanctus humani generis hostem in eadem urbe visibilibus ignium debaccantem exterminijs adhuc in carne vivens orationibus expulit. Illic eosdem pretiosos artus deponunt, & ipsius miraculi memoriam digna devotione & canticis spiritualibus agunt. Ad cujus facti memoriale ibidem Basilica moderno constructa est tempore, quam quidam Dei servus Constantius nomine suis impensis eleganter composuit, & Dei famulos ad ejus obsequium quot potuit dum viveret aggregavit, & in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ sanctíque Remigij consecrari fecit.

Cap. 23.

Porta Patens per quã Beatus Remigius humani generis hostẽ expulit.

Constantius ibi Ecclesiam extruxit.

Cum itáque agitur illa circuitio extra civitatis mœnia, Domnus Papa convocatis Episcopis intra dedicandi Monasterij abdita singulis sin gula ad consecrandum delegavit altaria, Remensem verò Archipræsulem cum Lysoiensi Episcopo ternam circuitionem cum Crucibus & sanctorum reliquijs secundum Ecclesiasticum ordinem exterius constituit agere, ibíque consecrationis officium adimplere. Ipse verò cum suis necessarijs remanens, interius divini tabernaculi sanctificationem strenuè diligentérque exequitur. Postquam igitur eo ventum est, ubi secundum Orthodoxorum Patrum decreta, pignora sanctorum, & sacra quæque debent intra dedicatam Ecclesiam recipi, præfati Canonici, ut dictum est, deportato corpore sancti Remigij per girum urbis & Castelli, eique adjacentis municipij pervenerunt cum eo usque ad portas Monasterij, ubi tot millium excreverat frequentia, ut præ eorum densitate, eidem glorioso Patri domum sibi præparatam introcundi intercluderetur licentia, ipse námque Papa easdem januas vetuerat referari, ne impetus cum eodem sancto irruentium, & sibi discrimini & impedimento coeptæ dedicationis foret consummationi. Quocirca aliquod diverticulum quo valeat intromitti perquiritur, tandémque vix à turbarum inquietudine abstractus per fenestram quæ est super sanctæ Trinitatis oratorium, quem Domnus Apostolicus cum maxima devotione & canticis spiritualibus receptum, non ad præsens in proprio loco reposuit, sed super principale altare quod in honore Apostolorum Petri & Pauli, Clementisque, & Christophori Martyrum, & Beati Remigij consecravit, collocavit. Et cuius rei gratia hoc facere decreverit, dignam memoria rationis sententiam subintulit, videlicet ut evidens & conspicuè omnium appareret oculis in celebranda Synodo, in qua si quis erroneus aliquid frivolum vel Ecclesiasticæ religioni adversum asserere præsumeret, erga hunc vir Dei illius virtutis potentiam per sui corporis præsentiam exhiberet, quam adhuc vivens erga Arrianum hæreticum exhibuit, cui in conventu Episcoporum Catholicæ fidei lucem nebulosi dogmatis umbra obnubilare molienti, ad adventum suum divina virtute officium vocis extorsit, sed paulo post cum humili satisfactione reatum suum agnoscentem animæ corporisque eundem sanitate donatum, ad filios adoptionis transtulit, quæ perorantis Papæ intentio instinctu ex superno procedens, effectu nullo modo caruit, velut hoc opusculum suo loco declaravit.

Cap. 24.

Castellum S. Remigij & ei adiacens municipium.

Corpus S. Remigij supra maius altare fuit expositũ tempore Synodi quare?

Hac

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1049.

Hac ergo de cauſa ſic locato beati Remigij corpore numeroſis agminibus Epiſcoporum, Abbatum, Monachorum, Clericorum per choros decentiſſimè diſpoſitis Miſſarum ſolemnia idem Pontifex ex dedicationis celebravit feſtivitate. Lecto Evangelio pulpitum conſcendens, exhortationis ſermonem fecit ad circumſtantem populum, qui plurimis, ut dictum eſt, Monaſterij foribus obſeratis per feneſtras irrumpendo ſibi fecerat aditum, ad quem multa ex ipſius templi ſanctificatione concionatus utilia, diem illam celebrem eſſe præcepit per Remenſis Epiſcopij confinia, Anathematis pœnâ damnans omnes illos qui ad eundem locum hujus ſolemnitatis gratia per ſingulos annos confluentibus, vel indè redeuntibus alicujus impedimenti irrogarent incommoda. Conſtituit etiam ut ad altare, quod ut præfatum eſt in honore Apoſtolorum Petri & Pauli, & Clementis, & Chriſtophori Martyrum, glorioſique confeſſoris Remigij conſecraverat, non indiſcretè à quibuſque ſicut hactenus ſacroſancta myſteria agerentur, ſed ſecundum morem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeptem tantummodo ſacerdotes qui in illa congregatione digniores haberentur ad hoc officium deputarentur, ſoli Remenſi Archiepiſcopo, ipſiuſque Cœnobij Abbati ibidem Miſſas agendi poteſtate collata, & cui idem Abbas daret licentiam, certè interdum rationis exigente gratia, nec-non Clero Remenſi bis in anno, feria videlicet ſecunda Paſchalis feſti, & vigilia Aſcenſionis Dominicæ, quando ſolemnes illic ſtationes ex antiqua faciunt traditione: hæc decreta ne aliquando irrita fierent antiquitate temporis litteris mandari, eaſque ſignari ſigillo ſuæ præcepit auctoritatis. Deindè memoratum populum ſecundum inſtitutionis ejus verba publicam de peccatis ſuis confeſſionem agentem abſoluit, explicitiſque divinis officijs, Apoſtolica benedictione illum ſanctificans illum dimiſit. Pontifices autem cœnobiorúmque Rectores & cæteros ſacri ordinis miniſtros qui ibi aderant, ad eundem locum in craſtino juſſit reverti, ut cum illis haberet rationem quam condixerat Synodi.

Cap. 25.

Conſtituit ſummus Pontifex ut ſeptem tantum ſacerdotes poſſint celebrare in altare quod conſecraverat.

Dedicatâ glorioſi Francorum Apoſtoli Baſilicâ, Leo IX. Pontifex in eâdem die ſequenti Concilium celebrat quo conſtituti Canones in Simoniacos præſertim & inceſtuoſos.

CAPUT XXIX.

Joan. Papienſis meminit hujus Concilij in ſpecula, ubi ait interfuiſſe Hugonè Cluniacenſem, qui Synodalem exhortationem habuit juſſu Papæ, & veritatis adverſarios confutavit.

DIE verò altera quæ eſt quinto nonas Octobris congregati ſunt in memorata Baſilica Epiſcopi videlicet numero viginti, cum quinquaginta ferè Abbatibus, & alijs Eccleſiaſtici ordinis quam plurimis, ubi ſtatim vetus querela inter Remenſis & Trevirenſis Archiepiſcopi Clericos eſt renovata, his aſtruentibus quod Remenſis primas eſſet in Gallia, ideóque illi diſpoſitio competeret Synodica, è contra verò illi Archiepiſcopo Trevirenſi eandem dignitatem conabantur aſcribere, primámque ſedem poſt Romanæ Eccleſiæ Præſulem in celebrando Concilio adquirere.

De loci prærogativa diſſidiũ inter Remẽſes & Trevirenſes Archiepiſcopos. Sedilia in modum coronæ componuntur.

Domnus autem Papa non arbitratus opportunum tempus quo his rationibus imponi valeret congruus finis, ſed potius metuens hujuſmodi controverſiam prorumpere ad ſcandalum contentionis, in modum coronæ ſedilia Epiſcoporum diſponi & in medio eorum ſuæ ſedis ſuggeſtum præcipit locari, cujus ordinationis modum ex arbitrio Remenſis Archipræſulis ſanxit adminiſtrari, qui convocatis Archidiaconis, & quibúſque Cleri ſui præcipuis cum

Digitized by Google

cum eorum consilio in modum ut dictum est coronæ Pontificum sedilia, & in medio ejus Apostolicæ sedis fecit apparari insignia. His ita dispositis, Dominus Papa sacerdotalibus, quasi ad celebrandam Missam infulis redimitus, processit ex Oratorio Sanctæ Trinitatis cum Cruce, & Evangelij libro, antecedentibus eum sacri ordinis ministris, séxque alij coram eo procedentes ante sanctum altare ex integro cantaverunt Antiphonam ***Exaudi nos Domine*** qua expleta cum psalmo, & gloria, Archiepiscopus Trevirensis Letaniam fecit, eâque finita, conventum Diaconus ut ad Deum preces effunderet ammonuit, & sic tempori congruentem Domno Apostolico orationem dicente, lectum est Evangelium ***Dixit Iesus Simoni Petro: si peccaverit in te frater tuus.*** Post hæc consederunt omnes ordine quo Remensis Archiepiscopus dispositi, Dominus quidem Papa in medio, ut dictum est, chori verso vultu ad sepulchrum beati Remigij, ante oculos autem ejus ad Orientalem plagam Remensis in dextera, Trevirensis verò in parte resedit sinistra, post Remensem deindè secundum sub notatum ordinem resederunt Beroldus Suessionensis, Drogo Morinensis, frollandus Silvanectensis, Adalbero Metensis. Ad Meridialem autem plagam Aylenardus Archiepiscopus Lugdunensis, Hugo Lingonensis, Josfridus Constantiensis, Jvo Sagensis, Herbertus Lisoiensis, Hugo Bajogarensis, Hugo Auringensis, Theodericus Virdunensis. Ad septentrionalem verò plagam Hugo Archiepiscopus Vesontinensis, Hugo Nivernensis, Eusebius Andegavensis, Pudicus Namnetensis; Episcopus Anglorum, & Joannes Portuensis. Post quorum terga in modum similiter coronæ resederunt Abbates hoc ordine, Domnus scilicet Abbas sancti Remigij Herimarus, Domnus Hugo Cluniacensis, Sigefridus Gorziensis, Falco Corbeiensis, Rotbertus Prumiensis, Rainoldus S. Medardi, Giruinus S. Richarij, Gotfridus Verzelliacensis, Arnoldus Pultariensis, Rodulfus Mosomensis, Oylardus Catalaunensis, Milo Dervensis, Notgandus Attivillarensis, Albertus S. Theodorici, Stephanus S. Urbani; Vulricus S. Augustini Cantuarienſis, Alùminus S. Benedicti de terra Anglorum. Deindè coeteri qui ut superius relatum est, simul fuerunt numero ferè quinquaginta. Quibus ita residentibus Imperato silentio ex præcepto Domini Papæ, surrexit Petrus S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus expedito sermone proponens de quibus in eâdem Synodo sermo esset habendus, de multis scilicet inlicitis quæ contra Canonum statuta in Gallicis finibus exercebantur, id est de Simoniaca hæresi, de Ministerijs Ecclesiasticis & Altaribus quæ à laicis tenebantur, de pravis consuetudinibus quæ ab eis in atrijs Ecclesiarum accipiebantur, de incestis conjugijs, & eis qui legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur, de Monachis & Clericis à sancto proposito & habitu recedentibus, item de Clericis mundali militiæ studentibus, de rapinis, pauperúmque injustis captionibus, de Sodomitico vitio, & quibusdam hæresibus quæ in eisdem pullulaverant partibus. Quibus propositis ammonuit omnes qui aderant, ut indè secum prudenti deliberatione tractarent, consiliúmque cum opportuno adjutorio Domno Papæ præberent, quomodo hęc Zizania divinæ segetis semen suffocantia extirpari valerēt. Posthæc ad Episcopos sermone converso, commonuit illos sub anathemate Apostolicæ auctoritatis, ut si quilibet eorum ad sacros ordines per Simoniacam hæresim perveniſſet, vel præmio quemlibet ad eandem dignitatem promoviſſet publica confessione patefaceret.

VVIDO ARCHIEP. XLII. *An.* 1049.

Ordo sessionis Episcoporum & Abbatum.

Simoniaca hæresis.

De quibus rebus actum est in Concilio.

Primus ergo Trevirensis Archiepiscopus ad hæc verba surrexit, séque neque aliquid dedisse, vel promisisse pro adepto Episcopatu, neque alicui sacros ordines vendidisse respondit. Deindè Lugdunensis & Vesontionensis surgentes ab hujusmodi culpa professi sunt esse immunes. Tunc præfatus Diaconus ad Remensem Archiepiscopum se convertit, & quid de his ex

Trevirensis Archiep. Lugdun. & Vesontion. se immunes profitentur à culpa Simoniæ.

Digitized by Google

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1049.

quibus à cœteris facta fuerat purgatio ediceret, requisivit. At ille surgens inducias petijt usque in crastinum dicens se privatim velle loqui ad dominum Apostolicum. Cúmque datæ fuissent, cæteri omnes surrexerunt in ordine secundum verba Priorum purgantes se ab hujusmodi suspicione, quatuor tantummodo exceptis Lingonensi videlicet, Nivernensi, Constantiensi, Namnetensi quorum causa eo die ad discutiendum relicta, Diaconus sermonis cursum ad Abbates qui aderant, vertit, eósque ne fortè & ipsi in ovile dominicum aliundè non per ostium introissent cõfiteri ammonuit.

Primus sancti Remigij Abbas surrexit séque ab hujusmodi culpâ congrua responsione purgavit. Deindè domnus Hugo Cluniacensis subsequutus hanc purgationis suæ rationem subintulit dicens, pro adipiscendo Abbatiæ honore Deo teste nihil dedi vel promisi, quod quidem caro voluit, sed mens & ratio repugnavit. Post hunc se quidam congruè excusare studuerunt; alij verò nihil respondentes, reatum suum occulere quam patefacere maluerunt. Tunc Lingonensis Episcopus surgens, super Abbate Pultariensi Diœcesano suo plurimùm est conquestus, quod videlicet in fœtore luxuriæ vivens pluribus flagitijs inserviebat; beato quoque Petro ejusque vicario Romanæ scilicet Ecclesiæ Pontifici, cujus Abbatia illa erat, debitum censum quot annis persolvere detrectaverat, & indè excommunicatus Missarum sacramenta celebrare præsumpserat, excommunicationique adhuc subjacens, eidem Synodo intererat. Qui discussus nec ab objectis se valens expurgare criminibus ab honoris sui est dignitate depositus. His ita diffinitis edictum est sub anathemate auctoritatis Apostolicæ ut si quis assidentium quempiam universalis Ecclesiæ primatem præter Romanæ sedis Antistitem esse assereret, ibidem publica satisfactione patefaceret; cùmque ad hæc universi reticerent, lectis sententijs super hac re olim promulgatis ab Orthodoxis Patribus, declaratum est quod solus Romanæ sedis Pontifex universalis Ecclesiæ primas esset & Apostolicus. Post hæc domnus Papa sub excommunicatione prohibuit, ne quis absque sui licentia recederet antequam tertia lux consummaretur in celebratione Concilij, sicque jam nocte propinquante conventum dimisit.

Universalis Ecclesiæ Primas summus Pontifex nuncupatur, & Apostolicus.

Sequenti autem die ad memoratam basilicam cum Abbatibus & Clero convenientibus Episcopis, domnus Papa cum quibusdam eorum secessit in oratorium sanctæ Trinitatis, ubi dum cum eo confessionis suæ privatum colloquium Remensis habuisset Archiepiscopus, & de Ecclesiasticæ religionis profectu tractatum esset diutius, eo ordine quo & transacta die Apostolicus indè processit, dictáque antiphona & letania facta à Trevirensi Archipræsule, Evangelium *Omnis arbor bona* Diaconus legit. Universis deindè suo loco residentibus, Remensem Archiepiscopum ut de Simoniaca hæresi, de qua hesternas obtinuerat inducias rationem redderet præfatus annuit Cancellarius, impetens etiam eum de multis quæ se fama vulgante comperisse asserebat criminibus: ad hæc Archiepiscopus surgens ut sibi consiliandi facultas concederetur, expetijt, quâ impetrata Vesontionensem, Suessionensem, Andegavensem, Nivernensem, Sylvanectensem, Morinensem Episcopos convocans, cum eis mysterium habuit consilij sui, indéque reversus, causã suam ut Sylvanectensis peroraret à Dño Papa obtinuit.

Surgens autem Episcopus Silvanectensis, eundem Archiepiscopum respondit non esse reum Simoniacæ hæresis. His auditis Apostolicus præcepit ut hæc ita esse sacramento comprobaret Archiepiscopus, mandans etiam recitari sententiam qua Maximum Salonitanum Episcopum de simili culpâ notatum pari modo se indè purgare beatus Papa sanxit Gregorius. At ille Canonicas inducias indè postulavit, séque post earum expletionem, quod ratio purgationis poscceret peracturum spopondit. Quibus ei concessis statutum est, ut medio Aprili mense Concilio quod Romæ celebrandum erat, inter-

intereſſet. Cætera verò quæ ei objecta ſunt, quia legitimi accuſatoris videbantur delatione carere, decretum eſt ad præſens indiſcuſſa remanere.

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1049.

Sic igitur hujuſmodi diffinito negotio ſuper Abbatia Dervenſi Domnus Papa conqueſtus eſt, quæ à Tullenſi fuerat ſubtracta Epiſcopio & hanc ad ipſius Eccleſiæ pertinere poſſeſſionem per Privilegiorum quæ indè habebat demonſtravit recitationem. E contra Remenſis Archiepiſcopus Abbatiam illam reſpondit ſui juris potius eſſe, & hoc antiquioribus Privilegijs Eccleſiæ ſuæ ſe teſtificari valere. Papa verò quia in præſenti non erant eadem ſcripta ex quorum lectione valeret hæc controverſia finiri, juſſit ea interim in Archivis Remenſis Eccleſiæ perquiſita in craſtino in medium afferri. Tunc Turonenſes Clerici per Lugdunenſem Archiepiſcopum querelam intulerunt ſuper Dolenſi Epiſcopo Britanniæ qui ſe cum ſeptem ſuffraganeis à Turonenſi Archiepiſcopo ſubtraxerat, ſibique Archipræſulis nomen contra fas vendicaverat. Qui ſtatim ex auctoritate Apoſtolicâ vocatus eſt ad Concilium, quod ut præfatum eſt, medio menſe Aprili Romæ erat celebrandum, ut ibi rationis hujus agitaretur judicium.

Papa conqueritur quod Dervenſis Abbatia ſubtracta fuiſſet à Tullenſi Epiſcopio.

Dolenſis Epiſcopus ſe ſubtrahere conatus eſt Turonenſi Archiepiſcopo.

Poſt hæc memoratus Diaconus in Epiſcopum Lingonenſem invehitur, eúmque dignitatem Epiſcopalem per Simoniacam hæreſim obtinuiſſe, ſacros ordines vendidiſſe, bellica arma contra fas ferendo homicidia perpetraſſe, alieni matrimonij jura violaſſe, in Clericos ſuos tyrannidem exercuiſſe, ſodomico etiam vitio pollutum eſſe criminatur. Quibus verbis fidem præbebant plurimi delatores qui aderant, inter quos quidam Clericus aſſeruit quod ſibi adhuc laico conjugem ſuam violenter abſtulerat, & poſt perpetratum cum ea adulterium Monacham fecerat. Affuit & Præſbyter quidam ſe ab eodem Epiſcopo conquerens captum, & ſatellitum ejus fuiſſe poteſtati traditum, qui eum multis ſupplicijs excruciantes, quod ſceleſtius eſt clavis acutiſſimis genitalia ejus confixerant talique violentia, ab eo decem libras denariorum extorſerant. His auditis Epiſcopus conſiliandi licentiam petit, qua impetrata Archiepiſcopos Veſontienſem & Lugdunenſem accerſit, eiſque credens arcanum conſilij ſui, petit ut ſibi ſint cauſidici; ſed qui cum tantis flagitijs foret implicitus, in oculis alterius magis quam in ſuis trabem videns, fratrem quamvis culpabilem in heſterna Synodo criminatus fuerat, ejuſque ad damnationem, & ipſe merito damnandus aſpiraverat; non ſolum ab objectis nequit ſe excuſare criminibus, ſed etiam ejus cauſidico, ne ad ſui defenſionem quicquam proferre valeat, linguæ munus adimitur divinitus. Veſontienſis quippe Epiſcopus, dum ſuſceptum ejus negotium perorare, & ad excuſationem criminoſi incongrua quædam decerneret proponere, inſperato ſibi ſuffragium vocis divino ſenſit denegari numine.

Accuſatur Epiſcop. Lingonenſis quod Epiſcopatum per Simoniam obtinuerit.

Veſontienſis Lingonenſem excuſare volens ſubito obmutuſcit.

Procul dubio magnus Pater Remigius ob hoc ipſum ut prædictum eſt, ante conſpectum Synodi expoſitus à beatæ fidei Papa etiam hic ejuſdem virtutis enituit potentia, qua olim dum adhuc peregrinaretur in terris Arriani illius exinanivit molimina. Tunc enim hæreticum adverſus Catholicam fidem blaſphemias deliberantem garrire, ne conata perageret, ſed potius reſipiſcendo fidelis fieret ſilentio condemnavit, nunc autem virum licet fidelem, ne ſceleratum defendendo delinqueret, uſu loquendi privavit. Et revera divinæ ſublimitatis incomprehenſibilis virtus in utróque facto mirabiliter enituit, quæ & ibi glorioſæ animæ licet corporeis adhuc involucris ſeptæ tantum poteſtatis contulit, & quanta eam jam beatificaverit gloria, nunc circa ejus exanime corpus patenter oſtendit. Poſtquam ergo præfatus Veſontionenſis Epiſcopus, à ſuo conatu tali miraculo ſe prohiberi cognovit, Lugdunenſi ut ſui vice fratris cauſam peroraret innuit.

Qui ſurgens ait eundem Lingonenſem Epiſcopum confiteri quod ſacros ordines vendiderit, & memoratam pecuniam ab illo Præſbytero extorſerit,

Digitized by Google

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1049.

ſed ſupplicijs quibus aſſerebat, eum excruciari non fecerit. Cætera verò quæ ſibi fuerant objecta, hunc penitus denegare aſſeruit. His dictis Domnus Papa videns eadem die non poſſe ad plenum hujuſmodi negotium ventilari, jam enim nox inſtabat, quid in Canonibus de ſacrorum ordinum venditoribus ſit decretum juſſit tantummodo recitari, lectáque ſententia ad præceptum ejus ex Concilio Calcedonenſi capitulo videlicet ſecundo, ſoluta eſt Synodus dilato uſque in craſtinum hujus rationis judicio.

Mane autem facto, iterum ad eundem locum Epiſcopi convenere, cum Abbatibus & cæteris Eccleſiæ ordinibus, ad quos Domno Papa præcedente non eſt cantata Antiphona ***Exaudi nos Domine*** ſicut heri & nudius tertius: ſed ad ejus adventum Clerus decentiſſimè cecinit hymnum ***Veni Creator Spiritus.*** Quo completo cum Antiphona de S. Remigio, Lætania facta eſt à Veſontionenſi Archiepiſcopo, poſtquam de Spiritu ſancto collectam dixit Domnus Apoſtolicus, ſicque lectum eſt Evangelium, ***Ego ſum paſtor bonus.*** Cúmque univerſi conſueto reſediſſent ordine, ſupradictus Romanæ Eccleſiæ Diaconus ait conſequens eſſe ut ubi heſterna Synodus fuerat terminata, ibi rationis ſuæ iteraret initia, à Lingonenſis videlicet cauſa. Qui requiſitus & à Synodica examinatione ſe ſubduxiſſe repertus, ex parte Dei & beati Petri Apoſtolorum Principis ejuſque Vicarij qui præſens aderat ab eodem Diacono tertiò eſt vocatus. Directi ſunt etiam Epiſcopi Silvanectenſis & Andegavenſis ad illius hoſpitium, ut ſi fortè eum ibi reperirent, revocarent ad Concilium. Qui dum Imperata accelerantper agere, ipſius referendarij allocutio fit ad illos qui nimirum ſe nondum à Simoniacâ hæreſi debitâ propugnaverant reſponſione.

Lingonenſis à Concilio metu pœnæ ſe abduxit.

Nivernenſis ſe accuſat data pecunia à parentibus Epiſcopatum obtinuiſſe.

At Nivernenſis Epiſcopus ſurgens pro ſuo Epiſcopio plurimùm pecuniæ à parentibus datum fuiſſe confeſſus eſt, ſe tamen ignorante, eóque adepto nonnulla Eccleſiaſticæ religioni contraria commiſiſſe, undè ſe aſſerebat divinæ ultionis vindictam pertimeſcere, ideóque ſi domno Papæ & præſenti conventui dignum videretur, idem officium velle dimittere, potius quam in ejus retentione animam ſuam peſſundare: quæ ubi dixit Paſtorale pedum ante pedes ipſius Apoſtolici poſuit. Ille verò tanti viri flexus devotione, favente Synodo, eundem, quod abſque ſuo conſenſu eadem pecunia data fuerit ſacramento comprobare fecit, ſicque illi per aliud pedum Miniſterium Epiſcopale reddidit.

Interea allatum eſt coram privilegium Remenſis Eccleſiæ de Abbatia Dervenſi, ex cujus lectione comprobatum eſt pertinere ad jus Remenſis Archiepiſcopi. Redeuntes autem qui miſſi fuerant ad revocandum Lingonenſem Epiſcopum nunciaverunt eum facinorum ſuorum metuentem diſcuſſionem fugam arripuiſſe in præſidium. Tunc ex præcepto ipſius Papæ lectæ ſunt ſententiæ ſuper hujuſcemodi re promulgatæ à Patribus, ſicque univerſi Concilij judicio excommunicationis eſt pœna damnatus. Quod audiens Veſontionenſis Archiepiſcopus ſurrexit, & quomodo eundem reum excuſare nitens ex divina virtute per beati merita ſilentio condemnatus ſit, patefecit coram eodem Conventu, ſatis devotè veniam petens quod ejuſdem miraculi novitatem eo uſque negligenter celarit. Hîc ex pia devotione & alacritate cordis Domnus Papa in lachrymas compunctus, ſic ait, ***Adhuc vivit beatus Remigius.*** Tunc ex præcepto ejus omnes ſurrexerunt, & cum eo ante ejuſdem ſancti Sepulchrum proſtrati Antiphonam ſancti Remigij ex integro devotiſſimè cecinerunt.

Conſtantienſis Epiſcopus ſe ipſum accuſat Simoniacæ hereſis.

Poſt hæc ſurgens Conſtantienſis Epiſcopus confeſſus eſt ſe ignorante à quodam fratre ſuo emptum ſibi Epiſcopatum fuiſſe, quod cum reſciſſet, ne contra fas ordinationem illam ſuſciperet, voluiſſe aufugere, ſed ab eo violenter captum, Epiſcopali contra voluntatem ſuam eſſe dignitate donatum quod ſacramento comprobare juſſus nec renuens, ſic judicatus eſt Simonia-

Digitized by Google

moniacæ hæreſis non incurriſſe facinus. Accedens denique Nannetenſis confeſſus eſt genitorem ſuum Epiſcopum fuiſſe ſuæ civitatis & in ejus vita donum Epiſcopij ſe percepiſſe, mortuóque illi ſubrogatum per largitionem pecuniæ. Qua propter judicio Synodi ſublato annulo, & Paſtorali pedo, privatus eſt Pontificali miniſterio, condonato ei intervenientibus Epiſcopis tantummodo Præſbyteratus officio. *An.* 1049.

Horum igitur cauſa tali modo terminata, commõnuit Domnus Papa Archiepiſcopos qui erant in præſentia, ut ſi quem ſuffraganeorum ſuorum Simoniacæ peſtis eſſe reum ſcirent, coram omnibus notificare non renuerent. Quibus id omnino ſe ſcire denegantibus, habitus eſt ſermo de Epiſcopis qui inuitati ad eandem Synodum venire noluerant, nec aliquod indè ſuæ excuſationis ſcriptum illò tranſmiſerant. Unde competentibus ad hæc Patrum recitatis ſententijs, pœna damnati ſunt excommunicationis, cum omnibus illis qui ipſius Papæ formidantes adventum hac de re profecti erant in expeditionem Regis, nominatim verò Senonenſis Archiepiſcopus, Belvacenſis, & Ambianenſis Epiſcopi, ſed & Abbas S. Medardi quia abſque licentia receſſerat à conventu Concilij. Excommunicatus eſt etiam ſancti Jacobi Archiepiſcopus Gallicienſis, quia contra fas ſibi vendicaret culmen Apoſtolici nominis. Poſt hæc petentibus eis qui ſanctæ religionis amatores ibi aderant, plurima ſanctorum Patrum decreta, quæ jam per incuriam pro nihilo habebantur, præcepto ſuæ auctoritatis renovavit, & multa quæ in Gallicana Eccleſia exercebantur illicita ne fierent ulterius ſub anathemate prohibuit, videlicet:

Canones.

I.

Ne quis ſine electione Cleri & populi ad regimen Eccleſiaſticum proveheretur.

II.

Ne quis ſacros ordines, aut miniſteria Eccleſiaſtica, vel altaria emeret, aut venderet.

III.

Et ſi quis Clericorum quidlibet eorum emiſſet, id cum digna ſatisfactione ſuo Epiſcopo redderet.

IV.

Ne quis Laïcorum Eccleſiaſticum miniſterium, vel altaria teneret, nec Epiſcoporum quilibet conſentirent.

V.

Ne quis in atrijs Eccleſiarum præter Epiſcopum & ejus Miniſtrum quaſlibet conſuetudines exigere præſumeret.

VI.

Ne quis pro ſepultura vel baptiſmo, ſive pro Euchariſtiâ, aut infirmorum viſitatione quicquam exigeret.

VII.

Ne quis Clericorum arma militaria geſtaret, aut mundanæ militiæ deſerviret.

Orderic. Vital lib. 5. Hiſtor. refert hoc Concilio Leonem profuiſſe interdictum, ne Præſbyteri arma ferrent, & conjuges haberent.

VIII.

Ne quis Clericus vel Laïcus uſuras exerceret.

IX.

Ne quis Monachus vel Clericus à ſuo gradu apoſtataret.

X.

Ne quis cum aliquibus ſacri ordinis iter agentibus, violentiam ullam inferre auderet.

XI.

Digitized by Google

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1049.

XI.

Ne quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexaret.

XII.

Ne quis inceſtuoſæ conjunctioni ſe copularet.

XIII.

Ne quis legitima uxore derelicta aliam duceret.

Et quia novi hæretici in Gallicanis partibus emerſerant, eos excommunicavit, illis additis qui ab eis aliquod munus vel ſervitium acciperent, aut quodlibet defenſionis patrocinium illis impenderent. Pari modo damnavit & ſodomitas. Excommunicavit etiam Comites Angelraï & Euſtatium propter inceſtum, & Hugonem de Braina quia legitimam uxorem dimiſerat, & aliam ſibi in Matrimonio ſociaverat. Interdixit & Balduino Comiti Flandrenſi ne filiam ſuam Vvilelmo Normanno nptui daret, & illi ne eam acciperet.

Hugo de Braina.

Balduinus Flandrens.

Vocavit etiam Comitem Tetbaldum quoniam ſuam dimiſerat uxorem. Vocavit & Gofridum Andegavenſem uſque ad Synodum futuram Moguntiæ, ibi excommunicandum niſi relaxaret quem captum tenebat Domnum Gervaſium, qui tuncerat Præſul Cenomanicæ ſedis, poſtea verò ab ejuſdem tyranni poteſtate exemptus, Vvidone Archiepiſcopo defuncto à Rege Francorum Henrico ſubrogatus eſt ad regimen Remenſis Eccleſiæ. Excommunicavit denique illos de quibus proclamationem fecerant Compendienſes Clerici, propter quorum injuſtitiam illuc detulerant corpus ſancti Martyris Cornelij; eos quoque qui ab eâdem Synodo redeuntibus aliquid inferrent impedimenti.

Tetbaldus. Gofridus Andegav.

Gervaſius.

Privilegium autem quod fecerat ſancto Remigio, ibidem in conſpectu omnium recitatum confirmavit, & conſtituit omni tempore ſicut ſcriptum continebatur inviolabiliter conſervari, ſicque benedictione data Concilium ſoluit.

Hujuſmodi ergo ordine beati Patris Remigij devotus Romanæ ſedis Pontifex quartam celebravit tranſlationem, & feliciter ſexto nonas Octobris conſummavit divinæ Domus ſanctificationem, quam etiam ut declaratum eſt trium dierum continuatione inſignivit celebratione Synodi, milleſimo & quadrageſimo nono anno feliciſſimè Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Quapropter ut deliberaverat ex divina diſpoſitione compos effectus deſiderij ſui, die ſubſequenti poſt expletionem Synodicam venit in Capitulum fratrum, ſëque eis innotuit ſuum velle accelerare reditum unde ſpiritualibus illos demulcens colloquijs, ſocietatem eorum & devotè petijt, & accepit, ſuámque eis humiliter petentibus ipſe largitus eſt; & proſtratos ad publicam pœnitentiam abſoluit, & ex ordine omnes deoſculatos Apoſtolicâ benedictione ſanctificavit.

Quarta trãſlatio corporis S. Remigij.

Poſt hæc egreſſus, Epiſcopos & Abbates, cæteróſque Eccleſiaſtici ordinis, qui nundum receſſerant convocavit, & cum eis Eccleſiam ingreſſus Miſſarum ſolemnia celebrari fecit, quibus expletis ad ſancti Sepulchrum, quod ut dictum eſt, ſuper altare Beati Chriſtophori poſt Baſilicæ dedicationem collocaverat, cum humili devotione acceſſit, ibique oratione completa, illud devotè ſuppoſitis humeris indè extulit, & in ſtatione ſibi decenter apparata, cum divinis laudibus repoſuit, ubi iterum atque iterum cum lachrymis ſe proſternens tandem in viam ſuam exijt, & uſque ad Caſtelli aditum Comitatus cum canticis ſpiritualibus à fratribus & numeroſo conventu populi, omnibus valedicens receſſit.

Acce-

Digitized by Google

VVIDO. XLII. ARCHIEP. *An.* 1049.

Accedens autem indè ad ſui laboris recompenſationem retulit fructum magnæ mercedis, & in arcano ſcilicet devoti pectoris, ignem præcipuè dilectionis quo ab illo tempore erga eundem glorioſum Patrem Remigium magnoperè dignoſcitur flagraſſe, ut ipſe idem fatetur in quadam Epiſtola directa poſtmodum Epiſcopis Franciæ quam ſuo loco in ſubſequentibus conabimur ponere. Ex qua gratia etiam alterius gratiæ adeptus eſt emolumentum cum ei divina virtus de quibuſdam qui ei impedimentum advenienti in Gallias conati erant inferre, ultionem præſtitit per ipſius ſancti cui fuerat famulatus meritum. Nam ut multos prætermittam qui ei fuere contrarij, Gibuinus Laudunenſis Epiſcopus & Hugo de Braina Caſtello, qui inter ejus derogatores quaſi ſigniferi extiterunt, eodem anno ignominioſa morte vitam finierunt: ille enim quia exitialem tecnam, ut Apoſtolicam devitaret præſentiam, Regi ſuggeſſit, & hanc maximâ parte Cleri ſui devotè expetente, ipſe à ſua ſede longè aufugit, nec Dominici corporis viatico à malitia ſua ſanctificatus, nec ab eodem Clero ſuo conſolatione viſitationis in extremis refocillatus. Divino judicio extra fines Epiſcopij ſui ſolus obijt quaſi peregrinus. Alter verò quia caput miniſtri Chriſti ſe abſciſſurum fuerat minitatus, ore ſacrilego quo impia verba protulerat, hoſtilis gladij abſciſſione eſt mutilatus.

Gibuinus Laudunenſis Epiſcopus & Hugo de Braina.

Dignum eſt ad poſterorum memoriam aliud miraculum ſupradictis addere, quod divina potentia in manibus hujus Pontificis operata eſt ex ea qua erga Patronum noſtrum flagrabat devotione. Anno enim ſecundo poſt expletionem eorum quæ præmiſſa ſunt, cum Romæ moraretur caſu accidente per Pincernæ incuriam vas illud fractum eſt quod ſibi datum eſſe à præfato Abbate Herimaro in primordijs hujus opuſculi, memoratum eſt; quod ubi pro certo agnovit aliquantum graviter tulit. Licet enim plura haberet pluris pretij, præ cæteris tamen illud diligebat quia in initio Apoſtolatus ſui ex parte ſancti Remigij ſibi miſſum aſſerebat, ideóque ad bibendum ſupra cætera quæ erant in obſequio ejus illi delectabilius eſſe ſolebat. Dum ergo eum ſpiritualibus quibuſdam viris qui ei præſentes erant, placido ut ſemper erat vultu ex eodem damno conquereretur, & aurifex peritus reficiendi hujuſmodi fracturam ab eo perquiri præciperetur, quidam eorum alludentes ſeria & alacri reſponſione dixerunt, quod ſanctus hic in cujus illud tantoperè amplectebatur devotione, tanti eſſet apud Deum meriti, ut ei idem vas integrum ſua reformaret interceſſione.

Baronius idè refert ex deſiderio Abbate Caſſinenſi quæ factus eſt poſtea Urbanus III.

At ille nihil indè ſe diffidere cum ſpirituali jucunditate reſpondens, ejúſque virtutes multiplici ſermone exaggerans, vas fractum ſibi deferri præcepit, quo delato avulſam indè particulam ſuo loco repoſuit, & quaſi aurifici ad reficiendum reſervaretur, ſignum tamen Crucis, ut fertur, ei cautè imprimens recondi juſſit. Quod in craſtino velut cauſa reficiendi coram delatum ita operatione divina integrum eſt inventum, ut nullum in eo fracturæ poſſet reperiri veſtigium. Hoc itáque videns venerabilis Papa Dei Omnipotentiam collaudavit, & ejus miraculi novitatem meritis Beati Remigij aſcripſit, per cujus intetventum fidei eius efficacia id obtinere meruit.

Vas fractum Beati Remigij meritis reficitur.

Ne autem ex hac relatione arguamur mendacij, idcóque frivólum habeatur hujus ſcripti memorabile, proferimus tres idoneos teſtes, quorum judicio id nobis poſtmodum contigit agnoſcere: Hugonem videlicet Nivernenſem Epiſcopum, & Hugonem Remenſis Eccleſiæ Diaconum, & quendam Clericum Aylenardi quondam Lugdunenſis Archiepiſcopi Capellanum nomine Benedictum quorum duo primi Concilio ab eodem Papa ut moris illi erat, quintodecimo die poſt Dominicam Reſurrectionem Romæ habito interfuerunt, & quod retulimus ab his qui præſentes viderant, id verè factum eſſe dicerent. Tertius verò cum Dño ſuo præſens interfuit & quod videndo comperit, nobis poſt aliquot annos ſciſcitantibus jndicavit.

De

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1049.

De festivitate S. Remigij prima Octobris solemniter quot annis celebranda. Leonis IX. rescriptum ad Episcopos Franciæ.

VIR denique venerabilis Leo Pontifex Maximus sæpedictum Apostolum nostrum eo magis ferventi excolens devotione, eúmque summoperè desiderans honorare & illius Monasterium sua auctoritate nobilitare, Epistolam ejus laude refertam direxit sanctæ Ecclesiæ filijs in Francia constitutis, qua decrevit apud eos haberi celebrem ipsius sancti festivitatem, quæ recolitur Calend. Octob. Plurima etiam ad Ecclesiasticam utilitatem pertinentia, quæ in præfata Synodo in ejus Basilica habita tractaverat, jussit apud eos Capitulatim digeri, & inter orthodoxos Canones numerari, cujus Epistolæ textum, quia ordo narrationis videtur exigere, huic operi dignum judicavimus inserere. Ejus verò exemplar ejusmodi est.

Leo Episcopus servus servorum Dei fratribus, & filijs Catholicis per universum Regnum Francorum constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem.

COmpertum caritati vestræ credimus, quod post consecrationem nostram illam videlicet qua benignitas Dei humilitatem nostram sanctæ Romanæ Ecclesiæ præesse voluit, Germaniam, Galliámque visitavimus, ac Remorum urbem adeuntes maximo voto & summa devotione Ecclesiam Beati Remigij, & longè ante desideravimus Deo annuente, & ejusdem sanctissimi viri patrocinantibus meritis cum magna gloria dedicavimus, atque post consecrationem Ecclesiæ, in eádem Synodum celebrantes, ad utilitatem Christianæ religionis necessaria, consilio Coepiscoporum nostrorum, assensu etiam & laude Cleri, & populi quorum innumera multitudo ad tantæ devotionis celebritatem confluxerat, statuendo confirmavimus, quæ omnia Capitulis digesta inter Canones haberi præcepimus, & postea in omnibus Synodis quas habuimus, idipsum confirmare curavimus. Et quoniam beatissimum Remigium gentis Francorum prædicatorem & Apostolum scimus, venerari & honorare illum quem Dominus in terris & in Cælo mirificavit, prout possumus debemus, præsertim cum semper in nostro pectore indè ipsius amor ferventius ardeat, quod pretiosissimum corpus ipsius sanctissimi viri propriis manibus transferentes in locum sibi præparatum miráque pulchritudine exquisiti operis decoratum reposuimus, undè vestram ammonere voluimus dilectionem, ut sicut nos in ejus obsequijs perpenditis gratulari, & nos causa nostri amoris, maximéque ex debito paterni amoris solemnitatem ejus quæ est Calend. Octobris, celebrem habeatis, quia & si alijs non est Apostolus, tamen vobis est; nam primitiæ Apostolatus ejus nos estis in Domino. Hunc itaque honorem Patri & Apostolo vestro exhibete, ut juxta promissum Domini Longani super terram viuere & ejusdem Patris precibus æternæ beatitudinis felicitatem mereamini possidere, valete.

Sancti

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1049.

Sancti Remigij celebritas prima Octobris, quæ lapsu temporis penè exoluerat, Decreto Cleri Gallicani fœliciter renovatur anno 1657.

CAPUT XXX.

SANCTI Remigij Francorum Apostoli festivitatem prima Octobris jam olim apud Francos fuisse celebrem docent tabulæ Ecclesiasticæ, clarúmque habetur ex Gregorio Turonensi histor. lib. 8. c. 21. *fuisse est, inquit, ut post dies paucos adesset festivitas Beati Remigij quæ in hujus mensis Octobris celebratur.* Item ex Capitulo Regum Franciæ, Concil. Moguntino, & Pistensi cap. 3. ubi hæc verba, *communi placito constituimus, ut usque ad Missam S. Remigij, ideſt Cal. Octob. de ipsa solemnitate more Francorum*, intelligenda esse tradunt auctores, ac proindè de Translationis die, cum natalis idibus Januarij in fastis reponatur. Undè mirum videri posset cur Leo IX. Epistola parænetica ad Episcopos Galliæ capite præcedenti relata, tantoperè eis prædictam festivitatem suadeat, nisi summus hic Ecclesiæ Hierarcha velit ut tot sæculis apud Gallos usu receptam majori apparatu & pompa celebrarent, quod ab illis tunc religiosè observatum ex vetustioribus breviarijs probari posset.

Verum ut se habent res humanæ quæ mutationi sæpius obnoxiæ sunt, primigenius hic Francorum ardor erga Francorum Apostolum sensim defferbuit, & tepescente religione imminuta quoque celebritas quæ diu apud eos inclaruerat, pluribusque in locis penè ignota habebatur, donec Deo volente, cui bona cuncta placent, ac imprimis suggerente R. P. Domno Stephano Vvilquin Retellensi, nec-non Archimonasterij S. Remigij Priore majore mihi amicissimo, multúmque pro ea propensione animi quam habet erga amantissimum Patronum apud Episcopos Provinciæ Remensis satagente, qui Comitijs generalibus Cleri Gallicani hoc anno 1657. intercerant, communi Episcoporum consensu & applausu sancitum est, ut pro eâdem festivitate renovanda circulares litteræ mitterentur per omnes Episcopatus regni, quas hîc cum Decreto cœtus Gallicani patria lingua concinnato subjicere operæ pretium esse duxi.

Extrait du Procés verbal de l'assemblée generale du Clergé de France, tenuë à Paris au grand Convent des Augustins, és années 1655. 1656. 1657.

Du Samedy 17. jour de Mars, 1657. à huit heures du matin. Monseigneur L'Archevesque de Narbonne Presidant.

MONSEIGNEVR l'Evesque de Chaalons en Champagne prenant l'occasion de ce jour, auquel tous Messeigneurs les Prelats de dehors estoient convoquez, a dit, que la Province de Reims l'avoit chargé de representer à la compagnie que le grand S. Remy a toûjours esté consideré comme l'Apôtre & le Patron de la France, que les Papes & les personnes les plus illustres ont consacré

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1049.

ſon nom & ſes merites par des eloges particuliers, que nos Roys qui ont receu par ſon entremiſe la grace de la foy & de l'onction celeſte ont eu ſa memoire en une ſinguliere veneration, que leurs perſonnes ſacrées & leurs états en ont reſſenti dans une infinité de rencontres des aſſiſtances conſiderables & des effets d'une protection toute viſible. Que ſur ces fondemens la feſte de ce grand Saint ayant eſté pendant pluſieurs ſiécles ſolemniſée avec ſoin & pieté par tout le Royaume, a eſté depuis & particulierement dans les derniers temps fort negligée en beaucoup de lieux. Que c'eſt une choſe fort juſte & digne du zele de l'Aſſemblée de r'allumer la devotion publique des Eccleſiaſtiques & des peuples vers ce glorieux Patron de la France, d'exhorter tous Meſſeigneurs les Eveſques de la recommander dans leurs Dioceſes, & de faire en ſorte que l'Office en ſoit au moins celebré par tout comme celuy des autres feſtes doubles.

Enſuite dequoy Monſieur le Gentil Vidame de l'Egliſe de Reims à preſenté une lettre que le Chapitre de ladite Egliſe avoit écrite à l'Aſſemblee ſur le même ſujet laquelle ayant eſté leuë, l'Aſſemblée a approuvée univerſellement un deſſein ſi pieux, & deſirant contribuer à la gloire de ce grand Saint & honnorer ſa memoire, elle a reſolu de prier & exhorter tous Meſſeigneurs les Prelats du Royaume de vouloir ordonner que la feſte de Saint Remy, qui eſt le premier jour d'Octobre, ſera celebrée dans toute l'étendue de leurs Dioceſes par le Clergé en la meſme forme & maniere que le ſont les feſtes doubles & ſolemnelles, & que pour cét effet il leur ſera écrit une lettre circulaire de la part de l'Aſſemblée qui leur ſera enuoyée par Meſſieurs les Agens, avec coppie de la preſente deliberation; & Monſieur L'Abbé Bertier a eſté nommé pour faire ladite lettre.

Univerſis per Gallias Epiſcopis, cœtus Eccleſiæ Gallicanæ Salutem in Domino.

Concil. Meguntin. can. 36. Capitul. lib. 2. Cap. 35 Leonis 4. Epiſt. ad Francos. Conſtitutiones Ludovici Pij de feſtivitatibus.

CVm ſancti Remigij Archiepiſcopi Remenſis feſtiva celebritas, tum Eccleſiæ Gallicanæ Concilijs, tum ſummorum Pontificum Decretis, Regumque noſtrorum Capitularibus luculenter per tot ſecula ſancita ſit: Attamen illud lugendum accidit, ut quæ magis vetuſtate commendanda fuerat, frigeſcente populorum pietate obliterata, vel ferè ſileatur, aut ſaltem tanti Francorum Apoſtoli, & Doctoris non condignis honoribus celebrata memoria vileſcat. Ille enim, ſicut optimè novit Charitas veſtra, quaſi ſecundus Silveſter ſubdita Chriſto Regi mortali purpura Clodovæum noſtrum tamquam novum Conſtantinum abjectis inanibus Dijs docuit adorare quod incenderat & incendere quod adoraverat, ac demum miraculis, atque doctrina ad fidei communionem adductis cum Principe populis, & idolatriæ lepræ nempe veteris, ſalutari lavacro abluta Francorum labe, hujuſce Chriſtiani regni ſub Chriſtianiſſimis Regibus dedicavit Chriſto primitias, & Eccleſiæ ſuæ primogenitos peperit, atque defenſores. Cumque gauderet Gracia quod ſola haberet Principem legis noſtræ, non deeſſe & reliquo orbi claritatem ſuam oſtendit, effulgurante ſiquidem recidiuis partibus in Rege nouo novo, novi jubaris lumine. Certè ſi quando ante oculos poſitæ vicinarum gentium in fide ruinæ Patronis cœlitibus fecere ſupplices, quod obſequij genus erga ſanctum Remigium Apoſtolum ſuum non præſtabit adunatis enixius precibus Francorum pietas cum proh dolor! à finitimis regionibus dilatato hæretica pravitatis incendio, ulciſcente peccata numine propulſata recedat religio. Quapropter hortamur charitatem veſtram, ut ad honorem ſancto Remigio die prima Octobris ſolemniori ritu exhibendum excitata ſubditorum veſtrorum devotione collaboremus unanimes, & nos tanti Præſulis exemplo qui teſte Hormiſda agebat ſummi documenta Pontificis, dum & prædicanda faceret, & ea inſinuare non differret.

Avit. Viennenſ. Epiſt. 41. Clod. Regi.

Sedulò

Sedulò in id incombamus, & operantes justitiam quæ vincit regna, & nos omnes salvos faciamus & eos qui nos audiunt.

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1049.

Vobis addictissimi servi & confratres Archiepiscopi, Episcopi, & Ecclesiastici Viri in generalibus Cleri Gallicani Comitijs congregati.

Parisijs die 22. Maij 1657.

Claudius Archiepiscopus Narbonensis Præses.

De mandato Eminentissimorum ac Illustrissimorum Archiepiscoporum Episcoporum totiusque cœtus Ecclesiastici Cleri Galliæ nomine congregati.

Henricus de Villars à secretis.

Ioannes de Montpezat de Carbon à secretis.

Leonis noni decretum de dignitate altaris Ecclesiæ sancti Remigij à se consecrati, ejusdémque Privilegium Monasterio seu Prioratui sancti Marculfi concessum.

CAPUT XXXI.

HIS quæ supra retulimus ex Anselmi itinerario subjiciendæ sunt binæ Domni Papæ Leonis litteræ bullatæ, quarum prima est de septem Præsbyteris Monasterij dignioribus quibus juxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ facultas datur celebrandi ad Maius altare sancti Remigij à summo Pontifice consecratum, alijs omnino exclusis præter Remensem Archiepiscopum, Remenses Canonicos bis in anno, vel quemcùmque alium cui Abbas licentiam concesserit. Altera Prioratum de Corbiniaco à Remigianis dependentem munit privilegio quem Leo Pontifex sacris beati Confessoris Marculfi pignoribus nobilitatum disertis verbis asserit. Ecce igitur ex tablino depromptas, quo major fides habeatur verbo tenus refero, sicque earum Prior incipit.

LEo Episcopus servus servorum Dei Herimaro Abbati & omni congregationi Monachorum sancti Remigij perpetuam salutem. Diuinæ bonitatis non immemor, & ingratus, quæ sua gratia humilitatem meam in sede Apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ sublimauit, ne mea negligentia mihi discrimen Ecclesiarum autem faciat ruinam, Ecclesias quæ nostro Apostolatui subjacent Catholicè ordinare, regere, & emendare, nec non Apostolicâ auctoritate immunes & liberas facere proposui, si sancti Spiritus benignus fauor mihi annuerit. Vnde ex debito nostri Apostolatus post aliquas Ecclesias, quas zelo succensus charitatis uisitaui, & Diuinâ misericordiâ me præueniente, ut potui emendaui; ad hanc beati Remigij Ecclesiam dedicandam, de Ecclesiasticis etiam causis tractaturus & diffinituras adueni, confidens sanctissimis meritis ipsius adjuuari ad obtinendam Dei misericordiam, si aliquid dignum, & memorabile egerim ad ipsius honorem & gloriam. Hac igitur dedicatâ Ecclesiâ placuit huic idonea & laudabilia auctoritatis, & nostræ uisitationis relinquere monumenta.

Deliberamus itáque & coram hac sancta Synodo promulgamus, statuimus & confirmamus, ut hac Ecclesia hoc priuilegium nostræ auctoritatis supra cæteras

VVIDO XLII. ARCHIEP. An. 1049.

Franciæ Eccleſias habeat, quatenus nulla Eccleſiaſtici ordinis, magna uel parua perſona in hoc altari quod conſecrauimus miſſam celebrare præſumat niſi Remorum Archiepiſcopus & hujus loci Abbas & cui licentiam concedet, permiſſa eâdem licentia Canonicis Remenſis Eccleſiæ bis in anno in Paſcha ſcilicet & in Rogationibus, ſeptem Præsbyteris legitimis adhoc officium deputatis, quos & ſcientia ornet, morum grauitas, & uitæ probitas commendet. Præterea quia hæc Eccleſia ab iniquis peruaſoribus graues & multiplices ſuarum rerum eſt paſſa injurias, ne quiſquam amodo uillis beati Remigij quas poßidet, uel poßidebit, aut hominibus intra uel extra ipſas uillas poſitis, graues conſuetudines imponat & iniquas, auctoritate beati Petri Apoſtolorum Principis prohibemus, & quæ hactenus injuſtè fuerint impoſitæ eâdem ſanctâ & inuiolabili auctoritate ne ulterius fiant, interdicimus ſeruata hac in omnibus auctoritate, ut conſuetudines quæ juſtè ei antiquitùs ſunt conſtitutæ ratæ permaneant, & inuiolatæ.

Extat Privilegium Leonis IX. pro Eccleſia Colonienſi in quo ſic habetur. Statuimus ut ſeptem idonei Præsbyteri Cardinales in prædicta Eccleſia ordinẽtur, qui induti dalmaticis & mitris ornati ad principalia duo altaria

Hoc etiam noſtra auctoritate confirmamus quod Vuido Remorum Archiepiſcopus partem quam in mercato habebat, quod erat 12. Calend. Nouemb. beato Remigio noſtro obtentu donauit, ea conditione ut nemo in ipſo mercato quinque denariorum pretium per uiolentiam auferat, nullus niſi hujus loci Abbas, aut cui ipſe juſſerit ibi quicquam accipiat. Nullus ad idem mercatum conuenientes quod 12. Calend. Nouemb. ſtatuimus, & promulgamus ueniendo, & redeundo cædat, impediat, aut per uim eis aliquid auferat, ſtatuentes ſub diuini obteſtatione judicij, ut qui hoc priuilegium ſanctæ Romanæ ſedis uiolare præſumpſerit æternam damnationem incurrat. Sub eâdem etiam obteſtatione noſtro precatu, & præfati Archiepiſcopi uoluntario aſſenſu, remiſſus eſt Eccleſiæ ſumptus quem in feſto S. Remigij accipiebat Remenſis Archiepiſcopus.

eiuſdem Eccleſia cum totidem Diaconibus & Subdiaconibus quibus ſandaliorum uſum concedimus, Miſſarum ſolemnia in feſtiuis diebus tantummodo adminiſtrent. Ab Eugenio confirmatum Ann. 1151. idib. Februarij.

Signatum.

Datum 3. Nonas Octobris per manum Petri Diaconi bibliothecarij, & Cancellarij ſanctæ Apoſtolicæ ſedis anno Domini Leonis noni Papæ I. Indictio. 3. & ſigillatum ſigillo plombeo.

Ejuſdem Leonis noni Privilegium de immunitate Prioratus Sancti Marculfi, ſeu Eccleſiæ de Corbiniaco à Monaſterio Sancti Remigij dependentis.

CONgruit Apoſtolatui noſtro pro uniuerſis Eccleſiis Dei ne damna rerum ſuarum ſuſtineant, ſed magis in melius augeantur & creſcant, curam habere. Igitur quia fraternitatis tuæ dilectio nos poſtulauit quatenus Monaſterium, Quod corpore Beati Marculfi nobilitatur, *Et in Epiſcopatu Laudunenſi ſitum eſt, priuilegio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ muniremus, quo ad Dei Omnipotentis laudem & ejuſdem Marculfi honorificentiam nullius hominis auaritiâ & temeritate ualeat in quoquam minus uiolari, ſed potius augeatur & creſcat propter interuentum tuæ dilectionis confirmamus, & corroboramus hoc noſtro auctoritatis priuilegio eidem Monaſterio omnes poſſeßiones &c.*

Datum 3. Nonas Octobris per manum Petri Diaconi bibliothecarij, & Cancellarij ſanctæ Apoſtolicæ ſedis anno Domni Papæ Leonis noni Primo, indictione 3.

De-

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1052.

Detectioni reliquiarum Sancti Dionysij Parisiensis interest Vvido Archiepiscopus, sepulturámque deligit in Ecclesia Sancti Remigij ubi funeratur.

CAPUT XXXII.

LEONE in Germaniam an. 1052. ad componendas inter Henricum Imperatorem & Hungariæ Regem dissentiones vocato, Ratisponæ adhuc in Bavaria consistente, gravis oritur controversia de reliquijs Sancti Dionysij Areopagitæ, ob cujusdam hominis ignoti corpus recens inventum in Ecclesia sancti Emmerammi Martyris, quod Areopagitæ corpus Germani falsò sibi esse persuaserant tanquam eò olim translatum fuisset sub Arnulfo Imperatore. ***Hoc cum Henrico Regi innotuisset, Imperatorem rogat per nuntios ut prædicti corporis diem elevationis protelaret, donec pro comperto haberetur an revera corpus Dionysij esset in Francia. Missis itaque in hanc rem ab Imperatore sapientibus viris apertâ Sancti Dionysij capsulâ coram ipsis, Antistitum quoque ac Procerum multitudine totum corpus ipsius cum capite in ea inventum est exceptis duobus ossibus de collo, &c. His nisis nuntij Imperatoris in Germaniam redeuntes de omnibus certiorem eum fecerunt.*** Hæc Rigordus qui præter seriem rei gestæ, nomina etiam eorum, qui potiorum dignitatum claritate insigniti præsentis dicuntur celebritatis gaudio interfuisse, recenset hoc ordine.

DE EPISCOPALI DIGNITATE CONVENERE.

Vvido Remensium Archiepiscopus.
Robertus Cantuariorum Archiepiscopus.
Imbertus Parisiorum Episcopus.
Helinandus Laudunensis Episcopus.
Balduinus Noviomensium Episcopus.
Frollandus silvanectensium Episcopus.
Vualterus seu Galterus Meldensium Episcopus.

DE ORDINE ABBATUM.

Hugo Abbas Sancti Dionysij.
Albertus Abbas Majoris Monasterij.
Ioannes Abbas Fiscanensis. . . . . & Adalbertus Monachus Sancti Remigij, qui & ipse asseruit coram Imperatore Parisiis sanctum Areopagitam Dionysium conservari cum de ignoti hominis elevatione quæstio verteretur.

Vvido Remensis (quem in solemni hac detectione, sacra fecisse arbitramur) corporis etiam Beati Bertini in Monasterio de Sithin translationem celebravit 6. Nonas Maij assistentibus ei tamquam Metropolitano Drogone Tarnanensi Episcopo, Herimaro Sancti Remigij, Alfrido de Sancto Vismaro, Geruino Centulæ, Fulberto Sancti Banonis, alijsque Archimandritis, coram Adela Comitissa Roberti Regis filia & Balduini uxore, quæ

VVIDO. XLII. ARCHIEP. *An.* 1052.

quæ brandeum liberaliter ſuppeditavit, quo reliquiæ involutæ ſunt, ut habetur in commentarijs S. Bertini.

Epiſcopalibus his per Provinciam ſedulò incumbens officijs Vvido Archiantiſtes, ſuæ quoque fidelitatis & vigilantiæ haud ignobile poſteris exemplum reliquit. Cum agnito errore Berengarij circa præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ obſtitit quam maximè, ne tantum virus non Diœceſim modo ſed ne Provinciam quoque inficeret. Unde ſcriptum legimus litteras hujus Hereſiarchæ ad Lanfrancum alicubi interceptas ab eo confeſtim deſtinaſſe ad ſummum Pontificem, cui de hac re poſtea vehementer gratulatus eſt. Sed purgavit ſe Lanfrancus de ſuſpicione ſuborta litterarum inſcriptione, palámque teſtatus eſt nihil commercij habuiſſe cum Berengario egregijs ſuis lucubrationibus quibus veluti Eccleſiæ ſydus longè præfulgens, inter inſigniores hujus ſæculi ſcriptores excelluit.

Ex Lanfranci 1 piſtolis.

Vvido quandiu in vivis fuit intimo cordis ardore beatiſſimum dilexit Remigium, Aſceteriúmque nomini ejus conſecratum iteratis ſtuduit ditare largitionibus prædeceſſorum ſuorum exemplo, qui ſub ſpe retributionis æternæ rebus neceſſarijs illud abundè locupletarunt, undè ſepulturam in eo, quotiens Deus eum ab hac labili vita evocaret, habere delegit, ac ibidem anniverſarium ſuum quot annis celebrari. Ut autem fratres congruum animæ ejus impenderent auxilium, de conſilio & aſſenſu Cleri ſui altare de Baina eiſdem impertijt ſub Clericali perſona perpetualiter poſſidendum eâ conditione, ut ſi eadem perſona aliquid criminis commiſerit unde judicetur perſonatum amittere, ſive morte interveniente ſubtracta fuerit vitæ, ab Abbate ipſius loci Remorum Pontifici altera præſentetur, cui abſque conventione ſeu pecuniæ largitione animarum committatur diligentia. Chartæ ſubſignarunt cum dignitatibus Eccleſiæ, Comites hoc ordine.

Ex Charta Vidonis Archiepiſcopi.

Signum Vuidonis Archiepiſcopi.

Signum Vuarini Archidiaconi.
Signum Odonis Archidiaconi.
Signum Odalrici Præpoſiti.
Signum Richardi Decani.
Sig. Odonis Cantoris.
Sig. Herimanni, Gerwini, Hugonis &c. ſig. Domni Abbatis Herimari.
Sig. Manaſſe Comitis Archiepiſcopi nepotis.
Sig. Rogeri Comitis.
Sig. Rainoldi Sueſſionis Comitis, &c.

Actum Remis An. 1052. Indict. 2. regnante Henrico Rege An. 24. Archiepiſcopatus Domni Vuidonis An. 20. Odalricus Cancellarius ſcripſit, atque ſubſcripſit.

Anno ſequenti confirmat Vuido donum Manaſſis nepotis ſui Herimaro Abbati S. Remigij de quibuſdam terris in confinio Caſtri Beati Remigij ſitis præſenti Charta, à nobilibus vicinis ſubſcripta, quam hìc è Chartophilacio pradicti Monaſterij ſubjicimus.

1053.

Charta Vuidonis Archiepiſcopi.

Vrilly.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Eſt in confinio Caſtri ſancti Remigij terra adjacens vicinitati terrarum adjacentium in Villa Sancti Remigij ex partê, quæ à viriditate dicitur, de poſſeſſione cujuſdam Vicedomini Remenſis qui dicebatur Manaſſes Calvus nepos Vuidonis Archiepiſcopi. Valens ergo Dominus Abbas Herimarus quoddam Manſionile ibi prope memoratam Villam conſtruere, nomine tollens viam, pro

Manaſſes Calvus Nepos Vuidonis Archiep.

eo

eo quod viam abstulerit quæ perindè solita erat fieri quia contigua & immixta erat ipsa terra reliquis terris sancti Remigij, ne aliquando paterentur aliquod scandalum homines easdem colentes à Domino possessore ipsius terræ, de qua supra retulimus, petivit in præsentia Domni Archipræsulis Vvidonis ab ipso Manasse Calvo dari Sancto Remigio eam pro remedio animæ suæ & animarum filiorum suorum. Ipse autem noluit hoc facere nisi ea conditione, ut darentur sibi centum solidi quot annis vitæ suæ, & post mortem suo hæredi. Herimarus autem consilio habito cum Manasse Comite qui tunc præsens aderat, & cum reliquis Casatis ex præcepto ejusdem Archipræsulis memorati, noluit assentire ut daret ei memoratum pretium, scilicet centum solidos, nisi quandiu viveret. Denique hortatu omnium qui aderant, imo prece & Imperio Avunculi sui supra taxati Archipræsulis ad ultimum consentit, ut haberet centum solidos quo ad viveret. Post mortem verò suam, & terram & denarios Sanctus Remigius jure quieto possideret. Hanc igitur conventionem in præsentia sua literis commendare præcepit Domnus Vvido Archipræsul, & ut per succedentia temporum curricula inconvulsa maneret, Archiepiscopalis auctoritatis sigillo cum Clericorum, & Laïcorum qui adfuerunt, testimonio corroboravit.

VVIDO XLII. ARCHIEP. *An.* 1053.

Signum Domni Vuidonis Archipræsulis.
Signum Odonis Archidiaconi.
Signum Herimari Abbatis, &c.

Laicorum verò signum Manassæ Comitis. Signum Rogeri Comitis. Signum Rainoldi Sueßionici Comitis. Signum Vuidonis militis. Acta est hæc Remis in Ecclesia sanctæ Mariæ, Anno Incarnat. Dom. 1053. Indict. 6 regnante Henrico Rege Francorum anno 24. Archiepiscopatus autem Vuidonis an. 20. Odalricus Cancellarius scripsit.

Hic igitur Præsul, qui & restaurationi Sparnacensis Ecclesiæ consentit ante obitum, postquam 22. annis & aliquot mensibus, graviter & integerrimè sedem Remensem gubernasset, diem clausit Calendis Septembris anno 1055. vel 1056. ex Alberico. Sepultúsque est apud S. Remigium ut ultimis tabulis constituerat. Versus super tumbam exarati, virtutes cum nobilitatis flore cum eo conjunctas fuisse ac velut insertas breviter indigitant his verbis. 1055.

Fluxus honor mundi, proceres! cur debet amari?
Dum manet, excruciat, & post quid cernite fiat.
Iste bis undenos geminos cum mense per annos,
Archiepiscopium possedit Vuido Remorum;
Stat pius, ac humilis in culmine nobilitatis.
Heu miseram sortem! facit hunc caro putrida vermem,
Ast animam Iesus foveat vi nominis ejus,
Terrea Calendis linquentem claustra Septembris.

GERVASII ARCHIEPISCOPI Genealogia.

EX Alberici Chronico MS. claruit hic sub Beato Ludovico in Abbatia trium fontium Diœcesi. Catalaun. ex Ægidio de Bry Domino de la Clergerie, in Comitum Perticensium historia; quamvis Jacobus Chifletius aliter sentiat.

I.

Digitized by Google

GERVAS. XLIII. ARCHIEP *An.* 1055.

Hamelinus vel Aimon Caſtri Ledi Dominus Heldegardem Beliſmenſem Ivonis Comitis de Belliſmo filiã duxit uxorem. Prædicti Hamelini nomen legitur in obituario S. Dionyſij Remenſis 18. Cal Ianuarij, uxoris verò ejus 6. Cal. Novemb. in eodem obituario. Ex ijs prodierunt.

1. Robertus Ledi Caſtelli.

2. Burchardus Caſtri Ledi Dominus in Meduano ducatu.

3. Gervaſius Cenomanenſis primum Epiſcopus, Tũ Remenſis. De Belliſmenſis à quibus vocatus, ab alijs Barbet, vel de la Rocheguyon.

Gervaſius Caſtri Ledi Dominus.

Mathildis Caſtri Ledi hæres in ducatu Meduanenſi, nupſit heliæ Flexiẽſi Meduano Comiti Joannis Flexienſis filio ex Paula Meduana Hugonis 2. Comitis filia.

Eremburgis Meduana, uxor fulconis Comitis Andegavenſis & Meduani qui Regis quoque Hieroſolymitani exercitũ, procerum Chriſtianorũ electione duxit.

Gervaſij Genealogiam ex Materno latere habes in hiſtoria Perticenſi quam ſequenti capite breviter exponemus.

Gervaſius ex Cenomanenſi Epiſcopo fit 43. Archiepiſcopus. Urbis Eccleſias luſtrat, & feudatorios ad fidelitatem compellit.

CAPUT XXXIV.

SEDI Epiſcopali fœliciùs nihil optatiúſque accidere poteſt, quam Rectorem habere eum qui & ovibus ſibi commiſis prodeſſe & Eccleſiarum utilitati valeat providere, qualis Gervaſius haud dubiè fuit, generis nobilitate præfulgens, virtutibus clarus, ſapientiâ & honeſtate in regno nulli ſecundus, cujus progenies in hiſtoria Perticenſi fuſius à nobis compendiò ſic deſcribitur. Ivo Belliſmenſis primus Alenconij Comes avus Gervaſij ex materno latere, & qui ſub Rege Ludovico 4. & Richardo 5. Normanniæ Duce claruit Godehildem habuit uxorem, Monaſterij S. Saulini in caſtro Belliſmenſi fundatricem, ex qua tres filios, & duas filias ſuſcepit, Guilelmum de Belliſmo, Aveſgaudum Cenomanenſem Epiſcopum, Ivonem Hildeburgim, & Hildildim. Harum Prior Aimoni Caſtelli Litz vel ledi Domino nupta, Gervaſium procreavit, qui Avunculo in Epiſcopatu Cenomanenſi ſucceſſit an. 1035.

Naſcitur Gervaſius An. 1004. Non. februar. apud Caſtrum Ledi Chron. Rem. ex Hamelino & Hildegarde uel Hildeburge Terperam hic de Barbeto ſeu de Rupe Guidonis alicubi vocatur.

Sed vix Epiſcopale ſolium conſcenderat, cum Herbertus cognomine Baccho qui dudum Aveſgaudo moleſtus fuerat ei inſidias ſtruit, & in auditâ tyrannide ab ingreſſu urbis Cenomanenſis per duos annos excludit. Subindè Godefridus Andegavenſis, cui Epiſcopium Gervaſius quandiu ſuperſtes eſſet, Herberti pravitate denuo fatigatus, promiſerat, ei ex amico hoſti factus eſt: nam ſe veluti deluſum arbitratus (eo quod Hugo Princeps

ceps junior quem prædictus Gervasius in baptismo susceperat) expulso Herberto admissus esset in urbem, ac Berthæ relictæ Alani Comitis Britanniæ Matrimonio junctus, Castellum Ledi obsidione cinxit, tum prætextu ineundæ pacis Gervasium ad familiare colloquium alliciens, eum subdolè cæpit, ac in vinculis captiuum ausu nefario per septem annos detinuit, ut ex actis Concilij Remensis sub Leone 9. colligitur, ubi Godefrido sub anathemate injunctum, ut Gervasium libertate donaret, quam tamen ipse non est assecutus, quin prius Castellum Ledi, quod illi patrimonij jure obvenerat, etiam nolens cederet.

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1055.

Castellū Ledi vocatur in vita S. Melanij.

Vide sub finem Concilij.

Ex longo & tædioso Gervasius ereptus carcere, in Normanniam secessit ubi à Guilelmo Duce comiter exceptus, auro, argento, honore, multisque prædijs cumulatur. Fama ejus per universam Galliam crebrescente, Rex tantum Præsulem allicere, ac beneficijs sibi devincire cupiens, eum primò à consilijs esse voluit, tum Vvidone Archiepiscopo fatis cedente, Remenses insulas ei cupidissimè conciliavit, quas annuente Clero & populo adeptus est 5. idus Oct. anno 1055. postquam viginti annis Cenomanensem sedem inter varios fortunæ casus, occupasset. Undè patet quid ei tot adversa præstiterint, cum è tenebricoso carcere, alter veluti Joseph vix eductus in Belgicæ Provinciæ celsiorem Cathedram provectus fuerit, quæ ab eo tot gloriæ titulis, sacrisque ædibus nobilitata est, ut eo splendidior in tota historia famosiórque difficile sit reperiri.

Summo igitur omnium gaudio sedi Remorum incardinatus idibus Octobris, ab eo quod Pontificalis muneris est auspicatur, à sacrorum scilicet ædificiorum lustratione, tam civitatis quam suburbiorum, quæ eum ad Dei cultum & gloriam nostræ religionis condita sint, summoperè curandum est, ne senio vel socordia dilabantur; satius enim est vetera instaurare, quam nova inchoare &c. De operibus publicis Mss. codices referunt visâ Beati Nicasij Basilicâ temperasse se non potuisse à lachrymis ubertim ab oculis fluentibus, ob tam elegantis ædificij undique patentes ruinas, decurpatamque interioris & exterioris formæ venustatem, ac subindè in animum induxisse suum, eam suis impendijs quam primùm reparare, quod & generosè præstitit, ut alibi dictum est.

Tomo 1. sub finem.

Exin urbem circumeundo, Beati Dionysij ædem injuriâ pariter temporum detritam, & imbribus veluti impluvium quoddam tectis hinc indè delapsis expositam reperit, adeò ut vix in ea locus esset coopertus ubi sacris Sacerdos posset operari. Hanc quoque novis substructionibus post Nicasianam excitare constituit, ut suo loco referam. Ex sacrorum ædificiorum lustratione animum appulit Præsul eximius, ad id quod erat Dominij sui Archiepiscopatus, coegitque Manassem Comitem fidei clientelam profiteri pro Villis quas in beneficium Avus, patérque ejus ab Ecclesia Remensi acceperant, ut ex veteri membrana colligitur, cujus antigraphum hoc loco subjecre ratum duximus, quod historiæ non minimam lucem adferat.

Comes Manasses.

Notum sit Ecclesiæ Dei quod anno Domin. Incarn. 1055. Comes Manasses Domni Gervasij Archipræsulis homeliges factus est, & ligiam fidelitatem juravit. Domnus verò Archipræsul beneficium illud sibi reddidit quod pater ejus & Avunculus ejus, videlicet Manasses Calvus de anterioribus Archiepiscopis tenuerunt, & ipse tenet scilicet de his, Adalberone, Arnulfo, Ebalo. Margore autem quod Vuido Archiepiscopus ei dederat, eo pacto reddidit ei, quod si Beatrix Marchisia filia Theodorici Ducis qui supradictam Villam tenuit, vel advocatus ejus calumniati fuerint, redditionem illam audiet Domnus Archipræsul, & placitum inter calumniatores & Comitem Manassem, & cui justum fuerit, concedet sine aliqua commutatione. Cætera dona Vuidonis retinuit videlicet Castellaniam de Mosomo Castro quam tenebat Angubrannus pro qua reddidit ei quadraginta libras, &

Manassis Calvum.

Castellaniā de Mosomo.

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1055.

Betiniacum Villam. Altaria quæ tenebat Comes Manasses in beneficium de Archiepiscopo dimisit, quæ Dominus Archiepiscopus reddidit Comitis demissione filio ejus Rotgero Clerico in personaticum, & si ipse obierit, respondet se redditurum uni Clerico tantum in personaticum quem ipse præsentauerit, si tamen laudabilis persona fuerit, ac idonea ad recipiendum.

Altum mons.

De Altomonte contendebat prædictus Comes, non esse de beneficio beatæ Mariæ, quod Dominus Archiepiscopus quamuis & per testes & per idonea scripta cognouisset esse de beneficio sanctæ Mariæ, tamen sic dimisit ut erat usque ad festiuitatem sancti Remigij quæ est Calendis Octobris. Si tunc cognouerit esse de beneficio sanctæ Mariæ, fatebitur coram Domino Archiepiscopo, & quibus illi placuerit, si non, post festiuitatem prædictam quintodecimo à festiuitate die, vel probabit suum alodium esse, ut falsò contendit, vel fatebitur esse de beneficio sanctæ Mariæ, ut est.

Beneficium Lethaldi reddidit illi, & uxori ejus ad annos quibus hæres Lethaldi beneficium tenere poterit, & si hæres Lethaldi interierit, spopondit se redditurum ei, illique quem ex filijs suis uxor prædicti Manassæ hæredem instituerit. Altaria quæ habuit Lethaldus in beneficium reddidit præfato Rogero eorum filio in personaticum usque ad annos supradictos. Quod Comes in Archiepiscopum deliquerat, ei dimisit. Interfuerunt testes de Clericis Odo & Vuarinus Archidiaconi, Odelricus Præpositus, Vuidricus Decanus, Drogo, Arnulfus, & Amalricus.

De Laicis Vuido de Quadrencio, Manasses de Altreio, Manasses Vicedominus, Odo, Rotfridus, Hamelinus. Prædicta festiuitate S. Remigij quæ est scilicet Calend. Octobris recognouit Comes Manasses & concessit Castellum de Altomonte se tenere de beneficio sanctæ Mariæ Remensis, & Gervasij Archiepiscopi. Huic concessioni interfuere ex parte Archiepiscopi Herimarus Abbas S. Remigij, Odo Archidiaconus, Odelricus præpositus. De Laicis Vuido de Guarnaro, Hamelinus, Odo, Hugo. Ex parte Comitis Manassè Haimo de Roceio, Mainardus, Rainerus, Hugo, Renaldus, Engobrannus.

Sindunensis in Dulcumensi Pago Prioratus exordium; & Summorum Pontificum ad Gervasium Epistolæ.

1055. DUlcumensis Pagus veteribus notior est quam modernis, apud quos penitus exolevit, vixque cognoscitur nisi ex villis quæ infra Pagi fines concludebantur. Dulimensis vitiosè (ut reor) vocatur in divisione regni Lotharij facta inter Carolum & Ludovicum ann. 870. Dolomensis apud Flodoardum lib. 2. cap. 18. & Dulcumensis lib. 1. protendebatúrque à Cernaco usque ad Mosam, ubi Castellum de Dun & villula Dulcon olim totius Pagi caput, & à quo nomen sortitur. In eo celebris vicus est Sindunus nomine, Martyrio Ss. Oricoli & sororum nobilitatus, quorum sacræ exuviæ ditissimo Prioratui natalem hoc pacto dedêre.

1056. Cum prædicti viri Ecclesia externorum quorundam Præsbyterorum curæ relicta fuisset, ut coram sanctis pignoribus diu, noctúque preces funderent, his excubias non agentibus, ea expollianda fures excogitarunt, qui perfractis foribus, noctu sanctuarium ingressi, cum thecis argenteis reliquias intrepidè abstulerunt, quas tamen Hubertus Clarimontis Comes è sacrilegis eorum manibus fœliciter eripuit, ac in Castellum suum eâ quâ licuit reverentiâ transportavit.

Herimarus S. Remigij Abbas, hujus rei factus certior, Comitem supplex adit, hortatúrque, ut quod furtim è loco sacro ablatum fuerat, spontè restitueret; eo preces ac minas nihili faciente Gervasius, ad quem Abbas eum detulit, sub anathematis pœna tandem reddere coegit quod per quinquennium injustè retinuerat, ut palam fiet ex Chartâ quæ divitis Prioratus S. Oriculi sivè Sindunensis originem pandit, cujus fragmentum ex veteri MS. bibliothecæ S. Remigij folio ultimo, ubi habentur expositiones Rabani in Matthæum; lubens subjicio.

Notum

Digitized by Google

NOtum esse volumus tam præsentibus, quàm futuris sacrosanctæ Ecclesiæ « GERVAS.
Fidelibus, Ecclesiam apud vicum Sindunum in Pago Dulcumensi ex « XLIII.
antiquo insignitam fuisse sancti Martyris Oriculi, sororúmque ejus Oricolæ « ARCHIEP.
& Basilicæ corporibus, quæ cum olim per merita eorum adeò celebrata, « *An.* 1055.
& fidelis populi frequentatione maximæ venerationi fuerit habita, his mo- « 1056.
dernis temporibus ad tantum neglectum devenit, ut qui eam custodirent, «
vel pro loci dignitate divinum inibi servitium exsolverent, defuerint: unde « *De eo Plo-*
à furibus noctu est effracta, eadémque sanctorum ossa exindè sunt ablata, sed « *ardum lib. 1.*
ab eis per Hubertum de Clarimontis castello recepta, in ipsius castelli Basilica « *cap. 8.*
decenter collocata, & inibi per quinquennium retenta. Nam sæpius commo- «
nitus ab Abbate sancti Remigij Herimaro, & fideli viro Manasse de Altreïo «
castello, noluit acquiescere ut ea pristino redderet loco, donec studio & «
auctoritate domni Gervasij Remorum Archiepiscopi reddidit ea licèt invitus, «
quæ cùm ad propriam sedem ab eodem Abbate & ipsius Monachis fuissent « *Nota.*
relata, statuit idem Archipræsul eumdem locum Monasterio sancti Remigij «
deinceps esse subjectum, indéque Fratres aliquos delegari, qui ad horum « Sancta Reli-
Sanctorum memoriam incessanter divinum exhibeant Officium, & ad sup- « quiæ in Ora-
plementum victûs eorum, altare ipsius Ecclesiæ (quamdiu ibi haberentur « toriis vilari-
Monachi) absque ullius consuetudinis exactione perpetualiter tradidit possi- « bus non po-
dendum. Tali itaque testimonio tanti Pontificis auctoritate subnixo, elucet « nantur nisi
Ecclesiam sanctorum Martyrum olim pro eorum reverentia magnæ cele- « forsitan Cle-
britatis fuisse, sed grassante malignantium vecordia deinceps neglectui esse: « ricos cuius-
ad quam cùm eorum reducerentur corpora, vicinarum gentium celeberri- « cumque Pa-
mus concursus fuit, quoniam pluribus effulsit miraculis. « rochiæ vici-
« nos contin-
« gat, qui sa-
« cris cineribus
« psallendi fre-
« quêter famu-
« lêtur *Concil. Eppar anno 517. celebrato cap. 25.*

Et hæc de origine Prioratûs Sindunensis, in quem postea Robertus Abbas S. Remigij exauctoratus se recepit, vocatúrque Cella sancti Oriculi ubi antiquitus fuêre sex Monachi, juxta præscriptum Conventûs Aquisgranensis *cap. 44.* at is numerus sensim decrescit, quamvis accrescat census.

Ceterùm ût omnibus modis Reipublicæ præsertim litterariæ prodesset Gervasius, scholas Remenses vetustate collapsas, illustriores reddere statuit operâ S. Brunonis Colonienſis, ac in Ecclesia Remensi à pueris enutriti, quem scholarum caput seu Rectorem constituit, addito Cancellariatûs officio, quo egregiè perfunctus est usque ad Manassem I. donec ipse calcatis dignitatum pompis in eremum secessit, ut infra dicetur. Idem quoque Antistes illustre monimentum suæ magnificentiæ posteritati relicturus, Cervum ære fusum ingentis magnitudinis ante valvas palatij super molem lapideam instar suppedanei erectum posuit, quo juventæ forsàn exercitia, seu potiùs patriam venationi aptissimam indicaret, sub cujus aluo hi versus exarati leguntur cum nomine auctoris.

Dum Cenomanorum saltus lustrare solebat
Gervasius, cervos tunc sufficienter habebat;
Hunc, memor ut patriæ sit semper, condidit ære.

Auditâ Friderici Cardinalis ad summum Pontificatum promotione, qui & Stephanus decimus dictus est, illi summoperè est gratulatus per nuncios, qui & filialis obedientiæ obsequia detulerunt. Undè eidem pariter gratias rependit Pontifex hac Epistolâ quæ inter recèns editas prima est. *An.* 1057.

Ad Gervasium Remensium Archiepiscopum.

STephanus Episcopus Servus servorum Dei, Gervasio Remensi Archie- «
piscopo, salutem & apostolicam benedictionem. Promotioni nostræ, sicut «
nobis scripsisti, non ambigimus te gratulari, amicitiam quoque sinceram & «
volumus & optamus inter nos fore perpetuam, porro obedientiam, fidelita- «
témque, quàm nobis polliceris te integerrimè servaturum, si ut debes, & ut «

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. *An.* 1057.

„ decet ſervaveris, facis, quod faciendum optimè ſcis, quia principalem „ & communem Matrem non modò nos reveris in nobis. De Concilio „ autem Remis habendo, quid aliud dicendum, niſi quod beatæ memoriæ „ domnus Victor Dei judicio hinc eſt raptus, & quòd inter vos convenit „ non remandaſti, an in hoc eſſet Regis conſenſus? ſed & de Bituricenſi „ Archiepiſcopo, quia dilectus filius noſter Hildebrandus, cui illius cauſa „ maximè nota eſt, abeſt, hoc tantùm reſpondemus, quòd eo revertente, „ & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc, quàm ex alijs eccleſiaſticis „ negotijs tuum conſilium habebimus . . . . . Ne deficias aut frangaris, „ ſi adverſarios pro fidelitate S. Romanæ Eccleſiæ, imo pro ſanctorum Cano- „ num defenſione pateris, ſciens ſecundùm Apoſtolum, quòd in hoc poſitus „ ſis; auxilium enim noſtrum, & conſilium tibi pro juſtitia agonizanti tempore „ noſtri Pontificatûs non deerit. Ceterùm Romæ quintodecimo die poſt ſan- „ ctum Paſcha Synodum celebraturi, tuam fraternitatem cum Suffraganeis „ ejus volumus & jubemus intereſſe, abſque inevitabili neceſſitate.

Regù conſenſus pro Concilio in Gallia celebrando.

Stephani convocatio effectum non eſt conſecuta, cùm ſtatim vitâ functus, ſucceſſorem habuerit Nicolaum II. cujus aliquot exſtant ad Gervaſium Epiſtolæ, quarum hîc pericopen damus, ut vel ex harum tenore negotiorum hujus temporis ſeries clariùs eluceſcat. Prima igitur prædictum carpit Archiepiſcopum, quòd Apoſtolicæ ſedis invaſoribus Minuto ſcilicet faverit, monétque ut Francorum Regem hortetur, ne ſacris obſiſtat Canonibus.

„ NIcolaus Servus ſervorum Dei, Gervaſio venerabili Archiepiſcopo ſa- „ lutem, & Apoſtolicam benedictionem. Licèt de veſtra fraternitate „ quædam ſiniſtra, non ſine diſcuſſione dimittenda, pervenerint ad ſedem Apo- „ ſtolicam, ſcilicet quòd ejus invaſoribus faverit, quòd pontificales actus „ poſtpoſuerit, tamen quia teſtimonio non levis perſonæ defenderis, ſed „ potiùs de fidelitate ſancti Petri laudaris, præmiſſa tranſimus & ut verum ſit „ de vobis teſtimonium, optamus . . . . ſcitis enim quàm vobisb enigna fuerit „ communis Mater . . . . . ſancta Romana Eccleſia, quámque magna de „ te ei fiducia, ut tuâ ſollertiâ Francorum Rex poſſet ſuccurere penè lapſæ „ Eccleſiæ. Proindè agere ſtude quod de te ſperavit Apoſtolica ſedes, & „ veſtrum Regem glorioſum caſtiga, precare, ammone, ne pervertatur „ peſſimorum conſilio, qui noſtrâ diſcordiâ putant ſe Apoſtolicam cen- „ ſuram evadere, caveátque ſacris Canonibus, imo beato Petro reſiſtere, „ nóſque, qui eum ſicut pupillam volumus amare oculi, contra ſe moveri, „ ſatis enim mirari poteſt, ſi pro aliquo ſtulto, ſicut eſt, quem voluit ordinari, „ Matiſconenſis Epiſcopus, vult Deum, & ſanctum Petrum offendere . . . . . „ De Duce verò Godefrido nemo vos terreat, cùm fuerit opus vos venire „ Romam . . . . . ſalutant vos cariſſimi Fratres noſtri Cardinales, Epiſ- „ copi; nec non humilitas Filij noſtri Hildebrandi.

Idem Pontifex Epiſtolâ vigeſimâ-quartâ Gervaſio injungit ut Belvacenſi Epiſcopo munus epiſcopale interdicat, eo quod contra ſtatuta Canonum conſecratus ſit, & pecuniam dederit.

Is erant Gilbertus, qui Drogoni ſucceſſit, & a Frollando Silvanectenſi Epiſcopo, ſine aſſenſu Metropolitani conſecratus fuerat.

„ NIcolaus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Gervaſio venerabili Archiep. „ Remenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Audivimus relatione „ multorum quòd Belvacenſis Epiſcopus contra ſtatuta Canonum ſine „ nobis, & ſine veſtro aſſenſu fuerit conſecratus, & quod pejus eſt, ad Epiſco- „ patum ſublimatus. Accingimini igitur, & fultus noſtra auctoritate, ex parte „ omnipotentis Dei, auctoritate beati Apoſtoli Petri omne epiſcopale offi- „ cium, uſque dum ad Romanam Synodum venerit, interdicite. Sin autem „ in aperto res eſt, quod pecuniam dederit, omnibus Belvacenſibus Clericis „ ac Laicis ut ſibi ante prædictum judicium non obediant ſub excommunica-

tione

tione interdicite . . . . . Silvanectenſi etiam veſtro ſuffraganeo Epiſcopo, ſi eum pecuniam dediſſe præſcivit, & veſtrum aſſenſum in maledictionis herede benedicendo non habuit, ſimiliter epiſcopale officium uſque ad prædictam Synodum interdicite. GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1057.

Epiſtola 4. Gervaſium paternè monet ne Virdunenſi Eccleſiæ, quæ ei cum Fratribus commiſſa eſt, quidquam injuriæ per ſuos inferri patiatur. Sequenti verò primùm excuſationem ab eo per G. ſibi factam pro Silvanectenſi Epiſcopo recipit, eo quod Canonicum fuit quod fecerat; tum de ſuo in Franciam adventu, nihil certi ſcribere valens, interim hortatur, ut cum Duce Godefrido pacem ineat, *quatenus tui*, inquit, *ad nos ſecurè valeant venire, noſque eos poſſimus audire.* *Godefridum Ardunenſem intelligit, de quo Sigebertus ad annum 1055 & 1057.*

Gervaſius Philippum I. Remis ungit in Regem, ſitque ſummus regni Cancellarius. Ejuſdem Epiſtola ad Nicolaum, & Alexandrum ſummos Pontifices, & Alexandri ad Gervaſium.

CAPUT XXXV.

HENRICUS primus ſenio ſe gravari conſpiciens, Philippum filium ſuum natu majorem, quem ex Anna, Georgij Sclavi Regis Rutenorum filia, ſuſceperat, ſecum in regni ſolium ſublimare ſtatuit, eúmque adhuc ſeptennem Remos deducens, in die Pentecoſtes ante maïus altare beatæ Mariæ, cum magna fecit ambitione conſecrari à Gervaſio Remenſi Archiepiſcopo, qui cùm in Regis obſequio eſſet, & magnæ ſtrenuitatis, non modicum expendit apparatum. Hæc hiſtoriæ Francicæ fragmenta, vetuſtioréſque Chronographi. Acta Concilij Pariſienſis, quæ Papirius Maſſo in ſuos annales intulit ſubobſcurè loquuntur, ac ſi Philippus Pariſijs in conventu Epiſcoporum, & non Remis, coronam ſuſceperit. Sed præſtat referre quod Andræas du Cheſne de hac inauguratione evulgavit poſt Tilletium, ex manuſcripto codice domini Petavij Senatoris Pariſienſis, quo totius rei ſeries, & aſſiſtentium Epiſcoporum nomina luculenter & ordinatè continentur. *Tom. 4. fol. 161.*

Ordo qualiter Philippus I. in Regem conſecratus eſt.

ANno Incarnationis Dominicæ MLIX. Indictione XII. regnante Henrico Rege anno XXXII. eadem die completo, X. Cal. Junij, Epiſcopatus autem domini Gervaſij anno IV. in die ſancto Pentecoſten, Philippus Rex hoc ordine in majori Eccleſia ante altare ſanctæ Mariæ à Gervaſio Archiepiſcopo conſecratus eſt. Inchoata Miſſa antequam Epiſtola legeretur, Domnus Archiepiſcopus vertit ſe ad eum, & expoſuit ei fidem Catholicam, ſciſcitans ab eo utrum hanc crederet, & defendere vellet quo annuente delata eſt ejus profeſſio, quam accipiens ipſe legit, dum ad huc ſeptennis eſſet, eique ſubſcripſit. Erat autem profeſſio hæc. *Ego Philippus Deo propitiante mox futurus Rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo & ſanctis ejus, quod unicuique de vobis commiſſis canonicum privilegium, & debitam legem, atque juſtitiam conſervabo, & defenſionem quantùm potuero, adjuvante Domino, exhibebo, ſicut Rex in ſuo Regno, uniquique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet. Populo quoque nobis credito, me diſpenſationem legum in ſuo jure conſiſtentem noſtra auctoritate conceſſurum.* Qua completa poſuit

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1059.

„posuit eam in manus Archiepiscopi, astante Hugone Bisonticensi Nicolai „Papæ Legato, & cum eo Ermenfredo Sedunensi, Archiepiscopis quoque „Mainardo Senonensi, & Bartholomæo Turonensi: nec non Episcopis Hed„done Suessionensi, Rogero Cathalaunensi, Elinanno seu Helinando Laudu„nensi, Balduino Noviomensi, Frollando Silvanectensi, Letberto Came„racensi, Guidone Ambianensi, Aganone Eduensi, Hardunino Lingonensi, „Achardo Cabilonensi, Ilembardo Aurelianensi, Imberto Parisiacensi, Gal„tero Meldensi, Hugone Nivernensi, Gaufrido Autissiodorensi, Hugone „Tricassino, Hicterio seu Iterio Chabot Lemovicensi, Guillelmo Engo„lismensi, Arnulfo Sanctonensi, Vereco seu Quiriaco Nannetensi. Et de „Abbatibus, Herimaro sancti Remigij, Rainero sancti Benedicti, Hugone „sancti Dionysij, Adraldo seu Adroldo S. Germani à Pratis, Geruino sancti „Richarij, Guathone sancti Vvallerici ..... sancti Vingalæi, „Vvarino S. Judocij, Fulchone de Foresti Monasterio, Gerardo sancti Me„dardi, Heinrico seu Henrico Humolariensi, Gouzone Florinensi, Raynerio „Floriacensi, Fulchone S. Michaëlis Làudunensis, Archenveo Laudunensi, „Guidone Marcianensi, Rodulfo Mosomensi, Alberto sancti Theodorici, „Varino Altovillarensi, Vvenrico sancti Basoli, Hugone Orbacensi, Odi„lardo Cathalaunensi, Vvandelgero Clervensi, Vvaleranno Virdunensi, „Adalberone Divionensi, Arnoldo Pultariensi, Guillelmo Trenorcensi, „Hugone Carrofensi, Avesgaudo Cenomanensi, Hugone Crispinensi.

Episcoporum qui Philippi I. inaugurationi interfuerunt nomina.

& Guignolet de Landevenec. Hombleres.

Baculus S. Remigij.

„ Accipiens (Gervasius) baculum sancti Remigij, differuit quietè & pa„cificè, quomodo ad eum pertineat maximè electio Regis, & consecratio „Regis, ex quo sanctus Remigius HLudovicum Regem baptisavit & con„secravit. Differuit etiam quomodo per illum baculum hanc consecrandi „potestatem, & totius Galliæ Primatum Ormisda Papa sancto dederit Re„migio, & quomodo Papa Victor sibi & Ecclesiæ suæ .....

Philippus eligitur in Regê.

„ Tunc, annuente Patre ejus Henrico, elegit eum in Regem. Post eum „Romanæ, Sedis Legati, cùm id sine Papæ nutu fieri licitum esse diserrum „ibi sit, honoris tamen & amoris gratiâ, tum ejus ibi affuerunt Legati. Post „hos, Archiepiscopi, & Episcopi, Abbates, & Clerici. Post, Vvido Dux „Aquitaniæ. Post, Hugo filius, & Legatus Ducis Burgundiæ. Post, Legati „Balduini Marchionis, & Legati Gaufridi Andegavensis Comitis. Deindè „Comites, Rodulfus scilicet Vadensis, Herbertus Vermandensis, Vvido Pon„ticensis, Vvillelmus Suessionensis, Raynaldus, Rogerus, Manasses, Huilduinus, „Vvillelmus Arvernensis, Heldebertus de illa Marchia, Folco Ecolesmensis, „Vice-comes Lemovicensis. Post, Milites, & populi tam majores, quam minores „uno ore consentientes laudaverunt ter proclamantes *Laudamus, volumus, Fiat.*

Gervasius fit summus Cancellarius.

„ Tunc fecit ipse Philippus præceptum, sicut antecessores sui fecerunt, de „rebus sanctæ Mariæ, & Remensi Comitatu, & de rebus sancti Remigij, & „de ceteris Abbatijs, quod firmavit, eique subscripsit. Subscripsit etiam „Archiepiscopus, nam ibi constituit eum summum Cancellarium, sicut ante„cessores sui antecessores suos fecerant, & ita consecravit eum in Regem. „Revertente autem Archiepiscopo ad sedem suam, & sedente, delatum est „Privilegium quod Papa Victor ei dederat, lectúmque est circumstantibus, „& audientibus Episcopis. Facta sunt hæc omnia cum omni devotione, & „alacritate quàm maxima, sine omni disturbatione, & nullatenus alicujus con„tradictione, vel aliquo Reipublicæ damno. Hos omnes Gervasius Archiepis„copus libenter excepit, & de sumtibus suis, eis plenissimè erogavit, nulli „tamen ex debito, præter Regem, sed honoris causâ Ecclesiæ, & liberalitatis suæ.

Liber hic de ratione temporum, est Venerabilis Bedæ & addita sunt hæc ad calcem cum alijs quæ ad tractatum nõ pertinent.

Archicancellarij dignitate Gervasium statim post inaugurationem Philippi donatum fuisse à Rege, probat MS. codex sancti Theodorici propè Remos, cui titulus est, *DE RATIONE TEMPORVM.* Cujus excerptum retulit idem Andr. du Chesne his verbis.

Anno

Digitized by Google

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1059.

Anno Incarnationis 1059. Indictione XII. regnante Henrico Rege, & regni ejus Anno XXXII. eodem die completo, Episcopatus verò Gervasij Archiepiscopi IV. X. Calend. Junij, die sancto Pentecosten, dum adhuc septennis esset Philippus in Regem à Gervasio consecratus est, assistentibus sibi tribus Archiepiscopis, XVIII. Episcopis, XXVI. Abbatibus, Legatis sedis Apostolicæ & Legatis Balduini Marchionis, Vuidone Duce Aquitaniæ, Hugone Legato, & filio Ducis Burgundiæ.

His & cæteris astantibus, Gervasius Verbum habuit coram Rege, quia esse deberet, sicut sui antecessores fuerant, summus Regis Cancellarius, quod eodem Rege gratissimè annuente, & cæteris conniventibus, prædictus Pontifex, sibi & Ecclesiæ suæ obtinuit, scilicet quia verum sit, quod ab antiquo ita fuerit, legitur in præceptione præcepti, quod Carolus Rex de rebus sanctæ Vualburgis fecerat hoc modo, Goslenus Cancellarius scripsit & subscripsit ad vicem Heriuei Archiepiscopi summique Cancellarij, Gervasius verò, octavus fuit Archiepiscopus post Heriuenm.

Et sic Hugo filius Herberti, & Gerbertum inter Archiepiscopos Remenses numerari non debere.

Gervasius itáque adeptâ inter primates regni supremâ dignitate, Regem Parisios est comitatus, subscripsitque fundationi sancti Martini à Campis ann. 1060. ut est in Martiniana, statimque Henricus Rex prædicti Monasterij reparator eximius, provectâ jam ætate, ægro & corpore fatigatus, supremum diem explevit. Hac morte graviori mœrore affectus Gervasius summum Pontificem consulit, quid sibi facto opus esset, & quomodo impendentem regni desolationem vitare posset ob Gallorum animos ad ciendos motus proclives Epistolâ quam And. du Chesne è bibliotheca Pap. Mass. publici juris fecit, cujus initium tale est. 1060.

Excellentissimo Patri Patrum, & Episcoporum Nicolao, Gervasius dictus Episcopus fidele servitium, cum exiguitatis meæ orationibus. Gratias ago divinæ primùm pietati &c. Ubi cum pro admissa apud eum excusatione contra delatores suos, & impensa suis Legatis charitate gratias egisset, dicit. *Graviori se angi tristitia de obitu Domini Regis propter nimium prona ad motus ciendos Gallorum ingenia: scitis enim*, inquit, *quantum infrænes & indomiti sunt Nostrates, quorum divisionem timeo regni nostri fore desolationem, ad quam euitandam, vestrum mihi consilium & auxilium flagito, qua nulli regno, ut pote pater omnium, negare poteritis, præsertim cum nostro semper debeatis quod optimi viri Patriæ deberi censuerunt. De vestro aduentu in nostram Galliam, quid animi habuerim viuente Domino Rege, licet diffamatus sim id noluisse; satis ut puto significaui paternitati vestræ, &c.*

Henricum Regem moriens Balduino Comiti Flandr. Philippi, Hugonisque liberorum, regnique Franciæ tutelam tradidit ita. Meyerus. Tota hac Epistolâ, subjectionem suam urbi sedem Apost. testatur Gervasius.

Nicolao vivis sublato, ingens de ordinando successore cœpit oriri dissentio, quibusdam Legationem ad Henricum Germaniæ Regem adornantes cum corona aurea, & sublimi Patriciatus titulo, ut Pontificem sibi propensissimum deligeret; at re maturius deliberata, eorum machinationibus occurrendum rati Cardinales, totius Cleri & populi Romani consensu, Calendis Octob. crearunt Anselmum Lucensem Episcopum, quem Alexandrum ejus nominis secundum nominarunt. Aulici injuriam Regi factam conclamantes, eligendum curant Cadalum sive Cadalaum virum perditissimum, & simoniacum, qui & honorius à Schimaticis dictus est, cœpitque xv. Schismá in Ecclesia. Extat adhuc Epistola Gervasij ad Alexandrum in codice Papirij Massonis, non ea quidem qua Pontifici de promotione sua gratulatur, filialémque spondet obedientiam, hanc enim perijsse arbitror, sed alia quæ regni statum aperit, procerúmque mœstitiam ob Matrimonium Annæ Henrici Regis viduæ cum Radulpho Comite, cujus initium est ejusmodi.

Domino

Digitized by Google

GERVAS. LXIII. ARCHIEP. *An.* 1061.

Domino & Patri Alexandro ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Pontifici, Gervaſius Remorum Dei gratia Archiepiſcopus. Inter mundi hujus fluctus Eccleſiam Dei naviter gubernare, atque ad portum aternæ beatitudinis fœliciter pervenire.

Hic Balduinum Flandrenſem perſtringit, cui Henricus Rex Philippi Hugoniſque filiorũ, regnique Francici tutelam tradiderat.

Regnum noſtrum non mediocriter conturbatum eſt, Regina enim noſtra Comiti Radulpho nupſit, quod factum Rex noſter quàm maximè dolet. At Cuſtodes ipſius non aquè graviter ferunt: qua de cauſa me quoque mœror non mediocris affecit, quippe cum mihi hac vice complendi facultas non ſit, quod ardenti deſiderio propoſueram. Propoſueram enim Petri limina viſitare, veſtram diu exoptatam faciem videre, ſermonem veſtrum ſanctum, mellitumque ab ore præſentis accipere, utilitatibus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ aliquandiu pro viribus deſervire: Quod quidem ſi modo non licet (regni enim perturbatio ut dixi me retinet) ubi copia dabitur, tanto ſtudioſius agam, quanto ea agere diutius deſideraui. De uxore verò Comitis Rodulphi, quæ veſtræ conqueſta eſt Paternitati, ſe à viro injuria eſſe dimiſſam, id vobis notum eſſe volumus. Reliqua deſunt.

1063. Petrum Damianum Epiſcopum oſtienſem magnæ ſanctitatis & doctrinæ legationis officio functum fuiſſe anno 1063. in Gallia, Provinciámque Remenſem viſitaſſe probant Epiſtolæ Alexandri ad Archiepiſcopos Remenſem, Senonenſem, Turonenſem & alios primò, tum ejuſdem Pontificis ad Gervaſium ſuffraganeóſque ſuos adverſus Reginaldum quendam qui Monaſterium ſancti Medardi Sueſſionenſis Simoniacè invaſerat. Prior quæ Petrum vices ſuas agentem inſigni elogio commendat, ſic ſe habet.

Alexander ſervus ſervorum Dei G. Remenſi, R. Senonenſi, B. Turonenſi, M. Bituricenſi, T. Burdegalenſi Archiepiſcopis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non ignorat ſancta veſtra fraternitas, dilectiſſimi, quod ex auctoritate ſedis Apoſtolicæ, cui nos indignos divina clementia præfecit, totius univerſalis Eccleſiæ regendus, ac diſponendus nobis ſtatus incumbit. Quoniam igitur pluribus Eccleſiarum negotiis occupati ad vos ipſi venire non poſſumus, talem vobis virum deſtinare curavimus, quo nimirum poſt nos, major in Romana Eccleſia auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirum & noſter eſt OCVLVS, & Apoſtolicæ ſedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem noſtram pleno jure commiſimus, & quidquid in illis partibus Deo auxiliante ſtatuerit, ratum teneatis & firmum, ac ſi fuerit ſpeciali noſtri examinis ſententia promulgatum. Quapropter venerabilem ſanctitatem veſtram &c.

1064. Mantuæ anno ſequenti 1064. Alexander electionis ſuæ rationem redditurus (quamvis hoc inconſultum eſſet) Synodum celebravit, cui an Gervaſius interfuerit, dicetur poſtea. Refert Sigebertus Alexandrum à crimine ſimoniæ quo ab adverſarijs poſtulatus fuerat, coram Patribus ſe purgaſſe, adhibito juramento. Cadaloum verò communibus votis anathemate percuſſum, qui tamen nec ideò quievit; conſcripto ſiquidem milite, corruptiſque pecuniâ nonnullis Ducibus Romanis Leoninam urbem ingreſſus, Eccleſiam S. Petri primùm occupare præſumpſit, tum à Concio Præfecti filio in Caſtellum ſancti Angeli ſuſcipitur, ubi confeſtim ab Alexandri militibus duos annos obſeſſus exire haud potuit, donec ſe trecentis libris argenti redimens inops & egens clam elapſus eſt, paucóſque poſt dies divino judicio peſſimam mortem incurrit. De hac Cadaloi obſeſſione nonnihil inſinuaſſe videtur in eâ quam ad Gervaſium Alexander ſcripſit Epiſtola quæ eſt inter evulgatas decima.

Sigebertus ad An. 1067. At Baron. hoc anno Synodum habitam probat ex Hermanno.

Alexander

Digitized by Google

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1064.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Cariſſimo confratri Gervaſio Remenſi Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Epiſt. 10.

Viſis fraternitatis tuæ litteris enidenter intelleximus eam Matri ſuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſinceram compaſſionem exhibere, ipſámque ſi facultas daretur, præſentia corporis uelle uiſitare, & quia ſollicitudinem tuam ejuſdem proſperitate lætari, quemadmodum de infortunio contriſtari non dubitani, annuntiamus tibi, diuinâ ſuffragante clementiâ, Cadoli præſumptionem extollentem ſe aduerſus Apoſtolicam ſedem tanto amplius ad majorem ſui ignominiam deuenisſe, quanto ipſe ſperauerat altioris ſuperbiæ culmen aſcendisſe. Siquidem proprij nominis etymologiam euidenter intelligens ad reparandam pecuniam in periculum capitis ſui à fautoribus ſuis diſtributam, cujuſdam turris præſidio gemebundus ſeruatur. Vndè per miſericordiam Dei ſperamus, nullo modo poſſe euadere, donec quicquid contra ſanctum Petrum nequitiâ ſuâ præſumpſit ſatisfecerit digna emendatione. Quod igitur Simoniacæ hæreſeos peſtem, quæ in partibus illis uires adhuc obtinet ejus dolis, uelle inſequi ſignificaſti, non parum deuotionis tuæ ſtudio congaudemus, &c.

Ex his liquidò conſtat Gervaſium operam dediſſe ne ſimoniaca lues amplius ſerperet per Gallias, cum Pontifex addat propter hoc ſpecialem dilectionem & à filijs Eccleſiæ Romanæ promeruiſſe. Undè poſthac Gervaſio conquerenti de malevolis quibuſdam qui damna Eccleſiæ Remenſi inferebant, Alexander dolori ejus compatiens, pollicetur ſedatis procellis quibus Romana concutiebatur Eccleſia, ac ſereno reddito, ipſi non defuturum, Epiſtola apud Andr. du Cheſne ordine VI. in qua cum ſedis Remorum nobilitas & excellentia inſigni commendetur elogio, initium hic ſaltem referre non erit ingratum.

Alexander ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo fratri Gervaſio Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Epiſt. [VI.

Dilectionis tuæ litteras diligenter accepimus, & gratanter amplectentes intento mentis intuitu charitatiuè proſpeximus. Sed querelis & doloribus plenas cernentes, charitatiuè compatimur & condolemus, tum quia Eccleſia tua Antiquitùs inter ceteras Occidentales Deo propitio nitore prudentiæ atque religionis reſplenduit, ac per Apoſtolicam, cui Deo auctore licet indigni deſeruimus, ſedem magnificata emicuit, cum eadē à prioribus patribus & prædeceſſoribus noſtris non diſcrepans in ſinu ſuo te retinere, & charitatis dulcedine fouere deſiderat. Quæ querela & ſi inter damna Eccleſiæ quæ referunt inter dolores & gemitus cordis tui, quos depingere contendunt, ſalem pectoris tui & fidelitatem quam noſtræ Romanæ adhibes, & unicam & ſinceram dilectionem quam tuæ Remenſi ſeruas Eccleſiæ, ſatis urbanè & honeſtè monſtrauerunt, nos tamen utrumque arguunt, quia vindicem gladium manu Apoſtolicæ ultionis in aduerſarios tuos jam porreximus, &c.

Laus Eccleſiæ Remenſis.

Quinam autem eſſent Gervaſij & Eccleſiæ Remenſis hoſtes, & in quo eam tam graviter læſerant, non ſatis mihi conſtat. Auguror tamen fuiſſe Comites Manaſſem & Rodulfum, cum quibus tamquam cariſſimis filijs ſi ad concordiam redierint, & cum Manaſſe & Amalrico Canonicis, pacem eum habere ſummus Pontifex peroptaret. Undè hortatur ut coram ſanctæ Rom. Eccleſiæ Legatis, congregatis ſuffraganeis, admiſſo etiam Laudunenſi Epiſcopo (cui inſtans negotium aliàs commiſerat) ita æqua-

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. *An.* 1064.

liratis lance terminetur, ut neutra pars de injuſtitia amplius cauſetur, *quia*, inquit, *cum illi ad beati Petri ſacratiſſimum corpus uenerint, in quo totius Chriſtianitatis eſt ſingulare refugium, neceſſe eſt ut indè ſibi adeſſe ſentiant præſidium*, quod de Manaſſe & Amalrico Canonicis intelligendum puto, qui beati Petri patrocinium longis itineribus petierant. Nam quod ſpectat ad ſupradictos Comites, addit Pontifex, ut adſtantibus Legatis, mala quæ Eccleſiæ irrogaverant, ſatisfacientes dignè emendando corrigant. Monet interim Gervaſium, quatenus hac lite expedita, Synodo ad quam pro adjutorio ſanctæ Eccleſiæ non ſemel invitatus erat, ſtuderet quantocius adeſſe, *Vt tam quam uniuerſalis Matris prudentiſſimus Conciliator & fortiſſimus propugnator, contra hoſtes ſuos ultionis, atque defenſionis impendat auxilium*, & hæc Alexander Epiſtolis 7. & 8. Quæ ſequuntur, in aliud tempus incidunt, de quibus poſtea. Anno 1064. vix elapſo ſancti Nicaſij Martyris reliquiæ è ſolo Tornacenſi Remos relatæ ſunt cum magno ordinis Eccleſiaſtici mœrore ob neglectam cuſtodiam. De earum relatione, ut & de probatione earumdem per ignem, ut moris tunc erat, copioſè egi in Chronico Nicaſiano Cap. 4. Cæterùm, Molanus refert Eccleſias Belgij ſolemni ritu adhuc celebrare diem Martyrij S. Nicaſij, per hoc conteſtari volentes omnium ſollicitudinem nondum dilatatâ fide penes ſanctum Nicaſium tunc reſediſſe. Vide prædictionem cujuſdam Henrici Canonici apud Rayſſium in Gazophilatio Belgij fol. 338.

Narrat Baron. hoc anno 1065. novam emerſiſſe hæreſim aſſerentium licitè emi poſſe Epiſcopat⁹ a Principibus Laicis abſque crimine ſimoniæ, dùmodo conſecratio gratis acciperetur, ſic enim non emi Sacerdotium, ſed poſſeſſionem prædiorum, quæ venalia ſunt.

Veteri Baſilicæ ſanctorum Timothei & Apollinaris Canonici Gervaſij ſtudio reſtituuntur. Et de ſupplicatione quæ ſingulis triennijs fit ad Buxitum.

CAPUT XXXVI.

GERVASIO filialis obſequij teſſeram erga Pontifices propenſius exhibente, Remis beati Nicaſij Baſilicæ moles ſenſim aſſurgebat, beati quoque Dionyſij, quas pari ambitione ad invidiam ſæculorum magnis impendijs ſtructas, idem Gervaſius locis Dei ſervorum uſibus accommodatis magnificè ac liberaliter inſtruxit cum ampliſſima dote. De prima quod ipſius origo vetuſtior ſit, egi primo tomo ſub finem: altera commodius infra deſcribetur, ne rerum prolixitas hiſtoriæ curſum obſtruat.

Nunc ſancti Timothei Capitulum prædicti Præſulis curâ in priſtini decoris ſtatum poſtliminio reverſum aggredior, cujus primùm inſtituendi ratio à nobis jam obiter delibata iterum paulo fuſiùs exponenda eſt.

Beatiſſimorum Timothei & Apollinaris Baſilicam ſtatim ab eorum occaſu Mauſolei inſtar ab Euſebio viro ſpectabili conditam Mſſ. codices referunt, cujus initium certò à nobis præſcribi non poteſt quin ſupponatur Martyrij tempus quod ex traditione veteribus nixa monumentis alibi probavimus. Hanc inter diriſſimarum perſecutionum turbines, ab ipſis fidei natalibus ad noſtram mirâ Dei providentia ætatem ſtetiſſe, haud levis conjectura eſt, ut ſubactis hoſtibus ac pace orbi reddita primorum Martyrum urbs Remenſis partas de Tyranno victorias arctius poſteris commendaret.

In hac B. Remigius præ loci reverentia tumulari cupiens duodecim ſolidos ad cameram faciendam, & miſſorium ſuo teſtamento delegavit. Sonnatius Lando, alijque Remorum Archiepiſcopi ejus pariter in ſuis teſtamentis meminere, viri quoque nobiles varijs eam locupletavere donarijs, inter quos eminet Gondebertus Princeps cum uxore ſua Bertha, qui villam in pago Von-

Digitized by Google

Vontinſe ſitam, pertas nomine dederunt, unde fit ut ſub Regibus primi ſtemmatis congregationem viginti Clericorum hæc aluiſſe dicatur, cœtúque ſervorum Dei inſignitam uſque ad Pontificatum Hincmari, donec religione deficiente ad unius redacta Præſbyteri titulum, nomenque Abbatiæ ſortita eſt, & Odalrico Aquenſi, Sarracenorum perſecutione à ſede ſua pulſo, data, ad obeundum Remis Epiſcopale miniſterium, quod Hugo Archiepiſcopus ob pueritiam tantæ molis par non eſſet. GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1064. *Frodoard. lib. 3. & 4. & in Chronico ad Ann. 928.*

Exacto Odalrici miniſterio, Artaldi promotione ad Archiepiſcopatum, prædicta ſancti Timothei Abbatia, quæ Remenſium ad illud tempus extiterat Archiepiſcoporum, hoſpitio ſancti Remigij ab eodem Artaldo, aut ab Adalberone, parum refert, obnoxia redditur, eóque ſtatu ſatis obſcuro..... permanſit uſque ad illuſtris Gervaſij Pontificatum, cui cum res divinæ impenſius cordi eſſent, ferre non potuit Eccleſiam tot ſanctorum pignoribus ditatam, divinarum laudum modulatione privari. Undè certior factus prædictæ donationis ſeu incorporationis à prædeceſſoribus factæ, Abbati ſancti Remigij injunxiſſe dicitur, ut ipſam ſancti Timothei Baſilicam cum ſuis reditibus Deo famulantibus inibi Clericis ſtipendiariam faciens, opibus ſui Monaſterij hoſpitalitatis uſum repararet, quod & ipſe lubens præſtitit, Gervaſijque votum gnaviter executus eſt. Baſilicâ ſiquidem priſtino nitori redditâ, duodecim in eâ Canonicos aggregavit, quibus ipſe liberalis Præſul Gervaſius in ſtipendij ſupplementum, altare prædictæ Eccleſiæ perpetuo jure tenendum conceſſit; quæ omnia clarius ex fundationis tabula patebunt, quam hic ex Chartophilacio mutuatam ac fideliter exſcriptam ſubijcio.

Charta fundationis ſeu reſtitutionis duodecim Canonicorum in Eccleſia Ss. Timothei & Appollinaris.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti, Gervaſius Dei gratia Remorum Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ tam præſentibus quam futuris fidelibus. Si utilitati & honeſtati Eccleſiæ nobis à Deo commiſſæ diligenter intendimus, & quæcumque in eâ divinæ religionis cultum provida prædeceſſorum noſtrorum vigilantia ordinata ſunt inconvulſa ſervamus, & quæ ex his negligentia, vel aliquibus infortunijs deperierunt, reparare contendimus, Patris familias noſtro decreto nobis talento multiplex lucrum reportaturos, & Euge certiſſima remunerationis nos credimus audituros. Undè conſiderantes Eccleſiam S. Thimothei Martyris in MVNICIPIO hujus ſanctæ ſedis (cui Deo auctore præſidemus) ſitam, quondam Clericorum numero & honeſtate religionis viguiſſe, ſed partim aduerſis caſibus, partim incuriâ ad titulum unius Præsbyteri eſſe redactam, ideóque ab Archiepiſcopo Adalberone (ut ex ejus reditibus Hoſpitalitatis ſuppleretur utilitas) beati Remigij Monaſterio ad poſſidendum conceſſam, piæ ſedulitatis opera adhibere curauimus, ut eam in antiquum honeſtatis ſtatum repararemus. Quapropter id notificantes Herimaro Abbati injunximus ut hoc noſtræ voluntatis propoſitum commendaret effectui, & ipſam Eccleſiam S. Timothei cum ſuis reditibus ſtipendiariam faciens Deo famulaturis inibi Clericis, ex alijs poſſeſſionibus S. Remigij in ſuo cœnobio ſupplementum repararet hoſpitalitatis. Qui libenter noſtræ ordinationi parvit & ſub noſtro auctoritatis priuilegio duodecim Canonicos in eodem loco aggreganit, utque regulariter ibidem diuino inſiſterent ſeruitio Canonicam præbendam eis inſtituit. Hæc ergo conſtitutio ut fieret efficacior, nos quoque ipſius Eccleſiæ ALTARE ad augmentum ſtipendij eorum perpetualiter ipſis eſſe proprium conſtituimus, & quandiu illic fuerint Canonici, ne quiſquam ſucceſſor noſter eis illud auferat ſub diuina auctoritate interdicimus. Præterea ratum eſſe volumus ut

Eccleſia S. Timothei in municipio ſedis Remen.

Ibi ab Adalberone ſancti Timothei Abbatiam Remigianis datam Gervaſius aſſerit.

Digitized by Google

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1064.

ſint immunes ab omni Archidiaconorum, & Archipresbyterorum exactione, poſiti tantum ſub ſancti Remigij dominatione, ſub noſtra tamen poteſtate, & Abbatis ſubjectione, quemadmodum & Monachi ipſius Sancti Remigij, & ſicut curam ex eorum animabus Abbas de noſtra ſuſcepit, eodem modo de eorundem Clericorum animabus curam à nobis ſuſcipiat, ipſeque eandem DECANO quem ſibi ad eorum cuſtodiam fidelem ſubſtituerit manu ſua committat, ipſe verò Abbas & neceſſaria eis victus prouideat, & ſi quid in eorum conuerſatione reprehenſibile inuenerit, emendare ſatagat, ut ſecurus in die judicij Deo de eis rationem reddere valeat, quod noſtræ ordinationis decretum ne quis conuellere, vel aliquatenus temerare præſumat, ſub anathemate prohibemus, ad poſterorum memoriam id commendantes chirographo ſub Epiſcoporum, & Abbatum, majorumque noſtri Cleri & cæterorum fidelium noſtrorum, qui interfuerunt teſtimonio. Prandium autem quod Canonici S. Mariæ hujus Rem. Eccleſiæ ibi accipiebant in feſtiuitate Ss. Martyrum Timothei & Apollinaris pro Dei amore, & noſtro condonauerunt communi conſenſu perpetualiter Abbati Herimaro, & ſupradictis Clericis, ut ſint eorum fratres, ipſorumque memoriam faciant in orationibus ſuis, cujus donationis largitatem ne quis conuellere audeat futuris temporibus cum coeſſentibus nobis Epiſcopis, & omni Clero, ſub diuini numinis obteſtatione comminamur.

† *Signum Domni Geruaſij Archiep.*
† *Signum Elinandi Laudun. Epiſcopi.*
† *Signum Adelardi Sueſſion. Epiſ.*
† *Signum Frotlandi Siluan. Epiſ.*
† *Signum Vuidonis Beluac. Epiſ.*
† *Signum Odonis Archidiaconi.*
† *Signum Herimari Abbatis ſancti Remigij.*

Actum Remis publicè anno Incarn. Domin. 1064. Indictione 2. regnante Philippo Rege an. 5. Idus Junij.

CAnonicorum collegio in priſtinum ſtatum ſic reſtituto, Martyrum Baſilica multò clarior in dies evaſit, cœpitque à fidelibus piè frequentari ob divinam pſalmodiam incruentúmque ſacrificium ſtatutis horis à ſodalibus perſolutum. His Decanus olim præfectus fuit, demum theſaurarius, at extinctis hiſce dignitatibus, divini officij curam gerit Hebdomadarius, qui & præſidet Capitulo.

Charthophilacium habent privilegijs à ſancta ſede obtentis non mediocriter inſtructum, ſed vulgaribus omnino, & quæ ut plurimum exoleverunt. Moris fuit apud eos media nocte ad matutinas convenire, at expoſitis anno 1351. Abbati S. Remigij periculis quibus obnoxij erant Canonici, eorúmque ſervientes, maximè cum pauci ex illis propè reſiderent, nec muris eſſent clauſtralibus vallati, ſtatutum eorum de matutinis deinceps ſummè manè cantandis Capitali ſtudio digeſtum ab Abbate (qui Canonicatus pleno jure confert) laudatur die Martis ante Aſſumptionem Beatæ Mariæ.

Approbata item eodem anno ab Archiepiſcopo Remenſi ſolemnis illa ſupplicatio quæ à Canonicis fieri ſolet cum magno populorum concurſu ad locum qui Buxitus dicitur tertio ab urbe lapide, ubi inclyti Martyres Timotheus & Apollinaris juſſu Lampadij præſidis ultimo ſunt ſupplicio affecti, conceſſis pariter omnibus qui devotè inter eſſent indulgentijs ſpeciali diplomate quod cum prædictorum ſanctorum agones pro fide & encomia referat, laudabilemque proceſſionaliter viſitandi locum Martyrij conſuetudinem per viam cæſaream qua invictiſſimi Athletæ ducti ſunt ad ſupplicium huc præfigendum haud ingratum putavi. Sic autem incipit.

Solemnis

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1064.

Solemnis ſupplicatio ad Buxitum Ioannis Archiep. decreto comprobatur.

Universis præsentes litteras inſpecturis Ioannes Dei gratia Rem. Archiep. ſalutem. Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium ſupernorum debet acquiri veneratione, meritumque virtute à redemptis pretio ſanguinis fuſi de pretioſo corpore redemptoris inier quæ illud eſſe pergrande dignoſcitur, quod ubique ſed præcipuè in ſanctorum Eccleſijs Dei ſancti venerantur, & adorantur, & Majeſtas altiſſimi laudatur. Cum itaque tempore Neronis agente Lampadio Remenſi civitate in Chriſtianos fieret perſecutio, Lampadius præſes audiens ſanctum Timotheum prædicantem & docentem verbum Dei, hunc glorioſiſſimum Martyrem, qui per verbum ſuum credentibus, ſucceſſoribuſque ſuis ſanctis in terris vitæ pabulum miniſtrauit, ac in cæleſtibus introitum, & coronam poſt multa tormentorum ſupplicia, nec non & ſanctum Apollinarem, alióſque nonnullos ſanctos & electos Dei nonaginta numero, nomen Domini Ieſu Chriſti, per dicti ſancti Timothei prædicationem, & merita credentes Martyrizari juſſit extra dictam civitatem in via quæ dicebatur Cæſarea, in loco prius Buxitus, nunc verò Pompella nuncupato, quorum ſanctorum à Chriſtianis ſepultis corporibus, Euſebius quidam vir, qui & ipſe per eorum verbum credidit ipſis fabricauit Eccleſiam ſanctam, in qua multa ſigna, & remedia oſtenderunt, cæſis viſum, claudis greſſum, & in qua dicti S. Martyres venerantur, & adorantur. Ad quorum itaque ſanctorum Martyrum veneracionem & honorem, & ad hujuſmodi perfidiſſimæ Martyrizationis memoriam, populus Remenſis, & Villarum circumuicinarum, cum dicta Eccleſiæ Canonicis hunc Martyrizationis locum proceſſionaliter devotis orationibus viſitare ab antiquiſſimo tempore conſueuit in aduerſitatibus omnibus ad Omnipotentis gloriam & liberalitatem, benignis prædictorum Martyrum meritis conſequendam.

Lampadius ſub Nerone.

Nonaginta Martyres.

Pompella.

Nos igitur viſitationem hujuſmodi approbantes, in dicta Eccleſia ac ſanctorum Martyrum prædictorum commemorationem ampliorem, & populi Chriſtiani devotionis augmentum, & ut dicti ſancti Martyres in dicta limpidius venerentur Eccleſia, ad laudem & honorem altiſſimi Creatoris de ipſius Omnipotentis Dei miſericordia, beatiſſimæque ſanctæ Genitricis ejus ſemper Virginis Mariæ, dictorumque & aliorum omnium ſanctorum meritis confidentes, omnibus illis qui diebus ad hoc præfigendis cum dicta Eccleſia Canonicis ad hujuſmodi ſanctum Martyrizationis locum, cum devotione, verè tamen pœnitentes, & confeſſi, ad ſpiritus ſancti gratiam implorandam acceſſerint & qui ad fabricam dicta Eccleſiæ manus porrexerint adjutrices, triginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis divinâ diſpenſatione miſericorditer relaxamus, & indulgemus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Remis in caſtro noſtro portæ Martis, die 28. Aprilis anni 1351.

Ex his videre licet ſolemnes ad Martyrium ſancti Timothei ſupplicationes Joanne de Vienna longè antiquiores fuiſſe, quod nulli mirum videri debet qui fidelium obſervantiam & cultum erga primos verbi Dei ſatores & Apoſtolos noverit. Quod autem in eiſdem litteris tempus & diem non præſcripſerit Archiepiſcopus, adducor ut credam Canonicorum diſcretioni conſultò reliquiſſe, quod præfatæ Eccleſiæ parti reparandæ (quæ Orientem ſpectat) in qua eſt Maius altare ſedulò tunc incumberent, undè fit ut populum obtentis indulgentijs ad ſupplicationem ſæpius convocaſſe legamus, quo eorum largitionibus & Eleemoſynis juvarentur. Poſtmodum ob loci diſtantiam uſus obtinuit ut de triennio in trien-

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1064.

triennium feria 2. Pentecoſtes ex veteri ab ipſius Eccleſiæ cunabulis conſuetudine celebretur, in qua ſacræ Martyrum exuviæ capſis partim argenteis, partim verò ligneis æreis tamen imaginibus exornatis incluſæ, frequenti populorum concurſu ad Pompellam deferuntur, inter quas ultimum locum merito ſibi vendicat ea quæ eſt ſancti Timothei, quod princeps ipſe, & anteſignanus victoriæ fuerit, quam glorioſi Martyres de ſæviſſimo tyranno fęliciter retulerunt.

Quibus ſanctorum prignoribus vetus Beati Timothei nobilitetur Eccleſia.

CAPUT. XXXVII.

POSSIDET imprimis Theſauraria Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Timothei Remenſis corpora quinquaginta Martyrum (Miſſ. codices nonaginta numerant) qui ſub initium naſcentis Eccleſiæ ſanguinis ſui ſigillo fidem Chriſti confirmarunt, quorum dux & caput fuit invictiſſimus levita Timotheus. Hujus reliquiæ adſervantur in capſa Ss. Apoſtolorum argenteis imaginibus, pretioſiſque lapillis à Tilpino quondam exornata. Hæc pro oneris gravitate ſolemnioribus dumtaxat ſupplicationibus, & quæ rariſſimè fiunt, ad ſingulare quoddam à Deo impetrandum beneficium, cum alijs cœterarum Eccleſiarum lipſanis per urbem circumfertur.

Supra Maius altare quinquæ aliæ viſuntur capſæ partim ligneæ partim verò æreis imaginibus exornatæ: ea quæ medium occupat, nonnullas etiam Beati Timothei reliquias continet & aliórum quorumdam Martyrum qui cum eo agonem ſub præſide Lampadio paſſi ſunt.

Secunda Beati Apollinaris nomine inſignitur, qui cum ex tortoribus unus eſſet, viſis Angelis Timotheum in præſſura confortantibus ſpeciali gratiæ dono ei conſociatus, miros cruciatus juſſu tyranni perpeſſus eſt. Hujus reliquiæ, & aliquot aliorum Martyrum panno ſerico involutæ, in ſacco coriaceo mixtim includuntur.

Tertia beatiſſimi Martyris Mauri pignora recludit, qui carcerali cuſtodiæ mancipatus quod fidei initiatos luſtrali aqua tingeret cum alijs pluribus gladio cædente Martyrium complevit.

In quarta ſunt ſacratiſſimæ Beati projecti Martyris Epiſcopi Claromontani exuviæ omni auro pretioſiores, quem primores urbis cum Marino in ultionem hectoris Maſſilienſium Epiſcopi à Childerico Francorum Rege perempti, propter injurias Arvernenſi Eccleſiæ illatas obtruncarunt. Sigebert. ad ann. 670. Martyrol. Rom. 25. Januarij. Manuſcripta hunc Gerardo ſuffectum fuiſſe, qui 40. diebus ſedem occupaverat poſt fœlicem tradunt, hic autem fœlix omittitur à Roberto.

Carinaldum vocat ſaviato, qui & projectum Martyrio coronatum refert 25. Januarij An. 670.

Quinta Beati Juvini Diœceſis Remenſis corpore nobilitatur, Opilionis quidem ſeu bubulci officio deſtinati à Comite Dulcomenſi, at miraculorum gloriâ poſt etiam obitum illuſtris.

Sacra hæc ſanctorum pignora quinque prædictis feretris ligneis ut plurimùm adſervantur, quò facilius Clericorum humeris aliorúmque qui pietatis ergo manum admoverint, celebri ſupplicatione ſuperius relata ad locum Martyrij deferri valeant.

Ibidem ſumma veneratione conſervatur æneo vaſculo exterius deaurato in capitis humani formam concinnato, caput glorioſi Martyris Timothei prædictæ Eccleſiæ Patroni Tutelaris.

Habe-

Digitized by Google

Habetur etiam de oleo ſancti Nicolai Myrorum Lyciæ Antiſtitis in phiala, quam duo Angeli ſuppedaneo innixi manibus ſuſtentant argenteis circulis incluſo. GERVAS. LXIII. ARCHIEP. An. 1064.

Item de oſſibus ſanctorum
- Vrbani Martyris.
- Victoris Martyris.
- Marcellini Martyris.
- Ferreoli Martyris.
- Iouini.
- Tonanſij.

Quæ omnia nunc permixta ſunt in ſacrario cum oſſibus nonaginta Martyrum, necdum ſacris lypſanothecis concluſis, è quibus ut aliarum etiam Provinciarum templa horum ſplendeant honore decorata (præſertim quæ ſacrorum pignorum penuria laborant) Canonici inuſitata liberalitate, ut olim, ſic & non ita pridem multa flagitantibus impertiverunt, quorum indicem conſervant apud ſe, ut egregium ſuæ propenſionis in beatos Martyres monimentum, qui eo clarioribus fulgent coronis, quo pluribus in locis invocati fuerint & honorati à veris fidei cultoribus.

In prædicto ſacrario ubi primum ſanctos Martyres tumulatos fuiſſe, traditione à patribus accepta, credunt Canonici, viſitur arca lapidea, qua religioſè conſervatur ſat magna terræ ſeu arenæ quantitas Martyrum olim ſanguine tincta, & madefacta, ut & maxima pars cinerum quæ exciderunt ex oſſibus in ciſtula ſeparata.

Addam quoque hîc quæ referunt Mſſ. codices ut hinc omnibus innoteſcat, quam vel in hoc dives ſit vetus hæc & celebris Baſilica.

Inſignis fuit prædicta Eccleſia complurium pignoribus Martyrum, nam in altare quod ante ſepulchrum eorum eſt, ſunt reliquiæ ſancti Mauri & ſancti Prejecti. In altari de dextra parte, ſunt reliquiæ ſanctorum Ianuarij, Cirini, Naboris, Agapeti, Valeriani, Vrbani, Caſtoli, Felicis, Marcellini, & ſancti Ioannis Baptiſtæ. In altari autem quod eſt in ſiniſtra parte ſunt reliquiæ ſanctorum Victoris & Ferreoli, & inferius in ipſamet dextra parte requieſcunt Siluinus & Siluianus; in parte verò ſiniſtra inferius requieſcit ſanctus Linus, & ſub interiori loco requieſcunt ſancti Tonantius & Iouinianus. His omnibus conſonant quæ habet Flodoard. lib. 1. cap. 4. *Ipſa* (inquit) *præmiſſorum Eccleſia Martyrum pignoribus complurium traditur inſignita ſanctorum, in cujus dextra parte ſanctorum Siluani & Siluiani, in ſiniſtra verò ſancti Tonantij & ſancti Iouini feruntur reſeruari corpora.*

Extant pariter in archivis Joannis de Urſinis Archiepiſcopi teſtimoniales literæ an. 1471. quibus adhuc clarius patet quid in ſingulis capſis diſtinctè contineatur, ſed brevitatis gratiâ hîc prætermitto.

Gervaſius Alexandri II. Epiſtolas aliquot diſcuſſorias recipit. An anima ipſius à corpore egreſſa è Dæmonum manibus erepta ſit. 1065.

CAPUT XXXVIII.

DUM Gervaſius ſedulò & ultra quàm credi poteſt ſacris ædibus reficiendis animum impendit, Comes Manaſſes, de quo ſupra, bona Eccleſiæ nequiter invadit, turbatque Archiepiſcopum in legitima jurium ſui ſacerdotij poſſeſſione, vice-comitatus officio, & Clericorum ſibi faventium auctoritate abutens, quo majus illi negotium faceſſeret. Remi-

Iam Cle & Nobiles voluntati Archiepiſcoporū renitebantur quod in urbe potentiores eſſent.

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. *An.* 1065.

Remigianus codex de his (ut opinor) sic loquitur. *Gervasius volens magnanimitatem animi sui ostendere, guerram contra Manassem Comitem arripuit. Et quoniam in urbe Remensi prafatus Comes multos habebat amicos tam milites quàm Clericos, per quos voluntas Archiepiscopi impediebatur, violentia sua illos omnes ejecit.* ..... At cum non magis Manasses quiesceret, sed maximas ab eo & ab alijs clades, & ærumnas pateretur Ecclesia Remensis, Gervasius iterum apud summum Pontificem conquestus est, petijtque etiam nomine suorum Coepiscoporum ad sedendam litem, ut Legatus in Provinciam mitteretur, ad quod Pontifex Epist. 2. sic respondet.

Alexandri II. Epistola.

Visis fraternitatis tua litteris Coepiscoporum quoque tuorum nec-non & Clericorum, flebilibus auditis querelis, sensibiliter intelleximus, quam maximis cladibus & ærumnis prater solitum REMENSIS glorioßißima opprimatur Ecclesia, quantóque tua religiosa dilectio immerito versetur incommodo. Quapropter vera affecti compaßione, tum ex loci cui immeriti prasidemus sollicita consideratione, tum etiam ex tua prudentia necessitudine, quam pi odiligimus sinceri cordis amore, graui gemitu detrimento tua condolemus Ecclesia: auxilij quóque dexteram, quam à nostra tantoperè postulare studuisti, Apostolica sede, integro affectu, prumpti sumus pro viribus nostris, proque temporis qualitate, necessitati tua benigne impendere, atque Apostolica auctoritatis clypeum omnibus aduersarijs Ecclesia Remensis libenter opponere, &c.

Hortatur idem Alexander Gervasium Epist. 12. ut manum adjutorij tribuat ad ea exequenda, quæ pridem Elinando Laudunensi, injunxerat circa restitutionem Abbatissæ Laudunensis, quam à suo regimine sine Canonica audientia turpiter ejecerat, additque prædictum Episcopum ab eo tempore quo proclamatio sedi Apostolicæ delata fuit à Gervasio velut suum Parochianum compelli debuisse.

Gervasium item monet ut Josselinum Ecclesiæ Suessionensi non consecret Episcopum, qui Archidiaconatum simoniacè non contentus obtinuisse, Episcopari etiam pecuniâ contendebat. Unde non mediocri se mœrore affici asserit, quod peste simoniacâ quæ hactenus his in partibus quasi timida serpere soleret, nunc caput audacter extollat, & gregi Dominico tam timore quam pudore remoto, gravissimam jacturam conetur inferre, & hoc Archiepiscoporum conniventia. *Nemo enim (inquit) Simoniacus emptionem iniret, si se consecrandum desperaret. Sed quia Archiepiscopi sine delectu consecrant, multi indiscretè ad Episcopatum aspirant. Audito tamen tuo (addit) erga sanctam religionem bono studio, non modicè gaudemus, quem strenuum cultorem in vinea Domini operari audiuimus, ut nulla Simonis propago in ea quantum ad te attinet radicari possit.*

Commendatur Gervasij studium in Simonia tradicanda hic & Epist. 18.

Jubet quoque sub finem idem Pontifex, ut Belvacensem Episcopum, res Ecclesiasticas atrociter disperdentem, virga sanctæ auctoritatis feriat, finémque Canonicè imponat contentioni motæ ambianensem Episcopum inter, & Abbatem Corbeiensem, ut laboris sui Dominum Jesum quandóque habeat largissimum retributorem.

Cœnobij Corbeiensis Privilegia.

Miratur deindè Alexander Epist. 14. Gervasium sibi persuadere privilegia Cœnobij Corbeiensis Ecclesiastico Canoni repugnare, cum constet alias esse leges Ecclesiarum quæ sunt generales, & alias esse eas quæ specialiter in quibusdam privilegijs prærogantur Ecclesijs, ad immunitatem, undè præcipit ut ea de novo à sancta sede roborata jubeat observari. Et si Episcopus, quem suspensum ab officio pro inobedientia fuisse mandat, Chrisma & Ordines spiritu superbiæ inflatus dare noluerit, auctoritate Apostolica Monasterio concedat.

Idem

Digitized by Google

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1065.

Idem imperat pro Abbate S. Dionysij in Francia Epist. 15. Cujus Monasterij potestatem sibi vindicare tentaverat Episcopus Parisiensis. Injungit præterea Epist. 10. Summus Pontifex auditâ lachrimabili Ecclesiæ S. Memmij querimoniâ, quæ à Catalaunensi Episcopo corpore prædicti Confessoris, cœterisque bonis impiè & sine more spoliata fuerat, ut idem corpus, à sua sede deportatum ad propria redire satagat, alioqui si justæ deliberationi parere noluerit Episcopus, virga Magistratus ex auctoritate S. Petri à Gervasio ardentissimè feriatur.

Tandem Alexander consultus à prædicto Archipræsule, de Clerico qui ad Diaconatus & Præsbyteratus Ordines promotus fuerat, non suscepto Subdiaconatu, sic respondet, *Consuluit parvitatem nostram dilectio vestra super latore præsentium, qui in Clericalibus officijs educatus, Subdiaconij gradum suscipere Diabolo obcæcante neglexit, & ad Diaconatus & Præsbyterij honorem cursu præpropero, non ambitiosè sed negligenter conscendit, in quo præceptum Canonicum, nos invenisse non meminimus, consilium autem ex prærogativa auctoritatis Apostolicæ damus, sicut olim super eodem negotio Rumoldo Constantiensi Episcopo consuluimus. Ab utriusque itaque, donec congruo tempore interfit ijs qui ad Diaconij benedicantur honorem, & cum eis Subdiaconatus accipiat benedictionem. Prius tamen discutiendum si ejus vita digna officio habeatur, & sic si vita Canones non obviaverint, in Priore ordinatione Diaconus & Præsbiter teneatur, &c.*

Hanc Epist. hausit Baron. ex MS. Antonij Augustini & refert eam ad An. 1069.

Aliquid de eâ

His studiosè compositis, quæ passim occurrunt Episcopo, curam sui gregis, ut par est, habenti, Gervasius moribus & annis maturus, 4. Aprilis an. 1067. post 12. Annos regiminis ex Alberico, animam in manus conditoris fœliciter consignavit, cui sincerè toto incolatus sui tempore, famulatum præstiterat, locúsque sepulturæ ejus adhuc visitur sub tumba nigri coloris in Odeo majoris Ecclesiæ propè aquilam, cui breve hoc insculptum legitur Epitaphium. 1067.

Gervasius Archiepiscopus.

Gervasij Epitaphium.

EXimiæ virtutis vir, ac inter eos qui in Gallia illo sæculo claruerunt longè celebris, solers, munificus, sapiens, laudùmque omni genere cumulandus. Hic siquidem turbato regni statu, majoris momenti negotia, ut summus Cancellarius, dignè administravit, cavitque ne schisma, ac Simoniæ labes Ecclesiam Gallicanam inficeret. Liberalitas ejus eluxit quàm maximè in Monasteriorum Ss. Dionysij & Nicasij restauratione, quorum opem statim post obitum expertus est, doctrina in elucubratione vitæ sancti Donatiani ex Coluenerio, pietas in obsequio sanctæ sedi Apostolicæ jugiter, & opportunè præstito; Hunc Chronicon Floriacense strenuissimum virum apellat, post auctorem vitæ sancti Melanij Redonensis, Guibertus de Novigento famosissimum Archiepiscopum, Chartularium sancti Dionysij Parisiensis pro Nogento nulli in regno sapientia & honestate secundum, Chronicon sancti Nicasij virum Catholicum, lingua facundum, justitia insigem, humilem ad merita, ad vitia rigidum; quæ omnia breviarium Rmemense paucioribus verbis contrahit.

Hic silentio premendum non est quod in varijs MS. habetur de apparitione cuidam peregrino facta statim post egressum animæ Gervasij à corpore, quam ijsdem omnino verbis & libentius hic subjicio, quod etiamnum depicta hæc conspiciatur in valuis sacrarij Ecclesiæ sancti Nicasij Remensis.

Ex scripturâ coætanea.

Quidam miles de terra Cenomanorum oriundus, ac Domino Gervasio Archiepiscopo familiariter notus, ob remedium animæ suæ Romam ire, ac limina Apostolorum visitare disposuit, qui paratis necessarijs propositum aggressus est iter, sed à recto tramite aliquantulum declinans, ad prædictam civitatem Re-

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1067.

morum gratia uidendi ac ſalutandi Dominum ſuum Gerualium Archiepiſcopum peruenit, à quo benedictione ſuſcepta, lætus inchoatum carpebat iter. Deo autem volente ſui uoti compos effectus, ſicut deſiderauerat, Romam peruenit, atque prout opinauerat, apud Beatos Apoſtolos uigilias & orationes peregit; quibus deuotè expletis, in uoluntatem ei etiam venit quatenus ad ſanctum Angelum de Monte Gargano tendere debuiſſet. Cum verò in ipſo itinere ab incolis terra illius offenſo, non longè à uia ſua quo pergebat, quendam ſeruum Dei in recluſione morantem comperiſſet, ad ipſum diuertit, & ut ejus ſe commendaret orationibus ab ipſo petijt & impetrauit. Quid plura? Dei ſeruus hominem iter agentem benignè in ſuas orationes ſuſcepit, abſoluit, & benedictiones dedit, à quo etiam inter cætera undè eſſet, uel quo tenderet requiſiuit: Ille verò ſe Cenomanum eſſe, & ad ſanctum Angelum ire profeſſus eſt: ad quem rurſus homo Dei, noſti, inquit, frater Gerualium Remorum Archiepiſcopum, cui peregrinus reſpondit, benè, inquit, noui nam & de familia ejus aliquanto tempore fui: cui iterum Dei ſeruus talia dixit, Gerualius de quo agitur nuperrimè defunctus eſt. Quo audito miles uehementer ſtupefactus utpote qui eum incolumen dimiſerat, interrogauit hominem Dei quomodo hoc ſciret, uel quis ei indicaſſet. At ille tranſacta, inquit, hac nocte, dum more ſolito in cellula mea reſiderem, & pſalmos canerem juxta eandem cellulam meam, turbam prætereuntem cum magno fremitu audiui. Ammiratus quidnam eſſet, feneſtellam iſtam aperui, & qui eſſent, vel cur, aut undè ſic fremerent inquiſiui, ad quam inquiſitionem meam unus eorum reſpondit, Angeli ſathanæ ſumus, Remis venimus, cur autem tantum fremitum agitamus cauſa hac eſt, Gerualij Remorum Archiepiſcopi modo animam utpote noſtram nobiſcum deferebamus, quam nobis ſubitò ablatam vehementer indignamur. Tunc homo Dei ineſtimabili gaudio repletus, ab ipſo eodem miniſtro ſathanæ, quomodo eam perdiderint requiſiuit. At ille, duo inquit, viri pro Chriſti amore in Francia decollati, obuiam nobis venientes, eam de manibus noſtris violenter abſtulerunt. His dictis à me protinus diſceſſit, alióſque ſubſecutus, ultra mihi non apparuit. Ego autem admodum lætus pro tam manifeſta reuelatione à Deo facta, immenſas ei gratias egi benedicens & laudans nomen ipſius quod eſt benedictum in ſæcula Amen.

His auditis Miles peregrinus, tempus reuelationis quod à ſeruo Dei cognouerat, notauit, & ad ſæpe dictam ciuitatem reuerſus eo die Archiepiſcopum Gerualium fuiſſe defunctum quo ſibi dictum fuerat, inuenit. Vndè procul dubio cunctis hac legentibus, vel audientibus credendum eſt, hanc liberationem animæ prædicti Pontificis à Deo factam per beatos Martyres ſuos Dionyſium videlicet ac Nicaſium, quorum ipſe Pontifex alterius Baſilicam conſtruxit, & in ea regulares Clericos, ſicut hodierna dies probat, poſuit. Alterius verò officinas, in quibus Monachos Deo militantes ſub regula beati Benedicti collocauit, & qua eis neceſſaria forent, præparauit.

Ex hù patet Gervaſium Eccleſiam lovinianam reſtaurâſſe tantum, non verò à fundamentis inovaſſe.

De hac narratione à penè æquali ſed incognito auctore ſatis incōditè relata, ſentiat quiſque ut volet, mihi ſanè inauditum videtur poſſe animam poſt latum de ea judicium, quod ab ipſo mox è corpore fit egreſſu, ex unguibus Dæmonum eripi, ſi ob crimen confeſſione ſacramentali non elutum tradita ſit. Scio ſimile quid referri de Dagoberto, de Carolo magno, & Henrico primo Imperatoribus, apud varios auctores, ſed hoc vix intelligi poteſt, niſi regreſſu animæ in corpus quo conſcientiam exoneret. Quare aut in hoc inſtanti Deo volente ſuſpenſum fuit judicium ſanctis pro ea preces fundentibus, aut id totum de conflictu Dæmonum cum bonis Angelis in articulo mortis intelligendum eſt, eo ferè modo quo Sulpitius Severus refert contigiſſe in vita ſancti Martini.

Baron. ad an. 1056. Vaſſeburgum in vita Richardi Abbatis.

Vualte-

Digitized by Google

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. *An.* 1067.

Vualterus Rodulfi Creſpienſis filius Regi ſuppetias ferens adverſus Robertum Friſium propè Remos occumbit, tumulandúſque refertur apud ſanctum Remigium.

CAPUT XXXIX.

BALDUINO Montenſi Flandriæ Comite mortuo, Philippi Regis Francorum procuratore & bajulo, quem Proceres regni ſumma moderatione tulerunt, Rex Imperio maturus, per ſe regere incœpit anno 1067. quo bellum exarſit in Flandria inter Robertum Friſium Balduini Comitis fratrem, & Arnulfum Comitatus hæredem, cujus meminit Robertus de Monte, libello qui inſcribitur acceſſiones ad Sigeberti Chronicon, & ex profeſſo Meyerus ad an. 1072. ubi Arnulfum inſula expulſum cum matre ad Francorum Regem confugiſſe refert ut ipſe tanquam ſupremus Dominus opem ferret adverſus Robertum, qui fratris nixus teſtamento, Flandriæ tutelam poſcebat. Rex perſuaſus à Gothefrido Pariſiorum Epiſcopo regni Cancellario poſt Gervaſium, ſuſcipit Flandricam expeditionem vario eventu & adverſâ primum fortunâ: vix enim ſub Monte ceſletano caſtra poſuerat, cum eum Robertus adhuc imparatum magno impetu aggreſſus eſt, copiáſque ejus fudit ac profligavit. Collectis tamen de novo per Flandriam Militibus, caſtra Rex locavit Victriaci, Caſtellúmque obſidione cinxit. Cum bellatores inter ſe hinc indè acriter decertarent, Vuerterus Rodulfi Creſpienſis filius, qui Regi ſuppetias venerat, dolo propè Remos intercipitur ab hoſtibus, ibique fortiter pugnans, ut erat ingentis animi, telo percuſſus ab eis, occubuit.

Gaudefridus Pariſienſis Epiſcopus fit Cancellarius poſt Gervaſium.

Pater hoc caſu mœrore animi tactus ultra quam dici poteſt, corpus exanime humo ſublatum ad Eccleſiam ſancti Remigij tumulandum multis comitantibus deferri curavit, utque pro filio tam eximij tutelaris patrocinium adſciſceret, reſarcirétque damna, ſi quæ à ſuis vaſallis Monaſterio illata fuiſſent, multa bona erogavit, hac teſtamentali pagina, quam ob id vel maximè exſcribendam putavi, quod Rodulfus Creſpienſis, alibi Vadenſis, ſive Valeſienſis Comes, qui Henrici Regis uxorem Philippi itidem Regis matrem in conjugio poſt mariti deceſſum duxit, multis auxerit bonis Monaſterium ſancti Arnulfi Creſpienſis, illúdque ſacris ejus pignoribus decorarit, & quod Simonis prædicti Rodulfi inclytæ prolis inter ſanctos relati, nomen & ſigillum prædicta donationis Charta præferat, cujus hic tenor eſt.

Rodulfus relictam Henrici Regis duxerat. Vide Bernaſij Epiſt. ad Alex. 2.

Charta Rodulfi Comitis de Creſpeio de rebus quas dedit Beato Remigio pro anima Vualteri filij ſui.

Rodulfus dicitur divitijs & viribus potentiſſimus cujus uxor Adela vocabatur in vita B. Simonis. obijt hic Rodulfus an. 1074. ex Charta Creſpienſi.

NOtum ſit univerſis Catholicæ Matris Eccleſiæ filijs, tam præſentis temporis quam futuri, quod ego Rodulfus Comes de Creſpeio filium habui Vualterum nomine, quem maximo ſemper amore dilexi pluſquam omnes liberos meos quos mihi Deus donare dignatus eſt. Contigit autem ut Dominus meus Francorum

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. *An.* 1067.

Rex Philippus expeditionem equitatus ſui duceret ad Caſtrum vitereium recipiendum, cui expeditioni ego, & prædictus filius Vualterus cum Principibus regni interfuimus. Verum idem filius meus Vualterus cum eſſet ingentis animi & totius ſemper militiæ deditus in fidelitate, & ſeruitio Domini ſui Regis Francorum Philippi, non longè ab urbe Remorum tunc interfectus eſt. Ego verò conſiderans quod beatus Confeſſor Remigius populum noſtrum, hoc eſt gentem Francorum ad Deum conuerterit, & quod eum in die judicij, ante conſpectum Omnipotentis Domini præſentabit, ſimulque cogitans quod filius meus, dum viueret, res ejuſdem ſancti aliquantulum inquietaſſet, & quod ego locum illum ubi venerabile corpus præfati ſancti requieſcit, ſemper amaui, ut maximo honore veneratus ſum, has omnes cauſas mecum reputans, exanime corpus filij mei ad ſanctiſſimam ejus Eccleſiam deportari feci. De omnibus quoque quibus filius meus contra eundem ſanctum peccauerat, ego juſtitiam Deo, & beato Confeſſori Remigio præſentialiter feci, ſicque animum & corpus filij mei ſanctis ejus orationibus commendans, in cœmeterio ejus, hoc eſt in clauſtro Monachorum ipſius, eum ſepeliri feci, quatinus pro anima illius intercedat, atque in die judicij ductor & aduocatus ante Deum exiſtat, quem ad ſolam ejus miſericordiam attuli, & in manu pietatis ejus dereliqui.

Pro hac igitur re ego Rodulfus Comes, accipiens de ſeruis & ancillis meis quos circa Buxitum Caſtellum meum habebam, tradidi eos beatiſſimo Remigio Francorum Apoſtolo, cum omnibus terris & domibus ſuis, cum filijs & filiabus, cumque omni ſubſtantia eorum, itaut omnes conſuetudines, & totum ſeruitium quod mihi & Caſtello meo, miniſtriſque meis debebant, totum omnino eis dimittam, quatenus ſoli beato Remigio ac Monachis ejus deſeruiant. Nulla itaque perſona, nullus omnino homo Clericus, aut Laicus, ſeruus aut liber in eis aut in terra eorum aliquam poteſtatem exerceat &c. hoc autem totum ſicut ſupradictum eſt, ita ſtatuo & confirmo, & laudare facio Simonem filium meum, duóſque generos meos quos de filiabus meis habeo, id eſt Heribertum Comitem, & juuenem nobiliſſimum Bartholomeum. Preterea milites meos de Buxito, hoc eſt Odelricum, Vuidonem, & Boſonem fratrémque ejus, alterumque Boſonem filium Vuidonis, & Vuarinum cum filijs ſuis, Miniſtros etiam meos quos in illo Caſtello habeo, id eſt Andream, & reliquos omnes tam liberos quam ſeruos.

Hoc itáque totum feci pro anima mei dilecti filij Vualteri, atque pro remiſſione peccatorum meorum, ac pro animabus omnium parentum meorum, quod etiam volo eſſe firmum & ſtabile uſque in ſempiternum, qui autem infrigerit, aut deſtruxit iram Dei incurrat, & à regno ejus alienus fiat.

Facta eſt verò iſta largitio in Eccleſia beati Remigij ante corpus ipſius, cum ibi adeſſent multi Epiſcopi & Comites, & alij nobiles viri, quos ibi præſentia Regis contraxerat. Volui igitur atque rogaui ut Monachi in hac eâdem Charta ſcriberent nomina ſeruorum, ancillarumque quos donaueram, & ad quos uſus Eccleſiæ eos uellent conuertere, quatinus ipſi certi eſſent quid ego pro anima filij mei beato Remigio largitus fuiſſem, & ego cognoſcerem quid ipſi de eleemoſyna mea facturi eſſent. Placuit Domno Abbati Herimaro & omnibus fratribus noſtris Monachis beati Remigij ut eleemoſyna quam Comes pro anima filij ſui Vualteri beato Remigio obtulit ex hoc nunc uſque in æternum ad ſeruitium infirmorum fratrum pertineat, & ſolis uſibus eorum deſeruiat, qui ſecundum præceptum ſancti Benedicti pro reparatione in cella infirmorum commorantur. Hoc autem ſtatutum eſt, ut nullus Abbas, nullus Præpoſitus, nulla omnino perſona audeat aliquãdo infringere vel mutare, ſed quidquid de præfata eleemoſyna exierit, quantulumcumque ſuccreuerit, ſicut ordinatum eſt, ægrotis fratribus ſolummodo deſeruiat, & ad nullum aliud officium aliquid indè inflectatur, ſed integrè ad cellam infirmorum pertineat, qui aliter fecerit iram Dei incurrat. Et hæc

Dat Comes ſeruos & ancillas Remigianis ut ſeruiant in cella infirmorum.

Digitized by Google

hæc ſunt nomina ſeruorum ancillarumque: Artaldus, Tegiſus, Martinus, &c.

GEVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1067.

Iterum notum ſit uniuerſis Matris Eccleſiæ filijs, quod Rodulfus de Vuadenenſi Villa à Simone Comite impetrauit donari ſancto Remigio quoddam hoſpitium quod eſt municipio Buxiti Caſtri in quo hoſpitarentur ſuperuenientes Monachi ejuſdem ſancti; quod idem Simon poſtquam annuit per Anſelmum Monachum & per eundem Rodulfum ſancto Remigio fecit donationem præſentibus Vuidone Caſtellano cum uxore ſua, Erigero Villico Comitis, Conſtantio ſeruo ejus & Adelardo Decano. Illa autem donatio ſunt duo homines, duæque famina cum liberis, domibus, & facultatibus ſuis. Hæc omnia dedit idem Simon beato Remigio tam liberè poſſidenda quam hæreditate prius tenuerat. Poſt hæc donauit Conſtantium filium Emengardis quæ in eleemoſyna ſancti Remigij eſt defuncta.

De Simone Rodulfi Creſpienſis filio Guiberti.

Viri ſanctitate & doctrina celebres, qui ſub Gervaſij Pontificatu claruerunt in Eccleſia Remenſi.

CAPUT. XXXX.

ADDAM pro coronide geſtorum inſignis Gervaſij Præſulis, viros aliquot doctrina illuſtres, qui eo ſedente Remis floruerunt, eò ſanè pluris æſtimandi, quod hoc ſæculum præ cæteris, tanta cæcitate & ignorantia laborarit, ut ſtudia litterarum, ſi non penitus extincta, ubique ſaltem neglecta & inculta jacerent. Inter has nihilominus inſcitiæ tenebras, unus quaſi ſol orbi chriſtiano, mirabiliter illuxit ſanctiſſimus Bruno ſcholarum Remenſium caput cujus vitæ ſynopſim cum Remigiano codice hic incipio.

Sanctus Bruno Canonicus & ſcholarcha Remenſis.

MAgiſter Bruno natione Teutonicus, ex præclara urbe Colonia, parentibus non obſcuris, litteris tam ſæcularibus, quàm divinis valdè munitus, Eccleſiæ Remenſis, quæ nulli inter Gallicanas ſecunda eſt, Canonicus & ſcholarum Rector fuit. Hic ab ineunte ætate hujus optimæ Matris lac veræ pietatis ſuxit, & cum ea humaniores litteras, rituúmque Eccleſiaſticorum perfectam notitiam, juxtà illud relatum à Surio.

Quem tenerum docuit Mater Remenſis alumnum,
Propoſiti tenuiſſe fidem lætata Brunonem,
Migrantem ad Dominum lachrymis precibúſque ſalutat.

AT cum vivido polleret ingenio, illud non philoſophicis modo, ſed & ſacræ ſcripturæ documentis magis ac magis excolere ſtuduit, præceptorem nactus Berengarium ſancti Martini Turonenſis Canonicum, ſi Chronographo Malleacenſi Brunoni coætaneo credatur ad ann. 996.

GERBERTVS DOCVIT FVLBERTVM CARNOTENSEM EPISCOPVM. Hic iterum docuit Berengarium Canonicum ſancti Martini, qui item Brunonem Remenſem, & multos alios hæredes reliquit ſua philoſophia. Bruno quidem perfectus philoſophus, Monachus effectus eſt, &c.

Hic igitur ſcientiarum culmen adeptus, Remis Gervaſio clavum tenente factus eſt ſcholarum Rector ex Guiberto. *Non longè* inquit *ab his diebus* ſcilicet à ſeceſſu Simonis filij Rodulfi Creſpienſis Comitis in Monaſterium

Lib. de vita ſua Cap. 4.

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1067.

nasterium *Bruno quidam in urbe Remensi nir & liberalibus instructus artibus & magnorum studiorum Rector, cum alijs quibusdam Remensium Clericorum nobilibus, infamis illius odio Manassis Archiepiscopi, excessit ab urbe, &c.* quod excipit, fusiúsque prosequitur Surius in vita prædicti Brunonis. *Dudum* ait *Ecclesiæ Remensis summus Didascalus, ut pote in psalterio & cæteris scientijs luculentissimus, & columna totius Metropolis diu extitit.* Fragmentum item historiæ Franciæ, quæ incipit à Philippo, de Brunone loquitur ac si Remis natus fuisset, at Manasses Epistola statim citanda scrupulum amovet his verbis *hic* Bruno *nec noster natus est, nec renatus* Remensis igitur ut auguror vocatur hic quod Remis litteras cum laude professus dicatur, Cancellariæque dignitate ob juris peritiam donatus, quam adhuc exercuit sub Manasse, ut constat ex varijs Chartis, maximè verò ex instrumento fundationis sancti Martini Gemellorum Diœcesis Ambianensis quod publicè recitatum est coram Philippo Rege, Manasse Remis Synodum tenente, cui subscripsit Bruno Cancellarius an. 1073.

At eodem Archiepiscopo tyrannidem exercente per Diœcesim, cum insigniores è Clero eum amplius ferre non possent, Bruno unus ex ijs qui apud Legatum de intrusione ejus in sedem Remensem testatus fuerat excessit ab urbe, conversionis initia ex subjecta nactus occasione, & Guibertus Brunoni suppar luculenter exponit citato libro, ubi ejus ac discipulorum mores, modúmque vivendi in Cartusia graphicè depingit. Ex quo pariter vera dicitur causa, cur beatissimus ille Cartusiensium protoparens in eremum secesserit, nec aliam ipse suggerit jam Cartusiæ colonus si contemptum mundi excipias Epistola ad Rodulfum viridem Remensis Ecclesiæ præpositum, cum sponsionis de vita Monastica Deo facta, eum admonet.

At qui vir, quantúsque fuerit sanctus Bruno, postquam rebus perituris salutem dixit, instituti mei non est fusius enarrare, consulat Surium qui voluerit, Franciscum de Puteo, & alios. Hoc quod hic præsertim intendo illud est insigne Brunonis propositum condendi novum ordinem, Remis natum fuisse, ut ipsemet profitetur eâdem Epistola ad Rodulfum viridem.

Reminiscitur quippe dilectio tua, quod cum ego, & Fulcius Monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti Domui Adæ, ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus & perituris mundi hujus divitijs nec non de perennis gloriæ gaudijs aliquandiu (ut opinor) tractaremus, undè divino fervore ferventes, promisimus, ac vovimus spiritui sancto in proximo fugitiva sæculi relinquere & æterna captare, nec non Monachicum habitum recipere.

Ex his nemo inficias ire debet quin sanctissimus Bruno cum Ecclesiæ Remensis Primarijs, de ejusmodi proposito sæpius tractaverit, & quod ut ipsi Ecclesiæ ac civitati sic & Academiæ, cujus ipse caput extitit, æternum nomen gloriámque peperit immortalem. Verum enim verò si Brunonis sanctitas Remensem Ecclesiam commendat, quæ eum à teneris aluit, & expolivit, non minoris gloriæ lucrum ipsis Cartusianis accessit, apud quos insignes prædictæ Ecclesiæ cœremonias tota Gallia celebres detulit, accuratissimum psallendi modum, prostrationes in choro & alia id genus, quæ etiamnum inculpatè retinent cum Catholicæ Ecclesiæ bono ac venerandæ antiquitatis commendatione. Cartusiam rexit Beatus Bruno sex annos ex MS. Remensi donec cogente Urbano II. summo Pontifice cujus præceptor ipse fuerat, Romanam perrexit ad curiam, eundem Papam solatio & consilio in Ecclesiasticis negotijs juvaturus. Sed cum tumultus ac mores curiæ ferre non posset, eâ relicta in Calabriæ solitudinem se recepit, ubi defunctus & humatus est, anno post egressum Cartusiæ undecimo plus minus anno.

Quod

Digitized by Google

Quod verò ſpectat ad Academiam, quam ſuo ſeceſſu S. Bruno mœrentem reliquit, non ſic orbata fuit, quin ex ipſius diſcipulis quidam Remis litterarum ſtudia reſuſcitarit, quorum tanta fuit in eum amoris propenſio, ut perlato ad eos obitus ejus nuntio circulares nænias ſeu potius elogia ediderint, quæ fidelis ejus Encomiaſtes retulit in hunc modum. GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1067.

Sancta Maria Metropolis Remenſis ſuffragium de ſancto Brunone.

Hic pater eximius fundator religionis,
Exemplar ſe ſe fratribus exhibuit.
Dans illis formam ſpernendi vitia mundi
Cœleſtis patriæ præmia dum ſequitur.
Pro cujus culpa non credimus eſſe gemendum
Quem jam gaudentem credimus in requie.
Nam ſi cui ſancto requiem bona vita meretur,
Huic quoque pro meritis ſumma datur requies.
Qui cum multimodè noſtrâ polleret in urbe
Solamenque ſuis atque decus fieret.
Cúmque ei faveret fortuna per omnia, jam que
Hunc præferemus omnibus, & meritò.
Námque benignus erat, omnique peritus in arte,
Facundúſque ſatis, divitiſque potens.
Omnia poſtpoſuit Chriſto, nudúmque ſecutus
Chriſtum, cum cunctis ſuſcipit hunc Eremus.

Sancta Maria Pariſienſis de ſancto Brunone Elogium.

Ille Magiſtrorum decus, informatio morum
Remigium turbæ, Remenſi major in urbe,
Mundum deſpexit, iter ad cœleſtia flexit.

Eccleſia Laudunenſis.

Bruno decus Cleri, decus & prudentia mundi.
Dum fuit in terris florebat acumine mentis
Dum fuit inter nos florebat & in documentis,
Integritas morum cumulum ſupplevit honorum.

Eccleſia Collegiata Ss. Timothei & Apollinaris.

Hujus Doctoris fuit hæc vis cordis & oris,
Ut toto cunctos ſuperaret in orbe Magiſtros, &c.

Godefridus ſcholarcha Remenſis & Cancellarius.

EX Brunonis ſchola inſignes quidam viri prodierunt, quorum hunc aliqui comitati ſunt in ſolitudinem ex Guiberto *plures* inquit *ſæculo hoc undecimo etiam natalium ſplendore clariſſimi, poſt habitâ ſæculi vanitate in claustra vitam regularem profeſſuri ſe recipiebant.* Alij verò ut Eccleſiæ Remenſi verbo, ac exemplo prodeſſent, perutile cenſuerunt in prima vocatione permanendum, inter quos elucet Godefridus quidam cognomento Philoſophus, quem Brunoni ſucceſſiſſe in ſcholarum Rectoratu reperio, &

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1067.

& poſtmodum in Cancellaria dignitate. Scholaſticum ſeu ſcholarcam paſſim eum nominant Necrologia, legitúrque cum eo titulo in Martyrologio S. Timothei, quod eidem Eccleſiæ Mnémoſyni loco contulit, undè conjectari licet litteras Remis docuiſſe poſt Brunonem.

Quod verò Cancellariatus officio perfunctus ſit ſub Manaſſe, Concilium Sueſſionenſe anni 1078. id imprimis indicat, Chartáque tabulariorum Ss. Nicaſij & Theodorici, quibus ipſe ut Cancellarius ſubſcripſit anno 1090. & 1097. Baldricus Burgolienſis Abbas huic lugubri carmine accinit poſt obitum.

De Godefrido Remenſi.

Jocundus magnæ theſaurus Philoſophiæ
Magnaque Muſa perit, cum Godefridus obit.
Ille decus Cleri, ſol alter idoneus orbi,
Orbi ſufficeret, viveret ipſe diu.
Sed mors effrenis ſuper hunc ſua frena gravavit,
Et jubar à ſuperis invida grando tulit.
Remis habet corpus, animæ ſit manſio cœlum,
Divitibus dives oſſibus urna, vale.

Ad eundem.

Orbi deflendus, tamen & ſpecialiter urbi
Quam Remis dicunt, hîc Godefride jaces.
Præcipuè Cleri lachrymis comitatus opimis
Hic tandem Matris redditus es gremio.
Remenſis populi Clerique lucerna latini,
Omnibus extorques dum moreris, lachrymas.
Gallia te tanto amplexabatur amore
Ut doleat ſe non occubuiſſe ſimul.
Nunc igitur pedibus, quibus ire licet gemebunda,
Te comitatus adhuc planctibus, & precibus.

Ad eundem.

Quem tegit iſte lapis, non Tullius æquipararet,
Si tamen ejuſdem temporis ambo forent.
Hunc etenim vatem ſapientia tanta replerat,
Ut benè Romuleis ante fuiſſe putes.
Denique tantus erat quantos vulgata per orbem
Fama volans fecit, quoſlibet eſſe viros.
Mortis livor edax hunc proh dolor! abſtulit orbi
Heu! ſcribe ſub modico nunc Godefride jaces?
Divinos cineres genitrix ſua Remis habeto
Tu quoque Chriſte ſuæ manſio ſis animæ.

Ad eundem.

Quæ natura potens vix omnia contulit ulli
Omnia contulerat hæc Godefride tibi.
Formam, divitias, mors, monimenta nepotem,
Diſcretum pectus, ingenium locuple.

Os

Digitized by Google

Os par ingenio ſtudij florentis amorem
Nec tamen iſta tibi cuncta tulere mori.
Egregios actus en parvula continet urna,
Remis te genuit, te quoque Remis habet.
Urbs venerare tuum fœlici pulvere fœlix,
Cives concivem Cœlicolæ foveant, &c.

GERVAS. XLIII. ARCHIEP. An. 1067.

Migrat Godefridus pridiè nonas Januarij ex obituario Remenſi, ubi ſic habetur, *obijt Magiſter Godefridus ſcholaſticus & noſter Canonicus, qui dedit nobis quinquaginta libras Pariſienſes ad emendos reditus in anniverſario ſuo, &c.* & in Necrologio Sandionyſiano, *Nonas Ianuarij obijt Godefridus ſcholaſticus Beatæ Mariæ.*

Anſelmus auctor itinerarij Leonis IX.

ANſelmus Cœnobij Remigiani ſodalis vixit ſub Pontificatu Vuidonis Caſtillonci eo tempore quo Remis Leo IX. Concilium generale habuit, cujus ipſe hiſtoriam texuit juſſu ſui Abbatis ut fatetur in prologo. Ob id præſertim ut varias ſancti Remigij reparationes evulgaret, ac nomina eorum qui ad eas ſtudium & operam impenderant. Anſelmi meminit Trithemius lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ubi refert congeſſiſſe in unum geſta Leonis IX. per Galliam in Concilijs, & conuentibus facta, ut notificaret quanta auctoritate Remis vel alijs in urbibus Synodum celebrarit. Hoc opus itinerarium Leonis vocatum extat in bibliotheca ſancti Remigij.

Robertus Abbas ſancti Remigij.

RObertus ejuſdem Cœnobij Abbas claruit ſub Manaſſe & Rainaldo I. fuitque ex Trithemio in ſcripturis divinis jugi ſtudio exercitatus, & ſæcularium diſciplinarum non ignarus, ingenio clarus & apertus eloquio. Hic cum Concilio Claromontano interfuiſſet ubi de tranſmarina expeditione actum eſt, ſtatuit cruce ſignatos comitari, nec prius in Galliam redijt, quin Hyeroſolima alijſque locis expugnatis, Chriſtiani victores de Turcis evaderent, quorum hiſtoriam ſat eleganti ſtilo contexuit, quam idem Trithemius inſignem vocat, ut revera legentibus apparet hæc cujus MS. in bibliotheca ſancti Remigij aſſervatur: decem libris conſtat, ſicque incipit, *Inter omnes hiſtoriographos.* Quomodo autem hic Robertus à gradu ceciderit, & in Prioratum Tenucenſem relegatus, dicetur inferius.

Cœterùm admiratione non vacat cur hoc ſæculo tam pauci litterati reperiantur, qui non dico ſcripturis elucidandis manum admoverint, ſed nec hiſtoriæ, vel Chronicis ut alias à veteribus factitatum, unde fit ut horum penuria vix ſciri poſſit quid actum ſit ab inauguratione Hugonis uſque ad Ludovicum VI. niſi ex fundationibus Monaſteriorum quæ mirum in modum eo tempore pullularunt, quarum tabulæ hinc indè diſperſæ multum nihilominus lucis adferunt ad caligines quibus veritas ipſa ſæpius infuſcatur, abigendas. Guibertus de Novigento prædictam Doctorum hominum, imo Grammaticorum inopiam, quorum labore & induſtria juvenes erudirentur agnoſcit lib. 1. cap. 4. de vita ſua. *Erat*, inquit, *paulo ante id temporis, & adhuc partim ſub meo tempore*, ſcilicet ſub Ludovico VI. quo ipſe floruit, *tanta Grammaticorum caritas, ut in oppidis penè nullus, in urbibus vix aliquis reperiri potuiſſet, & quos inueniri contigerat, eorum ſcientia tenuis admodum erat, nec etiam moderni temporis Clericulis vagantibus comparanda.*

Digitized by Google

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM. An. 1067.

Sancti Dionyſij Remenſis Baſilica primodia; ſacrique cœtus facta reſtitutio per Gervaſium Archiepiſcopum.

CAPUT XLI.

Ioan. Morelly Abbas in Schedis Domni Colignen.

BASILICÆ ſeu etiam ſodalitij beati Dionyſij Remenſis exordium apud nos, non uſquequaque certum eſt. Neotericus quidam auctor cenſet utrúmque ad primos verbi Dei ſatores omnino eſſe referendum: putat enim poſt ſtructam à ſancto Nicaſio Martyre Cathedralem Eccleſiam, Clericos qui apud ſanctum Simphorianum, divina perſoluebant munia, in duos veluti cuneos ab eo partitos fuiſſe & altero ex illis pro Cathedrali Virginis Deiparæ aſſumpto, alterum ad B. Dionyſij ædem deſtinaſſe, quem ibi jugiter ſic perſtitiſſe ſcribit, ut indè ob originis præſtantiam & paritatem vetus ac intima hæc inter utróſque Canonicos majoris ſcilicet Eccleſiæ, & Ædis Dionyſianæ ſocietas fluxerit, quæ hactenus laudabiliter perſeverat. Tam inclitæ vetuſtatis commendatio, cui potiſſimum auctor incumbit multum quidem ſplendoris ſacro cœtui adferret ſi hiſtorica veritate fulciretur, at cum nullibi novæ hujus opinionis extet veſtigium, veteribúſque fuerit incognita, diutius in hac refellenda immorandum non duxi, præſertim cum primorum Archiepiſcoporum Remigij, Sonantij, Landonis teſtamenta, in quibus Baſilicæ omnes, quæ tunc Remis erant ſigillatim referuntur, nullam de Sandionyſiana faciant mentionem: imo quod mireris, Frodoardus ipſe rerum Remenſium ſcriptor accuratiſſimus, inter vetuſtiores eam non numeret, ſed tranſlationes beati Rigoberti ſub Hincmaro factas aggreſſurus, de prædicta Baſilica ſic tandem loqui primùm incipit.

Frod. lib. 2. Cap. 15. Beati Dionyſij Baſilicam ab antiquo Canonicorum extitit cœmeterium ut de Eccleſia Sancti Chriſtophori ſcribit Frod. lib. 1 cap. 17. Item & Breviarium Remenſe in tráſlatione beati Rigoberti.

Poſt annos nouem hujus beati Præſulis Rigoberti oſſa, Remorum perferuntur ad urbem, & in Baſilica S. Dionyſij honore dicata locantur, ubi Canonicorum ſepultura Remenſium tunc habebatur. Ex his quidem habemus tempore Hincmari prædictam Baſilicam ſtetiſſe, imo ab eodem Præſule conſecratam tradit Breviarium Remenſe in feſto tranſlationis ſancti Rigoberti, ſed à quo primitus conſtructa, an Hincmari ætatem longè præceſſerit, & utrum pridem Clericorum in ea fuerit congregatio, non ſatis compertum.

Subdit præterea Frod. de tertia tranſlatione S. Rigoberti verba faciens, ***hujus B. Præſulis Patris membra veneranda, quoniam Eccleſia prænotata***, ſancti Dionyſij ſcilicet, ***neceſſitate, muri ciuitatis ob infeſtationem Paganorum conſtruendi, euertebatur, Fulco Præſul urbi poſtmodum intulit, & in medio Eccleſiæ beatæ Dei genitricis Mariæ poſt altare ſancta Crucis collocauit.*** En deſtructam vides Baſilicam, nulla Clericorum facta mentione, quod tamen de Eccleſijs Ss. Xiſti & Timothei alibi loquens non omittit. Tandem de quarta tranſlatione, idem fidelis hiſtoricus, ***nec longum***, inquit, ***poſt hæc urbi Remorum ſacra membra reuocantur, & Eccleſia S. Dionyſij extra murum ciuitatis Canonicorum Remenſium ſtudio, ſumptibuſque reſtructa, ibidem cum beati Theodulfi pignoribus honorificè venerantur illata*** Quæ ſub Herivei Pontificatu contigiſſe clarum eſt, anno ſcilicet 902. cum prædictam Eccleſiam ſolemni ritu conſecravit, ubi & membra ſanctorum Rigoberti Epiſcopi, & Theodulfi Abbatis ſervanda depoſuit. Hæc de Baſilicæ primordijs ex Frodoar. qui & Clericorum in ea Dei laudibus incumbentium his locis non meminit.

Lib. 1. cap. 3. & 4.

At

Digitized by Google

SANCTI DIONISIJ REM. MONASTERIUM *An.* 1067.

At ſub Hugone Veromandenſi haud procul ab Heriveo, prædictam Baſilicam Clericos aliquot aluiſſe quidam colligunt ex verbis auctoris citati lib. 3. cap. 6. ubi de Ruricola Gerlonis nomine ex familia Remenſis Eccleſiæ diſſerens, refert hunc recuperatâ ſanitate ope Virginis, ſe ipſius obſequio mancipaſſe, quod partim in eadem Eccleſia, partim in Eccleſia S. Dionyſij extra murum civitatis per quinquennium incolumis, ut promiſerat, fideliter explevit.

An ante Gervaſium fuerint Clerici in Eccleſia Sandionyſiana?

Igitur ſi quæ fuit Clericorum congregatio ante Gervaſium, quam ſatis numeroſam ſupponit Philippi Regis privilegium poſteà citandum, hæc à reſtructione facta Baſilicæ ſub Heriveo per Canonicos Remenſes omnino petenda eſt, vel quod certius puto, à tempore Adalberonis, præſertim ſi Chronici Moſomenſis auctori fides habeatur, ubi prædictum Archiep. B. Dionyſij Eccleſiam extra muros urbis præ foribus majoris Eccleſiæ inſtituiſſe commemorat. Quæ à ſcriptore coætaneo relata omnino confirmant Sandionyſianam domum Clericis inſtructam extitiſſe ante Gervaſij Pontificatum.

Chronici verba retuli cap. 1. Huius libri.

At ſicut nihil æternum ſub ſole, neceſſéque eſt, ut quod ortum habuit ſenſim ſeneſcat juxta illud Metamorph. Ovidij.

Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas.
Omnia deſtruitis, vitiatáque dentibus ævi
Paulatim lentâ conſumitis omnia morte.

Sic etiam B. Dionyſij Eccleſia Archiepiſcoporum primo, tum Canonicorum Remenſium impenſis ſat eleganter reſtructa, è priſtino ſui decoris ſtatu pedetentim ſic cecidit, horum præſertim neglectu qui ſartatecta curare debuerant, ut umbram prioris venuſtatis vix retineret cum Gervaſius Pontificale culmen aſſumpſit. Reditus Clericis deſtinatos rapuerat ſacrilega manus, conçameratio undique rimas agebat, parietes ruinam minabantur, totáque Eccleſia ſic patebat imbribus, ut nihil in ea opertum eſſet præter altare in angulo defixum quo incruentum ſacrificium poſſet offerri.

Lugubrem hanc ſacri ædificij ſortem miſeratus Antiſtes bono Chriſtianæ Reipublicæ natus, ſtatuit illud à fundamentis penitus renovare, & quidem elegantiori ſtructura, ut fertur, & magis ampla, cujus partes aliquot, quæ reſtant, hoc ævum apertè ſapiunt. At priuſquam operi manum admoveret, veterem Baſilicam, quod Dominij eſſet Canonicorum Remenſium ſub aliquo cenſu vindicandam cenſuit, tum locis regularibus ſervorum Dei uſibus accommodatis de novo conſtructis, ac proventibus non paucis de ſuo ſuperadditis, Canonicis regulam S. Auguſtini profitentibus jure perpetuo poſſidendam conceſſit, ut palam fiet litteris ipſius Gervaſij manu ac ſigillo firmatis, quas hic ex autographo depromptas fideliter exhibemus.

Charta fundationis per celebris Monaſterij Sancti Dionyſij Remenſis.

NOtum volo præſentibus, nec ignotum ſit poſteris, quod ego Gervaſius hujus ſanctæ ſedis Remorum Antiſtes, poſt aliarum reſtaurationem Eccleſiarum, quæ tam vetuſtate quam negligentia deſtitutæ ac deſertæ ab antiquis apparebant temporibus: beati Dionyſij quæ jam penè annulata fuerat, Eccleſiam renouare appoſui, quam olim celeberrimè ditatam, ingruente malitia ad ſummam deveniſſe paupertatem frequenter tranſeundo miſeratus condolui: adhibitáque tandem diligentiâ reſtaurationis opus, operoſiore ſtructura Dei præſente gratiâ non diſtuli, deſtructa readificans, quæ fundata non erant, à fundamentis conſtruens.

Scilicet Niceſij & Timothei.

Digitized by Google

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM An. 1067.

ſtruens. Et quia ad menſam Canonicorum Dominæ meæ S. Dei genitricis pertinebat, ab ipſis filijs meis, eam ſub cenſu ſex ſolidorum, omnium voluntate accepi perpetua libertate donandam; hac conſuetudine retentâ, ut ſeruientes eorum tam familiares, quam communes ſicut antea ſolebant abſque omni exactione alicujus pretij, ibi ſepulturæ traderentur, & ſi ipſa Eccleſia, proceſſu temporum, aliquo caſu, rediuina calamitate, ad eam quæ prius erat deſideret, eorum ſicut prius erat poteſtati ſubjiciatur, niſi culpa, vel ſtudio ipſorum acciderit.

Eccleſiâ itaque meo ſumptu & labore ad integrum reſtitutâ, cum diuerſis adificijs ad neceſſitatem fratrum accommodatis, Canonicos ibidem ad honorem, & laudem Dei conſtitui, beati Auguſtini regulam, ordinémque profitentes quorum uſui hanc bonorum meorum partem deſignaui, eiſque poſſidendam jure perpetuo contradidi, omnium redituum meorum decimas ad domum meam & ciuitatem pertinentes, quas Anteceſſor meus ad Hoſpitium pauperum in eodem loco ſitum, conceſſerat, eidem & ego conceſſi Eccleſiæ, beneficium quoque Miniſterialium fœminarum Majoris Eccleſiæ, quas Oblatrices dicunt, quæ ſatis inhoneſtè viuebant, melius ordinandum judicaui, ſeruitióque Deo ſeruientium in eâdem Eccleſia deputaui, pro cujus recompenſatione, Altare de Curceio Theſaurario dedi, Eccleſiam de Monte ſanctæ Mariæ, quæ ab antiquis temporibus ad thelonij beneficium pertinebat hujus ſanctæ Matris Eccleſiæ, ſed per multa jam tempora violentâ manu abalienata fuerat, Laicorum poteſtate emancipaui, eique ſanctuario, volente & concedente Odone Archidiacono, & Theſaurario donaui. Altaria pariter de Calmiſiaco & Campiniaca villa prædictam Eccleſiam habere conceſſi: ſuburbijs verò quæ circa eandem ſunt, eam nihilominus volui eſſe donatam. Quatuor in locis vineta acquiſiui in monte ſcilicet Ledulphi, Canculæ, Camerei, in monte ferrato. Præter hæc autem in villa Campiniaci, Alodia inſuper de Archeio, & Aculiaca curte, nec-non juxta uiam herboſam eidem largitus ſum Eccleſiæ, terram quoque Oloriſicam juxta Pomerium Epiſcopale ſitum, huic loco dedi.

Quæ omnia piè & ſtudioſè diſpoſita meo jure, & labore adquiſita, ne unquam violentorum manus aliqua occaſione violare, & diſſipare præſumat, Romanæ autoritatis Priuilegio muniri, Regiaque Majeſtatis adſtipulatione, confirmari feci. Hanc ergo Eccleſiam Dei viſitatione ſicut hactenus digeſtum eſt recuperatam, his omnibus quæ præordinata ſunt copioſè ditatam, placuit, bonúmque mihi uiſum eſt fratri Odalrico ſanctæ Mariæ Præpoſito commendare regendam, quem quia in multis fidelem inueni, ſuper hanc eleemoſynarum mearum oblationem PROCVRATOREM Dominumque conſtitui, qui ad ipſius Eccleſiæ tuitionem defenſionémque inuigilet, contra inſurgentes manum fortitudinis opponat, conſilij curam, Paſtoris prouidentiam in omnibus quæ poterit huic Eccleſiæ impendat, & quæcumque ad eam pertinent, regat & cuſtodiat. Quam ſic ei tribui ut à Præpoſiti tamen officio remouemus, ne propter hoc unquam aliquis ejus ſucceſſor in eandem Prælationem jure Præpoſituræ aliquo modo obreperc, ſed eam in vita ſua in munere poſſideat.

Sic beati Nicaſij Eccleſiâ recens reſtructam, Procuratoribus Gervaſium credidiſſe legimus.

Deindè quoniam ſibi ad utilitatem Eccleſiæ melius viſum fuerit, conſilio Canonicorum ejuſdem loci hæredem conſtituat, alioquin in manum Archiepiſcopi, diſpoſitionémque redeat. Poſt hæc autem omnia, benè mihi placitum fuit Molendina, quæ juxta citeriorem hujus aquæ pontem fieri feci pro celebranda Anniuerſarij mei commemoratione ſanctæ Mariæ ad uſum concedere Canonicorum, quorum decimam huic Eccleſiæ habendam ſicut olim decreuimus, modóque decernimus quod de omni bonorum meorum ſubſtantia irdifferenter ſtatuimus, cuius conſtitutionis noſtræ decretum ut ratum inuiolatumque perpetuis ualeat temporibus, noſtræ auctoritatis ſcripto præſenti roboramus, ſigillique noſtri impreſſione

Hæc donatio facta eſt Anno 1067. Vnde videtur

mortem obiiſſe Anno 1069. ut vult Dominus Petrus Cocquault, non verò An. 1067 ut volunt authores Gallia Chriſtiana, ſiquidem ſedem Rem. tenuit 12. Annis ut dictum eſt.

Digitized by Google

preſsione conſignamus. Actum Remis anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſexageſimo ſeptimo, indictione quinta, regnante Philippo Rege anno ſeptimo, Epiſcopatus mei anno decimo.

Odericus Cancellarius ſcripſit atque ſubſcripſit.

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM An. 1067.

Philippi I. Francorum Regis præceptum, quo Cœnobij Sandionyſiani reſtaurationem, donationeſque a Gervaſio factas, ratas habet, & confirmat.

IN nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, Philippus diuinâ annuente clementiâ Francorum Rex. Omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtriſque fidelibus tam præſentibus quam futuris. Si liberales locis Deo dicatis exiſtamus, indè res noſtræ aliter atque diteſcit, publica roboratur atque floreſcit. Vita temporalis proſperè tranſigitur, æterna fœliciter comparatur. Idcirco cunctis volumus innoteſcat, quod ad honorem Dei, ſanctæque Eccleſiæ, rogati à Gervaſio venerabili Remorum Archiepiſcopo ſtatuere cogitemus. Remis fuit in honore ſanctorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Eccleſia non longè à domo Archiepiſcopali remota, quam rebus plurimùm locupletata, non minimo Canonicorum cœtui, ad ea quæ neceſſaria erant, affluentiſſimè ſuppetebat, verum occaſione comperta raptorum ſacrilega manus ſibi arripuit quæ ſanctuario illi collata erant ad utilitatem ſeruorum Dei, undè locus rebus & congregatione viduatus, ad tantam redactus eſt penuriam, ut tecto vetuſtate conſumpto, parietibus incuriâ diſſipatis, in quodam ejus angulo ſolum altare unum vix à pluuia protegeretur. Sed cum Archiepiſcopus ſæpenumero indè tranſitum faceret, & ruinâ viſâ ſanctitatem Martyrum in memoriam reuocaret, non potuit eſſe otioſum, quod tantus vir ſe facturum crebro propoſuiſſet. Cæpit igitur parietes gelu & imbri exeſos renouare & exaltare, tecta altiora erigere, & OPVS PRIORI SVMPTVOSVM, multò ac venuſtius vigilantia inſtanti ædificare, refectorium, dormitorium, & cæteras ædes ſervorum Dei neceſsitati accommodas à fundamentis conſtruere, fratres idoneos quotquot poterat ſub beati Auguſtini regula Deo militantes ibi congregare, & unde victus eis & veſtitus ſufficeret, prudentiſſimè prouidere.

Omnibus ad votum Deo opitulante completis, noſtram ſupplex rogat Regiam majeſtatem, ut ſanctuarium iſtud noſtræ auctoritatis ſcripto muniamus, ne bona quæ labore non modico ei ipſe acquiſiuit, malorum ut quondam violenta cupiditas diripiat, atque diſpergat. Itaque nos ejus precibus acquieſcentes quæ ſequuntur noſtri Præcepti ſtatuto ei perpetuò poſſidenda decernimus, beneficium quod Oblatrices tenebant quas quadragintarias vocabant, quia non ſatis conuenienter viuebant, viſum eſt Archiepiſcopo ut melius ordinaretur. Dedit igitur iſti loco quod nos perenniter illi habendum ſtabilimus, atque confirmamus. Largitus eſt etiam liberalis Præſul decimas omnium reditnum ſuorum ad ciuitatem pertinentium, ſcilicet domus Archiepiſcopalis, cenſus ciuitatis, Mercati, Nundinarum, Teleonorum, Molendinorum, auium, piſcium, urſorum, & cæterarum venationum, donauitque pariter & vini decimam ad domum Epiſcopalem pertinentis, nec-non & CAPITALICIORVM & cenſuum ad miniſterium Vicedomini pertinentium, pari denique modo Villarum Culmiſiaci, Nouianti, Calmiſiaci, Curpeuillæ. Suburbijs verò quæ circa prædictam Eccleſiam ſunt eam nihilominus voluit eſſe donatam. Quatuor autem in locis vineas ei acquiſiuit, in monte videlicet Ledalphi, Camculæ, Camerei, in monte ferrato. Hæc & ſi quæ alia, huic Eccleſiæ per hunc prudentem Pontificem, vel per alios probos viros acquiſita ſunt uel acquirenda in regno cui auctore Deo præſidemus, cuncta ſtabilimus atque confirmamus. Vt autem hujus roborationis ſcriptum in Eccleſiæ defenſione, perpetuis valeat temporibus, manu noſtra ſolemniter firmamus atque annulli noſtri ſigillo roborari mandauimus.

Vetat

Sunt mancipia quæ quotannis tributum ſoluere tenebantur. Sic Charta Flaviac. Monaſterij apud Andr. du Cheſne in hiſt. du Verg. fol. 25 Archiviſa & filios ſuos ſub eo cenſu ut maſculi denarios 4. de capite Annis ſingulis per ſoluant.

Sine data.

SANCTI DIONISIJ REM. MONASTERIUM *An.* 1067.

Vetat Pontifex ne bona Eccleſiæ à Gervaſio conceſſa quiſpiam auferat, liberamque indulget eligendi Præpoſitum facultatem.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Præpoſito Eccleſiæ ſanctorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Remis ſitæ, dilecto filio ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Pia poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Proindè juxta petitionem Confratris noſtri Gervaſij venerabilis Rem. Archiepiſcopi, Eccleſiæ beatorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleuterij, quæ à præfato Gervaſio Archiepiſcopo & ædificijs, & munificentijs recuperata (cui in Canonica Congregatione ſub regula Beati Auguſtini præeſſe dignoſceris) hujuſmodi privilegium præſenti auctoritatis noſtræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, ſtatuentes nullum Regum, nullumque Antiſtitum, nullum quacunque præditum dignitate vel quemquam alium de his quæ eidem Eccleſiæ à Præfato Gervaſio Archiepiſcopo vel ab alijs fidelibus jam donata ſunt, & in futurum fuerint collata ſub cujuſlibet cauſæ, occaſioniſque ſpecie minuere, vel auferre, ſuis uſibus applicare, vel alijs pijs cauſis pro ſuæ malitiæ excuſatione concedere, ſed cuncta quæ oblata ſunt, vel offerri contigerit, tam à te quam ab eis qui in tuo officio locóque ſucceſſerint, à tempore præſenti illibata, & ſine inquietudine aliqua poſſidere, eorum tamen uſibus pro quorum ſuſtentatione, gubernationéque conceſſa ſunt, modis omnibus profutura.

Item conſtituimus ut obeunte te, vel poſt te, aliquo ejuſdem Eccleſiæ Præpoſito, non alius ibi quacumque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem Remenſis Archiepiſcopus cum omni aſſenſu ejuſdem Eccleſiæ Canonicorum ſecundum Dei timorem elegerit ac prouiderit ordinandum. Hoc quoque capitulo præſenti ſubjungimus, ut locum avaritiæ ſecludamus, nullum de Regibus, nullum de ſacerdotibus, vel quemcumque alium per ſe, ſuppoſitámque perſonam de ordinatione ejuſdem Præpoſiti, vel quibuſcumque cauſis ad Eccleſiam ipſam pertinentibus audeat in auro vel in alia qualibet commodi ſpecie quicquam, neque eundem Præpoſitum ordinationis ſuæ cauſa darè præſumeret, ne hac occaſione ea quæ fidelibus pijs locis offeruntur, aut jam oblata ſunt, conſumantur.

Idem vocatur in gratiam Abbatum S. Nicaſij ab Alexandro ſimilis diplomate, ſed ſine data in nono Chartulario.

Et quoniam multæ occaſiones in deceptione religioſarum perſonarum à prauis hominibus exquiruntur, Præpoſitum prædictæ Eccleſiæ nullo modo priuandum, deponendúmque eſſe cenſemus, niſi ſpecialiter cauſâ criminis exigente. Vnde neceſſe eſt ut ſi qua contra eum hujuſmodi querela ſurrexerit, non ſolus Archiepiſcopus Rem. cauſam examinet, ſed adhibitis ſibi alijs Epiſcopis ſuis ſubtili hoc inueſtigatione perquirat, quatenus cunctis concorditer judicantibus canonicæ diſtrictionis cenſurâ aut reum facere, aut innocentem poſſit abſoluere.

Quoties tamen Præpoſitus prædicto Eccleſiæ Epiſcoporum præjudicio ſe grauari præuiderit, Apoſtolicam ſedem liber appellet, vel cum pro hujuſmodi præjudicio, vel pro utilitate Eccleſiæ ſuæ ad Romanum Pontificem venire voluerit, ei modis omnibus liceat. Hæc ergo omnia quæ hujuſmodi decreti præcepti-ve noſtri pagina continet, tam tibi, quam cunctis qui in eo in quo es ordine locóque ſucceſſerint, vel eis quorum inter eſſe poterint, in perpetuum ſeruandum decernimus. Si quis vero Regum, ſacerdotum, Iudicum ac ſæcularium perſonarum hanc noſtræ conſtitutionis paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe diuino judicio exiſtere de perpetrata. . . . . cognoſcat, & niſi ea quæ ab illo malè ablata ſunt reſtituerit, vel digna pœnitentia illicita deterſerit, à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat; cunctis autem eidem loco jura ſeruantibus ſit pax Dom. N. I. Chriſti quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiat, & apud diſtrictum judicem

judicem præmia æternæ pacis inueniat. Scriptum per manus Octauiani Scrinij, & Notarij ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM *An.* 1067.

Datum Lugduni nonis Julij Pontificatus noſtri anno quarto. . . . . .

Ne ſcrupulus ſuboriri poſſit circa Pontificium hoc diploma quod ipſius exordium ſumptum ſit ex bullis Paſchaſij II. quod item Præpoſitus Beati Dionyſij de more ibi non nominetur, & quod Alexander II. hujus privilegij auctor non legatur veniſſe in Galliam, ſed Alexander III. certum tamen mihi eſt Pontificem quicúmque ille ſit Gervaſij conſilium de inſtauranda B. Dionyſij Baſilica comprobaſſe ut ipſemet Gervaſius diſertè retulit in Charta præcedenti, & poſtmodum Innocentius IV. agnovit, cujus extat reſcriptum in tablinio Sandionyſiano, quin & Ludovicus VII. beati Dionyſij renovationem ab Alexandro Pontifice & à Philippo I. ſcriptis, laudatam fuiſſe Regia Charta teſtatur, quam hîc præfigendam duximus, quo dictis fides major accedat.

Ludovici Regis præceptum de foſſatis à porta Vidulæ ad portam Baſilicarem.

LVdouicus Dei gratia Francorum Rex, & Dux Aquitanorum, Vrſioni Abbati Eccleſiæ Regularium Canonicorum beati Dionyſij ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum. Ex priuilegiorum lectione, & venerabilium perſonarum relatione cognouimus, quod fœlicis memoriæ Geruaſius Remorum Archiepiſcopus, Eccleſiam ſecus muros Remenſis ciuitatis ſitam in honore beatorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij funditus renouauit, & ibidem Canonicos qui ſecundum regulam beati Auguſtini viuerent poſuit. Eidem autem Eccleſiæ plurima beneficia contulit, quæ priuilegio bonæ memoriæ Alexandri Papæ confirmari fecit. Rex etiam Philippus auus noſter precibus prædicti Archiepiſcopi Geruaſij, eidem Eccleſiæ cuncta quæ ei collata fuerant atque conferenda, præcepti ſui regiâ auctoritate confirmauit.

Nos verò ipſius veſtigijs inhærentes, eadem præcepto noſtro eidem Eccleſiæ confirmamus, hoc ſpecialiter adjicientes quod quidquid in foſſatis & muris à porta Vidulæ uſque ad portam Baſilicam, præter cœmeterium quod non eſt noſtri juris, ex donatione Regum & Archiepiſcoporum Remenſium obtinetis, concedimus, & perpetuo jure tenenda firmamus. Porrò quæcumque ædificia, quæcumque viridaria in prædictis foſſatis facta ſunt vel de cætero fient juri ac Dominio ipſius Eccleſiæ perpetuo tenenda ſubjicimus, ita videlicet quod nec nobis nec alicui ſucceſſorum noſtrorum facultas ſit prædictæ Eccleſiæ illa auferre, aut aliquas exactiones vel conſuetudines indè exigere. Vt autem hæc noſtra conceſſio & conſtitutio illibata permaneat, & inconuulſa, ſigilli noſtri impreſſione & probabilium Perſonarum atteſtatione eam muniri præcepimus. Actum Remis publicè in Palatio, anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo trigeſimo octauo, Indictione prima, regni noſtri ſexto, aſtantibus in Palatio noſtro quorum nomina ſubtitulata ſunt, & ſigna. Porta Vidulæ.

Signum Rodulfi Viromanduorum Comitis, & Dapiferi noſtri.
Signum Guillelmi Buticularij. Signum Hugonis conſtabularij.
Data per manum Algrini Cancellarij.

ALexandri igitur, ac Philippi Regis obtento conſenſu, Gervaſius beatorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Eccleſiam ſumptuoſo (ut dicitur) opere à ſe inchoatam, eamque prædijs affatim ditatam, ad exitum fœliciter perducens, ſolemni ritu 4. Idus Septembris dedicavit, ut habet S. Timothei Rem. Martyrologium, regularibus ibi conſtitutis Canonicis, quibus hanc

SANCTI DIONISIJ REM. MONASTERIUM *An.* 1067.

hanc perenni jure, cum omnibus bonis ad horum usum liberaliter concessis possidendam reliquit. Ex quo velut indubitatum colligimus Gervasium alijs præripuisse palmam, qui Canonicis Regularibus S. Augustini regulam profitentibus, hoc sæculo Gallicis urbibus aditum præbuêre, cum à reformatione Lateranensis Collegij, nullus in Gallia cum certo legatur præcessisse, quod capite sequenti clarius adhuc constabit.

An Gervasius omnium primus in suam Diœcesim Regulares Canonicos invexerit?

CAPUT XLII.

Vide S. Bern. Epist. ad fratres de Mont. Dei.

ORDINIS Canonicorum Regularium natales quærere quos ad ipsius nascentis Ecclesiæ cunabula sat appositè quidam referunt, non est hujus operis, vetus hæc & illustris origo vitæ socialis, consilia Evangelica profitentis quæ tunc sub Apostolis claresçere cœpit, cuilibet ordini communis, eoque collinearunt hactenus quoquot extant in Ecclesia Regulares familiæ.

Recudendum quoque hîc anxius non puto, quod operosius quidam perscrutantur, an. B. Augustinus Regulam Epist. 109. contentam perindè viris ac Monialibus instituerit? licet non desint qui pro certo hoc asserant, ut Richardus Cenomannus in Antidoto contra censuram Erasmi, id usquequaque indubitatum non est nec satis compertum. Potuit enim S. Augustinus in Clero reformando sibi nascentis Ecclesiæ statum velut spiritualis vitæ speculum proposuisse, eúmque diligentius inculcare absque cujusvis præscriptæ Regulæ adminiculo. Quod à veteribus Ascetis pariter factum fuisse reor qui vitam verè Apostolicam persecutionum turbinibus sublatam, postliminiò per Gallias revocarunt. Ut enim hi præter consilia, Neophitis nihil præscripsisse legimus, usque ad vulgatas sanctorum Regulas seu constitutiones quibus posteri collum liberè submiserunt, sic Clericis qui dudum pro norma vitæ Canones habuerant, Regulam Velatis ab Augustino traditam sensim in suum commodum vertere facile fuit, quod à sexcentis & septuaginta circiter annis inchoatum, haud vulgaris doctrinæ viri ex ipsa Conciliorum lectione probabiliter arbitrantur.

De Regula B. Augustini Pontificum Epist. Rem. Ecclesiæ statuta, Concilium Lateran. sub Alexandro 3. Fundationis tabula, Regúmque diplomata ante An. 100. omnino non loquuntur.

Et ut non excurram longiùs, certissimum puto veteres Clericos intra Regionis Belgicæ fines, tam in Cathedralibus quam Collegiatis Ecclesijs sub Abbatibus, Præpositis, ac Decanis vitam ducentes, Augustinianis statutis velut propriæ Regulæ neutiquam fuisse adscriptos, cum senescente apud eos disciplinâ, nec Rigobertus Remorum Archiepiscopus, nec Crotegandus Metensis, nec item Patres Leptinensis Concilij sub Carlomanno Majore hanc ipsis observandam exhibuerint, ut Monachis exhibuêre benedictinam, imo (quod mirum est) Episcopi Ludovici Imperatoris jussu Aquisgrani Palatio convocati pro reformatione Cleri, ad eam peculiariter non provocarunt, sed æque ad dicta Patrum Isidori præsertim, Ambrosij, Hyeronimi, quam Augustini, è quibus vernantes flosculos carpendo, è diversis pratis fasciculum texuêre, quem ut quisque manibus terere posset, ad calcem Martyrologiorum veteres describi curarunt ut recens initiati Canonici vitæ speculum in promptu haberent, eique commodius conformarentur, hoc adeò certum quibusdam videtur, ut Regulares Canonici sancti Antonini Rutenensis (sub initium forsan reformationis Clericorum, quæ annis præsertim 1080. 1090. 1100. claresçere cœpit) hæc vovendi

Ex Capitular. lib. 1. cap. 25.

...ensi forma usi fuerint, *Ego N. promitto stabilitatem in hoc loco, profiteor Clericalem & vitæ sanctitatem, & communiter viuendi societatem, secundum constitutiones beati Augustini, Hieronymi & aliorum Patrum, &c.* Quod à veterum Clericorum norma distinctum aliquid non continet, imo nil hos verè Augustinianos peculiariter fuisse arguit. At apud Sandionysianos Remenses, quos in Gallijs vetustiores puto qui Augustinianæ regulæ jugo collum subjecerint, longè alia his præscripta fuit profitendi forma, quæ si ritè expendatur novum velut ordinem constituit his verbis, *Promitto castitatem, paupertatem, & obedientiam secundum regulam sancti Augustini, & constitutiones hujus Monasterij.*

Libello de præcipuis urbis Romæ Basilicis.

Ex obiter dictis augurari licet Augustini regulam solitariè sumptam cis Alpes à paucis omnino tritam fuisse ante sæculum Alexandri II. qui referente Onufrio primus eam in Lateranensem Ecclesiam invexit, *Canonicorum,* inquit, *ordinem dilabentem Laterani juxta beati Augustini regulam post multa tempora, primus omnium Pontificum reformavit Alexander Papa II. qui ante Pontificatum regularis fuerat, in amplissimam dignitatem, vitæque splendorem restituit.* Scio auctores aliquot docere Augustinianos Clericos in Belgio antiquiores esse, scribunt enim Sanmarthani post annales Hannoniæ, Rothaldi Cameracensis Episcopi consilio Arnoldū de Valēcennis Canonicos regulares S. Augustini sæcularibus substitutos fuisse an. 990. in Ecclesia S. Joannis: at gratis id asserunt cum Baldericus cujus auctoritate nitūtur, Canonicos XII. simpliciter & sine addito Arnoldū instituisse referat.

Vide Balder. lib. 2. Cap. 30 Vbi de Canonicis S. August nihil refert.

Si tamen inquiras quî fieri potuerit, ut de novo prædicti ordinis Monasteria incœperint sine ductore qui regulam Tyronibus submministraret, responderi facile postet in eo potissimùm elucere divinam providentiam, quæ nusquam passa est celebre sodalitium à sui instituti tramite deflectere, quin statim suscitaret viros pietate & doctrina spectabiles, & ad lapsum aliqua reformatione reparandum idoneos, ut reipsa factum est cum major pars veterum Canonicorum tædio vitæ communis Canonicæ disciplinæ jugum excuteret, tanti ordinis inclinationem molestè ferentes quidam Episcopi in hoc maximè incubuerunt, ne ab Ecclesia penitus excideret; undè ad beatum Augustinum, qui in eo promovendo mirificè excelluerat, recurrendum fuit, quod præcepta ab eo tradita majorem haberent cum statutis pridem ab antiquioribus Canonicis observatis conformitatem. De Italis nihil dico, sed inter primos quis cis Alpes huic operi fœliciter manum admoverunt, Gervasius Remensis merito accensendus est, cui forsan cum innotuisset Canonicalem vivendi modum in Italia rursum reflorescere Alexandri II. studio, ad quem sæpius rescripserat, hunc pariter in Cœnobio suis impensis restructo instituendum censuit, viris à se delectis ibi collocatis, quos Odalrico majoris Ecclesiæ Præposito commendavit, sicque ex ipsa Chronologia patefecit Remenses Sandionysianos præcipuum antiquitatis gradum mereri, vel saltem præcessisse Bellovacenses, qui hactenus omnium primi reputantur.

Sigebertum aliud sentire non me latet ad annum 1078. *Ab hoc tempore,* inquit, *cæpit reflorere in Ecclesia beati Quintini Beluacensi Canonicus ordo, primùm ab Apostolis, postea ab Augustino Episcopo regulariter institutus sub Magistro Ivone venerabili ejusdem Ecclesiæ Præsbytero,* Quod conforme est ijs quæ paulo ante dixerat, anno scilicet 1069. *Guido Beluacensis duobus annis perfectam dedicauit Eccleſiam in honorem Aduocati sui Quintini Martyris 4. nonas Octobris.* Sed his potiora sunt monumenta quibus clarissimè patet Gervasium palmam prædicto Ivoni præripuisse, maximè si fides habeatur superiùs à nobis descriptæ narrationi quæ tradit Canonicos regulares S. Dionysij priùs collocatos fuisse apud S. Nicasium quod anno 1065. contigisse omnino necesse est.

SANCTI DIONISIJ REM. MONASTERIUM.

Deindè refert Valſeburgus in vita Theodorici 43. Virdunenſis Epiſcopi Gervaſium ad Synodum Mantuanam vocatum Virdunum perrexiſſe, ut ſimul cum prædicto Theodorico Romam iter faceret, ac completa Synodo in Galliam reverſos, civitatémque Remenſem adeuntes, viſitaſſe ſepulchrum ſancti Remigij, cui Theodoricus Capellam ſuam argenteam dono dedit, mox Cœnobium Sandionyſianum ubi Gervaſius haud ita pridem Canonicos regulares S. Auguſtini inſtituerat. Cum autem Concilium illud coactum fuerit an. 1065. ex platina & Genebrardo vel anno 1064. juxta Baronium, apertè ſequitur Gervaſium in Gallia Auguſtinianis ſodalitium conſtituiſſe ante Ivonem, quamvis quidam ſcriptores aliter tradant amore potius quam ex fide.

De Juribus, Privilegijs, ac regimine Monaſterij ſancti Dionyſij Remenſis ordinis ſancti Auguſtini.

CAPUT XLIII.

REMIS itáque ſtabilito Regularium Clericorum ſodalitio inſignis Gervaſij munificentia abundè locupletato, incredibile dictu eſt quam brevi Alumnorum multitudine coaluerit, plæriſque è Clero ſanctioris vitæ fama pellectis in illud velut in ſalutis portum convolantibus, Epiſcopi quoquè quo fideles per Campaniam ſparſi ſubſidium ab his reciperent, has divinæ gratiæ primitias tot altarium & prædiorum conceſſione promoverunt, ut ſub primis Rectoribus Monaſterium affatim habuerit pro alenda regularium numeroſa communitate, quorum major pars ſeriò ſcripturarum lectioni incumbens per curalia beneficia à ſuperioribus miſſa vivacioris doctrinæ rorem effundebat.

Inter inſignes qui calcatis mundi illecebris huic militiæ nomen dederunt, meritò eminet Manaſſes 2. ut opinor Remorum Archiepiſcopus, cui hæc novella plantatio, quam beneficijs auxit atque ditavit, tam cara fuit ut videatur liberius Deo famulandi deſiderio, Canonicalem humilitatem Epiſcopalibus infulis ante obitum prætuliſſe, cujus ſinceræ traditionis ritus eò luculentior eſt, quod extet adhuc ante maius altare tumulus marmoreus, cui inſculpta eſt effigies Archiepiſcopi cum verſibus cap. 19. lib. 2. relatis qui Manaſſem indigitant.

Hi paſſim notantur Necrologio primaria Eccleſiæ & in Sãdionyſiano & in Charta Rodulfi Viridũ An. 1124. Adam Canonicum S. Mariæ cognomẽto magnum, dedit ſeipſum Eccleſiæ S. Dionyſij.

Adamus item Matricis Eccleſiæ Canonicus (quẽ cum Rodulfo Viridi Archipræſule neceſſitudinis glutine conjunctum teſtantur Epiſtolæ Sancti Brunonis ejuſdem pariter ſtudioſiſſimi) huc etiam appulit ut ſecurius contra mundi Principem in mortis agone decertaret. Idem præſtitit Petrus de Riga vir magni nominis & eruditione clarus. Odalricus quoque, Anſelmus & alij permulti, qui odore ſanctitatis & inculpatæ vitæ illecti, priores ſecuti ſunt, eo præſertim tempore quo Canonicalis ordo peſſum ibat in pleriſque Collegijs, multique flocci penderent ordinibus initiari. Unde fit ut in veteri membrana legamus primariam Remorum Eccleſiam, quæ alias in ſacrorum rituum divini cultus obſervantia præcellebat, celebrantium penuriâ laborantem ab Abbate S. Dionyſij ſuppetias poſtulaſſe, Religioſos ſcilicet benè inſtructos qui intereſſent choro, Miſſámque in ſummo altari per vices agerent, cui libenter annuit modo id fieret ſine detrimento jurium ſui Monaſterij ut acta probant an. 1299. quæ reddemus poſtea.

Ob

Digitized by Google

Ob id longè ſtrictior inter utróſque ſocietas compacta eſt, permiſſúmque feſtis ſolemnioribus (majori Miſſæ & Veſperis omnes cum Canonicis intereſſent) in refectorio ſimul epulari. Fœderis hujus Autographum extat in veteri directorio, ubi Sandionyſiani, *Cum fratres vocantur, Conchoriales & Eccleſiæ Remenſis fideles amici.* Ex quo pariter elicitur Canonicos Remenſes poſt ſolutam communitatem, ne priſtini moris memoriæ ſtatim excideret, certis diebus in refectorio comedere conſueviſſe. Directorij verba referam. *Quod ſi anno aliquo vel annis aliquibus in feſto purificationis nos comedere in dicto refectorio contigerit, dicti Religioſi more nobiſcum ſolito comedent, eiſque vitæ neceſſaria miniſtrare tenebimur ſicut fieri conſueuit, prouiſo etiam quod ſuis comedamus illo feſto in iſto refectorio, ſiue non, nihilominus more ſolito ad Eccleſiam noſtram proceſſionaliter venient, & venire tenebuntur dicto feſto & alijs conſuetis, & intereſſe nobiſcum ſicut hactenus eſt conſuetum.*

SANCTI DIONYSIJ TERIUM. REM. MONASTERIUM.

Ex hac ſocietate, veterique certis diebus in choro intereſſendi conſuetudine, factum credunt Dionyſiani quod in conſuetis ſupplicationibus cum alijs capitulis vocati, Crucem præferre non ſoleant, incedántque ſub vexillo majoris Eccleſiæ, quaſi ex utriſque unicus fiat cœtus, quod Abbas vel Prior aut inſignioris Doctrinæ quidam ex ſenioribus antehac Rem. Archiepiſcopi Pœnitentiarius eſſet ex veteri codice, ubi forma recipiendi eos quibus olim publica injuncta pœnitentia Latinis exprimitur, quod item Abbas velut pœnitentiarius die Jovis majoris Hebdomadæ tam in Eccleſia Cathedrali, quam apud Moniales S. Petri in hoſpitali beatæ Mariæ abſolutionem conferret, *ab abſolutione*, inquit, *Canonicorum facta vadit Abbas ad oſtium Chori & facit populum dicere culpas ſuas, & abſoluit eum, poſtea ad Monaſterium S. Petri ad Moniales, deindè ad hoſpitales Beatæ Mariæ, ultimo ad hoſpitale noſtrum, & reconciliatis pœnitentibus & abſolutione facta in locis dictis, redit Abbas ad Eccleſiam, & pulſatur mandatum.*

Ex Rituali S. Dionyſij & veteri MS. pag. 61.

Hoc Pœnitentiarij munus Abbas obijſſe legitur uſque ad Cardinalem de Bellaio qui Regis nominatione Abbatiam obtinuit in commendam, tunc enim cum præſens non adeſſet, ad Priorem jus illud ſeu officium devolutum eſt, in eóque religioſè permanſit, uſque ad erectionem Pœnitentiariæ in dignitatem Eccleſiaſticam. Locus Pœnitentiario deſignatus adhuc viſitur in navi Eccleſiæ S. Dionyſij ſub fornicis curvatura, ubi ſupra Cathedram Canonici cujuſdam effigies in pariete depicta eſt, qui confeſſionem excipit pœnitentis.

Ad Sandionyſiani Abbatis prærogativam illud pariter accedit, quod privilegiorum Capituli Remenſis ſit conſervator ex actis Capitularibus anni 1443. menſe Aprili, unde in litteris unionis Curiæ ſpiritualis quæ fuit majoris Archidiaconi, penſio annuatim ipſi debita ab Archiepiſcopo pro indemnitate ſolui debet S. Dionyſio. His annectendum eſt prædicto Monaſterio theſauros urbis, opes civium, & Chartas olim creditas fuiſſe ac depoſitas ex ſupplici libello ſcabinorum Remenſium quem ſanctæ ſedi Apoſtolicæ obtulerunt poſt exceſſum Bertrandi de Nocumento Abbatis. Sic enim veteres Galli teſtamenta ſua locis ſacris deponebant, quod ea cuique etiam hoſtibus infringere, aut temerare nefas eſſet. Sic Dagobertus autographum ſui teſtamenti miſit ad Canonicos Pariſienſes & Lugdunenſes, ut hujus cuſtodes eſſent. Sic & in tabularijs Monaſteriorum Chartas ipſi vidimus, quæ jura & libertates pagorum viciniæ continebant. In Chartulario quoque Remenſi habetur. *Ciues Remenſes audito nuntio Pictauienſis pugna Gallis infauſta, regalem pecuniam è vectigalibus prouenientem apud S. Dionyſium depoſuiſſe, ut indè ſecurius ad Delphinum mitteretur. Et in teſtamento Richardi de Pica Remorum Archiepiſcopi, legimus Abbati Sandionyſiano pro operiendo & claudendo theſauro, candeliſque ſubminiſtrandis quatuor libras reliquiſſe.*

SANCTI DIONISIJ REM. MONASTERIUM.

Quod ſpectat ad regimen clauſtralis obſervantiæ, Abbas ſub ſe Priorem & Subpriorem habuit, ſelectúmque ſodalem pro divini cultus directione, ac Necrologij quem antonomaſticè φλογιλω vocant. Res Monaſterij per Præpoſitum gerebantur lectum à Capitulo, & amovibilem, Hoſpitali præerat Eleemoſinarius, Theſaurarius Eccleſiæ ſuppellectili, ac Parochiæ Monaſterio obnixæ, cujus Abbas & Conventus ſunt Rectores primarij. Prædicti Officiarij rationem ſingulis annis reddere tenebantur, erántque conſiliarij nati cum Priore, & Granatario, quos in rebus majoris momenti Abbas conſulere ſolebat. Horum habitus ut cæterorum prædicti Monaſterij, erat ſuperpellicium candidum talare, quale Stephanus Tornacenſis deſcribit. Epiſt. 123. eóque per urbem incedebant æſtatis tempore cum pileo quadrato Clericali, & almuſio exterius nigri coloris.

Monaſterij Cartophilacium multis ſummorum Pontificum privilegijs refertum eſt, ſed vulgaribus, & quæ ut plurimùm ſæculi acerbitatem notant, ſolemne enim erat Abbatibus jurium confirmationem à ſancta Sede ſtatim poſt novi Pontificis promotionem poſtulare, quo ſe contra frequentes vexationes, interdicta, alioſque abuſus, quæ circa annum 1250. mirè pullularunt, facilius tuerentur. Horum hæc ſumma eſt. 1. Scilicet, ne Sandionyſiani compelli poſſint ad conferendum vel admittendum aliquem in beneficijs per reſcriptum Apoſtolicum abſque expreſſa ordinatione ſummi Pontificis 2. nec item ad debita ſolvenda, niſi oſtendatur effectivè contracta fuiſſe ad utilitatem Monaſterij 3. Privilegia à ſancta Sede obtenta rata eſſe & perfecti valoris, licet per ſimplicitatem vel ignorantiam juris ijs per aliquod tempus Religioſi uſi non fuerint. 4. Abbatem, Priorémque clauſtralem poſſe abſoluere Religioſos ab omnibus caſibus reſervatis minoribus pœnitentiaribus urbis Romæ. 5. Conventum jus habere novalia percipiendi, ubicumque majores decimas poſſidet. 6. licitum non eſſe cadavera pauperum hoſpitalis qui peſte abſumpti ſunt, in cœmeterio Sandionyſiano inhumare, modo ſuis ſumptibus exhibeant locum ab Epiſcopo conſecratum. 7. Abbatem cogi non poſſe perſonaliter adeſſe Synodis quæ extra Diœceſim congregantur propter Parochias à ſuo Monaſterio dependentes, ſed ſufficere ut Procuratorem mittat. 8. Religioſos qui regulam profeſſi ſunt in prædicto Monaſterio, abire non poſſe prætextu ſtrictioris vitæ ſine licentia Abbatis. 9. libitum eſſe Religioſis officium divinum celebrare tempore interdicti generalis ſubmiſſa voce, & Januis clauſis, modò eorum cauſa latum non fuerit. 10. ſanctum chriſma & ſacros ordines percipere poſſe ab Epiſcopo Diœceſano in forma conſueta. 11. Nemini licere Capellam vel Oratorium extruere intra limites ſuæ Parochiæ. 12. Cuilibet perſonæ licitum eſſe ſepulturam eligere in eorum Eccleſia modo ab omni cenſura ſit immunis. 13. Abbatem & Conventum poſſe decimas à Laïcis poſſeſſas, & à ſuo Monaſterio dependentes pretio redimere. 14. Defuncto Abbate Religioſis liberum eſſe alium ſubrogare juxta præſcriptum ſancti Auguſtini. Hæc ultimo à nobis adjecta, in bullis Innocentij IV. & Clementis V. quæ Prioribus prolixiores ſunt, cum bonorum temporalium indice ſpecialiter continentur.

Tandem Gregorius VII. rogatus ab Abbate & Conventu, ut regimen Monaſterij ſua auctoritate comprobaret, Diplomate 3. ſui Pontificatus Avenione dato prohibet juxta receptum morem ne Abbas in proprium uſum vertat bona Monaſterij, ſed à Præpoſito recipiat, quod ſibi opus erit ad honeſtam ſuæ perſonæ ſuſtentationem. Et ne prædictus Abbas ulli omnino habitum Religionis conferat, ſive de officijs vel beneficijs Monaſterij diſponat, aut quemcúmque Archiepiſcopo præſentet ſine diſcretorum conſenſu, &c. His legibus Pontifex veluti propugnaculis muniendam cenſuit regularis obſervantiæ œconomiam, quæ ad nos uſque ſub moderato & ſatis

lauda-

Digitized by Google

laudabili regimine viguit, donec Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium ſtatuta in eo PP. ſenioribus conſentientibus recepta ſunt. SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM.

Cæterùm cum Abbatem S. Dionyſij ſupra dixerim Pœnitentiarium natum fuiſſe Remenſis Eccleſiæ, non abs re erit hic annectere quæ habentur in veteri manuſcripto de ritu ſuſcipiendi publicè pœnitentes in capite jejunij, eoſdemque abſolvendi in Cœna Domini.

Abſolutio Pœnitentium in capite Jejunij, & modus quo procedendum eſt.

Ex veteri Ms. S. Dionyſii Rem. fol. 1. 12 & 15.

OMnes pœnitentes qui publicam ſuſcipiunt aut ſuſceperunt pœnitentiam in capite jejunij, die Cinerum manè ſaccis induti, vultibus in terram demiſſis, nudis pedibus, coma raſa, reos ſe eſſe in ipſo habitu & vultu proclamantes in ſignum quod de cætero debent habitu religioſo vivere, exceptis tamen mulieribus in ſignum ſubjectionis veſtibus mutatis in virili habitu & triſti, ſeu ſaccis indutis, aut groſſa tela, candelis cereis non accenſis in manibus ſuis conveniunt in Eccleſiam noſtram ſancti videlicet Dionyſij, & ad nutum Pœnitentiarij, omnes ipſum ad Eccleſiam Cathedralem ſequuntur, quibus introductis per eundem Pœnitentiarium, idem Pœnitentiarius in dicta Eccleſia Cathedrali cum ſibi famulantibus ſub alto pulpito dictæ Eccleſiæ juxta ingreſſum chori induit ſuperpellicium, ſtolam accipit, & cappam, quæ omnia ſecum defert, deindè accedit ad Cathedram ſibi paratam juxta Petram dictam la Roüelle, quam illic debet præpare pulſator Campanarum chori, ibique idem Pœnitentiarius flexis genibus, candelis pœnitentium accenſis, eiſdem pœnitentibus in terram proſtratis incipit & dicit ſubmiſſè ſicut in domo ea quæ ſequuntur.

De publica hac Pœnitentia extat can. 15. Concilij Agathenſis, quem beatus Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatibus copioſius exponit fol. 902. Edit. Baſil. An. 1562.

Deus in adjutorium meum intende, deindè pſalmos Pœnitentiales, Litanias, Orationes, ſeu collectas, Miſereatur, Indulgentiam, tum abſoluit hoc modo, ***Benedictio Dei Omnipotentis, Patris † & Filij † & Spiritus ſancti † deſcendat ſuper vos & maneat ſemper.***

His dictis Pœnitentiarius Cineres benedicit incipiens, ***Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Oratio. Deus qui non mortem deſideras peccatoris, &c.*** & aſpergit aquâ benedictâ, poſtea cineres imponit capitibus pœnitentium, & aliorum recipere volentium, tum cilicio pœnitentium capita ſeu colla eorum operit, & cum dolore eis denuntiat, quod ſicut Adam per peccatum inobedientiæ quod commiſit comedendo de fructu ſcientiæ boni & mali ſibi vetito ejectus fuit à Paradiſo terreſtri, ita etiam ipſi pœnitentes ob peccata ſua ab Eccleſia ejiciuntur.

Deindè Pœnitentiarius pergit ad januam majorem dictæ Eccleſiæ Cathedralis ipſum ſequentibus pœnitentibus, & pergendo dicit Reſponſorium voce intelligibili. ***In ſudore vultus tui veſceris pane tuo,*** quo dicto Pœnitentiarius omnes pœnitentes qui cum proceſſionaliter quaſi ſecuti fuerant, per manus vel per brachia arripiens ipſos per oſtium prædictum ſeu januam foras educit, quibus eductis, eis claudit oſtium ad tergum, & revertuntur ad Eccleſiam noſtram ſancti Dionyſij undè venerant, candelas prædictas cereas tenentes accenſas in manibus, quas in dicta Eccleſia ſancti Dionyſij dimittunt, tunc Pœnitentiarius revertitur ad deponendum habitum ad locum in quo ipſum aſſumpſerat, revertendo, & condolendo calamitati & miſeriæ pœnitentium prædictorum dicit Reſponſorium, ***Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, &c.*** & ſic cappâ, ſuper pellicio, & ſtola depoſitis, Pœnitentiarius revertitur in Eccleſiam noſtram & pœnitentes in patriam ſuam.

Re-

Digitized by Google

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM.

Reconciliatio Pœnitentium in Cœna Domini.

SEdente Pontifice seu ejus Pœnitentiario in sui absentia, vel ejus præcepto præ foribus Ecclesiæ cum habitu Ecclesiastico pœnitentibus cum candelis eminus stantibus cum Archidiacono, vel alio sibi adjutore, ad jussum illius præsentibus dicat idem Pontifex vel Pœnitentiarius, ***Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.*** Et Diaconus ex parte pœnitentium dicat, ***Flectamus genua.*** Tunc omnes pœnitentes stantes genua flectunt. Quo facto Diaconus dicat ex parte Pontificis seu Pœnitentiarij, ***Leuate.*** Similiter agatur secundo,& repentente Episcopo, ***venite filij audite me, &c.*** & Diacono ***Flectamus genua***, ad medium pavimentum solo tenus veniant.

Quando autem tertio Dominus Episcopus, seu ejus Pœnitentiarius annuntiaverit pœnitentibus, ***venite filij***, prosequitur Diaconus ***Flectamus genua***, & mox cum Diacono Pœnitentes corruant ad pedes Episcopi seu ejus Pœnitentiarij, sicque prostrati jaceant, usque dum Dominus Episcopus seu ejus Pœnitentiarius annuntiat Diacono ***Leuate.*** Quibus erectis dicat Dominus Episcopus, seu Pœnitentiarius, cum Clero psalmum ***Beati immaculati in via.*** Postea statim ab Archidiacono seu Diacono dicatur Episcopo vel Pœnitentiario sedente.

Adesto venerabilis Pontifex, vel Pater, tempus acceptum, dies propitiationis diuinæ, & salutis humanæ, qua mors interitum & vita accepit æterna principium, quando in vinea Domini Sabaoth sic nouorum plantatio facienda est, ut purgetur execratio vetustatis. Quamvis enim à diuitijs bonitatis & pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior est per Indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam assumptio renascentium, &c.

Mox surgat Episcopus vel Pœnitentiarius, faciatque omnes ante se sternere, & cum suis adjutoribus modo & forma quibus superius in die cinerum decantet septem psalmos Pœnitentiales, super Cathedram prostratus, quibus dictis sine Litania, dicat sequentes orationes, ***Adesto Domine supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia tua primus indigeo, &c.***

His dictis surgunt pœnitentes, quibus erectis, dicit Diaconus, ***Redintegra in eis Pontifex, seu Pater, quicquid Diabolo suadente corruptum est, & Orationum tuarum patrocinantibus meritis, &c.***

Postea monentur pœnitentes ab Episcopo, vel ejus Pœnitentiario, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent. Et posteà subjungit Antiphonam, ***Venite filij audite me*** & psalm. ***Benedicam Dominum in omni tempore.*** His dictis pœnitentes manuatim ab Archidiacono reddantur Episcopo, & Episcopus reddat Diacono qui ex parte ejus est, & ordinatim congregentur, deindè pergunt ad Petram la Roüelle dictam; omnesque simul prostrati dicant psalm. sequentem, ***Miserere mei***, sub Antiphonâ, ***Cor mundum.*** His completis prosternat se Pontifex vel Pœnitentiarius unà cum pœnitentibus in Oratorio & dicat Letaniam sicut prius, ***Kyrie eleison, Pater noster, Saluos fac seruos tuos***, cum collectis, tum dicit pœnitentibus ut recitent ***Misereatur.*** Posteà dicit ***Omnipotens Deus qui beato Petro Apostolo tuo cæterisque discipulis suis suam licentiam dedit ligandi, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c.*** Benedictio Dei Omnipotentis, &c. Omnibus sic peractis, Episcopus vel Pœnitentiarius aspergit omnes aqua benedicta sinens eos abire ad propria.

Et erunt pœnitentes in Ecclesia ab ista die Cœnæ Domini usque ad octavas Paschæ audientes divina, Communionem tamen seu Eucharistiam, nec pacem recipientes, nec alijs communicent in osculo nisi eis concessum fuerit. Postquas octavas Paschæ exibunt de Ecclesia, & erunt extra usque

ad

Digitized by Google

ad talem diem ſequentem ſacram videlicet Cœnam Dominicam anni ſequentis, & fiet ſicut prius quolibet anno, quo uſque aditus Eccleſiæ eis reddatur. Notandum tamen quod Viaticum omnibus in morte poſitis propter hanc pœnitentiam non eſt denegandum. SANCTI DIONISIJ REM. MONASTERIUM.

Abſolutione facta in die Cœnæ in Eccleſia Cathedrali, Pœnitentiarius habitu depoſito unà cum ſuo adjutore habitum prædictum deportante pergit ad ſanctum Petrum ad Moniales, quem habitum illic induit de novo, & ſuper Cathedram illic præparatam in medio chori Eccleſiæ incipit, *Deus in adjutorium meum intende, &c. Domine ne in furore*, cum ſequentibus, *Miſereatur, Indulgentiam, Benedictio*, ut ſupra. His factis Pœnitentiarius deponit habitum & revertitur in Eccleſiam ſuam.

Quibus ditetur ſanctorum pignoribus Eccleſia ſancti Dionyſij Remenſis.

HAbet imprimis Theſauraria S. Dionyſij fruſtum ligni ſanctæ Crucis in Cruce argentea auro illita.

De ſpongia qua JESUS-CHRISTUS Salvator noſter in Cruce pro omnium ſalute pendens aceto potatus eſt.

De ſepulchro.

Brachium ſancti Leudomeri ſeu Leudomiri Epiſcopi Catalaunenſis, in brachio laminis argenteis cooperto. Sanctiſſimus hic Confeſſor floruit ſub Sigeberto I. Feſtúmque ejus notatur 30. Septembris in Martyrologio Remenſi de eo Cantipra lib. 2. cap. 30. ubi pro Leudomero Ludovicum ponit.

Particulam coſtæ ſancti Martyris Laurentij, cui pariter prædicta ſancti Dionyſij Eccleſia dedicata eſt.

Item os brachij ſancti Laurentij quod Angeli argentei reverenter ſuſtinent, & exoſculandum porrigunt.

Dentem ſancti Dionyſij in imagine prædicti Martyris cranium à Tyranno ferrâ ſecatum ſuſtinente, ut alibi etiam in præfata Eccleſia repreſentatur, quod hoc ſupplicij genus uſitatum fuit ſub Caligula ex Suetonio cap. 27. Arbitror hanc ſacri corporis particulam Dionyſianos obtinuiſſe cum Remos ob infeſtationem Paganorum capſa ejus delata eſt, ut habet Frodoardus liber 1. cap. 24. & lib. 4. cap. 8.

Præter hæc in arca ænea haud paucæ recunduntur reliquiæ quas ex traditione à Patribus accepta putant eſſe quarumdam ex Sodalitio ſanctæ Urſulæ Virginis.

Chronologicum Abbatum ſancti Dionyſij Remenſis ſummarium.

CAPUT XLIV.

ODALRICUS ſcientia & morum probitate clarus, ac Principis Eccleſiæ Remenſis Præpoſitus, Sodalitij Sandionyſiani Rector à Gervaſio conſtituitur anno 1067. ex Charta fundationis. Memoratur in privilegio Prioratus de Argentolio à Philippo Francorum Rege conceſſo, ubi nomen ac titulum Præpoſiti Eccleſiæ Remenſis retinet 1071. ſubſcripſit etiam tabulæ fundationis Monaſterij de Maurimonte ſub Manaſſe Archiepiſcopo. Migrat. 9. Calend. Febr. 1075. ex Necrologio Matricis Eccleſiæ.

Huic

Digitized by Google

SANCTI DIONISIJ REM. MONASTERIUM.

Huic ſubrogatur Hugo Abbatis titulo inſignitus an. 1076. quamvis Canonicorum Regularium Rectores Præpoſiti nomen ad annum 1300. in Italia retinuerint, ut nonnullis placet. Lambertus Atrebatenſis Altare de Stix, ipſo ſedente Monaſterio conceſſit, tantóque amicitiæ nexu cum Hugone conjunctus fuit (quem venerabilis Congregationis invictiſſimi Martyris Dionyſij Abbatem nominat an. 1097.) ut pactum fuerit inter eos, quod ipſis decedentibus ſolemne officium defunctorum, in utrâque Eccleſia viciſſim fieret. Manaſſes Archiepiſcopus ipſi donationes firmavit à Gervaſio & Rainaldo I. impertitas, & à Rogerio Archidiacono; Altaria quoque de Aire, & de Lagny ſuperaddidit an. 1100. Lambertus alter Noviom. Epiſcopus dedit Altare de Monteſcuit an. 1116. ſub perpetua libertate tenendum, ſalvo jure Synodali, eo tenore quod eleemoſynarum, & beneficiorum prædictæ Eccleſiæ particeps eſſet, prædictíque Lamberti obitus anniverſaria dies in eadem Eccleſia celebretur. Hugo Abbas quem ſubſcripſiſſe reperio diplomati Comitis Flandriæ pro Cœnobio S. Bertini, hominem exuit 6. Martij 1118. ſitus in Odeo propè Aquilam, cum hac inſcriptione.

Rodulfus etiã Archiep. pro ſuo Anniverſario Sandionyſianis duo Altaria conceſſit cum decima Annona Fiſci Attiniaci an. 1116. ut eſt in alia Charta Anni 1124. dedit in villa quæ Attiniacum dicitur decimã Cenſuũ Telonei Capitaliciorum, &c.

Hugo Abbas.

Urſio electus an. 1119. ex Charta Rodulfi Viridis, Privilegium obtinuit omnium bonorum ſui Monaſterij ab Honorio II. an. 1126. rogatu Rainaldi Archiepiſcopi, tum exacto decennio in Abbatiali dignitate Virdunenſis Epiſcopus renuntiatur in Synodo Catalaunenſi ſub Matthæo Albanenſi ſanctæ Rom. Eccleſiæ Legato. Unde ei ſufficitur.

Gilbertus cui nomen legitur in conceſſione facta ſub Rainaldo II. Monachis ſancti Remacli conſtruendi Oratorium in villa de Germigny an. 1130. Hugo de Mareuil Hieroſolymam profecturus, Gilberto partem decimarum de Iſſe impertivit eodem Archiepiſcopo approbante an. 1129. tum poſt decem annos regiminis, abdicatâ præfecturâ, tranſijt ad Præmonſtratenſes. Eo ſedente Collegio Canonicorum Ciſonienſium in Monaſterium Regularium Monachorum converſo (inquit Meyerus ad an. 1129.) auctore Hermanno inſulenſi nobili viro, inſtituitur primus Abbas Anſelmus qui fuerat Canonicus ſancti Dionyſij Remenſis.

Urſio de quo ſupra, cum difficultates vincere non poſſet quæ ordini reparando paſſim, & præter mentem occurrebant in Epiſcopatu Virdunenſi, apud ſanctum Vitonum primùm ſe contulit ut vitæ tranquilliori ſecurius vacaret, tum ab Innocentio II. Concilium Remis celebrante an. 1130. ab onere Paſtorali ob infirmam valetudinem petit abſolui, & ſic triennio vix expleto Remos reverſus, Abbas iterum poſt Gilberti ad Præmonſtratenſes ſeceſſum, eligitur.

Urſio itáque præfecturam adeptus, multam operam impendit regimini, & œconomiæ conventus, nominatur in privilegio Samſonis Archiepiſcopi an. 1141. pro donatione duarum ancillarum, ac natorum quæ ab eis ex legitimo toro procrearentur, è quibus in virili exiſtentibus, ac terram, ut moris erat gnaviter excolentibus binos denarios annuatim percipere debebat Abbas pro decima Capitalitiorum, cujus fit mentio in Charta Philippi I. aliquid hic impertijt Cartuſianis Montis Dei conſenſu ſui Capituli pro erectione Monaſterij, receptiſque Altaribus de Grivi & de Bernicourt à Samſone Archiepiſcopo an. 1149. è vivis exceſſit 26. Februarij in choro funeratus propè Cathedram Abbatis cum hoc brevi epitaphio *VRSIO ABBAS NOSTER.*

Decima Capitaliciorum.

Odo ex Subpriore S. Victoris Pariſienſis Urſioni ſucceſſit 12. Calend. Januarij, legitúrque in Charta Samſonis Archiep. pro unione Altarium

de

de Cruſni & Riſly an. 1153. Henricus Archiep. Remenſis annualia præbendarum ſancti Symphoriani ei concedit an. 1170. de quibus cum ſuborta fuiſſet controverſia inter Abbatem & Canonicos, Vuillelmi Campanenſis Cardinalis ſtudio amicè compoſita eſt Alexandri IV. diplomate, ubi ſic loquitur. *Relatum eſt auribus noſtris ex parte veſtra, quod cum inter vos & dilectos filios noſtros Canonicos ſancti Symphoriani ſuper annalibus ipſorum Canonicorum tam vivorum quam defunctorum quæſtio emerſiſſet, eam venerabili fratri noſtro Vuillelmo Rem. Archiep. ſancta Sabinæ Cardinali S. R. E. Legato commiſimus terminandam, quo mediante inter vos & illos de partium voluntate conuenit, ut vivorum annualia quomodocumque vacauerint habeatis, ipſi verò habeant defunctorum. Vndè quoniam compoſitionem ipſam ut majus robur obtineat noſtro quæritis munimine roborari, nos veſtris ſupplicationibus annuentes, eam ſicut à partibus ſponte recepta eſt, & in ſcripto authentico ipſius Archiepiſcopi continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, &c. Datum 15. Tuſcul. Iulij.* Odo poſt 39. præfecturæ deceſſit 7. Cal. Martias.

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM.

Guido memoratur in Charta Henrici Comitis de Grandi Prato an. 1190. & 1194. in diplomate Vvillelmi Archiepiſcopi, qui & Abbati & Conventui dat facultatem an. 1197 habendi liberum ſervientem cum ijſdem juribus, & emolumentis quibus gaudent ſervientes Canonicorum Primariæ Eccleſiæ. Obijt. Guido 7. Septembris ex Necrologio, ſitus in choro ſub ſepulchrali, cui inſculptum eſt tale Epitaphium. *GVIDO ABBAS NOSTER.*

Herbertus facile diſtingui non poteſt à ſucceſſore ob Capitalem nominis litteram H. quæ paſſim ſolitaria in Chartis occurrit. Paucis hic præfuit annis, egitque animam 13. Februarij ex obituario. Probabile eſt ante obitum abdicaſſe, cum alicubi ſubſcripſiſſe legatur his verbis, anno 1215. *Herbertus quondam Abbas Canonicus ſancti Dionyſij.*

Hugo donationem ſylvæ de Montana per Vvalcherium Dominum de Nantolio (alij legunt Adamum de Lagery) ſuſcepit an. 1213. tum profectus eſt ad bellum ſacrum inchoatum ſub Philippo Auguſto, protractum verò uſque ad an. 1221. quo Damieta à Chriſtianis expugnatur, obſidionis ipſius tempore.

Hugo obijt juxta Necrologium undecimo Calend. Novemb. *OBITVS D. HVGONIS ABBATIS NOSTRI ANTE DAMIETAM.*

Poncardus ei ſubrogatur, & deſijt 15. menſis Julij ex obituario.

Theobaldus è vivis abijt 8. Oct. Jacet ante oſtium dormitorij quo itur ad Navim Eccleſiæ.

Leoninus diem obijt 16. Octob. ſitus propè gradus chori cum hoc Epitaphio *HIC IACET LEO ABBAS NOSTER.* Horum trium Prælationis tempus incertũ eſt, nec quid ſub illis peculiariter geſtum ſit, cognoſcitur.

Petrus eximiæ virtutis & prudentiæ vir, licentiam dat Dominicanis ædificandi Eccleſiam ac loca clauſtralia infra limites Parochiæ S. Dionyſij cum indemnitate relata in inſtrumento conceſſionis an. 1246. Eidem permittit Thomas Archiepiſcopus ut Capellam extruere poſſit in domo de Courtaumont, ſalvo jure Parochiali 1250. Tum vitæ finem imponens 7. Octobris, ſepulturam ſortitus eſt prope tumulum Manaſſis Archiepiſcopi in ſanctuario cum brevi hoc ſed inſigni epigrapho, *MORIBVS ORNATVS PETRVS.*

Joannes de Heuvin præfecturam obibat an. 1271 ex litteris M. Joannis de Villariſco Officialis Remenſis, quibus ſpondent Religioſi ſe preces fuſuros pro Eminenti Cardinale de Brayo tituli ſancti Marci Archidiacono Remenſi. Supremum diem obijt 17. Martij 1280, conditúſque juxta tumulum Hugonis I, extremam ſonitus tubam expectat.

Reginaldus de Burgo rexiſſe legitur an. 1282. Eo ſedente Cathedrali Eccleſia penuria laborante Preſbyterorum, Capitulum ſuppetias petiit à

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM.

Dionyſianis ſub hac verborum formula. *Vniverſis præſentes litteras inſpecturis I. Præpoſitus N. Decanus R. Cantor, cæterique Remenſis Eccleſiæ fratres ſalutem in Domino. Cum ad preces noſtras dilecto noſtro Reginaldo Abbati ſancti Dionyſij ſubſidium nobis præſtare de uno Presbytero ejuſdem Eccleſiæ Canonico qui Miſſam & diuinum officium celebret ad majus Altare noſtrum quandiu ſibi placuerit, & viderit opportunum Notum facimus, & expreſiè per præſens conſentimus quod per hoc nullum jus nobis acquiratur, &c.* Datum anno 1299. Reginaldo etiam domum moderante Philippus pulcher Francorum Rex ratas habuit quaſdam acquiſitiones factas apud Villam de Ambly, conſenſitque ut jure caduci abſoluerentur in gratiam Joannæ Reginæ his verbis. *Nos autem ob noſtræ chariſſimæ conſortis Ioannæ Dei gratia Reginæ & Progenitorum noſtrorum remedium animarum, & mediantibus ducentis libris Turon. à dictis Religioſis ſolutis, ſingula in actibus contenta rata habemus an.* 1303. Idem Rex obtento à Joanne 21. ſummo Pontifice indulto quo ei licitum erat omnibus regni ſui Abbatijs præſentare aliquem qui ſuſcepto Religionis habitu, gauderet poſtea omnibus juribus, & emolumentis à cæteris Religioſis obtineri ſolitis, hanc Provinciam Abbati ſanctæ Genevefæ Pariſienſis dedit, ut prædictum indultum Monaſterio ſancti Dionyſij Remenſis ſignificaret anno 1317. Abbatémque coegit ad recipiendum à Rege deſignatum, poſtquam certior factus eſt de vita, moribus, & capacitate illius per Priorem ſancti Remigij Rem. & Præpoſitum, de Brochio. Reginaldus naturæ penſum exoluit 1318. ubi verò quieſcat, neſcitur.

Ægidius de Hanonia juramentum præſtitit Eccleſiæ Remenſi in capitulo Virginis Deiparæ Conceptioni ſacro 1319. ut veteris ſchedulæ verba ſubindicant.

> *Ego frater AEgidius de Hannognia Abbas S. Dionyſij Remenſis Ordinis ſancti Auguſtini, huic ſanctæ Remenſi Eccleſiæ & ejuſdem Eccleſiæ Capitulo, debitam reuerentiam, ſubjectionem, & obedientiam Secundum ſtatuta ſanctorum Patrum, & regulam ſancti Auguſtini me exhibiturum promitto, ſub præſentia Eccleſiæ ſubſcribo, & propria manu firmo Actum.* 1319.

Ægidius multum curæ impendit exornandæ Eccleſiæ, ſacriſque veſtibus ſuppeditandis, quæ ſinceriſſimum ipſius cultum erga Euchariſtiæ Sacramentum, Virginemque Deiparam manifeſtiſſimè produnt. Tum depoſito carnis onere, propè ſanctuarium tumulatur ſub lapide ſepulchrali cui tale inſculptum eſt Epitaphium.

> *Abbas AEgidius hic ſternitur agide dictus,*
> *Qui tutela gregis fuit, & cuſtodia legis*
> *Pervigilans uſquam fore celebs .....*
> *Sobrius, & mitis, fidens placatio litis,*
> *Hic homo moratus, placabilis, & ſtudioſus,*
> *Atque zelator, noſtri templi reparator,*
> *Quem ſenſus cani ſoluit dies ultima Iani*
> *M. ſemel. I. C. ter, decieſque ter hunc tulit æther.*

Adamus de Novavilla vovit Capitulo Remenſi 13. Februarij 1331. quo anno venerabiles Præpoſitus, Decanus, Cantor, & Capitulum Rem. actu capitulari teſtati ſunt Priorem ac religioſos ſancti Dionyſij ex mera gratia & non ex debito interfuiſſe tam ſupplicationi quam majori Miſſæ Eccleſiæ Cathedralis die feſto ſancti Nicaſij menſe Decembri propter tranſlationem capitis prædicti Martyris quæ tali die fieri debebat. Benedictus 13. ſedens Avenione conſtitutiones Canonicorum Regularium S. Auguſtini

Digitized by Google

Auguſtini, Adamo ſancti Dionyſij, & Auberto ſancti Victoris Abbatibus direxit anno ſui Pontificatus 5. quas in Conventu Abbatum Provinciarum Rem. & Senon. apud ſanctũ Vincentium Silvanect. habito promulgarunt an. 1340. Adamus telluri mandatur 19. Maij ſub tumulo nigri coloris cui ſequens & breve Epitaphium majuſculis litteris inſcriptum eſt, *QVALIS ES. IPSE FVI.* SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM.

Joannes Gonnion Doctor in decretis præſtito Sacramento die veneris poſt feſtum Exaltationis S. Crucis 1350. edidit quaſdam conciones ſuper Evangelia, & Natales ſanctorum quorum adhuc MS. extat in Bibliotheca Monaſterij, tum è vivis exceſſit 10. menſis Decemb. conditus in ſanctuario prope Manaſſem Archiepiſcopum Joanne Francorum Remis agente 1354. menſe Septembri, Abbati ac Religioſis Dionyſianis ad incrementum divini cultus in Capella Villæ de Ambonayo trecentis focis tunc conſtantis, permiſſum fuit, ut uſque ad duodecim libras annui reditus acquirere poſſent ſine vllo onere ſolvendi aliquid in Regio fiſco. Undè Religioſi ſponte & motu proprio Regi liberaliter promiſerunt unam miſſam pro ipſius & totius regni ſalute, quandiu vixerit, & poſt deceſſum pro ejuſdem animæ remedio aliam quolibet anno.

Lambertus fidelitatem præſtat Eccleſiæ Remenſi 7. Martij 1363. obitque 20. Decembris 1373. Ipſo regente Gregorius II. præcepit ut Abbas S. Dionyſij non diſponat de beneficijs abſque diſcretorum conſenſu. Et Carolus V. Francorum Rex ſuſcipit bona Monaſterij in ſpeciali ſua protectione adverſus bellatorum violentiam, ac novitates quæ paſſim in regno pullulabant in perniciem Clericorum 1368.

Hugo de Torſy adepta poſſeſſione 7. Martij 1373. vovit eodem anno, obtinuitque ſtatutorum confirmationem à Gregoro II. quæ publicè legi ſobant in Religiolorum profeſſione ac receptione Abbatum, tum finem vitæ impoſuit menſe Martio 1389. ſepultus in Odeo propè monumentum Lamberti Abbatis.

Petrus Broüart ſolers ingenio, ac prudentiâ clarus, gratias expectativas eluſit maturâ electione liberè extorta à Conventu, præſtititque juramentum in Capella Palatij Archiepiſcopalis 8. Auguſti 1390. at vi coactum ceſſiſſe probabile eſt, cum Bertrandus illius ſucceſſor legatur cum Abbatis titulo an. 1393. & prædictus Broüart è vivis exceſſerit tantum 1407. cujus tumba viſitur in choro propè Aquilam cum hoc elogio.

Iſtius Eccleſiæ prius Abbas nomine Petrus
Hac legitur Petra, vocitatur jure Magiſter,
Prudens námque fuit, probè ditatus bonitate.
Fratribus hunc rapuit citò, ſed mors quæ fuit ut fur
Anno milleno quater centum ſine ſeptem:
In Petronillæ feſto, tulit hunc Deus ad ſe.

Bertrandus de Nocumento ex Priore de Grandi-Prato ut patet ex Bullis Clementis VII. ad regimen Monaſterij provectus per gratiam expectativam. Litem habuit cum Petro Broüart, rerúmque potiebatur anno 1397. quo unionẽ obtinuit Prioratus de Grandi-Prato cum menſa Abbatiali & Conventuali à Clemente VII. Benedictus 13. ei indulſit ac Priori S. Dionyſij ut abſoluere poſſent à Caſibus reſervatis minoribus Pœnitentiarijs Romanæ Curiæ. Bertrandus egit animam an. 1405. ex Epitaphio à Clemente ſummo Pontifice ob egregias animi dotes, & ardorem protuenda Religione commendatus.

Sandionyſiani ſtatim poſt exceſſum Bertrandi in Capitulum convocati ut ei ſucceſſorem ex Confratribus aliquem in Monaſterio enutritum ſufficerent, elegerunt Joannem d'Erpy Remis oriundum. Verum

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM.

ne ſummus Pontifex per ſolitas reſervationes diſciplinæ Eccleſiaſticæ admodum nocivas, aliquem nominaſſet, rogarunt Scabinos Remenſes ut citius ad eum ſcriberent, quatenus electionem à triginta quinque Religioſis Canonicè factam, ratam haberet. Scabini acerbiſſimis his temporibus ſchiſmate & bello miſerè concuſſis, multum intereſſe reputantes ſi Abbas Remis ortus à Pontifice obtineretur, impenſius eum ſuis litteris obſecrant, quibus hæc verba addiderunt quæ vernaculè referam ut ſunt in originali.

Voſtre Sainteté ſçaura que le Public à intereſt qu'une perſonne de merite bien connuë & originaire du Pays ait le gouvernement de l'Abbaye, pourceque les Habitans y tiennent leur aſſemblée pour le bien commun de la Ville, & qu'ils y renferment leurs plus precieux meubles pendant les Guerres, & partant tant pourteligion garder, honneſteté & ſeureté, eſt neceſſaire d'y avoir un homme mixte de connoiſſance, ſeure & loyal, comme étoit celuy pour qui ils prioient. Veriſimile eſt S. Pontificem precibus eorum non acquieviſſe, cum prædictus Joannes d'Erpy in Abbatum indice non habeatur.

Joannes Morelly ex Aubiniaco natus & ſancti Dionyſij Prior Clauſtralis electus à ſummo Pontifice, regimen Monaſterij obtinuit, vovitque obedientiam Eccleſiæ Remenſi 6. Julij 1407. Eo regente diſceptatum eſt de Annualibus Præbendarum ſancti Simphoriani, coram Guidone Archiepiſcopo, & de modo incedendi in ſupplicationibus, réque amicè compoſita inter utroſque Religioſos ſcilicet & Canonicos, Joannes Abbas Eleemoſynario S. Catharinæ præſcripſit formam ritè adminiſtrandi, tum vivere deſijt 4. Novemb. 1420. ſepultus ſub tumulo cui inſcriptum eſt ſequens Epitaphium.

Moribus ornatus Abbas jacet hic Ioannes Morelly
Qui fuit de Aubigny Pago natus Deus, illi
Conferat æternam lucem, vitámque beatam,
Anno milleno Domini C quater & X bis
Claudit quarta diem, vadat ut ad requiem.

Joannes Jeffrin Canonicè electus 16. Maij 1420. pacificè rexit per 16. annos. Indulgentias obtinuit à Nicolao Cardinale de ſancta Cruce in Hieruſalem Remis agente pro ijs qui Eccleſiam S. Dionyſij certis anni feſtivitatibus viſitaverint, 15. Pontificatus Eugenij 4. 14. Octob. 1435. Canonici etiam Remenſes ut eſt in actis Capitularibus, acquiſitionem recens ab eo factam infra limites ſuæ Juriſdictionis, à Jure caduci abſoluunt de gratia ſpeciali, ut ibi dicitur, contemplatione ferventis amoris & amicitiæ inter utrúmque Collegium ab antiquo huc uſque ſervatæ 1431. Joannes vitæ finem impoſuit 7. Septemb. 1438.

Jacobus Fortier in Jure Canonico peritiſſimus, à Concilio Baſileenſi poſt electionem conformatus ſe ſe capitulo jurejurando devinxit menſe Januario 1439. Huic Nicolaus 4. Privilegium indulſit pro Monaſterii bonis vindicandis, quæ Aulici Rectores apud Avenionem in curia Pontificis peſſimè decoxerant. Obijt ipſe 8. Auguſti 1467.

Nicolaus Fievet fidem præſtitit in Capitulo Remenſi, & ſuper majus altare Cathedralis Eccleſiæ an. 1467. fato functus ultimo Decembris 1472.

Jacobus Jeffrin electus an. 1472. confirmatur à Capitulo Remenſi cui obedientiam vovet eodem anno. Se ac bona ſui Monaſterij generoſè obtulit Capitulo poſt lugubre incendium anni 1481. quo Matricis Eccleſiæ lignea fabrica penitus concremata eſt, & latera ædificij igne deformata, undè miris laudibus effertur in actu Capitulari quo illi grates rependunt Canonici. Dies obitus eius notatur in Necrologio 7. menſis Decemb. 1484.

Joannes

SANCTI DIONYSIJ REM. MONASTERIUM.

Joannes Charlier Capitulo ſe obſtruxit an. 1486. litemque habuit cum Præpoſito Eccleſiæ Remenſis pro loci prærogativa tam in choro Matricis Eccleſiæ cum ibi adeſſe contigit, quam in ſupplicationibus. Eo obeunte undecimo Septembris 1500. Capitulum Remenſe bona Monaſterij ſita intra limites ſuæ juriſdictionis ſibi adjudicat, tum licentiam eligendi Abbatem concedit, juxta tenorem Privilegiorum quæ in actis Capitularibus latius explicantur.

Guillelmus Chuquelin vovit menſe Aprili 1501. & obijt ultimo Septembris 1507.

Petrus Petitbled fidem Archiepiſcopo præſtitit an. 1507. Suis expenſis altare Transfigurationis in proano Eccleſiæ ubi inſignia eius cum tribus ſpicis aureis in ſcuto ceruleo conſpiciuntur. Supremum diem clauſit 16. Julij 1512. Leo decimus indulſit Religioſis prædicti Monaſterij ut Præſbyteratum ſuſcipere poſſent anno ætatis 22. 1514.

Nicolaus Thuillier obedientiam præſtitit Eccleſiæ Remenſi an. 1520. obijtque 16. Decembris 1530.

Joannes de Belay Cardinalis nullam Capitulo vovit obedientiam rexitque per Oeconomum ſeu Vicarium generalem: unde quia perpetuò abſens, partitio facta eſt bonorum Manaſterij inter Abbatem & Religioſos auctoritate ſummi Pontificis, Regis aſſenſu, & Ioannis à Lotharingia Remenſis Archiepiſcopi an. 1538. Reſignat.

Bulla ſeparationis à Paulo 3 obtenta pridiè Calend. Junij Pontificatus an. 4.

Claudio Cauchon vel de Maupas ſancti Dionyſij in Francia Religioſo profeſſo, quique juramentum præſtitit Eccleſiæ Remenſi more conſueto 18. Octob. 1546. interfuit Concilio Provinciali Remis coacto 1564. deſijt ab humanis 5. Februarij 1598. Jacet in Capella Transfigurationis *Dominicæ*.

Stephanus Pennet ex Monacho Cluniacenſi fit Abbas per reſignationem Claudij Cauchon in favorem Domini de la Bourdoiziere. Laboravit Eminentiſſimus Cardinalis d'Oſſat, Cum Romæ eſſet, ut Bullæ gratis ei darentur in curia Romana 20. Junij 1597. migrat 20. Januarij 1614. Conditus in Eccleſia Prioratus de Grandi Prato. Eo Præſule claruit Antonius Fournier ſancti Dionyſij Canonicus Concionator egregius, Metenſis Primicerius, ac Epiſcopus Baſilitenſis, cujus in Remenſem Uuiverſitatem ac Dionyſianam domum eximia liberalitas apud omnes admirationem parit, eique laudem conciliat nuſquam intermorituram.

Lib. 3. Epiſt.

Henricus de Maupas nobili ſtemmate ortus, ingenio locuples, & egregiè facundus, poſſeſſionem inijt 6. Junij 1616. Eo probante reſtaurata eſt regulæ Auguſtinianæ apud Sandionyſianos perfecta diſciplina, accerſitis Reverendis Patribus Congregationis Gallicanæ, quos Regia auctoritate D. de Vertamont libellorum præfectus, cum Epiſcopo Catalaunenſi Archiepiſcopatus Remenſis adminiſtratore in poſſeſſionem Monaſterij induxit menſe Auguſto 1636. primuſque reformationis Rector datus eſt R. Pater Franciſcus Blanchart, poſtmodum totius ordinis in Gallia generalis. Henricus adhuc ſuperſtes, ex majori Eleemoſynario Annæ Auſtriacæ Francorum Reginæ, factus Podienſis Epiſcopus, aliquanto poſt ob inſignem concionandi peritiam & Regi præſtita obſequia tranſijt in Ebroicenſem Epiſcopatum anno 1661.

Digitized by Google

Digitized by Google

METROPOLIS REMENSIS HISTORIÆ LIBER SECUNDUS.

DE REMORUM ARCHIEPISCOPIS,

REBVSQVE SCITV DIGNIS;
QUÆ PER PROVINCIAM,
ET
DIOECESIM CONTIGERVNT;

A MANASSE I.

VSQVE AD OBITVM
SAMSONIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRI SECUNDI

EPITOME.

MANASSE poſt Gervaſij obitum ad Remenſes infulas furtim promoto, quas poſtmodum abdicare juſſus eſt, & Rainaldo poſt eum Metropolim ſapienter regente, ſacris ædibus ingens fit bonorum temporalium acceſſio; ſed & harum numerus per ſingulas Diœceſes in immenſum auctus eſt Procerum utriuſque ordinis magnificentiâ, inter quos ea laudabilis viguit æmulatio ut maximus quiſque in ſuis Dominijs Abbatias aut Canonicorum Collegia certatim habere geſtirent, cenſu Divinum Officium in his perſoluentibus abundè ſuppeditato, & erecto è regione Altaris ut plurimùm Mauſoleo, ut cum Deus ad Bravium hos evocaverit velut fundatores ibidem quieſcerent. *Cauſa multiplicationis Cœnobiorum*

Novæ huic amplitudinis incremento commodum etiam acceſſit Altarium reſtitutio, quibus Nobiles diu abutebantur, ac velut Patrimonium ſacrilego uſu tranſmittebant ad poſteros. Etenim à viris pijs praviter moniti ut à tali præda tandem abſtinerent, caverentque Cenſurarum Prædones Eccleſiarum, complures pœnitentiâ ducti Sacerdotia cum decimis libenter in manus Epiſcoporum abjecerunt, è quorum proventu aucta dos Cleri, ditata Collegia, & paſſim erecti Prioratus, Capellaniæ, Patronatus cum tanta ædificiorum varietate, ut hinc velut hinc indè ſparſis in firmamento ſtellulis Diœceſes mirificè relucerent.

Altarium reverſioni, cum Epiſcopis Abbates ſeduló dabant operam, cum è Romanæ ſedis ſpecula vitiorum fibras Pontifex rurſum per Gallias renaſci, ac pullulare conſpiciens, Concilia varijs in locis celebranda decreuit, undè (quod Remos impenſè commendat) quatuor Concilia à totidem ſummis Pontificibus ibidem ſucceſſivè & diverſis temporibus coacta ſunt, quibus interfuere cum curia Romana Reges aliquot, ingens Prælatorum numerus, vicinarum ditionum Legati, ubi ſanciti Canones in Simoniacos, illicitas conjunctiones, & quotquot ſibi inveſtituras arrogabant. Subindè novi ordines exorti totam Galliam illuſtrant, Carthuſianorum à Brunone Remis conceptus, Ciſtercienſium quem Bernardus ſollicitè per Remenſem Provinciam propagavit, & Præmonſtratenſium quorum inſtituta ab Eugenio Remis Synodum habente confirmantur.

Urbium incolæ qui hactenus vix caput extulerant, ſervitutis jugum interim excutere moliuntur, ubique communiam paſſim inclamant, motus ciunt, turbas excitant ex famulis & ſervitijs. Rex memor ſubſidij ab urbibus recepti, à Primoribus civium exoratus liberè conſenſit, nequicquam obluctantibus Epiſcopis, è quibus aliquot in tumultibus obſtruncati, plerique à populis malè habiti, aut à ſedibus ejecti, decoquendam hanc animi moleſtiam pacatiores exiſtimarunt. nec conandum adverſus torrentem, licet cum ſuæ juriſdictionis diſpendio, & poteſtatis quam à Regibus traditam huc uſque in ſubditos retinuerant.

Cæterum ſciat lector ſub Archiepiſcopis ſequentibus, me Pontificum & Principum diplomatis veluti nexibus rerum ſeriem, ne hiantem tradere cogeret, texuiſſe, quamvis pleráque contraxerim, & ex ingenti multitudine, quæ hoc ſæculo paſſim occurrunt, conſultò multa præterijſe juxta vetuſtiſſimi vatis effatum, *Ne quid nimis.*

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

LIBRI SECVNDI.

CAP. I. DE Præsulatu Manassis Primi primordijs, & de reparatione Monasterij sanctorum Caloceri, & Parthenij Martyrum apud Maurimontem.

CAP. II. Manasses increpatur à Greg. VII. quare; Concilium Suessionis indicit, ob indebitas excommunicationes cogitur se sistere coram Legato.

CAP. III. Manasses in Concilijs Augustodunensi & Lugdunensi ob contumaciam condemnatur, ad Henricum Imperatorem excommunicatum se confert, hácque ac illuc oberrans defungitur.

CAP. IV. Rainaldus ex Thesaurario Turonensi fit 45 Archiepiscopus, fundationem Monasterij Ribodimontis approbat, Concilium Compendij indicit, Vrbanum II. Visitaturus Romam petit, tumulus S. Theodorici miraculis claret.

CAP. V. Altare de Turribus supra Matronam datur Cluniacensibus à Rainaldo, & Altare de Hermondiuilla S. Theodorici Monachis.

CAP. VI. Hugo Registeſtensis Comes ob illatas hominibus Sancti Remigij vexationes à Rainaldo excommunicatur, & ab eodem facti pœnitens absoluitur.

CAP. VII. De Pago & Vrbe Registeſtensi, & quandonam Regiteſtis nomen in usu esse cœperit. Comitum Regiteſtentium accurata series.

CAP. VIII. Robertus Flandrensis Comes, Ebalus Rociacensis. & Thomas de Marla in Ecclesiasticos graviter desæviunt, Ebalus Altare de Curte superiori abdicat.

CAP. IX. Comitum Roceiensium origo & nomenclatura.

CAP. X. De jure Regales nuptias consecrandi ab Ivone Remensi Ecclesiæ attributo, & de antiqua Regum consuetudine recipiendi coronam festis solemnioribus ab Episcopis.

CAP. XI. Rainaldus approbat Chronicon Balderici, Concilium Suessionis indicit adversus Roscelinum, delegatque qui lustrent S. Helenæ philacterium.

CAP. XII. Atrebatensis Ecclesia Vrbani Pontificis decreto à Cameracensi subtracta, proprium recipit Episcopum.

CAP. XIII. Vincentianis Laudunensibus dat Beati Goiberti Ecclesiam de Altomonte Rainaldus, dúmque Atrebatensis Ecclesiæ restaurationi sollicitè incumbit, defungitur.

CAP. XIV. Odo Castilloneus ex Canonico Remensi Cardinale. & Episcopo Ostiensi, fit summus Pontifex, approbatque Privilegia & libertates Canonicorum Remensium.

CAP. XV. Manassis Electioni, quidam aduersantur, Ecclesia Remensis Diadema regni dicitur habere, Regũ mater, & regni caput prædicatur.

CAP. XVI.

Digitized by Google

Cap. XVI. *Manasses secundus XLVI. Archiepiscopus, & ejus prosapia; Prioratum S Thomæ erigit, & Hugo Regitestensis Noviomum. Lamberti Atrebatensis liberalitas in Sandionysianos Remenses.*

Cap. XVII. *Robertus sanctis Remigij Abbas exauctoratur. Vrbanus II. diem claudit, Lis oritur inter Remensem & Suession Ecclesias.*

Cap XVIII. *De Attiniaco, & Palatio de Iona in Diœcesi Remensi.*

Cap. XIX. *Altare S. Quintini de Corbiniaco Remigianis datur, Ecclesia quoque S Salvij Cluniacensibus, Manasse Archiepiscopo & Coepiscopis ad Synodum vocatis, consentientibus. Manassis obitus & sepultura.*

Cvp. XX. *Ecclesiæ sancti Symphoriani Remensis primordia, Canonicorumque in eadem institutio.*

Cap. XXI. *Sacrorum pignorum series quæ in Collegiata S Symphoriani Basilica religiosè conservantur.*

Cap. XXII. *De schismate inter Rodulfum & Gervasium pro Archiepiscopatu Remensi, & Ludouici VI. Aurelianis inauguratione.*

Cap. XXIII *Rodulfus præstita Regi per manum & sacramentum fidelitate, se palam & libere Archiepiscopum inscribit.*

Cap. XXIV. *Gualdricus Laudunensis Episcopus à ciuibus ob Communiam ab eo abrogatam interficitur, ejus obsequia celebrat Rodulfus Remensis Archiepiscopus.*

Cap. XXV. *De Ecclesia sancti Petri Ruminiacensis, & ejus erectione in Prioratum.*

Cap. XXVI. *De Concilijs à Cononе Prænestino Episcopo & Cardinali Bellouaci, & Remis convocatis, & quid in ijs præsertim actum sit.*

Cap. XXVII. *Ingelramnus Cociacensis & Hugo Comes de Regitestе.*

cap. XXVIII. *Concilium generale Remis coactum, cui præfuit Callistus II. summus Pontifex, ex Orderico Vitale lib. xij. historiæ Ecclesiast.*

Cap. XXIX. *Beatum Norbertum pro novi sui Ordinis confirmatione Remos venientem Bartholomæus Laudunensis Episcopus ad Callistum deducit, séque ejusdem Ordinis benefactorem exhibet.*

Cap. XXX. *Prioratus sancti Petri de Turre-supra-Maternam fundatur, & sancti Mauritij in urbe Remensi.*

Cap. XXXI. *Synodus Suessionis habita in Petrum Abailardum, & Belvaci pro elevatione corporis beati Arnulfi. Turnacenses frustrà laborant pro obtinendo proprio Episcopo.*

Cap XXXII. *Silva Montis-reguli Nicasianis datur à Comite Campaniæ. Lites ab Episcopis terminantur Officialium tribunali nondum constituto. Rodulfus Archiepiscopus vitæ finem imponit.*

Cap. XXXIII. *Viri doctrina & sanctitate illustres qui sub Rodulfo Archiepiscopo Remis, aut in vicinia claruerunt.*

Cap. XXXIV. *Raynaldus II. ex Andegauensi in sedem Remensem translatus, diœcesim visitat, seque munificum præbet erga Monasteria.*

Cap. XXXV. *Henricus Imperator Remos, quòd ibi anathemate percussus fuisset, obsessurus, in Campaniam Gallicam venit, at hic inglorius ad propria reuertitur.*

Cap. XXXVI. *Concilium Trecis indictum, ubi Templariorum institutio comprobatur. Pactum init Rainaldus cum Leodiensi Episcopo pro Bullionensi beneficio.*

cap. XXXVII. *Canonici Regulares, exactis secularibus, in Sparnacensi Cœnobio stabiliuntur*

cap. XXXVIII *Lauduni apud Sanctum-Iohannem velatis mulieribus Benedictini subrogantur.*

METROPOLIS REMENSIS HISTORIÆ.

LIBER SECUNDUS.

GESTA REMENSIVM ARCHIEPISCOPORVM, Eccleſiarum origines, Pontificum, Regúmque Diplomata continens, ab exceſſu Gervaſij ad Henricum Ludovici VI. Francorum Regis Filium.

De Præſulatus Manaſſis I. primordijs, & de reparatione Monaſterij ſanctorum Caloceri & Parthenij Martyrum apud Maurimontem.

CAPUT I.

PHILIPPO I. Imperante anno 1068. poſt Gervaſium magni nominis virum, Remenſis Præſulatus infulas Manaſſes arripuit. Quis verò hic fuerit, qua ortus propagine, an ſimoniacè ſeu violenter intruſus, quem finem geſtorum probroſa pervicacitate fædavit ex ejuſdem ævi auctoribus ſub initium hujuſce libri fideliter exponendum eſt. Quotquot ipſius genealogiam texuere, ſcribunt patrem habuiſſe Manaſſem Calvum, Hilduini Comitis de Ramera, ſive de Roceïo, & Arceis fratrem, ac Guillelmi Sueſſionenſis Comitis, Matrem verò Beatricem de Hainaco, quæ Ebalo Rocei Comiti nupſerat, fuiſſe verò Hugonis Capeti Francorum Regis ex Haduvide Avia pronepotem addunt Sammarthani, Gerberga enim Ottonis magni ſoror, & Henrici aucupis filia, ſororem habuit Havidem Hugonis magni vxorem, patris Hugonis Capeti, ex quo Havidis altera vxor Raineri Comitis Montenſis prodijt, quæ Beatricem peperit uxorem primò Ebali primi Comitis Roceienſis, tum Manaſſis Calui Vicedomini Remenſis. Hæc partim ex Alberico Ciſtercienſi hauſta reperio qui ad annum 1031. prædictam refert Beatricem viduam Ebali Comitis de Roceio nupſiſſe alteri, quem ibi non nominat, de quo Manaſſes Archiepiſcopus. At anno 1070. Vocat eum Manaſſis Calva Aſina forte Cadavena vel Candavena ex Beatrice de Roceïo filium, cujus fratres (ſcilicet Manaſſæ patris) fuere Hilduinus de

Manaſſes Calvum Patrem Manaſſis Archiepiſcopi.

Ad annum 1031. & 1070.

Manaſſes vocatur etiam de Gorney in quibuſdam

X3

MS. Caſtellum erat ſuper Maternam quod Ludovicus VI. expugnavit anno 1108.

MANASSES I. XLIV. ARCHIEP. *An.* 1069.

de Ramera, Guillelmus Comes Sueſſionenſis (qui genuit Rainaldum & Joannem) & Manaſſes Epiſcopus Sueſſionenſis, vnde patet Manaſſem Remenſem alti ſanguinis nexu egregijſque parentibus fuiſſe oriundum.

Animus quidem mihi fuiſſet, non modo primitias, ſed nec turpem exitum exoſi hujus Antiſtitis prodere Democharis exemplo, qui veteres catalogos ſequutus, eum ex albo Remenſium Archiepiſcoporum expunxit niſi Guibertus Abbas, ejuſdem ingreſſum in ovile dominicum ac mores veris coloribus prius delineaſſet. ***Manaſſes quinam***, inquit, ***poſt Geruaſij famoſiſſimi Archiepiſcopi deceſſum prædicta urbis regimini Simoniacè ſe intruſit, vir quidem nobilis, ſed nihil prorſus habens ſerenitatis, quæ primam genuitatem decet, tantos enim faſtus ex illa nouitate conceperat, ut regias peregrinarum gentium majeſtates, imo majeſtatum ferocitates imitari videretur, &c.*** Cui concinit chronicon Nicaſianum ab auctore coetaneo, de Rainaldo Manaſſis in Archiepiſcopatu ſucceſſore loquens, ***Poſt multa genera diſſentionum, poſt varias oppreſſiones diuitum & humilium, poſt innumeras diſtractiones ornamentorum Eccleſiarum, quæ à quodam Manaſſede injuſtè nomen Epiſcopale affectante, Deo & omnibus hominibus pro viribus reſiſtente, infra & extra urbem facta ſunt, ſubitò noua lux exoritur, &c.*** Hæc perperam a prædictis auctoribus relata non fuiſſe exitus comprobabit, Archiepiſcopatum autem Simoniacè partum ſic egit per aliquot annos, ac ſi jurè adeptus videretur.

Lib. 1. de vita ſua cap. 2.

Cæterùm Manaſſem interfuiſſe tamquam electum ad ſedem Remenſem dedicationi Baſilicæ ſancti Quintini Belvacenſis cum Guidone Ambianenſi, Gualtero Meldenſi, Hugone Trecenſi, & Odone Silvanectenſi Epiſcopis, tradit d'Hemers in Auguſta ſua Veromandenſi an. 1067. verius 1064. ubi titulo nobilis Clerici, mox futuri Remenſis Archiepiſcopi inſignitur; undè à verò multum aberrant, qui ex Archidiacono Remenſi ad Archiepiſcopatum adſcitum ſcribunt, cum in prædictarum dignitatum ſerie, quam ex varijs tabulariis diligenter excerpſi nuſquam appareat.

Inceptũ Eccleſia Belvac. S. Quintini ædificium an. 1077 & anno 1079. conſũmatum ac dedicatum 4. Octobris.

Anno ſequenti infulas præſulatus induit præſentibus quatuor Provinciæ Epiſcopis ex Alberico, & ex ſchedula recens reperta in feretro S. Theodorici, ubi annus 1071. ante Paſcha, ſecundus dicitur ordinationis ſeu Pontificatus Manaſſe.

Eminet primùm Manaſſæ nomen in Charta donationis cujuſdam Vvalteri factæ ſuper altare ſancti Petri de Ruminiaco, cujus hîc ob antiquitatis honorem, antigraphum damus, cum indè originem duxerit nobilis ejuſdem loci Prioratus qui poſt hac eliminatis Clericis Monaſterio ſancti Nicaſij annexus eſt.

In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Signatur hujus Chartæ ſignaculo cujuſdam alodij legalis traditio facta ſuper altare ſancti Petri Ruminiacenſis à quodam nobili viro Vvaltero manenti in feria Caſtello, quod fieri perſuaſit ejus uxor Ratſeudis, cauſa ſalutis Patris ſui Framonis in eodem loco tumulati, talem námque locum ſibi hæredem elegerunt, donantes ejus altari medietatem alodij Auguſtæ dono Legali cum ramo & ceſpite, & quicquid erat ſervitij in ſervis, & ancillis, & in agris, in aqua, & ſylvis, Molendino, & Eccleſia, quomodo jure hæreditario poſſidebant, poſt præcedentium Patrum funera, quia utérque infœcundi, jam ſenilem ætatem attigerant, orbati filiorum gaudijs. Sic ergo ſuarum animarum & defunctorum parentum providentes commodis, ſupradictum alodium Eccleſiæ ſancti Petri donaverunt, & quicquid ſecularis juſtitiæ eidem alodio accidiſſet judicandum, expulſis Laïcis advocatis, Clericorum arbitrio reliquerunt. Actum publicè Ruminiaco, anno Incarnationis Dominicæ 1070. exiſtente Papa Romæ Alexandro, regnante Francorum Rege Philippo, Remis Manaſſe Archiepiſcopo, Archidiacono Odone, Can-

Ex Chartophylacio S. Nicaſij Rem.

Digitized by Google

Cancellario Odalrico, Comite Teutbaldo, Abbate Godefrido ejuſdem loci, uxore ejus hadnit, Præpoſito Jambaldo, Clericis ejuſdem loci Eurardo, Joanne, Rabodone, Vvinfrido. Teſtes hujus rei legaliter facti Godefridus advocatus, Nicolaus ejus filius, Arnulfus frater ejus, Petrus, Rothardus, Rainoldus, Bernardus, Rotbertus, Joannes, Teutbaldus. Quiſquis hanc Chartam infringere voluerit, à conſortio fidelium Anathema ſit. Ipſa verò fixa permaneat, & inviolabilis.

MANASSES I. XLIV. ARCHIEP. *An.* 1071.

Poſt hæc Manaſſes Pariſios conceſſit, ubi cum pluribus Epiſcopis ac regni Proceribus privilegio Eccleſiæ Corbolienſis à Philippo Rege conceſſo, rogatu Comitis Barchardi ſubſcripſit nonis Novembris 1071. cujus hîc initium reponimus, ac nomina Procerum eximiæ auctoritatis qui ſuis manualibus ſignis illud confirmarunt.

Godefridum Abbat forſan Laycum Eccleſiæ S. Petri Ruminiac.

In Dei nomine ego Burchardus gratia Dei Corbolienſium Comes, Orthodoxæ religionis auctores Spiritus ſancti igne diuinitus illuſtrati, &c. Pariſijs anno ab Incarnatione 1071. Indictione 10. Epacta 28. concurr. 5. IIII. Nonas Nouemb. regnante Philippo 12. anno regni.

Apud Andr. du Cheſne in hiſtoria Montmorenciaca.

Signum Philippi Regis Francorum.
Signum Friderici Seneſchalli.
Signum Vuidonis Breticularij.
Signum Vualeranni, Camerarij.
Signum Richerij Archiep Senonenſis.
Signum Gaulfridi Pariſienſis Epiſcopi.
Signum Vuanderi ſeu Galteri Epiſcopi Meldenſis.
Signum Hugonis Trecenſis Epiſcopi.
Signum Milonis Decani, &c.
Signum Manaſſedis Archiepiſcopi Remenſis.
Signum Guidonis Epiſcopi Ambianenſis
Signum Guidonis Beluacenſis Epiſcopi.
Signum Elinandi Laudunenſis Epiſcopi.
Signum Odolrici Remenſis Præpoſiti.

ODolricus hic regio diplomate à nobis ultimo loco recenſitus quem ut digniſſimum Rectorem Sandionyſianæ familiæ Gervaſius ex ſupradictis præfecerat inſignis vir fuit ſanctimoniæ, pietatis, rerúmque geſtarum laude clarus, necnon regularitati reſtituendæ in Monaſterijs ſenio collapſis impenſè ſtudens, quod vel hoc ipſo probavit exemplo, nam cum ſibi innotuiſſet Baſilicam ſanctorum Martyrum Caloceri & Parthenij duodecim Canonicorum Collegio olim celebrem, ad unius Præſbyteri titulum eſſe redactam, neminémque eſſe qui coram ſacris eorum pignoribus divinas laudes perſolueret, egit pro viribus apud Manaſſem Archiepiſcopum & venerabile Capitulum Remenſe, ut reſtitutis non modo reditibus ſervorum Dei pridem alimento deſtinatis, ſed amplioribus etiam de novo additis, Monachi Benedictini ſub Abbate inſtituerentur, quod & obtinuit, inſtrumento ad hoc confecto ubi tam Archiepiſcopi quam Canonicorum Remenſium erga religioſos innata propenſio & liberalitas clariſſimè cunctis legentibus enitescunt.

Beatorũ Martyrum Caloceri & Parthenij memoria celebris eſt apud Adenũ, Vſuardum & in veteribus pene omnibus feſtis. Fuerũt ex Provincia Armenia, Agonem paſſi Decio Auguſto & Grato conſulibus an. Chriſti 250. ſub Libanio Præſide, qui iuſſit eos ignitum concremari, ſed miſſi in ignem, cum incolumes evaſiſſent tratus Præſes arrepto fuſte ardenti capita eorum contuſit Martyrologium Galicanum de his agit 19. Maij his verbis. Rema Natalis BB. Martyrum Caloceri & Parthenij quorum poſt glorioſum agonem in cauſa fidei peractum ſacra lipſana ad Cenobium S. Remigij allata, congruum cultum receperunt. De hac tranſlatione ſilent noſtri auctores. Mantimontij Monaſterij reſtauratio fidem facit, horum reliquias in Diœceſi Catalaunenſi apud Mauritimontem cultas fuiſſe ante annum 1074.

Charta

MANASSES I. XLIV. ARCHIEP. *An.* 1074.

Charta fundationis Monaſterij ſanctorum Martyrũ Caloceri & Parthenij vel de Maurimonte Diœceſi Catalaunenſi.

EGo Manaſſes gratia Dei Remorum Archiepiſcopus, notum fieri volui tam præſentibus quam futuris fidelibus, qualiter mihi placuerit corroborare & confirmare perpetuum ſtudium filij noſtri Oldorici noſtræ Remenſis Eccleſiæ Præpoſiti, quod Deo aſpirante, tempore noſtri prædeceſſoris Gervaſij uſque ad noſtra tempora vidimus illum ſuper renovanda Maurimontis Eccleſia infatigabili deſiderio exercere. Hæc enim Abbatia olim à Nanceio Comite ſub numero duodecim Canonicorum aſſiduè Deo ibi famulantium copioſè conſtituta, & cum omni (quæ erat multiplex, familijs, terris, cæteríſque reditibus) poſſeſſione ad victum Canonicorum ſanctæ Mariæ tradita, ſit violentorum manibus, & poſſeſſorum incuria diſtracta & perdita defecerat, ut eſſet redacta ad titulum unus Sacerdotis, qui raro acceſſu reliquijs ſanctorum Martyrum Caloceri & Parthenij ibi negligenter poſitus famularetur. Quorum ſanctorum Martyrum negligentiæ, & eorum Abbatiæ deſtructioni Zelo pietatis hic filius noſter compatiens, cum conſilio jam dicti Præſidijs (Gervaſij) & Canonicorum conceſſu, hanc ei loco perquiſivit, & fecit reparationem, ut ibi conſtitueret Monachos qui jugiter Deo & ſanctis Martyribus deſervirent. Ad quorum uſus & victum, terras quas antiquitùs eadem Eccleſia poſſederat eas quidem reddiderunt Canonici ſanctæ Mariæ, quæ infra ſunt annotata. Scilicet Habancourt cum tribus manſis terræ cum Prato Dominicato, & Sylva magna inter Malvam & Berac manſi 6 1. & dimidius in poteſtate Maurimontis, manſi 6. ſuper Biunnam, manſus unus ad Summam Turbam, terra quæ reddit ſex modios annonæ, ad Crucem terræam quæ reddit denarios duodecim, ad Ærnam terra multa, ad Movium manſi duo, ad Burdones manſus unus cum familia multa.

Nanceium Comes.

Reliquiæ ſanctorum Martyrum Caloceri & Parthenij apud Morimontem

Conceſſerũt præterea Canonici de proprijs ſanctæ Mariæ bonis quæ pariter aſſignata videntur, ſcilicet Eccleſiam de Maurimonte: reddiderunt præterea Canonici Monachis paucam familiam unanimi conſilio & fraterna pietate concedentes, & ſtatuentes quod non liceret Præpoſito ſanctæ Mariæ aliquam exactionem vel poteſtatem exercere vel invocare homines ſanctorum Martyrum Caloceri & Parthenij pro qualicúmque forefacto, niſi de redditibus terræ S. Mariæ: illos etiam ſolummodo qui in banno S. Mariæ morarentur. Retinuerunt autem ſibi Canonici in jus perpetuum quod moderns & poſteris voluit fieri manifeſtum, quod ſcilicet Præpoſitus ſanctæ Mariæ homines ſanctæ Mariæ in banno ſanctorum Martyrum Coloceri & Parthenij morantes, poterit pro qualicúmque cauſa capere, querelare, in jus vocare ante ſe ſine infractione banni; iſtud etiam poſſint exercere Monachi in banno ſanctæ Mariæ. Conceſſerunt denique ſæpe dicti Canonici ſanctæ Mariæ Monachis Maurimontenſibus tamquam proprijs filijs, quos velut mater filios educare cupiebant, ut ad eorum ~~præſumpſerit~~, ~~illo quo~~ ædificia ſeu cætera neceſſaria Cœnobij ſui, ſi quando neceſſitas ſe ingeret, de terris ſanctæ Mariæ acciperent ſine aliquo cenſu vel conſtuma danda, illas tantum quæ cultoribus vacant, nec aliquem reditum miniſtrant. Noſtro quoque tempore rebus ipſius Abbatiæ multiplicatis ex petitione filij noſtri Odol. unum de Monachis ejuſdem loci Canonicè electum fecimus in Abbatem, noſtráque auctoritate firmavimus, & firmatum ſancimus, ut quidquid idem filius noſter Odol. Præpoſitus ſcripto pia devotione de ..... id obſervandum permaneat perpetuitate inviolabili. Quod ſi quis hæc pervertere, diminuere, vel aliquo modo violare

Charta pariter fundationis S. Martini Gemellorum Diœceſis Ambian. Recitata eſt in Synodo, & coram Concilijs, Philippo Rege, Manaſſe Archiepiſcopale an. 1073. Indict. 2. Epiſcopatus Guidonis Ambian. 7. Quam firmat Manaſſes Archiep. & poſtea Vuido Archidiaconus Vuarnerus Archidiaconus, Manaſſes Præpoſitus, Lemmus, Decanus, Odo Cantor, & Bruno Cancellarius ſcripſit.

Maurimontenſes filij Rem. Eccleſiæ

late præſumpſerit, illo quo Deus iratus percutit Anathemate feriatur. Anno ab Incarnat. Domini 1074. Indict. 12, Calend. Novemb. Epacta prima, regnante venerabili Rege Philippo, hanc chartam in generali Synodo Remenſi corroboratam & confirmatam. Ego Oldaricus ſcripſi & ſubſcripſi.

Vix apud Maurimontem novella hæc plantatio radices egerat venerabilis Odolrici ſtudio, cum ecce novo turbine vehementer concutitur invidia ac rapacitate Drogonis Domini de Vihenna, qui indebitis legibus homines prædicti Monaſterij fatigabat. De quo cum venerabilis Odolricus rogatu Abbatis apud Godefridum Ducis Gocilonis filium prædicti Drogonis jure clientari ſupremum Dominum conqueſtus fuiſſet, porrecto pignore de damnis quæ intulerat non ſatisfecit modo, ſed ut in poſterùm non deprædator ſed loci cuſtos potius haberetur, ab eo prædictus Odolricus pacto fœdere tandem obtinuit: undè quandiu vixit, nihil moleſtiæ fuit irrogatum. At eo obeunte filij ejus Raignerius, & Gualterus, pactione non ſervata, bona Monaſterij invadere cœperunt, donec ille inſanabili plaga vulneratus, crimen ſuum coram Abbate profeſſus eſt, promiſitque ſi ſuperſtes foret, res Monaſterij ſe ſervaturum, ac inſuper totum, quod jure hæreditatis poſſidebat inter Axonam, & Biunnam fluvios, annuente fratre, ſanctis Martyribus Calocerio & Parthenio Impertivit ut palam fiet ſequenti pagina, qua Manaſſes totius rei ſeriem ingenuè pandit, & explicat.

Monaſterium Maurimontis Vindicatur à pervaſione Drogonis Domini de Vienna. 1075.

NOtificat poſteritati ſuæ Archipræſulis Remenſis Eccleſiæ Manaſſæ dignitas, qualiter Eccleſiam ſanctorum Martyrum Caloceri & Parthenij quorumdam vaſtatorum invaſit rapacitas, qualitervè eis fidelium Chriſti reſtiterit conglobata unanimitas. Hæc Eccleſia in confinio Francorum, Lotharienſiúmque ſita, olim opibus & duodecim Canonicorum ibi Deo famulantium congregatione ditata, crebreſcentibus ruinis penitus ad titulum unius ſacerdotis eſt redacta. Sed poſt multorum annorum curricula, Odalrici ſanctæ Mariæ Remenſis Eccleſiæ Præpoſiti induſtriâ, & cujuſdam Guidonis Decani Eccleſiæ ſancti Stephani Catalaunenſis ſolertiâ relevata, cuidam Monacho nomine Galtero ad providendum & ad augmentandum eſt commiſſa, qui cum totis viribus inſudaret diruta reſtaurare, & paucos ſervulos famis inopiâ circumquaque diſperſos revocare, Miles quidam de vicino Caſtello quod apellatur Vienna, Drogo nomine, hujus ſtudium cœpit impedire.

Denique ſuper reſiduos ſervulos inſurgit, novas leges inſtituit, fáſque nefáſque ab eis extorquet & exigit. Cui rei querimonia poſtquam auribus præfati Præpoſiti Odolrici inſonuit, ipſe curioſius agens, ipſum raptorem ante Ducem Godefridum Ducis Gocelonis filium, qui tunc præfatum Viennenſe caſtrum ſub jure ſuo habebat, convenit; qui ab eo legibus & diſtrictione Ducis ejuſdem Godefr. convictus, porrecto pignore de damnis quæ ſanctis intulerat, ſatisfecit; cui idem præpoſitus ea conventione ut deinceps non deprædator ſed cuſtos loci haberetur totum indulſit, tantum duodecim nummos de legibus accipiens ab eo, quos in præſentia illius perforatos, ſecum detulit in teſtimonium ipſius placiti conſervandos.

Hic Godefr. occidit Ivonem & Treſcatum comitem &c. quem ſeparavit Rotgerus ipſe Catalaun.

Quia verò ipſe Dux Godefridus res ſanctæ Mariæ Remenſis adjacentes circa illud Monaſterium vicario jure regebat, in eodem placito renovavit ei ipſe Odalricus quod beneficium pro hoc opere de Canonicis te-

nebat, videlicet duos præbendanos auenæ quot annis de ſingulis domibus quæ adjacent in banno ſanctæ Mariæ perſolvendos ab incolis in ſancti Remigij feſtivitate, trium etiam dierum opus in anno ad caſtellum muniendum, & hoc in tali tempore ut ruſtici non perderent temporaneum agriculturæ. Cui placito etiam Epiſcopus Catalaunenſis Rogerius ſecundus interfuit, quem Guido Archipræſul Remenſis in loco ſui tranſmiſit: cui Guidoni Gervaſius in regimine ſuccedens ſupradictorum Martyrum coenobio quendam Monachum Iohannem nomine cuſtodem delegavit, quem ego Manaſſes conſilio Canonicorum noſtrorum, & maximè prædicti Præpoſiti Odolrici, Abbatem primum ipſius loci ordinavi, paupertatémque ejus in eo beneficio aliquantulum imminui, qui Abbas ſupradictum Militem Drogonem familiarem, & ſuæ Abbatiæ defenſorem habuit, quovſque in decrepita ætate idem Miles vitam finivit.

Deductus ergo ad extrema Monachicum habitum expetijt, accitóque Abbate & duobus filijs Raignero, & Gualtero, & Nobilibus Militibus, rurſus ex quibuſcúmque ſanctis damnum intulerat, dato pignore ipſi Abbati ſatisfecit, & coram adſtantibus, ne injuriam vel aliquod damnum loco inrogarent filijs interminavit, & ſic bono fine jam Monachizatus in Domino obdormivit. Poſt cujus deceſſum, illi non ſervata pactione patris, loco ſancto inſurrexerunt, multiſque rapinis afflixerunt. Quorum Raignerus inevitabili, ut putabat, plaga vulneratus, Abbatem præfatum ut ad ſe veniret, petijt, quo præſente, mala quæ fecerat confitendo deploravit, promittens res ſanctorum ſi ſuperviveret deinceps ſe ſervaturum. Prætereà annuente fratre ſuo, & cæteris parentibus dedit pro anima ſua ſanctis Martyribus Calocerio & Parthenio quicquid jure hæreditatis inter Axonam & Biunnam fluvios poſſidebat. Cujus rei teſtes idoneos habemus. Biennio verò poſt hæc tranſacto idem. R. plaga mortis præventus obijt, cujus Germanus Galterus ſuperſtes, ab incepta hujus Eccleſiæ non deſtitit injuria, undè moleſtatus præfatus Abbas Joannes, de eo multoties mihi Archipræſuli Manaſſæ clamores intulit, & tandem in præſentia mei, & Virdunenſis Epiſcopi Theoderici, & Metenſis Herimanni, multorúmque Nobilium eum convicit, convictúſque legaliter ſe in eo loco nihil juris habere palam omnibus recognovit, neque habendum deinceps ſe neque aliquem ſuorum hæredum digna adſtipulatione confirmavit, niſi Abbas eum cum opus eſſet, ad corrigendas res Eccleſiæ invitaret. Teſtes, Comes Hezelinus, Dodo, Guitterus, Paganus, Herimannus, Adam, Guido, Geruinus, & multi alij. Quod id circo poſteris notificamus, ut ſi hæres vel aliquis alter ipſi loco inſurrexerit ulterius, hujus adſtipulationis ei opponatur clypeus. †

Ex his liquido patet omnibus, quanta propenſione animi Manaſſes Archiepiſcopus Eccleſiarum jura tueretur. Et ſi quid contra Canones (ut fertur) in adipiſcendo Præſulatu irrepſerit, nullo tamen avaritiæ vitio tunc laboraſſe, cum Gregor. VII. S. Pontifex ad eum tamquam ad Orthodoxum, & legitimum Antiſtitem ſæpius ſcripſit; quin ex chronico Moſomenſi diſcimus anno 1073 villam nuncupatam Villette propè Fimas in ſubſidium alimenti Monachorum liberaliter contuliſſe. Aſcetiſque præterea S. Baſoli anno ſui Pontificatus 7. dediſſe altaria de Atheio, & Caprilla ſub certis conditionibus in charta appoſitis, cui cum S. Bruno Carthuſianorum Patriarcha, & Cancellarius Remenſis ſubſcripſerit, Antigraphum hic tranſcribere non erit ingratum.

8 Bruno Carthuſianorum Patriarcha poſt Oldaricū Rem. Cancellarium.

In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.

EGo Manaſſes ineffabili Dei providentia Remenſis Archiep præteritorum atque futurorum memor qualiter omnia ruinarum atque defectus

fectus detrimenta irrecuperabiliter patiantur, quia vitæ meæ ſtatum non ſemper duraturum cognovi, manum charitatis porrigendo animæ meæ portum tranquilliſſimum ſtudui præparare. Hac igitur neceſſitate, & cura mihi commiſſarum Eccleſiarum compulſus, & Abbate Stephano id depoſcente dedi, & ſubjeci coenobio ſancti Baſoli Altaria duo Atteiæ videlicet, & Caprillæ, ut ea fratres prepetuò ſine perſonatu teneant, tantum ſummaticas perſolvant, & pro me, quo ad vivam, duas omni hebdomada Miſſas, unam privatim, alteram verò communiter celebrent, atque per ſingulos annos in Anniverſarij mei die, ejuſdem Eccleſiæ fratres, de illorum altarium reditibus in refectorio regulariter epulentur. Si quis ea indè abſtulerit, anathema ſit. Actum Remis anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo ſexto, regni autem Philippi Regis XVII. Archiepiſcopi autem Domini Manaſſæ ſeptimo. indict. 14.

MANASSES. I. XLIV. ARCHIEP. An. 1076.

Altaria ſine perſonatu dantur a Manaſſe.

Signum Guidonis Archidiaconi. Signum Guarini Archidiaconi.
Signum Lennini Decani. Signum Odonis Cantoris.
Signum Henrici S. Remigij Abbatis.
Signum Iolzelmi Altivillaris Abbatis.
Signum Gibuini Moſomenſis Abbatis. S. Rimbaldi S. Theodorici Abbatis.
Signum Dodonis Decani. S. Dominici Decani.
S. Lamberti Decani. S. Banonis Decani.
S. VVidonis Militis. S. Alberti Militis. &c.

Bruno Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit.

Sigillo ex cera impreſſa: videlicet imago Virginis ſiniſtra Chriſtum puerum geſtantis.

Manaſſes increpatur à Gregorio VII. quare Canonicam Abbatis electionem Sancti Remigij impediret, Concilium Sueſſioni indicit, ob indebitas excommunicationes, cogitur ſe ſiſtere coram Legato.

CAPUT II.

CUræ Paſtorali utcúmque vacabat Manaſſes Archiepiſcopus, cum Monachorum ſancti Remigij vehemens in eum exarſit commotio, quaſi poſt exceſſum Herimari Abbatis, contra jus & præſcriptum regulæ, alium vellet ipſis ſufficere. An ex libidine horum bona invadendi id fecerit, vel forſan irato animo, quod Monachi inconſulta ſede Remenſi novum ſibi Rectorem delegiſſent, incertum. Quod conſtat, illud eſt, Monachos apud Alexandrum II. de eo primum conqueſtos fuiſſe (nam Herimarus fato functus eſt anno 1071.) tum demum apud Gregorium VII. qui iteratis eorum flexus querelis commonitoriam Archiepiſcopo ſcripſit epiſtolam, ubi non nihil tangit eorum quæ ei objiciebantur, quam hic ex tomo Conciliorum attexuimus.

Gregorius VII. ſit ſummus Pontifex ann. 1073.

Manaſſæ Archiepiſcopo Remenſi, ne Monachos ſancti Remigij amplius vexet, & juxta Canonicas ſanctiones Abbatem ordinari curet.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Manaſſæ Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si loci tui frater dilectiſſime dignitatem, ſi officij debitum, ſi ſtatuta divinarum legum, denique ſi eam quam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reverentiam & charitatem debes diligenter attendere,

Epiſt. 13.

MANASSES. I. XLIV. ARCHIEP. An. 1076.

attenderes, profecto rogatus, & monita ſedis Apoſtolicæ non totiens apud te fruſtrari permitteres, præſertim cum gravis culpa ſit in hujuſmodi cauſa te monitoris vocem provocaſſe, vel expectaſſe. Nam quæcumque nobis ex commiſſa diſpenſatione imminent, negligere quidem ea abſque periculo noſtro non poſſumus, nedum voluntate, & ſtudio confundere ſecurum eſſe putamus. Siquidem meminiſſe debet prudentia tua, quotiens Dominus & prædeceſſor noſter Alexander venerandæ memoriæ Papa, & nos per Epiſtolas, tum per Legatos de cauſa ſancti Remigij rogando & hortando te admonuimus, ne totiens Apoſtolicam audientiam fratrum clamoribus fatigari urgente neceſſitate ſineres, ne quemquam ibi cui ſacri Canones contradicerent, in loco Abbatis apponere, ſeu bona Monaſterij ab uſu Congregationis auferendo, locum inopiæ diſſipares, ſed talem ibi ad regimen Abbatiæ conſtitui regulariter procura, cui nec in exterioribus providendi diligentia, nec in ſpirituali moderamine religio deeſſet, aut ſcientia, quod cum ſæpe te facturum nobis per Legatos tuos promiſeris, nec dum tamen adimplere curaſti, ſed ut multorum relatione comperimus, de die in diem venerabilem locum illum aſperius, ac miſerabilius tractas, & ut detrimenta bonorum temporalium taceamus, religioſas quoque fratrum perſonas crudeli ac contumelioſa captione coarctas &c. Datum Romæ ſecundo Cal. Julij Indictione undecima.

Epiſt. 14.

Idem Pontifex Hugonem Abbatem Cluniacenſem certiorem faciens eorum quæ Manaſſæ ſcripſerat, monet ut Monachos ſancti Remigij tueatur, eoſque per ſuum Monaſterium tranſeuntes benignè excipiat. Et Epiſtola 52. quæ eſt ad prædictum Manaſſem . . . . . quædam ſiniſtræ famæ vulgari de eo diſſimulare non poteſt, quamvis ea non explicet, vel conſultò potius reticeat, ne indè dignitas Epiſcopalis aliquid dedecoris patiatur. Sub finem tamen ſibi aliquatenus ſatisfeciſſe declarat his verbis. *Animum meum non mediocriter recreaſti, quod hominem moribus honeſtum, & eruditum litteris Monaſterio ſancti Remigij poſueris, admodum mihi placet hic Abbas, & ſi poſſet ferre onus, ut utraſque Abbatias regeret, Metenſem & Remenſem laudaſſem &c.* Quod ſi ſe excuſare pergat, hortatur ut alium eligi procuret juxta Canones & Regulam ſancti Benedicti.

Ex Epiſt. Gregorij ad Herim. Metenſem Epiſcopum.

Ex his planum fit Manaſſem conſenſiſſe ut Abbas ſancti Arnulphi Metenſis, Remigianis præficeretur, & ipſe ſua ſorte contentus, paupertatémque divitijs & alieni ſoli longè præferens, nuſquam perſuaderi potuit ut Abbatiam S. Remigij acceptaret, undè jubenti Pontifici, ut in ejus locum eligeretur alius, morem geſſiſſe Archiepiſcopum veriſimile eſt, cum Henricus ex Hamilianenſi apud Guibertum de Novigento renunciatus dicatur an. circiter 1076 & patet ex charta S. Baſoli ſuperius relata, cui ſubſcripſit titulo Abbatis S. Remigij, nec ſummus Pontifex Epiſt. 6. hujus negotij amplius meminerit, ſed vexationum quarundam quas Italiæ mercatores patiebantur Philippi primi conniventia, quem ibi lupum rapacem nominat & tyrrannum cujus emendationem precatur, monétque Manaſſem & alios Francorum Epiſcopos, ut ad hoc curam impendant. At Epiſtola 56. prædictum Archiep. increpat quod Epiſcopum Catalaunenſem non coegerit ad reſtituenda Clericis quibuſdam ab eo ſpoliatis beneficia ut ei injunctum fuerat, & qui Romæ de eo adhuc graviter conquerebantur.

Epiſt. 5. lib. 2. regiſtri Greg. 7 Epiſt. 56.

Sueſſionem vocatus Archiepiſcopus Manaſſes ut erectionem Monaſterij S. Joannis de Vineis ſua præſentia & ſigillo confirmaret anno 1076. ac ibidem pauliſper moratus Concilium Provinciale indixit juſſu Gregorij VII. pro reſtitutione bonorum Abbatiæ S. Quintini quæ Philippus Rex veteri odio in Guidonem fundatorem ab ea abſtulerat. Epiſcopi obtinuerunt a Rege ut votis non modo ſummi Pontificis ſatisfaceret, ſed & Religioſis regale privilegium concederet, cui lubens

manu

Digitized by Google

manu propria ſubſcripſit ipſe, tum Rex Angliæ ac Proceres regni Francorum ubi hæc verba habentur. *Recitatum eſt & confirmatum ſub præſentia venerabilis Manaſſæ Remorum Archiepiſcopi & plurimorum ſanctorum Patrum Sueſſionis in Concilio quod ſub eodem Archiepiſcopo celebratum eſt in Eccleſia ſanctorum Gervaſij & Prothaſij 16. Calend. Maij. Quicumque hoc firmamentum violaverit, Chriſti martyris Quintini accuſationem apud diſtrictum judicem incurrat.* MANASSES. I. XLIV. ARCHIEP. An. 1077.

Ego Manaſſes Remenſis Archip. mea manu ſubſcripſi.
Signum Gerardi Cameracenſis Epiſcopi.
Signum VVidonis Belvacenſis Epiſcopi.
Signum Iuonis Silvanectenſis Epiſcopi.
Signum Theobaldi Sueſſionenſis Epiſcopi.
Signum Radbodi Noviomenſis Epiſcopi.
Signum Huberti Tarmamenſis Epiſcopi.
Signum Godefridi Cancelarij &c.

CHronicon Cameracenſe hujus ſynodi meminit ad annum 1078. aitque coactam in gratiam privilegij Eccleſiæ ſancti Quintini a Philippo conceſſi ab omni extranea ſervitute. In hac quoque ſynodo apud ſanctum Medardum tranſlata, Radbodus Noviomenſis præſul rogatu Ramboldi Abbatis S. Theodorici nominatiſſimi, altare de villa Emme prope Atteias coenobio conceſſit obtentu (ut dicitur) Manaſſis Archiepiſcopi ut charta indicat cujus hic tenor eſt. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. ſi Eccleſiarum ſolicitudo Paſtoribus eorum incumbit cotidiano &c.* *Balder. lib. 3.* 1078.

Tam effrenata per id tempus perverſorum hominum in Francia debacchabatur immanitas, ut abſque bonorum jactura & vitæ periculo nemini tutum eſſet iter facere. Narrat Anſelmus Beccenſis Abbas, Rodulfum quendam juxta Remos cum famulis, equis Abbatis omnibus captum, quamquam ſe ſub Archiepiſcopi Rem. tuitione ire clamaret. Lanfrancus quoque Cantuarienſis apud eundem conqueritur quod propè Reſnacum, litterarum ſuarum bajulus regius homo vim paſſus eſſet, Epiſt. 30. cujus inſcriptio talis eſt. *Domino in columnis Eccleſiæ plurimùm honorando Remenſi Archiepiſcopo Manaſſi, peccator & indignus Antiſtes Lanfrancus ſalutem, ſervitium cum orationibus &c.* *Extat in Archivo coenobij.* *Anſelm. lib. 1. ep. 46.*

Ex his nemo inficias ibit Manaſſem ſub initium Pontificatus veri Paſtoris munus expleviſſe. At inſigniores è Clero cui nota viri indoles, querebantur interim de illegitima ejus promotione, inconditis moribus, ſimonijs & tyrannide. Tradit Guibertus de Novigento eum ſtudio libertatis dixiſſe aliquando *bonum eſſe Archiepiſcopatum Remenſem, ſi non indè Miſſas cantari oporteret* quod in piorum animos grave ſcandalum ingeneravit, undè multi inter quos ſanctus Bruno Canonicus Remenſis mundum pertæſi, relictis opibus ac beneficijs Eccleſiaſticis in heremum ſecedere propoſuerant. Addit prædictus auctor inter Eccleſiaſtica ornamenta ab eo Militibus impertita (qui ſuæ inſervierant tyrannidi) calicem aureum haud parvi pretij, & exquiſitæ dignitatis (ferebatur eum quandam auri particulam illius, quod a tribus Domino magis oblatum eſt ipſi fuiſſe offuſam) tradidiſſe, quem cum forcipe deſectum per partes quibus placebat diſtribueret, & quidam præ modeſtia recipere abnuerent, ſceleſtum quendam contempta ſacramenti majeſtate, ſtatim ac particulam ſuſcepit in amentiam verſum, pœnámque indebitæ præſumptionis continuò exſoluiſſe. *Guibertus lib. 2. de vita ſua cap. 14.*

His, alijſque gravioribus quæ de Manaſſe dicebantur commotus ſum-

MANASSES. I. XLIV. ARCHIEP. *An.* 1078.

mus Pontifex, tum etiam querimonia tam VValteri cujuſdam Duacenſis, quam Roberti, & Lamberti Monachorum ſancti Remigij quos contra jus & eorum provocationem ad ſedem Apoſtolicam, excommunicaverat, quódque prædictum Monaſterium in deterius rueret, ambitione cujuſdam Abbatis externi pecunia intruſi, quem Manaſſes tuebatur, decrevit huic malo finem imponere, unde reſcribens ad venerabilem Gauffridum Pariſienſem Epiſcopum facultatem ei conceſſit abſolvendi præfatos Monachos, monuitque, ut quandiu exules forent, curam eorum gereret. Abbati verò per Archiepiſcopum intruſo injunxit, ſub gravi pœna, ut ſuæ promotionis quamprimùm rationem redderet coram Legato.

VValterum Duacenſem ob, facinus aliquod apud eum accuſatum quãvis vadimonia promitteret, piorum coetu & ſacris interdixerat Manaſſes. Gregor epiſt. 20. lib 4.

Procellæ iturus obviam Manaſſes ad Privilegia Remenſis Eccleſiæ recurrit, quaſi inauditum eſſet Metropolitam ab inferioris dignitatis perſona judicari, & a Legato qui non foret ex Italia oriundus, vel à pueris ſaltem Romæ enutritus, jactatque Remenſem Archiep. ſoli Pontifici eſſe ſubjectum, & in Privilegiorum obſervantia Apoſtolicæ ſedis dignitatem elucere. Greg. olfaciens quid vellet, oſtendit primum exemplo Oſij Hiſpani, qui Concilio Nicæno præfuit, Cyrilli item, & Siagrij Auguſtodunenſis, Legatos Romanos eſſe non tantum qui Romæ nati & educati eſſent, ſed quibus Romanus Pontifex vices ſuas committit. Tum addit Privilegia à ſede Apoſtolicâ concedi ſolita pro re, pro perſona, pro tempore, pro loco, iterum pro ijſdem ſi neceſſitas vel utilitas major exegerit, licenter poſſe commutari ſicut accidiſſe ait de Arelatenſis Eccleſiæ vel aliarum civitatum antiquis privilegijs quæ poſtea cauſis emergentibus, ceſſarunt & alia pro libitu conceſſa reperiuntur. Addit præterea (quo Manaſſis acrius contumaciam frangat) Epiſcopium Remenſe, cui præerat, Primati, ut Magiſtro, poſt Romanum Pontificem olim ſubjacuiſſe, quod alibi de Archiepiſcoporum Rem. prerogativis diſſerendo benignè explicuimus. Quamvis Manaſſem privilegio agentem gravioribus his verbis caſtigaret Greg., expoſtulationis tamen ab eo factæ in Metropolitanum Viennenſem, & Epiſcopos Laudunenſem & Sueſſionenſem rationem habendam eſſe duxit, ne occaſionem indè ſumeret de ſancta ſede Apoſtolica inſolentius conquerendi. Undè mandat confeſtim Epiſcopo Dienſi Legato, ut pace Remenſi Eccleſiæ redditâ, Archiepiſcopum tueatur, ſi juſſis Apoſtolicis pronius obtemperet. *Mandamus quatenus finem imponere procuretis negotijs, undè Remenſis Archiepiſcopus conqueſtus eſt. Conqueritur enim de fratre noſtro Archiepiſcopo Viennenſi VVarmundo, qui in ſuo Archiepiſcopatu Præsbyteros depoſuit, & eoſdem reſtituit: quin etiam conqueritur, quod duo ſuffraganei ejuſdem Remenſis, Laudunenſis ſcilicet & Sueſſionenſis, poſthabitâ canonica auctoritate, Ambianenſem auſi ſunt Epiſcopum conſecrare dum ipſe eſſet nobiſcum Romæ, & de ſe ſententiam humiliter expectaret. quod vos digna & ſolerti indagatione diſcutere & cognoſcere, omni modo ſtudete an ita res ſe ſe habeat.* Extat Manaſſis Epiſt. ad Greg. VII. ubi præmiſſis in Viennenſem Archiep. Sueſſionenſem, Laudunenſem & Ambian. querelis ſic concludit *undè propter talium (Legatorum ſcilicet) pudendas reprehenſiones & vocationes, mihi, qui totius Galliæ Epiſcopos debeo convocare liceat conſidere de vobis, ſine legatorum vocatione donec ad Paſcha veniam ad vos.* Ibi etiam de Ebalo R. Comite conqueritur & complicibus, item quos in ſuo Caſtro recipiebat, & de Hugone Dienſi Epiſcopo, quod Drogoni ſedis Tarvennicæ Epiſcopo ſacra interdixiſſet, qui jam ultra tempus 60. annorum gradum tenuerat Epiſcopij.

Epiſt. 2. lib. 6.

Hugoni Dienſi Epiſcopo & Hugoni Cluniacenſi Abbati mandat Greg. VII. ut querelis Rem. Archiep. finem imponant tom. 3. Concil.

Hugo Dienſis nepos Hugonis filij odonis 1. Burgundionis Ducis fit Epiſc. Dienſis an 1071. deindè Archiepiſcopus Lugdunenſis.

Manaſſes

Digitized by Google

Manasses in Concilijs Augustodunensi & Lugdunensi ob contumaciam condemnatus, huc illúcque oberrans defungitur.

CAPUT III.

MAnasse obfirmato perseverante animo, summus Pontifex qui in eo operam luserat, non amplius cunctandum ratus, Legatis suis (quos in Galliam ablegabat contra Laïcorum investituras) dedit in mandatis, ut coacto Concilio, malis Ecclesiæ Remensi impendentibus mederentur. Augustoduni Concilium indictum an. 1079. denunciatúmque Manassæ, ut ad illud ocius occurreret, de criminibus quæ objicerentur rationem redditurus, alioquin sciret se absque omni procrastinatione a corpore Ecclesiæ certò rescindendum. At ille Privilegiis suæ Ecclesiæ, velut clypeo contectus, vocationem irritam reddere nitebatur, cúmque pervicacior in dies minis seu etiam blanditijs flecti non posset, eum ut contumacem & obduratum Legati condemnant, unà cum Archiepiscopis Bisuntino, Turonensi, Senonensi, & Bituricensi, alijs similiter criminibus impetitis, qui nihilominus cum eo sedem Apostolicam apellarant. Gregorius horum provocationem ut iterum audirentur, lubens admisit. Manassi verò functionibus Episcopalibus primò interdixit, quod à Concilio inconsulto præside, se substraxisset, rigorem tamen Canonum aliqua benignitate lenire cupiens, maximè quo l sententia super eum data, Romanæ Ecclesiæ gravitatem, & solitam mansuetudinem parum sapere videretur, in proprium gradum, officiúmque hac conditione restituit, si facti pœnitens, supra corpus sancti Petri juraret hoc modo. *Ex chronico Virdunensi 1077.*

Ego Manasses Remensis Archiepiscopus, pro superbia non dimissi, quod non venerim ad synodum Augustodunensem, ad quam me Diensis Episcopus vocavit, si vocatus nuncio vel litteris Apostolicæ sedis fuero, nullo malo ingenio, & nulla fraude me subtraham, si veniens definitioni & judicio hujus Ecclesiæ fideliter obediam. Quod si Domino Papæ Gregorio, vel successori suo placuerit de objectis ante Legatum suum respondere, idem per omnia faciam, thesauros autem, ornamenta, & prædia Remensis Ecclesiæ mihi commissa, ad honorem ipsius Ecclesiæ fideliter tractabo, & ad resistendum justitiæ ea non abalienabo.

Nihil hac benignitate provisum, nam Manasses Romam vocatus passim subterfugijs utebatur, quæ Pontifici non placebant, dictitans se ultra montes proficisci non posse ob bellorum motus quibus premebatur Gallia, ut hoc prætextu callidè declinaret judicium, nec de criminibus pœnas daret quibus conscientiam oneratam sentiebat. Inter moras ab Hugone Diensi, Pontificis jussu, Lugduni synodus cogitur, ad quam Manasses iterum vocatus ut rationem redderet eorum, de quibus accusabatur, testes hic velut sibi infestos, apud Legatum ejurandos censuit Epistolâ quæ sic incipit, *monuistis me Lugdunum vobis ad Concilium occurrere*, cujus hic pericopen damus nobis a R. P. Sirmondo pro sua humanitate transmissam ubi de suis accusatoribus loquens dicit pacem injisse cum omnibus exceptis Brunone, & Pontio, quos his verbis suspectos reddere studet, *quorum unus*, scilicet Bruno, *nec noster Clericus, nec noster natus, aut renatus est, sed sancti Chuniberti Colonienſis in regno Teutonicorum posito Canonicus est, cujus societatem non magnoperè affectamus, utpote de cujus vita, & libertate penitus ignoramus, & quia quando* *Epist. 12. lib. 9. ad Manassem.* *Ex bibliotheca Dom. Petau.*

quando apud nos fuit pro multis beneficijs a nobis in eum collatis, malè & nequiter tractati fumus. Alter vero (id eſt Pontius) in Romano Concilio nobis præſentibus eſt falſatus, & ideo nec uni, nec alteri in Eccleſiaſtico judicio reſpondere aut volumus, aut debemus.

Legatus nullâ habitâ ratione objectorum in prædictos teſtes, cum nihil eorum de quibus Manaſſes accuſabatur eum lateret, ſententiam rurſum protulit in Archiepiſcopum, quæ a ſummo Pontifice confirmata eſt, adhibito nihilominus hoc temperamento, quod ſi ſecurus de ſua conſcientia Epiſcopos Sueſſionem, Laudunenſem, Cameracenſem, & Catalaunenſem cum quibuſdam Laïcis ex primoribus, Romam mittere vellet pro ſe teſtaturos, judicio ſuperſeſſurum, ea conditione ut Brunoni, Pontio, & cœteris qui pro juſtitia ſteterant, rebus ſuis in integrum reſtitutis, Remenſem Eccleſiam ex toto liberam deſereret. Manaſſes huic reſponſum non dedit, imo ſuis accuſatoribus è Concilio redeuntibus clam inſidias ſtruxit, ut Hugo flaviniacenſis teſtis locuples in Ms. hiſtoria refert his verbis, *accuſatus in Concilio Lugdunenſi Remenſis Eccleſiæ invaſor ſimoniacus Manaſſes, à Clericis Remenſibus, & ſuſpenſus ab officio, qui advocatus ad Concilium, ut ſe purgaret, non venit, qui cum à Canonicis Remenſis Eccleſiæ accuſatoribus ſuis a Concilio redeuntibus, plurimas paraſſet inſidias, demum domos eorum fregit, præbendas eorum vendidit, & bona eorum diripuit. Indè cum à Roma litteras accepiſſet, & ut in Concilio cum ſex ſe purgaret Epiſcopis, Romam ivit*, & poſt multa de Concilio congregato, cui præſidebat Hugo Dienſis Epiſcopus, addit. *Synodali judicio eſt depoſitus Manaſſes, quia ſe purgare noluit, tum quia audientiam Eduenſis, Pictavienſis, & ipſius Lugdunenſis ſubterfugit.*

Epiſt. 10. lib 7. regiſtri data 15 Calend Maij, indict. 3.

1080. Sententiæ in Manaſſem latæ, certiores fecit Gregorius Clerum Remenſem, Ebalum Comitem R. & Epiſcopos Provinciæ Rem. ut a peſtifera ejus converſatione penitus ſe ſubtrahant, tribus Epiſtolis quæ extant in tomis Conciliorum. Scripſit quoque Philippo Regi cui Manaſſis ſcelera ignota non erant his verbis. *Sublimitati tuæ ex parte beati Petri præcipimus, ac ex noſtra rogamus, ut Manaſſæ Remenſi Archiepiſcopo dicto, ſed propter iniquitates ſuas depoſito, nullum ulterius favoris tui ſolatium præbeas, ſed eum ita ab amicitia tua reſcindas, atque à conſpectu præſentiæ tuæ contemptum repellas ut te pateat inimicos ſanctæ Eccleſiæ videlicet excommunicatione induratos reſpuendo Deum diligere, Apoſtolicíſque mandatis morem gerendo gratiam beati Petri veraciter deſiderare. Præterea volumus & ex parte Apoſtolica jubemus, ut electionem quam præfatæ Eccleſiæ Clerus & populus Deo annuente facturus eſt, nullo ingenio aut ſtudio, quò minus Canonicè fiat, impedias; ſed & ſi quis impedire aliquo ſtudio ſeculari tentaverit, illi omnino contradicas, atque illi quem pars fidelior, & religioſior elegerit, adjutorium tuum impendas.*

Epiſt 17 18 19 20. lib. 8 regiſtri.

En debitum tyrannidi præmium, ac dignus Manaſſis contumaciæ fructus, ob quam ex dypticis a quibuſdam meritò expungitur, quod ſedem Remorum nequiter conſpurcarit. Sunt qui putant reſipuiſſe poſt caſum, ac, ut privatum Romæ diem clauſiſſe anno 1092. At Guibertus de Novigento coetaneus, infœlicis hujus Preſulis cataſtrophen è contra ſic refert in vita S. Brunonis. *Hujus ergo mores prorſus improbos, & ſtupidiſſimos habitus, cum omnis honeſtus horreret, Bruno in Eccleſijs Galliæ tunc opinatiſſimus, cum alijs Remorum Clericorum Nobilibus, infamiæ illius odio exceſſit ab urbe, quem poſtmodum Proceres, Clerus, atque Burgenſes, cùm ab Hugone Dienſi Apoſtolicæ ſedis Legato anathemate ferirentur, a ſede quam malè obſederat, expulerunt, & exilio relegatus æterno, cum ad excommunicatum tunc temporis Henricum, ipſe etiam excommunicatus ſe contuliſſet, huc illúcque oberrans, ſine communione poſtremò defungitur.*

Ex

Ex charta nihilominus Compendienſi cui Manaſſes ſubſcripſiſſe legitur an. 1092. ut infra videbitur, planum fit poſt ſententiam in eum latam, adhuc ſe pro Archiepiſcopo geſſiſſe, Regis (ut reor) præſidio qui ob Pellicem Pontifici in omnibus non parebat. Undè Gregorio opus fuit ad Regem ſcribere, ne Manaſſi deinceps favoris ſui ſolatium præberet. Elinandus Laudunenſis interea donis, & amicorum ſtudio, Archiepiſcopatum à Rege acceptum duos annos tenuit, ab anno 1082. ſcilicet ad 1084. ex Guiberto. At hic poſt multam pecuniarum vim conſumptam, monetur a Pontifice, ut alterum beneficium abdicaret, eo quod uxorem quis habens, aliam ſuper inducere nequaquam poſſet. Tanta hic pecuniarum cupiditate flagrabat, ut dixiſſe tradatur non ſe parciturum labori ſi ſummum Pontificatum quoquo modo conſequi poſſet.

MANASSES. I. XLIV. ARCHIEP. An. 1082.

Lib. 1. de vita ſua cap. 2.

Raynaldus ex Theſaurario Turonenſi ſit 45. Archiepiſcopus, fundationem Monaſterij Ribodimontis approbat, Concilium Compendij indicit, tumulus S. Theoderici miraculis claret.

CAPUT IV.

NUNCIATA Remis ſpeudo Archiepiſcopi dejectione, Clerus & populus, quo omnem ab eo per Campaniam Remenſem immaniter ſæviente, redeundi ſpem adimerent, de ſubſtituendo Præſule ſeriò pertractarunt. Fama eſt Brunonem quem Manaſſes beneficijs ſpoliaverat, à multis expetitum, quod doctrinâ, morúmque gravitate in Eccleſia Remenſi pridem enituiſſet. Elinandus clam, ſenſimque ad dignitates Eccleſiaſticas adrepens, duos annos velut Archiepiſcopum ſe geſſit, ſubnixus ope Philippi Regis, quem donis, promiſſiſque lactaverat, (ſi Guiberto fides.) At Raynaldus Turonenſis Eccleſiæ Theſaurarius eximiæ virtutis vir, & eruditione clarus, omnium votis eligitur, primuſque ordinationis annus haud dubiè incipit an. 1084. Unde ſi Elinandus per aliquod tempus Archiepiſcopatum tenuit, inchoaſſe neceſſe eſt, ſtatim ab exauctoratione Manaſſis, quod tamen ex veteribus Chartis hactenus colligere non potui.

Armes des Seigneurs du Belay Princes d'Inetot Portent d'argent à la bande fuzelée de gueule, accompagnée de ſix fleurs de lys miſes en orlé, trois en chef & trois en pointe.

Raynaldo in locum Manaſſæ ſuffecto, poſt ſententiam Legati à ſummo Pontifice approbatam, ſubito nova lux omni Remenſium regioni viſa eſt exoriri, nebuliſque, veluti ſolis vivaciori radio, depulſis, priſtinum ſuæ dignitatis decorem Eccleſia reſumpſit, quam ſanctè, & ſapienter regere aggreſſus eſt. Contractus hic alicubi nominatur quia parvus, incurvus, ac paululum inflexus, ut de ſancto Paulo quidam referunt, niſi ex podagrico dolore ita factus fuerit, & apellatus, quo ab alijs ex eadem gente Præſulibus qui præcipuas hujus regni ſedes digniſſimè occuparunt.

Vocatur Raynaldus Renoldus & Reginaldus.

Cœterùm hunc ex perilluſtri familia de Belay traxiſſe originem (quę multis ſæculis terram de Ivetot titulo regni poſſedit) docet hiſtoria Pictavienſis, ubi habetur Berlaium de Monſtrolio ſibi Græciam ſeu Griſiam ſociaſſe, quæ poſt hac Duci Andegauenſi Martello nupſit, ex qua Giraldus Dominus de Monſtrolio, Hugo, & Raynaldus Rem. Archiepiſcopus prodierunt: quod ex charta fundationis Prioratus Monaſterioli amplius conſtabit, quem erexit Dominus de Bellay pro ſalute animæ

Nonis Novēb. obiit Berlaius pater d. Raynaldi Archiep. ex obituario Rem. & Gracia Mater ejus 6. Calend. Maij.

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1083. 1084.

ſuæ, Agnetis item conſortis ſuæ, Patris & Matris, Raynaldi quoque Archiepiſcopi, & Hugonis Avunculorum ſuorum, ſic autem incipit

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Berleius ſervus ſervorum Dei, licet peccator, & indignus, confiſus tamen de miſericordia Dei &c. Pro ſalute animæ meæ ſtatui quoddam beneficium facere, per quod miſericordiam Dei poſſem promereri. Vnde Domnum Lambertum Abbatem, & Monachos S. Nicolai adiens, eos humili ſupplicatione exorare ſtatui, ut apud Monaſteriolum in Eccleſia beati Petri Apoſtoli Conventum duodecim Monachorum ſtatuerent. Ita ut unus ex illis, quem Abbas eligeret, Prior ibi exiſteret, ac ſicut mos eſt, ordinem decenter teneret. Abbas autem & Monachi, meæ petitioni nolentes reſiſtere, voluntatis meæ deſiderio libenter paruêre. Quapropter placuit mihi, ut ex rebus meis, quas ex proprio jure poſſidebam, locum iſtum aliquantiſper ditarem, quo Fratres in ſervitio deſudantes, laborem ipſum patienter ſufferre valerent. Imprimis dedi illis decem libras denariorum ad conſtruenda ædificia domorum; dedi etiam eis omnes meas decimas de Gaſtinis &c. Hæc omnia dedit Berleius Monachis S. Nicolai pro ſalute animæ ſuæ, Agnetis uxoris, Patris, & Matris, Berlei quoque Avi ſui, & Chriſtiæ uxoris, Raynaldi quoque Archiepiſcopi Remenſis, & Hugonis Avunculorum ſuorum, ac pro ſalute omnium fidelium defunctorum. Omnia hæc acta ſunt in refectorio ſancti Petri de Monaſteriolo, die Purificationis ſanctæ Mariæ ſexta videlicet feria, & donum hujus beneficij factum eſt cum Croſſia Abbatis, & a Berleio & uxore ejus in manu ipſius eſt poſitum. Abbas autem & cæteri, qui ibi aderant ante Altare ſancti Petri venientes, ibi Dominum Berletum & uxorem ejus, omnéſque alios propter amicitiam ejus de beneficio Eccleſiæ ſancti Nicolai, & S. Petri cum Miſſali eos reveſtivit, & Berleius cum uxore ſua donum quod fecerat iterum Abbati, cum ipſo Miſſali conceſſit, & ſuper altare poſuit &c.

Signum Berlei, Signum Agnetis, Signum Gerardi infantis.:

Anno ab Incarnatione 1085. decimo Calend. Maij, Papa Paſchaſio, Philippo Francorum Rege, Petro Pictavorum, ac Reginaldo de Martiniaco Andegavorum Epiſcopo, Fulcone Iuniore, & Gaufrido Martello filio ſuo Comitibus.

In chronico Nicaſiano.

Hic itaque Raynaldus culmen Epiſcopalis honoris feliciter adeptus, omne ſtudium impendit, ut ea quæ a prædeceſſore ſuo peſſimè geſta fuerant, reſarciret. Etenim non urbem ſolum ſed omnem in circuitu ipſius regionem, velut à Barbaris exterminatam, & conculcatam reperit, at hic ingenio ſolers & pervigil, diſperſa collegit, & annulata in priſtinam majeſtatem ſic reſtituit, ut Eccleſiæ bonis ac Reipublicæ utilitati natus eſſe videretur.

Anno 1084. vocatus ad placitum Regium, apud Ribodimontem, approbat rogatu Ancelli Comitis, fundationem Monaſterij S. Nicolai ex ſubjecta tabula cui ipſe ſubſcripſit. *In nomine ſanctæ Trinitatis. Ego Ancellus Ribodimontis Comes, quia ſæculo tam in ſenium vergente &c.* ubi dicit ſe fundare Abbatiam in honorem beatæ Mariæ & S. Nicolai, quam liberam ab omni ſubjectione concedit, ſalvâ reverentiâ & Chriſtianitate debitâ ſanctæ Remenſi Eccleſiæ & Laudunenſi. 24. regni Philippi I. an. 1084. Indictione 7. cui ſubſcripſere.

Helinandus Epiſc. Laudun.	*Eubalus Comes Rociac.*
Raynaldus Archiep. Rem.	*Raynaldus Comes Sueſſion.*
Rogerus Epiſc. Catalaun.	*Alduinus Comes Valenc.*
VVido Epiſc. Bellovac.	*Euſtachius Catalaun. Vicecomes.*
Hugo Comes Pontin.	*Ioſlinus Bellovac. &c.*

Philippus Rex apud Ribodimentem exiſtens eodem anno confirmavit pariter ſuo diplomate hanc Ancelli fundationem in quo Præſules hoc ordine recenſentur.

Elinandus

Digitized by Google

Elinandus Epiſc. Laudun. *Gerardus Tarnan.*
Raynaldus Archiep. Rem. *Rorico Ambian.*
Rogerus Epiſc. Catalaun. *Ingelramnus Sueſſion.*
Rabodus Noviomen. *VVido Belvacen.*
Gerardus Cameracen. *Eubalus Comes Rocci.*

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1084.

Queſtio hîc ſuboriri poſſet cur ſubſcripſerit Elinandus ante Remenſem Archiepiſcopum, ut ſemel adhuc contigiſſe repertio in charta donationis Parochiæ S. Quintini de Corbeniaco. Ubi Ingelramnus Laudunenſis nominatur ante Manaſſem II. Augurari quis poteſt Epiſcopum in ſua Diœceſi id honoris nonnumquam ſibi vendicaſſe, aut certè tabulam fundationis a loci Epiſcopo ſubſcriptam, miſſam poſtmodum Archiepiſcopo, quod hic confirmationis dumtaxat, ratione ſuæ dignitatis jus habeat, ordinarius verò probationis. Quidquid ſit Raynaldum anno ſequente, primatum ſuum tenere in charta exemptionis Canonicorum Compedienſium precibus Philippi I. conceſſæ & approbatæ in ſynodo ab eodem Compendij habita videmus: Ubi cum diſciplinam aliquatenus lapſam in meliorem ſtatum reſtituere decreviſſet, & res eſſet magni momenti, Elinandum Laudunenſem, Rogerium Catalaun. Vrſionem Belvac. & alios Rem. Provinciæ ſuffraganeos ſollicitè monuit ibi præſentes adeſſe. Philippum quoque Regem interfuiſſe docent acta Concilij, in quo actum præſertim de Canonicis Compendienſibus a juriſdictione Hilgoti Sueſſion. Epiſcopi eximendis, quem Ivo Carnotenſis magnis extollit laudibus epiſt. ad Paſchaſium id nominis II. Hujus Concilij aliud nihil reſtat præter chartam regiam, quæ prędictæ exemptionis rationes exponit hoc pacto.

Iidem Epiſcopi Sueſſion. ad ſynodum convenerant eodē anno ut ſupra vid. an. 1048. l. b 1 cap. 27.

Forſan primus hic ſubſcripſit, quod Remenſe Epiſcopium tenuerit per duos annos, ſpeſque adhuc ei eſſet jus ſuum perſequendi.

1085.

Philippi Regis diploma pro Compendienſibus Canonicis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Quia divina providentiæ diſpenſatione Compendienſem Eccleſiam fundatam quidem à Carolo Illuſtri & Nobiliſſimo Rege Francorum, ac Imperatore Romanorum prædeceſſore noſtro, à ſancto Ioanne Romano Pontifice, & 72. Epiſcopis ſolemniter celebri honore ac decore ſpeciali dedicatam condigno honore libertatis ad tempora noſtra viguiſſe cognovimus, nullius quoque Metropolitani, Epiſcopi nullius Dominatione, nec ipſius Sueſſionenſis fuiſſe conſtat obnoxiam, eandem ipſam Eccleſiam in eodem honore, ac priſtina libertate, tam noſtro tempore quam ſucceſſorum noſtrorum retinendo conſervare, conſervando retinere deſtinamus, volumus, debemus. Undè notum fieri volumus fidelibus noſtris tam præſentibus quam futuris, quod Hilgotus Sueſſionenſis Epiſcopus prędictæ videlicet Eccleſiæ Canonicos noſtros, de quibuſdam quæ eos ad uſus, aut Eccleſiam ſuam & ſeipſum commiſiſſe querebatur, in Concilio Compendij celebrato in præſentia domini Raynaldi Rem. Archiepiſcopi & cœterorum Epiſcoporum qui eo convenerant, Elinandi videlicet Laudun. Rogeri Catalaun. Vrſionis Belvac. Vrſionis Silvanect. Roriconis Ambian. Rabodi Noviom. Geraldi Camerac. Goiffridi Pariſien. Gualteri Meldens. Abbatum quoque, Geruini de ſancto Richario, Cuciardi Corbeien. Godefridi de Monto S. Quintini, Burchardi de S. Bazolo ..... Henrici de S. Remigio ..... Richerij de S. Theoderico, Petri de Altovillari &c. Contra conſuetudinem ac libertatem eiſdem Canonicis à Patribus noſtris & à nobis editam & conceſſam ad contemptum Prædeceſſorum noſtræ Regiæ Majeſtatis, ubi, & ad quos nullatenus oportuerat, cauſare præſumpſit.

Ex Chartul. Compend.

Compedienſes Canonici nunc Monachi immunes a juriſdictione Metropolitana & Epiſcopali.

Noſter Acherium refert ſpicil 5 fol 560. Gerardū Camer. conqueſtū fuiſſe in hac ſynodo de Hugone de Inſiaco qui & ob vexationes in Eccleſiam illatas, anathematis gladio percuſſus eſt.

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1085.

Nos verò illi querimoniam ..... a nullo Metropolitano, a nullo etiam Episcopo Justiciari, nec ad placita seu ad agendas causas deberent invitari vel compelli in eodem ipso Concilio, coram prænominatis personis cum decretis Romanorum Pontificum in consuetudinibus ipsius Ecclesiæ ad nos usque derivatis & habitis, plenariè differentes, evidenter ostendimus &c. Actum Compendij Palatio, anno Incarnati Verbi millesimo octuagesimo quinto Indict. 8. anno regni nostri 24. Goffrido Parisiorum Episcopo Archicancellario nostro.

Signum Philippi † Francorum Regis.

1087.

Victore Pontifice vitâ functo, Odo Castiloneus primùm Remensis Canonicus, tum Cardinalis Episcopus Ostiensis omnium electorum consensu Tarracinæ in Campania creatus est universalis Ecclesiæ Pontifex, ac Vrbanus hujus nominis secundus appellatus. Hic cum studiosissimus pridem Raynaldi fuisset, statim ac solium Petri conscendit, significat ei per litteras desiderio se teneri visendi eum Romæ, monens ut quamprimùm limina Apostolorum visitaret. Cur verò id tantoperè cuperet, incertum, forsan ut de statu Gallicanæ Ecclesiæ, & regni commodius & privatim agerent. Priusquam ad id se accingeret Raynaldus, S. Remigij incliti Tutelaris adijt Ecclesiam ipsius patrocinium pro felici itineris successu petiturus, fusa oratione ante sepulchrum. Cum in Fratrum capitulo de itinere familiarius tractaret, Abbas & Monachi humiliter ab eo postularunt ut suorum Prædecessorum more aliquod grati animi specimen erga beatissimum Francorum Apostolum exhiberet, quod & fecit libentissimè, concesso ut petierant Altari de Vico S. Remigij sub conditionibus in charta appositis, ubi ea quæ cursim tetigi fusius enarrantur.

Charta Raynaldi Archiepiscopi, qua Remigianis Altare de Vico S. Remigij concessit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Raynaldus nomine non meritis Remorum Archiepiscopus &c. Igitur anno sexto Pontificatus & sacerdotij nostri, cum ex petitione Domini Papæ Vrbani Apostolorum limina, Ecclesiámque Romanam visitare aggrederemur, ante corpus beatissimi & gloriosissimi Parroni nostri Remigij oratione facta, in capitulum Fratrum cum quibusdam Clericorum nostrorum de itinere nostro locuturi resedimus. Et quoniam in his diebus Altare de Vico S. Remigij in ditionem juráque nostra concesserat, dilectus noster Abbas Henricus, universáque loci ejusdem Congregatio surgentes, ante faciem nostram adstiterunt, & ut Altare illud beati Remigij tenendum contraderemus humillimis obsecrationibus implorarunt. Itaque non incompertum habentes Ecclesiam beati Remigii liberalibus Antecessorum nostrorum Privilegiis in immensum divitiarum, possessioniſque culmen evectum esse, ne donationum nostrarum inexperti relinquerentur, eorum petitioni adquiescendum esse decrevimus.

Datur Altare de Vico S. Remigij sine personarum successione tenendū.

Itaque prætaxatum Altare beati Remigii omni personarum successione sequestrata, tenore perpetuato tenendum, possidendúmque concessimus, eâ tamen conditionis ratione prætractata, ut quicquid de hoc Altari disponendum, statuendumque esset, totum hoc Domini Henrici Abbatis sententia & deliberatione penderet. Nec alius quisquam de Altari definiret iudicio, quam quod Domini Abbatis sedisset arbitrio. Et quoniam in universis quæ gerimus animam nostram in manibus nostris semper esse necesse, hoc pacti seu conventionis super his nobiscum Fratres

Digitized by Google

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1089.

tres habuerunt, ut quot annis *ANNIVERSARIVM NOSTRVM FACERENT* & pro Anteceſſorum, ſucceſſorumque noſtrorum ſalute Deum interpellarent. Ne ergo hoc noſtræ auctoritatis & munificentiæ teſtamentum auſu temerario quiſquam evacuare conetur, Privilegium hoc clariſſimorum virorum ſignis & teſtimonijs indelibili firmamento adſtipulamus.

Vt anniverſarium celebretur.

Signum Domni Raynaldi Archiepiſcopi
Sig. Domni Arnulfi Archidiaconi
Sig. Domni Manaſſæ Archidiaconi
Sig Domni Manaſſæ Præpoſiti
Sig. Domni Lenutij Decani.
Sig Domni Richeri Cantoris.
Sig. Hugonis, Mainardi, Odonis, Lendonis Præsbyterorum
Sig. Frederici, Alberti, Vindonis, Ioannis Diaconorum.
Sig. Fulconis, Godefridi, Iſembardi, Vuidonis, Fulchradi, Rainoldi, Odalrici, Radulfi, Subdiaconorum.

Actum Remis anno Incarnationis Dominicæ 1089. Indict. 12. regnante glorioſiſſimo Francorum Rege Philippo an. 30. Archiepiſcopatus autem Domni Raynaldi 6. Godefridus Cancellarius recognovit, ſcripſit, & ſubſcripſit.

Godefridus Cancellarius Remensis poſt deceſſum Sancti Brunonis.

Raynaldus ex Italia per Arverniam rediens apud Caſatenſes diverſatur, ubi cum Monachicum Ordinem arctioribus ſtatutis Diſcipulorum ſancti Roberti curâ florere comperiſſet, ſubijt animum ejus aliquot ſecum Remos deducere, qui Nicaſianum Cœnobium, ſtatim à morte Gervaſij, procuratorum ignaviâ penitus collapſum, in integrum reſtituerent. Abbas Seguinus votis ejus non aquievit modo, ſed & abdicato ad tempus (ut creditur) Catæ Dei regimine, oblatam reſtaurationem feſtinanter aggreſſurus, eum ſecutus eſt, ut fidem faciunt ea quæ libro ſuperiori retulimus, & Charta mox citanda cui Seguinus Abbatis S. Nicaſij titulo ſubſcripſit.

Anno ſequenti Henricus Abbas S. Remigij, quem rerum foraſticarum diſpenſatione conſpicuum fuiſſe tradit Guibertus de Novigento, ut Privilegia ſuo Monaſterio à Regibus Francorum conceſſa, libertateſque magis ac magis aſſereret, à Philippo I ſequens diploma obtinuit, quo ſpecialem illi protectionem ſpondet ob amorem beati Remigij, quem à Deo Francorum Apoſtolum electum eſſe lubens agnoſcit, ut coronæ ſuæ patrocinetur & regno. Sic autem ſe habet ut ex Autographo à Mandritis accepi.

Privilegium Philippi Regis Monaſterio Sancti Remigij Remenſis conceſſum.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Philippus divina clementia Rex Francorum &c. Notum fieri volumus quibuſcúmque regni noſtri Succeſſoribus, Domnum & Venerabilem Henricum Abbatem ſancti Patris Remigij, regiam noſtram celſitudinem adiſſe quatenus immunitates tam Nobili, tam glorioſo loco ab Anteceſſoribus noſtris Francorum Regibus conceſſas, noſtri quoque decreti confirmaret auctoritas, cujus fideli voto libenter aſſentientes, licet generalem defenſionem ſanctæ Eccleſiæ debeamus, ſpecialiter eam *SANCTO REMIGIO CONCEDERE DECREVIMVS, VEL QVIA FRANCORVM APOSTOLVS EST ELECTVS A DEO, VEL AVCTORITATE APOSTOLICA, CORONAE NOSTRAE PATROCINATVR ET REGNO.* Igitur ex more Anteceſſorum noſtrorum Regum, regiâ noſtra

S. Remigium corona Francorum patrocinatur & Regno.

Digitized by Google

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1090.

noſtra præceptione ſicut & ab alijs decretum eſt, decernimus, & publica auctoritate conſtituimus, ut Caſtrum in quo idem Beatus Remigius corpore quieſcit cum Burgo quod adjacet, immune ſit ab omni aliena juſtitia & poteſtate, & præter Abbatem & ejus Monacos, nullus ibi exerceat ullam judiciariam diſtrictionem, & liceat Abbati & Fratribus ibidem habere caminas & furnos, &c. Omnia denique quæ ejus ſunt vel erunt, ſive immobiles ſive mobiles res præſentis auctoritatis decreto roboramus, & defendimus ab omni externa poteſtate, ſcilicet alicujus Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ducis, Comitis, Vicecomitis, vel cujuſcúmque pervaſoris, ut in pace ſanctæ Eccleſiæ religio prædicti Monaſterij augeatur. Eos autem qui nobis in regno ſucceſſuri ſunt per Deum Regem Regum obteſtamur, ut hoc Privilegium (quod ut in perpetuum vigeat ſigillo noſtro ſignavimus) inconvulſum cuſtodiant, & Patronum Regni noſtri Beatum Remigium in perpetuum habeant, cujus Apoſtolatu pervenimus ad fidem Catholicam. Actum eſt hoc Privilegium & corroboratum Pariſijs, anno Incarnati Verbi milleſimo nonageſimo, Indictione 13. Epacta 17. regnante Philippo Francorum Rege anno 28.

B. Remigius Regum Patro.

Scilicet à morte Patris.

† *Signum Philippi Regis* † *Signum Ludovici filij ejus.*
† *Signum Ioffridi Pariſienſis Epiſcopi.*
† *Signum Odonis Comitis*
† *Signum Gervaſij Dapiferi.*
† *Signum Frogeri.*
† *Signum Pagani & Nanſeri de monte Gaio.*

Ego Vrſio Silvanectenſis Epiſcopus, & regiæ Majeſtatis Cancellarius ſcripſi, & publicè lectum recognovi.

Appendet ſigillum ex cera alba cui impreſſa eſt imago Regis in throno ſedentis cum ſceptro in manu & in ambitu ſcriptum *Philippus Francorum Rex.*

Campania lue epidimica laborante poſt militum graſſationes, & latrocinia, quibus per id tempus Gallia miſerè vexabatur, frequens populorum concurſus ad Eccleſiam S. Theodorici fiebat, miraculis olim celebrem, ut Deum in hac calamitate haberent ſibi propitium. Quin & incolæ de Thi, Poüillon, Merſi & Villarum vicinarum ad averruncandam Dei iram (Monachis conſentientibus) feretrum ſancti Tutelaris per villas & Oppida proceſſionaliter deducebant, undè virtus altiſſimi Beati Confeſſoris interceſſione miris modis in eos eluxit ut refert quidam Adalgiſus Præſbyter ejuſdem biographus.

S. Theodorici miraculis ſplendet.

Habent etiam eodem anno MSS. codices Adelam d'Anorum Reginam, quæ nuper Marito à ſeditioſis ſubditis interfecto ad Fratres rediens B. Theodoricum miraculorum fama crebreſcente ſibi Patronum delegerat, partem ſylvæ quæ ſita eſt in territorio de Harlebec ob animæ viri ſui Regis remedium, eidem ſancto regia liberalitate contuliſſe, & ut præſens ipſe collati prædij poſſeſſionem iniret, de conſilio Raynaldi Archiepiſcopi, Venerabiliſque Congregationis ſanctæ Mariæ, à delectis Fratribus feretrum in Flandriam fuiſſe delatum, ubi à Regina & Proceribus ingenti alacritate receptum eſt, confirmatàque petentibus Monachis donatio Sylvæ de Harlebec per chirotecam, ut ſequenti diplomate clarius patebit, quod hic non abs re deſcribendum putavi.

Sit Corpus B. Rigoberti trãslatum fuit apud Nemetum in Pago Viromandenſi ut iniret poſſeſſionem prædicta Villa. Flod lib. 2. cap. 15.

Præceptum Adelæ Danorum Reginæ quo per chirotecam donatio ſylvæ de Harlebec Monachis facta confirmatur.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Ego Adela Danorum Regina. Notum ſit omnibus ſanctæ Matris Eccleſiæ fidelibus filijs, quod

ego

RAYNAL. DUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1090.

ego partem ſylvæ meæ quæ jacet in territorio de Harlebec dedi ſancto Theoderico Confeſſori Chriſti glorioſiſſimo, cujus virtutum famoſiſſimam laudem à multis didici ob animæ Domini Regis remedium, & omnium Anteceſſorum noſtrorum, tam illorum qui ſoluti debito mortis diem Domini in pace ſuſtinent, quam illorum qui adhuc in carne poſiti vivunt, & ut hoc magis firmum permaneat, conſilio Domini mei Raynaldi Venerabilis Archiepiſcopi, nec non eximiæ Congregationis ſanctæ Mariæ Remenſis, & Fratrum Deo, & prædicto Confeſſori Chriſti Theoderico ſervientium Abbas Radulfus, qui tunc gratia Dei illis præerat paſtor, electis ſibi Fratribus quibuſdam corpus ſanctum, quod divina pietas quia caſtitatis angelicæ munditiem ſemper dum juxta fuit domicilium ſervavit integram, huc in noſtram præſentiam advexit, cujus adventum cognoſcentes, obviam ei proceſſimus, cum Clericis & Proceribus noſtris, & cum laudibus & hymnis, in Eccleſiam noſtram introducentes, eum digno ſuſcepimus honore. Omnibus verò ritè peractis, prædictus Abbas cum fratribus ſuis noſtram præcati ſunt clementiam, quatenus donum quod per Fratres ſuos ſibi tranſmiſeram, ſancto ibi in præſenti coram nobis poſitò ſolemniter redonanda confirmarem. Ego accepta ab eo beneficij ſui, & totius Congregationis tam ſpiritualiter quam corporaliter ſocietate, aditantibus ibi Proceribus noſtris portionem ſuam per chirothecam unam adimplevi. Actum eſt apud Harlebec anno Incarnationis Dominicæ mileſimo nonageſimo. Indictione 13. Epacta 8. regnante Philippo Gloriſiſſimo Francorum Rege anno 31. anno Archiep. Domini Raynaldi 7. Radulfo regente feliciter Eccleſiam anno 3. Data per manum Vulfranni 4. Calend. Octob. ejuſdem Reginæ Cancellarij.

† *Signum Adelæ Reginæ*

Signum Rodulfi Abbatis † *Signum Theobaldi, Hugonis, Richeri, Lanfredi, Rogeri, Leduini, Lamberti, Albaldi, Aimonis, &c.*

Lue ignaria ſeu ſacro igne per Flandriam ſæviente, cum B. Theodorici feretrum allatum eſt, contigit multos divinitus ſanari, quod B. Confeſſoris nomen & cultum mirum in modum auxit, & propagavit. De hoc loco Meyerus ad annum 1089. & Sigebertus his verbis. *Annus peſtilens maximè in occidentali parte Lotharingiæ, ubi multi ſacro igne interiora conſumente computreſcentes exeſis membris inſtar carbonum nigreſcentibus moriebantur, &c.*

Prædictam Adelæ Reginæ munificentiam Flandriæ Comes Robertus ejuſdem frater ad bellum ſacrum proficiſcens, confirmavit diplomate apud S. Theodoricum dato, ubi Remis tranſiturus, eo quo licuit apparatu, ab Abbate & Monachis exceptus fuit an. 1096. Indict. 4. cui Ebalus Comes ſubſcripſit.

Robertus Comes ſuſceptus in monaſterio hor ab Abbate, ſibi firmat id quod Adela ſoror Monaſterio conceſſerat, ac inſuper addidit unum bovariam prati

Altare de Turribus ſupra Matronam datur Cluniacenſibus à Raynaldo, & Altare de Hermondivilla Sancti Theodorici Monachis.

CAPUT V.

Altaria à Nobilibus occupata.

RAYNALDI ſtudium & ſagacitas enituit quam maximè in vindicandis Altaribus quæ ſacrilego uſu Nobiles alendis familijs velut patrimonium injuſtè retinebant, in hæc latenter intruſi Epiſcoporum

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1092.

rum negligentia, aut largitione bellicæ virtutis prætextu, vel certè ob aliquod in Ecclesiam exhibitum obsequium, à quibus pedetentim sed ægrè emancipata Cœnobitis sæpius cum onere concessa sunt. Omnium instar sit Altare de Turribus supra Matronam (sic enim beneficium Ecclesiæ Altari obnoxium seu Curiale Sacerdotium vocabant) Cluniacensibus datum à quo celebris Decánatus Paulo post sumpsit exordium, ut patebit infra ubi ex assignatis oneribus liquet Monachos meritò decimas possidere, tenerique ultimam fundatorum voluntatem sedulò ac fidenter exequi, aut eorum loco, qui Abbatiarum vel Prioratuum reditibus potiuntur. Charta autem Raynaldi Præsulis sic incipit

Charta Raynaldi Archiepiscopi pro Cluniacensibus.

Ex tabulis Cluniacensi.

EGo Raynoldus nomine non merito Remorum Archiepiscopus, Universis Beatæ verè Matris Ecclesiæ filijs, &c. Cum primum nos ad dispensationem Remensis Ecclesiæ divinæ pietatis vocatio accersivit, circa hoc solertiæ nostræ studium potissimùm desudasse, ut Altaria quæ Antecessorum nostrorum negligentiâ in Laïcorum jura concesserant quavis occasione, ad Ecclesiasticas personas revocarentur, & ab injusta sæcularium hominum servitute emancipata, quibuslibet servis Dei juxta Canonicam sanctionem erogarentur.

Quia ergo Altare de Turri super Maternam quorundam Potentium de Plagajotro violenta usurpàtio occupaverat, post plerósque incassum consumptos labores, id demum ab eisdem Spiritus sancti suffragante consilio impetravimus ut nobis illud redderent, & sic redditum, Ecclesiæ sancti Petri Cluniacensis impertiremus. Sanè cum Fratres loci hujus amplissimo semper coluerimus & honore & amore, ut eos nobis ex devotis devotiores redderemus, Altare hoc illis religiosæ hujus conventionis pactione interposita, absque persona perpetualiter tenendum concessimus, *Vt quot annis anniversarium nostrum in Ecclesia Cluniacensi, cum pleno officio Missæ videlicet & vigiliæ in Fratrum Conventu celebretur, & ut eodem die duodecim pauperes de cibo, qui diei competit, reficiantur.* Quod si quidquam quod animæ nostræ expediat, Fratribus adnectere placuerit, indè nos & gratias referemus, & si qua à nobis beneficia expostulabunt, ea longè facilius assequentur.

Altare absque personatenendum datur.

Cluniacenses Anniversarium Raynaldi celebrare tenentur.

Denique placuit ut & hoc stabiliretur de omnibus Successoribus nostris id fieri, ut cum eos obijsse Fratres acceperint, pro eis plenum officium celebrent. Cœterùm cum quempiam Canonicorum Remensium ad vocem pulsantis Iudicis carnis universæ viam ingredi contigerit, cum primùm de transitu Canonici Fratres Cluniacenses certi effecti fuerint, Missam unam generalem, & vigiliam pro anima Canonici celebrantes, fontem misericordiæ Dominum deprecentur. Postremo, ut nostræ devotionis Pagina imposterùm non cassanda prorogetur, testamentalibus auctoritatis nostræ litteris eam irrefragabiliter corroboratam, cum sigilli nostri additamento astipulamus, & ne quis eam ausu temerario violare præsumat, sub anathemate interdicimus.

Et pro Canonicis Rem. cum primùm excesserint orare.

Signum Domni Raynaldi Archiepiscopi.
Signum Rogeri Catalaunensis Episcopi.
Signum Elinandi Laudunensis Episcopi.
Signum Rabodi Noviomensis Episcopi
Signum Manassæ Archidiaconi. Signum Arnulfi Archidiaconi.
Sig. Manassæ Præpositi. Sig. Lenini Decani.

Actum Remis in Archivo Pontificali anno Incarnati Verbi MXCII. Indict. XIV. Regnante Francorum Rege Philippo anno XXXII. Archiepiscopatus autem Raynaldi an. VII. Godefridus Cancellarius recognovit, scripsit, & subscripsit.

De

Digitized by Google

De Prioratu villæ de Turri ſupra Maternam cui prædicta donatio dedit initium, opportunior infra occurret dicendi locus ad an. 1119. RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. an. 1093.

Anno ſequenti Raynaldus Archiepiſcopus ſuæ obſervantiæ monimentum erga beatiſſimum Theodoricum miraculis tota Provincia celebrem teſtaturus, Altare de Hermondivilla duabus circiter leucis à ſuo Monaſterio ſita, imperſonaliter eidem tenendum conceſſit hac interpoſitâ pactione, ut cum ad vocem pulſantis judicis ex hac vita migrare contigerit, fratres ejuſdem loci quotannis Anniverſarium ejus exequantur, ac in eo Patris ſui, Matriſque ſint memores, quod corporis, cujus organis uſus eſt, vivénſque circumtulit, ſubſtantiam miniſtraſſent. Charthæ velut teſtes ſubſignarunt Henricus S. Remigij Abbas, Nocherus Altivillarenſis, Burchardus S. Baſoli, Seguinus Abbas S. Nicaſij, Arnulfus Archidiaconus, Manaſſes Archid. Manaſſes Præpoſitus, Lenninus Decanus, &c. 1093. Indict. 2. regnante gloriſiſſimo Francorum Rege Philippo 32.

Godefrido Cancellario.

Hugo Regiteſtenſis Comes, ob illatas hominibus S. Remigij vexationes à Raynaldo excommunicatus, & ab eodem facti pœnitens, Paulo poſt abſoluitur. 1094.

CAPUT VI.

NORMANNIS poſt exceſſum Caroli Calui, crebris irruptionibus Galliam infeſtantibus, ſacra, profanáque ſic confundi & commiſceri cœperunt, ut certatim Nobiles, quibus urbium Provinciarúmque adminiſtratio tamquam vicarijs demandata erat, abſolutum earum Dominium, proventus annuos Cœnobiorum, & Altaria uſurpaſſe non contenti, inter quos occurrit hic Regiteſtenſis Comes nobili loco natus, & affinium claritudine celebris, qui cum terras S. Remigij indebitis vexationibus & Angarijs fatigaret, conquerentibus vaſallis Monaſterij apud Abbatem quod ejuſmodi ſolvendis oneribus pares non eſſent, Abbas Comitem primum ſupplex adijt, rogátque ut ab incœptu ſponte abſtineat.

Cúmque monitionem flocci faceret, Archiepiſcopus, Clerus Remenſis, Abbas & tota ipſius Congregatio eum ob pervicatiam excommunicant, omniáque ejus Caſtella interdicto ſupponunt. Comes poſt aliquod tempus conſcientiæ ſtimulis agitatus, reſipiſcere ſtatuit, Remóſque veniens petit abſolui ab Archiepiſcopo, tum paciſcitur cum Abbate, & Monachis hoc tenore in Charta latius expreſſo, quam hic ex Carthophylacio deſcribendam curavimus.

Abſolutio Hugonis Comitis Regiteſtenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus Sancti. Ego Raynaldus nomine non meritò Remorum Archiepiſcopus. Notum facio omnibus tam præſentibus quam futuris, quod ipſe ego & Clerus Remenſis, & Domnus Henricus Abbas ſancti Remigij & tota Congregatio ejuſdem loci excommunicavimus Comitem Hugonem, pro injurijs quas

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

faciebat in villis S. Remigij, & etiam omnia Caſtella ejus ſub interdicto poſueramus. Quoniam ergo idem Comes longo tempore in excommunicatione jacuerat, ductus pœnitentia ad nos venit, & ut eum abſolueremus in curia noſtra ante nos, & ante eundem Henricum Abbatem, præſentibus etiam Clericis noſtris, & Monachis S. Remigij & Optimatibus noſtræ urbis, Deo, & Beato Remigio & nobis dimiſit, & vuerpivit exactiones, quas talhas vulgo vocant, quas in villas ſancti Remigij exercebat, & omnia carropera, & opera Caſtellorum & omnes alias injuſtas conſuetudines. Affuit filius ejuſdem Comitis Manaſſes huic conventioni, & eam ipſe conceſſit, literæ etiam Comiti ſunt expoſitæ, & eas laudavit. Præterea ne hæc conventio deinceps violetur, litteris his teſtimonialibus & ſigilli noſtri impreſſione, clarorum etiam virorum teſtimonijs eam corroboravimus. Interfuêre domnus Manaſſes Præpoſitus, Lenninus Decanus, Mainardus, Dudo, Joannes Richerus Cantor, Joffridus, Godefridus Cancellarius, Odalricus, Fulco, Adam, Rodulphus Camerarius. De Monachis ſancti Remigij Lambertus Decanus, Anſcherus Cantor, Vvido Theſaurarius, Macharius. De Militibus, Ernaldus, Burdinus, Pontius, Vvido, Erlandus Vicedominus, Odo, Paganus, Petrus.

Actum Remis anno Incarnati Verbi 1094. Indict. 2. Regnante Francorum Rege Philippo an. 33. Pontificante domno Rainaldo an. 10. Godefridus Cancellarius recognovit, ſcripſit, & ſubſcripſit.

Inferius in eadem Charta ſic habetur. Igitur idem Comes Hugo, diſcedens à nobis ad eundem beatiſſimum Confeſſorem nudis pedibus, unà cum filio & hominibus ſuis profectus eſt, & ante ſacratiſſimum Beati Remigij corpus accedens, & utrumque genu in terram figens, caput in ſepulchrum Venerandi Confeſſoris humiliter intromiſit & litteras iſtas ſuper ipſum ſacratiſſimum corpus conventionem hanc ſervaturus ipſe manu ſua impoſuit.

Et hæc Rainaldi Præſulis Charta cùm omnium prima ſit quas viderim, qui Regiteſtenſis Comitis mentionem faciat, non abs re erit, cum Urbis Nomenclatura, Comitum quoque paulo curioſius antiquitatem intueri, & inveſtigare quibus initijs creverit primaria urbs ditioni eorum ſubjecta, quæ inter Diœceſis celebriores meritò numeratur, hæc enim cum quibuſdam fabellarum involucris obnubilitata ſint, quæ ſæpius in texendis Genealogijs, populorúmque originibus eruendis occurrunt, luce veritatis hiſtoriæ indigent, quæ ex probis auctoribus hauriri ſolet, aut ſaltem ex diſcurſu, cui nihil viriſimile poſſit opponi.

De Pago & Urbe Regiteſtenſi, & quandonam Regiteſtis nomen in uſu eſſe cœperit.

CAPUT VII.

Sic interpretatur Haſſius Plinium Pinetum in verſione ſua Gallica lib. 4. cap. 17

DE Regiteſtenſis Pagi antiquitate diſcors eſt ſententia apud auctores. Sunt qui putant Eſſuos Ceſaris apud quos Roſcius cum legione hymavit lib. 5. eſſe Reiteſtis Accolas, quibus adſtipulatur Marlianus in notis ad Commentaria, turrimque eorum quæ ad hæc prominet, opus eſſe Romanorum, qui in Belgium effuſi, hanc haud procul à fluvio extruxêre, ut Belgarum ferocitati obſiſterent. At oculatiores hiſtorici Eſſuos inter Normanici tractus accolas collocant qui Britanniæ Armoricæ adjacet, cla-

Digitized by Google

clarúmque eſt ex Cæſare totam hanc plagam à Matrona ad fines Trevirorum, Remorum tunc fuiſſe ditionis, ut alibi probavimus. RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1094.

Alij Regiteſtis vocabulum cum Francorum Monarchia natum Arbitrantur, imo forſan antiquius ex auctoritate cujuſdam MS. qui inſcribitur vita ſancti Arnulfi Martyris, ubi legimus Rogatianum, omnia quæ habebat in villa Reiteſte B. Remigio, à quo in fidem Chriſtianam converſus fuerat, contuliſſe, ut pro habenda Sobole preces funderet apud Deum. At quamvis B. Arnulfus, qui ibidem quoque Comes Remenſis dicitur, claruerit ſub Clodoveo Rege, latet tamen quo anno vixerit auctor prædicti codicis, qui juxta morem ſui ſæculi ſcripſit, & Frodoardo mihi junior videtur, apud quem de Regiteſte nihil reperire eſt, nec prædictæ donationis ullum in prolixiori teſtamento ſancti Remigij extat veſtigium, & ſi forſan hujuſce nominis quædam villa fuit in Diœceſi Remenſi, Comitatus hæc dignitate non gaudebat, nec à Toparcha hæreditario regebatur, ut ſupponit geſtorum ſancti Arnulfi concinnator Anonimus ac dubiæ omnino fidei. Addo nec hunc ſatis perpendiſſe regionem hanc qui cis & ultra Axonam eſt, aliter olim fuiſſe partitam, quam nunc ſit, nam pro Regiteſtenſi Pago tunc penitus ignoto, erat Caſtricenſis, Dulcomenſis, Vouſenſis, Porcenſis, & Stadonenſis, & ex his Caſtricenſis, in quo eſt Doncherium, ſitus ſupra fluviolum Bair vel Bar, fuit Herlebaldi cujuſdam ſub Carolo Simplice, quem poſtmodum Roberto regnante, tenuit Fridericus quidam Lotharienſis, ut ex Henrici Regis Germaniæ Charta vidimus tom. 1. Pertiſus Pagus legitur quoque inter capitularia Caroli Calui, & apud Frodoardum lib. 3. cap. 10. ***Dedit Carolus res quaſdam Eccleſiæ ſancti Remigij, in Pago Pertinſe, in villa Baildronis curte manſa duo, & in Dodelini monte manſa duo, atque in Vualdonis curte manſa duo, cum mancipijs,*** Fierique poteſt ut necdum nato Regiteſtenſi vocabulo, villa de Pertinſe fuerit caput Pagi, cum prædictæ villæ fuerint propè Retellium.

Baildronis curtis Bretoncourt jacuerſue Eccleſia Regiteſt. Dodelini mons Bonvellemẽt propè Chagny. Vualdonis curtis Aubûcourt, les Fauk & Luquy.

Quidam his rationibus convicti Regiteſtenſis etymon expendunt, ut indè urbis vetuſtatem eruant. Opinantur enim tempore Caroli Calui, quo ſchaldis & Moſa regni Francici fines terminabant, primariam hanc civitatem ac circumiacens territorium Comitatum Regiteſtenſem ideo fuiſſe nuncupatum, quod eſſet veluti teſtis, & judicium ſeparationis Regni ab Imperio, illúmque ab Axona, ad Moſam fuiſſe protenſum, ubi ſunt Oppida Maceriæ, Varx, & Doncherium. Ingenioſum hoc commentum falſitatis facile convinci poteſt cum prædicta Oppida quæ Comitatus appendices dicuntur, Comitum Regiteſtenſium ditioni non ceſſerint, ante Philippum I. Macerias initium habuiſſe ſub Carolo ſimplici legimus apud Frodoardum, Varx ditionis Abbatum Moſomenſium antiquitus fuit, Doncherium ſancti Medardi Sueſſionenſis ex Privilegio Caroli Imperatoris, in quo fidenter quidam aſſerunt Retellium Raſtrum vocari, & Pagum Comitatum Raſtienſem, quod ex diplomatis autographo falſum eſſe arguitur, ubi ne veſtigium quidem hujus nominis apparet, ſed Caſtrenſis tantum Pagi, ex quo mutatâ littera capitali C. in R. Raſtrenſe vocabulum, aut Retellij nomen fluxiſſe potuit, quo Britto utitur, & Raſtri apud Meyerum in annalibus, alluditque ad Regionis fœcunditatem, quod Raſtrum inſtrumentum ſit dentatum glebis confringendis, ſegetibus agglomerandis, vel etiam noxijs herbis expurgandis idoneum.

Nunc quod ad Comites ſpectat, qui Raſtella geſtant in Inſignibus, ne gratis quæſitæ antiquitatis nebulis obvoluamur, arbitror eos iiſdem circiter incœpiſſe temporibus, quibus & Trecenſes, ſtatu bellis obvoluto id permittente. Sunt qui putant Trecenſes, ut haberent vaſallos & ſui Comitatus pares, prædia ſeu feoda, ab Eccleſijs quoquo modo ablata, eis contuliſſe, quod Bullæ ſummorum Pontificum Innocentij & Alexandri

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

haud obſcurè innuunt, quibus patet Comites Campaniæ fidelitatem Remenſi Archiepiſcopo præſtitiſſe propter Sparnacum, Rouciacum, Fimas, Retellium, &c.

Regiteſtenſes Torparcha arce conditâ, in eo Caſtello ſedem fixerunt.

Comites igitur Regiteſtenſes, conviventibus Francorum Regibus ſtabiliti, Caſtrum erexerunt, quod ſenſim ædificijs crevit, factúmque eſt civitas longè celebris ac primaria totius pagi, cui acceſſerunt tanquam appendices ſtudio Comitum villæ & Oppida circumjacentia vſque ad Moſam. Vrbs autem ea quæ Pago nomen indidit, ſita eſt in amœno & fertili territorio ſupra Axonæ alveum, vbi pons eſt quo fit tranſitus in campum vireſcentem & amœnia prata quibus vrbs cincta eſt verſus meridiem. Præter juſtitiam Comitis quam Ballivus adminiſtrat cum Fiſcali Procuratore, habet etiam præfectos Regiorum vectigalium, & Mareſchalliam fuitque erecta in Ducatum, & Pariatum Franciæ in perſona Ludovici de Conſague & Henricæ Clivienſis.

Valſeburgus qui fabuloſam texuit Genealogiam Clodionis, ex quo deducit Duces Tongrorum, Namurcenſium, & Lotharienſium, Retellienſium Comites pari antiquitate facit cum Francorum Monarchia & quaſi Gregorio Turonenſi in hac re occulatior fuerit, qui ſe ignoraſſe fatetur an Meroveus filius ſit vel affinis Clodionis, tres huic liberos fidenter aſſignat, natu majorem Anonymum, quem occubuiſſe dicit propè Sueſſiones, Raucarium, & Albericum, quos Baſina Clodionis uxor clam ſuſtulit, abſconditque in Turingia, cum primùm Moroveus Francorum Rex renuntiatus eſt. Hi duo ſimul cum Gotis, Oſtrogotis, & Ægidio Galliarum Toparcha pro Valentiniano Imperatore adunati, bello Regi Francorum fortiter illato, partem Avitæ hæreditatis vindicarunt, undè Raucarius Camerato, Hannoniâ, Arduennâ, & Alſacia regni titulo potitus eſt; Albericus verò ea Galliæ Belgicæ parte de Clodionis patrimonio, in qua urbs Regiteſtenſis condita, quam poſteri, inquit, idem auctor cum alijs Dynaſtijs pacificè tenuerunt, reliquit enim poſte ſe Albericus Vaubertum & Rogatianum Patrem ſancti Arnulfi.

Sed miſſis vetuſtioris hujus Genealogiæ figmentis incognitæ apud probos auctores, primus Regiteſtenſium Comes, cujus clarior extet notitia, eſt Manaſſes qui uxorem duxit de familia Comitum de Roceiaco; hic licet caput ſuæ ſtirpis à nobis dicatur, prodijſſe tamen potuit ex alio quodam Manaſſe qui vindemiſſam obtinuit ab Eccleſia Remenſi 4. Pontificatus Adalberonis & 20. regni Lotharij anno 960. pro quibuſdam prædijs in Comitatu Remenſi, Portiano, & Caſtricenſi ſitis, ex Charta ad Calcem Flodoardi, ſubſcripſiſſéque videtur Privilegio Monachis ſancti Theodorici conceſſo à Lotharío Rege, ubi non Militis tantum ut prius, ſed Comitis nomine inſignitur an. 974. Ex illo igitur Ordeláque ejus uxore æque nobis incognita forſan ortus eſt Manaſſes ille Regiteſtenſis Comes, cujus Genealogiam certam & & indubitatam aggredimur.

Comitum Regiteſtenſium accurata ſeries.

Alij volunt habuiſſe pro inſignib' tria raſtra aurea in ſcuto cœrul.

MAnaſſes igitur Regiteſtenſis Comes Inettam Ebali primi Comitis Roceiacenſis ſororem duxit ſub Roberto Rege. Refert Albericus Theodoricum Virdunenſem Epiſcopum ei abſtuliſſe Caſtellum S. Menechildis an. 1065. cui concinit Valſeburgus, quamvis in connubio recenſendo multum aberret.

Hugo I. Meliſindem de Monlehery ſibi ſociavit in Matrimonio, cujus meminit Guillelmus Tirius libro 12. belli ſacri. Dedit Allodium de Erlon Monaſterio ſancti Vincentij Laudunenſis, Villam de Singlei cum ſeruis, ancillis, banno & juſtitia Nicaſianis an. 1091. Pacificavit cum Abbate ſancti Remigij

Digitized by Google

Remigij 1094. ut ſupra vidimus. Prioratum de Nouvy extruxit 1097. Eccleſiam beatæ Mariæ Regiteſtenſis abdicavit pro erectione Prioratus anno 1118. Quieſcit in Eccleſia de Nouvy, legiturque Epitaphium ejus latinè & Gallicè ſcriptum. Liberi quos ex Meliſinde ſuſcepit hoc ordine memorantur. RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1094.

1. *Balduinus du Bourg dictus Eguillon, Hieroſolymorum Rex id nominis 2. poſt obitum Balduini I. ipſius conſanguinei an. 1118. vocatur autem de Burgo eo quod Pater ſuus ei hanc Caſtellaniam è Comitatu Regiteſtenſi dependentem pro Apanagio dederat. Obijt 1131.*

2. *Manaſſes Comitis Regiteſtenſis filius ex Charta Rodulfi Archiep. an. 1094. & ex alia cujuſdam Thoma ſub Manaſſe Archiep. 1102. vbi nominatur Manaſſes de Regiteſte ſine addito. Obijt abſque liberis an.* 1115

3. *Gervaſius Archiep. Remenſis nominatione Regis, Comitatum tenuit poſt obitum patris, ſatisfecitque pro quibuſdam vexationibus quas intulerat Monaſterio S. Remigij in Concil. Rem. an. 1115.*

4. *Mathildis Mater Guitheri Caſtellani vitriacenſis, & Comitis Regiteſtenſis poſt Gervaſij patrui obitum.*

5. *Hodierna vxor Hebranni de Hergis.*

De eo Albericus ad annum 1117. Frater Balduini de Burgo Gervaſius ab Epiſcopatu caſſatus Remenſi, Clericatum dimiſit, & Comitatum de Reiteſte ſibi hæreditarium arripuit ducens in uxorem Helizabeth filiam Comitis Gaudefridi Namurcenſis natam ex ſybilla filia Comitis Rogeri Porcenſis. Iſto Gervaſio mortuo qui filiam unicam reliquit, duxit eandem Clarembaldus de Roſeto. Gervaſius fuit Avunculus Alberti Leodienſis, & Avus Rogeri Laudunenſis Epiſcoporum.

Vviterus Odonis Caſtellani Vitriacenſis & Mathildis Regiteſtenſis filius, Comitatui ſucceſſit an. 1124. duxitque Beatricem Godefridi ſecundi Comitis Namurcenſis, & Ermenſoudis de Luxemburgo filiam. Subſcripſiſſe legitur cuidam declarationi factæ per Guermundum de Caſtellione (Rominiaci poſt ſanctam Eccleſiam Compendienſem advocatum) cum alijs Nobilibus, Henrico Comite de Grandi-Prato, Drogone de Petra-Ponte, Gaulchero de Caſtellione, Matthæo de Montmorency &c. an. Incarnationis 1133. Regnante Ludovico Rege an. 1. Reginaldo Remenſi Archiep. Cathedra præſidente.

Vviterus Ellantio recens intra limites Comitatus erecto, dedit quidquid habebat in eodem loco tam in terris quam in ſylvis ad omnes uſus Monachorum; ita tamen quod nemus non extirpabunt cauſa agriculturæ &c. Chartæ donationis ſubſignarunt Manaſſes Comes, Hugo, Albertus Remenſis Canonicus, & Balduinus. Prædicti Comitis filij

Hugo natu major Monachiſmũ induit apud S. Remigium an. 1160. legiturque in chartulario Monaſterij, vbi Manaſſes dat pro anniverſario fratris ſui Hugonis duos modios frumenti in villa de Thanion & Scholam Regiteſtenſem an. 1174.

Manaſſes fratri ſucceſſit in Comitatu 1171. fundauitque Eccleſiam Collegiatam apud Macerias an. 1176. legitur in Chartulario Sancti Remigij 1171. 1182. & 1196.

Albertus Canonicus Remenſis & Archidiaconus, legitur in Chartulario fundationis Canonicorum Macerienſium an. 1176. cum Balduino fratre.

Balduinus poſſedit terram de ſancto Aniano poſt obitum Manaſſis fratris, cujus partem contulit Eccleſiæ Remenſi in Elcemoſynam. Adhuc legitur anno 1169. in Chartulario Sancti Remigij.

Vviteri

Ioannes & Manaſſes filij Vuiteri Comitis legnatur in Charta pro Molendino Regiteſtenſi, in Chartulario Remigiano 1144.

Digitized by Google

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

Vviteri filiæ fuerunt Beatrix, N. Clementia, Agatha. Dicta Beatrix nupſit Rogero Siciliæ Regi, ex quorum matrimonio prodijt Conſtantia uxor Henrici V. Imperatoris: Beatricis hujus, vel forſan Vviteri coniugis, quæ pariter Beatrix vocabatur annulus capſæ beati Remigij dudum appenſus fuit cui inſcriptum erat Beatrix me dedit N. . . . . Hugonem Vicedominum Catalaunenſem: Clementia verò Agatha, Hugonem Dominum de Petra-Ponte.

Manaſſes II. Vviteri filius ſociavit ſibi Mathildem filiam cujuſdam Comitis ex Germania, leguntúrque ambo cum filijs in Charta protectionis villæ de Singleio an. 1198. in tabulario ſancti Nicaſij pro parte Molendini de Mondreſicurte quam Monachis aſſignat his verbis.

Ex veteri Chartulario S. Nicaſij.

Notum ſit tam præſentibus quam futuris, quod ego Manaſſes Regiteſtenſis Comes, adſtantibus & laudantibus Mathilde uxore mea, & Hugone meo filio & uxore ejus felicitate, & Balduino fratre meo, ob animæ meæ remedium in Eleemoſinam relinquo Eccleſiæ Noviacenſi quinque modios bladi, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Regiteſtis tres modios in Molendino dè Mondreſicurte ſingulis annis in perpetuum recipiendos, bladi hujus medietas erit hyemalis, altera verò Marcialis &c Eccleſiæ verò ſancti Nicaſij relinquo omne præfati Molendini reſiduum, & quidquid in Molendino fullanti poſſidebam, &c. Actum 1198.

Hugo III. uxorem Felicitatem Comitiſſam de Beaufort vivente patre duxit 1191. ſéque munificum præbuit erga Ellantium, Prioratum de Altomonte, & Noſocomium Regiteſtenſe cui contulit terram de Remicourt. Dominium ſanctæ Menechildis commutavit cum Theobaldo Trecenſi an. 1200. cujus Caſtellum novis propugnaculis munivit Blancha Comitiſſa an. 1207. ex Alberico. Pactum inijt pro Fortalitio de Charbogne cum Alberico Archiep. ubi hunc Dominum ſuum vocat an. 1215. & cum Petro Abbate ſancti Remigij pro hoſpitationibus, carretis, alijſque juribus quæ ſibi deberi contendebat in villis de Joannis villa, Alenduiſio, Guerreio. . . . . & nemoribus quæ ab eadem Eccleſia in feodum & hominium poſſidenda tamquam advocatus receperat an. 1203. prædictus Comes fato functus an. 1228. Jacet apud Ellantium. Filij ejus, ſucceſſivè Comitatum tenuerunt ſcilicet

Hugo, Joannes, Galcherus, Manaſſes.

HUgo IV. Mabilem Caſtellani Iprenſis filiam ſibi Matrimonio junxit, eſtque ex præcipuis fundatoribus Capituli Braquenſis, cui dedit terras de Tournancourt & de Mezieres-Fontaine anno 1237. Extruxit quoque Caſtellum Reginaldi vivente patre ex Charta ſequenti.

Ego Hugo Comitis Regiteſtenſis primogenitus, omnibus præſentibus litteras inſpecturis ſalutem. Notum facio, quod ego Caſtrum Renaldi quod de novo conſtruxi inter villam Bracquenſem, & vallem Dei ſuper montem qui dicebatur Chaſtellier, ad legem Caſtri Bullionenſis inſtitui, & juravi eandem libertatem, & eaſdem conſuetudines me obſervaturum Burgenſibus ibidem manſuris quas habere noſcuntur in Caſtro de Boüillon anno 1227. Mabili uxore mortua ſine liberis, Hugo Joannam Comitiſſam de Barro filiam Margaretæ dominæ de Dampierre ſororis Guillelmi Comitis Flandriæ duxit an. 1239. & ex ea unicam filiam ſuſcepit. Ab humanis exemptus an. 1241.

Comes hic Monachis S. Remigij remiſit ſervitutes Karreto quas debebant homines de Joannis villa, de Landuiſio, de Baiseu, &c.

Maria Hugonis 4. filia Comitatui ſucceſſit an. 1241. obijtque poſt duos annos. Patrui ejus inita cum Guillelmo Flandrenſi concordia pro reſtitutione dotis Joannæ neptis ſuæ, litem habuerunt pro partitione bonorum quæ tandem hac conventione ſopita an. 1244. qua Joannes major natu Caſtellaniam de Raucourt aſſignat fratri Galchero Leodienſi Archidiacono, Manaſſe

quadam conventione cui ſubſcripſerunt Felicitas Mater eius, Domina de Belloforti, & Joanna uxor eius Comitiſſa menſe Octobri 1241.

Digitized by Google

Manaſſe villas de Burgo & de ſancto Hilario, Mathildi verò Thomæ de Couciaco uxori terram de Caſtilione ſuper Bar & Eſvel. ſic

Joannes per obitum Mariæ, Regiteſtenſis Comes Renunciatus, fidelitatem vovit Theobaldo Comiti Campaniæ an. 1245. Mariam primùm Arnulfi Domini de Audenarde filiam matrimonij vinculo ſibi ſociavit, tum ea ſine liberis mortua, Mariam alteram duxit Joannis Caſtellani Noviomenſis Comitis de Torote filiam. Hic fundavit cereum in Eccleſia ſancti Nicaſij qui tempore Majoris Miſſæ tantum ardere debet 1247. Emit Dominium de Stonne à Nicolao Dagnat, extructóque Prioratu de Louvergny ordinis ſancti Guillelmi 1249. obijt ſine liberis 1251.

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1094.

Galcherus Caſtellanus de Raucourt Archidiaconus Leodienſis & Remenſis Canonicus ab anno 1246. ex actis Capitularibus quibus ei ob generis nobilitatem terra de Avanſon aſſignatur pro reditu Præbendæ, litem movit adverſus Manaſſem fratrem, & Thomam de Couciaco Mathildis Regiteſtenſis maritum pro ſucceſſione Joannis eorum fratris, quæ amicè compoſita eſt anno 1252. Multa bona conceſſit Religioſis Ladenienſibus, ob quæ quot annis ei debent Anniverſarium: Ellentio Cœnobio, & Eccleſiæ Regiteſtenſi, cujus Prior ob ſalutem animæ ejus debet ſingulis annis erogare pauperibus tredecim tunicas, & totidem calceos. Reliquit etiam modium frumenti in villa de Singli ſub Altomonte accipiendum Monaſterio ſancti Nicaſij pro emendis duobus cereris qui jugiter ardere debent ante Maius altare dum divinum perſoluitur Officium. Verba Chartæ hæc ſunt *Pro duobus cereris emendis ad ardendum continuè ad horas & ad Miſſas in perpetuum ante magnum altare in honore Beati Nicaſij Martyris.* Obijt 1263. ſepulturæ traditus apud Ellanium.

Manaſſes Dominus de Macerijs, & Caſtri Raynaldi, Comitatum obtinuit poſt fratris exceſſum, pacificavitque cum Thoma de Couciaco pro ejus ſucceſſione conſilio Theobaldi Comitis Campaniæ. Ex Iſabella uxore ſuſcepit Hugonem, Mariam, & Felicitatem. Defungitur anno 1271. apud Ellanium ſepultus cum patre ut infra dicemus.

Iſabella Manaſſis relicta duxit Nicolaum de Charbogne Dominum d'Autry quo titulo ſæpiùs utitur in Chartis. Ex horum Matrimonio prodijt Galcherus de Charbogne apud S. Remigium ſepultus cum hoc Epitaphio vernaculè conſcripto. *Ci giſt Gaulcher de Charbogne Moyne de S. Remy, frere de la Comteſſe de Rethel, Oncle du Comte de Flandre, & Couſin germain au Comte de Grand-Pré, qui trepaſſa l'an de grace* 1319. Iſabella jacet apud Ellantium in cujus ſepulcnro leguntur hi verſus Gallici.

Iſabelle la Comteſſe giſt ſous cette lame
Volontiers oyoit Meſſe dieux ait mercy de l'ame.
Des Cieux de cry fut née mon eſtoit bonne Dame
Ieſus-Chriſt couronné, l'ame eſt en ſon Royaume.

Adhuc vivebat Nicolaus de Charbogne anno 1295. & 1303. ex Chartulario Sandionyſiano Remenſi ubi vocatur dumtaxat Dominus de Charbogne & d'Autry.

Hugo VI. litem habuit pro ſucceſſione Comitatus poſt obitum Manaſſis cum Maria ſorore ſua quæ nupta fuerat Galtero Domino d'Enguyen, quam Theobaldus Campaniæ Comes diremit 1272. hic ſorori terram de Machaut cum appenditijs pro ſorte reliquit, & ſic quietus perſeveravit uſque ad obitum quem MSS. aſſignant anno 1290. Jacet apud Ellantium.

Jacobus Regiteſtenſis Hugonis filius unicam filiam Joannam nomine habuit omnium bonorum ſuorum hæredem. Meyerus eam Mariam vocat Jacobi Comitis Raſtellani.

Joanna

Digitized by Google

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1094.

Joanna Philippi Regis assensu, & consentientibus Guidone Comite Flandrensi, & Maria Galcheri Domini d'Enguien uxore, Ludovico Flandrensi Nivernensi Roberti filio natu majori sociata anno 1291. Comitatum Regitestensem dotis nomine Flandro detulit, qui postmodum cum Nivernensi conjunctus est. Ex horum connubio prodijt Ludovicus II. qui Margaretam Philippi longi filiam duxit uxorem, successitque Comitatui Flandrensi post obitum Roberti Avi sui ut conditum fuerat, quamvis ipso adhuc vivente Ludovicus primus pater ejus obijsset.

Ludovicus II. Ludovici I. & Joannæ filius dictus de Creciaco, Comes Flandrensis, Nivernensis & Regitestensis, ex Margareta reliquit Ludovicum III. Maleacensem nuncupatum, & Margaretam uxorem Joannis Britanniæ, obijtque in pugna Creciaca anno 1346. Brugis tumulatus.

Ludovicus III. assensu Regis Phllippi Valesij tenuit Comitatum Regitestensem in Pariatu, univitque oppidum de Varx à se recens acquisitum cum Comitatu Regitestensi sub fidelitate Regis, Doncherium præterea munivit, suscepitque ex Margareta Ducis Brabantiæ filia uxore aliam Margaretam, quæ desponsata est Philippo veterum Ducum Burgundiæ ultimo 1354. at eo obeunte sine liberis, Ducatus Burgundiæ ad sceptrum Francicum redijt, quo Rex statim investivit Philippum Audacem qui hæredem Flandriæ, & Retellij sibi conjunxit an. 1369.

Philippus Audax Joannis Regis filius, Comes Regitestensis ex parte uxoris relictæ Philippi prædicti, tres ex ea filios suscepit quibus Dominia sua partitus est, Antonio Comitatus Atrebatensem & Regitestensem primo assignavit, tum Brabantinum Lotharienſem, & alia Dominia extra Mosam sita post obitum Matris possidenda. Philippus excessit anno 1404. Jacet in Cartusia Divionensi quam fundavit.

Antonius Matre è vivus sublata an. 1405. prædictis omnibus Dominijs potitus est, juxta dispositionem testamenti paterni, obtinuitque eodem anno à Carolo Rege, ut Comitatus Regitestensis incolæ immunes essent ab omni vectigali, modo annuatim soluant summam quinque millia librarum, & etiam à tributo salis an. 1408. Occubuit in pugna Azincurtia postquam ex Joanna Vvateranni Comitis sancti Pauli filia reliquisset Joannem & Philippum.

Joannes Dux Lotharienſis Brabantiæ &c. erexit Acedemiam Lovanienſem, nullosque habuit liberos ex Jaquelina Guillelmi Bavarienſis Comitis Hannoniæ & Hollandiæ filia, quæ ipso vivente Duci Cloceſtræ nupserat. Obijt Bruxellis an. 1426.

Philippus Antonij filius natu minor, & Joannis frater, Ducatum Brabantiæ Lotarienſis & Regitestensis hæres, decessit post tres annos regiminis absque liberis in Castello Lovanienſi, cúmque ad Consobrinos prædicta Dominia jure Nativitatis & ex pacto redire deberent, ea invasit Philippus Dux Burgundiæ, exceptis Nivernensi & Regitestensi.

Douze Ducs de Bourgogne

Philippus Burgundus, Nivernensis Comes, Dominus de Douziaco Par & magnus Camerarius Franciæ, ultimus trium filiorum Philippi Audacis & Margaretæ Flandrensis, Comitatui Regitestensi succeſſit, duxitque Bonnam Philippi Atrebatensis Comitis d'Eu, Conneſtabuli Franciæ & Mariæ Bituricensis filiam an. 1413. ex qua duos filios suscepit, Carolum & Joannem, occubuitque cum Antonio ut fertur in pugna de Azincourt, jacetque apud Ellantium.

Carolus Burgundus natu major Philippi, Comes Nivernensis & Regitestensis inijt possessionem Dominij de Douziaco 1431. stetitque à partibus Regis adversus Ducem Burgundiæ suum Consobrinum. Carolus 7. Rex annexuit Baroneam de Rosoy cum Comitatu Registestensi ut in Pariatu teneretur à prædicto Carolo qui superiorem partem urbis Regitestensis

ſtenſis muris cinxit anno 1444. hominium præſtitit Abbati ſancti Medardi Sueſſionenſis pro advocatione de Doncherio an. 1458. deceſſit an. 1464. RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

Joannes Burgundus, Comes Nivernenſis & Regiteſtenſis, poſt obitum fratris, ex Jaquelina d'Ally Vicedomini Ambianenſis filia, reliquit Elizabetham; & ex Paula Britannica ſecunda uxore, Carlotam de Burgundia. Elizabetha nupſit Joanni Duci Clivienſi an. 1455. ex qua prodeunt Duciſſæ Nivernenſes: Carlota verò duxit Joannem d'Albret Dominum d'Orval, cui Comitatus Nivernenſem & Regiteſtenſem pro dote aſſignavit: ab humanis exemptus an. 1491.

Joanna Comitiſſa Regiteſt. legitur in Chartulario S. Nicaſij an. 1467.

Joannes d'Orval, Comes Regiteſtenſis ex parte uxoris, hominium fecit Carolo VIII. anno 1490. & Ludovico XII. 1507. Ex ipſius matrimonio prodijt Maria ſociata cum Carolo natu majori Angilberti Clivienſis, ex pacto inito auctoritate Ludovici XII. Joannes obijt anno 1524.

Carolus Clivienſis, Comes Nivernenſis & Regiteſtenſis ex parte Mariæ conjugis, reliquit Franciſcum Clivienſem, obitque Pariſijs 17. Auguſti 1521. Poſt ejus obitum lis orta eſt inter Mariam relictam & Franciſcum filium ſuum ex una parte: & inter Lautrecum nomine Franciſcæ d'Albret uxoris ſuæ, pro ſucceſſione paterna; Mariæ & Franciſco dati ſunt Comitatus Nivernenſis & Drocenſis: Franciſcæ verò conjugi Domini de Lautrec, Comitatus Regiteſtenſis cum Baronia de Douziaco & Rozatenſi an. 1515.

Odetus Fuxenſis, Dominus de Lautrec, Comes Regiteſtenſis propter uxorem, obijt in obſidione urbis Neapolitanæ an. 1528. reliquitque ex Franciſca Joannis d'Orval filia, Gaſtonem, Henricum, Franciſcum & Claudiam.

Gaſto Fuxenſis Lautrecij major natu, inijt poſſeſſionem Comitatus Regiteſtenſis poſt obitum Matris, cui ſucceſſit.

Henricus Fuxenſis ab humanis ſublatus ſine liberis an. 1540. Claudia ſoror ejus Comitatus Regiteſtenſis heres, conjuncta fuit cum Guidone Comite de Laval an. 1535. ex quo nullos ſuſcepit liberos. Hæc poſt modum nupſit Carolo de Luxembourg Domino de Martigues, & obijt an. 1545.

Maria d'Albret filia Joannis d'Albret Comitis d'Orval & Carlotæ de Burgundia Claudiæ patruæ, & illi vicinior ex materno latere, Comitatum Regiteſtenſem obtinuit an. 1549. ſociata eſt cum Carolo Clivienſi, quieſcit apud Franciſcanos Nivernenſes.

Franciſcus Clivienſis heres Caroli & Mariæ ex Margareta de Borbonio Franciſci Borbonij primi Ducis Vindocinenſis filia ſuſcepit Franciſcum, Jacobum, Henricum, Catharinam & Mariam. Tres primi ſucceſſivè Comitatum Regiteſtenſem tenuerunt. Franciſcus occubuit in pugna Drocenſi anno 1562.

Jacobus obijt anno 1564.

Henrica nupſit Ludovico de Gonſagues qui partes Regis generoſè tuitus eſt. Fundavit Conventum Patrum ſancti Franciſci de Paula Regiteſte an. 1575. Franciſcanos de obſervantia prope Caſſinam an. 1585. obtinuit ut Retellenſis pagus erigeretur in Ducatum ab Henrico III. abſumptus anno 1595. uxor verò & Henrica Clivienſis an. 1605. poſtquam emiſſet ab Henco IV. dominium Sanctæ-Menechildis. Ex horum thoro prodierunt unus filius & duæ filiæ, Carolus, Catharina & Henrica.

Carolus ſucceſſit Ducatui Regiteſtenſi ex parte Matris an. 1601. reliquitque ex Catharina Lotharienſi Ducis de Mayenne filia, Carolum Ducem Mantuæ, Mariam nuptam Regi Poloniæ, & Annam Comiti Palatino Friderici Bohemiæ Regis & Palatini Electoris filio.

Digitized by Google

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

Robertus Flandrenſium Comes, Ebalus Roceienſis, & Thomas de Marla in Eccleſiaſticos graviter deſæviunt. Ebalus Altare de Curte-ſuperiori abdicat.

CAPUT VIII.

ET hæc de primordijs & ſucceſſione Comitum Regiteſtentium πατρῳα dicta ſint, occaſione vexationum quarumdam, de quibus nonnihil poſtea dicendum occurret, tanta ſiquidem ferocitate Comites hoc ſæculo in Eccleſiarum terras graſſabantur, ut eorum ſævitia cum Normannorum perſecutione facilè poſſet comparari. Tradunt Annales Tornacenſes Raynaldum Archiepiſcopum per id tempus Synodum Remis coegiſſe ad coercendam Roberti Barbati Comitis Flandriæ tyrannidem in Clericos, quorum bona poſt obitum ad ſe pertinere contendebat. Urbanus II. ut à tali vexatione abſtineret ſeriò eum monuit, ſed tantum abeſt ut ei aurem accommodarit, quin potiùs ipſis viventibus, bona eorum per vim uſurparet. Litteræ ſummi Pontificis Synodo oblatæ ſunt ab Eccleſiaſticis Belgij, quæ injurias à Comite irrogatas ſigillatim exponebant. Epiſcopi compatientes eorum calamitati, cenſuerunt Arnultum Præpoſitum ſancti Audomari, Joannem Abbatem ſancti Bertini, Girardum de Hamo, & Bernardum Præpoſitum de Varenna mittendos eſſe ad Comitem Robertum, qui in Clauſtro ſancti Bertini quadrageſimale tempus in pœnitentia tranſigebat; ut ipſi denuntiarent ex parte Concilij, quòd ſi intra Dominicam in palmis bona ab eo injuſtè uſurpata, & retenta non reſtitueret, ſciret ſe igne & aqua interdicendum, totúmque Comitatum ſub interdicto ponendum. Comes hac excommunicatione percuſſus, Epiſcoporum juſſis obtemperavit, nihilque tale impoſterum auſus eſt committere.

Synodus Remenſis.

Vide Meyerū ad an. 1094.

Infeſtabatur quoque his diebus (ut Sugerij verbis utar) nobilis Eccleſia Remenſis ſuorum dilapidatione bonorum tyrannide tumultuoſi Baronis Ebali Rociacenſis, & filij ejus Guiſcardi qui quantò militiæ agebatur exercitio (erat enim tantæ ſtrenuitatis ut in Hiſpaniam cum valido exercitu, quod Regiæ poteſtatis eſt, proficiſceretur) tantò rapacior expletis deprædationibus, & omni militiæ inſiſtebat. Contra hunc apud Philippum regem & filium ejus Ludovicum, Remenſis Eccleſia ſæpius conqueſta eſt, donec conſcripto milite, Rex cum Optimatibus Remos feſtinans, brevi injurias Eccleſijs irrogatas tam felici ſucceſſu vindicavit; ut inde præfati Baronis, & fautorum ejus terras hoſtiliter ingreſſus, incendio, cædibus & rapinis vaſtaverit. Certatum enim non modò contra Ebalum, ſed contra omnes illarum partium Barones, quorum exercitus ex Lotharingis propter affinitatem, ut plurimùm conſtabat. Pace Eccleſijs reddita, Ludovicus aliò properavit, retento caſtello novo quod incaſſum Ebalus ab eo repetebat.

Sugerius in vita Ludovici Groſſi.

Id etiam patet ex Greger. VII. epiſt. 7. in tomo Concil.

Contigit etiam in pago Laudunenſi bellum non minoris momenti in Thomam de Marna, virum undequaque ſceleratiſſimum, exoſum Deo & hominibus. Hic enim obtento Montis-acuti caſtello occaſione cujuſdam matrimonij, tanta rabie inexpugnabilis loci audaciâ in vicinos graſſabatur; ut omnes circumquaque tyrannidem ejus horreſcerent. Pater ejus Enguerrannus de Bova, vir inclitus & venerabilis, communicato cum Epiſcopo Laudunenſi, Ebalo Roceienſi, alijſque proceribus quos alicere potuit conſilio, è caſtro eum eijere multis modis tentavit. Palo & vimine circumcinxit illud; ut fame periclitantem ad deditionem cogeret, caſtrum ſubverteret, ac perenni cuſtodia prædictum Thomam manciparet.

At ille

At ille cùm necdum undique clauſum eſſet, nocte furtim evaſit, feſtinánſque ad Ludovicum, collaterales ejus muneribus corrupit, ut ei militari ſuffragarentur præſidio: quod à flexibili Principe, ætate & moribus facilè obtinuit. Exercitu ſiquidem brevi collecto, ad partes illas cùm feſtinaſſet, viri qui caſtrum Montis-acuti circumcluſerant, nuntios ad eos mittunt, rogántque, ne removendo eos ab obſidione, perditiſſimi hominis hortatu, tantum eis dedecus inferat, perniciem toti provinciæ, & poſtmodum ſibi allaturum. RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

Cùm nec blanditijs nec minis eum à propoſito deterrere potuiſſent; veriti ſunt in Regem deſignatum committere, unde quidquid facere libuit, inviti ſuſtinuerunt. Diſruptis igitur & defoſſis circumquaque municipijs, Montem-acutum emancipavit, tum caſtra movens, aciem componit ex alia parte torrentis, ſi fortè quis illum tranſiens pugnaturus occurrat. Quod videntes nobiliſſimi viri Enguerrannus de Bova, Ebalus de Roceio, Comes Andræas de Rameru, Hugo Albus de Firmitate, Robertus de Perona Dominus de Capiaco, Principis pubertatem amplexati ſunt, ſeque ac ſuos ejus obſequio libenter ſubmiſerunt. At non multo poſt Thomas, Deo nequitiam ejus ulciſcente, caſtrum & matrimonium inceſtu conſanguinitatis fœdatum divortio amiſit.

Ebalus quem in ordinem redactum à Ludovico in Regem deſignato vidimus, ob quaſdam vexationes quas Eccleſijs inferebat, hortante Elinando Laudunenſi Epiſcopo, altare de Curte-ſuperiori Eccleſiæ ſancti Nicolai de Roceio in ſtipendium Monachorum ibidem Deo ſervientium hoc anno dandum conſtituit: ut patet ex Charta prædicti Epiſcopi, cujus fragmentum ex Tabulario Majoris-Monaſterij hìc reponimus.

Altare datum in ſtipendium Monachor.

Ego Elinandus gratiâ Dei Laudunenſenſium Epiſcopus, Comitem Ebalum conveni, qui contra Apoſtolicam canonicámque conſtitutionem, laicum altare de Curte-ſuperiori quaſi in beneficium militibus ſuis tenendum tradiderat. Divina autem cor illius commovit gratia, ut altare prædictum de manu militum ſuorum liberum mihi redderet; ea conditione ut ego illud Eccleſiæ ſancti Nicolai de Roceio, in ſtipendium Monachorum ibidem Deo ſervientium perpetuò donarem, &c. Actum an. 1092.

Comitum Roceienſium origo, & Nomenclatura.

CAPUT IX.

ROUCI. *d'or au Lion d'azur.*

QUÆ de Roceienſi Comite ſuperiùs à me dicta ſunt poſtulare videntur, ut veteris hujus Dynaſtiæ primordia paucis perſtringam. Flod. ad annum 948. de caſtro quod toti Comitatui nomen dedit hæc habet: *Hugo ad quandam munitionem, quam Ragenoldus Comes Ludovici ſuper Axonam fluvium in loco qui dicitur Rociacus ædificabat, devenit, ipſámque adhuc imperfectam caſtris vallavit, ſed nec ipſam cepit: villas tamen Remenſis Eccleſiæ, caſtris ſuis contiguas devaſtavit.* Ragenoldus igitur filiorum Heriberti Viromandenſis octavus, primus eſt, qui prædictum caſtellum quatuor circiter leucis à Durocorto ſeparatum exſtruxit, capútque meritò cenſeri debet Comitatûs Roceiacenſis. Hic Albradam Ludovici Tranſmarini ac Gebergæ filiam duxit an. 955. Remenſiſque Comes nominatur apud Aimonium. An revera ita ſit vel Comes ibi pro Toparcha, vel militum Præfecto capi debeat, non ſatis liquet: quod conſtat illud eſt, prædictum Ragenoldum Remorum Archiepiſcopis ſæpius auxilio fuiſſe contra invaſores bonorum Eccleſiaſticorum ex Flod. ad annum 949. Sed nec idem Comes immunis fuit ab ea deprædandi, ſeu diripiendi prurigine qua nobiles hoc ſæculo laborabant; cum in dominia eccleſiaſtica turbato rerum ſta-

Rauciacum Roceium vel Ruciacenſis Comes Flod. lib 4. cap. 36. & Chronicon Fontanell.

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1094.

tu, ipſemet ſæpius irrepſerit ut ſub Odalrico Artaldi ſucceſſore ſupra vidimus.

Alicubi etiam Giſlebertum Ragenoldi filium, Remorum Comitis titulo inſignitum reperio : forſan quòd hereditario jure hunc ſibi debitum arbitraretur, aut Arnulfi Archipræſulis ſibi conſanguinei conniventiâ. At Ebalus ſucceſſor ejus, in hoc præſertim incubuit, ut jus illud quodcumque fuerit nonmodo abdicarent poſteri, ſed & Vicecomitatum quo pariter potiebantur, quem dato pretio receptum idem Præſul univit dominio eccleſiaſtico.

Ceterùm quonammodo Roceiacenſes, Comitum Campaniæ beneficiarij facti fuerint ; cùm ab origine vaſalli non eſſent, & cur Rociacum vel Ruſciacum ex feodis unum ſit, pro quibus Comes Campaniæ hominium debebat Remenſi Archiepiſcopo, ut habetur in Bulla Innocenti, dicant qui melius norunt.

Ragenoldus Comitum Roceienſium caput obijt 15. Martij 963. apud ſanctum Remigium ſepultus.

Giſlebertus Comes Remorum, & de Roceio, Arnulfi Remenſis Archiepiſcopi frater, privilegio Monachijs S. Theoderici à Lothario Rege conceſſo ſubſcripſit 974. quieſcit in Eccleſia S. Remigij 13. Kal. Maij tumulatus. Ex Necrologio.

Bruno Canonicus Remenſis, deinde Lingonẽſis Epiſcopus anno 982.

Ermentrudis Ottoni juncta, ex quo prodijt Agnes mater Vuidonis. Albericus tradit prædictum Ottonem Comitatum Remenſem uſurpaſſe, & alia prædia, pro quibus excommunicatus fuit, aſtque in Comitatu Rociacenſi ſucceſſiſſe.

N. uxor Frotmundi Comitis Silvanectenſis ex Aimoino.

Ebalus duxit Beatricem de Hannonia filiam Raineri Comitis & Hadvvidis Roberti Franc. Regis Sororis, ex qua ſuſcepit Aelidem Comitum Roceij ſtirpis de Rameru & d'Arceis progenitricem, & Haduvidem Gaufridi de Ruminy uxorem : ita Albericus Porro Ebalus Beatrice rejecta, ut quidam volunt, Comitatũ Remenſem dedit Eccleſiæ, ſitque Remor. Archiepiſcopus an. 1023. at obſtant ea quæ ſupra retulimus.

Lethardus Dominus de Marle pater Adelæ uxoris Engueranni Domini de Boves & de Coucy Comitis Ambianenſis.

Ivetta uxor Manaſſis Comitis Regiteſtenſis, filij Manaſſis primi & Odelinæ.

I.

Hugo duxit Meleſindem de Mont-Lhery & Hodiernam ex quo Balduinus ſecundus Rex Hierolymorum.

Hilduini frater erat Manaſſes Calvus pater Manaſſis I. Remen. Archiep.

Alix ſive Adela Comitatus Roceienſis heres, nupſit Hilduino IV. ex familia Comitum d'Arceis & de Rameru : qui Philippi I. inaugurationi interfuit an. 1059. Hadenidis vel Bodenidis nupſit Godefrido Domino de Florines & de Ruminy. Fundavit Prioratum de Roceio anno ſequenti exceſſitque circiter 1063. Porro Hilduinus ex Adela uxore quæ germana fuit Manaſſis Remorum Archiepiſcopi, genuit Ebalum Comitem de Roceio, & Andream Comitem de Rameru, patrem Ebali Cathalaunenſis Epiſcopi, ſeptémque filias quas recenſet Hermannus Monachus lib. 1. *De miraculis S. Mariæ Laudun.* una ex illis Adela nomine Fulconis de Burgundia uxor, mater fuit Bartholomæi Theſaurarij Remenſis Eccleſiæ, & Laudunenſis Epiſcopi, & Ermentrudis uxoris Comitis de Grandi-Prato, Henrici I. matris.

Ebalus II. memoratur apud Sugerium in vita Ludovici VI. & in Chartulario S. Nicaſij Rem. cum Sibilla uxore Roberti Guiſcardi Ducis Apuliæ filia & Roberto filio 1092. Hic pacto inito cum Alexandro II. & Gregor. VII. bellum intulit Sarracenis in Hiſpania obiitque anno 1100.

Guiſcardus

Guiſcardus obijt ſine prole, legitúrque apud Sugerium.

Hugo dictus Cholet maritus Anelinæ, tum Richildis Imperatoris Conradi ſororis, fundat Vallem-Regiam ann. 1147. Priorat um de Evernicourt 1154. migrat 1160. Jacet apud S. Theodoricum prope Remos. Exeo & Richilde prodierunt.

Hermengardis uxor Guidonis Domini de Bazoches.

Robertus legitur in charta villæ de Houdilcourt in Tabulario S. Nicaſij anno 1130.

Hugo habet ſtemma coccineum quinque molendinorum anceris aureis impreſſum.

Robertus, Guiſcardus, Ebalus, Guillelmus Majoris-Monaſterij Monachus, Adela uxor Galcheri II. de Roſoy in Tieraſchia, tum Guermundi de Caſtellione, Sara & Hugo, &c.

Guiſchardus Comes Roceij Hieroſolymam profectus eſt an. 1170. ex Charta reſtitutionis 20. ſolidorum quos pater ad luminaria Eccleſiæ Sancti Remigij conceſſerat. Hic duxit Elizabetham de Novo-caſtello, legitúrque in Epiſtola Petri Cellenſis ubi conſanguineus Regis nominatur. Obijt 1180. filij ejus numerantur in Charta Sancti Remigij qua conſentit venditioni cujuſdam feodi apud Bainam qui movebat ex Comitatu Marolienſi an. 1178.

Radulfus cui Meleſindis de Couciaco ſociata eſt, ſine prole deceſſit anno 1196. Meleſindis poſtea nupſit Hẽrico IV. de Grandi-prato.

Joannes duxit Beatricem de Vigniori nullóſque reliquit heredes.

Vuiſcardus & Henricus abierunt ſine prole.

Ebalus Canonicus Remenſis Eccleſiæ obijt 6. Cal. Maij. Ex Necrolog.

Euſtachia Roberti uxor Domini de Pierrepont laudat, ut legitur ex Chartulario, venditionem factam ab Airardo de Braina S. Remigij Abbati, pro Vicecomitatu de Condato ſuper maternam conſentientibus Alice & Elizabetha filiabus anno 1208.

Euſtachia nupta Roberto de Pierrepont filio Hugonis & Clementiæ Agathæ Regiteſtenſis obijt 1221. reliquítque bonorum ſuorum heredes.

Joannem II. Alaidem & Elizabetham Roberti de Couciaco uxorem.

Joannes ſociavit ſibi Iſabellam Drocenſem cum qua divortium fecit, tum Mariam de Ponthieu ſororem Joannæ Ferdinandi III. Regis Caſtellæ uxoris. Joannes legitur in Chartulario S. Martini Laudun. 1217.

Ingelrannus de Couciaco Comes Roſiac. legitur in Chartul. S. Amandi anno 1202.

Alanus miles iunior de Roceio (de quo Rigordus ad an. 1198.) & Euſtachia uxor eius, filia Vicecomitis Catbalaun. leguntur in Chartul. S. Nicaſij an. 1207. & 1235.

Joannes III. alterius Iſabellæ maritus, pacificavit cum Abbate S. Dionyſij Remenſ. Jacet apud Vallem-Regiam. Hic coactus eſt ſatisfacere Roberto Archiepiſcopo, quòd ipſius Præpoſitum contra fas carceri mancipaſſet an. 1269.

N. uxor Joannis de Garlande Domini de Poſſeſſe.

Joannes IV. duxit Joannam Roberti Comitis Drocenſis filiam, exceſſit anno 1302. apud Vallem-Regiam tumulatus.

Joannes V. fœdera conjugij inijt cum Margareta de Boves filia Tetbaldi, occubuit in pugna Creciaca 25. Auguſti an. 1346.

Joannes Dominus de Pierrepont duxit Margaretã de Piquiny obijt ante patrem ſine liberis.

Robertus II. captus in pugna Pictaviẽſi an. 1356. ex Maria Galteri Domini d'Enguien filia & Iſabellæ de Brienne progenita eſt.

Hugo Dominus de Pierre-Pont.

Simon conjuctus cum Maria Caſtilonenſi, Comes Branenſis & de Roceio poſt neptem ſuam Iſabellam, reliquit Ioannem Epiſcopum Laudunenſem & alios. Obijt 18. Feb. 1391.

Beatrix uxor Ludovici Comitis de Sancerre.

Joanna uxor Caroli de Mõtmorenciaco Franciæ Mareſchalli.

Iſabella

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

Iſabella Ludovici Namurcenſis uxor, quæ cùm divortium feciſſet, Comitatum ſocero, ſeu Ludovico Duci Andegavenſi vendidit an. 1383. at Simon Roberti frater interceſſit; dictúmque, Comitatum Roceiacenſem à familia non debuiſſe alienari.

Hugo Simonis filius ſociavit ſibi Blancham Radulfi de Couciaco filiam. Legitur in profeſſione Regi facta 4. Januarij 1391. fato functus 25. Octob. an. 1395. uxor verò 24. Februarij 1437. Meyerus docet eum duxiſſe filiam Joannis de Monteacuto. Exſtat in Chartulario Laudunenſi tabulâ qua hominium facit Joanni Laudun. Epiſcopo fratri ſuo, pro Caſtellanijs de Petraponte, de Monteacuto & de Siſſonne an. 1353.

Joannes VI. ſibi Elizabethã de Monteacuto copulavit an. 1402 ex qua ſuſcepit unicam filiam Joãnam nomine, quæ cum Roberto de Sarrebruch conjuncta eſt: eo obeunte Elizabetha duxit Dominum Petrum de Borbonio Dominum de Preaux; ſublata 4. Septemb. an. 1459.	Hugo Dominus de Pierrepont. Obijt 18. Aug. an. 1412.	Margareta uxor Thomę Marquiſij de Saluces.	Claudia uxor Goberti de Grandi-Prato, & Jacquelina Abbatiſſa ſancti Petri Remenſis.	Joanna uxor Franciſci d'Albret & Blancha uxor Ludovici de Borbonio Comitis Vindocin.

Joanna heres Comitatuum de Braina & de Roceio, uxor Roberti de Sarrebruch, ſub qua Vicecomitatus Laudunenſ. venit ad Comites Roceiacenſes an. 1410. commutatione facta cum ditione de Ver & cIↃ.ccc.l. lib. Turon. inter Dominum Guillelmum Caſſinel & Dominum de Monteacuto, deceſſit an.. .. Ditio de Ver ſpectabat ad prædictum de Monteacuto ex parte Gieſlæ matris ſuæ, quæ duxerat Gerardum de Monteacuto: ex quo ortus eſt Joannes de Monteacuto pater Elizabethæ uxoris Joannis Comitis de Roceio. Porro filij Roberti de Sarrebruch & Joannæ de Roceio hi ſunt.

Amedeus Comes Brainenſis maritus Guillelmetæ de Luxemburgo fato functus anno 1465.	Joannes VII. Comes de Roceio duxit Catharinam Aurelianenſem, comitatúſque eſt ſanctam Ampullam in Caroli VIII. inauguratione an. 1487 obijt an. 1497. relicto Joanne filio qui in puentia deceſſit.	Maria uxor Joannis de Meleduno Domini d'Antoin ex quo. I. Ludovicus Dominus de Siſſonne, & Margareta. Ex Ludovico Domino de Siſſonne orti ſunt Henricus & Carolus Epiſcopus Sueſſion. Ex Henrico Anna S. Stephani Remenſis Abbatiſſa.	Joanna uxor Chriſtophori de Brabãçon.

I.

Robertus Comes de Roceio poſt patrui obitum, duxit Mariam Filiam Caroli de Ambaſia Proregis Campaniæ 1487. vivis exemptus anno 1504. poſt ſe reliquit.

Amedeum II. Renatæ de la Marche maritum, ex qua duos liberos ſuſcepit in puentia mortuos, obijtque ann. 1523.	Philippam uxorem Comitis de la Rochepot.	Catharinam Comitiſſam de Roceio uxorem Antonij Domini de Roya, qui obijt in pugna de Mariniaco 13. Septemb. anno 1515. ex quo prodijt.	Guillelmetam Brainæ Comitiſſam uxorem Domini Roberti de la Marche Dom. de Florange deinde de Bullonio.

Carolus Dominus de Roya qui Magdalenam de Mailly duxit, Ferrici filiam Domini de Conty. Obijt Roceij Comes an. 1552. Ex eo.

Carolus

Digitized by Google

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

Carolus vivis exemptus in infantia.	Leonora uxor Ludovici de Borbonio principis Condei, Domina de Roya.	Carlota II. uxor Franciſci III. Comitis de la Rochefoucaud, Comitiſſa de Roceio obijt 1569.		
		I.		
Henricus, Joannes, Joſue ſublati in pueritia.	Carolus II. jugavit ſibi Claudiam Armandi de Gontaud de Biron filiam: obijt Comes de Roceio 1605.	Benjamin obijt 1590. ante matrimoniũ contractum.	Magdalena uxor Ludovici Iuſt.	Iſabella Ludovici de la Rochefoucaud uxor.

Franciſcus II. Comes de Roceio Julianam Catharinam duxit Henrici de Turri Ducis Bullienſis Franciæ Mareſchali & Elizabethæ de Naſſau filiam, ex qua ſuſcepit Fredericum, Carolum Dominum de Roya, Henricum Vicedominum Laudunenſem, &c.

De Jure regales nuptias conſecrandi ab Ivone Remenſi Eccleſia attributo, & antiqua Regum conſuetudine recipiendi coronam feſtis ſollemnioribus ab Epiſcopis.

CAPUT X.

MAGNUM his diebus in Regno Franciæ ſcandalum oritur. Philippus Rex rejecta Bertha legitima uxore (ut ei B. Arnulfus Sueſſionenſis Epiſcopus prædixerat) Bertradam pellicem duxit, conniventibus nonnullis Epiſcopis, quibus Ivo Carnotenſi Eccleſiæ ſuffectus an. 1092. inſigni conſtantia reſtitit. Hic autem privilegiorum Remenſis Eccleſiæ non ignarus, quòd in Belvacenſi diœceſi tirocinium expleviſſet, metuens ne Raynaldus, & Comprovinciales Epiſcopi nequitiæ Regis conſentirent, ſequentem Metropolitæ ſcripſit epiſtolam quæ eſt 13. cum hoc elogio in capite.

Liſiardus in Vita S. Arnulfi Sueſſion. Epiſcopi.

Rainaldo reverendo Remorum Archiepiſcopo, Ivo humilis Carnotenſium Epiſcopus: conſolationis viſceribus abundare.

EXpertus quantum ſit periculũ Prelatorum juxta quod in Pſalmo legitur: " *Qui deſcendunt mare in manibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt mirabila in profundo, aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat, turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius & omnis ſapientia eorum devorata eſt.* In quo, per me minùs ſæpio, veſtro " ceterorúmque conſilio prudentum informari, vel confirmari deſidero. Nuper enim cùm à domino noſtro Rege fuiſſem invitatus ad colloquium, quorundam malevolorum meorum ſuggeſtione obnixé me rogavit, ut eſſem ei adjutor in celebrandis nuptijs, quas facere diſponebat de Bertrada dicta conjuge Comitis Andegavenſis: ad quod cùm reſpondiſſem, non ita oportere fieri, quoniam nondum eſſet cauſa definita inter eum & uxorem ejus: teſtatus eſt pleniter definitam eſſe Apoſtolica auctoritate, & veſtra, veſtrorúmque Coepiſcoporum laudatione. Quo audito, reſpondi me hæc ignorare, nec hujuſmodi nuptijs velle intereſſe, niſi vos earum eſſetis conſecrator & auctor & Coepiſcopi veſtri aſſertores & cooperatores: QUONIAM ID COMPETIT JURI ECCLESIÆ VESTRÆ, EX APOSTOLICA AUCTORITATE ET ANTIQUA CONSUETUDINE. Quoniam igitur confido de religione veſtra, nihil vos de re tam periculoſa, & famæ veſtræ, & honeſtati totius Regni tam pernicioſa facturum

RAINAL-DUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

„ facturum dicturúmque, quod non auctoritate vel ratione nitatur, ſtudioſiſſimè & devotiſſimèobſecro charitatem veſtram, ut mihi fluctuanti veritatem hujus rei quam ſcitis aperiatis & ſanum conſilium licet arduum & aſperum ſuper hoc præbeatis: malo enim perpetuò officio, & nomine Epiſcopi carere, quam puſillum gregem Domini mei legis prævaricatione ſcandalizare. „ Sunt enim latentes cauſæ, quas interim tacere me convenit, propter quas „ hoc matrimonium laudare non poſſum. Vale.

De Jure benedicendi regales nuptias Epiſcopis Galliæ Belgicæ auctoritate Apoſtolica conceſſo, fateor me alibi nihil legiſſe, mirórque qua confidentia hoc illis tribuat Ivo, qui privilegium longè certius Reges coronandi tam acriter impugnet epiſt. 70. Sic ſe habent mortalium animi, quos ira, cupiditas, favórque ſæpius perturbant. Idem veluti in ſpecula Gallicanæ Eccleſiæ conſtitutus, dum ceteri Regis potentiâ emolliti palpando adularentur, horum animos nervotè ſtimulat, & erigit epiſtolâ quæ ſic incipit: *Archiepiſcopis & Epiſcopis ad regales nuptias invitatis: cum ſpiritu conſilij ſpiritum habere fortitudinis. Vos* (inquit) *qui conveniſtis nolite fieri canes muti latrare non valentes, ſed ſicut boni ſpeculatores videntes gladium venientem ſuper terram, buccinâ inſonate: ut cùm feceritis quod debetis, veſtras animas & eorum qui ad vocem buccinæ ſe obſervaverint, vobiſcum liberetis.* Ivo epiſt. 14.

Philippus novi matrimonij pellectus illecebris ſurdum ſe præbuit monitis Epiſcoporum, ſociavítque ſibi Bertradam Comitis Andegavenſis uxorem, Silvanectenſi Epiſcopo benedictionis munus impertiente, ex epiſtola Urbani Pontificis à doctiſſimo D. Luca Acherio edita Spicilegi V. folio. 337. qua in Raynaldum Remenſem Archiepiſcopum graviter invehitur his verbis: *Te autem cariſſime Confrater Raynalde noxa hac maximè impetit, pro eo quòd Silvanectenſis tibi ſubjectus Epiſcopus, hoc publici adulterij crimen ſuo, ut audivimus, firmavit aſſenſu, cùm mœchis illis benedictionis ſacerdotalis manum impoſuit.* Spicil. tomo 5. pag. 337. Vetuit tamen idem Pontifex ne quis capiti mulieris coronam imponeret: Ivo Carnotenſ. epiſtolâ 125. imo nec Regi ipſi quamdiu pellicem non abjiceret, ex epiſtolis ejuſdem tam ad Urbanum quam ad Hugonem Legatum Apoſtolicum apud quem ſic conqueritur Ivo: *Turonenſis Archiepiſcopus prædicta Eccleſia pædagogus, in Natale Domini Regi Philippo contra interdictum veſtrum, coronam imponere hac arte obtinuit &c.* Ivo epiſt. 67. Utrum de inaugurativa loquatur, vel de ea quæ feſtis ſollemnioribus imponi ſoleret ad divini cultus decorem & majeſtatem, non ſatis aperit. Sollemne enim Regibus noſtris erat ab Epiſcopis coronam recipere, eáque redimitos divinis Officijs intereſſe; quod probari poſſet nonmodo ex epiſt. 67. & 68. prædicti Ivonis; ſed & ex charta Ludovici Groſſi quæ malè ad annum 1092. refertur ob Præſulatûs epocham quorundam Epiſcoporum qui ei ſubſcripſerunt, ubi ſic habetur.

„ Verùm quoniam morientibus Epiſcopis & terrena eorum poſſeſſione ad „ manum regiam redeunte, contingebat ut Epiſcopium Laudunenſe partim „ regiâ violentiâ, partim ſuccedentium Epiſcoporum inerti negligentia, illa „ poſſeſſione privaretur: bonæ memoriæ Elinandus Epiſcopus Laudunenſis „ à patre noſtro piæ recordationis Rege Philippo, in quadam curia in „ die Natalis Domini Lauduni habita, pia petitione impetravit; ut prædicta „ poſſeſſio, tam in villis quam in cenſu, ipſo Elinando & ejus ſucceſſoribus pri„ vilegio, atteſtatione, & teſtium ſubſcriptione ad integrum reformaretur. „ Sed ne qua impoſterum aut officialium præſumptione, aut Regum pra„ va voluntate, ſuper hujuſmodi oriretur inquietudo, præcipiente Rege „ ab omnibus Epiſcopis qui ejus coronationi die ſollemni adfuerunt, ex„ communicatione cautum eſt; ne quis impoſterum inſtigante diabolo „ hanc Regis redditionem pervertere, aut caſſare auderet: qui autem illam „ excommunicationem fecerunt ſunt hi. Manaſſes Archiepiſcopus, Eli„ nandus Laudunenſis Epiſcopus, Theobaldus Sueſſion. Rogerus Catha-

launenſis

lunenſis, Rolandus Silvanect. Rabodus Noviom. Gaufridus Pariſienſis, Guido Ambian. Vuido Belvacenſ. &c. RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1094.

Patet ex ſubſcriptionibus chartæ hujus confectionem remittendam eſſe ad ann. 1072. ut & hanc Compendienſem à R. Patre D. Luca Acherio relatam Spicileg. tomo 2. quâ in Concilio Pariſienſi Philippus Rex Compendienſis Eccleſiæ bona confirmat, ſubſcribentibus Manaſſe Remenſi Archiepiſcopo, Richardo Bituric. Archiep. Rogero Cathalaun. Elinando Laudun. Ratbodo Noviom. Vuidone Belvac. Vuidone Ambian. &c.

Ob ſuperius interdictum negat Ordericus Vitalis, ad annum 1092. Philippum I. ſollemnitatem celebraſſe cum corona & ſceptro, quandiu fuit excommunicatus ab Vrbano II. at Ivonis verba aliud indicant epiſt. 134. Querimonia verò ad Johannem Præſbyterum Cardinalem Legatum, de quorumdam Galliæ Belgicæ Epiſcoporum temeritate, qui Philippum diademate cinxerant poſt Urbani obitum; quaſi mortuo præcone juſtitia concidiſſet, ad Paſchalis tempus referenda eſt, augurórque id à Manaſſe Raynaldi ſucceſſore perperratum, quem Burgolienſis Abbas perſtringit his verbis.

Namque manum ſuper hunc, nimis aggravat ille Remenſis,
Iram qui Papæ funditus emeruit.
Impoſuit ſiquidem Regi diadema Philippo,
Nunc & in hoc Papæ negligit imperium.

Apud Duchesnium tomo 4. fol. 276.

Hæc apertè innuunt Reges Francorum, in feſtis anni ſollemnioribus olim coronari ſolitos ab Epiſcopis, qui curiam comitabantur, ut majeſtas Divini cultus clarior eſſet, & auguſtior. Quod etiam factitatum à Ludovico Pio Imperatore docet Theganus cap. 19. Cur autem Philippus iteratò coronari petierit ante abſolutionem, tribui id debet ipſiuſmet contumaciæ: cùm enim ſummi Pontificis monitionibus præfractum præberet animum, jure Regni ab eo priuatus eſt, ſpoliatúſque corona & ſceptro, in effigie, ex epiſtola Ivonis ad Urbanum: *Venturi ſunt in caliditate ingenioli ſui, &c. Hac ratione ex parte uſuri; Regem cum Regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, niſi Regem ab anathemate abſolvatis.* Ivo Epiſt. 28.

Philippus verò poſt Urbani obitum ad noxam relapſus, ut prædictas comminationes ſe flocci pendere teſtaretur, ab aſſentatoribus Epiſcopis petierat publicè coronari. Cetèrum præfatus Ivo, qui rerum quæ in Philippi Regis curia fiebant, Urbanum acuratè certiorem faciebat, ſic ad eum ſcribit eâdem epiſt. 28. *Sciat vigilantia veſtra, quia ex præcepto Regis, Remenſis, Senonenſis & Turonenſis Archiepiſcopi invitaverunt Suffraganeos Epiſcopos, ut poſt reſponſa veſtra, apud Trecas primâ Dominicâ poſt feſtivitatem omnium Sanctorum conveniant. Quò invitatus ire diſſimulo, niſi veſtro conſilio munitus, timens ne quid contra juſtitiam & Sedem apoſtolicam moliatur iſte conventus.* Ivo ibid.

Remis iterum coactos Epiſcopos tradit Chronicon ſancti Petri Vivi ad an. 1094. *Congregavit*, inquit, *Philippus Rex Archiepiſcopos & Epiſcopos regni ſui, in Remenſi urbe, & obtinuit ab Archiepiſcopo Richerio magnis precibus, ut Remis ad Concilium non dedignaretur ire; oſtendens Raynaldum Remenſem Archiepiſcopum podagrico dolore contractum non poſſe progredi de ſua Sede: & perrexit Richerius Archiepiſcopus Remis, & ſuſceptus eſt cum maximo honore à Raynaldo Archiepiſcopo, & univerſo clero Eccleſiæ Remenſis, & ſedit in Concilio in nullo inferior Remenſi Archiepiſcopo, ſed penitus par & æqualis, ut pote qui non per aliquod debitum illuc perrexerat, ſed per dilectionem & orationem Regis.* Ad hoc invitatus dicitur Ivo Carnotenſis ut dictorum factorúmque rationem redderet coram Epiſcopis, purgarétque ſe à crimine perjurij. At ipſe epiſtolâ 109. ad prædictum Richerium Senonenſem audaciùs eos increpat, ac ſi Regis nequitiam foverent, dicítque Chronicon S. Petri vivi ad an. 1094.

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1094.

cítque sibi non licere, etiamsi conductum à Rege accipiat, in tali conventu dicere veritatem, qui pro dicta veritate tantam jam sentiat severitatem; ut perjurium arguatur incurrisse.

Ex his præsertim verbis Frizonius in tractatu Conciliorum adducitur, ut credat Raynaldum Remensem, & Coepiscopos divortium Regi consuluisse: quamvis nihil convincens contineatur; si Silvanectensem excipias de quo supra, ut vel ex ipsis epistolæ verbis constare potest: tum etiam ex alijs epistolæ 13. ad Raynaldum. *Testatus est,* inquit Ivo, *Rex causam pleniter definitam esse Apostolicâ auctoritate, & vestra, vestrorúmque Coepiscoporum laudatione.* At dici id non potest de Urbano, qui tam acriter in eum invectus est; ita nec de Archiepiscopo qui præsens, nihilque sibi conscius, interfuit Concilio Claromontano, ubi anathema repetitum in Regem à summo Pontifice; nam bis aut ter Regi aqua & igni interdictum est: primum in Augustodunensi Synodo per Hugonem Lugdunensem ex Bertholdo ad an. 1094. deinde in Claromontana ex Ivone an. 1095. Urbano vitâ functo cum ad pellicis consuetudinem redijsset, Paschalis urbani successor coacta Pictavis Synodo iterum Regem excommunicat per suos Legatos, ut narrat Ordericus Vitalis lib. 8.

Hac eadem anno Bertha Regina qua à Rege fuerat derelicta è vivis excessit. Chron. S. Petri vivi.

Raynaldus approbat Chronicon Balderici, Concilium Suessionis indicit adversus Roscelinum delegátque qui lustrent sanctæ Helenæ Philacterium.

CAPUT XI.

DUM hæc anxiùs excuterentur, Baldericus Morinensis Ecclesiæ Cantor, tum Archidiaconus, & Episcopus Tornacensis, Raynaldum Metropolitam rogat; ut à se excerpta de origine, & successu Christianitatis in urbibus Cameracensi, & Atrebatensi suo calculo comprobaret. Baldericus hic, cujus sagacitas à multis laudatur, filius fuit Arberti Militis in Artesia, functúsque est officio Secretarij sub Gerardo Præsule & Lietberto, quorum operâ ad ecclesiasticas dignitates gradatim, & post juge obsequium feliciter pervenit. Cúmque ab incunabulis historiæ animum applicuisset, essetque antiquitatis sollertissimus indagator, accuratè Christianismum persecutus est à Clodoveo I. Francorum Rege, ad an. 1030. Scripsit etiam Teroanense Chronicon, typis excusum sub Philippo Luxemburgensi Cardinale, ferè eodem stilo, & sermonis puritate ac Frodoardus noster, licet nonnulli Baldericum elegantiorem putent: ut igitur ejus petitioni satisfaceret Raynaldus, hanc ei epistolam scribit, quâ prædictum opus laudat & approbat.

Raynaldus Remorum Archiepiscopus, Balderico Morinensi Cantori salutem.

„ MEum dilecte, de tua historia Ecclesiæ Cameracensis & Atrabatensis
„ requiris judicium, de qua quæ accepi à Fratre Sigoberto tibi
„ rescribo. Illi tamquam sedula apis per piorum devota circumvolitans loca,
„ nullum prætersisse visus es; unde non aliquid decerpseris incredibili sedu-
„ litate. Sic itáque mirabilia Dei & Sanctorum non erunt in terra oblivionis,
„ & ædificasti in generatione, ideo usque nunc satis verecundiæ & modestiæ
„ tuæ datum est; reliquum piorum votis, & pij defuncti Præsulis voluntati
„ largire, & quod industria infatigabili, & animo vel ad minutissima quæque
„ attentissimo viventi consecrasti, mortuo non eripias. Excute de manibus,
„ ut in Ecclesijs & Monasterijs versetur; mihi etiamnum præsagit animus,

rem

rem iſtam tibi gloriæ, poſteritati uſui, & nunc utríque Eccleſiæ voluptati, « RAYNAL-
atque ornamento futuram. Datum Remis Idib. Janu. an. 1094. « DUS I.

Godefridus Ambianenſis Epiſcopus Baldericum quóque hortatur ſequenti XLV.
epiſtola, ut hiſtoriæ ſuæ diœceſis, in qua perantiquæ erant fundationes, ARCHIEP.
manum admoveret quam pariter ex Vaſſorij locupletiſſimo penu excerp- An. 1094.
ſimus, ut prædicti auctoris decora clariùs innoteſcant, ſic autem incipit.

Dilecto Confratri Balderico Noviomenſi Epiſcopo, Godefridus Ambianenſis Eccleſiæ Epiſcopus: Salutem in Domino.

ME indignum ad hanc Paſtoris curam evexit Deus, ut quod dignum «
devotione gregis eſt faciam. Cum itáque in hac diœceſi perantiquæ «
fint Eccleſiarum fundationes, & jam injuriâ hominum diruta pleráque «
Clauſtra; ut ea oblivioni perpetuæ non tradantur, ſed piorum locorum «
recordatio ſublevet fidelium animos ad devotionem propagandi cultûs «
Divini, & ut multis interceſſoribus Deus ſuper malitia noſtra fiat placa- «
bilis, & miſericordiam largiatur; precor obnixè in Domino ut te labori «
pio accingens, aut potiùs in eo labore perſeverans, noſtræ diœceſis & «
Eccleſiæ tuas Exſcriptor & Scriptor, ſicut in Eccleſijs Cameracenſi & Mo- «
rinenſi fuiſti fidelis, *Calamus Scribæ velociter Scribentis*. Non abſcondas ta- « *pſal. 44.*
lentum in terra, & benefaciens noli deſicere. Salutat te Petrus Archidia- «
conus, & ego tuus conſervus in ovili Chriſti in quo vale. Scripſi ad San- «
quintinum, meas delicias, juxta Peronæ villam an 1108. in Maio. «

Hoc eodem anno, quo Balderici chronicon approbat Raynaldus, Sueſſionis provinciale Concilium indicit; ut inimici hominis ſuccreſcentem zizaniam radicitus evellat. Dolendum quod hujus nihil exſtet, aut quòd acta penitus exciderint. Legitur quidem apud Edinerum Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum Urbano Papæ librum deſtinaſſe examinandum, pridem *de Verbi Incarnatione* in Beccenſi Monaſterio à ſe conſcriptum, adverſùs ſciolum quemdam Clericum novæ hæreſis auctorem; imo veteris reſtitutorem inſaniæ Sabellianæ, qui cùm in Synodo à Raynaldo Archiepiſcopo Remenſi collecta, errorem ſuum fictè (ut creditur) abjuraſſet; rurſus audacius, & latenter in ſua perſeverabat malignitate, aſſerens ideo palinodiam ceciniſſe, quòd à populo ſe interfici timeret. Quamvis hîc ſubobſcurè loquatur Edinerus, nec perſonam aperte deſignet, meritò creditur Clericum hunc Roſcelinum Compendienſem fuiſſe, ad quem exſtat Ivonis increpatoria epiſtola cùm poſt Concilium Sueſſionenſe, in quo hæreſim ejurare compulſus eſt, clandeſtinis denuo eam diſputationibus deffendere niteretur. Beatus igitur Anſelmus factus certior, Roſcelinum auctoritate doctiſſimi Lanfranci, tamquã clypeo velle ſe tegere, quaſi ejuſdem cum eo fuiſſet opinionis: Fulconem Belvacenſem Epiſcopum impenſius rogat, ne coram Patribus Synodi, tam inſignis Doctor ſiniſtræ famæ notam incurrat. *Audio*, inquit, *quia Roſcelinus Clericus dicit in Deo tres perſonas eſſe tres res à ſe invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen ut una ſit voluntas, & poteſtas: aut Patrem & Spiritum ſanctum eſſe incarnatum, & tres Deos verè poſſe dici; ſi uſus admitteret. In qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ Archiepiſcopum Lanfrancum fuiſſe, & me eſſe.*

Roſcelinum Compendienſis hæreticum. Ivo epiſt. 7.

Anſelm. lib. 2. Epiſt. 41.

Raynaldus Remos reverſus Philippum Cathalaunenſem Electum, Stephani Comitis Palatini Trecenſis fratrem conſecravit anno 1095. trigeſimo tertio regni Philippi I. & pontificatus prædicti Archiepiſcopi duodecimo præſentibus Hugone Sueſſionenſi, Gerardo Tarvanenſi, Gervino Ambianenſi Epiſcopis, & Nochero Altivillarienſi Abbate. Hic felici hac uſus oportunitate, quam dudum exſpectabat, Epiſcopos enixè precatus eſt, ut ad ſuum Monaſterium accedere vellent, capſam reliquiarum B. Helenæ

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1095.

Imperatricis ſolemniter viſitaturi : quas cùm veteri fide illic conſervari omnibus notum eſſet, fluctuare tamen videretur, quorundam garrulitate, Fidelium cultus, niſi publica feretri apertione quàm primùm confirmaretur. Abbatis votum Laudant Epiſcopi, ſpondentque ſe ad futuros apud Altum-villare die feſto Ss. Apoſtolorum Simonis & Judæ menſe Octobri ; quin & emergente aliquo negotio, propter quod properandum ad Montem S. Mariæ in diœceſi Sueſſionenſi, futuræ inſpectionis ſollemnitatem Regi qui aderat aperiunt, hortantúrque ut velit adeſſe cum proceribus quò illuſtrior eſſet : at aliò mentem Regis avocabat Urbani Pontificis adventus in Galliam, qui rebus in Longobardia diſpoſitis, marino itinere & terreſtri ad S. Mariam de Podio in ejus Aſſumptione perveniens, Synodum Epiſcoporum ad Clarummontem apud Arvernos, in octavis S. Martini indixerat.

Hoc nuntio Rex non mediocriter perterritus, ob illicitas nuptias, ad Papam Legatos mittit, qui eum emollirent, imperátque Raynaldo Remenſi ut Cabillonis ſibi occurrat, antequam cum alijs Metropolitis pariter accitis in Arverniam properaret. Raynaldus cùm in tanto rerum turbine, id quod erat pollicitus per ſe exſequi non poſſet, curam Tranſlationis venerabilibus Epiſcopis Sueſſionenſi & Cathalaunenſi demandavit. Igitur (ut verbis manuſcripti codicis hîc utar) diu deſiderata, & votis omnibus à nobis expetita celebritas Apoſtolorum illuxit in die Dominica : non ſolùm verò Francia ab obſequium tantæ Reginæ ſuos fideles filios miſit, ſed etiam pœne tota Lotharingia deſtinare gaviſa eſt. Quomodo enim non tota Religio Chriſtiana applauderet, quæ tot beneficia meritorum ejus accepit, cui etiam muta elementa ſignorum acclamatione ſerviebant ? Eſt enim quidam locus in proſpectu totius Alti-Villaris ab incolis Montiſcola denominatus : hic alto ſupercilio quaſi umbilicus prominet, ſatis accommoda planitie deſuper dilatatur, & molli prolapſu ad crepidinem Matronæ fluvij uſque porrigitur. Hic divinæ diſpenſationis intuitu prælectus erat, in quo transferri oporteret tantæ venerationis membra : in hoc erecta mole trabium, tantæ capacitatis machina fabricata eſt, ut & totius Cleri ſacros ordines recipere, & palatinis dignitatibus ſufficeret.

Ex MS. codice veteris characterę dejecto Montis Altivill.

„ Ergo intempeſtæ noctis ſilentio, quæ & Apoſtolorum martyrio celebris erat, & Encæniorum Eccleſiæ nuptiali prærogativa, magnæ commendationis gratiâ ſupradictum locum divina majeſtas beavit : ſiquidem ut palam fieret quanti meriti eſſet, cujus membra illic transferri deberent, ſubita inruptione fulgor vibratus ab æthere, ſuper eumdem locum ſedit non modica exſpectatione ; deinde longo crine ſerpens & ſenſim procedens, tandem ſuper caput Eccleſiæ viſus eſt deſcendiſſe, ubi Sanctorum Lipſana ſuo requieſcunt honore, non à paucis vel levibus perſonis tantæ admirationis notata eſt viſio, verùm ſe vidiſſe teſtatus eſt quidam noſter Monachus, reverendæ ætatis & magnæ gravitatis, & piſcatores qui in fluvio Matrona fluctivagis invigilabant capturis, & multi laici ſatis religioſæ moderationis, quos ad ſollemnes vigilias invitabat devotio gratuiti voti. Si quis garrulus inde contentioſum funem trahere voluerit, ſciat quòd nox illa nullo ſidere illuſtrata, uſque ad lucem indeſinenti imbre maduerit, & miretur quod non ſolùm hunc locum columna divini ignis non levi mora dedicaverit longo ductu aerem girans, tandem ſuper Sanctorum Pignora ſederit, & ibi longa exſpectatione in ſeipſum reſederit. Plura non addit MS. auctor, nec ſciri poteſt qualis fuerit Tranſlationis exitus.

Sic in tumulatione corporis S. Quintini anno 83, 9 globus ignitus velut columna visa est ferentis animas.

Auctor MS. testatur se etiam aliquid vidisse & ab aliis accepisse

Ceterùm die condicta Urbanus Concilium ad Clarum-Montem celebravit, in quo tredecim Archiepiſcopi cum ſuis Suffraganeis interfuerunt, & ducentæ quinque Paſtorales Virgæ numeratæ, ubi Philippus Rex ob Bertradam pellicem cenſurâ mulctatur : ſed præcipuum fuit illud, cujus gratiâ petiſſimum collectum eſt Concilium, ut in eo indiceretur expeditio

in

in Terram-ſanctam, Petro Eremita litteras Patriarchæ Hieroſolymitani commiſeratione dignas deferente, quibus Chriſti incunabula atque Sepulchrum ceteráque loca ſancta ipſius memoriæ conſecrata, ab infidelibus Turcis profanata omníque genere contumeliarum affecta deplorabat. Hic Petrus natione Gallus, patriâ Ambianenſis tanti muneris legationem aſſumens, afflatus divino Spiritu claſſicum potenter intonuit, cujus clangore ab univerſo pæne orbe occidentali ad arma concurſum eſt.

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1095.

Petrus Eremita.

Per id tempus claruit inſigne miraculum in urbe Laudunenſi ſub Elinando Præſule. Cuidam mulieri in proximo manenti gener erat juvenili ſpecie decorus, quem filiæ ſuæ gratiâ impenſè coluit: unde orta turpi ſuſpicione inter vicinos ob nimiam familiaritatem, valde contriſtata eſt, impatientérque ferens famam ſuam hujuſmodi opprobrio labefactari, clam ut occideretur à duobus pueris, procuravit. Hæc ad pœnitentiam facti homicidij poſtmodum converſa, cuidam Preſbytero conſcientiam ſuam aperit; qui Paullopoſt nimis imprudenter, cum ea litigans, malum quod fecerat, ei in faciem exprobravit. Re ad Vicedominum Laudunenſem delata per cognatos hominis occiſi, vocatur mulier & interrogata juridicè ut res ſe habuerat, ultro confeſſa eſt. Vicedominus tam enorme crimen igne expiandum judicavit: juſſítque ut primùm ad valvas Eccleſiæ B. Genitricis duceretur, ubi & peccatum ſuum publicè propalavit, ſéque meritis ipſius ac precibus jamjam moritura commendavit. Inde ad locum ſupplicij deducta in ignem projicitur; ſed Deo volente, incendium nullatenus ſenſit, permanſitque conſumpto igne, & carne & veſtibus illæſa: quod factum parentes occiſi defectui materiæ potius, quam divinæ virtuti aſcribentes, iterum ligno appoſito ſuccedunt ignem; ſed iterum eam Deus incolumen ab ignis rapacitate ſervavit, ad laudem ſui nominis Virginiſque Deiparæ, honorem & gloriam; ſicque egreſſa ex incendio, ad Eccleſiam Dei Genitricis omni populo plaudente ducta eſt, póſtque grates Deo redditas, paucis tranſactis diebus migravit à ſæculo.

Mulier ob crimen, quod Sacerdoti fidens revelaverat, damnata, ab igne conſervatur Herman. lib. 3. cap. 27. Sigebert ad an. 1094.

Atrebatenſis Eccleſia Vrbani Pontificis decreto à Cameracenſi ſubtracta, proprium recipit Epiſcopum.

CAPUT XII.

ATREBATENSIS ſedes juncta Cameracenſi, ac ei quodammodo ſubjecta, fauſtè admodum ab ea hoc anno ſeſe vindicavit; urbium calamitas, & totius Belgici tractûs vaſtatio ſub Vvandalis huic locum præbuere junctioni: nunc populorum longa pace fruentium propagatio, regionis opes urbiúmque ac pagorum frequentia hanc Pontifici mentem indiderunt; ut diſſoluto vinculo (ſi quod fuit) jus proprium habendi Præſulem quælibet conſequeretur; eóque lubentius ad id inclinat quòd Clerum Atrebatenſem impenſius diligeret. Chronicon Cameracenſe de hac ſubſtractione ſic loquitur: *Lietberto defuncto Gerardus II. ex Præpoſito ſancti Vedaſti electorum voto in ejus locum ſuffectus eſt, conſecraturque* (non à Raynaldo ut habet Colvenerius ſed) *à Manaſſe I. Metropolita Remenſi anno* 1078. Duabus hic Eccleſijs Atrebatenſi & Cameracenſi ultimus præfuit, obiítque tertio Idus Auguſti anno 1092. poſtquam pomerio dilatato, mœnibus urbem cinxiſſet; addito etiam Hoſpitali ad ſuſceptionem peregrinorum.

Colvenerius notis in lib. 3. Chronici Cameracenſis cap. 77.

Poſt ejus exceſſum, gravis orta eſt contentio inter Henricum IV. Imperatorem & Canonicos Cameracenſes pro ſucceſſoris electione, quam tres annos perſévereſſe nonnulli referunt. Utriſque igitur inter ſe digladiantibus,

Meyerus ait Gerardum obiiſſe an. 1094. & ſic tanti interpontificij non meminit.

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1095.

gladiantibus, Atrebatenſes interim Romæ pro habendo proprio Paſtore inſtant quàm maximè, tandémque obtinent à Pontifice Urbano in Gallias ad Concilium Claromontanum properante, ut Lambertus, quem ſibi in Epiſcopum delegerant, conſecraretur. Meyerus ait Urbanum infenſum Cameracenſibus, quòd Henrico Cæſari Eccleſiæ rebelli, cætúque piorum moto, faviſſent, ab eis inſigni hac pœna compreſſis, ut addit Buzellinus, Atrebates ſubtraxiſſe. At veriſimelius eſt non ulciſcendi ſtudio, ſed divini cultûs augendi potius in id Pontificem adductum fuiſſe, qui cùm Metropolis Remenſis pridem alumnus fuiſſet, hanc in priſtinum decus reſtituere omnino conabatur; quamvis negari non poſſit, Imperatoris altercationem illud negotium non nihil promoviſſe. Res primo intuitu operoſa videbaur, propter unionem tot ſæculis ſtabilitam; at cum nullum exſtaret inſtrumentum magni momenti, ſpéſque eſſet ex hac prædicta ſubſtractione multum utilitatis & ornamenti obventurum Eccleſiæ Dei: ſtatuit Atrebatenſem Epiſcopatum à Cameracenſi ſeparare, ut fuerat ante Epiſcopatum S. Remigij, præcepítque Clero & populo Atrebatenſi, ut jugo Cameracenſis ſubjectionis excuſſo, cardinalem Epiſcopum, ad propriam Eccleſiam ſtudeant ociùs ſublimare. Atrebatenſes ne inconſulto Remenſi quidquam egiſſe viderentur, ad Raynaldum ſupplices litteras mittunt, rogántque ut à ſuo latere Vicarium ableget, qui interſit electioni. Raynaldus in re tanti momenti non feſtinandum ratus, hos ad Synodum provincialem venire jubet; ut in medio Patrum conſeſſu ſeparationis, ac querimoniarum rationes exponant, quas die condito libere prodiderunt his verbis.

Audiat Domini Archiepiſcopi providentia, audiat & hujus ſanctæ Synodi congregatio devota querimonias, quas in neceſſitate ſua facit Soror Atrebatenſis Eccleſia Hac civitas olim ſuo proprio Paſtori dicata, & ſubnixa ſub ſola ſancta Remenſi Eccleſia, una ex antiquis & nobilioribus civitatibus totius Remenſis Metropolis, valuit in omni Eccleſiaſtica diſciplina; Quod verò civitatis & nomen & dignitatem obtinuerit, teſtatur Oroſius, ubi prædictæ urbis vetuſtatem, incolarum frequentiam, nobilitatémque extollit: & quòd Atrebatum à Remenſi quarta, & ante Cameracum poſita in Indiculis reperiatur, cui B. Remigius S. Vedaſtum à ſe ordinatum præfecit, ditavítque ex donis Chlodovei Regis, ut patet ex Remigij teſtamento, cui Vedaſtus, Atrebatenſis Epiſcopi nomine, cum alijs ſubſcripſit. Cùm igitur prædicta civitas epiſcopali ſede olim prædita fuerit: aiunt ſe poſt obitum Gerardi junioris, in aures Romani Pontificis ſuas calamitates diutinúmque dolorem effudiſſe, qui horum miſertus ſortis, liberam contulerit poteſtatem ſecundùm inſtituta Canonum (Sardicenſis præſertim Synodi) ſibi proprium eligendi Paſtorem, à proprio Metropolitano ſine dilatione conſecrandum. *Quo circa Sancti Patres*, inquiunt, *& Domini, ſub obtentu ſancti Spiritus, ſub cujus nomine convocati eſtis, reſpicite Sororem veſtram Atrebatenſem Eccleſiam, eripite à jugo ſervitutis diu injuſtè captivatam, ne tandem aliquo tædio affecta, poſt veſtigia gregum incipiat vagari à paſtore deſtituta.*

Atrebatenſis ſedes una ex antiquis & nobilioribus Metropolis Remenſis.

Quarta in ordine Epiſcopatuum numerata.

Iis ab Atrebatenſibus graviter prolatis, quum ſilerent Cameracenſes, Raynaldus Archiepiſcopus receptum ab Urbano Pontifice Diploma ſubinde coram exhibuit, cujus hic tenor eſt.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Raynaldo Remorum Archiepiſcopo: Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

» NOverit tua Fraternitas, quòd Atrebatenſis Eccleſia, una ex nobi-
» lioribus Eccleſiæ Remenſis Metropolis fuit; Pontifices viros religio-
» ſiſſimos & cetera Pontificalia jura firmis rationum monumentis obtinuit.

Mandamus

Digitized by Google

Mandamus itaque tibi atque præcipimus, ut illum, quem Ecclesia illa « RAYNAL.
canonico consensu Cleri ac populi sibi in Episcopum elegerit, consecrare, « DUS I.
& eidem Ecclesiæ incardinare non differas: solet enim fieri, ut Ecclesiæ « XLV.
persecutionis tempore suis ordinibus, suis populis, subsidijs etiam tempo- « ARCHIEP.
ralibus destitutæ, alijs temporaliter committantur Ecclesijs. Postquam « *An.* 1095.
verò his, quibus imminutæ fuerant, Deo disponente abundare cœperint, «
pristinam recipiant dignitatem. Solius enim est Apostolici, Episcopatus «
conjungere & conjunctos disjungere, aut etiam novos construere. Fretus « *Remensis*
itaque nostra auctoritate, id ne timeas adimplere, voluntatis & enim nostræ « *Ecclesia duo-*
est, Remensis Ecclesiæ olim duodecim Episcopatuum dignitatem Deo « *decim Episco-*
cooperante in pristinum gradum revocare. « *patus sub se*
habuit.

Allatus deinde est jubente Archiepiscopo sanctorum Canonum liber, ex quo Notarius hanc sententiam pronuntiavit: *Osius in Sardicensi Concilio dixit: Licentia Episcopum ordinandi danda passim non est, si enim subitò aut vicus aliquis, aut modica civitas, cui satis est unus Presbyter, voluerit sibi Episcopum ordinari, ad hoc ut villescat nomen Episcopi & summi honoris auctoritas, non debent illi ex alia Provincia invitati facere Episcopum: nisi aut in civitatibus quæ Episcopos habuerunt, aut si qua tam populosa est civitas, uel locus, qui mereatur habere Episcopum. Synodus respondit: Placet.* Gualchero Cameracensi Archidiacono Patrum sententiæ nonnihil obluctante, sanctæ Synodi mens fuit, ut coram summo Pontifice difficultas hæc tota discuteretur. Præter Metropolitam Synodo intererant Hugo Suessionensis, Elinandus Laudunensis, Rabbodus Viromandensis, Fulco Bellovacensis, Gervinus Ambianensis, Gerardus Morinensis Episcopi: Galterus Præpositus, Johannes & Drogo Clerici Atrebatenses, Galcherus Cameracensis Archidiaconus, &c. *Vbinam Episcopatus constituendi*

Atrebatijs Romæ statuto tempore comparentibus & adversarijs subterfugientibus, Urbanus Pontifex iteratò ad Metropolitanū has destinavit litteras.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto in Christo Fratri, & Coepiscopo Raynaldo Remensi: salutem & Apostolicam benedictionem.

A Trebatenses Clerici cum fraternitatis tuæ litteris ad nostram præ- «
sentiam redierunt, pro restitutione Ecclesiæ suæ suppliciter implo- «
rantes: sustinuerunt autem Cameracensium Clericorum adventum usque «
ad tempus, quod utrisque in Concilio provinciali fuerat constitutum. Cete- «
rùm Cameracensium ante nos nullus advenit; nos igitur idipsum repetitis «
litteris fraternitati tuæ significamus, omnino enim volumus, ut Remensis «
Metropolis ad integritatem antiquæ dignitatis, annuente Domino, redu- «
catur ideóque omnino præcipimus in Atrebatensi Ecclesia Episcopum «
ordinandum; nisi fortè ejusdem urbis possessionem, Cameracensis Ecclesia «
valeat Romanæ auctoritatis privilegio vendicare: hoc enim justitiæ ratio «
exigit animarum dignitas postulat, Ecclesiæ honor implorat. Quòd si forte «
æmulorum vereris invidiam, & obloquentium latratus, pro gravitate «
tuæ religionis horrescis, quemcumque in præfata Ecclesia TE ANNUENTE, «
Clerus & populus secundùm Deum elegerit, ad nos cum communi de- «
creto, & sollicitudinis tuæ litteris transmittatur: nos cum divinæ gratiæ «
adjutorio, SALVO ECCLESIÆ TUÆ JURE, eum tamquam B. Petri «
manibus consecrabimus. «

Idem Pontifex ad populum Atrebatensem eodem fere tenore rescripsit, communicatisque invicem litteris sexto Idus Julij, quæ tunc dies Dominica erat, concione in B. Virginis Atrebatensis templo celebrata, communi omnium suffragio Lambertus patriâ Gisnensis, Morinorum Archidiaconus

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1095.

diaconus, atque Lilensis Ecclesiæ Cantor, Atrebatium Pontifex licèt invitus renuntiatur. Consecrationem tamen ipsius cùm nimium pro Atrebatensium voto Metropolitanus pro crastinaret (metuebat enim ne detrimenti aliquid provincia Remensis pateretur) rursum instarunt Atrebatesij apud Pontificem, qui iteratò ad Raynaldum scribit, dilationem ejus graviter increpat præcipitque, ut infra triginta dies, sine ulla tergiversatione, Electo manus imponat. Quid ad hæc responderit Raynaldus, ejusdem ad Urbanum epistola pandit his verbis : ***Omnium Episcoporum & Clericorum nostrorum una vox fuit & sententia, ut nos quidem ab illius Electi consecratione manum suspenderemus, sed cum vobis cùm hoc vestra præciperent littera, transmitteremus ..... Timuerunt enim & timent, ne Cameracenses ex hoc facto accepta occasione, se à Remensi Ecclesia abrumperent, cùm & civitas eorum alterius Regni habeatur, & regni cujus Rex nobis, & Ecclesia Romana jam ex longo tempore inimicatur, &c.***

Spicil. tom 3. pag. 541.

Cum igitur Archiepiscopo se Lambertus frustra stitisset, litteris ab eo impetratis, quibus se purgat à consecrationis dilatione, Romam proficiscitur cum Odone Cantore, Archardo scholarum Magistro : & Drogone Præposito : ubi ab Urbano humanissimè acceptus, cardinalis Episcopus consecratur. Tum ad ovile post injectum humeris onus reversuro, omnia redduntur, quæ ad Atrebatensem parochiam olim pertinuerant ; cum injunctione gregi sibi commisso facta, ei tanquam cardinali Episcopo obediendi, ut latius patebit ex Urbani Diplomate quod sic incipit.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Fratribus & Coepiscopis Raynaldo Remensi & Suffraganeis ejus : salutem & Apostolicam benedictionem.

» CUm Atrebatenses Clerici Electum suum cum decreto communi præ-
» sentiæ nostræ exhibuissent, nos eos apud nos integro mensis spatio
» retinuimus, Cameracensium præstolantes adventum ; si fortè aliquod mu-
» nimentum afferrent, per quod Cameracensi Ecclesiæ Atrebatensis vide-
» retur esse subjecta : ipsi autem sicut in præteritis terminis, ita & nunc nec
» venerunt nec causas cur non venerant direxerunt. Nos igitur justam
» omnino causam Atrebatium perpendentes, & labores pro restitutione suæ
» Ecclesiæ jam diutinos Apostolica mansuetudine respicientes, sanctorum
» Canonum decretis, & Apostolicæ Sedis auctoritate muniti, religiosum &
» sapientem virum Lambertum, quem ad nos deduxerunt B. Vedasto,
»& sanctis alijs Pontificibus, qui in Ecclesia Atrebatensi quondam præse-
» derunt, tandem largiente Domino instituimus successorem : SALVA IN
» OMNIBVS REMENSIS METROPOLIS REVERENTIA, quam vide-
» licet multis retro temporibus imminutam, nunc tandem per humilitatem
» nostram, omnipotens Dominus in parte hac redintegrare dignatus est.
» Eum itaque ad vos cum præsentibus litteris remittentes caritati vestræ at-
» tentiùs commendamus, rogantes ac præcipientes, ut ei ad redintegrandum
» commissæ Ecclesiæ statum tamquam Confratri, & Coepiscopo sollicitè assi-
» statis. Nos siquidem auctore Deo, legitimum sempiternum statuimus, ut
» Atrebatensis Ecclesia cardinali deinceps potiatur Episcopo ..... Nunc
» tuæ sollicitudinis interest, Frater carissime Raynalde, qui tam Atrebatensi
» Ecclesiæ, quam Cameracensi, Metropolitani auctoritate præsidere co-
» gnoscens, eos omnes qui secundùm privilegij nostri tenorem, ad Atreba-
» tensem videntur pertinere parochiam, ad Atrebatensis obedientiam tuis
» litteris invitare, & sententiam nostram tuis suffragijs prosequi, ut qui-
» cumque in duabus Archidiaconijs videlicet Atrebatensi & Ostrevanensi
» Clerici sunt, à professione Cameracensis Ecclesiæ absolvantur : si qui verò

obedire

obedire contempſerint, quamcumque in eos ſententiam ipſe epiſcopali moderatione dictaveris, firma permaneat. Data Romæ 8. Kal. April. " RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1095.

Pontificis reſcriptum Epiſcopis ad Synodum congregatis in Eccleſia Remenſi, publicè lectum fuit & recitatum, præſente glorioſiſſimo Rege Philippo, & adſtantibus Raynaldo Archiepiſcopo Remenſi, Richero Senonenſi, Radulfo Turonenſi, Joffrido Pariſienſi Epiſcopo, Galtero Meldenſi, Hugone Sueſſionenſi, Helinando Laudunenſi, Rabodo Noviomenſi, Gervino Ambianenſi, Hugone Sylvanectenſi, Archidiaconis item & Abbatibus totius provinciæ. Poſt hæc Raynaldus, ut Synodi Præſes, hortatur Manaſſem Remenſem Archidiaconum, & Cameracenſem Electum, ut ſacros Ordines characterémque epiſcopalem ſuſciperet: hic ſuadentibus ſuis Clericis, inſtitit ut præficeretur utrique Eccleſiæ, juxta receptum morem hactenus obſervatum, at monitus ab Archiepiſcopo ne juſſioni Papæ obſiſteret, caveretque excommunicationem ab eo latam in rebelles, ſuæ temeritatis veniam petens, à Synodo abſolutus eſt. Et hic fuit hujus negotij exitus, Atrebatiis quidem jucundus & felix; infauſtus verò Cameracenſibus, qui omnem moverunt lapidem, ne talis ſubſtractio fieret, ſed fruſtra, cùm ex nutu ſummi Pontificis omnino pendeat, ut ipſe non in ſuis reſcriptis modò, ſed publicè proteſtatus eſt. Conſtat enim ex hiſtoria Majoris-Monaſterij, completa Synodo Turonenſi, Urbanum palam pronunciaſſe, juris eſſe pontificij, Epiſcopatus in duas partes dividere, aut ex duobus facere unum; Abbatias item unire, vel ſeparare, Congregationes mutare, aut ab eis appendices avellere, cùm id ratio temporis, vel utilitas Eccleſiæ poſtulat; neminémque eſſe qui his reluctari poſſit, aut impedire, quin ex patrimonio Eccleſiæ Romanæ faciat quod lubet, quod ipſi licitum eſſe probavit, tam auctoritate apoſtolica & decretis Conciliorum, quam prædeceſſorum ſuorum exemplo.

Lamberto ſedi Atrebatenſi ſic incardinato, Urbanus ſummus Pontifex ſequens ei ac ſucceſſoribus privilegium indulſit, cujus hic pericopen damus, quòd Remenſis Metropolis nobilitatem ob duodecim ſibi ſubjectos Epiſcopatus, egregiè commendet, probétque Remenſem Archiepiſcopum, verè eſſe METROPOLITANUM. *Ex Lotrin.*

Urbanus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto Fratri Lamberto, Atrebatenſi Epiſcopo noſtris manibus conſecrato; ejúſque ſucceſſoribus cononicè ſubſtituendis in perpetuũ.

LIquet ſanctorum Canonum inſtitutis integram eſſe provinciam, & Metropolitanum proprium debere ſortiri, quæ duodecim * conſtat Epiſcopatibus: ſecundam igitur Belgicam conſtat integritatem provinciæ obtinere, quæ duodecim quondam ſcitur Epiſcopos habuiſſe, & Remenſem Eccleſiam jure Metropolitanam haberi, quæ tot ſoleat Suffraganeis eminere. Ceterùm peccatis exigentibus accolarum, cùm irruentibus Barbaris urbes quædam detritæ ſunt, duodenarius ille numerus imminutus eſt: inter quas Atrebatum nobilis quondam & populoſa civitas, quæ per B. Remigium, Epiſcopum Vedaſtum obtinuit, poſt nonnullorum Antiſtitum obitum, epiſcopalis Cathedræ perdidit dignitatem, & per nonnulla tempora Cameracenſi Epiſcopo ſubjecta obedivit. * *al.* Præſt.

Porro noſtris temporibus ſupernæ miſerationis reſpectu, prædicta civitas in ejuſmodi ſtatum reducta eſt, ut & populi frequentiâ, & divitiarum abundantiâ Cameracenſem ſuperet civitatem. Dignum igitur Spiritui ſancto, & auctoritati apoſtolicæ viſum eſt, ut Atrebatenſi Eccleſiæ reſtitueretur cardinalis Antiſtes, ſanctum enim Sardicenſe Concilium

RAINALDUS I. XLV. ARCHIEP. An. 1095.

» ſtatuit : *Non paſſim Epiſcopum ordinari, niſi aut in civitatibus quæ Epiſcopos* » *habuerunt ; aut quæ tam populoſæ ſunt, ut habere mereantur Epiſcopum, &c.*

» Et nos ergo Atrebatenſis Eccleſiæ reſtitutioni, & Remenſis Metropolis re- » dintegrationi, pro noſtri officij debito imminentes, te Frater cariſſime Lam- » berte Cleri plebiſque conſenſu electum unanimi, B. Vedaſto & ſanctis qui in » urbe ipſa quondam præſederunt Pontificibus conſtituimus ſucceſſorem, &c.

» Datum Romæ per manum Johannis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis » Diaconi, decimo Kal. April. Indictione ſecunda anno Dom. Incarnat. 1095. » Pontificatus Domini Urbani II. Papæ ſeptimo.

Eodem anno recitatum eſt idem privilegium, in Claromontenſi Concilio ex Urbani præcepto, cui ipſe præſedit, collaudatúmque ab omnibus IV. Cal. Decemb. Indictione IV. Prædictam Atrebatenſis Eccleſiæ à Cameracenſi ſeparationem, ut canonicè factam ab Urbano, Paſchalis id nominis ſecundus ſimili pæne reſcripto confirmavit, quod cùm ab alijs relatum ſit, nec novi aliquid contineat, libenter permitto.

Vincentianis Laudunenſibus dat Eccleſiam de Alto-Monte Raynaldus, dúmque Atrebatenſis Eccleſiæ reſtaurationi ſollicitè incumbit defungitur.

S. Gobert & Aumont.

CAPUT XIII.

REGRESSUS à Claromontana Synodo Raynaldus Archiepiſcopus, rogatur ab Adalberone Cœnobiarcha Laudunenſi, ut ſuæ liberalitatis ſpecimen aliquod erga B. Martyris Vincentij phrontiſterium exhiberet, quod lubens præſtitit, datis quæ ipſius erant, Altari ſcilicet & Eccleſiâ de Alto-Monte, ſub conditionibus in charta recenſitis, quam ex Tabulario Vincentiano excerptam hîc reponimus.

» IN Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti. » Quanta Patrum præcedentium liberalitatis munificentia erga Dei Eccle- » ſias exſtiterit recolentes &c. Quo circa ego Raynaldus Remenſis Eccleſiæ » qualiſcumque peccator Archiepiſcopus, præfatæ Eccleſiæ S. Vincentij ad pe- » titionem Domni Adalberonis Abbatis, Fratrúmque ibidem ſub Chriſti ti- » rocinio degentium, altare quod in Eccleſia de Alto-Monte noſtrum fuerat, » totius terreni quæſtûs abacta procul ambitione, pro noſtra noſtrorúmque » anteceſſorum ſucceſſorúmque ſalute perpetualiter, & abſque perſonarum » ſucceſſione tenendum conceſſimus, & ut eamdem Eccleſiam per Cano- *Canonicorum incuriâ Altimontis Eccleſia in manus Comitis Regiteſt. devenit.* » nicorum ibidem prius habitantium incuriam rebus ſuis internis externís- » que ſpoliatam, ac pæne adnullatam, Comes Hugo ſub cujus ditione » tenebatur, jam prædicti Martyris Eccleſiæ contraderet, aſſiduis & inde- » feſſis precibus obtinuimus.

» Viſum itaque noſtræ eſt diſcretioni ſub hac conventionis ratione, hanc » à noſtra manu debere emancipari Eccleſiam; quatenus Domnus Abbas » Monachum, quem eidem Priorem deputaret, in noſtram adduceret præ- » ſentiam, Remenſi Eccleſiæ, ac nobis noſtriſque ſucceſſoribus quamdiu » ibi eſſet, ſubjectionem & obedientiam promiſſurum: & ſi fortè aliqua in » eadem Eccleſia, quæ noſtræ reſervanda eſſent audientiæ, acciderent, » quæ judicij noſtri examine penſanda viderentur, ſuper omnibus reſpon- » ſurum. Denique & hoc additum firmitérque adnexum fuit, quatenus » in eadem Eccleſia Preſbyter ſubſtitueretur, qui & Synodis noſtris inte- » reſſet, & Archidiacono & Decano exactiones, collationes ceteráſque, » quas ibidem hucuſque Remenſis Eccleſia habuit conſuetudines redderet.

Signum

Digitized by Google

Signum Domini Raynaldi Archiep. | Sig. Radulfi ſancti Theoderici.
Sig. Domini Elinandi Laudun. Epiſ. | Signum Rogeri Archidiaconi.
Sig. Henrici Abbatis S. Remigij. | Signum Manaſſis Præpoſiti.
Sig. Hocheri Altovillarienſis. Abb. | Signum Luvini Decani.
Signum Burchardi ſancti Baſoli. | Signum Richeri Cantoris, &c.

Actum Remis an. Incarnat. 1095. regni Philippi Francorum Regis an. 33. Archiepiſcopi Raynaldi 12.

Radulfus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit.

" RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. " An 1096.

Manaſſes qui ſedi Remenſi præfuit poſt Raynaldum, ratam habuiſſe prædictam donationem patet ex his quæ idiographo attexuit ſequentibus verbis : *Hujus paginæ ſeriem ego Manaſſes Domini Raynaldi excellentis memoriæ ſucceſſor, cùm jam ſuperna pietas dies Sacerdotij noſtri in decimum perrexiſſet annum, à prædicto Adalberone nobis præſentatam aprobavi, & authenticarum perſonarum teſtimonijs per noſtræ imaginis impreſſionem in ſæcula ratam conſtitui. Actum anno Incarnat. Domini* 1105. *Archiepiſcopatus autem domini Manaſſæ anno decimo.*

Ex his palam fit cum ditione temporali S. Goberti Eccleſiam de Altermonte, quæ pridem Collegiata exſtitiſſe dicitur, ſæculi more à Regiteſtenſi Comite tunc fuiſſe occupatam, quam eo annuente Vincentianis hoc anno Raynaldus conceſſit. Nobilibus ſiquidem non ſolum fundi & & villæ, ſed etiam Eccleſiæ ipſæ in beneficium datæ ſunt, adeo ut in una eadémque domo, pars una Eccleſiæ diceretur, quo ad laïcorum jura; & Altare, quo ad juris ſpiritualis adminiſtrationem, nomine autem Eccleſiæ oblationes, decimæ, alíque reditus intelligebantur, quos Hugo Comes cujus hîc fit mentio poſſidebat.

Vide illuſtriſſ. D. de Marca in Notis ad Concil. Claromont. ſub Vrbano II.

Porro Altus-Mons in diœceſi Remenſi ſitus haud procul à Caſſina, diſtingui debet ab Alto-Monte Monaſterio Hannoniæ, ejúſque meminit Frodoardus in Chronico ad an. 921. Carolus Moſâ tranſmiſſâ cum non nullis qui ad ſe venerant Lotharienſibus, villas Remenſis Eccleſiæ depræda ri nec-non incendere cœpit, Altum-Montem quoque caſtrum bellando non ſine clade ſuorum cepit atque diripuit. Vide ea quæ ſub Gervaſio Præſule retulimus, ubi pro Alto-Monte veluti S. Mariæ feodo Archiepiſcopus à Manaſſe Comite clientelarem fidem expoſcebat.

Raynaldus interim Atrebatenſium res firmare ſtudens, nihil operæ ac laboris prætermiſit, quò omnem impoſterum litigandi ſegetem cum Cameracenſibus radicitus amputaret. At cùm in hoc maxime incumbit, morbo correptus Atrebati diem clauſit extremum 21. Janu. 1096. ubi quidam tumulatum eſſe referunt : at in Necrologio Remenſi diſertè id hatur : *Dominus Raynaldus requieſcit intus.* Et in medio Chori tumba nigri coloris pro Epitaphio hæc verba præ ſe fert.

Laboravit plurimũ Raynaldus pro pace harum Eccleſiarum conciliãda, Atrebatúmque ſæpius profectus eſt, ex Vrbani Pontif. mandato, ut utriuſque ſedis limites aſſigna. Vrban. epiſt. ad Rayn.

RAYNALDUS CONTRACTUS ARCHIEPISCOPUS.

His concinit Obituarium prædictæ majoris Eccleſiæ : *Xij. Kal. Febru. Raynaldus bonæ memoriæ Archiepiſcopus noſter requieſcit intus, qui dedit ſanctæ Mariæ Altaria tria, ut inde ſepeliantur Canonici, reliquum in ejus ſollemni Anniverſario Canonicis in urbe exiſtentibus diſtribuitur.* Capitulum Atrebatenſe ut laboribus ab eo impenſis vices redderet, jugíſque memoria ejus haberetur, anniverſarium pro eo quotannis celebrat in majori Eccleſia. Huic parentavit elegiacis verſibus Baldericus Burgolienſis Abbas, quibus Raynaldi decora egregiè commendat his verbis.

Remenſi populo lumen, firmámque columnam,
Raynaldum Chriſti gratia contulerat.
Hic quoque Martini ſublatus in Æde beati,
Remenſi multum profuit Eccleſiæ.

Apud Andream du Cheſne

RAYNALDUS I. XLV. ARCHIEP. *An.* 1096.

Hunc mors in tanto florentem Pontificatu
Attigit, & vacuam fecit item cathedram.
Pupilli cives præ tanto Præsule flentes,
Corpus Pontificis hîc posuere sui.
Hic populus gleba dignos dispensat honores,
Dispenset veniam Cunctipotens animæ.
Hunc duodena dies Februi præeunde Kalendas,
Destituit mundo, substituítque polo.

Idem Abbas Raynaldi nomen Dipthicis suæ Ecclesiæ reponendum censuit, eúmque PATRIARCHÆ titulo dignatur his versibus in Rotulo Raynaldi Remensis.

Si quid defunctos posset mea musa juvare
Debueram musam revera continuare.
Sed pro defunctis potiùs duo sunt facienda,
Vsus quæ nobis & jus designat agenda.
Nam pro defunctis jus & compassio plorat,
Et pro salvandis animabus proximus orat.
Ergo brevem musam ponamus pro monimento,
Résque procul nostro sit inutilis à documento.
Flentes Raynaldo Remensi compatiamur,
Orantes autem PATRIARCHAE subveniamus.
Pro te nostra madent, Pater optime, fletibus ora.
Colligit ultra fas rotularis epistola multa,
Quæ quasi parcentes nugis transimus inulta.
Et fuit exiguæ condignum parcere chartæ.

Odo Castilloneus ex Canonico Remensi, Cardinale Episcopo Ostiensi, fit summus Pontifex, approbátque privilegia & libertates Canonicorum Remensium.

CAPUT XIII.

SEDES VACAT. *An.* 1096.

UT ex virorum illustrium fama civitates, unde ortum habuere plurimùm inclarescunt, sic Remensis eximiè decoratur & splendescit Odonis Castillonei gloriâ, in ipsius solo, ut fertur oriundi, & qui summum adeptus Pontificatum Urbanus II. dictus est.

Hic non è gente Castillonea, quod multi hactenus tradiderunt, sed ex opido ejusdem nominis prodijt patre Milite Domino de Lageri, qui alterum filium habuit Rodulphum nomine patrem Gerardi, è quo Gerardus alter genuit Odonem patrem Ægidij de Lageri Monachi Remensis. Onufrius, Platina, & quidam alij de Odonis stirpe sat obscurè loquuntur, at Albericus in Chronico paullo clarius his verbis: *Natus est Castellione super Maternam filius domini de Lageri.* Tum addit ex Guidone. *Odo natione Gallus, primo Remensis Archidiaconus, inde Prior Cluniacensis, mox Episcopus Ostiensis, post in Apostolicum.* Ferè omnes eum Castellione natum dicunt in diœcesi Remensi: verùm eos puto diœcesim sumere pro Remensi provincia, ut sæpius sumitur apud medij ævi auctores, cùm Castellio in Suessionensi diœcesi sita sit. Fortè Odonem in Remensi diœcesi vel territorio natum prædicant, quòd pater licèt è Castellione, Remis habitaret, unde Ordericus Vitalis distinctiùs ad propositum de Odone: *Vrbanus erat natione Gallus, nobilitate clarus, civis Remensis, Monachus Cluniacensis, ætate mediocris, corpore magnus, modestia discretus, religione*

gione maximus. Et Guibertus ipſi ſuppar vel coætaneus: *Vrbanus Papa ex Francis claro germine oriundus, ex territorio & Clero Remenſi, exſiſtens Papa primus ex Francis, ut ferunt.* SEDES VACAT. *An.* 1096.

Odo Remenſi Eccleſiæ ad erudiendum datus ſub Brunone ſcholarum Magiſtro, lac doctrinæ & ſanctitatis tamquam genuinus filius ſuxit per aliquot annos, ut ei poſt obitum Raynaldi Archipræſulis, Petri ſolium conſecuto ſapienter inculcat Ivo Carnotenſis epiſtolâ 48. *Remenſem*, inquit, *Metropolim quondam Matrem veſtram, nunc autem Filiam ſub omni celeritate veſtris conſolationibus refoveri poſtulamus.* Talis ergo tantúſque vir, cùm ætatis ſuæ primitias Deo conſecraſſet in Eccleſia Remenſi, cujus Canonicus fuit, functúſque officio fuiſſet Capellani ſub Theobaldo de Petra-Ponte Epiſcopo Sueſſionenſi, ad Limina Apoſtolorum profectus eſt; inde in Franciam reverſus, ſtatuit Religionis habitum ſuſcipere, quò ſe totum & quietiùs Dei obſequio manciparet. Aſcriptus in Cluniacenſium Ordinem, inſignium virorum ſcholam & domicilium, ſub Hugone Abbate brevi in hac virtutum palæſtra ſic ſe exercuit, ut expleto tirocinio, mox alijs præeſſe dignus ſit repertus, unde Prioris majoris primùm decoratur officio ſub Odilone Abbate; tum præfecturâ Prioratûs de Binſon, quem pater obnoxium fecerat Prioratui de Couciaco, à Cluniacenſi Ordine pariter dependente, & à Theobaldo II. Campaniæ Comite fundato.

At veluti claritas ſolis, quæ diem parit omnino latere non poteſt, ſic nec Odonis fama Clauſtri latebris obnubilari. Hæc totum pervolans orbem ad aures Gregorij VII. facilè pervenit, qui tam illuſtris viri ſtudium virtutéſque remuneraturus, eum ad ſe evocat, purpurâ cardinalitiâ inſignit an. 1073. & epiſcopatu Oſtienſi, cujus eſt ſummum Pontificem conſecrare. Tum victore mortuo, qui Gregorio ſucceſſit, omnium conſenſu lectus eſt ad ſummum Pontificatum anno 1088. Hic Raynaldum quem ſibi conjunctiſſimum fuiſſe vidimus, primò Romam accerſivit; & inde Brunonem è Carthuſia olim ſcholarum Remenſium Rectorem, invitúmque triennio retinuit, uſus ejus operâ in Concilijs celebrandis: tum rebus Italiæ optimè diſpoſitis, in Gallias maritimo itinere divertens, Synodum ad Clarummontem apud Arvernos condixit; ubi præter anathema dictum Philippo, actum de expeditione in Terram-ſanctam. Urbanus probè ſciens hanc à à deceſſore ſuo Gregorio VII. ſæpius eſſe tentatam, ſed ſchiſmaticorum factione impeditam, denuo urgentibus litteris Alexij Imperatoris, naviter agere cœpit, ut fideles Chriſtiani citiùs opem ferrent orientali Eccleſiæ periclitanti. Plures ea de re habuit in Synodo conciones, ſerióque injunxit Prælatis Eccleſiarum qui aderant, ut ad propria reverſi, nobiles plebémque ad id ſollicitè hortarentur, quod impigre præſtiterunt. Omnibus pro ſtipendio indulgentia peccatorum fuit propoſita; & pro teſſera militari, ſignum ſanctiſſimæ Crucis rubei coloris ſuper ſcapulam dexteram impreſſam veſtibus. Ad conciliandum autem cæleſte numen, placuit etiam B. Genitricis precibus innitendum, indictúmque à Synodo ut horariæ illæ preces, quæ vulgo Officium B. Mariæ appellantur, quæque apud Monachos Eremitas S. Damiani frequentari conſueverant, deducerentur ad Clericos, ut revera factum eſt cum magno fœnore gratiarum.

Anno ſcilicet 1094 *qui numeratur ſextum incolatûs ſanctorum Monachorum in Carthuſia.*

Anno igitur 1096. ſumpta multò maxima illa expeditio Hieroſolymitana, à Belgis præcipuè Principibus, inter quos clariores fuere Godefridus Euſtachij Comitis Bononiæ filius, Hugo Comes Veromanduorum Galliæ Regis frater, Robertus Comes Flandriæ, Balduinus Comes Montenſis, Petrus Eremita gente Ambianus & alij pæne innumeri. Non enim perluſtrarunt radij ſolares, à prima ſui creatione tam præclaram militiam, tam numeroſam turbam, tot & tam bellicoſos duces. Refert Adalgiſus Robertum Flandriæ Comitem iter habuiſſe cum ſuo comitatu, per Monaſterium

Petrum hunc alij profeſſione, alij nomine tantùm Eremitam dicunt.

Digitized by Google

SEDES VACAT. *An.* 1096.

naſterium S. Theoderici, ut ejuſdem tumulum tranſeundo viſitaret, exceptúmque in refectorio cum Fratribus, tantum ardorem pro religione propaganda demonſtraſſe, ut plures ex urbe Remenſi Hieroſolymam quoque perrexerint: inter quos elucent maximè Rupertus Abbas S. Remigij, qui hiſtoriam belli ſacri texuit, & Johannes I. Abbas S. Nicaſij, qui in eodem ſuſcepto itinere deceſſit.

Sic Beemundus petens Hieroſ. Majus Monaſterium Viſitator, petiitque orationū ſuffragia: ut hinc intelligatur quānāti Monachorū preces olim pēderent Principes.

Urbanus expleta Synodo Claromontana cui Raynaldus Remenſis inter Metropolitas adfuit, Turonis quoque Concilium habuit, Pictavis aliud: tum de reditu in Italiam poſt tot labores cogitans, eodem anno Nativitatem Domini Romæ glorioſiſſimè celebravit: ita doctiſſimus Spondanus. Sed quod ſpectat ad rationem temporis, vix cohærere poteſt cum ejuſdem Pontificis Diplomate, quo Sanctonis exſiſtens, confirmat anno ſui Pontificatus decimo, privilegia & immunitates Capituli Remenſis, quas ſinguli Archiepiſcopi jurare conſueverunt in jucundo ſuo adventu, ſic autem ſe habet.

Urbani Pontificis reſcriptum.

„ URbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filijs Remenſis „ Eccleſiæ Canonicis: Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Peti„ tionem veſtram, quam per Confratres & Canonicos veſtros Rodulfum „ Præpoſitum, Richerum Cantorem, Odalricum Scholaſticum noſtræ cle„ mentiæ ſuggeſiſtis, nos paterna affectione ſuſcepimus: optamus enim „ & vos & veſtra omnia tuta ſemper & quieta perſiſtere, ut omnipotenti „ Deo valeatis liberiùs deſervire. Omnes autem conſuetudines vobis, ſeu „ prædeceſſoribus veſtris per Remenſes Epiſcopos conceſſas (quia ſanctis „ Canonibus minimè adverſantur) nos præſentis decreti paginâ confirmamus, „ & tam vobis quam ſucceſſoribus veſtris integras, illibatáſque manere ſta„ tuimus, ut & veſtri Clauſtri immunitas & tantæ congregationis ſtatus, & „ ei ſervientium libertas nullorum deinceps æmulorum aſtutiâ vel violentiâ „ perturbetur. Data per manum Johannis Diaconi Cardinalis, 18. Calend. „ Maij Indict. 4. anno Pontificatus Domini Papæ Urbani decimo.

Quænam autem hæ immunitates ſint, & privilegia à ſummo Pontifice Urbano confirmata, cùm alia non viderim, puto ea eſſe quæ ad calcem manu-ſcripti cujuſdam codicis, hoc ordine referuntur, poſt præfatiunculam quæ exhortationis loco recitatur à Sholiarcha Eccleſiæ Remenſis, dum rogatur Archiepiſcopus à Capitulo in ſuo jucundo adventu, ut prædictas immunitates à ſuis prædeceſſoribus conceſſas, & Regum præceptis ſtabilitas juret, nec à quoquam eas violari permittat.

Summa Privilegiorum.

„ UT immunitatem manſionum noſtrarum infra Clauſtrum, & eas in„ vicem dandi, vendendi, ſeu commutandi liberam licentiam abſque „ ullius perſonæ contradictione habeamus: & ſi ibi (quod abſit) aliquo „ caſu criminale aliquod inciderit, vel etiam ſi ſeditio, qualibet ex cauſa „ orta, aliquod delictum incurrerit, ut inde juſtitia in manu Præpoſiti, cete„ rorúmque Canonicorum, abſque ulla contradictione habeatur.

„ Ut in manſionibus noſtris quas extra Clauſtrum in civitate habemus, „ etiam in manſionibus noſtris ſervientium noſtrorum, ſeu in alodijs noſtris, „ nulla redhibitio ſeu penſio inde exigatur, non vini, non annonæ menſura, „ non publica urbis placita, non alicujus rei inde exigatis obſequium.

„ Ut penitus nullum à nobis, nec à ſervientibus noſtris bannum vel in„ fracturam, ſeu pro excommunicatione pecuniæ exactionem ullo modo „ exigatis.

„ Ut ſervientes noſtri, quos in commune ſeu privatim in domibus noſtris „ habemus, etiamſi veſtri capite cenſi fuerint, ab omni exactione, tamen

præter

Digitized by Google

præter capitalitium ſuum, liberi habeantur: eâdem vobis de hominibus « SEDES
noſtris ſervata conditione, ſi veſtri fuerint ſervientes. « VACAT

Et ſi aliquos de Clero habuerimus in domibus noſtris, quod genus de- « An. 1096.
centiſſimum eſt ſervientium, præſertim in iſto Ordine, ut omnino nullam «
exactionem timeant; niſi fortè veſtra vel altaria tenuerint, vel alia beneficia. «

Ut excommunicandi quoſcumque hujus Epiſcopij malefactores noſtros, «
eos denique rurſus abſolvendi liberam habeamus poteſtatem. «

Ut commonitus à nobis quos excommunicavimus, canonica tamen vo- «
catione præmiſſa, niſi infra vocationem commiſſam correxerint excom- «
municetis, eoſdémque de commiſſis ſatisfacientes, abſolutos à nobis, ſine «
omni exactione abſolvatis commonitus à nobis. «

Quòd ſi quempiam noſtrûm abeſſe Synodo contigerit, niſi invitatus «
fuerit certè cauſâ proclamationis, vel negotij alicujus, ut nulla juſtitia «
inde ab eo exigatur. «

Ut majori Præpoſito ſit libera facultas ex conſilio Canonicorum, com- «
mittendi Præpoſituras, & cuncta Beneficia ſervientium, tam Clericorum «
quam laïcorum, quæ ad noſtram pertinent communitatem. «

Ut altaria quæ in communi obtinemus, abſque perſonis in providentia «
Præpoſiti habeantur, nec in ejus, ſeu in his quæ privatim poſſidemus «
divinum interdicatur Officium, niſi Synodali, & Canonicorum conſen- «
tiente decreto. «

Ut in poſſeſſionibus & villis S. Mariæ, & noſtris etiam, & in terris quæ «
noſtræ ditionis ſunt infra urbem & infra banni leugam, videlicet in Au- «
ſomno, in Tendente-Cauda, in Curcellis in Atrijs & in terris ſancti Mar- «
tini in ſuburbio à porta Vidulæ uſque ad duos pontes, cum tota inſulâ «
quæ vulgo dicitur Morillis, nec non etiam in alijs villis & terris ſive ho- «
minibus ubicúmque ſint, nullam redhibitionem, nullam penſionem exi- «
gatis; & ſi cauſa inciderit ibi agendi placita ex aliquo negotio, Præpoſitus «
inde in eadem poteſtate cauſam audiat atque juſtitiam faciat. «

Si autem in tantùm controverſia prævaluerit, ut res in judicio ad duellum «
traducatur, ut illud in civitate, ſi ita Præpoſitus conſtituerit, in curia «
S. Mariæ tranſigatur, abſque eo quòd vos nullum jus ibi, neque miniſte- «
riales veſtri ullam poteſtatem habeant. «

Quod ſi fortè aliquis de hominibus noſtris, quod abſit, aliquem veſtro- «
rùm hominum flagellaverit, vulneraverit, occiderit, vel aliud aliquid com- «
miſerit unde miniſteriales veſtri conqueſti fuerint, ut Præpoſitus & mini- «
ſteriales noſtri inde juſtitiam faciant, infra poteſtatem ad quam ipſe per- «
tineat & non penitus à miniſterialibus veſtris intercipiatur, quem noſtro «
juſſu ad nos venire probare poterimus; ſed nec ipſe qui ſpontanea volun- «
tate ad nos venerit, ſiquidem hoc probare potuerit, ſed liberam veniendi «
& abundi habeat poteſtatem. «

Quod ſi ab hominibus S. Mariæ ac noſtris aliquos vobis miniſteriales facere «
complacuerit vel mediatores, ut non ab hoc amittamus in eis penſionem «
conſuetudinum noſtrarum, niſi tantùm in his quos infra civitatem habueritis. «

Ut miniſteriales veſtri nullatenus inſequantur quem fortè ſua vel culpa, «
vel crimina, in Clauſtrum confugiſſe compulerint, ſive in manſiones no- «
ſtras quas extra Clauſtrum habemus. «

Ut non ſtatim cui libitum fuerit vobis, abſque ſcitu Præpoſiti ceterorúm- «
que magiſtratuum, ſtipem canonicam conferatis: quòd ſi fortè in quempiam «
noſtrum vel occaſione, vel juſtâ querimoniâ ſuper aliquo negotio conten- «
deritis & de eo referendum poſtulaveritis, ut inde juſtitia in Capitulo in «
examinatione Canonicorum habeatur vobis præſente, ſi volueritis. «

Ut poſtica quæ eſt ante porticum S. Dionyſij, noſtræ ditionis ſit, ut eam «
cui voluerimus ſervientium noſtrorum ſervandam committamus, ut portarum «

civitatis

SEDES VACAT. civitatis aditus intrandi & exeundi, bona noſtra adducendi vel abducendi quocumque tempore immunis nobis pateat & ſervientibus noſtris.

An. 1096. Ut in Cœna Domini beneficium, quod à Gervaſio Archiepiſcopo & prædeceſſoribus veſtris accepimus, nobis & vos conferatis abſens æquè ut præſens, quemadmodum in noſtro Capitulo ſancitum fuit generali omnium decreto.

His igitur & ceteris conſuetudinibus noſtris, quas nos obtinuiſſe per multos annos, vel per nos, vel per miniſteriales noſtros comprobare poterimus, nobis talem obligationem à vobis fieri poſtulamus, unde libertatem & ſecuritatem perpetuò obtineamus, quatenus inde Deo liberioribus animis ſervire ſtudeamus, & vobis veſtræ ſubjectionis debitum læti ſemper exſolvamus.

Privilegia hæc in unum per id tempus collecta (cum Gervaſij Archipræſulis nomen in ijs emineat) ad Urbanum delata ſunt per Rodulphum Viridem Præpoſitum, Richerum Cantorem, & Odalricum Scholaſticum ſpectatæ virtutis viros & inter Canonicos inſignes. Hi quippe injuriarum memores, quas quidam paſſi fuerant ſub Manaſſe primo, cenſuerunt etiam auctoritati archiepiſcopali quibuſdam repagulis obnitendum, ne deinceps Archiepiſcopi in eos quidvis auderent, tentarentve, eóque majori cura in id incubuerunt, quòd tunc ſedes Remenſis vacaret, aut ſaltem electio Manaſſæ ſecundi nec dum eſſet à ſummo Pontifice confirmata.

Manaſſis electioni quidam adverſantur, Eccleſia Remenſis diadema Regni dicitur habere, Regum Mater & Regni caput prædicatur.

CAPUT XV.

MANASSES à potiori parte Capituli canonicè electus, mox ſibi clam inſidiantes ſenſit; non enim deerant in Clero quibus electio ejus diſpliceret, & aliqui forſan eam irritam reddere cupiebant apud ſummum Pontificem, quorum machinationibus ut occurreret Ivo Carnotenſis, hanc pro Electo ſcripſit epiſtolam ad Urbanum II. quâ etiam Remenſis Eccleſiæ prærogativam in Rege ſacrando, luculenter agnoſcit.

Urbano ſummo Pontifici, Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis ſervus: fidelium orationum munus.

Ivo epiſt. 116. QUi Gallicanarum Eccleſiarum pericula, quotidianarum preſſurarum experimenta cognoſcimus, earumdem preſſurarum onera ſedi Apoſtolicæ relevanda notificari peroptamus. Unde Remenſem Metropolim aliquando Matrem veſtram, nunc autem Filiam, ſub omni celeritate veſtris conſolationibus refoveri, veſtro auxilio fulciri poſtulamus: ne adverſarius noſter quærens quem devoret, electionem in Dominum Manaſſem factam aliqua valeat verſutia perturbare, aliqua perturbatione quaſſare. Non enim poterat illa Eccleſia inter omnes Filios ſuos quemquam invenire Sedi apoſtolicæ magis devotum, ſuis utilitatibus magis neceſſarium, tum propter generis nobilitatem, tum propter morum honeſtatem; quantùm verò neceſſarium ſit Romanæ Eccleſiæ, ut in prædicta Sede devotum ſibi miniſtrum ſubſtituat, non eſt meum veſtram prudentiam inſtruere, QUÆ NOVIT EANDEM SEDEM DIADEMA REGNI HABERE, ET OMNIBUS PÆNE GALLICANIS ECCLESIJS EXEMPLUM RUINÆ VEL RESURRECTIONIS EXSISTERE. Vale.

Hoc

Hoc Ivonis effatum quòd SEDES REMENSIS DIADEMA REGNI HABEAT ad Regum inaugurationes, quæ ibi fiunt omnino reſpicit, ob quas eadem Remenſis Eccleſia, REGUM MATER, ac REGNI CAPUT, prædicatur à Ludovico VII. in ſchedula ad Comitem Roceiacenſem (ut opinor) prædia Eccleſiæ graviter infeſtantem, quem ſeriò & minaciter exagitat his verbis. SEDES VACAT, *An* 1096.

LUdovicus Dei gratia Francorum Rex &c..... Religioſæ & illuſtres perſonæ ad meam pertulerunt audientiam, quòd ſanctam Remenſem Eccleſiam quantùm in te eſt impudenter dehoneſtas, & eam novo & inaudito genere tyrannidis inceſſanter infeſtas: quod poſtquam auribus inſonuit, quantò lacrimabilior fuit conqueſtio, tantò gravior in me adverſum te innata indignatio, & ſecundùm inauditi ſceleris immanitatem, meam incurriſti offenſionem. Doleo enim, & lacrimabiliter doleo, quòd in MEAM MATREM & CAPUT REGNI MEI Eccleſiam, gladium tyrannidis tam pernicioſè exacuiſti, quia in ea coronæ meæ derogaſti, ſceptro meo probroſam injuriam irrogaſti. Prædictæ ergo Eccleſiæ infra feſtum B. Johannis, aut cum ſumma humilitate ſatisfacias, aut cum ſumma erubeſcentia terram meam exeas: alioquin ſi in manus incideris nulla redemptione evades, & ſic vitam finies.

"Exſtat in codice MS. S. Dionyſij Remenſis.

"Remenſis Eccleſia Regum mater vocatur in charta Ludovici Pij, apud Iodard. lib. 2. cap 19. Regni caput, in epiſtola Gisberti

Antequam Urbanus ex Gallia recederet, tradit Bertholdus, Philippum Regem jam dudum pro adulterio excommunicatum, humiliter ad eum pro ſatisfactione venientem rejecta pellice in gratiam receptum eſſe; additque Pontificem bene diſpoſitis rebus in Gallia, in Italiam redijſſe, ubi celebratis quibuſdam Concilijs, audita etiam inſigni victoria, quâ milites Chriſtiani poſt captam Antiochiam potiti ſunt, curam imprimis habuit mittendi Legatos apoſtolicos in illas partes, ut ipſius vice Chriſtianis adeſſent, & Eccleſias in locis unde pagani armis expellebantur, inſtaurarent. Hæc obiter de geſtis Urbani quæ ad rem videbantur, inferius agam de ipſius obitu & Epitaphio.

Idem Bertoldus refert Urbanum Remis Concilium celebraſſe anno 1095. de quo nullum exſtat veſtigium.

Ea tempeſtate (inquit Adalgiſus) *ſacer ignis, quem Graci Eryſipelas vocant, divinæ animadverſionis index Flandriæ incubuit, ubi plures eodem igne interiora conſumente computreſcentes, exeſis membris inſtar carbonum nigreſcentibus, aut moriebantur, aut manibus & pedibus putrefactis truncati, vitæ miſeriori reſervabantur.* Addit idem auctor multos ex illis ad Eccleſiam B. Theoderici, miraculorum gloriâ Deo volente tunc illuſtris, advectos fuiſſe, ut ejus opem in tam luctuoſa calamitate implorarent: inter quos Egardum civem Curtracenſem notat, qui cùm ſanitati miraculoſè redditus fuiſſet, monachiſmum ibidem profeſſus eſt, ut reliquum vitæ in obſequio ſui liberatoris manciparet.

Idem refert Sigebertus ad annum 1095. & Meyerus 1088.

Manaſſes ſecundus XLVI. *Archiepiſcopus & ejus proſapia, Prioratum S. Thomæ erigit, & Hugo Regiteſtenſis Noviomum. Lamberti Atrebatenſis liberalitas in Sandionyſianos Remenſes.*

CAPUT XVI.

MANASSES ad regimen Remenſis Eccleſiæ aſſumptus Guidonis Caſtillonei quondam Archiepiſcopi nepos fuit, filius Manaſſæ Remenſis Vicedomini & Alaidis, ut habetur in Necrologio matricis Eccleſiæ quinto Cal. Janu. ex hoc quippe Manaſſe Gervaſij filio, filij Herivei Domini de Caſtellione & Alaide uxore tres filij prodierunt: Erlandus qui in Vicedominatu patri ſucceſſit, Guido de Remis Dominus

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1096.

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1096.

de Viré, & Manaſſes cujus Præſulatum aggredimur. Huic genealogiæ adſtipulatur Andræas Ducheſne in eruendis proſapijs nobilium virorum verſatiſſimus, cenſétque Manaſſem Calvum patrem Archiepiſcopi è gente Caſtillonea oriundum, tunc magni nominis fuiſſe in Gallia, tam propter Urbanum II. totius Chriſtianitatis Monarcham, quàm ob aliquos ejuſdem ſtirpis Heroas, qui ad bellum ſacrum profecti, geſtorum ſuorum gloriam poſteritati commendarunt.

Hic igitur Manaſſes ex tam illuſtri ortus familia, virtuti ac litteris ab incunabulis operam dedit ſub Brunone ſcholarum Remenſium Primario, tantúmque in ijs profecit ut cum majoris Eccleſiæ Canonicatu, quem adhuc puer obtinuerat, dignitates Præpoſiti & Theſaurarij conjunxerit, quibus per multos annos egregiè perfunctus eſt, in iiſque ſic ſe dignum amplioris villicationis oſtendit, ut Archiepiſcopatu vacante, concurrentibus electorùm votis pontificale culmen ſit adeptus ann. 1096. Chronicon Remigianum de ipſius electione verba faciens, refert à Domino Papa rogatu Ivonis Carnotenſis, cujus epiſtolam ſupra retulimus, fuiſſe canonizatum, ſumptóque Diaconatu, primâ quadrageſimæ hebdomadâ, per manus Hugonis Sueſſionenſis, & Preſbyteratu in medio quadrageſimæ, demum caractere epiſcopali inſignitum, in Eccleſia S. Remigij die Dominica quâ cantatur *Iudica*, Epiſcopis omnibus provinciæ ſollemnitatem ſuâ preſentiâ cohoneſtantibus.

Primordia ſui Præſulatus commendare cupiens eximius Manaſſes, ſe munificum præſtare decrevit erga ſanctiſſimum Francorum Apoſtolum, dedítque ei in pignus obſequij ſanctioríſque cultus, altare S. Thomæ ſine perſona tenendum, ut juxta loci facultates quidam è Fratres ſodalitio Remigiano huc tranſlati divino Officio jugiter incumberent: unde fluxit nobilis ille Prioratus ejuſdem nominis verſus Lotharingiam, infra tamen limites Remenſis diœceſis. Charta donationis ſic incipit.

Erectio Prioratûs S. Thomæ in diœceſi Remenſi.

„ IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti. „ Cùm curæ paſtoralis circumſpectio earum, quæ adminiſtrationi noſtræ „ commiſſa ſunt Eccleſiarum, ſollicitudinem curámque pervigilem gerere „ nos urgeat, &c..... Itaque ego Manaſſes nomine non merito, diſpen- „ ſatione divina Remorum Archiepiſcopus &c..... Palam facere di- *Altare ſine perſona tenendum datur.* „ gnum duxi, altare S. Thomæ B. Remigio patrono noſtro nos contradidiſſe; „ & ut ibidem Fratres Deo militantes, pro ut loci facultas ſuppetit, aggre- „ gentur, abſque perſona tenendum conceſſiſſe. Ceterùm ut hæc noſtræ „ munificentiæ pagina perpetuò non caſſanda permaneat, teſtamentalibus „ eam litteris & auctoritatis noſtræ ſigillo muniri, perſonarúmque autenti- „ carum teſtimonijs roborari præcipimus.

„ Signum Manaſſæ Archiepiſcopi.	Signum Theobaldi Preſbyteri.
„ Signum Rogeri Archidiaconi.	Signum Joffredi Diaconi.
„ Signum Manaſſæ Archidiaconi.	Signum Rainoldi Diaconi.
„ Signum Radulfi Præpoſiti.	Signum Odalrici Diaconi.
„ Signum Richeri Cantoris.	Signum Girardi Subdiac.
„ Signum Aſcelini Preſbyt.	Signum Richardi Subdiac.
„ Signum Odalrici Preſbyt.	Signum Fulconis Subdiac.

Vide qua poſt modum eidem Prioratui largitus eſt Galterus de Vienne ſub Guillelm. Cardinali an. 1184.

„ Actum Remis in Archivo pontificali anno incarnati Verbi 1096. „ Indict. III. Regnante Philippo glorioſiſſimo Francorum Rege anno 33. „ Archiepiſcopatus Dom Manaſſæ anno primo.

Fulchradus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit.

Manaſſe Remenſis Eccleſiæ clavum regente, jacta ſunt fundamenta celebris Prioratûs de Nouvy munificentia & liberalitate Hugonis Comitis Regiteſtenſis & Meleſindæ ejus uxoris, qui cùm ex conditione naturæ, ſe in

se in multis justitiæ Dei reos esse cernerent, ac gloriâ Dei, hoc est gratiâ glorioſâ & munificâ, quâ justificamur, indigere : statuerunt Deo & B. Mariæ Sylvæ-majoris, & Fratribus ejusdem Ecclesiæ alodium de Nouvy ab omni exactione liberum, villam de Barby, & alia quædam in perpetuum concedere. Cur verò ad Fratres tot intervallis dissitos animum converterint, ut Prioratus primo lapide ab urbe Regitestensi distans & in diœcesi Remensi, ab eorum regimine & nutu penderet ; opinor id factum, ob famam strictioris vitæ, & eorum sanctitatis, quæ tunc per universam Galliam percrebuerat, ut fatetur & agnoscit Stephanus Tornacensis epist. 231. ubi tum Gerardi fundatoris encomia, tum etiam Monasterij Sylvæ-majoris eleganter & acuratè prosequitur. Fuit autem B. hic Gerardus sancti Arnulfi Suessionum Episcopi discipulus, ut est apud Lisiardum, qui è Gallia trahens originem, Monasterium primo milliario à Burdegala fundavit, regularibúsque disciplinis reformavit. Cùm igitur prædicti Monasterij regularis observantia in omnium ore volitaret, præconij famâ pellectus Regitestensis Comes, ejusdem loci Ascetas habere percupivit, illísque Prioratum instruxit, cum dote sequenti Diplomate expressa, cui subscripsere viri nobiles, quorum nomina presentem historiam non mediocriter illustrant.

MANASSES II. XLVI. *An. 1096.*

Cap. 18. Vita S. Arnulfi.

Præceptum Hugonis Regitestensis Comitis quo B. Mariæ Sylvæ-majoris & Fratribus dat alodium de Nouvy liberum ab omni consuetudine.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Quoniam omnes, ut ait Apostolus, peccavimus & egemus gloria Dei, ut hanc, divinæ pietatis largiente gratia quandóque consequi mereamur, aliquam de his quæ ad nostram sancto dictante Spiritu sunt doctrinam diligenter inspiciamus, quò *divinis* circumquaque muniti sententijs, ancoram Spei patriæ cælestis infixam pectoribus tam firmiter teneamus, quatenus post vitæ præsentis procellas, ad portum perpetuæ tranquillitatis appellere valeamus, &c. *An. 1097.*

His Fidei informatus documentis, ego Hugo Regitestensis Comes, cum conjuge mea * Milessente, & filijs meis ob remedium animarum nostrarum, parentum nostrorum, cælestis patriæ, dono Deo & beatæ Mariæ Sylvæ-majoris & Fratribus Ecclesiæ ejusdem alodium de Nouvy, quittum ab omni consuetudine, & exactione liberum, & Bernardum Majorem ejusdem villæ, cum omni sua sobole tenendum & possidendum, exceptis meis proprijs *hominibus*. Dono etiam villam, quæ vocatur Barby cum habitatoribus suis, & omnibus etiam illis quæ de Perthes & Tanion & Regitestе, ad prædictum locum habitandi gratiâ se contulerint, præter capitis censum mihi persolvendum. Hæc inquam omnia prædictæ Ecclesiæ inviolabiliter tenenda, & possidenda, sicut huc usque tenui, atque possedi, sigilli mei impressione & sequenti testium annotatione confirmo. Godefridi Comitis Porcensis. Odonis Comitis de Varc. Dudonis de Stonne. Manassis filij Comitis testis & auctoris donationis. Galteri Præpositi de Balbe.

* *Melesinda*

Actum est autem hoc Regitestе castello, anno ab incarnatione Domini 1097. Indictione v. Regnante Philippo Francorum Rege, Manassе Archiepiscopo in Remensi Ecclesia præsidente.

Superaddidit etiam idem Comes quæ habebat in molendinis apud Regitestem, ac ejus exemplo successores in Comitatu se beneficos præbuerunt erga prædicti Prioratus accolas : quorum vivendi ratio, habitus, statuta, è Sylva-majori ut plurimum mutuata, ad nostra perstiterunt tempora, quibus ob bellorum turbines, monachali Ordine ut sæpe fit in deteriùs collabente, Prioratus Monachos Congregationis sancti Vitoni recepit an. 1645.

Digitized by Google

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An. 1097.*

in eóque Aſcetæ à ſuperioribus miſſi omni ſtudio incumbunt, quantùm turbidus Regni ſtatus permittit, omnia in integrum reſtituere, conſenſu Prioris titularis, & ſalvis eius juribus in prædicto Prioratu, qui ut ab exordio ſic & nunc ſaltem quoad tituli collationem à Sylva-majori dependet.

Enituit hoc pariter tempore Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis amor in ſodalitium Sandionyſianum Remenſe, cujus inſtitutum eccleſiaſticis Primoribus eò magis arridebat, quòd Clerici in eo regulariter exculti, doctrinâ evangelicâ Fideles imbuerent; unde brevi mirum in modum per urbes Belgij pullulavit, multis ad hoc altaria, villas, & prædia conferentibus.

Lambertus igitur ut ſui animi propenſionem erga Sodales Dionyſianos, quos hujus inſtituti primarios, & arctioris vitæ ſciebat, magis teſtaretur, voluit eam, præter donativum, pio aliquo fœdere, hoc eſt reciproca anniverſariorum celebratione, poſt obitum Epiſcopi vel Abbatis, in utrâque Eccleſia firmam in perpetuum ſtabilire hoc Diplomate, quod velut Sandionyſianis Remenſibus perhonorificum hîc exhibeo.

Charta Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi, quâ altare de Ays Sandionyſianis Remenſibus concedit.

„ IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti
„ Amen. Ego Lambertus, Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus, dul-
„ cissimis petitionibus tuis, & Eccleſiæ cui præeſſe dignoſceris ſatisfaciens,
„ dilectiſſime Frater & Fili Hugo Abbas venerabilis, congregationis inviſ-
„ ctiſſimi Martyris B. Dionyſij Remenſis, pro peccatorum noſtrorum re-
„ demptione, tibi tuiſque ſucceſſoribus in eo, quo es loco, & Ordine ſub
„ regula ſancti Auguſtini Deo militantibus, ſine aliqua turpis lucri exactione,
„ altare de Ays non ſolùm concedimus, verùm etiam quâ præſidemus auc-
„ ctoritate liberaliter in perpetuum confirmamus, ſalvo in omnibus Atrebatenſis
„ Epiſcopi jure, & reditibus ejus, & Archidiaconi miniſtrorúmque ejus.
„ Hanc etiam affinitatem inter Atrebatenſem & Remenſem glorioſiſſimi
„ videlicet Martyris B. Dionyſij Eccleſiam, inconcuſſa ſtabilitate concedi-
„ mus, quatenus Remenſis, audito Epiſcopi obitu, exſequias illius fraternè
„ celebrare non differat, nec non anniverſarium ejus reverenter cuſtodiat,
„ & Atrebatenſis de Abbate S. Dionyſij ſimiliter faciat. Si quis autem poſt hanc
„ noſtram definitionem, manu ſacrilega ab Eccleſia cui Deo diſponente annui-
„ mus, aufferre attentaverit, vel ingenioſis machinationibus contra eam ire præ-
„ ſumpſerit, cum Simone mago anathema ſit. Prædictus autem Dominus Hugo
„ Abbas, & omnis ejuſdem loci ſucceſſor ejus, ſi ad Synodum Atrebatenſis
„ Epiſcopi fuerit invitatus, veniet, quòd ſi talibus negotijs detentus, & inten-
„ tus fuerit, pro quibus advenire non potuerit, per quemdam Canonicorum
„ ſuorum, niſi annuente Epiſcopo remanſerit, cauſas ſynodalis excuſationis tranſ-
„ mittet. Noſſiquidem iſtius paginæ auctoritatem ratam, & inconvulſam per-
„ manere volentes, in præſentia ſubſcriptorum teſtium eam conſignavimus.
„ Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc liberali-
„ tatis donativum relegi, ſubſcripſi † In nomine Patris & Filij & Spiritus
„ ſancti, propria manu confirmavi.

„ Signum domni Johannis Atrebatenſis Archidiaconi.
„ Signum domni Clarambaudi Oſtrevanenſis Archidiaconi.
„ Signum domni Allodij Abbatis de S. Vedaſto.
„ Signum domni Johannis de Monte ſancti Eligij Abbatis.
Signum domni Odonis Sanctæ Mariæ Atrebat. Præpoſiti.
Signum domni Guiberti Decani.
Signum Anaſtaſij Cantoris.
Signum Roberti Magiſtri.
Signum Vualteri Cuſtodis.
Signum Canonicorum ſanctæ Mariæ, Herberti, Alviſij, Hugonis, alterius

rius Hugonis, Roberti, Balduini, &c. Signum Canonicorum de ſancta Trinitate.

Sig. domni Maſcelini Archipreſbyt. Signum Drogonis Albiniacenſis Præpoſiti.

Actum Atrebat. in Synodo anno Dei Chriſti milleſimo nonageſimo ſeptimo Indict. v. nonis Februa. anno autem Pontificatûs Domini Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi 1 v.

«MANASSES II. XLVI. «ARCHIEP. «An. 1097.

Robertus B. Remigij Abbas exauctoratur. Urbanus II. diem claudit. Lis oritur inter Remenſem & Sueſſionenſem Eccleſias.

CAPUT XVII.

REMIS ſtudio Manaſſæ Archiepiſcopi Synodus Epiſcoporum cogitur, pro eccleſiaſtica diſciplina in integrum reformanda : actum præcipuè in ea de Ruperto vel Roberto Abbate S. Remigij à Monachis graviter impetito, quòd pro ſumptibus itineris ad bellum ſacrum, bona Monaſterij dilapidaſſet. Succeſſerat is Henrico trium Monaſteriorum Abbati, S. Remigij, B. Mariæ de Humolaria & B. Mariæ de Novigento an. 1095. at tactus deſiderio viſendi loca ſacra, peregrinationem aggreſſus eſt cum Cruce-ſignatis, præſénſque adfuit, dum Hieroſolyma expugnaretur. Epiſcopi iteratis Monachorum querelis fatigati, Robertum abbatiali dignitate exauctoratum ad Prioratum Senucenſem ablegant, hortantúrque B. Godefridum Abbatem de Novigento, qui præſens aderat, ut Cœnobij Remigiani vacantis onus ſuſciperet. Fuerat hic Sanquintinienſis de Monte apud Peronam Monachus, tum Abbas de Novigento per ceſſionem Henrici, qui ævo gravis, & oculis captus opulentiores, quæ ſuâ ſufficientiâ facilè regi poterant, Abbatias retinuerat. At vir Dei numquam adduci potuit, ut regimen prædicti Monaſterij ſuſciperet, dixitque ſe puſillo ſuo grege, & paupercula uxore eſſe contentum ; cúmque Manaſſes & alij Epiſcopi iterum multis rationibus ad id eum impellerent, conſtanter in propoſito perſeveravit, nixus auctoritate Concilij Nicæni, quam ad manum habebat. Præſules attoniti inauditâ viri modeſtiâ, qui paupertatem opibus, ſolitudinem ſplendori vitæ præferebat, Burchardum quemdam in locum ejus ſufficiunt, Robertum verò qui ad Prioratum Senucenſem conceſſerat, definiunt Epiſcopi relegandum ad proprium Monaſterium, ubi dudum profeſſionem emiſerat : cujus rei certior factus Urbanus Pontifex, & forſan conſultus ab Epiſcopis, eorum ſententiam irritam reddidit hac epiſtola.

Robertum Burguliensis Monachum erat, vel ex oppido Burgulienſi in diœceſi Carnot. ut patet ex verſibus Balderici Abbatis.

3. Godefridus ex pago Sueſſionenſi quinquennio habitum religionis ſuſcepit in Monaſterio Montis-ſancti-Quintini prope Peronam.

Vrbanus, Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabili Fratri Manaſſæ Remenſi Archiepiſcopo : ſalutem & Apoſtolicum benedictionem. Abbatis S. Remigij cauſa in præſentia noſtra & Confratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium diligentiori diſcuſſa eſt inquiſitione, & ad hunc tandem finem producta. Iudicium Epiſcoporum prolatum ſuper eum hac ratione reprobatum noveris, quia poſtquam filius à patre emancipatus eſt, ſub curam & dominationem patris redire, diſtrictione legum non cogitur, niſi ſponte ipſe rogauerit, promotionem enim Abbatis & mancipationem accipimus, ideo ſub poteſtatem Abbatis redire non debere, judicamus.

Robertus igitur Pontificis judicio Epiſcoporum ſententiam reprobante, in poſſeſſionem Senucenſis Præpoſituræ, quæ ipſi permiſſa fuerat in ſolatium ſuæ exauctorationis, permanſit ; ubi curarum ſollicitudine vacuus hiſtoriam belli ſacri, & expugnationis Hieruſalem ſtilo ſat eleganti contexuit;

Digitized by Google

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP.

texuit, quæ etiamnum in bibliotheca S. Remigij delitescit. Verisimile est Robertum ob res Prioratûs denuo malè administratas, Monachos in se iterum concitasse, illisque fastiditum, cùm ab eo Callistus II. amovendum esse censuerit rescripto Laterani dato 17. Kal Junij in his verbis. *Mandamus ut Robertum Priorem S. Oriculi, qui olim sancti Remigij Abbas exstitit, ab illo prorsus amoneant.*

An. 1099.

Urbanus cujus gesta tanquam Remensis olim Ecclesiæ sodalis cursim tetigi, post reditum in Italiam in hoc maximè incubuit, ut Guiberti Pseudopontificis superbiam comprimeret: tum coactis adhuc Romæ quibusdam Concilijs, munitionibus recuperatis, civibus omnibus sibi conciliatis, pacéque diu exsule restituta, atque ipsâ Ecclesiâ Catholicâ in tranquilliorem statum vindicatâ, cùm sedisset annos undecim, menses quatuor, dies decem & octo S. R. E. Pontificatu optimè perfunctus, ultimum spiritum Deo reddidit 1 v. Cal. Augusti an 1099. *Pertinet ad ejus triumphum*, inquit Spondanus, *quòd eodem tempore, nempe die 14. Julij hujus anni contigit capi Hierosolymam civitatem ab exercitu Christiano sub Godefrido Duce. Cujus sanctæ expeditionis cùm Vrbanus promotor exstitisset, in cælo meruit triumphare, cui non erat in terris pro laboribus honor.* Tanti viri decora, hoc brevi Epitaphio describuntur, quod ex MS. codice sancti Remigij Remensis hic subjicimus.

Spondanus ad an. 1099.

Epitaphium Urbani Papæ.

Hic viuens lux urbis erat, defunctus eclipsis,
Vrbs stetit Vrbano stante, ruente ruit.
Lege regens, & pace fovens, te Roma beante
Servans à vitijs intus, ab hoste foris.
Non flexit, non extulit, hunc non terruit unquam
Dives, fama, potens munere laude nimis.
Eloquium, lingua, sapientia, pectus, honestas
Mores ornabant, exteriora decor.
Ecce per hunc Vrbs sancta patet, lex nostra triumphat,
Gentes sunt victæ, crescit in orbe Fides.
Sed citiùs capitur rosa, quæ plus vernat in horto,
Sic & florentem fata tulere virum.
Mors hominem, requies animam, cisterna cadaver
Solvit dura, fovet grata, profunda teget.

An. 1100.

Paschali in locum Urbani subrogato, Philippus Rex Francorum, quem ob Bertham legitimam uxorem ejectam & Bertradam pellicem subintroductam excommunicatum, pœnitentiámque promittentem absolutum vidimus, audita morte Urbani, quasi fregisset vincula quibus tenebatur astrictus, rursus ad pellicem redijt. Paschalis scelerum vindex ac legum sacrarum, Legatos in Galliam misit Johannem & Benedictum S. R. E. Cardinales, à quibus habita Pictavis Synodo, Rex penitùs refragans apostolicæ jussioni per eosdem significatæ, anathemate perculsus est. Hæc stricti m Ivo Carnotensis epistolâ ad Johannem Legatum, ubi de quibusdam Belgicæ Provinciæ Episcopis conqueritur, qui in Pentecoste, contra interdictum bonæ memoriæ Papæ Urbani, coronam ipsi Regi Philippo imposuissent, tamquam mortuo præcone, mortuam esse justitiam crediderint. Quinam verò id ausi fuerint, quamvis Ivo non nominet, opinor Manassem fuisse unum ex illis, ut ex Abbatis Burgolienſis versibus mox citandis, haud obscurè colligitur, ubi predictum Archiepiscopum perstringit rogátque Odonem Episcopum Ostiensem, pro Roberto Abbate S. Remigij pulso ab administratione sui Monasterij, quem Manasses severiùs persequebatur.

Hic Odo fuit cessit Vrbano II in episcopatu Ostiensi, Paschalemque consecravit. an. 1099.

Vnicum

Digitized by Google

Vnicus eſt, (Odo) mihi Filius, immo Coabbas,
Proquo devotus aſto tuis pedibus
Namque manum ſuper hunc nimis aggravat ille Remenſis
Iram qui Papæ funditus emeruit.
Impoſuit ſiquidem Regi diadema Philippo.
Nunc & in hoc Papæ negligit imperium.
Propterea fundo mea viſcera funditus Odo,
Vt mihi perficias hanc tibi rem facilem.
Abbatis partem ſuſtentes ordine recto,
Vt reſtauretur Filius ille meus.
Quod confirmavit in eo Romana poteſtas,
Inconvulſum ſit, permaneátque ratum.
Et potes & debes, niſi me contempſeris, Odo,
Abbatem ſancto reddere Remigio, &c.

Quer. canum tomo 4. folio 276.

Exorto inter Remenſem & Sueſſionenſem Eccleſias pro juriſdictione Eccleſiaſtica diſſidio, quam Remenſis ut Metropolitana, in Clericos Sueſſionenſes inconſulto proprio Epiſcopo ſibi vendicare nitebatur; Ivo Carnotenſis, quem veluti totius Galliæ oraculum & in Patrum decretis verſauſſimum, Primores eccleſiaſtici conſulebant, Manaſſæ Archiepiſcopo reſcripſit pro hujuſmodi litis compreſſione, ne diſceptandi pruritus cæcis offendiculum poneret: unde hortatur quàm maximè, ut Filiam Sueſſionenſem Eccleſiam canonicè obedire paratam, in ſinum Matris paternè revocet, hac epiſtola quæ eſt 34. inter vulgatas anno 1584.

Ivo epiſt. 34.

Manaſſæ reuerendo Remorum Archiepiſcopo, Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter: Caritatis uiſceribus abundare. Allatæ ſunt nobis nuper litteræ, à uobis per comprouinciales Epiſcopos ueſtros miſſæ, quibus perlectis intelleximus graue ſcandalum leui de cauſa inter Remenſem & Sueſſionenſem Eccleſiam nuper exortum. Cùm autem in prouincia ueſtra peregrinum ſit judicium noſtrum, peregrinum tamen non putamus eſſe co' ſi ium noſtrum, quo caritate ſuadente, Reuerentiæ ueſtræ, & omni religioniſi facultas eſſet, uellemus bene conſultum eſſe, &c.

Ivonem hac peregrina admonitione nihil, aut parum profeciſſe certiſſimum eſt, cùm Sueſſionenſis Epiſcopi rogatu ſtatim epiſtolâ 133. Comprovinciales monuerit, ut ſibi caveant, expertis notum eſſe in unius dejectione, omnium jura & libertates periclitari: unde ſuadet eis ex debito caritatis, ut incœptis ab Archiepiſcopo Remenſi manus obvias non extendant modò, ſed illicitos ejus impetus canonicæ auctoritatis ariete repellant. Primates enim vel Patriarchas nihil privilegij habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantùm ſacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, ut probat ex doctrina Patrum & reſcripto Nicolai I. ad Radulfum Bituricenſem Archiepiſcopum.

Laborat Ivo pro electione Belvacenſis Epiſcopi.

Anſelmo Belvacenſi Epiſcopo vivis ſublato, eligitur à Clericis Stephanus de Garlanda vel de Valanda, cujus mores carpit & exagitat Ivo Carnotenſis epiſt. 36. ad Johannem & Benedictum Cardinales Preſbyteros & S. R. E. Vicarios, ubi Belvacenſis Eccleſiæ lapſum, & calamitatem graphicè depingit: quaſi jam pridem deſiverit bonos habere Paſtores, quod vel hoc exemplo contigiſſe probat, cùm poſtpoſita omni canonica obedientia, Clericum quemdam alearum ludo tantùm & ceteris hujuſmundi lenocinijs vacantem, pro voluntate Regis & contubernalis ſuæ, in Epiſcopum aſſumpſerint. Quod ijſdem ferè verbis repetit epiſtolâ 44. ad Paſchalem ſummum Pontificem: *Notum facio Excellentiæ veſtræ, Belvacenſes Clericos contra interdictum veſtrum & Legatorum veſtrorum, quemdam Clericum nomine Stephanum in Epiſcopum aſſumpſiſſe, procul à ſacris Ordinibus inventum, hominem illiteratum, aleatorem, mulierum ſectatorem, &c.*

At

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An 1100.*

At prædictus Ivo à Clericis Belvacenſibus paullopoſt rogatus, & iteratis eorum, ut ait, gemitibus compunctus, apud Paſchalem pro eodem Stephano ſe advocatum, & mediatorem præbuit, quaſi falſò inſimulatus à Liſiardo Eccleſiæ Belvacenſis Archidiacono, ad omnia objecta crimina paratus eſſet canonicè reſpondere. Pontifex hominis levitatem admiratus, quòd arundini ſimilis omni vento moveretur, ſatis ſeverè eum corripuit: unde ſtatim ad priorem mentem rediens, levis animi labem à ſe repellere niſus eſt epiſtolâ 41. ad Paſchalem: *Lætatus ſum*, inquit, *ſupra quàm dici poteſt, & de Stephani Belvacenſis Eccleſiæ proci repulſione, & de facta in me perpetim paterna invectione: quamvis ego in poſterioribus litteris nihil contrarium prioribus ex me ſcripſerim, nec pro ejus perſona, ſed pro ruinis Eccleſiæ, Sanctitatem veſtram interpellarim, importunitate enim ſua exterſit à me litteras, &c.*

Cognitâ igitur Paſchalis conſtantiâ, & zelo pro domo Dei, præcipit idem Ivo Belvacenſibus auctoritate ſummi Pontificis ut iterum conveniant pro electione Epiſcopi canonicè facienda, rogátque Lambertum Atrebatenſem, & Johannem Tarvanenſem, ut ad id impenſius incumbant, moneántque tanquam Remenſis Eccleſiæ Suffraganei Metropolitanum, quatenus ſecundum tenorem litterarum Domini Papæ, Belvacenſis Eccleſiæ Clericos ad debitè ferenda ſuffragia pro officij ſui debito hortetur. Ivoni prædictam electionem admodum cordi fuiſſe probat alia epiſtola, quâ Belvacenſes orat, ut præclaris ornatum moribus virum ex præcepto Apoſtolico citiùs eligant: *Benedictus Deus*, inquit, epiſt. 43. *quia adhuc in vobis ſpes eſt aliqua vitæ, quamvis inter vos ſint filij alieni aliqui, qui aſſumpta facie meretricis neſcientes erubeſcere, pro ventris eſca & vilibus ſarcinulis, Matrem euiſcerant.* Galone igitur liberalibus & eccleſiaſticis ſtudiis prædito, in Epiſcopum electo à Belvacenſibus Clericis, melioris notæ & conſilij ſanioris, Ivo quaſi ſcopum attigiſſet, certiorem facit Paſchalem Pontificem, nonnullos eſſe inter Stephani repudiati complices, qui cùm huic electioni nihil opponere valeant, Regem tamen adeunt quædam verba latenter, & aſtutè auribus ejus inſtillantes, quæ facile in cor ejus eliquaverunt, prædictum Galonem ſcilicet Ivonis quondam fuiſſe diſcipulum, apud eum enutritum, ac velut à Sede apoſtolica electum, verendúmque eſſe, ne brevi futurus ſit Regi adverſarius, ſi hoc Epiſcopio potiatur. Hinc enim factum, ut virulentis eorum ſermonibus Rex non mediocriter ſuccenſus, nolit electioni præbere aſſenſum, nec ei bona epiſcopalia dimittere. Addit etiam eadem epiſtola quòd electores ad eum ſupplices jam confugiſſent niſi Metropolitanus Remenſis hos detinuiſſet condicto die inter contradictores & electores, pacem volens componere, vel forſitan propter voluntatem Regis rem callidè impedire. Hanc Manaſſi famæ labem inflictam, graviori poſtmodum epiſtola pro recenter Electo conſcripta, Ivo deterſit, qua prædictum Manaſſem reverenter hortatur, ut labenti Eccleſiæ Belvacenſi ocius ſubveniat his verbis.

Ivo epiſt. 136.

Ivo epiſt. 49.

Manaſſæ venerando Remorum Archiepiſcopo, Ivo humilis Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter: Salutem in Domino.

Ivo epiſt. 47.

„ QUàm crebris luporum incurſionibus, quàm multiplicibus filiorum „ alienorum deceptionibus aggravata ſit Belvacenſis Eccleſia non eſt „ neceſſarium veſtram docere prudentiam, cujus iſta non præteriere noti„ tiam. Sed quia Eccleſia illa in Chriſto me genuit, & fundamentum reli„ gionis in me poſuit, quamvis ab alijs quantùm Deus donavit ſuperædifica„ tum ſit; cùm infirmatur non poſſum non infirmari, cùm ſcandalizatur non „ poſſum non uri. Unde non miretur vigilantia veſtra, ſi apud Fraternitatem veſtram

intercedo pro genitrice, & nutrice mea, ut vos qui quotidianas ejus ruinas « MANAS-
frequenti relatione cognoscitis, pro officio vestro lamentabilibus ejus lapsi- « SES II.
bus occurrere studeatis. Vestrum enim est dissipatas oves in die nubis & « XLVI.
caliginis per avia quærere, & ad ovile, quantùm ad vos pertinet, reducere, « ARCHIEP.
licèt velint errare, licèt velint perire. Vestrum est etiam quærendo oves « *An.* 1101.
perditas per ardua vos & aspera coarctare, latera etiam si necesse sit inter « *Metropolita-*
spineta cruentare &c. Et quia integritatem personæ Electi per vos bene « *ni officium in*
nostis, & voluntatem summi Pontificis, sanum consilium mihi videtur, « *sua provincia.*
ut communicato & confirmato cum Episcopis consilio consecrationem «
Electi prædictæ Ecclesiæ acceleretis, ne differendo, vel non faciendo, «
quod vestrum est, honorem vestrum alteri detis: non enim licet Regibus, «
sicut sanxit octava Synodus, quam Romana Ecclesia commendat & ve- «
neratur, electionibus Episcoporum se immiscere, vel aliqua eas ratione «
impedire, Francorum etiam Reges Carolus & Ludovicus electiones Epis- «
coporum Ecclesijs concesserunt &..... Habeat ergo Deus in Ecclesia «
sua principaliter quod suum est: habeat Rex posteriori ordine post Deum, «
quod sibi à Deo concessum est, &c. «

Tam acriter Ivo pro Galone desudavit, ut consecrationem ejus tandem obtineret: sed Rex, cui hæc promotio displicebat, ferre non potuit, ut Belvacensi Episcopio frueretur. Manasses etiam se nonnihil offensum à prædicta Ecclesia existimabat, unde suggerit ei præfatus Ivo epistolâ 170, ut rigorem justitiæ quam nunc tandem, cùm res ad portum jam plenè pervenerit, erga Belvacensem Ecclesiam, nescio quo impellente, intendebat, consultiori moderamine remitteret, donec pax inter Dominum Regem & Dominum Galonem Belvacensi Ecclesiæ consecratum, aut integre solidetur, aut penitùs disrumpatur. At res aliter se habuit quàm sibiipsi finxerat Ivo; nam Galone ad sedem Parisiensem electo, etiam annitente Rege, & Regis filio, Gauffridus Belvacensi suffectus est anno 1103, ex Alberico.

Johannes Morinorum Episcopus vir per omnia laudabilis, Sacerdotes « *Meyerus ad*
ambitiosos & avaros propter eorum simoniam atque alia vitia expulit ex « *an.* 1101
oppido Iprensi, rogatúque civium Gerardum quendam spectatæ vitæ «
Sacerdotem, divorum Martini & Petri Ecclesijs præposuit: qui statim ex- «
structo in pratis Cœnobio, sodales sibi adscivit qui juxta regulam S. Au- «
gustini viverent. Hæc coram Manasse Remorum Pontifice & Roberto «
Comite Flandriæ facta sunt, inquit Meyerus ad annum millesimum cente- «
simum primum: quem pariter illustrat obitus S. Brunonis Remensis olim «
Canonici, & Cartusianorum Patriarchæ, qui optimo fine bene institutam
vitam felicissimè consignavit die sexta Octobris.

Per id quoque tempus Manasses litem inter Azenarium Abbatem S. Remigij & Ciricum exortam, pro quodam mansionali prope Viriliacum sequenti conventione composuit; quæ cùm non parum lucis genealogiæ prædicti Archiepiscopi adferat, eam vel ob hoc solùm, hîc subnectere ratum duximus.

Charta de beneficio Guidonis filij Manassæ Militis.

VIr venerabilis Herimarus Abbas S. Remigij, strenui more Pastoris « *An.* 1102.
multa quæ fuerant vetustate attrita reparare cupiens, juxta villam «
quæ Viriliacus dicitur mansionale quoddam, nomine Tolviam construere «
voluit, sed terra Manassis Militis quæ illi loco collimitabatur, impedi- « *Manasses*
mento fuit. Prævidens igitur terram illam supradicti mansionalis habi- « *Miles.*
tantibus obfuturam, pretio centum solidorum à prædicto Milite sibi vin- «
dicavit, ita ut quoad viveret, ei quotannis summa prædicta ab Abbate «
loci solveretur; post ejus verò decessum Ecclesia S. Remigij terram no- «

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1102.

» minatam quietè, ſine alicui heredum ſuorum data redhibitione poſſideret, » cujus rei conventionem Abbas ſcriptam edidit, & in præſentia Guidonis » Archiepiſcopi legalium virorum atteſtatione roboravit. Poſt multum verò » temporis, ſæpefato Manaſſe de medio ſublato, Guido filius ejus memoratam » pecuniam ab Abbate qui tunc præerat requiſivit, dicens patrem ſuum in » beneficio hanc tenuiſſe, & ob hoc jure hereditario eam ſibi provenire, Ab- » bate è contra contradicente, & chartam quæ in vita patris conſcripta fuerat » ei opponente; tandem prece inſtanti D. Manaſſæ Archiepiſcopi, cujus frater » erat, præfatum pretium tantùm in vita ſua eo pacto ſibi dari obtinuit, ut nulli » heredum poſt eum redderetur, & in præſentia ejuſdem Archiepiſcopi fratris » ſui, ſub idonearum quoque teſtimonio perſonarum annuit, & laudavit.

Guido filius Manaſſa.

» Quo defuncto Ciricus ejus filius, patris nihilominus beneficium, avunculi » ſui ope fretus Archiepiſcopi adipiſci voluit, & ab Abbate Azenario ſibi » illud debere reddi proclamavit. Abbas ductus in cauſam teſtamentali ti- » tulo, qui in vita Guidonis olim Archiepiſcopi, præſente Manaſſe Calvo » firmatus fuerat, teſtibus etiam munitus Heriberto videlicet, Baderanno, » necnon Erlando Vicedomino, qui pactioni quam inde fecerat pater ip- » ſius præſentes adfuerant, reſpondit ſe ei nullo modo redditurum, niſi prius » in curia ſua foret adjudicatum. Præfatus Ciricus in curia Abbatis eum- » dem clamorem poſtmodum replicavit, ſed litteris quæ avi ſui rogatu factæ » fuerant in medium allatis, teſtibus etiam præſentibus nominatis, Guari- » mundus de Caſtellione ei quod ſæpe diximus beneficium abjudicavit. Tran-

Ciricus filius Guidonis.

Guarimundus de Caſtellione.

» ſactis verò aliquot diebus, Archiepiſcopi prece violenta, rogatu præterea Ca- » nonicorum S. Mariæ licèt invitus tandem præfatus Abbas in hanc ceſſit ſen- » tentiam, quatenus in Eccleſia S. Timothei canoniam unoquoque anno » quinquaginta valentem ſolidos, ei cùm Clericus eſſet, hac conventione » interpoſita largiretur, ut nunquam ea de re Eccleſiæ illi aliquod ſervitij » debitum redderet. Ut autem prætaxatæ querelæ controverſia, nulla in » æternum rediviva reſurgat, ego Manaſſes ſuperna diſpenſatione Remorum » Archiepiſcopus hanc ſcedulam noſtræ imaginis auctoritate inſigniri feci, & » authenticarum perſonarum ſignis & nominibus roborari.

» Sign. Azenarij Abbatis S. Remigij.
» Signum Gervaſij Archidiaconi.
» Signum Rodulfi Præpoſiti.
» Signum Joffridi Decani.
» Signum Richeri Cantoris.
Signum Bartholomæi Theſaurarij.
Signum Elberti, Odalrici, Odonis Preſbyterorum.
Signum Erlandi Vicedomini.
Sign. Gugonis, Guiteri de Burſojo.

» Actum Remis anno incarnati Verbi 1102. Indict. x. Philippo Rege re- » gnante anno 40. Archiepiſcopatûs D. Manaſſæ 8.

Manaſſes in ſenectam vergens multa Cœnobijs impertivit ad ſervorum Dei egeſtatem ſublevandam, quæ ſi ex eorum Chartophilacijs proferre vellem, ut in membranis habentur, omnem modum excederent. Remigianis altare de Inſula, quod ſub perſonali tuitione jam diu tenuerant, per deceſſum verò perſonæ ad ſe revocatum, eiſdem ad uſum infirmorum contulit, abſque perſona perpetualiter tenendum, chartâ Remis datâ an. 1102. Indict. x. Regni Philippi 39. Archiepiſcopatûs prædicti Manaſſæ an. 7. cui Azenarius Abbas S. Remigij, Hugo Altivillaris, Rodulfus ſancti Theoderici, Richerus ſancti Baſoli, Gervaſius Archidiaconus, Rodulfus Præpoſitus, Goffridus Decanus, Richerus Cantor, Bartholomæus Subdiaconus ſuſcripſêre.

Nicaſianis eodem anno præter altaria à Gervaſio & Raynaldo Archiepiſcopis liberaliter tradita, quæ ut imperſonaliter tenerentur Manaſſes indulſit, dedit & altaria de S. Leodegario, de Pauli-curte, ſancti Sixti, de ſancto Hilario, de Sancti-Germani-Monte &c. imperſonaliter quoque tenenda

tenenda. Nec Dionysiani Remenses hujus munificentiæ omnino expertes fuerunt, nam altaria novem & amplius eisdem contulisse fidem faciunt chartæ in Tabulario Monasterij diligenter adservatæ, quas hîc verbatim referre operæpretium non putavi. MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1102.

De Attiniaco, & Palatio de Jona in Diœcesi Remensi.

CAPUT XVIII.

ATTINIACUM vicum vetustate ac fama celebrem, tam Episcoporum Concilijs quàm Imperatorum Placitis sæpius in eo convocatis, tradunt historiæ. Hic regalis cœpit esse ditionis sub Clodoveo II. ex Helgaldo Floriacensi in procœmio ad vitam Roberti Regis: *Mortuo Clotario,* inquit, *& ejus filio Dagoberto, Clodoveus inclitus ei successit in Regno, justitiæ & pietatis amictus ornamento; ad quem accedens Leodebodus Abbas, facto & dicto impetravit vicum Floriacum Monachorum usibus præparandum; dans pro eo agellum Attiniacum cum cunctis sibi adjacentibus super Axonam fluvium situm.*

Vicus hic cùm esset perquam amœnus, viretis abundans & pascuis, nihilque in eo quod ad oculorum oblectamenta spectat, desideraretur, primæ Dynastiæ Reges palatium haud procul ab Attiniaco construxêre, ut ibi venatione, vel dulci quodam otio animum curis defessum certis anni temporibus tantisper recrearent. Chartæ Childeberti II. apud Doubletium evulgatæ referunt, prædictum Regem ad causas subditorum audiendas ibidem consedisse: *Igitur cùm nos in Dei nomine cum Optimatibus vel Pontificibus apostolicis seu illustribus viris, Ducibus & Comitibus, in Attiniaco villâ in nostro palatio, ad universorum causas audiendas resedissemus &c.* Imo Favinus tradit eumdem Childebertum Procerum consilio & assensu in villa Attiniaco convocatorum mense Majo anno 20 regni ejusdem, legibus Salicis ac Ripuarijs nonnihil addidisse, quod ad successionem seu feodum spectat, prohibitionésque contrahendi matrimonium in gradu vetito ab Ecclesia, ut nullus scilicet de CRINOSIS incestum usum sibi conjugio sociaret. *Doubletius.* *Favinus.*

Annales à Johanne Tilletio editi habent præterea, Chilpericum qui & Daniel vocatus est, palatium illud præceteris habitasse, in quo & post reditum ex Aquitania mortem obijt anno 727. quamquam alij Noviomagi decessisse eum scribant. Loci amœnitas eò carior fuit ultimis Merovingis Regibus, qui duo Regna pari jure gubernarunt, Franciam scilicet occidentalem, & Austrasiam, quòd fluvius qui eum alluit unum ferè ab alio dispesceret, transitúmque facilem præberet; in quo Germani olim à Gallis insequentibus incommodum accepêre: ex Julio Cæsare lib. 2. Hujus rei gratiâ Reges secundi stemmatis sæpius ibidem Placita regia & Synodos ex consilio Præsulum convocârunt, primum contigit an. 765. cùm Pipinus statuit bellum inferre Vaifario qui in Aquitania rebellarat. Carolus magnus ibi quoque Natale Domini celebravit an. 771. victisque Saxonibus cum eorum Ducibus Vindikindo & Albione, ad eundem locum redijt an. 780. ubi prædicti Duces lustrali Baptismatis undâ abluti sunt, ex Poeta Saxonico. *Papyrius Masso in descriptione Galliæ per fluvios.*

Properârunt protinus ambo
Ad Regem, jam tunc fuerat, qui forte reversus.
Ad villam propriam, quæ dicitur ATTINIACVS.
Hîc ÿdem Proceres sacri Baptismatis unda
Perfusi, tandem Regi mansere fideles.

Duo pariter Concilia celebrata sunt sub Ludovico Pio, primum an. 822. ut refert Eginardus, alterum anno 834. pro disciplina Ecclesiastica in melius reformanda. Carolus & Lotharius in eodem quoque loco collocuti

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP An. 1102.

sunt pro pace inter eos stabilienda an. 854. ubi & leges conditæ quæ habentur in Capitularibus. Alios hîc conventus sub Carolo Calvo cui locus hic carus fuit prætermitto, ut de sanctæ Vualpurgis pignoribus aliquid referam, quibus palatium de Iona nobilitatur. Diva hæc cum duobus fratribus Vuillibaldo & Vuinibaldo Richardi Regis Angliæ filijs, ab Anglia in Germaniam à sancto Livino acciti venerunt anno 719. ac post maximam in ea frugem, & exantlatos in medio nationis pravæ labores, Deo animam felici exitu reddidère. Cúmque per annorum centuriam & ampliùs sub tumulo jacuissent, ab Hadriano Pontifice inter Cælites ascripti sunt, Carolo Rege & Balduino Ferreo, qui in has partes venerant, corporum elevationem suâ præsentiâ cohonestantibus, quibus haud pœnitenda portio ab Eistetensi Præsule data est. Sanctæ Vualpurgis ossa, quæ ab alijs olei stillatione distincta sunt, apud Attiniacum palatium à Carolo translata fuisse, testatur sequens charta, & nostræ diœcesis traditio, quæ ut sacræ fratrum Exuviæ apud Morinos, sic & per totam regionem, quam Axona perluit, magna tunc in veneratione haberi cœperunt, præsidio multis esse, ac malevolis terrori. Regia charta fundationis Ecclesiæ in beatæ Vualpurgis honorem meminit, prædia à Carolo data nominatim explicat, & sic incipit.

Vis palatium erat de Iona nunc pagus est B. Vualpurgis nomen præferens.

Martyrolog. Remense: Calendis Maij in Germania sanctæ Vualpurgis Virginis.

„ KArolus divina propitiante clementia Francorum Rex. Noverit omnium
„ sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium sollertia, quomodo succensi igne divini a-
„ ris statuimus ædificare Ecclesiam in Attiniaco palatio, in honore sanctæ
„ Vualpurgis, quam pro tutamento totius Regni ex partibus orientalium
„ sagaci industria afferre voluimus, ubi ob prædessorum successorúmque no-
„ strorum, nostræque regiæ Majestatis Regníque stabilitatem, condonavi-
„ mus ex nostro proprio jure in præfato fisco.

Mansus Gox est Germanicula Italorum, agrum significans quidquid bobus ad laborandum sufficit in anno.

„ Ad luminaria, servos cum uxoribus & infantibus cum mancipijs. { Mansum unum cum ejus integritate. Et quatuor bunnuaria in Villa Corniaco, Et in manso prædicto Cambam unam.

„ In usibus inibi deservientium, „manses quatuor. { vestitos duos. { Unum in villa d'Iona cum mancipijs. Alterũ in villa Columna cum mancipijs. In ipsa denique villa quartam partem mansi cum furno.

„ Duos alios. { Unum in Attiniaco. Alterum in Martimia.

Camba officina cellaria cervisia.

„ Et in Vetnero mansum dimidium & foraticum de Camba una.
„ Gislulfum quoque cum alode suo, ad quatuor denarios solventem & mancipia.
„ Et dimidio manso in villa Mandreck, ad quatuor denarios solvendum.

„ Culturam quoque ante portam superiorem palatij. { Ad domos hortósque, seu tabernas constituendas. { dimidiam.

„ Item Culturam inter Brolium & vineas.

„ Cornadum quoque. { Ex d'Iona, ac Vetus-villa.

„ Infra verò palatium à porta meridiana ingredientibus, ad dextram usque „circa Ecclesiam ad claustrum faciendum.

„ Omne quoque foraticum, seu omne telonei debitum à successoribus „absolutum volumus.

„ Molendinum unum super ripam fluvioli.

„ Nonam similiter indominicatam de supra- „dicto fisco. { Mancipijs utriusque sexus. Terris cultis & incultis.

De prato

Digitized by Google

De prato Bunnuaria, duo ſupra palatium noſtrum.
Molendino & campis & pratis. « MANASSES II.
Memoratus locus & ibi ſervientes ſupra ſcriptas res, cum univerſis legitimis terminationibus juſtè & legaliter ad ſe pertinentibus habeant, teneant atque poſſideant.
Paſcuis, aquis aquarúmque decurſibus. « XLVI.
Exitibus & decurſibus. « ARCHIEP. « An. 1102.

Signum Caroli K R S L Regis glorioſiſſimi.

Palatium Attiniacum regiâ hac Capellâ Caroli Calvi ſtudio nobilitatum, ei poſthac, fratribus quoque, & filijs in amore ac delitijs fuit redditúmque Carolo Simplici legimus, tanquam illuſtre quoddam prædium à Rodulfo Rege anno 928, ex Flodoardo: & à ſucceſſoribus magno in pretio habitum; donec Lotharingiæ Regno à Francia nimis inconſultè avulſo, finéſque Regni Francicj Axonâ & Moſâ terminantibus, paullulum à ſuo ſplendore deflexit, datúmque Conſtantiæ Philippi I. filiæ pro dote cum appenditijs ejuſdem, quæ Hugoni Campaniæ Comiti in matrimonium locata eſt. Cujus Comitis munificentia paullopoſt in hoc præſertim eluxit, quòd prædicta uxore conſentiente, Moliſmenſibus Monachis Capellam S. Vualpurgis erectam in palatio de Jona, cum Canonicorum eam occupantium præbendis, pro erectione Prioratûs conceſſerit anno 1102, ut ſequenti diplomate planum fiet, quod hîc ex Tabulario depromptum antiquitatum ſtudioſis exhibemus.

Charta fundationis Prioratûs ſanctæ Vualpurgis prope Attiniacum per Hugonem Campaniæ Comitem.

MAjorum auctoritas, & rationis ordo ſuadet, ut ſi quid humana ſolleritia firmum fore ratúmque diſpoſuit, officio litterali memoriæ commendetur. Poſt præſentium igitur notitiam, futuræ poſteritati intimandum curavimus, quòd ego Hugo Comes Campaniæ animæ meæ ſaluti providens, venerabilis uxoris meæ Conſtantiæ Philippi Francorum Regis filiæ laude & aſſenſu, ex cujus parte villa, quæ Attiniacum vocatur, in jure meo ceſſit, Capellam ſanctæ Vualpurgis ſanctæ Mariæ Moliſmi, & Fratribus ibidem Deo ſervientibus, & quicquid ad eamdem Capellam attinet lege teſtamentali concedo & in perpetuum tenendam confirmo. Illud etiam quod Clerici inibi canonias obtinentes, à quibus ſeſe deponentes in manu Domini Manaſſæ Archiepiſcopi Remenſis emancipaverunt, & prædictos Monachos quod juris alterius erat, ſibi vindicare pertimeſcentes, me præſente ab Archiepiſcopo canonijs reveſtitos eſſe, memoriæ trado. Do etiam nominatis Monachis quicquid poſſideo in vico qui vocatur d'Iona, manſum videlicet dominicum, cum omni Juſtitia ſine omni mei, vel alterius advocatione in ſervis, ancillis, in terris cultis & incultis, quarterijs terrarum, ſeu terrarijs, pratis & paſcuis communibus, & ut breviter concludam, cum omnibus ad ipſum manſum pertinentibus, omni retractatione excepta, omni exceptione poſtpoſita. Do etiam ſæpedictis Monachis nemus illud, quod vocatur Caſuetus, juxta prædictam villam ſitum, decimam quoquè de ſancto ..... & aliam de Chiſiaco. Addo inſuper totam aquam, quæ à Hinea eſt ad molendina ædificanda cum ripis & inſulis, & omnibus quæ in ea fuerint, ad eadem molendina inſtruenda, ſeu reparanda, ſimiliter ad excluſas faciendas, ſeu reficiendas quoties opus fuerit, & totam piſcariam ejuſdem aquæ, ab Attinei ponte uſque ad piſcariam Reliaci, piſcatore in Attineio manente ab omni conſuetudine abſoluto. « An. 1102.

Sed ne aliquando inter Monachos & Attiniacenſes miniſtros aliqua oriatur contentio, ſaniori uſus conſilio & Procerum meorum ammonitione, juſtum eſſe

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1102.

» esse affirmo, ut ipsius terræ talis sit divisio, quatenus sicut Sanctæ-Mariæ
» parochiis terminatur, sic Sanctæ-Vulpurgis terra metiatur. Quicquid autem
» tam in meo uxorisque meæ Constantiæ dono, quàm in assensu dicti Ar-
» chiepiscopi actum est, prædicti Regis atque Ludovici ejus filij favore constat
» esse firmatum ac perpetua sanctione munitum. Ne quis verò improbus
» contra hanc legitimam donationem aliquando oblatrare valeat, signis ac
» probabilium personarum testimonijs corroboramus.

» Signum Manassæ Archiepiscopi.	Signum Isambaldi, Bartholomæi,
» Signum Gervasij Archidiaconi.	Milonis Subdiaconorum.
» Signum Manassæ Archidiaconi.	
» Signum Rodulfi Præpositi.	Signum Ludovici filij Regis,
» Signum Joffridi Decani,	Signum Hugonis Comitis,
» Signum Richeri Cantoris,	
» Signum Doberti, Olderici, Lamberti Presbyterorum.	Signum Constantiæ uxoris ejus. Sig. Hugonis Camerarij Comitis.
» Signum Fulconis, Raynaldi, Gerardi Diaconorum.	Signum Joffridi filij Otranni, Signum Aimonis Castellani.

» Actum Remis an. Incarnat. 1102. Indict. x. anno verò Imperij Philippi
» Francorum Regis 44. Archiepiscopatus D. Manassæ 7.
» Fulchradus Cancellarius scripsit, atque subscripsit.

Donationem hanc Rodulfus Archiepiscopus ratam habuit, postquam prædictus Comes Attiniacum Remensi Ecclesiæ contulit; verisimile enim est, hoc anno vel ei proximo collatum fuisse, quo necdum prædictæ Constantiæ conjugium cum Hugone solutum esset. At cùm primariæ donationis Attiniaci chartam hactenus nancisci non licuerit, in hujus locum subijciemus aliam quæ prioris meminit, confirmátque prædia à Comite Molismensibus data, cujus hic tenor est.

» Ego Rodulfus Dei gratiâ Remensis Ecclesiæ licèt indignus Sacerdos,
» omnibus quorum nos memoria subsecutura exspectat ad æternam patriam fe-
An. 1114. » liciter tendere. Palam facere curavimus, cùm divinæ bonitatis inspiratio
» animum venerabilis Campaniæ Comitis videlicet Hugonis, ut Ecclesiæ Re-
» mensi & nobis Attiniacum villam largiretur, tetigisset, ipsa die post dona-
» tionem quam præfatus Princeps super altare S. Mariæ posuerat, nos in cujus
» potestatem supradicta villa cesserat, Monasterio S. Mariæ Molismensis con-
» cessisse quicquid in ea idem Comes, & uxor sua Constantia Philippi Regis
» filia, ejusdem patris ac fratris sui Ludovici consensu, pariter & assensu supra-
» dicto Monasterio noscuntur contulisse: vicum scilicet nomine de Iona, qui
» vulgo Sancta-Vualpurgis appellatur, & ejusdem villæ mansum indominicatum,
» silvam adjacentem, totam piscariam à ponte Attiniaci, usque ad piscariam à Re-
»lincipinole..... quorum quartam partem tenet Ernaldus in vita sua tantùm,
» absque parte molendinarij. Hæc omnia ut præfati sumus, quæ chartis Regum &
» Comitis continentur, Monasterio Molismensi assensu totius nostri Capituli con-
» cedimus, & hac testamentali charta, & nostræ imaginis impressione perpetuali-
» ter tenenda firmamus. Ut autem istud auctoritatis nostræ firmamentum in-
» convulsum teneatur, hujus rei testes idoneos appositimus.

» Signum Joffridi S. Theoderici Abbat.	Signum Joffridi Decani.
» Signum Joranni sancti Nicasij.	Signum Lamberti Cantoris.
» Signum Hugonis sancti Dionysij.	Signum Olrici Decani &c.

»
» Actum Remis an. Incarnati Verbi 1114. Indictione VI. Regnante venerabili
» Ludovico Rege Francorum anno 7. Archiepiscopatus autem Domini Ro-
» dulfi anno 7.
» Fulchradus Cancellarius scripsit atque subscripsit.

Si eo

Digitized by Google

Si eo anno quem charta indicat, Attiniaci collatio facta est Ecclesiæ Remensi, sequitur à Constantia Comitis dispositioni relictum fuisse ante solutum cum ea conjugium, quod contigisse necesse est vivente adhuc Philippo Rege cujus erat filia ex Bertha uxore, cùm Ivo Carnotensis Epist. 182. ad Lugdunensem Archiepiscopum sic scribat: *Sategimus Deo volente cum Rege Francorum, & filio ejus Rege designato, ut jam displiceat eis incestum conjugium, quod est inter Constantiam filiam prædicti Regis & Comitem Trecassinum, fulti auctoritate legum & adjutorio bonorum cupiunt hujus conjugij maturare divortium. Dum hæc voluntas fervens est eorum, moneo & rogo paternitatem vestram, ut commonitorias litteras mittatis Archiepiscopis & Episcopis ad Curiam, quæ habenda est in Nativitate Domini Suessionis, quatenus à Rege ipso audiant copulationem genealogiæ, quam ipse paratus est jurejurando approbare & idoneis testibus confirmare.*

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1102. Ivo epist. 182.

Soluto igitur hoc conjugio propter consanguinitatem illicito, Constantia nupsit Boamundo Principi Barriensi, viro magnanimo, & strenuo: Comes verò alteram duxit, cum qua forsan absque ejus consensu statuit servare castimoniam, servabátque hoc anno, quo Jerusalem devotionis gratiâ erat profecturus, ut constat ex eodem Ivone epist. 247. *Audivimus & cognovimus quòd Hierosolymam profecturus, militiæ Christi teipsum devovisti, illam evangelicam arrepturus militiam, quam cum decem millibus securè pugnaturus adversus eum qui cum viginti millibus adversùm nos pugnaturus occurrit &c. Duxisti uxorem, quod lex naturæ initiavit, & lex evangelica atque apostolica subsecuta firmavit. Si absque consensu uxoris servas castimoniam, sacrificium de tuo non offers, sed de alieno.* Ivo epist. 247.

Comes antequam iter Hierusalem arriperet Dei misericordiam mercaturus Ecclesijs Dei ac pauperibus quasdam eleemosynas erogavit, imprimis verò ob amorem Francorum Apostoli, hominibus villæ quæ Curtisansorum nuncupatur, salvationes quas ipsi debebant, liberaliter indulsit; condonat quoque consuetudines apud Lupi-montem Viteriaco castro pertinentes, hac charta quæ veri Principis clementiam redolet, sincerúmque ejus affectum probat & exprimit.

Charta Hugonis Comitis Campaniæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti. Cùm apostolica instruat sententia mundi hujus cuncta fore transitoria, cavere debet omnis verus Israelita, ne ipsius avidè sequens ludibria mundi hostis malè cautus incidat in foveam. Hæc ego Hugo Comes Campaniæ rationabili contemplans ratione, animadverti fore consulendum mihi in præsenti tempore, sicque studui pijs operibus operam dare, quatenus portionem meam & mansionem meam in terra viventium valeam adquirere. Unde cum Hierusalem vellem expetere, de propriis reditibus quamplurimis casis Dei plurima mihi placuit condonare. Inter quas Ecclesiæ sancti Remigij Francorum Apostoli villæ suæ quæ Curtisansorum nuncupatur, salvationes quas homines ejusdem villæ mihi dabant, spontaneè condonavi, similitérque villæ quæ Exia nuncupatur, condonavi etiam omnes consuetudines apud Lupi-montem Viteriaco castro pertinentes, pro salute animæ meæ quas prædecessores mei ibi tenuerant. Ex ijs omnibus in præsentia Domni Rodulfi Archiepiscopi & domni Azenarij Abbatis, astante quoque omni conventu Fratrum, cum consilio & laude Optimatum meorum supra altare prædicti Confessoris donum feci, ita ut amplius nullus heredum meorum, vel successorum inde prorsus quicquam requirat, vel reclamet. Quod ne senio temporum obliteraretur in posterum, Majestatis nostræ sigillo consignari feci & testibus idoneis de domo mea qui ibi tunc affuêre, corroborari mandavi. An. 1114.

Signum Petri Constabularij mei, filij Johannis de Vitriaco. | Signum Johannis Morogilli castri Vicecomitis.

Signum

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1103.

„ Signum Drogonis Capellani mei. | Signum Milonis de Cerneio.
„ Signum Joffridi Dapiferi mei. | Signum Hontiani Præpositi &c.
„ Testes ex parte B. Remigij Domnus Archipræsul Radulfus, Domnus
„ Azenarius Abbas, Lambertus Decanus & omnis CONVENTUS FRATRUM. Bal-
„ duinus Dapifer, Erlandus Vicedominus, Hugo, Heribertus Panifer &c.
„ Actum est hoc an. Verbi incarnati 1114. Regnante in Gallia nobilissimo
„ Rege Ludovico anno 6. Remis verò præsidente venerabili Radulpho Archi-
„ episcopo 7. anno.

Altare S. Quintini de Corbiniaco Remigianis datur, Ecclesia quoque S. Salvij Cluniacensibus, Manasse Archiepiscopo & Coepiscopis ad Synodum vocatis, consentientibus. Manassis obitus & Sepultura.

CAPUT XIX.

ORTA de altarium redemptione ac personarum ab Episcopis in eisdem substitutione in Concilio Claromontano controversiâ, egerunt apud summum Pontificem Urbanum Remigiani, ut benignè ab eis hoc onus excuteret, maximè verò circa altare sancti Quintini de Corbiniaco Laudunensis diœcesis, quod cùm liberum hoc à personis, ut & alia quædam altaria Pontifex declarasset his verbis: Canone VII. *Altaria congregationis Clericorum vel Monachorum per personas data, mortuis personis libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum privilegia confirmata.* Statim Episcopus Laudunensis hoc prætextu prædictum altare persona illud occupante mortua, jure sibi devolutum arbitrabatur; ita ut pro nutu de eo posset disponere. Conquerentibus apud Urbanum Monachis hanc ad Laudunensem Pontifex scripsit epistolam, quæ exstat apud Antonium Loisel, ex codice mss. & sic incipit.

„ Quantò familiariùs à Romana Ecclesia diligeris, tantò cariùs, quos ipsa
„ diligit fovere debueras, & amplecti. Idcirco ab infestatione Fratrum B.
„ Remigij Fraternitas tua cesset, & altare quod in villa, quæ Corbiniacus di-
„ citur ijdem Fratres habere noscuntur, eis restituat; etsi enim personas re-
„ movimus, non tamen antiquæ possessionis jus Monasteriis abstulimus, in illa
„ siquidem, personarum mutatione avaritiæ labes, renovationis..... ecclesiasti-
„ carum rerum distractio contingebat. Porro altaria quæ per quinquaginta seu
„ triginta annos Monasteria possederunt, sicut in Synodo constitutum est, im-
„ mota eis permanere volumus. Nullam igitur de cetero eisdem Fratribus de
„ supradicto altari molestiam inferas, salva tua episcopali justitia &c.

Annis aliquot elapsis Ingelramnus Laudunensis Episcopus ob amorem beatissimi Remigij, quem Laudunensis Ecclesiæ munificentissimum benefactorem disertissimis verbis agnoscit, prædictum altare de Corbiniaco Monachis perpetualiter sine persona tenendum, ut summus Pontifex decreverat, tradidit in manus Azenarij Abbatis, Manasse Concilium Remis in Ecclesia beatæ Mariæ celebrante, hac charta cui Episcopi ad Concilium evocati subsignarunt.

An. 1103. „ IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Beatissimi Remigij Patris nostri
„ munificentia Laudunensem Ecclesiam honore sublimavit, possessionibus
„ ampliavit, & de corpore ipsius Remensis Ecclesiæ portionem uterinam con-
„ stituit & Sororem, beneficij autem ingratitudo indignos, & aliquando exper-
„ tes ipso fecit beneficio. Unde ego Ingelramnus gratia Dei Laudunensis Ec-
„ clesiæ Episcopus oblatæ opportunitati decrevi occurrere & Ecclesiæ glorio-
sissimi

fissimi Patris nostri Remigij quod ei opportunum & necessarium erat subrogare. Erat enim in Corbiniaco villâ ipsius beati Remigij, quoddam nostrum altare in honore sanctissimi Martyris Quintini, cujus decimæ rebus illius immixtæ, integritatem possessionis ejus videbantur mutilare & aliquando causa altercationis exsistere. Hoc quidem Ecclesia beati Remigij longo tempore per personas tenuerat, emanante autem apostolicæ Sedis sententia de ablatione hujusmodi personarum, ne earum subrogatio venditionis fieret occasio, susceptis precibus Domini Papæ & Patris nostri Manassæ, Concilium Remis in Ecclesia B. Mariæ celebrantis repetitis precibus tam ipsius, quàm Coepiscoporum nostrorum atque Abbatum, assensu nostri Clen, præsertim fratris nostri Ebali Archidiaconi, tradidi prædictum altare sancti Quintini sancto Remigio in manu Abbatis sui Azenarij, perpetualiter sine persona tenendum, salvo tamen jure episcopali. Ut autem hæc efficientia, tam apud præsentes quàm apud posteros integra illibataque permaneat, hoc privilegio confirmavimus, & attipulatione subscriptorum testium corroboratam reddidimus.

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1103.

Concil. Remense sub Manasse.

Signum Ingelramni Episcopi Laudunensis qui hoc privilegium fieri præcepit.	Signum ..... Altivillarensis Abbatis.
	Sig. Radulfi Abbatis S. Theoderici.
	Signum Lamberti Decani
Signum Manassæ sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopi.	Signum Hugonis Thesaurarij.
	Signum Sigeberti Præpositi.
Signum Manassæ Suessionensis Episc.	Signum Odonis.
Signum Hugonis Catalaunensis Episc.	Signum Adalberonis Abbatis sancti Vincentij.
Sig. Vualdrici Noviomensium Episc.	
Signum Johannis Morinorum Episc.	Sig. Godefridi Abbatis Novigenti.
Sig. Lamberti Atrebatensium Episcop.	Sig Ebali Laudunensis Archidiaconi.
Sig. Huberti Silvanectensium Episc.	Sig. Vuidonis Thesaurarij.
Signum Azenarij Abbatis S. Remigij.	Signum Odonis Cantoris.

Actum Laudùni anno Incarn. dominicæ 1163. Indict. XI. Epacta XI. Concurrente III.

Ego Anselmus Cancellarius sanctæ Ecclesiæ Laudunensis relegi & subscripsi.

Ex Charta Ingelramni, & Episcoporum numero qui huic subscripsêre, omnibus innotescit coactum fuisse hoc anno Remis Concilium, licèt id quod in eo præsertim definitum est, omnino nos lateat, Opinor occasione hujus Synodi Balduinum Comitem Flandriæ & Idam matrem ejus, Christi patrimonium retinere immane delictum reputantes, Ecclesiam sancti Salvij in manus venerabilis Manassæ Cameracensis Episcopi depoluisse, ut eam Monasterio Cluniacensi perpetuò tenendam concederet, quod non præstitit modò, sed & altare sancti Gaugerij superaddidit, Remensi Archiepiscopo pias ejusmodi sanctiones approbante sequenti pagina, quam nonnulli Præsules adhuc Remis agentes suo calculo comprobarunt.

Balduinum Comitem Ecclesiam S. Salvij quam hereditario jure tenebat, deponit in manus Manassis Episcopi Cameracensis.

Privilegium domini Manassæ Remorum Archiepiscopi de Ecclesia S. Salvij in diœcesi Cameracensi prope Valentianas.

BAlduinus Comes & mater ejus Ida Ecclesiam S. Salvij jure hereditario possidebant, quam ab eis in beneficium Adelendis de Aldenarda tenebat, & enormitatem scelerum abhorrentes divini amoris respectu, ejus investituram in manus domini Manassæ tunc temporis Cameracensis Episcopi, ut eam S. Petro & Monasterio Cluniacensi largiretur, deposuerunt, quam obvijs manibus dominus Manasses suscepit, & eam Monasterio Cluniacensi An. 1103.

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1103.

„ cum omnibus pertinentibus tenendam concessit. Contulit præterea idem „ Manasses ad prædictam S. Salvij Ecclesiam altare S. Gaugerij, & absque „ personarum successione, salvo jure episcopali æternaliter possidendam imper- „ tivit, ea tantùm religiosâ pactione interposita, ut inde quotannis sub censu „ auri uncia, vel æquè valens precium Ecclesiæ Cameracensi usibus Canoni- „ corum in festivitate Lucæ Evangelistæ persolvatur.

Metropolita approbat donationes factas à suffraganeis.

„ Præfixas igitur sanctiones Monasterio Cluniacensi, tam de Ecclesia S. „ Salvij, quàm ad eamdem Ecclesiam de altari sancti Gaugerij factas ego Ma- „ nasses non meis meritis, sed superna dispensante gratia Remorum Archiepis- „ copus, ratas in perpetuum custodiri volens laudavi, atque auctoritatis nostræ „ paginâ approbavi: & ne in posterum contradicentium cavillationibus dissol- „ vatur, anathematis sententiâ, idoneis etiam testibus cum nostræ imaginis „ impressione roboravi.

„ Signum Manassæ Suessionensis Episc. | Signum Johannis Morinensis Episc.
„ Signum Lamberti Atrebatensis Episcopi. | Signum Gervasij Archidiaconi.
„ | Signum Rodulfi Præpositi.

„ Actum Remis anno incarnati Verbi 1103. Indict. XI. regnante Francor. „ Rege Philippo anno 44. Archiepiscopatûs autem domini Manassæ IX. „ Fulchradus Cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

An. 1104. Philippus Rex corde compunctus ob excommunicationem à Vicarijs S. R. E. Pictavis in eum latam, qui & Regnum anathemati subdiderant, quòd ad pellicem redijsset, ut habet Fragmentum historiæ Francicæ, Legatos Romam direxit, spondens Papæ pariturum sibi in quibuscumque juberet, tantùm ut absolvi mereretur, qui & Richardum Albanensem Episcopum in Gallias mittit ad absolutionem Regi impertiendam. De cujus absolutionis modo scripsit ad Richardum Ivo Carnotensis, consulitque illi, ut alibi quàm Senonis fieret, ubi cuique licitum esset, libere proferre quod sentiret. & epist. 260. notum facit summo Pontifici Paschali plures Episcopos, tam Remensis quàm Senonensis Provinciæ invitatos à Richardo Albanensi, convenisse in quoddam municipium Aurelianensis Episcopatûs nomine Belgenciacum, nec tamen ob quasdam Episcoporum difficultates, in ea expressas, secutam esse absolutionem. Verùm paullopost Parisijs sollemniter peracta est, & quidem à Lamberto Atrebatensi Episcopo, si litteris quibusdam necdum editis credatur, apud Sirmundum.

Vide Ivonem epistolâ 48. ubi conqueritur quòd Hubertus Silvanectens. sine audientia fuerit à sua sede expulsus.

Guibertus vita sua lib. 2. cap. 2.

Meminit insuper ijsdem ad Richardum epistolis Ivo indicti ab eodem Legato Trecis Concilij, in quo ventilata causa Huberti Silvanectensis Episcopi falsò à malevolis apud Metropolitanum accusati de venditione sacrorum, nec tamen convicti, propter insufficientiam accusantium. In eo quoque sanctus Godefridus Abbas Novigenti, qui anno superiori Synodo Remensi interfuerat, creatur Episcopus Ambianensis, postquam sedes ferme biennio vacâsset, ex Guiberto; qui & ingenium & mores tanti Præsulis cursim tetigit, fusiùs verò & ex instituto Nicolaus Monachus Suessionensis, apud Surium. Huic Trecensi Concilio Manasses Archiepiscopus subscripsit non 1114. ut est apud Nicolaum Camuzat in Promptuario, cùm tunc esse desisset sed 1104. IV. Nonas Aprilis.

Hoc eodem anno idem Archiepiscopus rogatu Azenarij Abbatis consensit, ut Remigiani altare de Columnis absque personarum vicissitudine, ut hactenus cum eorum dispendio factum fuerat, possiderent, hac charta quæ hujus sæculi morem ac nocivas consuetudines luculenter exprimit.

An. 1104. „ IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Manasses dispensante superna „ gratia nomine, non exsecutione operum, Remorum Archiepiscopus &c. „ Considerantes altare de Columnis, quod Ecclesia sancti Remigij per succes-

sionem

sionem personarum hucusque tenuerat, in mutatione personæ occasione accepta, præfatum Monasterium rerum suarum sustinere dispendium, interventu Abbatis Azenarij illud S. Remigio contulimus, absque personarum vicissitudine perpetuò tenendum &c. Ut hoc nostræ concessionis edictum in posterum inconcussum permaneat, probabilibus personis illud & nostræ imaginis impressione roborari jussimus.

Sig. Azenarij Abbatis sancti Remigij.	Sig. Radulfi S. Theoderici Abbatis.
Signum Gervasij Archidiaconi.	Signum Hugonis Abbatis Altivillarensis.
Signum Ebali Archidiaconi.	
Signum Rodulfi Præpositi, &c.	Signum Joranni S. Nicasij Abbatis.

Actum Remis an. 1104. Indict. XII. regnante Philippo Francorum Rege anno 41. Archiepiscopatus D. Manassæ anno 9.

Fulchradus Cancellarius scripsit.

Interea loci per Remenses agros gravis Bellona furebat, iteratis excursionibus tumultuosi Baronis Ebali Roceiacensis. & filij ejus Guischardi, ut supra vidimus, in quem Ludovicus Rex designatus haud semel aciem instruxit: at cum periculosiora negotia hunc aliò vocarent, multis quæstionibus actum de pace, eo celebri forsan conventu Remis indicto, quem notat Nicolaus Suessionensis in vita S. Godefridi; at hæc brevis admodum fuit, cùm Sugerius periocham septimam mox agat de obsidione Montis-acuti, & bellorum redintegrato strepitu per Laudunensem diœcesim.

Manasses suæ resolutionis tempus imminere sentiens, novo caritatis donativo amoris sui tesseram erga Francorum Apostolum coronare statuit sequenti tabula, in qua cùm sancti Godefridi Ambianensis Episcopi nomen inter subscriptores emineat, eam hîc transcribere non erit otiosum.

Cùm præordinante quæ cuncta regit dispensatione superna, quilibet mortalium &c. Qua propter ego Manasses Ecclesiæ Remensis indignus Sacerdos, animadvertens Ecclesiam B. Remigij in mutatione personæ altaris de Condeto, rerum suarum dispendium incurrere, hoc exterminare cupiens, cùm jam pietas ineffabili, administrationis nostræ dies in undenum protraxisset annum, imminentem nostræ resolutionis articulum hac bona consummatione terminare volens, altare supradictum Ecclesiæ B. Remigij absque persona tradidi, & perpetualiter concessi tenendum, hunc etiam largitionis nostræ titulum probabilibus personis esse volumus approbatum, & imaginis nostræ impressione roboratum.

Signum Godefridi Ambianensis Episcopi.	Signum Ebali Archidiaconi.
	Signum Rodulfi Præpositi.
Signum Odonis Episcopi.	Signum Joffridi Decani.
Signum Azenarij Abbatis S. Remigij.	Signum Richeri Cantoris.
Signum Gervasij Archidiaconi.	Signum Bartholomæi Thesaurarij.

Remis anno Incarnat. 1106. Indictione XIV. regnante Philippo Rege anno 47. Archiepiscopatûs D. Manassæ an. XI.
Fulchradus Cancellarius scripsit & subscripsit.

Quid tunc Remis ageret sanctus Godefridus Ambianensis, & an huc advenerat de Monachis S. Vuallarici conquesturus sub finem celebris Conventûs, quem retulit Nicolaus Suessionensis non satis constat, cùm ferè omnes auctores celebertimum hunc Procerum Galliæ Conventum remittant ad an. 1109. Manasse jam mortuo, quod optimè cum præcedentibus circumstantijs non cohæret.

Exstant apud Colvenerium Manassis Archiepiscopi quædam epistolæ mss. quarum duæ sunt ad Lambertum Atrebatensem Episcopum, tertia ad Primores, Clerum & populum Cameracensem, sed anni Pontificatus

"MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1104.

"Sic Manasses egerrimè ferens per successores ab majoribus visse circa altaria, quæ in incrementum dotis Monasteriorum data fuerant, ea deinceps imperpetuum personaliter tenenda concessit, ut adhuc Regnigamus altare de Barisiaco anno Pontificatus x. Nicasianum altare de Betancurte cum duabus capellis de Barisiaco-monte, &c. quæ Otho filius Rogeri Comitis tenebat in Porcenstorre territorio, anno 1106.

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1106.

ejuſdem, quos ex Camuſatio hauſit idem auctor, protrahítque uſque ad annum 1114. omnino corrigendi ſunt, cùm ex chartis authenticis luce meridiana clariùs ſit, Rodulfum incœpiſſe anno 1107. Arbitrantur nonnulli Manaſſen abdicato Archiepiſcopatu apud Sandionyſianos Remenſes ſeceſſiſſe quod innuere videntur verſus in tumba marmorea inſcripti ante majus altare, ubi & effigies Archiepiſcopi cum inſignibus in eadem inciſa hîc tumulatum oſtendit.

Hic Manaſſes Remis regimen cum culmine nactus.
Poſt Sedi cedens, pauper de divite factus,
Hujus ſponte loci normæ, legique ſubactus,
Hicque diu degens, mores bene rexit & actus.

Manaſſis id eſſe epitaphium fama eſt, qui clariſſimorum virorum veſtigia ſecutus, Brunonis ſcilicet & Odonis Caſtillonei, ſub finem vitæ cum Adamo alijſque Remenſis Eccleſiæ Canonicis, in clauſtrum ſe recepit, de quibus Necrologium Sandionyſianum pluribus in locis, nominatim verò de prædicto Archiepiſcopo ſic loquitur: *Decimo quinto Kalendas Octob. obijt Manaſſes Remenſis Archiepiſcopus Canonicus noſter, in cujus anniverſario pauperes debent habere duos ſextarios ſiliginis, & duos modios vini.*

Anſelmus de Ribodimonte qui in obſidione Archarum antequâ Ieruſalem à Godefrido caperetur ingenti machina lapides torquẽte percuſſus interijt, cuncta quæ in obſidione Niceæ & quæ Romaniam Armeniamque pertagrando quæ denique Antiochiam, aggrediendo noſtri peregerant, ad Manaſſem Archiepiſcopum Remorum piæ memoriæ virum, qui ante hoc deceſſit formè biennium ſemel ac ſecundò directis apicibus clariſſimè patefecit. *Guib. de Novigent. lib. 6. Geſtorum Dei per Francos cap. 8. Et ſic diu degiſſe apud Sandionyſianos Manaſſes non potuit, ut eſt in Epitaphio.*

Chronicon Remenſe refert Manaſſem obijſſe anno 1106. quo Sandionyſianis nouem altaria imperſonaliter tenenda conceſſit, anno Epiſcopatûs XI. *Indict.* XI. *regni Philippi Regis* 46.

De eodem ſic habet Obituarium Remenſe: XIV. *Calend. Octob. Deceſſit bonæ memoriæ Manaſſes Remenſis Archiepiſcopus, qui dedit ad menſam* FRATRUM *quatuor altaria, unum de Monte-Sancti-Petri, alterum de Miliaco, tertium de Taxeio, quartum de Nova-villa ad faciendum ſuum anniverſarium.*

Eccleſiæ Sancti Symphoriani Remenſis primordia, Canonicorúmque in eadem inſtitutio.

CAPUT XX.

CANONICORUM ſancti Symphoriani Remenſis initia hîc nobis diſcutienda proponimus, antiquitatis quidem decore conſpicua, ſed tot tenebris involutâ, ut certò ſciri non poſſit erectionis nunc ſtantis collegij tempus, & quid dignum laude in eo factum. Nam licèt de Eccleſia, ſi traditionem ſpectes, nullum ferè dubium ſubſit, poſt luculentiſſimum Flodoardi teſtimonium, cùm multa ſæcula præterierint, in quibus nec ſodalitij veſtigium, nec vir celebris in ea, nec titulus fundationis appareant, haud facilè dictu eſt, quem dignitatis gradum in Urbe retinuerit, poſt ſedem Archiepiſcopi aliò tranſlatam, & an hæc eadem Clericorum Congregatio, aut certè pars ejuſdem, quæ ſub primis Archiepiſcopis viguit ab incunabulis Chriſtianiſmi, ad nos uſque illæſa pervenerit. Pervolutis majori diligentia quâ potui diverſarum Eccleſiarum chartophilacijs, omnino nihil mihi in tabulis earum occurrit ante quingentos ſexaginta circiter annos quod lucem feneret; unde fit ut conjecturis neceſſariò utendum ſit, quas hîc expoſitis priùs Eccleſiæ natalibus breviter expediam.

Qui ſanctiſſimum Xiſtum Belgarum Apoſtolum Remos adveniſſe ſub Conſtantio Conſtantini Magni Imperatoris patre opinantur, ut habent quædam Mſſ, prædictæ Eccleſiæ fundationem illi facilè attribuunt, nam ſacra

æde

Digitized by Google

æde Protoantiſtes indiguit, in qua fideles verbo Dei paſceret, eíſque chriſtianæ Religionis ſacramenta miniſtraret, quod & ſucceſſores ejus in eadem præſtiterunt uſque ad B. Nicaſium. At cùm à vera temporum epocha hos penitus aberrare probaverim Hiſtoriæ meæ libro primo, ubi & quibus licuit rationibus oſtendi Eccleſiolam quæ nomine Xiſti inſignitur, primam omnino eſſe totius diœceſis, alium fundatorem admittere prorſus neceſſe eſt, Betauſium ſcilicet, qui pacatis perſecutionum fluctibus, ac orbi Chriſtiano pace reddita ad archiepiſcopale culmen aſſumptus, erectam à ſe Baſilicam in urbis meditullio, beato Symphoriano Auguſtoduni ſub Aureliano Imperatore agonem paſſo conſecravit. Hæc igitur civitatis Remenſis prima eſt, ubi Betauſius pedem fixit poſt reſtitutas ubique Cathedrales ſub Conſtantino; cúmque hæc dignitate præfulſerit ab anno 306. uſque ad Pontificatum S. Nicaſij, ſeptem Archiepiſcopi in ea, tanquam in omnium Matrice commorati ſunt, quamvis Rodulfus Viridis in charta ſtatim deſcribenda novem numeret; ſed præfatus Antiſtes forſan non obſervaverat, primis Archiepiſcopis vigente perſecutione, Oratorium aliud nullum exſtitiſſe præter id, in quo & tumulati ſunt. MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1106.

Prædictæ Eccleſiæ olim inditum nomen SANCTI SYMPHORIANI AD APOSTOLOS, vel BASILICÆ SANCTI SYMPHORIANI, QUÆ DICITUR AD APOSTOLOS: Non quod Apoſtolorum tempore condita ſit, aut illis æquè ac Symphoriano conſecrata, ſi bene judico, ſed forſan quòd primi Remorum Archiepiſcopi poſt perſecutiones à ſede Romana miſſi, quique regionis Belgicæ Apoſtoli dicebantur, Cathedram in ea habuerint. Vel certè quòd fruſtulum cujúſque Apoſtoli poſſideat, ſic enim tradunt Annales Mettenſes, S. Patientem tredecim particulas veſtimentorum eorumdem Apoſtolorum à Romana Eccleſia obtinuiſſe, ut ijs veluti ſacris ſupellectilibus ditata primaria ſuæ ſedis Baſilica, dignitate ceteras præcelleret. Huic conjecturæ concinunt ea quæ in quibuſdam Chronicis legimus & in Martyrologio ejuſdem Eccleſiæ 13. Calendas Septembris. *Anno 1104 dedicata eſt Eccleſia iſta ſecundò à Domino Milone Morinenſi Epiſcopo, repertis in altari diruto reliquijs Ss. duodecim Apoſtolorum: nam eodem anno domini Samſonis primo à duobus communionis nequam fautoribus, Simone ſcilicet & Alberico profanata, mundari neceſſariò indiguit &c.* quæ verba pariter in Obituario referuntur.

Tranſlata verò pontificali Cathedra cum Clero ab Eccleſia ſancti Symphoriani in Virginis Deiparæ, quam de novo in Urbis arce fundaverat beatus Nicaſius, ſub titulo Diaconiæ multos annos ſtetiſſe docet prolixius teſtamentum S. Remigij: *Diaconiæ*, inquit, *infra Vrbem quæ eſt ad Apoſtolos, ſolidos duos.* Cujus vocabuli etymon explicat Colvenerius poſt Onufrium, in Notis ad Flodoardum: *Diaconiæ à Diaconis dictæ, publicæ erant pauperum hoſpitales domus, quibus oratorium ſeu ſacellum adjunctum fuit, in quo à Diacono egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur.* Sed quicquid per id tempus fuerit, cum Baſilicæ nomine ſimplici dumtaxat vocabulo, in teſtamentis Sonnatij & Landonis deſignetur, ut & aliæ Urbis Baſilicæ, in quibus nullum exſtabat Canonicorum Collegium, altiſſimúmque poſt hac de ea ubique ſit ſilentium, non leve argumentum eſt, nullum in ea tunc exſtitiſſe, nec incœpiſſe uſque ad pontificatum Ebali, quem non propter aliquod ſcripturæ monimentum præ ceteris hic nomino; ſed quòd Archiepiſcoporum primus in Necrologio reperiatur, ex quo nonnihil conjectari licet, maximè cùm Gervaſius ibidem legatur altare de Columnis prope Attiniacum Canonicis contuliſſe anno 1060.

De Diaconijs egi ſuperiori tomo lib. 1. c. ultimo.

Vetuſtior charta quam viderim, & quæ Canonicorum diſertè meminit, eſt Manaſſis ſecundi cujus geſta proſequimur: nam cùm diſcordia inter eos & Regulares S. Dionyſij mota fuiſſet pro decima de Goherio prope villam

de

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An. 1106.*

de Champigny, Manasses Archiepiscopus eam amicè composuit certis sub conditionibus in charta appositis, ubi de prædictis Canonicis quasi jam dudum in Urbe stabilitis loquitur, cui subscripserunt viri diversarum societatum primarij, quorum nomina plurimùm lucis historiæ adferent, est autem hujusmodi.

„ EGo Manasses sanctæ Remensis Ecclesiæ, non meis meritis sed divinâ
„ gratiâ, qualiscúmque Archiepiscopus. Præsentibus posterîsque notum fie-
„ ri volo, inter Fratres nostros Canonicos sancti Symphoriani, sanctíque Dio-
„ nysij, scandalum fuisse ortum super decima de Goherio, Canonicis sancti
„ Symphoriani habere volentibus tertiam partem totius decimæ de Goherio
„ & de terris quæ ad Goherium pertinent, propter antiquam suam investitu-
„ ram : Canonicis verò sancti Dionysij, quia eadem decima infrà parochiam
„ de Campigniaco jaceret, contradicentibus. Causâ autem istâ in præsentia
„ nostra Fratrísque nostri Lamberti Atrebatensis Episcopi ventilatâ, est reco-
„ gnitum & juxta judicium personarum quæ aderant, per septem idoneos
„ testes legaliter derationatum, tertiam partem totius decimæ de Goherio
„ & de terris quæ ad Goherium pertinent, provenire sancto Symphoriano
„ ad thesaurum. Sed ne deinceps inter prædictas Ecclesias, pro decima illa
„ dissensio aliqua oriretur, communi præsentium personarum usus consilio,
„ Hugo Abbas sancti Dionysij & qui cum eo Fratres aderant, partem deci-
„ mæ quæ sancto Symphoriano provenit, ad hunc trecensum perpetuò ha-
Thesaurarius sancti Symphoriani. „ bendum acceperunt à Stephano tum temporis Thesaurario Ecclesiæ sancti
„ Symphoriani, quòd singulis annis, vel ante festivitatem, vel in ipsa festi-
„ vitate sancti Remigij, quæ Calendis Octob. celebratur, Ecclesia sancti
„ Dionysij solvat Thesaurario sancti Symphoriani quatuor sextarios annonæ,
„ duos de frumento, unum de sigilo, unum de tremise, & trecensus ille sol-
„ vatur in curia sancti Symphoriani canonicali mensura, quæ die dati trecen-
„ sus habebatur apud Campigniacum. Nos autem ne id aliquatenus permu-
„ tetur hac testamentali pagina & nostræ imaginis impressione & personarum
„ quæ interfuerunt subnotatione corroboravimus.

„ Signum Lamberti Atrebatensis Episc.
„ Signum Joranni Abbatis S. Nicasij.
„ Signum Gervasij Archidiaconi.
„ Signum Rodulfi Præpositi.
„ Signum Joffridi Decani.
Ecclesia St. Trinitatisque olim Militibus templi cessarat, nunc à Melitensibus occupatur. „ Sig. Bartholomæi Thesaurarij & Abb.
„ Signum Richeri Cantoris.
„ Signum Odalrici & Lamberti Presbyt.
„ Signum Raynaldi & Odalrici Diac.
„ Signum Isambardi, Ebali, Raimbaldi,
„ Goberti, Nicolai Subdiaconorum
„ Canonicorum sanctæ Mariæ.

„ Signum Deodati Decani.
„ Signum Simeonis, Ziberti, Gescelini
„ Presbyterorum.

Signum Remigij Cantoris.
Signum Dodonis, Eriberti Diaconor.
Signum Gavini, Odonis, Stephani, Harderici, Petri Subdiaconor. & Canonicor. sancti Symphoriani.

Signum Milonis Decani, Richeri, Olberti Canonicorum S. Trinitatis.

Signum Hugonis, Remigij, Albrici Canonicorum sancti Thimothei.

Signum Hugonis Ab..... S. Dionysij.
Signum Erlebaldi, Hilgaldi, Arnulfi, Erpionis, Stephani Canonicorum sancti Dionysij.

De Laicis.

„ Signum Erlandi Vicedomini.
„ Signum Vaucelini.
„ Signum Burdini de Vico-Judæorum.

Sign. Hugonis Majoris de Suburbio.
Signum Fainonis, Eriberti de Guter, Theoderici, Gelrici, Anseri.

„ Actum Remis anno incarnati Verbi 1103. Indict. XI. regnante Philippo
„ Francorum Rege anno 40. Archiepiscopatûs autem domini Manassæ anno 8.
„ Fulchradus Cancellarius scripsit & subscripsit.

Charta

Charta Rodulfi Viridis, Manaſſæ in Archiepiſcopatu ſucceſſoris, delibatis quæ ad prædictæ veteris Eccleſiæ dignitatem ſpectant, retenſitiſque altaribus, prædijs, & reditibus, quibus hac præſertim tempeſtate gaudebat, Decani juriſdictionem breviter attingit, Abbatis ibidem titulo inſigniti, quod illuſtrandis ejuſdem Collegij juribus edere juvabit, ſi priùs monuero Decanum ut Abbatis, ſic & Præpoſiti nomine, tam apud Alexandrum III. epiſt. 10. quàm in quibuſdam alijs reſcriptis & in Necrologio S. Martini Laudunenſis deſignari his verbis : XIV. *Kalend. Junij Vuerrici Præpoſiti beatorum Apoſtolorum & ſancti Symphoriani Remenſis, qui dedit nobis domum quam Remis habemus pro anniverſario.*

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1106.

Privilegium ſeu Charta Rodulphi Viridis.

RODulfus licèt indignus ſuperna diſponente clementia Remenſis Archiepiſcopus, Congregationi Ss. Apoſtolorum & S. Symphoriani, tam ijs quorum tempora noſtra præſentialis exſiſtentia attingit, quàm ijs quorum nos poſteritas ſubſecutura exſpectatur imperpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis effectu proſequente debet compleri..... Quamobrem nos poſtulationem dilectionis veſtræ benignè ſuſcipientes, poſtulatum vobis accommodamus effectum : veſtri itáque deſiderij petitionibus annuentes, Eccleſiam prænominatam, quæ epiſcopalis Cathedræ dignitatem, temporibus primorum novem Remenſium Pontificum habuiſſe dignoſcitur, in qua ad Deo ſerviendum attitulati eſtis, præſentis privilegij auctoritate munivimus, *univerſa* enim ad Eccleſiam veſtram pertinentia, vobis veſtriſque ſucceſſoribus perpetualiter tenenda confirmamus : videlicet manſum indominicatum de Guiſterio &c. Si quis verò de quolibet veſtro clamorem fecerit, nulli perſonæ licitum ſit, extra capitulum veſtrum in cauſa trahere, ſed in capitulo veſtro per Decanum vel per Abbatem veſtrum, juſtitiam exſequamini Canonicorum veſtrorum judicio. Prætereà quæcumque eadem Eccleſia impræſentiarum juſtè poſſidet &c. An. 1119.

Signum Odonis Abbatis S. Remigij.
Signum Hugonis Abbatis Altivillarienſis.
Sign. Harderici Abbatis Moſomenſis.
Signum Joffridi Abbatis S. Theoderici.
Signum Odonis Abbatis ſancti Petri Orbacenſis.
Signum Joranni Abbatis S Nicaſij.
Signum Odonis Abbatis S. Baſoli.
Signum Duranni Abbatis de Maurimonte.

Signum Urſionis Abbatis S. Dionyſij Canonicorum.
Signum Nicolai Archidiaconi.
Signum Ebali Præpoſiti.
Signum Joffridi Decani.
Signum Lamberti Cantoris.
Signum Gerardi, Liberti, Adæ Preſbyterorum.
Signum Fulcani, Ermerici, Tulchardi, Richardi Diaconorum.
Signum Simeonis, Thomæ, Rodulfi Subdiaconorum.

Actum Remis an. 1119. Indictione XI. regnante Ludovico glorioſiſſimo Francorum Rege anno 12. Archiepiſcopatus domini Rodulfi anno 13. Fulchradus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit ✠

Vuilelmus Cardinalis ſancivit modum lucrandi fructus præbendis ſacerdotalibus aſſignatos, an. 1185. Statuit quoque Albericus an. 1211. ut Capellani in ſubſidium admiſſi, celebrare poſſent Miſſam Canonicorum Sacerdotum, & ut Capitulum in eos omnimodam juriſdictionem haberet, excepto crimine & ſacrilegio. Decernuntur item ſub Petro Barbet an. 1280. annualia vacantium præbendarum per mortem, ad Canonicos Preſbyteros actualem reſidentiam facientes pertinere; unde patet quid juriſdictionis habeat in eos Archiepiſcopus, cujus eſt etiam eorum ſtatuta approbare, ut fecit Robertus de Courtenay an. 1306. & à quo præbendarum omnimoda

proviſio

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1106. provisio & collatio pendet. Canonici sic stabiliti in Ecclesia urbis olim principe, statuerunt chorum renovare à fundamentis sub Henrico Archiepiscopo, structura satis eleganti ac Remigiano pæne simili, qui per id quoque tempus ædificabatur, cúmque sumptus ad opus consummandum deficerent, rogârunt Archiantistitem Albericum, ut illis licitum esset generalem collectam facere per provinciam, quibus libenter annuit archiepiscopali rescripto, cujus tenor talis est.

An. 1209. *Albericus Dei gratiâ Remensis Archiepiscopus, venerabilibus Fratribus & amicis carissimis eâdem gratiâ Episcopis & dilectis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Presbyteris per universam provinciam constitutis &c. Sanè cùm specialis Filia nostra Ecclesia beatorum Apostolorum S. Symphoriani Remensis, miro & sumptuoso opere de novo cœperit ædificari; nec ad tanti operis consummationem propriæ supperant facultates, quantò dictam Ecclesiam sinceriori amplectimur affectu, tantò specialiùs latores præsentium ejusdem Ecclesiæ nuntios vestræ transmittimus & committimus caritati &c. Datum Remis mense Augusto an.* 1209. *Durent per annum.*

Structura chori utcúmque à Canonicis incœpta, ad finem optatum perducta est, in eáque pavimentum tessellatum visitur, Remigiano quidem antiquius, at rerum varietate quæ in eo repræsentantur & amplitudine impar omnino, videtúrque ante renovationem chori exstitisse. Ecclesia collegiata est & parochialis, Canonici chorum occupant habentque claustrum & capitulum. Altare parochianorum ad ingressum chori parte dextera positum fuit auctoritate Guidonis de Roya Archiepiscopi, qui & illud sollemniter consecravit die Pentecostes 22. Maij an. 1401. Indulgentiásque XL. dierum impertijt Ecclesiam in anniversario visitantibus, rum eâdem suis expensis restauratâ, missam singulis diebus summo mane in ipsius memoriam, addito aliquo honorario, à Canonico celebrari curat, ut habetur in Necrologio.

Sacrorum pignorum series quæ in Collegiata S. Symphoriani Basilica religiosè conservantur.

CAPUT XXI.

SUBJUNGAM hîc aliquot Sanctorum non vulgares exuvias, quas sub fideli testimonio in quinque capsulis possidet celebris hæc collegiata Ecclesia, quarum duæ supra majus altare, tres verò in absside Ecclesiæ decenter collocatæ sunt, juxta receptissimum Francorum morem ab Eginardo relatum, quò Fidelium venerationi faciliùs exhibeantur.

Prima continet partem corporis S. Bartholomæi Apostoli, qui in India Christi Evangelium prædicavit, vivúsque à barbaris excoriatus est, & duodecim ossicula ex singulis Apostolis, quæ ab Alberico Archiantistite recognita, in vasè argenteo cum debito honore reposita sunt anno 1215.

In secunda est corpus B. Merolilani Martyris, qui è Scotia Romam orationis gratiâ proficiscens, prope Axonam fluvium haud procul à civitate Remensi peremptus, in cœmeterio sancti Hilarij juxta portam Martis tumulatus est.

In tertia recondúntur Reliquiæ sancti Lucæ Evangelistæ, sancti Symphoriani Martyris, sancti Nicasij Archiepiscopi & sancti Georgij.

Quarta sibi vindicat partem corporis sancti Eufrasij, cum ossiculo de capite ejus, item de capite sancti Georgij Martyris, sancti Abâzel & sancti Fiacrij Confessoris.

In quinta

In quinta adſervantur Reliquiæ plurimorum Sanctorum quorum nomina ſunt in libro vitæ. MANASSES II. XLVI. ARCHIEP.

Oſtendunt item Canonici in Lypſanothecis argenteis quibus altare ſollemnioribus feſtis exornatur.

Particulas
- De Sepulcro Domini.
- De S. Sebaſtiano.
- De S. Fiacrio.
- De S. Thoma.
- De Brachio ſancti ..... Martyris.

Obtinuerunt etiam glorioſiſſimi Thadæi Apoſtoli Reliquias, qui ad Abagarum miſſus in Syria prædicavit Evangelium, ex Euſebio, & Beriti agonem conſummavit. Reliquias quoque ejuſdem Regis Abagari à venerabili Hugone Edeſſenæ urbis Archiepiſcopo, quæ cùm inter alias non numerentur, permixtas eſſe cum ceteris credi poteſt, ut ſequentes litteræ, ex autographis exſcriptæ, clariſſimè teſtificantur.

« R..... Dei gratiâ venerabili Remenſi Archiepiſcopo & Canonicis « Ss. Apoſtolorum & beati Symphoriani, Hugo eâdem gratiâ Edeſſenæ urbis « Archiepiſcopus: ſalutem & fraternam in Chriſto dilectionem. E..... Re- « gis Hieroſolymorum & veſter Capellanus, poſt captionem Comitis Joze- « lini cum prædicto Rege ad Edeſſam urbem veniens & quoſdam amicos « ſuos de partibus veſtris, honeſtos valde viros in Eccleſia veſtra reperiens, « conſilio cum illis habito ſuper Eccleſia Apoſtolorum & beati Sympho- « riani, in qua eum præfeciſtis, quæ etiam antiquitus ſedes exſtitit epiſco- « palis, & quòd nullum corpus nominati Sancti in ea jaceret illis intima- « vit, & quod petere vellet innotuit, & quòd devotè petijt re vera aſſecutus « eſt. Tandem itáque Deo volente & Rege coadjutore, ſed & noſtra per- « miſſione ab Eccleſia noſtra theſaurum recepit pretioſiſſimum, videlicet « Reliquias de ſancto Thaddæo Apoſtolo & ſancto Abagaro Rege & Confeſ- « ſore, quod ut verum eſſe credatis, teſtimonio noſtro & perſonarum Eccle- « ſiæ noſtræ, Gerardi Archidiaconi, Stephani Decani, atque Theſonis The- « ſaurarij confirmamus & ſigilli noſtri impreſſione ſignamus. Valete. «

His litteris appendet pluribus cum filis ſerici rubei, cui impreſſa eſt effigies archiepiſcopi cũ baculo ex uno latere, in altero verò legitur hæc latina circumſcriptio: Hugo Dei gratiâ Edeſſenæ Archiepiſcopus.

Aliud teſtimonum Hugonis de Cantu-Merulæ, quo probatur præfatos Canonicos, quædam pignora ſancti Symphoriani poſſidere.

« Univerſis præſentes litteras inſpecturis, nos Hugo de Cantu-Merulæ, « *An.* 1301. Miles domini Regis, Baillivus Kadrellenſis pro domino Comite Claromon- « tenſi, cuſtóſque ſigilli ejuſdem in prædicta Baillivia Kadrellenſi & in Ca- « ſtellania Cavæ-rupis conſtitutus, ſalutem in Domino. Noverint univerſi, « quòd nos ad inquiſitionem & inſtantiam dilecti conſanguinei noſtri, Ma- « giſtri Guillelmi de Perreciaco, Clerici Domini Regis, Canonici ſancti Sym- « phoriani Remenſis, attendentes quòd devotionem quam erga dictam Ec- « cleſiam ſancti Symphoriani habebat dictus Guillelmus, eidem de Reliquijs « ſancti Symphoriani, videlicet unum fruſtum de oſſibus dicti ſancti, ad opus « dictæ Eccleſiæ Remenſis conceſſimus & tradidimus, ſperantes quòd in dicta « Eccleſia meritis & interceſſione prædicti Martyris ſuffragante Domino « univerſa plebs Fidelium adjuvetur. In cujus rei teſtimonium præſens inſtru- « mentum prædicto Magiſtro Guillelmo tradidimus noſtro ſigillo roboratum. « Datum die Lunæ ante feſtum ſancti Michaelis Archangeli anno Domini « 1301. præſentibus Hugone Leoboldi de Paredo Preſbytero Notario publi- « co dictæ balliviæ, domno Guillelmo Choat Preſbytero & dicto Viant de « Chamberlin in præmiſſis vocatis & rogatis. «

Quarto Calendas Auguſt. Feſtum Tranſlationis Reliquiarum S. Symphoriani celebratur: ex Martyrolog. ejuſdem Eccleſiæ.

« *An.* 1225.

Sequens teſtimonium probat Canonicos cum præcedentibus gazis, etiam Reliquias beati Mauritij Martyris poſſediſſe.

« Viris venerabilibus & diſcretis Decano & Capitulo ſancti Symphoriani «

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An 1106

„ Remenſis, N..... ſanctæ Agaunenſis Eccleſiæ dictus Abbas & totius
„ ejuſdem loci conventus, ſalutem in auctore ſalutis. Ad preces & inſtantiam
„ dilecti & compatriotæ noſtri Vuillelmi Canonici noſtri, per eumdem de Re-
„ liquijs beati Mauritij ſociorúmque ejus portionem non moditam vobis
„ tranſmittimus, accepta ab eodem juratoria cautione, quòd eædem Reliquiæ
„ cum Reliquijs ſancti Symphoriani reponentur, vel in altari conſecrato
proprio in honore ſancti Mauritij recondentur. Datum anno gratiæ 1225. anno primo revelationis ſancti Mauritij quæ ſub VII. Cal. Nov.

Littera ſigillata ſunt cerâ in cauda pergamena cui infixa eſt effigies ſancti Mauritij.

De Schiſmate inter Rodulfum & Gervaſium pro Archiepiſcopatu Remenſi, & Ludovici VI. Aurelianis inauguratione.

CAPUT XXII.

SEDES VACAT. An. 1107.

PASCHALI Trecis in Gallia Concilium adunare meditanti, quò liberam Præſulum electionem aſſereret adverſùs Imperatorem & aliquot Principes, qui Eccleſiarum ſibi hac ætate inveſtituras, contra jus arrogabant, nunciatur Epiſcopium Remenſe per obitum Manaſſę ultimi poſſeſſoris vacare. Pontifex opportunam ſibi occaſionem adeſſe ratus devincendi Richardum Virdunenſis Eccleſiæ Archidiaconum, patruum Comitis de Grandi-prato & Balduini fratrem, qui nuper Martyr occubuerat in Turcia, inſigni hoc Præſulatu donandum cenſuit, ut ſic delinitus, ex Imperatoris fautore, fieret jurium Romanæ Eccleſiæ propugnator acerrimus. At hic cùm Albanenſis Epiſcopus Papæ Legatus & qui ejuſdem juſſu Richardum conſecrare advenerat, litteras ei pontificias porrixiſſet, partibus Imperatoris nimiùm adhærens, omnino eas acceptare renuit, prætulítque Virdunenſem Epiſcopatum, ſibi ob tale facinus ab Imperatore ſacrilego uſu oblatum. Paſchalis ſe à Richardo faſtiditum reputans, coram aſtantibus in Synodo diris eum devovit, ac exſecratus eſt his verbis: *Richardum Virdunenſem, qui ſe tradidit regiæ curiæ, nos tradidimus ſatanæ.*

In Galliam Paſchalis venit ſub finem anni 1107.

Ex Richardo de Vuaſſeb. in Hiſtoria Virdun erat is etiam Archidiaconus & Canonicus Laudunenſis.

Interea Remis Canonici, & quotquot de jure electioni intereſſe ſolebant ſuffragia dicturi, in duas factiones ſcindebantur; quidam Rodulfum Viridem majoris Eccleſiæ Præpoſitum, inſignis doctrinæ & probitatis virum nominant, quem Paſchalis è veſtigio, non exſpectato Regis conſenſu, confirmavit. Alij verò regiæ parti impenſè faventes, Gervaſium Hugonis Comitis Regiteſtenſis & Meleſindæ filium, Remenſis Eccleſiæ Archidiaconum eligunt, qui regali nixus auctoritate, Rodulfi intronizationi, Papa nequicquam interdictum minitante, ſeſe fortiter opponit. Pontifex nihilominus ſtat pro Rodulfo, quem Clerus ut legitimum ſuſcipit, Rex pro Gervaſio, & ſic duo ſunt Archiepiſcopi in Urbe, duæ factiones, ſingulis pro libidine hujus, vel alterius partem foventibus.

Albericus ad annum 1108.

Exſtat Gervaſij ad Paſchalem Epiſtola, quæ apud Papyrium Maſſonum lib. v. legitur cum hac inſcriptione.

Excellentiſſimo Patri Patrum & Epiſcoporum Epiſcopo Paſchali, Gervaſius dictus Epiſcopus: fidele ſervitium cum exiguitatis meæ orationibus..... Et poſt medium. *Dicant adverſarij quantumlibet me infidelem & rebellem magiſtratui veſtro, ego ſubjectionem meam vobis profiteor, & quicumque vobis illam negaverit, cujuslibet ordinis ſit, mihi communicare non poterit; quam ſine omnium reſpectu, ſuſpenſioni & interdictui veſtro conſervant,* (forte conſervamus) *non ſine magno damno Eccleſiarum noſtrarum, & noſtro. Impedivit quoque meum erga vos famulatum illa ſuſpenſio, &c.* Loquitur hîc de interdicto, quo

Simile quid refert de Galone Epiſcopo Bellovacenſi Ivo Carnoten. Et in Eccleſia Bituricenſi poſt mortem Alberici anno 1141. Rob. de Monte.

Digitized by Google

quo Pontifex Eccleſiam Remenſem graviter, fortitérque alligaverat, cujus meminit Ivo epiſt. 189. eo quòd ipſemet Gervaſius ſe velut canonicè electum, licèt invaſor, venditaret. SEDES VACAT. An. 1107.

Cùm hæc Remis agerentur, ferverétque inter cives pro Archiepiſcopatu diſcordia, graveſcere cœpit valetudo Philippi Regis, ſtatímque ſcilicet anno poſt abſolutionem à Lamberto Atrebatenſi Paſchalis vice impertitam, vivere deſijt apud Miledunum caſtrum, 24. Julij vel III. Cal. Auguſti an. 1108. ex fragmento hiſtoriæ Floriacenſis, & Chronico ſancti Petri Vivi, relictis Principibus in eum non mediocriter infenſis, & Regni ſtatu inteſtinis tumultibus perturbato. Nam Ludovicus Rex deſignatus, qui renunciari mox debuit, caſtellum de Gournay ſupra Maternam paullo ante expugnârat, Hugone de Pompona Caſtellano illud acriter defendente pro Comite de Rupeforti, magni nominis hoc ſæculo, cui favebant Theobaldus Bleſenſis, Comes Guido de Rupeforti, multíque alij nobiles; quorum copiæ per Campaniam Gallicam effuſæ vias intercludebant, ne Ludovicus è partibus Bituricenſium, ubi expugnato caſtello de Gournay convolârat, Remis more Majorum Regni infulas ſuſciperet. At is probè ſciens regalem unctionem legitimo heredi, ſi non jus ad Regnum, exteriori ſaltem ceremonia illud velut obſignare, ſtatuit ad refellendam impiorum machinationem, dictante potiſſimum Ivone Carnotenſi Epiſcopo, non Remis quidem, ob rationes in Ivonis epiſtola fuſiùs relatas; ſed Aurelianis inaugurari, quòd ab hac urbe haud procul abeſſet, ſtatímque Præſules, ut ibi quam citiſſimè adeſſent, convocavit.

Sugerius in vita Ludovici VI. cap. 13.

Chronicò Balduini Avennenſis refert Ludovicum VI. coronatum apud Noviodunum.

Die igitur ſancti Proto-martyris Stephani, præſto adfuit Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, cum Suffraganeis ſuis, Regémque Ludovicum, ut narrat Sugerius Abbas, *ſacratiſſimæ unctionis liquore delibutum diademate Regni coronavit.*

Vix poſt celebrationem divinorum feſtivas Rex depoſuerat exuvias, cùm à Remenſi Eccleſia Nuntij advolant, litteras auctoritate apoſtolica (ſi tempeſtivè veniſſent) ne regia fieret unctio interdicentes: dicebant ſiquidem, primæ Regis coronæ primitias ad jus Remenſis Eccleſiæ ſpectare, prærogativámque ſancti Remigij laboribus partam, qui Clodoveum baptizâſſet, nec impunè à quoquam hanc poſſe temerari, hac ſiquidem occaſione aut Archiepiſcopo ſuo venerabili, & emerito viro Viridi Rodulfo, qui graves Regis incurrerat inimicitias, quòd eo inconſulto electus fuiſſet, pacem ſe impetraturos, aut Regem non coronari ſperabant. At ſeriùs & peracta inauguratione advenientes, ibi muti, ad propria loquaces redierunt. Hæc paſſim Celtici Scriptores in Senonenſem nimiùm propenſi.

At qualiſcumque hæc repulſa fuerit, quam fictam exaggerant, Remenſium non ſic obtudit animos, quin palam & publicè graviter conqueſti fuerint de Senonenſi Archiepiſcopo, Paſchali repræſentantes privilegium Eccleſiæ Remenſis à ſancta Sede confirmatum, ſine graui ſuæ auctoritatis jactura & diſpendio convelli non poſſe.

Cùm ejuſmodi deſpectûs rumor ingraveſceret, Remenſibus reſpondendi injunctum ceteris qui Aureliani convenerant Epiſcopis, opus Ivo omnium longè doctiſſimus ſuſcipiens, epiſtolam apologeticam encyclicam conſcripſit, quâ argumentis à ratione, ab exemplis atque à rerum neceſſitate deductis, diſertè quidem, ſed non tam ex fide, ſi exempla excutias, docuit nihil eos ea in re adverſus conſuetudinem, aut legem peccaſſe: cùm & alioqui nullomodo tunc conveniret Regis conſecratio civitati Remenſi, tum ob periculum dilationis, tum quòd non ibi eſſet eo tempore legitimus Archiepiſcopus, & civitas, ob turbas ab intruſo excitatas ſub anathemate poſita eſſet. Quibus cognitis Paſchalis Papa, juribus S. R. E. pro inveſtituris præſertim intentus, & neceſſitati conſulens, acquieviſſe viſus eſt;

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1103.

„ Signum Drogonis Capellani mei. | Signum Milonis de Cerneio.
„ Signum Joffridi Dapiferi mei. | Signum Hontiani Præpositi &c.
„ Testes ex parte B. Remigij Domnus Archipræsul Radulfus, Domnus
„ Azenarius Abbas, Lambertus Decanus & omnis CONVENTUS FRATRUM. Bal-
„ duinus Dapifer, Erlandus Vicedominus, Hugo, Heribertus Pamfer &c.
„ Actum est hoc an. Verbi incarnati 1114. Regnante in Gallia nobilissimo
„ Rege Ludovico anno 6. Remis verò præsidente venerabili Radulpho Archi-
„ episcopo 7. anno.

Altare S. Quintini de Corbiniaco Remigianis datur, Ecclesia quoque S. Salvij Cluniacensibus, Manasse Archiepiscopo & Coepiscopis ad Synodum vocatis, consentientibus. Manassis obitus & Sepultura.

CAPUT XIX.

ORTA de altarium redemptione ac personarum ab Episcopis in eisdem substitutione in Concilio Claromontano controversiâ, egerunt apud summum Pontificem Urbanum Remigiani, ut benignè ab eis hoc onus excuteret, maximè verò circa altare sancti Quintini de Corbiniaco Laudunensis diœcesis, quod cùm liberum hoc à personis, ut & alia quædam altaria Pontifex declarasset his verbis: Canone VII. ***Altaria congregationis Clericorum vel Monachorum per personas data, mortuis personis libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum privilegia confirmata.*** Statim Episcopus Laudunensis hoc prætextu prædictum altare persona illud occupante mortua, jure sibi devolutum arbitrabatur; ita ut pro nutu de eo posset disponere. Conquerentibus apud Urbanum Monachis hanc ad Laudunensem Pontifex scripsit epistolam, quæ exstat apud Antonium Loisel, ex codice mss. & sic incipit.

„ Quantò familiariùs à Romana Ecclesia diligeris, tantò cariùs, quos ipsa
„ diligit fovere debueras, & amplecti. Idcirco ab infestatione Fratrum B.
„ Remigij Fraternitas tua cesset, & altare quod in villa, quæ Corbiniacus di-
„ citur ijdem Fratres habere noscuntur, eis restituat; etsi enim personas re-
„ movimus, non tamen antiquæ possessionis jus Monasteriis abstulimus, in illa
„ siquidem, personarum mutatione avaritiæ labes, renovationis..... ecclesiasti-
„ carum rerum distractio contingebat. Porro altaria quæ per quinquaginta seu
„ triginta annos Monasteria possederunt, sicut in Synodo constitutum est, im-
„ mota eis permanere volumus. Nullam igitur de cetero eisdem Fratribus de
„ supradicto altari molestiam inferas, salva tua episcopali justitia &c.

Annis aliquot elapsis Ingelramnus Laudunensis Episcopus ob amorem beatissimi Remigij, quem Laudunensis Ecclesiæ munificentissimum benefactorem disertissimis verbis agnoscit, prædictum altare de Corbiniaco Monachis perpetualiter sine persona tenendum, ut summus Pontifex decreverat, tradidit in manus Azenarij Abbatis, Manasse Concilium Remis in Ecclesia beatæ Mariæ celebrante, hac charta cui Episcopi ad Concilium evocati subsignarunt.

An. 1103.

„ IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Beatissimi Remigij Patris nostri
„ munificentia Laudunensem Ecclesiam honore sublimavit, possessionibus
„ ampliavit, & de corpore ipsius Remensis Ecclesiæ portionem uterinam con-
„ stituit & Sororem, beneficij autem ingratitudo indignos, & aliquando exper-
„ tes ipso fecit beneficio. Unde ego Ingelramnus gratia Dei Laudunensis Ec-
„ clesiæ Episcopus oblatæ opportunitati decrevi occurrere & Ecclesiæ glorio-
sissimi

sillimi Patris nostri Remigij quod ei opportunum & necessarium erat subrogare. Erat enim in Corbiniaco villâ ipsius beati Remigij, quoddam nostrum altare in honore sanctissimi Martyris Quintini, cujus decimæ rebus illius immixtæ, integritatem possessionis ejus videbantur mutilare & aliquando causa altercationis exsistere. Hoc quidem Ecclesia beati Remigij longo tempore per personas tenuerat, emanante autem apostolicæ Sedis sententia de ablatione hujusmodi personarum, ne earum subrogatio venditionis fieret occasio, suscep-tis precibus Domini Papæ & Patris nostri Manassæ, Concilium Remis in Ecclesia B. Mariæ celebrantis repetitis precibus tam ipsius, quàm Coepiscoporum nostrorum atque Abbatum, assensu nostri Cleri, præsertim fratris nostri Ebali Archidiaconi, tradidi prædictum altare sancti Quintini sancto Remigio in manu Abbatis sui Azenarij, perpetualiter sine persona tenendum, salvo tamen jure episcopali. Ut autem hæc efficientia, tam apud præsentes quam apud posteros integra illibataque permaneat, hoc privilegio confirmavimus, & altipulatione subscriptorum testium corroboratam reddidimus.

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1103.

Concil. Remense sub Manasse.

Signum Ingelramni Episcopi Laudunensis qui hoc privilegium fieri præcepit.
Signum Manassæ sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopi.
Signum Manassæ Suessionensis Episc.
Signum Hugonis Catalaunensis Episc.
Sig. Vualdrici Noviomensium Episc.
Signum Johannis Morinorum Episc.
Sig. Lamberti Atrebatensium Episcop.
Sig. Huberti Silvanectensium Episc.
Signum Azenarij Abbatis S. Remigij.
Signum ..... Altivillarensis Abbatis.
Sig. Radulfi Abbatis S. Theoderici.
Signum Lamberti Decani
Signum Hugonis Thesaurarij.
Signum Sigeberti Præpositi.
Signum Odonis.
Signum Adalberonis Abbatis sancti Vincentij.
Sig. Godefridi Abbatis Novigenti.
Sig. Ebali Laudunensis Archidiaconi.
Sig. Vuidonis Thesaurarij.
Signum Odonis Cantoris.

Actum Laudùni anno Incarn. dominicæ 1105. Indict. XI. Epacta XI. Concurrente III.

Ego Anselmus Cancellarius sanctæ Ecclesiæ Laudunensis relegi & subscripsi.

Ex Charta Ingelramni, & Episcoporum numero qui huic subscripsêre, omnibus innotescit coactum fuisse hoc anno Remis Concilium, licèt id quod in eo præsertim definitum est, omnino nos lateat, Opinor occasione hujus Synodi Balduinum Comitem Flandriæ & Idam matrem ejus, Christi patrimonium retinere immane delictum reputantes, Ecclesiam sancti Salvij in manus venerabilis Manassæ Cameracensis Episcopi deposuisse, ut eam Monasterio Cluniacensi perpetuò tenendam concederet, quod non præstitit modò, sed & altare sancti Gaugerij superaddidit, Remensi Archiepiscopo pias ejusmodi sanctiones approbante sequenti pagina, quam nonnulli Præsules adhuc Remis agentes suo calculo comprobârunt.

Balduinum Comitem Ecclesiam S. Salvij quam hereditario jure tenebat, deponit in manus Manassis Episcopi Cameracensis.

Privilegium domini Manassæ Remorum Archiepiscopi de Ecclesia S. Salvij in diœcesi Cameracensi prope Valentianas.

BAlduinus Comes & mater ejus Ida Ecclesiam S. Salvij jure hereditario possidebant, quam ab eis in beneficium Adelendis de Aldenarda tenebat, & enormitatem scelerum abhorrentes divini amoris respectu, ejus investituram in manus domini Manassæ tunc temporis Cameracensis Episcopi, ut eam S. Petro & Monasterio Cluniacensi largiretur, deposuerunt, quam obvijs manibus dominus Manasses suscepit, & eam Monasterio Cluniacensi cum

An. 1103.

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1103.

„ cum omnibus pertinentibus tenendam concessit. Contulit præterea idem „ Manasses ad prædictam S. Salvij Ecclesiam altare S. Gaugerij, & absque „ personarum successione, salvo jure episcopali æternaliter possidendam imper- „ tivit, ea tantùm religiosa pactione interposita, ut inde quotannis sub censu „ auri uncia, vel æquè valens precium Ecclesiæ Cameracensi usibus Canoni- „ corum in festivitate Lucæ Evangelistæ persolvatur.

Metropolita approbat donationes factas à suffraganeis.

„ Præfixas igitur sanctiones Monasterio Cluniacensi, tam de Ecclesia S. „ Salvij, quàm ad eamdem Ecclesiam de altari sancti Gaugerij factas ego Ma- „ nasses non meis meritis, sed superna dispensante gratia Remorum Archiepis- „ copus, ratas in perpetuum custodiri volens laudavi, atque auctoritatis nostræ „ paginâ approbavi: & ne in posterum contradicentium cavillationibus dissol- „ vatur, anathematis sententiâ, idoneis etiam testibus cum nostræ imaginis „ impressione roboravi.

„ Signum Manassæ Suessionensis Episc. | Signum Johannis Morinensis Episc.
„ Signum Lamberti Atrebatensis Episcopi. | Signum Gervasij Archidiaconi.
Signum Rodulfi Præpositi.

„ Actum Remis anno incarnati Verbi 1103. Indict. XI. regnante Francor. „ Rege Philippo anno 44. Archiepiscopatûs autem domini Manassæ IX. „ Fulchradus Cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

An. 1104. Philippus Rex corde compunctus ob excommunicationem à Vicarijs S. R. E. Pictavis in eum latam, qui & Regnum anathemati subdiderant, quòd ad pellicem redijsset, ut habet Fragmentum historiæ Francicæ, Legatos Romam direxit, spondens Papæ pariturum sibi in quibuscumque juberet, tantùm ut absolvi mereretur, qui & Richardum Albanensem Episcopum in Gallias mittit ad absolutionem Regi impertiendam. De cujus absolutionis modo scripsit ad Richardum Ivo Carnotensis, consulitque illi, ut alibi quàm Senonis fieret, ubi cuique licitum esset, libere proferre quod sentiret. & epist. 260. notum facit summo Pontifici Paschali plures Episcopos, tam Remensis quàm Senonensis Provinciæ invitatos à Richardo Albanensi, convenisse in quoddam municipium Aurelianensis Episcopatûs nomine Belgenciacum, nec tamen ob quasdam Episcoporum difficultates, in ea expressas, secutam esse absolutionem. Verùm paullopost Parisijs sollemniter peracta est, & quidem à Lamberto Atrebatensi Episcopo, si litteris quibusdam necdum editis credatur, apud Sirmundum.

Vide Ivonem epistola 42. ubi conqueritur quòd Hubertus Silvanectens. sine audientia fuerit à sua sede expulsus.

Guibertus vita sua lib. 3. cap. 2.

Meminit insuper ijsdem ad Richardum epistolis Ivo indicti ab eodem Legato Trecis Concilij, in quo ventilata causa Huberti Silvanectensis Episcopi falsò à malevolis apud Metropolitanum accusati de venditione sacrorum, nec tamen convicti, propter insufficientiam accusantium. In eo quoque sanctus Godefridus Abbas Novigenti, qui anno superiori Synodo Remensi interfuerat, creatur Episcopus Ambianensis, postquam sedes ferme biennio vacâsset, ex Guiberto; qui & ingenium & mores tanti Præsulis cursim tetigit, fusiùs verò & ex instituto Nicolaus Monachus Suessionensis, apud Surium. Huic Trecensi Concilio Manasses Archiepiscopus subscripsit non 1114. ut est apud Nicolaum Camuzat in Promptuario, cùm tunc esse desisset sed 1104. IV. Nonas Aprilis.

Hoc eodem anno idem Archiepiscopus rogatu Azenarij Abbatis consensit, ut Remigiani altare de Columnis absque personarum vicissitudine, ut hactenus cum eorum dispendio factum fuerat, possiderent, hac charta quæ hujus sæculi morem ac nocivas consuetudines luculenter exprimit.

An. 1104. „ IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Manasses dispensante superna „ gratia nomine, non exsecutione operum, Remorum Archiepiscopus &c. „ Considerantes altare de Columnis, quod Ecclesia sancti Remigij per succes-

sionem

fionem perſonarum hucuſque tenuerat, in mutatione perſonæ occaſione accepta, præfatum Monaſterium rerum ſuarum ſuſtinere diſpendium, interventu Abbatis Azenarij illud S. Remigio contulimus, abſque perſonarum viciſſitudine perpetuò tenendum &c. Ut hoc noſtræ conceſſionis edictum in poſterum inconcuſſum permaneat, probabilibus perſonis illud & noſtræ imaginis impreſſione roborari juſſimus.

Sig. Azenarij Abbatis ſancti Remigij.	Sig. Radulfi S. Theoderici Abbatis.
Signum Gervaſij Archidiaconi.	Signum Hugonis Abbatis Altivillarienſis.
Signum Ebali Archidiaconi.	
Signum Rodulfi Præpoſiti, &c.	Signum Joranni S. Nicaſij Abbatis.

Actum Remis an. 1104. Indict. XII. regnante Philippo Francorum Rege anno 41. Archiepiſcopatûs D. Manaſſæ anno 9.
Fulchradus Cancellarius ſcripſit.

Interea loci per Remenſes agros gravis Bellona furebat, iteratis excurſionibus tumultuoſi Baronis Ebali Roceiacenſis, & filij ejus Guiſchardi, ut ſupra vidimus, in quem Ludovicus Rex deſignatus haud ſemel aciem inſtruxit: at cum periculoſiora negotia hunc aliò vocarent, multis quæſtionibus actum de pace, eo celebri forſan conventu Remis indicto, quem notat Nicolaus Sueſſionenſis in vita S. Godefridi; at hæc brevis admodum fuit, cùm Sugerius periocham ſeptimam mox agat de obſidione Montis-acuti, & bellorum redintegrato ſtrepitu per Laudunenſem diœceſim.

Manaſſes ſuæ reſolutionis tempus imminere ſentiens, novo caritatis donativo amoris ſui teſſeram erga Francorum Apoſtolum coronare ſtatuit ſequenti tabula, in qua cùm ſancti Godefridi Ambianenſis Epiſcopi nomen inter ſubſcriptores emineat, eam hîc tranſcribere non erit otioſum.

Cùm præordinante quæ cuncta regit diſpenſatione ſuperna, quilibet mortalium &c. Qua propter ego Manaſſes Eccleſiæ Remenſis indignus Sacerdos, animadvertens Eccleſiam B. Remigij in mutatione perſonæ altaris de Condeto, rerum ſuarum diſpendium incurrere, hoc exterminare cupiens, cùm jam pietas ineffabili, adminiſtrationis noſtræ dies in undenum protraxiſſet annum, imminentem noſtræ reſolutionis articulum hac bona conſummatione terminare volens, altare ſupradictum Eccleſiæ B. Remigij abſque perſona tradidi, & perpetualiter conceſſi tenendum, hunc etiam largitionis noſtræ titulum probabilibus perſonis eſſe volumus approbatum, & imaginis noſtræ impreſſione roboratum.

Signum Godefridi Ambianenſis Epiſcopi.	Signum Ebali Archidiaconi.
	Signum Rodulfi Præpoſiti.
Signum Odonis Epiſcopi.	Signum Joffridi Decani.
Signum Azenarij Abbatis S. Remigij.	Signum Richeri Cantoris.
Signum Gervaſij Archidiaconi.	Signum Bartholomæi Theſaurarij.

Remis anno Incarnat. 1106. Indictione XIV. regnante Philippo Rege anno 47. Archiepiſcopatûs D. Manaſſæ an. XI.
Fulchradus Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit.

Quid tunc Remis ageret ſanctus Godefridus Ambianenſis, & an huc advenerat de Monachis S. Vuallarici conqueſturus ſub finem celebris Conventûs, quem retulit Nicolaus Sueſſionenſis non ſatis conſtat, cùm ferè omnes auctores celeberrimum hunc Procerum Galliæ Conventum remittant ad an. 1109. Manaſſe jam mortuo, quod optimè cum præcedentibus circumſtantijs non cohæret.

Exſtant apud Colvenerium Manaſſis Archiepiſcopi quædam epiſtolæ mſs. quarum duæ ſunt ad Lambertum Atrebatenſem Epiſcopum, tertia ad Primores, Clerum & populum Cameracenſem, ſed anni Pontificatus

“ MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1104.

“ Sed Manaſſes egerrimè ferens per dioeceſim certos ab ejus nomine viſſe circa altaria, qua in incrementum dotis Monaſteriorum data fuerant, ea deinceps impersonaliter tenenda conceſſit, ut nobis Rothgarius alter de Bazeno anno Pontificatus x. Ricaſianis alter de Betancurte cum duabus capellis de Burmacei-monte, &c. qua Otho filius Rogeri Comitis tenebat in Porcenſi territorio, anno 1106.

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1106.

ejusdem, quos ex Camusatio hausit idem auctor, protrahítque usque ad annum 1114. omnino corrigendi sunt, cùm ex chartis authenticis luce meridiana clariùs sit, Rodulfum incœpisse anno 1107. Arbitrantur nonnulli Manassen abdicato Archiepiscopatu apud Sandionysianos Remenses secessisse quod innuere videntur versus in tumba marmorea inscripti ante majus altare, ubi & effigies Archiepiscopi cum insignibus in eadem incisa hîc tumulatum ostendit.

Hic Manasses Remis regimen cum culmine nactus.
Post Sedi cedens, pauper de divite factus,
Hujus sponte loci normæ, legique subactus,
Hicque diu degens, mores bene rexit & actus.

Manassis id esse epitaphium fama est, qui clarissimorum virorum vestigia secutus, Brunonis scilicet & Odonis Castillonei, sub finem vitæ cum Adamo alijsque Remensis Ecclesiæ Canonicis, in claustrum se recepit, de quibus Necrologium Sandionysianum pluribus in locis, nominatim verò de prædicto Archiepiscopo sic loquitur: *Decimo quinto Kalendas Octob. obijt Manasses Remensis Archiepiscopus Canonicus noster, in cujus anniversario pauperes debent habere duos sextarios siliginis, & duos modios vini.*

De eodem sic habet Obituarium Remense: XIV. *Calend. Octob. Decessit bonæ memoriæ Manasses Remensis Archiepiscopus, qui dedit ad mensam* FRATRUM *quatuor altaria, unum de Monte-Sancti-Petri, alterum de Miliaco, tertium de Taxeio, quartum de Novâ-villa ad faciendum suum anniversarium.*

Anselmus de Ribodimonte qui in obsidione Archarum antequâ Ierusalem à Godefrido caperetur ingenti machina lapides torquẽte percussus interijt, cuncta quæ in obsidione Niceæ & quæ Romaniam Armeniamque pertagrando quæ denique Antiochiam, aggrediendo nostri peregerant, ad Manassem Archiepiscopum Remorum piæ memoriæ virum qui ante hoc decessit formè biennium semel ac secundò directis apicibus clarissimè patefecit. *Guib. de Novigent. lib. 6.* Gestorum Dei per Francos *cap. 8. Et sic diu degisse apud Sandionysianos Manasses non potuit, ut est in Epitaphio.*

Chronicon Remense refert Manassem obijsse anno 1106. quo Sandionysianis novem altaria imperpetuum ter tenenda concessit, anno Episcopatûs XI. *Indict.* XI. *regni Philippi Regis* 46.

Ecclesiæ Sancti Symphoriani Remensis primordia, Canonicorúmque in eadem institutio.

CAPUT XX.

CANONICORUM sancti Symphoriani Remensis initia hîc nobis discutienda proponimus, antiquitatis quidem decore conspicua, sed tot tenebris involutâ, ut certò sciri non possit erectionis nunc stantis collegij tempus, & quid dignum laude in eo factum. Nam licèt de Ecclesia, si traditionem spectes, nullum ferè dubium subsit, post luculentissimum Flodoardi testimonium, cùm multa sæcula præterierint, in quibus nec sodalitij vestigium, nec vir celebris in ea, nec titulus fundationis appareant, haud facilè dictu est, quem dignitatis gradum in Urbe retinuerit, post sedem Archiepiscopi aliò translatam, & an hæc eadem Clericorum Congregatio, aut certè pars ejusdem, quæ sub primis Archiepiscopis viguit ab incunabulis Christianismi, ad nos usque illæsa pervenerit. Pervolutis majori diligentia quâ potui diversarum Ecclesiarum chartophilacijs, omnino nihil mihi in tabulis earum occurrit ante quingentos sexaginta circiter annos quod lucem feneret; unde fit ut conjecturis necessariò utendum sit, quas hîc expositis priùs Ecclesiæ natalibus breviter expediam.

Qui sanctissimum Xistum Belgarum Apostolum Remos advenisse sub Constantio Constantini Magni Imperatoris patre opinantur, ut habent quædam Mss, prædictæ Ecclesiæ fundationem illi facilè attribuunt, nam sacra

æde

æde Protoantiſtes indiguit, in qua fideles verbo Dei paſceret, eíſque chriſtianæ Religionis ſacramenta miniſtraret, quod & ſucceſſores ejus in eadem præſtiterunt uſque ad B. Nicaſium. At cùm à vera temporum epocha hos penitus aberrare probaverim Hiſtoriæ meæ libro primo, ubi & quibus licuit rationibus oſtendi Eccleſiolam quæ nomine Xiſti inſignitur, primam omnino eſſe totius diœceſis, alium fundatorem admittere prorſus neceſſe eſt, Betauſium ſcilicet, qui pacatis perſecutionum fluctibus, ac orbi Chriſtiano pace reddita ad archiepiſcopale culmen aſſumptus, erectam à ſe Baſilicam in urbis meditullio, beato Symphoriano Auguſtoduni ſub Aureliano Imperatore agonem paſſo conſecravit. Hæc igitur civitatis Remenſis prima eſt, ubi Betauſius pedem fixit poſt reſtitutas ubique Cathedrales ſub Conſtantino; cúmque hæc dignitate præfulſerit ab anno 306. uſque ad Pontificatum S. Nicaſij, ſeptem Archiepiſcopi in ea, tanquam in omnium Matrice commorati ſunt, quamvis Rodulfus Viridis in charta ſtatim deſcribenda novem numeret; ſed præfatus Antiſtes forſan non obſervaverat, primis Archiepiſcopis vigente perſecutione, Oratorium aliud nullum exſtitiſſe præter id, in quo & tumulati ſunt. MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. An. 1106.

Prædictæ Eccleſiæ olim inditum nomen SANCTI SYMPHORIANI AD APOSTOLOS, vel BASILICÆ SANCTI SYMPHORIANI, QUÆ DICITUR AD APOSTOLOS: Non quod Apoſtolorum tempore condita ſit, aut illis æquè ac Symphoriano conſecrata, ſi bene judico, ſed forſan quòd primi Remorum Archiepiſcopi poſt perſecutiones à ſede Romana miſſi, quique regionis Belgicæ Apoſtoli dicebantur, Cathedram in ea habuerint. Vel certé quòd truſtulum cujúſque Apoſtoli poſſideat, ſic enim tradunt Annales Mettenſes, S. Patientem tredecim particulas veſtimentorum eorumdem Apoſtolorum à Romana Eccleſia obtinuiſſe, ut ijs veluti ſacris ſupellectilibus ditata primaria ſuæ ſedis Baſilica, dignitate ceteras præcelleret. Huic conjecturæ concinunt ea quæ in quibuſdam Chronicis legimus & in Martyrologio ejuſdem Eccleſiæ 13. Calendas Septembris. *Anno* 1104 *dedicata eſt Eccleſia iſta ſecundò à Domino Milone Morinenſi Epiſcopo, repertis in altari diruto reliquijs Ss. duodecim Apoſtolorum: nam eodem anno domini Samſonis primo à duobus communionis nequam fautoribus, Simone ſcilicet & Alberico profanata, mundari neceſſariò indiguit &c.* quæ verba pariter in Obituario referuntur.

Tranſlata verò pontificali Cathedra cum Clero ab Eccleſia ſancti Symphoriani in Virginis Deiparæ, quam de novo in Urbis arce fundaverat beatus Nicaſius, ſub titulo Diaconiæ multos annos ſtetiſſe docet prolixius teſtamentum S. Remigij: *Diaconiæ*, inquit, *infra Vrbem quæ eſt ad Apoſtolos, ſolidos duos.* Cujus vocabuli etymon explicat Colvenerius poſt Onufrium, in Notis ad Flodoardum: *Diaconiæ à Diaconis dictæ, publicæ erant pauperum hoſpitales domus, quibus oratorium ſeu ſacellum adjunctum fuit, in quo à Diacono egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur.* Sed quicquid per id tempus fuerit, cum Baſilicæ nomine ſimplici dumtaxat vocabulo, in teſtamentis Sonnatij & Landonis deſignetur, ut & aliæ Urbis Baſilicæ, in quibus nullum exſtabat Canonicorum Collegium, altiſſimúmque poſt hac de ea ubique ſit ſilentium, non leve argumentum eſt, nullum in ea tunc exſtitiſſe, nec incœpiſſe uſque ad pontificatum Ebali, quem non propter aliquod ſcripturæ monimentum præ ceteris hic nomino; ſed quòd Archiepiſcoporum primus in Necrologio reperiatur, ex quo nonnihil conjectari licet, maximè cùm Gervaſius ibidem legatur altare de Columnis prope Attiniacum Canonicis contuliſſe anno 1060.

De Diaconijs egi ſuperiori tomo lib. 1. c. ultimo.

Vetuſtior charta quam viderim, & quæ Canonicorum diſertè meminit, eſt Manaſſis ſecundi cujus geſta proſequimur: nam cùm diſcordia inter eos & Regulares S. Dionyſij mota fuiſſet pro decima de Goherio prope villam de

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An. 1103.*

de Champigny, Manasses Archiepiscopus eam amicè composuit certis sub conditionibus in charta appositis, ubi de prædictis Canonicis quasi jam dudum in Urbe stabilitis loquitur, cui subscripserunt viri diversarum societatum primarij, quorum nomina plurimùm lucis historiæ adferent, est autem hujusmodi.

„ EGo Manasses sanctæ Remensis Ecclesiæ, non meis meritis sed divinâ
„ gratiâ, qualiscúmque Archiepiscopus. Præsentibus posterîsque notum fie-
„ ri volo, inter Fratres nostros Canonicos sancti Symphoriani, sanctique Dio-
„ nysij, scandalum fuisse ortum super decima de Goherio, Canonicis sancti
„ Symphoriani habere volentibus tertiam partem totius decimæ de Goherio
„ & de terris quæ ad Goherium pertinent, propter antiquam suam investitu-
„ ram : Canonicis verò sancti Dionysij, quia eadem decima infra parochiam
„ de Campigniaco jaceret, contradicentibus. Causâ autem istâ in præsentia
„ nostra Fratrísque nostri Lamberti Atrebatensis Episcopi ventilatâ, est reco-
„ gnitum & juxta judicium personarum quæ aderant, per septem idoneos
„ testes legaliter derationatum, tertiam partem totius decimæ de Goherio
„ & de terris quæ ad Goherium pertinent, provenire sancto Symphoriano
„ ad thesaurum. Sed ne deinceps inter prædictas Ecclesias, pro decima illa
„ dissensio aliqua oriretur, communi præsentium personarum usus consilio,
„ Hugo Abbas sancti Dionysij & qui cum eo Fratres aderant, partem deci-
„ mæ quæ sancto Symphoriano provenit, ad hunc trecensum perpetuò ha-
Thesaurarius sancti Symphoriani. „ bendum acceperunt à Stephano tum temporis Thesaurario Ecclesiæ sancti
„ Symphoriani, quòd singulis annis, vel ante festivitatem, vel in ipsa festi-
„ vitate sancti Remigij, quæ Calendis Octob. celebratur, Ecclesia sancti
„ Dionysij solvat Thesaurario sancti Symphoriani quatuor sextarios annonæ,
„ duos de frumento, unum de sigilo, unum de tremise, & trecensus ille sol-
„ vatur in curia sancti Symphoriani canonicali mensura, quæ die dati tre cen-
„ sus habebatur apud Campigniacum. Nos autem ne id aliquatenus permu-
„ tetur hac testamentali pagina & nostræ imaginis impressione & personarum
„ quæ interfuerunt subnotatione corroboravimus.

„ Signum Lamberti Atrebatensis Episc. | Signum Remigij Cantoris.
„ Signum Joranni Abbatis S. Nicasij. | Signum Dodonis, Eriberti Diaconor.
„ Signum Gervasij Archidiaconi. | Signum Gavini, Odonis, Stephani,
„ Signum Rodulfi Præpositi. | Harderici, Petri Subdiaconor. &
„ Signum Joffridi Decani. | Canonicor. sancti Symphoriani.
Ecclesia St. Trinitatinquondam Militibus templi cessavit, nunc à Melitensibus occupatur. „ Sig. Bartholomæi Thesaurarij & Abb.
„ Signum Richeri Cantoris. | Signum Milonis Decani, Richeri,
„ Signum Odalrici & Lamberti Presbyt. | Olberti Canonicorum S. Trinitatis.
„ Signum Raynaldi & Odalrici Diac.
„ Signum Isambardi, Ebali, Raimbaldi, | Signum Hugonis, Remigij, Albrici
„ Goberti, Nicolai Subdiaconorum | Canonicorum sancti Thimothei.
„ Canonicorum sanctæ Mariæ.
| Signum Hugonis Ab..... S. Dionysij.
„ Signum Deodati Decani. | Signum Erlebaldi, Hilgaldi, Arnulfi,
„ Signum Simeonis, Ziberti, Gelcelini | Erpionis, Stephani Canonicorum
„ Presbyterorum. | sancti Dionysij.
„

De Laicis.

„ Signum Erlandi Vicedomini. | Sign. Hugonis Majoris de Suburbio.
„ Signum Vaucelini. | Signum Fainonis, Eriberti de Guter,
„ Signum Burdini de Vico-Judæorum. | Theoderici, Gelrici, Anseri.
„

„ Actum Remis anno incarnati Verbi 1103. Indict. XI. regnante Philippo
„ Francorum Rege anno 40. Archiepiscopatûs autem domini Manassæ anno 8.
„ Fulchradus Cancellarius scripsit & subscripsit.

Charta

Charta Rodulfi Viridis, Manaſſæ in Archiepiſcopatu ſucceſſoris, delibatis quæ ad prædictæ veteris Eccleſiæ dignitatem ſpectant, recenſitiſque altaribus, prædijs, & reditibus, quibus hac præſertim tempeſtate gaudebat, Decani juriſdictionem breviter attingit, Abbatis ibidem titulo inſigniti, quod illuſtrandis ejuſdem Collegij juribus edere juvabit, ſi prius monuero Decanum ut Abbatis, ſic & Præpoſiti nomine, tam apud Alexandrum III. epiſt. 10. quàm in quibuſdam alijs reſcriptis & in Necrologio S. Martini Laudunenſis deſignari his verbis: XIV. *Kalend. Junij Vuerrici Præpoſiti beatorum Apoſtolorum & ſancti Symphoriani Remenſis, qui dedit nobis domum quam Remis habemus pro anniverſario.*

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1106.

Privilegium ſeu Charta Rodulphi Viridis.

RODulfus licèt indignus ſuperna diſponente clementia Remenſis Archiepiſcopus, Congregationi Ss. Apoſtolorum & S. Symphoriani, tam ijs quorum tempora noſtra præſentialis exſiſtentia attingit, quàm ijs quorum nos poſteritas ſubſecutura exſpectatur imperpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis effectu proſequente debet compleri..... Quamobrem nos poſtulationem dilectionis veſtræ benignè ſuſcipientes, poſtulatum vobis accommodamus effectum: veſtri itáque deſiderij petitionibus annuentes, Eccleſiam prænominatam, quæ epiſcopalis Cathedræ dignitatem, temporibus primorum novem Remenſium Pontificum habuiſſe dignoſcitur, in qua ad Deo ſeruiendum attitulati eſtis, præſentis privilegij auctoritate munivimus, univerſa enim ad Eccleſiam veſtram pertinentia, vobis veſtriſque ſucceſſoribus perpetualiter tenenda confirmamus: videlicet manſum indominicatum de Guiſterio &c. Si quis verò de quolibet veſtro clamorem fecerit, nulli perſonæ licitum ſit, extra capitulum veſtrum in cauſa trahere, ſed in capitulo veſtro per Decanum vel per Abbatem veſtrum, juſtitiam exſequamini Canonicorum veſtrorum judicio. Prætereà quæcumque eadem Eccleſia impræſentiarum juſtè poſſidet &c. *An.* 1119.

Signum Odonis Abbatis S. Remigij.
Signum Hugonis Abbatis Altivillarienſis.
Sign. Harderici Abbatis Moſomenſis.
Signum Joffridi Abbatis S. Theoderici.
Signum Odonis Abbatis ſancti Petri Orbacenſis.
Signum Joranni Abbatis S Nicaſij.
Signum Odonis Abbatis S. Baſoli.
Signum Duranni Abbatis de Maurimonte.

Signum Urſionis Abbatis S. Dionyſij
Canonicorum.
Signum Nicolai Archidiaconi.
Signum Ebali Præpoſiti.
Signum Joffridi Decani.
Signum Lamberti Cantoris.
Signum Gerardi, Liberti, Adæ Preſbyterorum.
Signum Fulcani, Ermerici, Tulchardi, Richardi Diaconorum.
Signum Simeonis, Thomæ, Rodulfi Subdiaconorum.

Actum Remis an. 1119. Indictione XI. regnante Ludovico glorioſiſſimo Francorum Rege anno 12. Archiepiſcopatus domini Rodulfi anno 13.
Fulchradus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit ✠

Vuilelmus Cardinalis ſancivit modum lucrandi fructus præbendis ſacerdotalibus aſſignatos, an. 1185. Statuit quoque Albericus an. 1211. ut Capellani in ſubſidium admiſſi, celebrare poſſent Miſſam Canonicorum Sacerdotum, & ut Capitulum in eos omnimodam juriſdictionem haberet, excepto crimine & ſacrilegio. Decernuntur item ſub Petro Barbet an. 1280. annualia vacantium præbendarum per mortem, ad Canonicos Preſbyteros actualem reſidentiam facientes pertinere; unde patet quid juriſdictionis habeat in eos Archiepiſcopus, cujus eſt etiam eorum ſtatuta approbare, ut fecit Robertus de Courtenay an. 1306. & à quo præbendarum omnimoda proviſio

MANASSES II. XLVI. ARCHIEP. *An.* 1106.

provisio & collatio pendet. Canonici sic stabiliti in Ecclesia urbis olim principe, statuerunt chorum renovare à fundamentis sub Henrico Archiepiscopo, structura satis eleganti ac Remigiano pæne simili, qui per id quoque tempus ædificabatur, cúmque sumptus ad opus consummandum deficerent; rogârunt Archiantistitem Albericum, ut illis licitum esset generalem collectam facere per provinciam, quibus libenter annuit archiepiscopali rescripto, cujus tenor talis est.

An. 1209. *Albericus Dei gratiâ Remensis Archiepiscopus, venerabilibus Fratribus & amicis carissimis eâdem gratiâ Episcopis & dilectis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Presbyteris per universam provinciam constitutis &c. Sanè cùm specialis Filia nostra Ecclesia beatorum Apostolorum S. Symphoriani Remensis, miro & sumptuoso opere de novo cœperit ædificari; nec ad tanti operis consummationem propriæ suppetant facultates, quantò dictam Ecclesiam sinceriori amplectimur affectu, tantò specialiùs laiores præsentium ejusdem Ecclesiæ nuntios vestræ transmittimus & commitimus caritati &c. Datum Remis mense Augusto an.* 1209. *Durent per annum.*

Structura chori utcúmque à Canonicis incœpta, ad finem optatum perducta est, in eáque pavimentum tessellatum visitur, Remigiano quidem antiquius, at rerum varietate quæ in eo repræsentantur & amplitudine impar omnino, videtúrque ante renovationem chori exstitisse. Ecclesia collegiata est & parochialis, Canonici chorum occupant habentque claustrum & capitulum. Altare parochianorum ad ingressum chori parte dextera positum fuit auctoritate Guidonis de Roya Archiepiscopi, qui & illud sollemniter consecravit die Pentecostes 22. Maij an. 1401. Indulgentiasque XL. dierum impertijt Ecclesiam in anniversario visitantibus, tum eâdem suis expensis restauratâ, missam singulis diebus summo mane in ipsius memoriam, addito aliquo honorario, à Canonico celebrari curat, ut habetur in Necrologio.

Sacrorum pignorum series quæ in Collegiata S. Symphoriani Basilica religiosè conservantur.

CAPUT XXI.

SUBJUNGAM hîc aliquot Sanctorum non vulgares exuvias, quas sub fideli testimonio in quinque capsulis possidet celebris hæc collegita Ecclesia, quarum duæ supra majus altare, tres verò in absside Ecclesiæ decenter collocatæ sunt, juxta receptissimum Francorum morem ab Eginardo relatum, quò Fidelium venerationi faciliùs exhibeantur.

Prima continet partem corporis S. Bartholomæi Apostoli, qui in India Christi Evangelium prædicavit, vivúsque à barbaris excoriatus est, & duodecim ossicula ex singulis Apostolis, quæ ab Alberico Archiantistite recognita, in vase argenteo cum debito honore reposita sunt anno 1215.

In secunda est corpus B. Merolilani Martyris, qui è Scotia Romam orationis gratiâ proficiscens, prope Axonam fluvium haud procul à civitate Remensi peremptus, in cœmeterio sancti Hilarij juxta portam Martis tumulatus est.

In tertia recorduntur Reliquiæ sancti Lucæ Evangelistæ, sancti Symphoriani Martyris, sancti Nicasij Archiepiscopi & sancti Georgij.

Quarta sibi vindicat partem corporis sancti Eufrasij, cum ossiculo de capite ejus, item de capite sancti Georgij Martyris, sancti Abazel & sancti Piacrij Confessoris.

In quinta

In quinta adſervantur Reliquiæ plurimorum Sanctorum quorum nomina ſunt in libro vitæ. MANASSES II. XLVI. ARCHIEP.

Oſtendunt item Canonici in Lypſanothecis argenteis quibus altare ſollemnioribus feſtis exornatur.

Particulas
- De Sepulcro Domini.
- De S. Sebaſtiano.
- De S. Fiacrio.
- De S. Thoma.
- De Brachio ſancti ..... Martyris.

Obtinuerunt etiam glorioſiſſimi Thadæi Apoſtoli Reliquias, qui ad Abagarum miſſus in Syria prædicavit Evangelium, ex Euſebio, & Beriti agonem conſummavit. Reliquias quoque ejuſdem Regis Abagari à venerabili Hugone Edeſſenæ urbis Archiepiſcopo, quæ cùm inter alias non numerentur, permixtas eſſe cum ceteris credi poteſt, ut ſequentes litteræ, ex autographis exſcriptæ, clariſſimè teſtificantur.

R..... Dei gratiâ venerabili Remenſi Archiepiſcopo & Canonicis « Ss. Apoſtolorum & beati Symphoriani, Hugo eâdem gratiâ Edeſſenæ urbis « Archiepiſcopus: ſalutem & fraternam in Chriſto dilectionem. E..... Re- « gis Hieroſolymorum & veſter Capellanus, poſt captionem Comitis Joze- « lini cum prædicto Rege ad Edeſſam urbem veniens & quoſdam amicos « ſuos de partibus veſtris, honeſtos valde viros in Eccleſia veſtra reperiens, « conſilio cum illis habito ſuper Eccleſia Apoſtolorum & beati Sympho- « riani, in qua eum præfeciſtis, quæ etiam antiquitus ſedes exſtitit epiſco- « palis, & quòd nullum corpus nominati Sancti in ea jaceret illis intima- « vit, & quod petere vellet innotuit, & quòd devotè petijt re vera aſſecutus « eſt. Tandem itáque Deo volente & Rege coadjutore, ſed & noſtra per- « miſſione ab Eccleſia noſtra theſaurum recepit pretioſiſſimum, videlicet « Reliquias de ſancto Thaddæo Apoſtolo & ſancto Abagaro Rege & Confeſ- « ſore, quod ut verum eſſe credatis, teſtimonio noſtro & perſonarum Eccle- « ſiæ noſtræ, Gerardi Archidiaconi, Stephani Decani, atque Theſonis The- « ſaurarij confirmamus & ſigilli noſtri impreſſione ſignamus. Valete. «

His litteris appendet plumbum cum filis ſericeis rubeis, cui impreſſa eſt effigies archiepiſcopi cum baculo ex uno latere, in altero verò legitur hac latina circumſcriptio: Hugo Dei gratiâ Edeſſenæ Archiepiſcopus.

Aliud teſtimonum Hugonis de Cantu-Merulæ, quo probatur præfatos Canonicos, quædam pignora ſancti Symphoriani poſſidere.

Univerſis præſentes litteras inſpecturis, nos Hugo de Cantu-Merulæ, « *An.* 1301.
Miles domini Regis, Baillivus Kadrellenſis pro domino Comite Claromon- «
tenſi, cuſtóſque ſigilli ejuſdem in prædicta Baillivia Kadrellenſi & in Ca- «
ſtellania Cavæ-rupis conſtitutus, ſalutem in Domino. Noverint univerſi, «
quòd nos ad inquiſitionem & inſtantiam dilecti conſanguinei noſtri, Ma- «
giſtri Guillelmi de Perreciaco, Clerici Domini Regis, Canonici ſancti Sym- «
phoriani Remenſis, attendentes quòd devotionem quam erga dictam Ec- «
cleſiam ſancti Symphoriani habebat dictus Guillelmus, eidem de Reliquijs «
ſancti Symphoriani, videlicet unum fruſtum de oſſibus dicti ſancti, ad opus « *Quarto Calendas Auguſt. Feſtum Tranſlationis Reliquiarum S. Symphoriani celebratur: ex Martyrolog. ejuſdem Eccleſiæ.*
dictæ Eccleſiæ Remenſis conceſſimus & tradidimus, ſperantes quòd in dicta «
Eccleſia meritis & interceſſione prædicti Martyris ſuffragante Domino «
univerſa plebs Fidelium adjuvetur. In cujus rei teſtimonium præſens inſtru- «
mentum prædicto Magiſtro Guillelmo tradidimus noſtro ſigillo roboratum. «
Datum die Lunæ ante feſtum ſancti Michaelis Archangeli anno Domini «
1301. præſentibus Hugone Leoboldi de Paredo Preſbytero Notario publi- «
co dictæ balliviæ, domno Guillelmo Choat Preſbytero & dicto Viant de «
Chamberlin in præmiſſis vocatis & rogatis. « *An.* 1225.

Sequens teſtimonium probat Canonicos cum præcedentibus gazis, etiam Reliquias beati Mauritij Martyris poſſediſſe.

Viris venerabilibus & diſcretis Decano & Capitulo ſancti Symphoriani «

quo Pontifex Eccleſiam Remenſem graviter, fortitérque alligaverat, cujus meminit Ivo epiſt. 189. eo quòd ipſemet Gervaſius ſe velut canonicè electum, licèt invaſor, venditaret. SEDES VACAT. An. 1107.

Cùm hæc Remis agerentur, ferverétque inter cives pro Archiepiſcopatu diſcordia, graveſcere cœpit valetudo Philippi Regis, ſtatímque ſcilicet anno poſt abſolutionem à Lamberto Atrebatenſi Paſchalis vice impertitam, vivere deſijt apud Miledunum caſtrum, 24. Julij vel III. Cal. Auguſti an. 1108. ex fragmento hiſtoriæ Floriacenſis, & Chronico ſancti Petri Vivi, relictis Principibus in eum non mediocriter infenſis, & Regni ſtatu inteſtinis tumultibus perturbato. Nam Ludovicus Rex deſignatus, qui renunciari mox debuit, caſtellum de Gournay ſupra Maternam paullo ante expugnârat, Hugone de Pompona Caſtellano illud acriter defendente pro Comite de Rupeforti, magni nominis hoc ſæculo, cui favebant Theobaldus Bleſenſis, Comes Guido de Rupeforti, multíque alij nobiles; quorum copiæ per Campaniam Gallicam effuſæ vias intercludebant, ne Ludovicus è partibus Bituricenſium, ubi expugnato caſtello de Gournay convolârat, Remis more Majorum Regni inſulas ſuſciperet. At is probè ſciens regalem unctionem legitimo heredi, ſi non jus ad Regnum, exteriori ſaltem ceremonia illud velut obſignare, ſtatuit ad refellendam impiorum machinationem, dictante potiſſimum Ivone Carnotenſi Epiſcopo, non Remis quidem, ob rationes in Ivonis epiſtola fuſiùs relatas; ſed Aurelianis inaugurari, quòd ab hac urbe haud procul abeſſet, ſtatímque Præſules, ut ibi quam citiſſimè adeſſent, convocavit.

Sugerius in vita Ludovici VI. cap. 13.

Die igitur ſancti Proto-martyris Stephani, præſto adfuit Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, cum Suffraganeis ſuis, Regémque Ludovicum, ut narrat Sugerius Abbas, ***ſacratiſſima unctionis liquore delibutum diademate Regni coronavit.***

Chronicò Balduini Avennenſis refert Ludovicum VI. coronatum apud Novidunum.

Vix poſt celebrationem divinorum feſtivas Rex depoſuerat exuvias, cùm à Remenſi Eccleſia Nuntij advolant, litteras auctoritate apoſtolica (ſi tempeſtivè veniſſent) ne regia fieret unctio interdicentes: dicebant ſiquidem, primæ Regis coronæ primitias ad jus Remenſis Eccleſiæ ſpectare, prærogativámque ſancti Remigij laboribus partam, qui Clodoveum baptizâſſet, nec impunè à quoquam hanc poſſe temerari, hac ſiquidem occaſione aut Archiepiſcopo ſuo venerabili, & emerito viro Viridi Rodulfo, qui graves Regis incurrerat inimicitias, quòd eo inconſulto electus fuiſſet, pacem ſe impetraturos, aut Regem non coronari ſperabant. At ſeriùs & peracta inauguratione advenientes, ibi muti, ad propria loquaces redierunt. Hæc paſſim Celtici Scriptores in Senonenſem nimiùm propenſi.

At qualiſcumque hæc repulſa fuerit, quam fictam exaggerant, Remenſium non ſic obtudit animos, quin palam & publicè graviter conqueſti fuerint de Senonenſi Archiepiſcopo, Paſchali repræſentantes privilegium Eccleſiæ Remenſis à ſancta Sede confirmatum, ſine graui ſuæ auctoritatis jactura & diſpendio convelli non poſſe.

Cùm ejuſmodi deſpectûs rumor ingraveſceret, Remenſibus reſpondendi injunctum ceteris qui Aureliani convenerant Epiſcopis, opus Ivo omnium longè doctiſſimus ſuſcipiens, epiſtolam apologeticam encyclicam conſcripſit, quâ argumentis à ratione, ab exemplis atque à rerum neceſſitate deductis, diſertè quidem, ſed non tam ex fide, ſi exempla excutias, docuit nihil eos ea in re adverſus conſuetudinem, aut legem peccaſſe: cùm & alioqui nullomodo tunc conveniret Regis conſecratio civitati Remenſi, tum ob periculum dilationis, tum quòd non ibi eſſet eo tempore legitimus Archiepiſcopus, & civitas, ob turbas ab intruſo excitatas ſub anathemate poſita eſſet. Quibus cognitis Paſchalis Papa, juribus S. R. E. pro inveſtituris præſertim intentus, & neceſſitati conſulens, acquieviſſe viſus eſt;

SEDES VACAT. *An.* 1107.

cùm ejus commonitio ulteriùs progreſſa non ſit, nec Ivonis ut conſuevit, defenſio fortiùs inculcata. Veriſimile eſt etiam deploratum Remenſis Eccleſiæ ſtatum audacioribus ſilentium impoſuiſſe, præſertim cùm Ivonis operâ, qui auctoritate pollebat apud Regem, tunc maximè indigerent pro Rodulfo Viridi, quem Paſchalis Papa in Concilio Trecenſi ordinaverat, ex Alberico: & ob egregias animi dotes Archiepiſcopatu pacificè frui, boni omnes ſummopere cupiebant. Nec ſpes eos fefellit, nam idem Ivo Eccleſiæ Remenſi alioquin infenſus, epiſt. 83. ad prædictum Rodulfum, quâ ei perſeverantem in tribulatione patientiam optat, certiorem eum facit, ſe pro pace Eccleſiæ Remenſis & ſua nonmodò Regem humiliter & fideliter interpellaſſe; ſed & ſuo tempore efficaciter interceſſurum, ut expulſo invaſore Gervaſio, ipſe tanquam legitimus Electus introduceretur, quod & præſtitit, ea tamen conditione, ***ut ipſe per manum & ſacramentum illam fidelitatem Regi faceret***, quam antea eius predeceſſoribus Regibus feciſſe perhiberentur omnes Archiepiſcopi Remenſes ut latiùs patebit ex ipſius Ivonis ad Paſchalem Pontificem epiſt. quæ eſt 206.

Emerſerat enim tunc gravis controverſia de fidelitate præſtanda à Miniſtris Eccleſiæ, ipſoque homine cumque de Sacramento clientela ab eodem Rodulpho Regi præſtando ageretur, quamvis Getuiſſet Gregorius VII. Urbanus II. & Paſchalis II. excommunicationum pœnâ adjecta, ne Epiſcopi hominio, ſed tantùm fidelitate ſe Regibus aſtringerent: Rodulfum Gervaſio pulſo Sedi ſuæ reſtitui aliter non potuit, quam hominio præſtito, exemplo majorum ut dictum Ivo indicat epiſtola 206. Godefridus Vindocinenſis tractatu de Ordinatione Epiſcoporum *adverſus Henricum IV. Imp ſinodali judicio Epiſcopor.* Non poſſe dari per virgam, vel per anulum à laica manu.

Paſchali ſummo Pontifici, Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis Miniſter: dilectionem filij, & obedientiam per cuncta ſubjecti.

„ NOtum eſſe volumus Excellentiæ veſtræ, quia ego & domnus Theo-
„ baldus beati Martini Pariſienſis Prior, audientes miſerabilem & mi-
„ rabilem Remenſis Eccleſiæ deſolationem, auſu familiaritatis opportu-
„ nè & importunè Regem Francorum interpellavimus, quatinus prædictæ
„ Eccleſiæ, expulſo invaſore Gervaſio, pacem reſtitueret, & dominum
„ Rodulfum ejuſdem Eccleſiæ Metropolitanum in gratiam ſuam recep-
„ tum, eidem Eccleſiæ præeſſe concederet. Adquievit tandem precibus
„ noſtris & conceſſit ut eum ad curiam ſuam, quæ Aurelianis in Natali
„ Domini congreganda erat, ſecurè adduceremus, & ibi cum eo & cum
„ Principibus Regni de hoc negotio, quantùm fieri poſſet ſalva Regni in-
„ tegritate, tractaremus. Factum eſt ut condictum erat, & convenien-
„ tes in curiam multiplicatis interceſſoribus petitionem noſtram ſemel &
„ ſæpius replicavimus: ſed reclamante Curia plenariam pacem impetrare
„ nequivimus, niſi prædictus Metropolitanus, ***Per manum & ſacramentum*** eam
„ fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum
„ antea fecerant omnes Remenſes Archiepiſcopi, & ceteri Regni Francorum
„ quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi. Quod perſuadentibus & impellen-
„ tibus totius curiæ Optimatibus, etſi propter mandatorum rigorem minùs
„ licebat, factum eſt tamen, quia eccleſiaſticæ paci, & fraternæ dilectioni
„ ſic expediebat: cùm enim plenitudo legis ſit caritas, in hoc legibus ob-
„ temperandum eſſe credimus, in quo caritatis opus impletum eſſe cogno-
„ vimus. Petimus ergo flexis genibus cordis, ut hoc eodem intuitu caritatis
„ & pacis veniale habeat paterna moderatio, quòd illicitum facit non
„ æterna lex, ſed intentione acquirendæ libertatis præſidentium ſolâ pro-
„ hibitio, &c.

Ivo petit auctoritate apoſtolica diſpenſari, quòd prædicta fidelitatis exhibitio ſit adverſus decreta Pontificum.

Rodulfus

Digitized by Google

Rodulfus præstita Regi per manum & sacramentum fidelitate, se palam & libere Archiepiscopum inscribit.

CAPUT XXIII.

Paschalis Papa Trecis celebrat Concilium, ubi Gervasius Comitis Rogitelt. filius deponitur, & Rodulfus substituitur. *Alberic. an. 1108.*

RODULFUS igitur pacificè tandem Archiepiscopatu potitus est post exhibitum fidelitatis sacramentum, non quidem anno 1119. ut scribit Robertus de Monte, qui complures post se in errorem induxit sed 1109. cùm verisimile non sit; schisma inter eum & Gervasium plusquam tres annos perseveràsse, ex chartis authenticis quibus patet hoc anno altaria & immunitates pleno jure Monasterijs contuliſſe. Instar omnium sit hæc Nicasiana, qua pariter innotescit Ludovicum VI. anno 1108. Regnum inchoasse.

Charta Rodulfi Archiepiscopi, quâ Nicasianis dat altaria de Clerrone & de Luniaco imperſonaliter tenenda, altare quoque de Branzoniscurte ad Thesaurum pro luminaribus Ecclesiæ.

PAstoralis curà quam Deo disponente susceepimus, nos indesinenter admonet oppressis subvenire, & quibuslibet anxietatibus attritis compassionis manum porrigere. Ego itáque Rodulfus Remensis Ecclesiæ indignus Sacerdos, considerans Fratres qui in Monasterio sancti Nicasi Martyris degunt die noctúque Deo desudantes plurimis angi necessitatibus, altaria subtus annotata ob meorum remissionem scilicet peccatorum, eorum usibus contuli, & suppositarum testimoniis personarum perpetuò imperſonaliter tenenda concessi; altare videlicet de Clerrone, & altare de Luniaco, altare etiam de Branzoniscurte, quod ad Thesaurum ad concinnanda luminaria Monasterij esse decrevi, hoc ita permanere adstipulatione imaginis nostræ firmavi. 1109. *Datur altare imperſonaliter tenèdum.*

Signum Fulconis Archidiaconi.
Signum Ebali Præpositi.
Signum Bartholomæi Thesaurarij.
Signum Elberti.
Signum Lamberti, Odonis Presbyterorum, &c.

Actum Remis an. incarnati Verbi 1109. Indict. III. regnante Ludovico Rege Francor. an. II. Archiepiscopatûs domni Rodulfi an. III.

Eodem anno idem venerabilis Rodulfus Vuidonis Archiepiscopi vestigijs insistens, qui rogatu B. Leonis Papæ liberratem mercati Remigianis indulserat secus burgum sancti Remigij, immunitatémque à cœna, quam ijdem Monachi bis in anno exhibere solebant Remorum Archiepiscopis, authentico instrumento cui præter Fulconem Archidiaconum, Ebalum Præpositum, subscripsêre ex laicis tamquam testes, Erlandus Vicedominus, Balderamnus Dapifer, Herbertus Judex & Panetarius, Dudo Pincerna, Constantius, Hugo, Theodoricus Scabini, anno Incarnat. 1109. Indict. III. regnante Ludovico anno II. Archiepiscopatûs Rodulfi an. III. quo extinctum omnino erat schisma pro Archiepiscopatu, ut patet ex pluribus alijs chartis, quas hîc attexere operæ pretium non est. Juvat tamen chartæ fundationis Prioratûs de Ruminiaco saltem initium referre, quod ita se habet.

Rodulfus

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1109.

Rodulfus SOLA MISERATIONE DIVINA *Remenſis Archiepiſcopus ann.* 1112. cui Gervaſius qui Rodulfo hactenus reſtiterat, Archidiaconatûs dignitate, quâ prius potiebatur, reſumpta, Archidiaconi titulo ſubſcripſit, quem tamen abdicavit, factus poſtea Comes Regiteſtenſis poſt obitum fratrum, ut vidimus. At mirum videri poteſt, cur Rodulfus hîc & in chartis infra citandis hac exceptione utatur, *Ad Remenſis Eccleſiæ culmen* SOLA PIETATE DIVINA *provectus*, poſt toſt exantlatos labores pro Archiepiſcopatu, & fidelitatem Regi ſolemniter præſtitam eo tenore, quem Ivo epiſtolâ ſuperiùs relatâ deſcripſit.

Opinor Paſchalem hunc modum Epiſcopatus recipiendi à Rege per annum & ſacramentum non probâſſe, qui ad hæreſim de inveſtituris revera nonnihil accedebat, nec ſatis intelligi poteſt, cur Ivo fidenter eum conſuluerit, *quaſi abſque ullo læſæ religionis crimine fieri poſſet*, cùm prius propter quid ſimile, graviter ab Urbano correptus fuerit, cujus iræ pondus non ferens, eò deſperationis adactus eſt, ut Epiſcopatum deſerere petitâ à Pontifice licentiâ ſtatuerit. At Rodulfus ut hoc à ſe crimen penitùs exueret eo præſertim tempore, quo collectis per totam Europam Synodis, Henriciana hæreſis ab omnibus ferè Orthodoxis exploſa eſt, & anathematis telo percuſſa, hanc ſuis diplomatibus particulam ſapienter appoſuit ab anno poſtea IIII. ut adhuc poſtea videbimus.

Ipſe ſiquidem Ivo Epiſcopus factus fuerat Virga Paſtoralis a Philippo Rege conceſſa, ut ipſe fatetur epiſt. 8.

Rodulfus in ſede Remenſi perfectè ſtabilitus, Matthæum Canonicum, Albanenſem poſtea Epiſcopum Romam miſit, cum Godefrido Ambianenſi per eos erga Sedem apoſtolicam fidele obſequium, ac ſinceram ſubjectionem exhibiturus. Hinc Matthæus, *venerabilis Remorum Archiepiſcopi Legatus* inſcribitur in vita ſancti Hugonis Cluniacenſis, ubi & ab auctore narratur, Godefrido in Italia exſiſtenti obitûs diem prædicti Hugonis divinitus revelatum fuiſſe, quem ſocio itineris mox notificavit; quòd anno 1109. contigiſſe neceſſe eſt, cùm B. Hugo apud Cluniacum, ut poſtea patuit, tertio Cal. Maij eodem anno ad cœleſtem vitam abierit, ex Orderico Vitali. Prædicti itineris epocha aliquot maximi nominis viros eò impulit, ut celeberrimum Procerum Galliæ Conventum, cujus meminit Nicolaus Sueſſionenſis, ad annum pariter 1109. remiſerint, ubi beatus Godefridus falſitatis arguit diploma apoſtolicum, quo ſe tueri & eximere conabantur Sanvalaricenſes Monachi à ſubjectione Ambianenſis Epiſcopi, ſed qua fide, non hic diſputo, nec vacat, cùm totam hanc hiſtoriam velut ſpuriam & ſuppoſititiam egregiè per partes excuſſerint ſollertiſſimi antiquitatis indagatores RR. PP. Lucas Acherius & Robertus Quatremarius Benedictini, mirantúrque tot ſummæ eruditionis viros in ea cæcutiſſe, cùm nullus per id temporis Conventus talis legatur in Chartophilacio Remenſi; ut verò probabilitatis aliquid prædicta Epiſcopi Ambianenſis cum Sanvalaricenſi Abbate, pro Eccleſiæ juribus diſceptatio recipiat, horúmque Remos primùm, tum Romam profectio credatur, ad annum potiùs 1106. remittenda eſt, ut ſupra monui, & ante obitum Manaſſæ.

Nicolaus Monachus apud Surium lib. 1. cap. 9. & 10.

Anno 1110. Cal. Octob. Rodulfus Archiep. Concilio Floriacenſi interfuit cũ Daimberto Senonenſi: *Chron. S. Petri vivi.*

Pacatis omnibus, poſt teſtatam hanc Paſchali ſubjectionem & Regi præſtitum ſacramentum, Rodulfus maximam curam impendit in diœceſi optimè gubernanda, eradicandíſque noxijs doctrinæ ſeminibus, quæ ſenſim pullulârant circa matrimonia illicitè, ac præter formam ab Eccleſia præſcriptam contracta, ſeparationéſque ſpecie adulterij, aut levi quodam alio prætextu toleratas; cúmque aliàs in dignitate Præpoſiti Eccleſiæ Remenſis conſtitutus, Ivonem de hac præſertim materia conſuluiſſet, nunc ad culmen Pontificij evectus, petijt ab eo utrum mulier quæ poſt completa ſacramenta, & officia nuptiarum infra duos aut tres menſes peperiſſe cognoſcitur, debeant propterea fœdera nuptiarum in conjugio manere,

Epiſt. 183.

Digitized by Google

manere, an propter patratum ante nuptias flagitium, matrimonij dignitatem amittere, cùm Lex Moſis jubeat hujuſmodi lapidari. Inquirit etiam de conſanguinitate quæ dicebatur eſſe inter filium Comitis Flandrenſis & filiam Redonenſis Comitis, cui pariter ſatisfecit Ivo epiſt. 212. gradu conſanguinitatis diſcuſſo per computationem genealogiæ. At epiſt. 254. quæ eſt ad Rodulfum, commendat ei negotium cujuſdam Canonici B. Quintini qui cùm ſororem haberet conjugatam & per conjecturas dumtaxat ſuſpectam de adulterio, nec teſtibus ſatis convictam, maritus tamen ejus thorum conjugij relinquere ſtatuebat. Quod audiens pater mulieris, voluit filiam ſuam coram judicibus non modò ſe de objecto crimine jurejurando purgare, ſed inſuper præcipiti voluntate addidit examinatione candentis ferri paratam eſſe comprobare, ſe numquam fuiſſe cum prædicto viro, de quo orta eſſet tam flagitioſa ſuſpicio. Ventilata tali cauſa coram eccleſiaſticis Judicibus, quidam ejuſmodi examinationem reprobabant, alij verò permitti poſſe cenſebant ex juxta cauſa, cùm humana præſertim deſunt teſtimonia. Ivo quid circa illud ſentiat aperit, monétque Archiepiſcopum, ut quod novit prudentia ſua, in hoc litigio perficiat, & in omni propoſito ſibi negotio.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1110. *Epiſt.* 212. & 254.

De ignitis ferri examinatione nonnulla habet Iuretus ad calcem Ivonis, ubi & conſecrationis aquæ calidæ formulam antiquam prodit ex Aventino.

Gualdricus Laudunenſis Epiſcopus à civibus ob Communiam ab eo abrogatam interficitur, ejus obſequia celebrat Rodulfus Remenſis Archiepiſcopus.

CAPUT XXIV.

EXTINCTO apud Laudunenſes Ingelramno Præſule, qui Herebaldo ſucceſſerat, cujus non meminit Guibertus, de ſubrogando in ejus locum Epiſcopo ſerio agitur: quidam è Clero ambitione, alij muneribus ad eum ardenter inhiabant. At his non ſine ludibrio repulſis, elaborante potiſſimum Ingelramno de Boves, Clericîſque ſuo malo admittentibus, cùm Sedes biennio vacâſſet, eligitur Gualdricus Anglorum Regis Referendarius, vir nullius litteraturæ, ſi Guiberto credatur, levis admodum, moribus turbidus, quique ſacri Ordinis quippiam nihil hactenus præter Clericatum exceperat. *An.* 1111.

Receptus Lauduni cum pompa, eo tempore quo Remorum ſedes pariter vacabat, Romam ad Pontificem pergere ſtatuit, ſumptis ſecum præter aliquos ex Urbis Clero, Adalberone ſancti Vincentij, Ribodimontenſi, & Novigentino Abbatibus, itérque ſuſcipiens per Lingonas, comperit Paſchalem Pontificem (dudum ab urbe digreſſum) ab hac diœceſi haud procul abeſſe. Subſtitit paullulum Gualdricus, donec hic Divionem appuliſſet, quem Clerici Laudunenſes mox conveniunt, vitam ac mores ſui Electi totiúſque Urbis votum precéſque pro eo expoſituri, horúmque omnium producto teſtimoniali libello, Gualdricus ſit voti compos, infuláſque Laudunenſes à Pontifice obtinet: tum ſacramento apud ſanctum Rufum Avenione dato, prognoſticóque ſat triſti ex textu Evangelij, ut tunc moris erat, exhibito, Laudunum revertitur, ubi poſt tres ferme ſuæ ordinationis annos (quod futurum erat) cruenta cæde Gerardi cujuſdam nobilis palam innotuit, qui cùm de Epiſcopo liberiùs neſcio quid evulgâſſet, tantâ intumuit iracundiâ, ut exitium ei clam quæſiſſe quidam referant; cùm tamen ante necem ne conſcius haberetur, Romam iterum conceſſiſſet circa feſtum S. Martini.

Gerardus Cariſienſis vulgo de Cherify vel Crecy.

Cæde

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* IIII.

Cæde igitur Gerardi in ipsâ matrice Laudunensi Ecclesia, cùm oratum fuisset, à Roricone Episcopi fratre, & quibusdam alijs fœdè patrata, cujus sanguis supra pavimentum respersus, aquâ multoties perfusâ vix ablui poterat, redijt solito lætior Gualdricus ab Urbe, sigillis & apicibus apostolicis armatus, providítque Ecclesiam tam nefario casu pollutam priùs ex officio reconciliari, accito ad hoc Huberto Silvanectensi Episcopo, qui nuper ob simoniæ labem exauctoratus fuerat. Audiens tamen sibi à Rege, tanquam suspecto Urbis aditum interdici, Ingelramno, & uxore ejus comitatus, temerariâ nimis audaciâ minitatus est, se ingressurum in eam succenturiatum militaribus alis: verùm saniore usus consilio, amicorum ope, munerum quoque aggestu, pace cum Rege composita, postquam apud sanctum Nicolaum de Saltu, inter Missarum sollemnia Gerardi interfectores diris devovisset, Laudunum pacificè regreditur.

Loquitur ad Papam Gualdricus & adulantibus donis tantam hujus facinoris suspicionẽ à se depellit: *Guib. Vita sua lib. 3. cap. 5.*

Haud ita post Gualdrico ad Regem Anglorum profecto, Galterus Archidiaconus, Guido & è primoribus plures novum facinus, nec ingratum populo excogitant, apud quem furta & homicidia passim, & impunè etiam à ditioribus urbis agerentur; quò enim liberiùs hi & securiùs à singulis pecunias exprimerent, Communionis faciendæ licentiam pollicentur, si eorum votis satisfecerint.

Communia vel Communio quid.

Communio novum ac pessimum nomen, inquit Guibertus, ***sic se habet, ut capite censi omnes solitum servitutis debitum dominis semel in anno solvant, & si quod contra jus deliquerint pensione legali emendent. Cetera censuum exactiones, quæ servis infligi solent, omnimodis vacent***, hac se redimendi populus occasione susceptâ, maximos tot avarorum hiatibus obstruendis argenti aggeres obdiderunt. Facta cum Clero & proceribus mutui adjutorij conjuratione, ab Anglis remeans Episcopus in hujus novitatis auctores graviter incanduit, diúque latens inter eum & Gualterum Archidiaconum, vel ob eam rem simultas exoritur, quæ nihilominus, quòd secretorum is esset particeps, mox compressa est, spondétque palam se Communionis jura eò libentiùs servaturum, quòd similem apud Noviomenses & Sanquintinianos Rex non ita pridem jurejurando firmâsset. At confestim Præsul suæ promissionis immemor, languet circa inexplebilem cupiditatem, factíque pœnitens cives velut emancipatos ad consueta onera reducere conatur. Perversius etiam tunc quiddam aliud accidit: monetæ percussores spe scelus suum tegendi, tanta falsitate eam corruperunt, denarijs ex ære vilissimo confectis, quos in momento pravis artibus micantiores argento faciebant, ut brevi ad summam indigentiam populus misere prolapsus sit.

Communia Noviomensib. & Sanquintinensib. indulta ante Laudunensem.

Guibertus lib. 3. vita sua cap. 7.

Episcopus cùm ejusmodi malo mederi non posset, Ambianenses obolos corruptissimum quoddam genus, in Urbe aliquamdiu cursuros instituit, tandémque necessitate pressus sui temporis, percussuram erexit cum Præsulis effigie ferulam pastoralem gestantis, quæ clam ab omnibus tanto cachinno despecta est, quasi impuriore qualibet moneta vilior exsisteret. His accessit non minùs inauditum facinus quòd multorum invidiam traxit; Gerardus quidam Major, an Decanus rusticorum ignoratur, cùm pronior esset in Thomam Ingelramni filium, virum omnium hac ætate nequissimum, quique turbas in vicinia concitabat, Episcopus eum primò satis acerbè corripuit, tum intra episcopale palatium custodiæ traditum, ope cujusdam Æthiopis, oculos ab eo noctu jussit avelli. Quæ res prioris Gerardi necem non modò refricat, sed & ad summum Pontificem delata, Gualdrici famam omnino fœdavit: unde mox ab officio velut membrorum truncator suspenditur, & quòd censurâ innodatus Ecclesiam consecrâsset, tanquam contumax Romam vocatur; at Pontificem deceptorijs verbis & adulatorijs sic delinivit, ut resumpta auctoritate ad propriam urbem sit remissus.

Gualdricus vix Laudunum redierat, cùm de abroganda Communia consilium init eodem die quo Azelinus olim, ut superiùs dixi, Regem prodiderat

derat, in ídque muneribus Ludovicum VI. armis quidem ſtrenuum, at corruptis avaritiâ non ſatis infenſum ſic flexit, ut ſpretis ſacramentis quæ palam ediderat, in priorem modum Urbis jura reſtitueret. Ruptis igitur Communitatis prædictæ fœderibus, tantus furor burgenſium corda corripuit, ut omnes officiales munia ſua deſererent, cerdonum ac ſutorum tabernulæ clauderentur, nec venale quippiam ullibi adeſſet, cùm nihil reſidui, dominis prædantibus, ſperaretur; ab Epiſcopo ſiquidem & Proceribus per Urbem ſeveriùs tributa exiguntur, nec diei Paraſceves parcitum, quin ad abradendas pauperum ſubſtantias avaritia vacaret. At horum rabies ſenſim irritata in necem Epiſcopi, dato invicem ſacramento, feraliter conſpirant: cúmque feriâ quintâ poſt Paſcha de exigendis pecunijs, cum Galtero Archidiacono ferventiùs agerent, ecce per urbem tumultus increpuit, *Communia* acriter inclamantium: tum per mediam B. Mariæ Baſilicam intrantes conjurati, illíque omnes quibus libertas ſervitio potior, enſibus, clavis, arcubus & furcis armati, quaſi agmine facto in curiam pontificalem magno ſtrepitu irrumpunt. Proceres rei novitate perculſi ad Epiſcopum, cui præſidium juraverant, undecúmque concurrunt, quidam ſeſe opponunt generoſè, alij proſternuntur, Epiſcopus etiam cum paucis ſibi opitulantibus, jactibus lapidum, ſagittarúmque ictibus quoad potuit, repugnavit; at deſperatos plebis aſſultus ferre non valens, ſumpta mancipij ſui veſte cellarium Eccleſiæ citiſſimè intrans, intra parvam apothecam tremebundus ſe abſcondit. Teutgaudus ex ferocioribus Communiæ Laudunenſis ſingula perſcrutans vaſa, ſubſtitit in fronte tonnulæ, quâ latebat Epiſcopus, retruſóque obice capillis eum extrahit, multíſque pertuſum ictibus ſub divo in clauſtri clericalis angiportu tranſeuntibus exponit. Cúmque lugubri hoc ſtatu, ut ſibi liceret è patria ſalvus egredi, lacrymabiliter poſtularet, Bernardus de Bruerijs elevata bipenni ſacrum, quamvis peccatoris, verticem truculenter exterebrat, qui cùm pæne exanimis inter tenentium manus laberetur, ab altero per axillas trajectus ſpiritum exhalavit. Acta ſunt hæc feriâ ſextâ Paſchali 3. Cal. Maij anno 1112.

Rodulfus. XLVII. Archiep.

An. 1111.

Laudunenſis Communia à Rege abrogetur.

Populi Laudunenſis ob abrogatâ Communiam tumultus.

Gualdricus Epiſcopus interficitur.

Dici non poteſt quibus ſannis exceptum cadaver fuerit, quidam ſupparum lacerant, alij epomidem, tibias alij excidunt, avariores digitum, quò anulus extrahi poſſet, gladio obtruncant, ſicque expoliatum in platea beſtijs relinquant expoſitum; cùm ſubinde ex domo Theſaurarij proſèrpere viſus eſt ignis, quo tumultuante adhuc multitudine cathedralis Eccleſia, palatium epiſcopale, Monialium S. Johannis Phrontiſterium, cum novem Eccleſijs ex vicinia appendentibus ſuccenduntur.

In craſtino cùm nullus eſſet qui jacens Epiſcopi cadaver ſine jactu aut probro præteriret, Magiſter Anſelmus ab hujus tragœdiæ auctoribus vix obtinuit, ut illud tumulari ſinerent, rogatúque ejus defertur ad S. Vincentij Ædem ſine exſequiarum pompa, vel officio, quod Chriſtiano ſaltem ex plebe competeret, donec dominus Rodulfus Remorum Archiepiſcopus Laudunum venit, Eccleſiam reconciliaturus; tunc enim accedens ad S. Vincentium, ſollemnes tunc primùm pro Epiſcopo, aliíſque Proceribus ſeditioſorum gladijs obtruncatis, egit Miſſas. Cùm multi ab eorum nece præterfluxiſſent dies, tranſlatíſque eorum corporibus in meliùs quantum licuit, cum maximo affinium ac parentum dolore, inter Miſſarum apparatus ſermonem habuit de peſſimo Communiarum abuſu, quibus contra id omne quod juſtum eſt, ſervi à dominorum jure violenter ſe ſubſtrahunt: *Servi*, inquit « Apoſtolus, *ſubditi eſtote in omni timore dominis.* Et ne ſervi cauſentur du- « ritiam, & avaritiam dominorum adhuc audiant, *Et non tantùm bonis &* « *modeſtis, ſed & diſcolis.* Planè in authenticis Canonicibus damnantur ana- « themate, qui ſervos dominis religionis cauſâ docuerint inobedire, aut « quovis ſubterfugere, nedum reſiſtere. «

Archiepiſcopus Remenſis inter Miſſarum ſollemnia cavet à Communia deblaterat.

1. *Petri* 2. *v.* 18.

Guib. lib 3. *de vita ſua cap.* 10.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1112.

Hæc Guibertus Abbas de Novigento horum omnium teſtis oculatus, qui etſi multa quidem ex fide, nonnihil tamen ſupra fidem de Gualdrico paullo liberiùs inſeruit; quî enim fieri poſſet, ut non modò ſummum Eccleſiæ Hierarcham & Cardinales, ſed & Francorum Regem, Proceres quoque Regni, ac Urbis primarios donis corruperit, quavis occaſione, ut veritatem ſuſdéque haberent: quaſi verò Epiſcopus ille immenſis Crœſi opibus affluxiſſet. Sugerius Guiberto ſuppar Gualdricum venerabilem Eccleſiæ defenſorem nuncupat, aitque viros inferorum gehennâ dignos, qui nobiles civitatis ferè omnes, *eo quòd vera fide ſuffragari domino ſuo innitebantur Epiſcopo, occaſione juſſu Regis amiſſæ Communiæ, tam cauſâ quam pœnâ* cum eo *martyriſaverunt.* Unde qui ſuperfuêre poſt necem, in Epitaphio quod proſtat ante altare S. Benedicti in Æde Vincentiana, hoc elogio Gualdricum nobilitârunt.

Sugerius in Vita Lud. VI. cap. 21.

Cujus hîc effictum proſpectas marmore vultum,
Vulgi, quod fœtet, proditione jacet.
Fructus, amórque gregis, utriuſque modeſtia legis,
Vivere dum licuit, Vualdricus ipſe fuit.
Præſul prudentis ſuper alta negotia mentis,
Eccleſiæ clypeus, ſit ſuus inde Deus.
Heu tua quam triſti traduntur corpora morti!
Cui polus aptatur, vix tibi terra datur.
Paſtorem jugulavit ovis, quem fle pie civis,
Tu quoque qui tranſis, fle fera fata necis.

Exacto immani cruciatu Gualdrico, datur Laudunenſibus à Rege nulla electione præmiſſa Hugo Decanus Aurelianenſis, qui paucis præfuit annis quo decedente eligitur Bartholomæus Remenſis Eccleſiæ Canonicus & Theſaurarius, tam generis nobilitate, quàm & morum probitate in tota provincia famoſiſſimus, cujus genealogiam texuit Hermannus *Miraculorum B. Mariæ Laudunenſis lib.* 1. ubi è Fulcone de Jur in Burgundia Principe, & Adeladâ Comitis Hilduini filiâ prognatus dicitur, qui adhuc puerulus in Franciam ad Ebalum avunculum ſuum Roceiacenſem Comitem delatus, litteríſque traditus à Manaſſe Archiepiſcopo matris ſuæ avunculo & ſub eo educatus, ex Canonico ſanctæ Remenſis Eccleſiæ & Theſaurario, Laudunenſi item Canonico, & Theſaurario S. Quintini Veromandenſis, omnium applauſu ad Pontificatum urbis Laudunenſis aſſumptus eſt, & à Rodulfo Metropolita de more, multis provinciæ Epiſcopis adſtantibus, Epiſcopali charactere inſignitur. Tum Laudunum veniens animum paſcendis ovibus, inſtaurandíſque ſacris ædificijs intendit, quæ voraces flammæ nuper in cineres reduxerant, miſſíſque philacterijs per provincias ad pecuniam corrogandam, tantum ex oblationibus Fidelium Deo volente proſperatum eſt, ut anno ſequenti, completo ſumptuoſiſſimi ædificij opere, Eccleſia dedicaretur VIII. Idus Septemb. tertio die ante Nativitatem B. Mariæ, accerſitis ad ſolemnitatem Rodulfo Remorum Archiepiſcopo, Guilielmo Catalaunenſi, Liſiardo Sueſſionenſi, Godefrido Ambianenſi, Huberto Silvanectenſi Epiſcopis, tantáque plebis multitudo ad eam confluxit, ut ducenta millia diverſi ſexus & ætatis dicantur interfuiſſe, tanto ſiquidem gaudio & alacritate eorum corda perfundebantur, ut ſatis exprimi non poſſit. Maximè verò quòd B. Virginis ope, cujus virtus ubique coruſcabat, cathedralis Eccleſiæ infra duos ſemiannos, è tam profunda voragine in elegantiorem formam exſurgeret, unde meritò illud Aggæi vaticinium de reſtauratione templi

Bartholomeus ex Canonico Remenſi fit Laudunenſis Epiſcopus.

Herman. lib. 1. de Mirac. S. M. Laudun. cap. 2.

De reſtauratione Laudunenſis Eccleſiæ ſcripſit Elinandus apud Alber. ann. 1115.

Aggæi 2. B. 10.

templi Judaici, poſt Babiloniæ captivitatem illi adaptabant: *Magna erit gloria domus hujus ſecunda pluſquam prioris.* Ceterùm quam ſe pervigilem gregis Paſtorem, munificum erga Eccleſias, providum in Religioſos, & benefactorem præbuerit Bartholomæus, tradit copioſiſſimè Auctor ſupradictus, & nos infra nonnihil referemus. RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1112.

De Eccleſia ſancti Petri Ruminiacenſis, & ejus in Prioratum erectione.

CAPUT XXV.

ECCLESIAM S. Petri Ruminiacenſis, alodio nobilis Vualteri de Feria, dono legali cum ramo & ceſpite olim dotatam, ut vidimus, uſu quidem præpoſtero, ſed illa ætate ſat communi & inveterato, ſibi vendicârant à tempore Odonis Fortis, domini de Ruminiaco, nihil penſi habentes eorum, quæ ad cultum Dei ſpectant, aut qua ratione vindictam Dei effugerent, quæ eos haud dubiè manet (ut benefactores ſuis litteris ſæpius adprecantur) qui pias eorum voluntates infregerint. Præda hæc ſat pinguis, & indebita quia ſacra, ſic eorum acuit appetitum, ut prædia quoque Cœnobij ſancti Nicaſij, quæ in vicinia ſunt, pari injuſtitia occupare non timerent. Ab hac invaſione omnimodis arcendi erant, etiam per cenſuras eccleſiaſticas; at Hugo Abbas ne contra ictum fluminis conari videretur, pacificandum cum dominis de Ruminiaco ſatius duxit, vel ob id maximè, quòd hæc prædia procul eſſent à ſuo Monaſterio, hac adhibita conditione, ut villis de Liardo, & Bayo, eorum dominio adjudicatis, cetera deinceps quæ eſſent Monachorum, tanquam Advocati, bona fide tuerentur. Hujus pacti tabulam evulgare profuturum judicavi, quòd obejuſmodi villas Abbatibus ſancti Nicaſij hominium dominide Ruminiaco multos annos præſtiterunt. *Lib. 2. cap 1.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus-ſancti. " Quoniam lux veritatis ſæpius falſitatis nebulâ obruitur, & beneficia quæ " Fidelium &c. Idcirco ego Vuido humilis Abbas ſancti Nicaſij Martyris, " communi conſenſu Capituli noſtri omnibus præſentibus & futuris inferen- " dum duxi conventionem inter nos, & dominum Nicolaum de Ruminiaco " filium Nicolai, atque Domiſum habitam, cujus continentia hæc eſt. Om- " nes cenſus, & decimæ duarum villarum, quas in proprio alodio Eccleſiæ " ſancti Petri Ruminiacenſis pariter conſtituimus ad conſuetudinem de Ver- " vin, quarum una dicitur Mombaye, & altera Liart, ſeorſum ſunt Eccle- " ſiæ ſancti Petri, de reliquis reditibus, & univerſis commodis ab eiſdem vil- " lis quocúmque modo provenientibus, dimidium pari aſſenſu erit Eccleſiæ " ſancti Petri, aliud dimidium domini Nicolai, quod dimidium ei ab Ec- " cleſia noſtra pro omnimoda tuitione conceſſum, ipſe vel quiſque heredum " ſuorum de manu domini Ruminiacenſis, omnino alienare, vel emanci- " pare non licebit, neque alij perſonæ, vel Eccleſiæ, niſi noſtræ in elee- " moſynam delegare. Si autem eaſdem villas quolibet modo deſtrui, & ſine " habitatore deſolari contigerit, fundi earum & reditus ad Eccleſiam noſtram " quietè revertentur. Huic compoſitioni interfuerunt Radulfus Prior, Le- " tondus, Raduinus, Gunterus Sacerdotes & Monachi ſancti Nicaſij. De mi- " litibus Francor. Thomas de Brenages, Theodericus de Liart &c. De burgen- " ſibus, Herbertus filius Conſtantij, Robertus &c. Hanc pactionem dominus " Nicolaus & frater Letondus, & multi alij juramento ſe inviolabiliter tenere " promiſerunt. Actum anno Verbi incarnati 1100. "

Locus obſcurus.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1112.

Hîc de villis de Liart & Mombaye tantùm agitur, quarum decimæ, & quidam cenſus B. Petri Ruminiacenſis Eccleſiæ adjudicantur, reliquis reditibus diviſis inter prædictam Eccleſiam, & dominos de Ruminiaco, ex conſenſu Capituli Nicaſiani, hac conditione, quòd reliqua ipſius bona omnimodè tuerentur, nec præfatum dimidium ullo modo alienarent. Haud ita poſt S. Petri Ruminiacenſis Eccleſia, quam ſæculi more ſibi vendicârant ejuſdem loci Toparchæ, ad Nicaſianos venit hoc pacto; cùm enim ibi quidam eſſent Canonici cum præbendis, ſed tam tenuis cenſûs, ut vix ipſis ad utcumque vivendum ſufficerent, Nicolaus ex proſapia Odonis Fortis grande piaculum exiſtimans patrimonium Chriſti, ut proprium retinere contra ſæpius inculcatos Canones, ſtatuit eam hortatu Joranni Abbatis à ſe abjicere, hac tamen legitima interveniente pactione, ut ex conſenſu Remenſis Archiepiſcopi, Monachi in ea ſubrogarentur, & poſt obitum dies anniverſaria patris ac matris ſuæ, tam inibi, quàm in Monaſterio S. Nicaſij quotannis celebraretur, ut latiùs patebit ex ſequenti charta Rodulfi, quæ originem celebris Prioratûs S. Petri de Ruminiaco profert, & explicat.

" EGo Rodulfus SOLA PIETATE DIVINA Remenſis Eccleſiæ Miniſter " exiguus, omnibus ortodoxæ Fidei cultoribus, ad cœleſtis patriæ gaudia feliciter anhelare. Eccleſia S. Petri de Ruminiaco ad moderna uſque tempora " Laicorum violentæ ſubjecta ditioni, geſtis præſentibus qualiter ab eorum ſit " manibus emancipata, poſterorum memoriæ ſtuduimus inſerendum, & in jus " eccleſiaſticum monaſtico Ordine regenda tranſierit à tempore Odonis, qui " Fortis dicebatur, ad tempus uſque Nicolai filij Nicolai. Eccleſia illa heredum " poſteritati ſuccedere ſolita erat, & hac deteſtanda abuſione, non tantùm " externis, quæ illi terrena collata fuerant patrimonia, imminuta habebantur, " quantùm internis, quæ ad cultum Dei pertinebant, adnullata deperierant: " pauculus enim Clericorum numerus ibidem in obſequium deputatus, injuſto " ſæcularis manûs oppreſſûs dominio, ad agenda divina, ad modicas etiam quæ " illis ſupererant eccleſiaſticas res conſervandas, minus idoneus efficiebatur.

" Prædictus igitur Nicolaus Sancti-ſpiritus ſuggerente gratia, tandem ali- " quando hereditaria lege ſanctuarium Dei poſſidere arbitratus immane deli- " ctum, dictam Eccleſiam S. Petri, de caſtello videlicet quod Ruminiacum " dicitur, obtentu domni Joranni Abbatis in manus noſtras refutavit, & eam " Monaſterio B. Nicaſij Martyris, cui idem Jorannus præerat, cum omni- " bus ad eam pertinentibus, à nobis devotè donari petijt, & impetravit. Huic " ſanè petitioni pactionem religioſam addi voluit, quatenus in ipſa Eccleſia " Monachi ſubrogarentur, & cùm ab hoc carnis ergaſtulo eum tandem à Do- " mino contigerit evocatum, ipſius obitûs dies anniverſaria, patris etiam ac " matris ſuæ tam inibi, quàm in Monaſterio S. Nicaſij quotannis celebretur. " Taliter fieri annuentes, prædictam Eccleſiam de manu ejus recepimus, & " Monaſterio S. Nicaſij ſub hac ſponſione perpetualiter poſſidendam contu- " limus. Porro ne proceſſu temporis contra hoc tam noſtrum, quàm ipſius " Nicolai ſtatutum, alicujus præſumptoris jurgia ſuboriantur, teſtamentalem " hujus largitionis paginam fieri decrevimus, & eam noſtræ imaginis auctori- " tate, ut inconvulſa imperpetuum perduret, cum legalium perſonarum te- " ſtimonijs roboravimus.

"

" Signum Azenarij Abbatis R. Remigij.	Signum Gervaſij Archidiaconi.
" Signum Hugonis Abbatis Altivillarienſis.	Signum Fulconis Archidiaconi.
	Signum Ebali Præpoſiti.
" Sig. Harderici Abbatis Moſomenſis.	Signum Joffridi Decani.
" Sig. Hugonis Abbatis ſancti Baſoli.	Signum Lamberti Cantoris.
" Signum Joranni Abbatis S. Nicaſij.	Signum Cirici Vicedomini.
" Sig. Bernardi Abbatis S. Caloceri.	Signum Bartholomæi Theſaurarij.

Actum

Actum Remis anno incarnati Verbi 1112. Indic. VI. regnante Ludovico Rege Francor. anno V. Archiepiſcopatûs autem domini Rodulfi anno V. Fulchradus Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit. « RODULFUS. « XLVII. ARCHIEP. *An.* 1114.

Idem Nicolaus Ruminiaci dominus viginti ſolidos Catalaunenſis monetæ in eleemoſynam dedit prædictæ Eccleſiæ, ad emendum oleum ſufficiens duabus lampadibus, quarum una ante altare jugiter ardere debet, altera verò certis diebus ante Crucifixum, hac charta, cui Prior & Monachi ſancti Petri ſubſcripſerunt.

Noverint præſentes & futuri, quòd ego Nicolaus Ruminiaci dominus, « aſſenſu Mathildis uxoris meæ, Eccleſiæ B. Petri Ruminiacenſis defectu « luminis deſolatæ, viginti ſolidos Catalaunenſis monetæ in eleemoſynam de- « dimus, quos Prior prædictæ Eccleſiæ de cenſibus noſtris, qui primi in feſto « S. Remigij miniſtro noſtro de eadem villa ſoluti fuerint, abſque contra- « dictione annuatim recipiet, ad emendum oleum duabus lampadibus ſufficiens « quarum una ante majus altare jugiter ardebit; altera verò ante Crucifixum « poſita, in Vigilijs B. Mariæ ſemper Virginis, & Apoſtolorum, & in Domi- « nicis, vigilijs, & ad omnes miſſas accendetur. Ut autem hoc firmum & « inconcuſſum permaneat, ſigilli noſtri atteſtatione firmavimus, optantes ut « excõmunicationi ſubjaceat, cujus dolo vel malitia hæc ordinatio diſſolvetur. «

Signum Albrici Prioris.	Signum Martini Diaconi. «
Signum Haiderici Monachi.	Signum Roberti Præpoſiti. «
Signum Radulfi Monachi.	Signum Heberti. «
Sig. Vaſcelini Florinenſis Monachi.	Signum Galteri Biſot. «
Signum Joſcelini Diaconi.	Signum Frumentini. «

Prædictam unionem Eccleſiæ S. Petri Ruminiacenſis confirmavit Paſchalis ſummus Pontifex, diplomate Laterani dato, anno 1114. ubi & meminit altaris ſancti Sulpitij in eodem burgo, quod pariter contulit Rodulfus Remorum Archiepiſcopus, cuius præſentatio ad Abbatem ſancti Nicaſij ſpectat, nihilque habet commercij cum juribus Prioratûs de Ruminiaco.

Paſchalis privilegium.

PAſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Joranno Abbati « ſancti Nicaſij, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In Paſtorum « ſpecula conſtituti ..... Quamobrem nos tam tibi, quàm ſucceſſoribus « tuis Eccleſiam ſancti Petri de Ruminiaco, cum altari ſancti Sulpitij, quæ « de manibus militaribus erepta ſunt, iuxta petitionem venerabilis Fratris « noſtri Rodulfi Remorum Archiepiſcopi confirmamus, altare item de Lu- « neio & altare de Clerum, &c. Datum Laterani 4. Idus Aprilis, an. 1114. « Pontificatûs domini Paſchalis XIV. «

Hæc libens ſubjicio tanquam ſpeculum futuræ poſteritati, ut qui ejuſdem Prioratûs gaudent reditibus videant, an omnia, ut par eſt, exſequantur; latent ut plurimùm, locum nuſquam adeunt, ruunt ædificia, gemunt pauperes, nec amplius quicquam utilitatis recipiunt incolæ ex ſacris his Ædibus, quas ſummo ſtudio veteres Archiepiſcopi, & Nobiles etiam ad ornatum provinciæ inſtituerunt.

Elenchus veterum Dominorum de Ruminiaco.

Quæ de Ruminiacenſis Eccleſiæ primordijs hîc & capite I. hujus libri præliba vimus, exigunt à nobis, ut è veteribus membranis, dominorum de Ruminiaco catalogum conficiamus, olim magni nominis & potentiæ in Thieraſcia, quæ pars eſt Remenſis diœceſis; nam licèt pridem deſierint, horúmque

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1114.

horúmque dominium cum Ducatu de Guiſia conjunctum ſit, & nunc veluti quædam appendix; cùm ſe munifices præbuerunt erga Eccleſias, horum nomina adhuc in tabularijs conſervantur, è quibus ſequentia obiter excerpſimus.

Godefridus omnium primus eſt, quod ſciam, cujus fit mentio apud Auctores, vixítque ſub Roberto Rege, Albericus refert hunc Alpaidem duxiſſe uxorem anno circiter 1002.

Arnulfus nominatur Nobilis de Ruminiaco, Godefridi & Alpaïdis filius, apud eundem Auctorem. Hic Eccleſiam S. Gendulfi ſuis ſumptibus exſtrui curavit apud Florinas in diœceſi Leodienſi, duos poſt ſe reliquit filios Godefridum & Gerardum Epiſcopum Cameracenſem.

Godefridus uxorem habuit Hanidem filiam Ebali Comitis de Roceio & Beatricis filiæ Ragenarij Comitis Hannonienſis, & Hanidis ſororis Roberti Francorum Regis, ex Alberico anno. 1131. Godefridus hic & Haduit ſeu Haleidis memorantur in charta, quam ſupra retuli ſub Manaſſe Archiepiſ. an. 1070. ubi Abbatis nomine inſignitur, id eſt Protectoris, vel Oeconomi Eccleſiæ Ruminiacenſis.

Niſi forſan Hugo ille ab Odone diſtingui debeat. Ex Hugonis matrimonio prodýt Matthildis de Ruminiaco quæ nupſit Iſaac domino de Brabanſon.

Odo Fortis, vel Hugo de Ruminiaco & de Florinis, cognomento Magnus, ſociavit ſibi Alidem de Hannonia tertiam filiam Balduini I. Comitis ac Idæ de Lovania, vixit ann. circiter 1060. ex charta Rodulfi Remenſis Archiepiſcopi, quâ patet altare de Ruminiaco, tanquam patrimonium ſibi à prædeceſſoribus relictum, per id tempus occupaſſe, his verbis: ***Ego Rodulfus*** &c. ***Eccleſia ſancti Petri de Ruminiaco ad moderna uſque tempora laycorum violentæ ſubjecta ditioni, geſtis præſentibus qualiter ab eorum ſit manibus emancipata, poſterorum memoriæ ſtuduimus inferendum, à tempore Odonis qui Fortis dicebatur, ad tempus uſque Nicolai filij Nicolai, Eccleſia illa heredum poſteritati ſuccedere ſolita erat &c.***

Nicolaus I. cujus mentio fit in prædicta charta Rodulfi Archiepiſcopi, litem movet adverſùs Abbatem S. Nicaſij, quæ pacto interveniente ſopita eſt anno 1101. huic datæ ſunt villæ de Mombayo & Liart, ut cetera jura prædicti Monaſterij tanquam Advocatus conſervaret.

Nicolaus II. præcedentis filius altare ſancti Petri de Ruminiaco à ſuis prædeceſſoribus uſurpatum, ſponte abdicavit an. 1112. hic ex conſenſu Mathildis uxoris ſuæ, viginti ſolidos Catalaunenſis monetæ annuatim percipiendos legavit, pro oleo ſubminiſtrando duabus lampadibus, quæ jugiter ardere debent in Eccleſia B. Petri Ruminiacenſis. Legitur præterea cum Guidone domino de Guſa & de Hirſon, in epiſtola Archiepiſcopi Trevirenſis ad Rodulfum Viridem ann. 1115. Hunc Bonifontis Monachi Ordinis Ciſtercienſis fundatorem agnoſcunt, ſepulcrúmque ejus viſitur in eorum Eccleſia cum epitaphio, quod antiquitatem non ſapit. obijt an. 1175. x. Cal. Martij ex Necrologio Remenſi.

Nicolaus III. legitur annis 1180. & 1190. hunc Vuillelmus Remorum Archiepiſcopus Cardinalis, anathemate percuſſit, terrámque de Ruminiaco interdicto ſuppoſuit, ob graſſationes quas commiſerat in villis ad Eccleſiam Remenſem ſpectantibus in territorio de Portenſi an. 1200. pro quibus ſatisfecit anno ſequenti. Idem Necrolog. Capellam de Antenay fundavit, quam confert Abbas S. Nicaſij.

Vualcherus nominatur anno 1206. in Chartulario S. Nicaſij, cúmque diſcordia de novo mota eſſet inter eum, & Abbatem prædicti Monaſterij, ſummus Pontifex Fulconem S. Theoderici Abbatem, & Decanum majoris Eccleſiæ Remenſis ad eam terminandam, tanquam judices delegavit. Alius item legitur Vualcherus de Ruminiaco an. 1231. ſucceſſit.

Nicolaus IV. dominus de Ruminiaco & de Boves, cui Abbas ſancti Nicaſij mediam partem nemorum de Ruminiaco gratis conceſſit, ut alteram

ſua

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1114.

sua auctoritate conservaret, an. 1214. Hic Thomam de Beaumets Archiepiscopum ab urbe Remensi exsulem per aliquot dies in custodia detinuit anno 1239. ut dicemus alibi. Obijt anno 1256. ex epitaphio, quod exstat supra tumulum in Ecclesia Monasterij Bonifontis, cujus & ipse benefactor exstitit.

Legitur item per id tempus Jacobus de Ruminiaco, dominus de Novavilla, & de Ogies, ex regali prosapia oriundus, qui pro salute animæ suæ, Helvidis primæ uxoris, & Isabellæ quam sumpsit postea, ac liberorum suorum fundavit unam Missam in Ecclesia sancti Nicasij singulis diebus horâ quintâ celebrandam, quæ vocatur MISSA PEREGRINORUM anno 1247. Obijt an. 1250. jacétque in Claustro prædicti Monasterij juxta armaria, sub tumba alba ubi insignia domûs suæ expressa habentur.

Hugo dominus de Ruminiaco & de Florines, hominium fecit Gerardo Abbati sancti Nicasij in parochia sancti Sulpitij, ubi illud præstare tenetur pro villis de Mombayo & Liart, anno 1257. pollicitúsque est se futurum auxilio venerabilibus Canonicis Capituli Remensis, in proposito quod fecerant, villas de novo exstruendi in territorio Portensi, vel ut aliter vocant, in *Terra de Potestatibus.*

La Terre des Potez.

Elizabetha de Ruminiaco nupsit Theobaldo Duci Lotharingiæ anno circiter 1270. sícque primùm matrimonij fœdere, Ruminiacensis Baronia Principum de Lotharingia ditioni cessit. Hic Theobaldus tanquam dominus de Ruminiaco ex parte uxoris hominium fecit Odoni Abbati sancti Nicasij anno 1289. at eo obeunte, cùm prædicta Elizabetha rursum duxisset Galcherum de Castellione Comitem Porcensem & Franciæ Constabularium, hic pro ea hominium fecit an. 1313.

Baroniâ de Ruminiacó iterum ad Principes Lotharingos devolutâ, Fericus Dux Lotharingiæ Remis hominium fecit pro prædictis villis Abbati sancti Nicasij, sub protestationibus in actu appositis, quod Dux præstare illud teneretur in villa de Ruminiaco: *Tenens igitur manum suam super quoddam Missale apertum, juravit ad sancta Dei Evangelia, quòd ex se esset fidelis erga ipsum Abbatem, successores suos, & suam Ecclesiam, & quod jura & quicquid habebat, & habere poterat idem Abbas in villis de Bayo, & Lyardo & de Ferrea, cum omnibus nemoribus & appenditijs suis, nec non chartas & litteras, à prædecessoribus suis dominis de Ruminiaco, dicto Abbati à prædecessoribus suis, aliàs Ecclesiæ suæ prædictæ concessas, conservaret, observaret fideliter & teneret. In præmissis præsentes fuerunt Iohannes & Henricus de Bayona &c. Anno Dom. 132&.*

Idem dux hominium fecit Capitulo Remensi pro iis prædijs quæ possidebat interra de Potestatibus an. 1314.

Vidua prædicti Ferrici Ducis habens custodiam bonorum suorum filiorum, & tutricis nomine idem hominium iteravit in villa de Sancto-Leodegario prope Remos an. 1329.

Robertus de Ruminiaco dominus de Annie legitur in Chartulario S. Nicasij anno 1344. & 1348.

Hugo Lotharingus dominus de Ruminiaco fidelitatem vovit Guidoni Abbati sancti Nicasij, ob prædictas villas & nemora anno 1350.

Anno 1320. Comes de Vaudemont hac Baronia potiebatur, ex processu verbali Reliquiarum Sancti Nicasij, quæ in Prioratu S. Petri de Ruminiaco repertæ sunt, & nunc à Ducibus de Guisia tanquam appendix Ducatûs possidetur.

Gratianus d'Agnete Baro Ruminiaci & Prorex ditionis Mosomensis *legitur in Chronico Mosom. Cœnobij an. 1511.*

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1114.

De Concilijs à Conone Prænestino Episcopo & Cardinali Bellovaci & Remis convocatis, & quid in ijs præsertim actum sit.

CAPUT XXVI.

PRIVILEGIUM Romæ vi extortum ab Henrico IV. Imperatore, quo Paschalis post minas, & carceres, ei tandem sed ingratis concessit, Regni sui Episcopos & Abbates (canonicè tamen & absque simonia electos) per anulum & virgam investire, Orthodoxorum animos sic perculit, ut Archiepiscopi & Cardinales, qui Papæ tanquam capiti Ecclesiæ proximiores sunt, statim illud non scriptis modò, sed pluribus etiam coactis Concilijs, nihil prorsus continere roboris palam declarârint. Inter quos enituit Cuno sive Cono Cardinalis Episcopus Prænestinus, doctrinâ non modò, sed & morum probitate clarus, qui legatione apostolicæ Sedis in Oriente fungens, mox convocato Hierosolymis Concilio prædictum Henricum nimio furore insolescentem excommunicavit, confestímque advolans in Occidentem, eadem fultus auctoritate, iterum collecto in civitate Bellovacensi Concilio 8. Idus Decembris, eumdem Imperatorem anathematizavit, ut & Quadragesimâ proximâ *Latare Ierusalem* v. Calend. Aprilis, celebrato pariter Remis Concilio & Catalauni v. Idus Julij, ita Juretus ex veteri libro Conciliorum in notis ad epistolam 128. Ivonis Carnotensis.

Synodus hæc ab ea distinguí debet, quam eidem Cono Belvaci tenuit an. 1121.

De Concilio Bellovacensi agit Guibertus de Novigento lib. 3. *de Vita sua Cap.* 16. in fine, Nicolaus Suessionensis Monachus, *Vitæ S. Godefridi lib.* 5. citátque fragmentum ejusdem R. P. D. Lucas Acherius Spicil. tomo II. quo statutum est, ut res Ecclesiæ per annum quietè possessæ perpetua stabilitate iisdem permaneant, item & contra bonorum ecclesiasticorum invasores. Quid deinde actum sit in eo conventu præter hæc, & iteratam in Henricum simoniacum excommunicationem, petendum est à Sugerio Abbate in Vita Ludovici Grossi, ubi ait conquestos fuisse Remensis provinciæ Episcopos de Thoma Codiciacensi, domino de Marna maleficæ vitæ, ac moribus corruptissimo, qui Ludovico Rege alijs bellis intento, pagos Laudunensem, Remensem & Ambianensem tam atrociter devastabat, ut nec à Clero, ecclesiasticæ ultionis timore abstineret: cuncta siquidem suæ rapacitati cernens obvia, Creciacum, Couciacum & Novigentum castello, vallo mirabili, altísque turribus, tanquam cubile draconum munierat, è quibus subindè qui erant in præsidio clam erumpentes, totam regionem misere populabantur.

Episcoporum erat Nobiles balteo donare, ut refert Massonius de Manasse Aurelianensi Episcopo qui Almericũ, Simonis Comitis filium balteo donavit.

His commotus venerabilis Cuno Prænestinus Episcopus Thomam Codiciacensem mucrone B. Petri, anathemate scilicet generali, percutiendum censuit, ipsúmque licèt absentem cingulo militari decinctum, omni propterea spoliatum honore, tanquam sceleratum, impium & Christiano nomine indignum denunciavit.

Sugerius in vita Ludovici Grossi cap. 21.

Rex quoque qui præsens aderat, Episcoporum precibus exoratus, citissimè in eum movens exercitum, Creciacum castrum armatorum potentissima manu inopinatè occupat, sceleratos confundit, impiósque trucidat. Tum Laudunensis Ecclesiæ conflagratores in Novigento aggrediens, eorum munimenta, instar inferorum claustra, disrumpit, & quotquot manus in christum Domini miserant, justitiæ sitibundus aut vi expulit, aut patibulo affixit. Idem civitatem Ambianensem ingressus turrim à quodam Adamo occupatam,

Digitized by Google

occupatam, è qua longè latéque graſſabatur, obſedit, quam biennali coarctans obſidione, ad deditionem defenſores coegit, expugnatam funditus evertit, ſícque pace Urbi reddita, tam præfatum Thomam, quàm ſuos dominio ejuſdem Civitatis perpetualiter exheredavit. RODULFUS. XLVII. An. 1114. ARCHIEP.

Hæc de turri Ambianenſi à Sugerio tradita lucem adferunt ijs, quæ Guibertus refert de ſancto Godefrido Epiſcopo, qui per id tempus, quòd nimium civibus Communiam expoſcentibus faverit, ad Carthuſianos quietius vivendi gratiâ ſeceſſerat; ubi & legere eſt, quæ in Concilijs à Conone celebratis in Belgio peracta ſunt. Cùm hic Thomas, *inquit Guibertus*, qui « nefarios illos Gerardi primùm, poſtea verò Epiſcopi Lauduneníis occiſorum, « cum illâ Communiâ malignâ ſuſceperat, ab Archiepiſcopis totius Franciæ « & Epiſcopis, non ſolùm in Concilijs, Synodis, ac regis Curijs, ſed & poſt- « modum ubique per omnes Dominicas, ſuccreſcente ineffabiliter malitia, « celeberrimo paſſim anathemate pulſaretur, in Ambianenſem Deo judice eſt « tranſlata calamitas. Nam poſt funeſtum excidij Laudunenſis eventum; Am- « biani Rege illecto pecunijs fecêre Communiam, cui Epiſcopus rebus non ſatis « perpenſis quæ Lauduni acciderant, nimiùm libere conſenſit. Videns itaque « Ingelramnus Comes ex conjuratione civium ſibi jura vetuſta recidi, armis « rebelles aggreditur, cui etiam non defuit Adam, qui Urbis turri præerat, « burgenſes contra conglobati, eum ab Urbe expellunt, & Thomam Com- « munæ faventem & filium in eum concitant, poſtmodum tamen donis pel- « lectus Ingelramno adhæret, ſpondétque opem laturum adverſùs burgen- « ſes, quibus cum Vicedomino adnitebatur Epiſcopus. Thomas igitur & « Adam cœperunt acerrimè inſiſtere Vicedomino & burgenſibus. Et quo- « niam Epiſcopum & Clericos factæ cum burgenſibus factionis arguebant, « res pervaſit Thomas Eccleſiæ &c. « *Guibertus lib. 3. Sui ſui cap. 12.*

In hoc turbido rerum ſtatu videns Epiſcopus Civitati ſuam præſentiam nec eſſe gratam, nec utilem, omnibus inconſultis, Clero & populo libellum, ut ita dicam, repudij dedit, confeſtimque Archiepiſcopo Remenſi anulum & ſandalia remittens mandat, ſe in exſilium iturum, nec deinceps utrobique futurum Epiſcopum, ſicque Expontifex factus, per Cluniacum in Carthuſiam perrexit, ubi extra conventum in cellula commanens, poſt duos menſes non ab aliquo ſuorum, ſed ab Archiepiſcopo remandatus, moras in reditu non fecit; ad hoc enim marcas argenti, quas pro viatico retinuit, ſibi utiles futuras cognoverat. Clerus autem & populus eum non ſine mærore recepit, qui eo abſente, ſuper altero eligendo, non ſine magna ejus aſpernatione ſategit; ipſe enim turbas moverat, quas ſedare non potuit, has tamen malo necdum promoto facilè Godefridus ſolviſſet, niſi Vicedominum, qui eum contemptui ſemper habuit, pertimuiſſet. *Guibertus ibidem.*

Sanctus Godefridus abdicato Epiſcopatu in Charthuſiam ſe recipit.

Ceterùm Thoma de turri Ambianenſi ingentia mala perpetrante, Archiepiſcopi & Præſules pro Eccleſijs querimoniâ datâ, ad Regem dixerunt, ſe in Regno ejus Dei officia non facturos, niſi ulciſceretur in illum. Rex collecto exercitu monuit ut adulterina caſtra dirueret, eo autem reſpuente, Archiepiſcopus, & Epiſcopi qui erant cum Rege, factis in altum gradibus multitudinem aſciverunt, commonitorium eis pro negotio faciunt, à peccatis abſolventes, ac ſub nomine pœnitentiæ imperârunt, ut in caſtrum, quod Codiciacum vocatur, pro ſalute animæ tuti irruerent. Quod & mirabili auſu pervadunt, & cetera quæ Guibertus addit de expugnatione Novigenti, turríſque Ambianenſis, ac de Godefridi Epiſcopi ſermone habito, non Dei, inquit, ſed Catilinario, quo Regem adverſùs turrenſes irritaret. *Guibertus ibidem.*

Alia quoque de S. Godefrido valde ſuppreſſa retulit Guibertus lib. 2. cap. 2.

Hæc ſanè & quædam alia à Guiberto improvidè dicta tanti viri famam omnino labefactarent, niſi contraria ijs Nicolaus Sueſſionenſis Monachus

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1115.

virtutibúsque B. Godefridi longè digniora ſcriptis reliquiſſet lib. 3. cap. XI. his verbis : *Ad Synodum accedunt Ambianenſium legati, conqueruntur ſe deſtitutos optimo Paſtore ſuo, ad quos Remenſis Archiepiſcopus. Qua fronte hac apud nos proponere auſi eſtis, qui virum pudicum, ortodoxum, virtutibus cunctis ornatum, veſtra improbitate à ſua ſede expuliſtis, quem illi parem, nedum ſanctiorem umquam habituri eſtis Sacerdotem. O vos miſeros qui tanto Paſtore vel ad momentum caruiſtis.* Mitto reliqua quæ habet idem Auctor biographus de revocatione S. Godefridi à Carthuſia, de verbis ejus ad Legatos à Rege & Epiſcopis miſſos, & ingreſſu ejuſdem ad Synodum, quæ cum omnibus obvia ſint, ea curioſiùs referre ſupervacaneum duxi.

Ad Synodum Remenſem ſcripſit Ivo ep. 268. quâ in Majoris-Monaſterij Monachos invehitur.

Quod ad Remenſem Synodum ſpectat, cujus auctoritate ſanctus Godefridus, ut fertur, è Carthuſia ad propriam ſedem revocatus eſt, & quæ coacta legitur 5. Aprilis, vetus quædam charta ex Tabulario S. Remigij refert, Gervaſium Comitem Regiteſtenſem in ea correptum fuiſſe à Patribus, ob certas exactiones, quas præter advocationem, vaſſallis prædicti Monaſterij imponebat, hortatúmque ab ijs abſtinere prædeceſſorum ſuorum exemplo, quod & pollicitus eſt coram Legato & alijs Epiſcopis, ut ex ſequenti charta ampliùs conſtabit.

An. 1115.

» COmes de Regiteſte advocationem habet in villis beati Remigij quæ » ſunt in Comitatu ſuo, unde hominium facit Abbati S. Remigij. Manaſſes » filius Hugonis Comitis in ſupradictis villis præter advocationem, conſue- » tudinem quandam, quæ vulgo *Salvamentum* dicitur, contra jus & fas ac- » cepit, & per aliquantulum temporis eam tenuit, tandem nutu divino ad » extrema ductus, urgente mortis periculo ſe peccaſſe, devotiſſimè confeſſus » fuit, & abſolutionem inde recipiens, prædictum ſalvamentum guerpivit. » Eo verò mortuo Gervaſius frater ejuſdem taxatum ſalvamentum in eiſdem » villis fratris ſui tyrannidem imitatus, accepit, & tenere in conſuetudinem » voluit : inde ante præſentiam domni Archiepiſcopi in cauſam dictus, ap- » probatione multorum quòd injuſtam haberet cauſam didicit, culpámque » & injuſtitiam fratris recognoſcens, conſuetudinem illam, ſalvamentum ſci- » licet villarum, in multorum præſentia guerpivit. Aderant D. Rodulfus » Archiepiſcopus, Liſiardus Sueſſionenſis, Godefridus Ambianenſis Epiſcopi, » Nicolaus Archidiaconus. *De Laicis* Rainaldus de Burgo, Balduinus Dapifer. » Actum Remis & recitatum in generali Concilio, quod ibidem habuit do- » minus Cono venerabilis Prænestinæ urbis Epiſcopus an. Incarnat. 1115. In- » dicti VIII. Regnante venerabili Francorum Rege Ludovico anno VII. Ar- » chiepiſcopatûs autem Rodulfi anno VIII.

In eodem Remenſi Concilio, cui interfuit S. Godefridus Ambianenſis jam ſedi ſuæ reſtitutus, ex charta præcedenti, actum præterea de vexationibus, quas velatæ Virgines ſanctæ Mariæ Trevirenſis patiebantur in bonis ſuis, tyrannide Nicolai de Ruminiaco & Guidonis de Guiſia & de Hirſon. Bruno Archiepiſcopus pro ijs ad Rodulfum Remenſem ſcribens rogat eum, obteſtatúrque per arctiſſimam ſocietatem, quæ ab antiquo exſtitit inter Eccleſias Remenſem & Trevirenſem Sorores dictas à B. Remigio, ne patiatur quid ſimile committi, pertinaceſque cogat per cenſuras eccleſiaſticas, ut latiùs patebit ex ipſius epiſtolis, quas ex veteri Mſ. tranſcribendas curavi.

Epiſtola Brunonis Trevirenſis Archiepiſcopi ad Rodulfum Remenſem.

» *RODULFO venerando Remenſis Eccleſiæ Archipræſuli, Bruno Trevirenſis Eccleſiæ* » *ſervus, pia devotionis famulatum.* Beatitudinis veſtræ ſæpenumero ex- » perta probitas me vos amare cogit, cujus amoris affectum demonſtrare paratus

paratus ſum omni tempore ; veſtræ igitur dilectioni in hac viciſſitudine nequaquam diffiſus, præſumo petere quod dono benignitatis veſtræ, & dignæ compenſationis obtentu cupio obtinere, ut Sororem noſtram præſentium latricem in loco mei, & omnium Sororum ſuarum Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis Mariæ Treveri famulantium ſuſcipere, & exaudire, & communicato religioſorum Fratrum Coepiſcoporum veſtrorum & Principum terræ veſtræ conſilio, juſtitiam facere ſuper Nicolao & Guidone Dominam noſtram Mariam tot annis apud Conduſam, & in ejus appenditijs ſpoliantibus, non differatis. Proſit nobis quòd Fratres Sancti-Remigij, & alij veſtrates, ut ab ipſis inquirere poteſtis, parvitatem meam ex nomine veſtro, ſuper bonis ſuis in terra noſtra ſitis appellantes, nunquam rarò ſine conſolatione, ſecundùm poſſe noſtrum, abierunt. Proſit etiam nobis quod veſtra Eccleſia, & noſtra ex antiquo annexæ inveniuntur, nec ab aliquo qui Eccleſiarum noſtrarum privilegia bene noverunt, SORORES eſſe denegatum. Bene ſemper in Chriſto valeat Sanctitas veſtra.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An. 1115.*

Ejuſdem Brunonis Trevirenſis epiſtola ſecunda de eadem re ad Rodulfum Remenſem.

Rodulfo venerabili ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Bruno miſericordia Dei Trevirorum : Id quod eſt devotiſſima orationum & ſervitutis obſequia. Fama æquitatis veſtræ & pietatis in Deum nos jamdudum in Archiepiſcopatu veſtro indignam admodum, & intolerabilem injuriam paſſos invitat veſtrum implorare auxilium, quod nobis nec negare, nec differre debetis. Licèt enim quædam ſocialis unitatis affinitate univerſæ fungantur Eccleſiæ, & juxta id quod eis accidit viciſſim, auctoritate apoſtolica jocundari & dolere habeant ; noſtra tamen & veſtra Eccleſia ſpecialiori caritatis ex antiquo annexæ vinculo inveniuntur, nec ab aliquo qui Eccleſiarum noſtrarum privilegia bene noverunt, SORORES eſſe denegantur. Ex hac itaque ſororia ſocietate, & ſecuritate caritatis veſtræ, Sororis veſtræ injuriam deploramus. Nicolaus de Ruminiaco & Guido de Guſe, & de Hirſon, & alij eorum homines has villas Ludouſa, Aneia, Balbeneis, Guartheneis cum ſuis appenditijs Dominæ noſtræ ſanctæ Mariæ, & ei famulantium Treveri Sanctimonialium proprias, contra diuinas pariter & humanas leges, jam diu ſibi uſurpantes, rapinis horum bonorum abuntur, & prædictarum Dei & ejus genitricis ancillarum ſtipendia audacter retentant. Qua de re dignitatis veſtræ dilectioni ſupplicamus, ut eos deſiſtere ab hujuſmodi præſumptione commoneat ; quod ſi pertinaciter in hujus ſacrilegij perpetratione perſtiterint, vos eos debita epiſcopalis officij auſteritate coerceatis. Eorum etiam anteceſſores, eaſdem prætatas villas eâdem violentiâ qua & iſti ſibi vendicantes, anteceſſor meus ſathanæ tradidit, cum qua traditione ſepulti, & in infernum miſſi ſunt ; ſed ego iſtos nolui hujus anathematis vinculo ligare, donec veſtram ſuper hoc reſponſionem audirem. Benedictio Domini ſuper vos, & ſuper omnes vobis commiſſos.

Sed de Guiſia, ut legitur, apud Guiberti, lib. 3. vitæ ſuæ cap. 19. & de Guſchia apud Hermannum. Hic Guido fuit Godefridi qui Adelam filiam Balduini Comitis Rocenſis duxit uxorem.

Exſtat etiam Capituli Trevirenſis ad Rodulfum de eadem re epiſtola, & Cleri Trevirenſis ad eundem, ubi hæc verba habentur, quæ Synodi tempore miſſas fuiſſe indicant. *Cum hæc epiſtola à Sanctitate veſtra lecta fuerit in capitulum ſanctæ Dei genitricis Mariæ* FRATRIBUS *noſtris, deinde ſancti Concilij Synodo eam legi, aut inſinuari præcipiatis, quatinus conſilio eorum, & ſpecialiter auxilio Fratris veſtri Bartholomæi Laudunenſis Epiſcopi, ad effectum petitionem noſtram ducere poſſitis.*

Iteratæ Trevirenſium querelæ, & ea quæ paſſim refert Sugerius Abbas, luculenter oſtendunt quanto furore nobiles per id tempus in Eccleſiaſti-

Conqueruntur etiam de Treſbytero de Duna caſtello, quòd virum ſa-

milem, & terram Trevirenſis Eccleſiæ vaſtantibus Chriſtianitatis obſequia conferret,

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An. 1115.*

corum bona gratiarentur. Rege siquidem in Regni perturbatores castellis egregiè munitis sisos, occupato, ansam arripiebant impunè sic sæviendi. Hinc Thomas de Marna per diœceses Laudunensem & Ambianensem bacchabatur, illinc domini de Ruminiaco & de Guza in fines Trevirensium, quæ Remensi adjacent, alibi Comites Campaniæ, Rethellij, & de Roceio, nec mirum, turbato enim Reipublicæ statu, & exsule æquitate, pessum eunt omnia. Contra hæc Synodi sæpius ab Episcopis convocatæ præsentissimum intulere remedium, quibus cùm Rex nonnumquam interesset, quos nec blandi sermones, nec censuræ ecclesiasticæ ab invasione bonorum avertere poterant, hos armis generosè aggrediebatur. Nonnulli tamen ex his conscientiæ stimulis agitati, ne in æternum perirent, ad satisfaciendum inducti sunt; inter quos exstitit hoc anno Ingelramnus Cociacensis, & sequenti Hugo Comes de Regiteste, de quibus breviter agendum.

Ingelramnus Cociacensis & Hugo Comes de Regiteste.

CAPUT XXVII.

INgelramnus igitur pater Thomæ insignis deprædatoris, qui Cociacum, vetus Remensis Ecclesiæ dominium, sub annuo censu à Remigianis obtinuerat, hunc pertinaciter à multis annis solvere recusans, tandem hortante Bartholomæo Laudunensi Episcopo se debitorem esse erga Francorum Apostolum sequenti pagina ingenuè, & liberaliter professus est.

1116. » IN nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Ego Bartholomæus Dei » gratiâ Laudunensium Præsul. Beatus Remigius merito sanctitatis suæ » terram quæ Megium dicitur, in qua est castellum Cociacum à Principibus » Franciæ adquisivit, & in vita sua obtinuit, post cujus glorioſum transitum, » Ecclesia illius nomine consecrata eandem terram longo tempore quietè » possedit, sed postea Ecclesiarum vigore imminuto, Milites qui Cociacum

Hoc anno Radulfus Archiep. Sanctionysian. Remēsiū duo altaria contulit, & in Attinensi fisco, ab Hugone Campaniæ Comite Archiepiscopatu dato, decimā annonæ, & omnium aliorum reditum pro anniversario annuatim celebrando.

» obtinebant, à Monachis Sancti-Remigij impetrârunt, ut Cociacum ca- » stellum sub censu sexaginta solidorum annuatim persolvendorum obti- » nerent, & hunc censum habuit Ecclesia sancti Remigij usque ad tempus » Ingelramni. Sed tandem ingravescente iniquorum perversitate, pra dictus » Ingelramnus qui Cociacum obtinebat, censum Ecclesiæ diu abstulit, » insuper etiam homines Sancti-Remigij, qui in Megio habitabant, per- » vasit, & quosdam eorum Militibus suis in feodum sub nomine advoca- » tionis distribuit.

» Tandem verò divino instinctu & religiosorum virorum admonitione » compunctus, injustitiam suam recognovit, & censum pro castello per sin- » gulos annos in festivitate S. Remigij se esse persoluturum Azenario Ab- » bati, & Monachis ejus spopondit: advocationem verò in sua propria » manu retinuit, ita quod nulli eorum, quibus eam dederat amplius auctor » & Vuarendus erit.

» Habebant autem Monachi in hominibus supradictis mortuammanum, » totam si per se adquirere poterant; quod si Advocatum facto clamore » adierint, & Advocatus justitiam fecerit, Monachi duas partes, Advocatus

Vuibertus vel Guibertus Abbas Noviāni, vel Novigenti vel de Novigēto vulgo Nogēt.

» tertiam habebit. Transitum etiam piscium, rerúmque omnium ad Ec- » clesiam sancti Remigij pertinentium, sine omni pretio in tota terra sua » concessit. Huic constitution. interfuerunt Vuibertus Abbas Novigenti, » Guido Castellanus, Robertus Anguilla, Guido de Guni, &c. Quia verò

terra

Digitized by Google

terra illa in noſtra parochia eſt, ex una parte Ingelramnus, ex alia parte Monachi S. Remigij nos exoraverunt, ut prædictam conſtitutionem auctoritate noſtra confirmaremus; eam itaque confirmamus, & ne quis eam violare præſumat, anathema in medium damnamus. « RODULFUS. « XLVII. « ARCHIEP. « An. 1116.

Signum Bartholomæi Epiſcopi qui hoc ſcriptum fieri præcepit. | Sig. Anſelli Decani & Archidiaconi. « Sig. Vuidonis Theſaurarij & Archid. « Signum Blichardi Cantoris. «

Signum Ingelramni. «

Actum Lauduni an. Incarnat. 1116. Indict. v. Epacta IV. Concurr. VI. «

Ego Anſellus Cancellarius ſanctæ Mariæ relegi. «

Hugo Comes, qui eâdem prurigine laboravit rapiendi per fas & nefas bona Eccleſiæ, quâ & ceteri Comites de quibus ſupra; cùm Eccleſiam B. Mariæ extra muros caſtelli Regiteſtenſis ſibi dudum vindicâſſet, velut ſui Comitatus appendicem, ſæpius eum Azenarius Abbas convenit, ut ab hac injuſtitia eum revocaret, haud mediocris periculi eſſe aſſerens, non modò alienigenam ad ſanctuarium Dei accedere, ſed & res à fundatoribus legatas, quæ ſunt patrimonia pauperum, heredibus tanquam à proavis relictas tranſmittere. Cùmque multoties id inculcâſſet, tandem Deo inſpirante Comes præfatam Eccleſiam, cum omnibus ad eam pertinentibus in manus D. Rodulfi Archiepiſcopi hac religioſa pactione abdicavit, ut eam ſancto Remigio concederet, quod & factum eſt coram multis diverſi ordinis teſtibus ad id ſpecialiter vocatis, ne præſens donatio futuris temporibus aboleri poſſet, quam hîc ut major habeatur fides, ex membranis exſcriptam refero.

Hugo Regiteſtenſis Comes Eccleſiâ quam uſurpaverat in manus Archiepiſcop. abdicavit.

Rodulfus Dei gratia Remorum licet indignus Sacerdos, omnibus qui & dici, & ſe Remenſis Eccleſiæ gloriantur eſſe filios. Ab antiquitate « An. 1118.
temporum notiſſimum eſſe conſtat Eccleſiam B. Mariæ, quæ ſita eſt extra « muros caſtelli, cui Regiteſtis vocabulum eſt, Laicorum ceſſiſſe dominio, « & heredum ſucceſſione, eorum violentæ ſubjectam fuiſſe ditioni. Conſi- « derans autem prædicti caſtelli Comes Hugo, qui eam diu ſibi uſurpaverat, « non modici fore periculi alienigenam ad ſanctuaria Dei accedere, & he- « reditate illud poſſidere, animæ ſuæ conſultum eſſe voluit, quod male « geſſerat corrigere curavit. Interventu igitur Azenarij Abbatis præſentiam « noſtram adijt, & ſe errâſſe pœnitens jam dictam Eccleſiam in manus « noſtras hac religioſa pactione interpoſita, ut eam videlicet beato Remigio « concederemus, præfatus Comes abdicavit. Voluit præterea, ut tres præ- « bendæ quas quibuſdam Clericis ſuis jam dederat, eis in eadem Eccleſia « haberi permitterentur; decedentibus verò illis, & alijs qui ibidem de- « putati ſunt, in arbitrio Abbatis eſſe, aut Monachos ſubſtituere, aut Ca- « nonicos, ut adhuc ſunt, ibidem dimittere. His ita à nobis & ab Abbate « conceſſis ſæpefatam Eccleſiam de manu Comitis ſuſcepimus, & hac « teſtamentali charta cum omnibus ad eam pertinentibus beato Remigio « perpetuò tenendam contulimus, quam, ne temporum prolixitate donatio « iſta aboleri poſſet, idoneis teſtibus & noſtræ imaginis auctoritate robo- « rari juſſimus. «

Signum Rodulfi Archiepiſcopi. | Sig. Joffridi S. Thederici Abbatis. «
Signum Azenarij Abbatis S. Remigii. | Sig. Haiderici Moſomenſis Abbatis. «
Sig Odonis, *poſtea Abbatis S. Remigij.* | Sig. Hugonis ſancti Baſoli Abbatis. «
Sig. Hugonis Abbatis Altivillarienus. | Sig. Joranni ſancti Nicaſij Abbatis. «

De Canonicis ſanctæ Mariæ. «

Signum Nicolai Archidiaconi. | Signum Lamberti Cantoris. «
Signum Cirici Archidiaconi. | Sig. Gerardi, Elberti, Adæ Preſbyt. «
Signum Ebali Præpoſiti. | Sig. Fulconis, Richardi, Alberti Diac. «
Signum Joffridi Decani. | Sig. Simonis Albrici, Leonis Subdiac. «

De

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1118.

De Monachis ſancti Remigij.

» Lambertus Prior, Richerus, Petrus.

De Laicis.

» Hugo Comes, & ex parte ejus Haimo Caſtellanus Rainaldus de Burgo,
» Johannes de Alto-monte, Adam & Albricus Regiteſtenſis.

De hominibus ſancti Remigij.

» Thomas Major, Ernaldus, Hugo Cubicularius.

Ex Clericis de Regiteſte.

» Otbertus Præpoſitus, Dodo, Roiricus, Heribertus.

» Actum Remis anno Incarnat. 1118. Indict. XI. Ludovico Rege regnante X. Archiepiſcopatûs domini Rodulfi XII.

Cùm Abbatis ſancti Remigij relictum eſſet arbitrio Canonicos cum præbendis in hac Collegiata, & Parochiali Eccleſia conſervare ut antiquitus, aut Monachos illis ſubſtituere; illud poſtremum elegit, tanquam ſibi utile & ſuo Monaſterio perhonorificum, quod Calliſtus Papa ſuo diplomate confirmavit anno 1119. ſícque celebri hac potitus Eccleſia, quæ in Prioratum erecta eſt, tres vel quatuor aluit Monachos cum Priore, qui divinis in ea laudibus tenaciter incumbunt, gaudéntque certis juribus, & prærogativis tanquam primarij ſub Abbate, quamvis titulus pridem extinctus ſit, ſeu verius Menſæ Abbatiali, quo pinguior evaderet, ſanctæ Sedis apoſtolicæ auctoritate annexus.

Concilium generale Remis coactum, cui præfuit Calliſtus ſecundus ſummus Pontifex, ex Orderico Vitale Lib. xij. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

CAPUT XXVIII.

An. 1119. PASCHALI Pontifici, haud abſque animi mærore vivis ſublato, quòd inveſtituras Imperatori coactus indulſiſſet, ſucceſſit Gelaſius ejus nominis ſecundus, vir ſcientia inſignis, & animi robore, quem Schiſmatici qui Burdino Pſeudopapæ favebant, ſtatim ac infulas induit, tot injurijs laceſſerunt, ut cùm ei nulla quiete Romæ vivendi reliqua ſpes eſſet, in Gallias, unicum videlicet, & uſitatum tutiſſimúmque Romanis Pontificibus in perſecutione refugium, migrare coactus ſit. Quanta verò alacritate & cultu à Francis exceptus ſit, & quomodo ei extrema inopia laboranti primitias Regni obtulerint, narrat Sugerius in vita Ludovici VI. Chronicon Morigniacenſe addit præterea, quòd cùm primo ordinationis ſuæ anno ab Urbe cauſis emergentibus egreſſus eſſet, & per maritima loca cymbâ portatus, apud Remos Metropolim Regni Concilium deſtinaſſe, in qua ſe magna diſpoſiturum credebat, ſed divino judicio quod occultum, numquam tamen injuſtum eſt, aliter diſponente, præventum ægritudine, Cluniaco diem obijſſe, ubi & ut ſummum decebat Pontificem honorificè ſepultus eſt. Eo verò mortuo Cardinales ceteríque Romani, qui ibi confluxerant Vuidonem paulloante Viennenſem Archiepiſcopum ſtrenuum & incomparabilem, genere nobilem virum eligunt, & pontificalibus induunt inſignibus, qui Viennam reverſus rebúſque diſpoſitis per Gallias tranſitum faciens, Toloſæ primo, Remis ſecundo celebrato Concilio Romam cum maximo tripudio ſicut decebat intravit. Hæc ſtrictim auctor Chronici Morigniacenſis. At Ordericus vitalis Monachus Cœnobij Uticenſis in Normãnia non Præſules modò, Principum Legatos, ſed totius Concilij ſeriem, apparatum réſque in eo diſcuſſas repræſentat & graphicè depingit. Juvat igitur eum audire loquentem.

Chronicon Morinia. ad an. 1119.

A Sugerio Vocatur. Imperialis & regiæ celſitudinis derivativa cõſanguinitate generoſus.

Reginæ Frãc. cõjugu Ludov. ſcilicet Regis, patruus. *ab Hermanno.*

In Pago Oximenſi diœceſis Lexovienſis nunc dictum S. Evroul.

In

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1119.

IN medio Octobris Calliſtus Papa cum Romano Senatu Remis venit, ibique quindecim diebus demoratus Concilium tenuit & de utilitatibus Eccleſiæ cum Paſtoribus dominici gregis ſollerter tractavit. Ibi nimirum fuerunt quindecim Archiepiſcopi & pluſquam ducenti Epiſcopi cum multis Abbatibus & alijs Eccleſiæ Dignitatibus, Apoſtolico enim juſſu evocati de Italia & Germania, de Gallia & Hiſpania, de Britannia & Anglia, de Inſulis oceani & cunctis occidentalibus provincijs congregati ſunt pro amore Saluatoris, ejus parati gratanter obedire mandatis.

Moguntinus Archiepiſcopus cum ſeptem Præſulibus Remis ad Synodum properavit, quos quingentorum militum cohors ſecurè vallauit, quorum aduentu comperto Pontifex exſultauit, eiſque Hugonem Tricaſſinum Comitem cum turmis militum amicabiliter obuiam miſit.

Rex Anglorum Prælatis Regni ſui ad Synodum quidem ire permiſit ſed omnino ne alicujuſmodi querimoniam in alterutrum facerent prohibuit, dixit enim: Omnipenariam rectitudinem conquerenti faciam in terra mea, redditus ab anterioribus conſtitutos Romanæ Eccleſiæ ſingulis annis erogo, & privilegia nihilominus ab antiquis temporibus pari modo mihi conceſſa teneo, ita Dominum Papam departe mea ſalutate & apoſtolica tantum præcepta humiliter audite, ſed ſuperfluas adinventiones Regno meo inferre nolite

Hic idem Calliſtus cum epiſcopali munere fungeretur in Gallia Cõcilio Viennæ habuit cui interfuit aut poti' præfuit S. Godefrid. Ambian. Epiſcop. quòd Calliſtus impeditioris eſſet linguæ. *Spond. ad an. 1119.*

In Eccleſia Metropolitana Synodus celebrata eſt ibi Papa XV. Kalendas Novembris Domino Miſſam cantauit & Baiocenſem Turſtinum Eboracenſibus Archiepiſcopum conſecrauit priuilegioque ne Cantuarienſi Metropolitæ veluti magiſtro, ſed quaſi Coepiſcopo ſubjiceretur donauit.

Sequenti autem Dominico Fredericum Hermanni Namurci Comitis fratrem Leodienſibus Epiſcopum benedixit, qui infra triennium ab æmulis veneno infectus obijt & nunc miraculis ad ſepulcrum ejus coruſcantibus, feliciter ſplendeſcit. In Baſilica ſanctæ Virginis Mariæ ante Crucifixum XIJ. Kalend. Novemb. Præſulum cathedræ appoſitæ ſunt & ſinguli Metropolitæ, prout eis antiquitus à Romano Pontifice conſtitutum eſt, ordinatè conſederunt, Rodulfus cognomento Viridis Archiepiſcopus Remenſis, & Leothericus Bituricenſis, Humbertus Lugdunenſis, & Goffridus Rotomagenſis, Turſtinus Eboracenſis, & Daimbertus Senonenſis, Giſlebertus Turonenſis; & ſucceſſor ejus Hildebertus Cenomanenſis, Baldricus Dolenſis, & alij octo Archiepiſcopi, cum Suffraganeis ſuis, & abſentium Legatis cum multis Abbatibus & Monachorum ac Clericorum multitudine futurum examen præfiguraûere, quod in ſpiritu intuens Iſayas, & quaſi digito demonſtrans exclamat cum metu ac mentis alacritate: Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & Principibus ejus. *Iſa. 3. cap. 14.*

In ſublimi conſiſtorio apoſtolica Sedes erat ante januas Eccleſiæ, finitâ Miſſâ Calliſtus Papa reſedit, & in prima fronte coram eo Romanus Senatus conſtitit, Cono Prænestinus Præſul, & Boſo Portuenſis, Lambertus Oſtienſis, Iohannes Cremenſis, & Hato Viuarienſis: ibi nimirum præ omnibus alijs quæſtiones ſubtiliter diſcutiebant, & mira eruditione imbuti, reſponſa ubertim præferebant. Chriſogonus verò Diaconus dalmaticâ indutus Papæ aſtabat, manùque Canones geſtabat, promptus propinare authenticas majorum ſententias, ut res exigebat. Porro alij ſex miniſtri tunicis induti ſeu dalmaticis veſtiti circumſtabant, & frequenter inſurgente tumultu diſſidentium, ſilentium imperabant. Imprimis poſt Litaniam & authenticas orationes, Papa cœpit ſimpliciter & ſanctè latialibus verbis Euangelium explanare, quod juſſerit diſcipulos ſuos transfretum præcedere, eloquenter etiam retexuit quomodo veſperi facto, ventus oritur contrarius, & nauis ſanctæ Eccleſiæ periclitatur in hujus mundi fluctibus, multis modiſque jactatur tentationum, & tribulationum procellis, ſed furentes impiorum flatus ſubitò conquieſcunt. Viſitatione Salvatoris, & optata tranquillitate reuertitur ad filios pacis. Deinde ut Papa ſermonem finiuit. Cono Cardinalis Pontifex ſurrexit, & eloquentiſſimè ſacros Archimandritas de cura Paſtorali admonuit. Ex libro quoque

Hic Chriſogonum S. R. E. Diaconum Cardin. & Bibliothecarium nominatur in priuilegio S. Remigij Remis dato hoc anno.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1114.

que Geneſeos verba Iacob memoriter protulit, & Prælatos Eccleſiæ circa gregem Domini parem diligentiam habere ſpiritualiter debere aſſeruit, quam Iacob erga oves Laban avunculi ſui, ſe habuiſſe manifeſtauit.

Ludouicus Rex cum Principibus Francorum Synodum introiuit in conſiſtorium ubi Papa reſidens omnibus præeminebat, conſcendit, querimoniámque ſuam rationabiliter deprompſit, erat enim facundus ore, ſtaturâ procerus, pallidus & corpulentus, At hanc *inquit*, ſanctam concionem pro inveſtigando conſilio cum Baronibus meis venio, Domine Papa, & vos ô Seniores audite me obſecro: Rex Anglorum qui jam dudum mihi confederatus exſtitit, mihi meiſque ſubjectis plurimas inteſtationes, & injurias injeſſit, Normanniam, quæ de meo Regno eſt, violenter invaſit, & Robertum Ducem Normannorum contra omne jus & fas deteſtabiliter tractavit, hominem quippe meum, ſed fratrem, dominúmque ſuum multis modis moleſtavit, & ad ultimum cepit, & hucuſque in carcere longo detinuit. Ecce Guillelmum Ducis filium, qui mecum ad vos huc acceſſit, funditus extorrem exheredavit per Epiſcopos, & Conſules, aliáſque perſonas, ipſum, ut captum Ducem mihi redderet, requiſivi; ſed de hac re nihil ab eo impetrare potui. Robertum de Beleſmo Legatum meum, per quem mandaveram Regi quod volebam, in curia ſua cepit, vinculis injecit, & in ergaſtulo truci hucúſque coercuit. Tetbaldus Comes homo meus eſt, ſed inſtinctu avunculi ſui contra me nequiter erectus, eminet enim divitijs, & potentiâ inflatus, in me rebellavit, & infidus mihi atrocem guerram fecit, Regnúmque meum ad detrimenta multorum conturbavit, legitimum bonúmque virum Guillelmum Comitem Nivernenſem (quem bene noſtis) remeantem de obſidione caſtelli cujuſdam excommunicati furis, ubi verè ſpelunca latronum & foſſa diaboli erat, comprehendit, & uſque in hodiernum diem carceri mancipavit. Religioſi Præſules Thomam de Marla, ſeditionum prædonem, totius provinciæ meritò aduerſati ſunt, ideóque mihi generalem inimicum peregrinorum, & omnium ſimplicium, obſidere præceperunt, & ipſi mecum, legitimique Barones Galliæ ad comprimendos exleges convenerunt, & communi collectione chriſtiani exercitus pro zelo Dei certaverunt. Inde præfatus heros cum mea licentiâ pacificè regrediens captus eſt, & à Tetbaldo Comite uſque hodie retentus eſt, licèt eum multitudo Procerum ex parte mea ſæpe pro liberatione Comitis ſuppliciter requiſierit, & tota terra ejus ab Epiſcopis anathematizata ſit.

Querelam movet Rex Francor. adverſùs Henricum Angliæ Regem, quod Legatum ſuũ Robertum Beliſmenſem cõtra jus gentium cepiſſet. Hunc in ergaſtulo defeciſſe tradit Guillel. Gemetic. lib. 8. cap 35.

Thomas de Marla.

Nivernenſis Comes a Theobaldo captus.

Cùmque Rex hæc, & his ſimilia dixiſſet, & Gallicana concio veracem ejus orationem allegâſſet; Goffridus Rotomagenſis Archiepiſcopus cum ſuffraganeis Epiſcopis, & Abbatibus ſurrexit, & pro Rege Anglorum rationabiliter reſpondere cœpit. Verùm orto tumultu diſſidentium interceptus, conticuit; quia illic multi aderant inimicorum, quibus excuſatio pro victorioſo Principe diſplicuit. Interea Hildegardis Comitiſſa Pictauorum cum ſuis pediſſequis proceſſit, & alta clarâque voce querimoniam ſuam eloquenter enodauit, quam omne Concilium diligenter auſcultauit: ſi quidem dixit à marito ſuo eſſe derelictam, ſibíque Malbergionem, Vicecomitis de Caſtello-Araldi conjugem, in thoro ſubrogatam. Cumque Papa interrogaret utrum Conſul Pictauenſis ſecundùm ſuum edictum ad Synodum veniſſet, Guillelmus eloquentiſſimus juvenis Epiſcopus Sanctonenſis, & plures Epiſcopi & Abbates de Aquitania ſurrexerunt, & eundem Aquitanorum Ducem excuſauerunt, aſſeuerantes quòd iter ad Concilium inierit, ſed agritudine detentus obiter remanſerit. Denique Papa infirmitatis cauſâ excuſationem ſuſcepit, inducias dedit, certumque terminum conſtituit, quo Conſul ad placitum in Curiam Papæ veniret, ac ut legitimam uxorem reciperet, aut pro illicito repudio ſententiam anathematis ſubiret. Deinde Barbatus Audinus Ebroicenſis Epiſcopus clamorem de Amalrico fecit, à quo etſi turpiter expulſum, Epiſcopium abominabiliter

Hildegardis Comitiſſa Pictauorum.

minabiliter incenſum denuntiavit, protinus è contra Capellanus Amalrici palam reſpondendo audaciter occurrit, & mendacem Epiſcopum liquidò coram omni cœtu vocavit: Non Amalricus, *inquit*, ſed nequitia tua te meritò expulit, & Epiſcopium combuſſit, ipſe protectò quem Rex per fraudulentam malignitatem tuam exheredavit, & ſtrenuiſſimus Miles armis pollens & amicis, debitum honorem recuperavit. Rex ſiquidem cum pluribus ſervis ſuorum urbem obſedit, imperióque tuo ignem injecit, & Baſilicas omnes cum ædibus concremavit, tali tantóque damno peracto receſſit, nec adhuc arcem ſeu civitatem obtinuit. Videat & judicet hæc ſancta Synodus, quis magis pro combuſtis Eccleſijs condemnandus, Audinus, an Amalricus. *Francis itaque contra Normannos adminiculantibus Amalrico, grandis ibi facta eſt verborum altercatio; tandem facto ſilentio Papa locutus eſt*: Nolite quæſo, carniſſimi mei multiplicatione verborum inutiliter contendere, ſed pacem ut filij Dei totis uiſceribus inquirite, filius enim Dei pro pace de cœlo deſcendit, & humanum corpus ex intacta Virgine Maria clementer aſſumpſit, ut lethalem guerram per protoplaſti reatum progreſſam piè ſedaret, ut pacem inter Deum & hominem ipſe ſequeſter factus mitteret, ut angelicam & humanam naturam reconciliaret: ipſum in omnibus ſequi debemus, qui ejus in populo ſuo Vicarij qualeſcumque ſumus, pacem & ſalutem membris ejus omnimodis procurare ſatagemus, quia miniſtri, & diſpenſatores miniſteriorum Dei ſumus, membra quippe Chriſti populum Chriſtianum appello, quem ipſo ſanguinis ſui redemit pretió. Inter bellicos tumultus in perturbatione poſitus ſeculari, quis dignè poteſt ſpiritualia contemplari vel in lege Dei competenter meditari, bellica ſeditio commovet ac diſſolvit, & per abrupta vitiorum lethaliter evagari cogit, Eccleſias violat, ſacra contaminat, & plura nefaria irreverenter exagitat, Clerum vehementer inquietat, & à ſtudio religionis pluribus modis evocat, in cultu Dei conſiſtentes territat, moleſtijs nequiter infeſtat, & quid agant præ timore neſcientes enervat, regularem diſciplinam confundit, ac diſſipat, & indiſciplinatos in omne nefas præcipitat. Eccleſiaſticus itáque rigor diſſolvitur, lethifera diſſolutio paſſim diffunditur, & caſtitatis pudor flebiliter exponitur; furia verò malorum abominabiliter graſſatur, & iniquorum phalanx ad inferos miſerabiliter quotidie raptatur.

Rodulfus. XLVII. ARCHIEP. An. 11.9.

Pontificis hortatio.

Pacem igitur quaſi bonorum nutricem lucidè videmus, in omnibus ubíque ferventer amplecti debemus, indeſinenter ſervare, omnibus imperare, verbis & exemplis prædicare, hanc ipſe Chriſtus ad paſſionem properans ſuis reliquit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Hanc eandem ipſe reſurgens ex mortuis repræſentavit dicens: *Pax vobis*. Magna quies & ſecuritas eſt, ubi pax regnat, dolor & tribulatio ferit omnes & cruciat, quos ira rodit, ac diſcordia ſtimulat. Pax eſt blanda & ſalubris concatenatio cohabitantium, omníque creaturæ rationali generale bonum, quo indiſſolubiliter nexi cœleſtes gaudent, terrigenæque ſimili nexu colligari jugiter indigent, ſine qua poſtulantes timentur, & timent, numquam ſecuri turbantur & mœrent. Hanc igitur virtutem quam appello, quam & ſanctarum auctoritate ſcripturarum, & generali approbatione publicæ commoditati ſummopere laudo, toto niſu inquirere, & in tota Dei Eccleſia ipſo juvante diffundere vivaciter elaborabo. Treviam Dei, ſicut eam ſanctæ memoriæ Urbanus Papa in Concilio Clari-montis tenendam conſtituit, præcipio, & reliqua decreta, quæ ibi à ſanctis Patribus ſancita ſunt, & auctoritate Dei, & ſancti Petri Apoſtoli, omniúmque Sanctorum Dei confirmo. Imperator Alemannorum mandavit mihi, ut Moſomum caſtrum adeam, ibíque pacem cum eo ad utilitatem ſanctæ Matris Eccleſiæ faciam, illuc utíque pro pace laboraturus nunc ibo, & Coepiſcopos meos Remenſem & Rotomagenſem, & alios quoſdam de Fratribus & Coepiſcopis noſtris mecum mi-

Joan. 14. d. 27.

20. E. 20.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1119.

» nabo, quos præ ceteris ad hoc placitum neceſſarios æſtimo; alijs omnibus » Epiſcopis & Abbatibus jubeo, ut hic præſtolentur nos quantocius redituros » auxiliante Conditore noſtro.

» Omnes hîc exſpectare commendo, nec etiam Goiffridum Abbatem ſancti » Theoderici abire permitto, quamvis ejus hoſpitium ſit in proximo. Orate pro » nobis, ut D[illegible] & Dominus noſter proſperum iter nobis concedat, & om- » nes conatus noſtros ad pacem, & utilitatem totius Eccleſiæ benigniter di- » rigat: cùm autem reverſus fuero, clamores veſtros, & ratiocinationes, ut » rectiùs potuero, diligenter diſcutiam opitulante Domino, ut cum pace & » exſultatione ad propria remittatur hæc ſacra Concio. Deinde ſpiritualem » filium, & originis propinquitate conſobrinum, Regem Anglorum adibo, » precibus & alloquijs, ipſum & Tetbaldum Comitem, ejus videlicet nepo- » tem alióſque diſſidentes admonebo, ut in omnibus rectitudinem faciant, & » ab omnibus eamdem in amore Dei recipiant, & juxta legem Dei pacificati, » ab omni bellorum ſtrepitu ſileant, atque cum ſubjectis plebibus ſecuri » quieſcentes gaudeant. Porro illos qui perſuaſionibus noſtris obtemperare » noluerint, ſed in ſua procacitate contra jus, & publicam quietem contu- » maciter perſeveraverint, terribili anathematis ſententiâ feriam; niſi à pra- » vitate ſua reſipuerint, & pro tranſactis reatibus canonicè ſatisfecerint. *His* » *dictis cœtus Fidelium ſolutus eſt.*

Pontifex it Moſomum locuturus cum Imperatore.

In craſtinum feriâ quintâ cum inſigni comitatu Moſomum profectus eſt, & Dominico ſequenti præ labore & motu laſſus & æger Remis regreſſus eſt. Interea multitudo magiſtratuum, Papæ reditum ægrè præſtolata eſt, nam qui de longinquis regionibus illuc Apoſtolici juſſu convenerant, ibi nihil agentes infructosè ſua diſtrahebant, ſuarumque curam domorum cum mœrore intermittebant. Denique reverſus Papa, per quatuor dies Synodum tenuit, & de diverſis Eccleſiarum negotijs tractauit. Igitur feriâ ſecundâ poſtquam Papa conſedit, Iohannes Cremenſis, eruditus & eloquens Presbyter ſurrexit, & peracti euentus itineris ſeriatim » *enucleare cæpit.* Notum eſt, *inquit*, ſanctitati veſtræ quod Moſomum per- » rexímus, ſed infortunijs contra nos inſurgentibus, nihil commoditatis per- » petravimus, illuc feſtinanter ivimus, ſed inde feſtinantiùs redivimus; Im- » perator enim cum ingenti exercitu ad prædictum locum advenit, & quaſi » pugnaturus armatorum ferme triginta millia ſecum habuit. Hoc itaque » animadvertimus, Dominum Papam in præfato caſtro, quod in Remenſis » Archiepiſcopi eſt dominio, incluſimus, & nos inde ad condictum collo- » quium egredientes, ipſum exire omnino prohibuimus, ſecretiùs fari cum » Imperatore multoties quæſivimus, ſed mox ut à turba ſegregati, cum illo » ſeorſum migraremus, innumeri ſatellites voluntatis ejus & fraudis conſcij, » nos circumdabant, & lanceas gladióſque ſuos vibrantes, ingentem nobis » metum incutiebant; non enim ad bellum inſtructi veneramus, ſed inermes » pacem univerſali Eccleſiæ procurabamus. Imperator doloſus per diverſas » ambages cavillabatur, frauduléter nobiſcum loquebatur, ſed præſentiâ Papæ, » ut eumdem caperet, ſummopere operiebatur: ſic totum diem inutiliter exe- » gimus, ſed Patrem Patrum ab oculis ejus ſollerter occultavimus, memores » quàm fraudulenter idem ipſe Romam intraverit, & ante aram in Baſilica » S. Petri Apoſtoli Paſchalem Papam ceperit. Denique nos tetra nox dire- » mit, & unuſquiſque ſua magalia repetijt, nos uti formidantes ne peiora in- » curreremus, iter repedandi, imo fugiendi velociter inivimus; quin etiam » ne formidabilis tyrannus cum multis legionibus, quas ſecum ducebat, » perſequeretur nos, valde timuimus. De his dixiſſe nunc ſufficit.

Alexander Leodienſis Theſaurarius Pontificatum pretio dato obtinuerat ab Imperatore, per baculum & annulum ab eodem inveſtitus, ſeptem ſcilicet millia libras argenti illi numeraverat. *Laurent. Leodienſis. Vaſſeb in hiſt. Virdun.*

Colonienſis Archiepiſcopus Legatos & epiſtolas Domino Papæ direxit, & profeſſa ſubjectione pacem, & amicitiam cum illo pepigit, filium quoque Petri Leonis, quem obſidem habebat, ob amoris ſpecimen gratis reddidit, hæc dicens, *quaſi*

Colonienſis Archiepiſ. Legatos & litteras Dom. Papa dirigit.

Digitized by Google

RODUL-
FUS.
XLVII.
ARCHIEP.
An. 1119.

quasi ob insigne tripudium, latitiámque mirabilem, digito monstrauit magnum & pallidum adolescentem, magis Iudæo vel Agareno, quàm Christiano simílem, vestibus quidem optimis indutum, sed corpore deformem, quem Franci alíjque plures Papæ adsistentem intuentes deriserunt, eique dedecus, perniciémque citam imprecati sunt propter odium patris ipsius, quem iniquissimum fenera-torem noverant.

Lugdunensis Archiepisc. & Matisconensis Episc. conquerun-tur de Pétio Cluniacêsi Abbate.

Deinde Lugdunensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis surrexit, & ita loqui cæpit: Matisconensis Episcopus ad hanc sanctam Synodum clamorem " fecit, quòd Pontius Cluniacensis ipsum, Ecclesiámque suam damnis, mul- " tisque injurijs afficit, Ecclesias, decimásque suas, debitásque subjectiones " sibi violenter abstulit, & congruas dignitates, suorúmque ordinationes Cle- " ricorum denegavit. *Questus hujusmodi Lugdunensis Primas explevit, multi Præsules & Monachi atque Clerici persecuti sunt, & de rebus sibi violenter ablatis cum vociferatione clamores fecerunt, ac de injustis invasionibus, quas à Cluniacensibus perpessi sunt, plures valde tumultuati sunt, diúque perstre-pentes, acerbas querimonias evomuerunt.*

Tandem facto silentio Cluniacensis Abbas cum grandi conuentu Monachorum surrexit, bréuique responso & modesta voce & tranquilla locutione, querulosos impetitores compressit, erat quippe magnanimus de Valle-Brutiorum, Monachus, Consulis Mergulienſis filius, & Paschalis Papæ filiolus, imperióque ejus inter Cluniacenses educatus, ætate quidem juvenis & statura mediocris; sed à pueritia docilis, in virtutibus stabilis, & coessentibus alacritate affabilis, candida verò facie decorus, moribus & genere ut dictum est conspicuus, Regum & Imperato-rum consanguinitate proximus, religione ac peritia litterarum præditus, idéo-que tot charismatum prærogatiuis redimitus, fortis in aduersantes æmulos stabat, ac rigidus, multis ut caraxatum est clamoribus in Synodo propulsatus respondit: Cluniacensis Ecclesia soli Romanæ Ecclesiæ subdita est, & Papæ propria, " & ex quo fundata est à Romano Pontifice obtinuit privilegia, quæ pro- " clamatores isti suâ nituntur abolere & frustrari violentiâ. Notum autem " sit vobis, beati Patres qui adestis, omnibus quòd ego, & Fratres nostri " monasticas res, quas jure servandas suscepimus, sicut eas venerabilis Hugo, " aliique sancti prædecessores nostri habuerunt, servare contendimus, nulli " damna vel injurias injessimus, res alienas diripuimus, nec aliquatenus di- " ripere sua cuilibet concupiscimus. Verùm res pro amore Dei datas à Fi- " delibus, quia pertinaciter defendimus, à raptoribus invasores dicimur, & " opprobria multa injustè toleramus, nimia de his ad me sollicitudo non " pertinet, Ecclesiam suam dominus Papa, si vult, defendat, & Ecclesias " decimásque cum alijs possessionibus, quas ipse mihi commisit, patroci- " netur & custodiat. "

Cremensis Epi-scopus Clu-niacensium pri-vilegia tuetur

Papa igitur de omnibus, quæ ab utrisque partibus audierat, in crastinum pe-rendinari judicium imperat. Sequenti verò die Iohannes Cremensis surrexit, & locutionis suæ proœmium hujusmodi inchoauit: Sicut justum est, ut dominus " Papa clamores vestros solerter audiat, vobísque sicut pater filijs sine fi- " ctione omnimodis subvenire, talíque vobis obsequij famulatu non semel " quotidie debeat, sic nimirum decet ac justum est, ut ipse idem in Parochijs " vestris aliquid proprietatis possideat, Ecclesiámque seu domum vel aliquam " possessionem sua electione sive Fidelium oblationem liberam habeat. " *Postquam ab omnibus hoc gratanter concessum est, consequenter Iohannes* " *adjecit:* Ducenti & eo amplius anni sunt, ex quo Cluniacensis Ecclesia fun- " data est, & ab ipso primordio fundationis suæ Romano Papæ donata est " à quo utilibus privilegijs in Romana Synodo coram multis arbitris diversæ " dignitatis evidenter insignita est. Ratum est & in chartis insertum legen- " tibus liquidò patebit, quòd Geraldus Aquitanicus Cluniacense Cœnobium "

Cluniacum in Matisconensi episcopatu à Bernone Abbate & Guil-lelmo Aquita-nia Duce & Arvernia da-tatore fundatur. Claudy Robertus.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An. 1119.*

» in alodio ſuo conſtruxit, & illud Romam pergens Romano Pontifici de-
» votiſſimè commiſit, nec id fruſtra fieri voluit; nam ipſe tunc duodecim
» aureos Papæ obtulit & exinde totidem ſingulis annis dari decrevit. Præ-
» fata ergo Eccleſia nulli Principum ſeu Præſulum uſque nunc, niſi Papæ
» ſubjacuit, Deóque largiter opitulante fundis & religioſis habitatoribus fe-
» liciter crevit, unde bonus odor laudabilis famæ longè latéque per orbem
» flagravit exemplúmque ſanctitatis piè quærentibus diſciplinam ſalubriter
» exuberavit. Conventus Monachorum ſecundum regulam ſancti Benedicti
» Patris Abbatem eligit, electum Papæ cum litteris atteſtantibus dirigit, quem
» ipſe ſecundùm eccleſiaſticum morem conſecrat & benedicit.

» Omnis credentium multitudo credit ac perhibet, quòd qui apoſtolicæ
» Sedi jubente Deo præſidet, ligandi atque ſolvendi poteſtatem habet;
» Principis enim Apoſtolorum Petri Vicarius eſt, cui divinitus dictum:
» *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram adificabo Eccleſiam meam, & portæ in-*
» *feri non prævalebunt adverſus eam & tibi dabo claves Regni cælorum. Et*
Matth. 16. cap. 18. » *quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcum-*
» *que ſolveris ſuper terram erit ſolutum eſt in cælis.* Ergo apoſtolica Sedes
Romana Eccleſia prærogativa. » cardo & caput omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio conſtituta
» eſt & ſicut cardine oſtium regitur, ſic apoſtolicæ Sedis auctoritate omnes
» Eccleſiæ Domino diſponente reguntur. Ecce B. Petro conceſſum eſt à
» Filio Dei, ut ceteris præemineret Apoſtolis, unde Cephas vocatur qui caput
» & primus eſt omnium Apoſtolorum & quod in capite præceſſit, in membris
» ſequi convenit, quis ei reſiſtere poteſt, cui tanta poteſtas à Domino con-
» ceſſa eſt? quis audet ſolvere quem Petrus ligavit, ſive ligare quem ipſe
» abſolvit? Igitur cùm Cluniacenſis Abbatia ſoli Papæ ſubjiciatur & ille qui
» præcipiente Deo in terris ſuper omnes eſt, ipſam patrocinetur, Romana
» auctoritas Cluniacenſium privilegia corroborat, & in virtute Dei cum
» omnibus Eccleſiæ filijs imperat, ne quis eos temere priſtina libertate
» privet, nec poſſeſſionibus olim habitis ſpoliet, nec inſolitis vexationibus
» prægravet, in pace omnia poſſideant, ut quieti ſemper ſervire Deo
» valeant.

Hac Iohanne dicente plures Præſulum & aliorum, qui confines illis erant tumultuati ſunt, nec ea quæ per Cardinalem conſtanter edita ſunt, quamuis aperiè contradicere juſſionibus Papæ non auderent, conceſſa ſunt. In altercationibus multiſluæ jaculabantur ſententiæ, abundanter emanantes de profundo fonte dinitiæ ſapientiæ Sed omnia Concilij geſta nequeo ſigillatim retexere, arguti ſophiſtæ de multiplicibus Eccleſiæ negotijs ſubtiliter tractauerunt, & multa ſtudioſis auditoribus documenta luculenter intimauerunt. Ibi Gerardus Engoliſmenſis, Hato Viuarienſis, Goiffridus Carnotenſis, & Guillelmus Catalaunenſis duces verbi præ ceteris intonuerunt, & dicacibus ſcholaſticis, atque feruidis amatoribus ſophiæ, inuidioſi enituerunt. Nuntius de morte Tuſculani Cardinalis Epiſcopi nuper in itinere defuncti locutus eſt, & epiſtola Clementiæ ſororis Papæ pro Balduino Comite Flandrenſium filio ſuo recitata eſt, pro quibus & pro cunctis Fidelibus defunctis lugubris Paſtor, cum venerabili cœtu Deum precatus eſt.

In nouiſſimo Concilij die Barcinonenſis Epiſcopus corpore quidem mediocris, & macilentus, ſed eruditione cum facundia & religione præcipuus ſubtilem ſatiſque profundum ſermonem fecit de regali & ſacerdotali dignitate, quem ſummæ cuncti qui percipere poterant, hauſerunt auiditate. Tunc Papa Karolum, Henricum Imperatorem theomachum, & Burdinum Pſeudopapam & fautores eorum mœrens excommunicauit, alióſque ſceleſtos qui manifeſtè ſapius correpti: ſed inemendabiles perdurabant, illis aſſoſciauit, parique anathematis percuſſione. uſque ad emandationem multauit. Denique decretalia Synodi Capitula propalare imperauit, Iohannes Cremenſis ex conſultu Romani Senatus dictauit, Iohannes Roto-

Istomagensis sancti Audoeni Monachus in charta notauit, & Chrisogonus S R E. Diaconus distinctè & apertè recitauit. Textus autem Concilij hujusmodi est.

RODUL-FUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1119.

QUæ sanctorum Patrum sanctionibus de pravitate simoniaca stabilita sunt, « Spiritus sancti judicio & auctoritate Sedis apostolicæ confirmamus. « Si quis ergo vendiderit, aut emerit, per se, vel per summissam personam, « quemlibet Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presby- « teratum, Præposituram, Præbendam, Altaria, vel quælibet alia ecclesiastica « beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, Ecclesiarum dedica- « tiones, clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quælibet ecclesiastica offi- « cia, & vendens & emens dignitatis, & officij sui, & beneficij periculo sub- « jaceat; quòd nisi resipuerit anathematis mucrone perfossus ab Ecclesia Dei « quam læsit, modis omnibus abscindatur. «

Hujus Concilij Canones extant in Chronico sancti Petri Vivi.

Episcopatuum, Abbatiarum investituram, per manum laicam fieri penitus « prohibemus. Quicumque igitur laicorum deinceps investire præsumpserit, « anathematis ultioni subjaceat; porro qui investitus fuerit, honore quo in- « vestitus est, absque ulla recuperationis spe omnimodè careat. «

Universarum Ecclesiarum possessiones quas liberalitate Regum, largitione « Principum, vel oblatione qualibet Fidelium eis concessæ sunt, inconcussas « in perpetuum & inviolatas permanere decrevimus: quòd siquis eas abstule- « rit, invaserit, aut potestate tyrannica detinuerit, juxta illud B. Simmachi « Capitalium, anathemate perpetuo feriatur. «

Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omnino de Clero ecclesia- « sticas dignitates, vel beneficia cuilibet quasi jure hereditario derelinquat: « illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro baptismatis, chrismatis sacri, & « sepulturæ acceptione, & infirmorum visitatione, vel unctione, nullum om- « nino pretium exigatur. «

Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus concubinarum & uxorum « contubernia prorsus interdicimus; si qui autem hujusmodi reperti fuerint, « ecclesiasticis officijs priventur, & beneficijs, sanè si neque sic immundi- « tiam suam correxerint, communione careant christiana. «

Hæc 3. Kalend Novemb. Callistus II. Papa cum omni Concilio sanxit, & omnes qui convenerant illuc, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti benedixit, deinde sacrum illud Collegium solutum est, & unusquisque laudans Deum ad propria regressus est.

Refert Ferreolus Locrius ad ann. 1118. Gelasium in Concilio Remensi Gombaldo Trajectesi ad Rhenũ Episcopo usum Mitræ concessisse.

Beatum Nortbertum pro novi sui Ordinis confirmatione Remos venientem Bartholomæus Laudunensis Episcopus ad Callistum deducit, séque ejusdem Ordinis benefactorem exhibet.

CAPUT XXIX.

INTER insignes pietate & doctrina viros, qui visendi Pontificis, ac peculiariter aliquid ab eo impetrandi gratiâ Remos advolârant, haud ultimus fuit beatus Nortbertus, genere quidem nobilis, & in Ecclesia Colonienſi inter Canonicos ditissimus, sed incredibili æstuans desiderio arctiorem vitæ perfectionem amplectendi, sub novo religionis schemate ab sanctæ Sedis auctoritate approbando. Hunc nudis pedibus incedentem ad Gelasium prius accessisse, cùm indicto Remis Concilio Alpes transijsset, tradit auctor Supplementi ad Sigebertum, à quo, cùm animi

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An. 1115.*

corum bona grassarentur. Rege siquidem in Regni perturbatores castellis egregiè munitis sisos, occupato, ansam arripiebant impunè sic sæviendi. Hinc Thomas de Marna per diœceses Laudunensem & Ambianensem bacchabatur, illinc domini de Ruminiaco & de Guza in fines Trevirensium, quæ Remensi adjacent, alibi Comites Campaniæ, Rethellij, & de Roceio, nec mirum, turbato enim Reipublicæ statu, & exsule æquitate, pessum eunt omnia. Contra hæc Synodi sæpius ab Episcopis convocatæ præsentissimum intulere remedium, quibus cùm Rex nonnumquam interesset, quos nec blandi sermones, nec censuræ ecclesiasticæ ab invasione bonorum avertere poterant, hos armis generosè aggrediebatur. Nonnulli tamen ex his conscientiæ stimulis agitati, ne in æternum perirent, ad satisfaciendum inducti sunt; inter quos exstitit hoc anno Ingelramnus Cociacensis, & sequenti Hugo Comes de Regiteste, de quibus breviter agendum.

Ingelramnus Cociacensis & Hugo Comes de Regiteste.

CAPUT XXVII.

INgelramnus igitur pater Thomæ insignis deprædatoris, qui Cociacum, vetus Remensis Ecclesiæ dominium, sub annuo censu à Remigianis obtinuerat, hunc pertinaciter à multis annis solvere recusans, tandem hortante Bartholomæo Laudunensi Episcopo se debitorem esse erga Francorum Apostolum sequenti pagina ingenuè, & liberaliter professus est.

1116. » IN nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Ego Bartholomæus Dei » gratiâ Laudunensium Præsul. Beatus Remigius merito sanctitatis suæ » terram quæ Megium dicitur, in qua est castellum Cociacum à Principibus » Franciæ adquisivit, & in vita sua obtinuit, post cujus glorioſum transitum, » Ecclesia illius nomine consecrata eandem terram longo tempore quietè » possedit, sed postea Ecclesiarum vigore imminuto, Milites qui Cociacum » obtinebant, à Monachis Sancti-Remigij impetrârunt, ut Cociacum castellum sub censu sexaginta solidorum annuatim persolvendorum obtinerent, & hunc censum habuit Ecclesia sancti Remigij usque ad tempus » Ingelramni. Sed tandem ingravescente iniquorum perversitate, prædictus » Ingelramnus qui Cociacum obtinebat, censum Ecclesiæ diu abstulit, » insuper etiam homines Sancti-Remigij, qui in Megio habitabant, pervasit, & quosdam eorum Militibus suis in feodum sub nomine advocationis distribuit.

Hoc anno Radulfus Archiep. Sanctonysiam. Remēsiū duo altaria contulit, & in Attinensi fisco, ab Hugone Campaniæ Comite Archiepiscopū dato, decimā annonæ, & omnium aliorum reditnum pro anniversario annuatim celebrando.

» Tandem verò divino instinctu & religiosorum virorum admonitione » compunctus, injustitiam suam recognovit, & censum pro castello per singulos annos in festivitate S. Remigij se esse persoluturum Azenario Abbati, & Monachis ejus spopondit: advocationem verò in sua propria » manu retinuit, ita quod nulli eorum, quibus eam dederat amplius auctor » & Vuarendus erit.

» Habebant autem Monachi in hominibus supradictis mortuammanum, » totam si per se adquirere poterant; quod si Advocatum facto clamore » adierint, & Advocatus justitiam fecerit, Monachi duas partes, Advocatus » tertiam habebit. Transitum etiam piscium, rerúmque omnium ad Ecclesiam sancti Remigij pertinentium, sine omni pretio in tota terra sua » concessit. Huic constitution. interfuerunt Vuibertus Abbas Novigenti, » Guido Castellanus, Robertus Anguilla, Guido de Guni, &c. Qua verò

Vuibertus Vel Guibertus Abbas Noviáni, vel Novigenti Vel de Norgēto vulgo Nogēt.

terra

terra illa in noſtra parochia eſt, ex una parte Ingelramnus, ex alia parte Monachi S. Remigij nos exoraverunt, ut prædictam conſtitutionem auctoritate noſtra confirmaremus; eam itaque confirmamus, & ne quis eam violare præſumat, anathema in medium damnamus. « RODULFUS. « XLVII. « ARCHIEP. « An. 1116.

Signum Bartholomæi Epiſcopi qui hoc ſcriptum fieri præcepit. | Sig. Anſelli Decani & Archidiaconi. « Sig. Vuidonis Theſaurarij & Archid. « Signum Blichardi Cantoris. « Signum Ingelramni. « Actum Lauduni an. Incarnat. 1116. Indict. v. Epacta IV. Concurr. VI. « Ego Anſellus Cancellarius ſanctæ Mariæ relegi. «

Hugo Comes, qui eâdem prurigine laboravit rapiendi per fas & nefas bona Eccleſiæ, quâ & ceteri Comites de quibus ſupra; cùm Eccleſiam B. Mariæ extra muros caſtelli Regiteſtenſis ſibi dudum vindicâſſet, velut ſui Comitatus appendicem, ſæpius eum Azenarius Abbas convenit, ut ab hac injuſtitia eum revocaret, haud mediocris periculi eſſe aſſerens, non modò alienigenam ad ſanctuarium Dei accedere, ſed & res à fundatoribus legatas, quæ ſunt patrimonia pauperum, heredibus tanquam à proavis relictas tranſmittere. Cùmque multoties id inculcâſſet, tandem Deo inſpirante Comes præfatam Eccleſiam, cum omnibus ad eam pertinentibus in manus D. Rodulfi Archiepiſcopi hac religioſa pactione abdicavit, ut eam ſancto Remigio concederet, quod & factum eſt coram multis diverſi ordinis teſtibus ad id ſpecialiter vocatis, ne præſens donatio futuris temporibus aboleri poſſet, quam hîc ut major habeatur fides, ex membranis exſcriptam refero.

Hugo Regiteſtenſis Comes Eccleſiáquam uſurpaverat in manus Archiepiſcop. abdicavit.

Rodulfus Dei gratia Remorum licet indignus Sacerdos, omnibus qui & dici, & ſe Remenſis Eccleſiæ gloriantur eſſe filios. Ab antiquitate « An. 1118. temporum notiſſimum eſſe conſtat Eccleſiam B. Mariæ, quæ ſita eſt extra « muros caſtelli, cui Regiteſtis vocabulum eſt, Laicorum ceſſiſſe dominio, « & heredum ſucceſſione, eorum violentæ ſubjectam fuiſſe ditioni. Conſi- « derans autem prædicti caſtelli Comes Hugo, qui eam diu ſibi uſurpaverat, « non modici fore periculi alienigenam ad ſanctuaria Dei accedere, & he- « reditate illud poſſidere, animæ ſuæ conſultum eſſe voluit, quod male « geſſerat corrigere curavit. Interventu igitur Azenarij Abbatis præſentiam « noſtram adijt, & ſe errâſſe pœnitens jam dictam Eccleſiam in manus « noſtras hac religioſa pactione interpoſita, ut eam videlicet beato Remigio « concederemus, præfatus Comes abdicavit. Voluit præterea, ut tres præ- « bendæ quas quibuſdam Clericis ſuis jam dederat, eis in eadem Eccleſia « haberi permitterentur; decedentibus verò illis, & alijs qui ibidem de- « putati ſunt, in arbitrio Abbatis eſſe, aut Monachos ſubſtituere, aut Ca- « nonicos, ut adhuc ſunt, ibidem dimittere. His ita à nobis & ab Abbate « conceſſis ſæpefatam Eccleſiam de manu Comitis ſuſcepimus, & hac « teſtamentali charta cum omnibus ad eam pertinentibus beato Remigio « perpetuò tenendam contulimus, quam, ne temporum prolixitate donatio « illa aboleri poſſet, idoneis teſtibus & noſtræ imaginis auctoritate robo- « rari juſſimus. «

Signum Rodulfi Archiepiſcopi. | Sig. Joffridi S. Thederici Abbatis. «
Signum Azenarij Abbatis S. Remigii. | Sig. Haiderici Moſomenſis Abbatis. «
Sig Odonis, *poſtea Abbatis S. Remigij.* | Sig. Hugonis ſancti Baſoli Abbatis. «
Sig. Hugonis Abbatis Altivillarienus. | Sig. Joranni ſancti Nicaſij Abbatis. «

De Canonicis ſanctæ Mariæ. «

Signum Nicolai Archidiaconi. | Signum Lamberti Cantoris. «
Signum Cirici Archidiaconi. | Sig. Gerardi, Elberti, Adæ Preſbyt. «
Signum Ebali Præpoſiti. | Sig. Fulconis, Richardi, Alberti Diac. «
Signum Joffridi Decani. | Sig. Simonis Albrici, Leonis Subdiac. «

De

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1118.

De Monachis ſancti Remigij.

» Lambertus Prior, Richerus, Petrus.

De Laicis.

» Hugo Comes, & ex parte ejus Haimo Caſtellanus Rainaldus de Burgo,
» Johannes de Alto-monte, Adam & Albricus Regiteſtenſis.

De hominibus ſancti Remigij.

» Thomas Major, Ernaldus, Hugo Cubicularius.

Ex Clericis de Regiteſte.

» Otbertus Præpoſitus, Dodo, Roiricus, Heribertus.

» Actum Remis anno Incarnat. 1118. Indict. XI. Ludovico Rege regnante X. Archiepiſcopatûs domini Rodulfi XII.

Cùm Abbatis ſancti Remigij relictum eſſet arbitrio Canonicos cum præbendis in hac Collegiata, & Parochiali Eccleſia conſervare ut antiquitus, aut Monachos illis ſubſtituere; illud poſtremum elegit, tanquam ſibi utile & ſuo Monaſterio perhonorificum, quod Calliſtus Papa ſuo diplomate confirmavit anno 1119. ſícque celebri hac potitus Eccleſia, quæ in Prioratum erecta eſt, tres vel quatuor aluit Monachos cum Priore, qui divinis in ea laudibus tenaciter incumbunt, gaudéntque certis juribus, & prærogativis tanquam primarij ſub Abbate, quamvis titulus pridem exſtinctus ſit, ſeu verius Menſæ Abbatiali, quo pinguior evaderet, ſanctæ Sedis apoſtolicæ auctoritate annexus.

Concilium generale Remis coactum, cui præfuit Calliſtus ſecundus ſummus Pontifex, ex Ordérico Vitale Lib. xij. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

CAPUT XXVIII.

An. 1119. PASCHALI Pontifici, haud abſque animi mærore vivis ſublato, quòd inveſtituras Imperatori coactus indulſiſſet, ſucceſſit Gelaſius ejus nominis ſecundus, vir ſcientia inſignis, & animi robore, quem Schiſmatici qui Burdino Pſeudopapæ favebant, ſtatim ac infulas induit, tot injurijs laceſſerunt, ut cùm ei nulla quiete Romæ vivendi reliqua ſpes eſſet, in Gallias, unicum videlicet, & uſitatum tutiſſimúmque Romanis Pontificibus in perſecutione refugium, migrare coactus ſit. Quanta verò alacritate & cultu à Francis exceptus ſit, & quomodo ei extrema inopia laboranti primitias Regni obtulerint, narrat Sugerius in vita Ludovici VI. Chronicon Morigniacenſe addit præterea, quòd cùm primo ordinationis ſuæ anno ab Urbe cauſis emergentibus egreſſus eſſet, & per maritima loca cymbâ portatus, apud Remos Metropolim Regni Concilium deſtinaſſe, in qua ſe magna diſpoſiturum credebat, ſed divino judicio quod occultum, numquam tamen injuſtum eſt, aliter diſponente, præventum ægritudine Cluniaco diem obijſſe, ubi & ut ſummum decebat Pontificem honorificè ſepultus eſt. Eo verò mortuo Cardinales ceteríque Romani, qui ibi confluxerant Vuidonem paulloante Viennenſem Archiepiſcopum ſtrenuum & incomparabilem, genere nobilem virum eligunt, & pontificalibus induunt inſignibus, qui Viennam reverſus rebúſque diſpoſitis per Gallias tranſitum faciens, Toloſæ primo, Remis ſecundo celebrato Concilio Romam cum maximo tripudio ſicut decebat intravit. Hæc ſtrictim auctor Chronici Morigniacenſis. At Ordericus vitalis Monachus Cœnobij Uticenſis in Normânia non Præſules modò, Principum Legatos, ſed totius Concilij ſeriem, apparatum réſque in eo diſcuſſas repræſentat & graphicè depingit. Juvat igitur eum audire loquentem.

Chronicon Morinia. ad an. 1119.

A Sugerio Vocatur. Imperialis & regiæ celſitudinis derivativa cõſanguinitate generoſus.

Reginæ Frãc. cõjugi Ludov. ſcilicet Regis, patruus, *ab Hermanno.*

In Pago Oxmenſi diœceſis Lexovienſis nunc dictum S. Evroul.

In

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1119.

IN medio Octobris Calliſtus Papa cum Romano Senatu Remis venit, ibique quindecim diebus demoratus Concilium tenuit & de utilitatibus Eccleſiæ cum Paſtoribus dominici gregis ſollerter tractavit. Ibi nimirum fuerunt quindecim Archiepiſcopi & pluſquam ducenti Epiſcopi cum multis Abbatibus & alijs Eccleſiæ Dignitatibus, Apoſtolico enim juſſu evocati de Italia & Germania, de Gallia & Hiſpania, de Britannia & Anglia, de Inſulis oceani & cunctis occidentalibus provincijs congregati ſunt pro amore Saluatoris, ejus parati gratanter obedire mandatis.

Moguntinus Archiepiſcopus cum ſeptem Præſulibus Remis ad Synodum properavit, quos quingentorum militum cohors ſecurè vallauit, quorum aduentu comperto Pontifex exſultauit, eiſque Hugonem Tricaſſinum Comitem cum turmis militum amicabiliter obuiam miſit.

Rex Anglorum Prælatis Regni ſui ad Synodum quidem ire permiſit ſed omnino ne alicujuſmodi querimoniam in alterutrum facerent prohibuit, dixit enim: Omnipotentiam rectitudinem conquerenti faciam in terra mea, redditus ab anterioribus conſtitutos Romanæ Eccleſiæ ſingulis annis erogo, & privilegia nihilominus ab antiquis temporibus pari modo mihi conceſſa teneo, ita Dominum Papam departe mea ſalutate & apoſtolica tantum præcepta humiliter audite, ſed ſuperfluas adinventiones Regno meo inferre nolite

Hic idem Calliſtus cum epiſcopali munere fungeretur in Gallia Cõciliũ Viennæ habuit cui interfuit aut potiꝰ præfuit S. Godefrid. Ambian. Epiſcop. quòd Calliſtus impedimoris eſſet linguæ. *Spond. ad an. 1122.*

In Eccleſia Metropolitana Synodus celebrata eſt ibi Papa XV. Kalendas Novembris Domino Miſſam cantauit & Baiocenſem Turſtinum Eboracenſibus Archiepiſcopum conſecrauit priuilegioque ne Cantuarienſi Metropolitæ veluti magiſtro, ſed quaſi Coepiſcopo ſubjiceretur donauit.

Sequenti autem Dominico Fredericum Hermanni Namurci Comitis fratrem Leodienſibus Epiſcopum benedixit, qui infra triennium ab amulis veneno infectus obijt & nunc miraculis ad ſepulcrum ejus coruſcantibus, feliciter ſplendeſcit. In Baſilica ſanctæ Virginis Mariæ ante Crucifixum XIJ. Kalend. Novemb. Præſulum cathedræ appoſitæ ſunt & ſinguli Metropolitæ, prout eis antiquitus à Romano Pontifice conſtitutum eſt, ordinatè conſederunt, Rodulfus cognomento Viridis Archiepiſcopus Remenſis, & Leothericus Bituricenſis, Humbertus Lugdunenſis, & Goffridus Rotomagenſis, Turſtinus Eboracenſis, & Daimbertus Senonenſis, Giſlebertus Turonenſis, & ſucceſſor ejus Hildebertus Cenomanenſis, Baldricus Dolenſis, & alij octo Archiepiſcopi, cum Suffraganeis ſuis, & abſentium Legatis cum multis Abbatibus & Monachorum ac Clericorum multitudine futurum examen præfiguraũêre, quod in ſpiritu intuens Iſayas, & quaſi digito demonſtrans exclamat cum metu ac mentis alacritate: Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & Principibus ejus. *Iſa. 3. cap. 14.*

In ſublimi conſiſtorio apoſtolica Sedes erat ante januas Eccleſiæ, finitâ Miſſâ Calliſtus Papa reſedit, & in prima fronte coram eo Romanus Senatus conſtitit, Cono Prænestinus Præſul, & Boſo Portuenſis, Lambertus Oſtienſis, Iohannes Cremenſis, & Hato Vinarienſis: ibi nimirum præ omnibus alijs quæſtiones ſubtiliter diſcutiebant, & mira eruditione imbuti, reſponſa ubertim præferebant. Chriſogonus verò Diaconus dalmaticâ indutus Papæ aſtabat, manùque Canones geſtabat, promptus propinare authenticas majorum ſententias, ut res exigebat. Porro alij ſex miniſtri tunicis induti ſeu dalmaticis veſtiti circumſtabant, & frequenter inſurgente tumultu diſſidentium, ſilentium imperabant, Imprimis poſt Litaniam & authenticas orationes, Papa cæpit ſimpliciter & ſanctè latialibus verbis Euangelium explanare, quod juſſerit diſcipulos ſuos transfretum præcedere, eloquenter etiam retexuit quomodo veſperi facto, ventus oritur contrarius, & nauis ſanctæ Eccleſiæ periclitatur in hujus mundi fluctibus, multis modiſque jactatur tentationum, & tribulationum procellis, ſed furentes impiorum flatus ſubitò conquieſcunt. Viſitatione Salvatoris, & optata tranquillitate reuertitur ad filios pacis. Deinde ut Papa ſermonem finiuit. Cono Cardinalis Pontifex ſurrexit, & eloquentiſſimè ſacros Archimandritas de cura Paſtorali admonuit. Ex libro quoque

Hic Chriſogonum S. R. E. Diaconꝰ Cardin. & Bibliothecarium nominatur in priuilegio S. Remigij Remis dato hoc anno.

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1114.

que Geneſeos verba Iacob memoriter protulit, & Prælatos Eccleſiæ circa gregem Domini parem diligentiam habere ſpiritualiter debere aſſeruit, quam Iacob erga oves Laban avunculi ſui, ſe habuiſſe manifeſtauit.

Ludouicus Rex cum Principibus Francorum Synodum introiuit in conſiſtorium ubi Papa reſidens omnibus præeminebat, conſcendit, querimoniámque ſuam rationabiliter deprompſit, erat enim facundus ore, ſtaturâ procerus, pallidus & corpulentus, At hanc *inquit*, ſanctam concionem pro inveſtigando conſilio cum Baronibus meis venio, Domine Papa, & vos ô Seniores audite me obſecro: Rex Anglorum qui jam dudum mihi confederatus exſtitit, mihi meíſque ſubjectis plurimas inteſtationes, & injurias injeſſit, Normanniam, quæ de meo Regno eſt, violenter invaſit, & Robertum Ducem Normannorum contra omne jus & fas deteſtabiliter tractavit, hominem quippe meum, ſed fratrem, dominúmque ſuum multis modis moleſtavit, & ad ultimum cepit, & hucuſque in carcere longo detinuit. Ecce Guillelmum Ducis filium, qui mecum ad vos huc acceſſit, funditus extorrem exheredavit per Epiſcopos, & Conſules, aliáſque perſonas, ipſum, ut captum Ducem mihi redderet, requiſivi; ſed de hac re nihil ab eo impetrare potui. Robertum de Beleſmo Legatum meum, per quem mandaveram Regi quod volebam, in curia ſua cepit, vinculis injecit, & in ergaſtulo truci hucúſque coercuit. Tetbaldus Comes homo meus eſt, ſed inſtinctu avunculi ſui contra me nequiter erectus, eminet enim divitijs, & potentiâ inflatus, in me rebellavit, & infidus mihi atrocem guerram fecit, Regnúmque meum ad detrimenta multorum conturbavit, legitimum bonúmque virum Guillelmum Comitem Nivernenſem (quem bene noſtis) remeantem de obſidione caſtelli cujuſdam excommunicati furis, ubi verè ſpelunca latronum & foſſa diaboli erat, comprehendit, & uſque in hodiernum diem carceri mancipavit. Religioſi Præſules Thomam de Marla, ſeditionum prædonem, totius provinciæ meritò aduerſati ſunt, ideóque mihi generalem inimicum peregrinorum, & omnium ſimplicium, obſidere præceperunt, & ipſi mecum, legitimique Barones Galliæ ad comprimendos exleges convenerunt, & communi collectione chriſtiani exercitûs pro zelo Dei certaverunt. Inde præfatus heros cum mea licentiâ pacificè regrediens captus eſt, & à Tetbaldo Comite uſque hodie retentus eſt, licèt cum multitudo Procerum ex parte mea ſæpe pro liberatione Comitis ſuppliciter requiſierit, & tota terra ejus ab Epiſcopis anathematizata ſit.

Querelam movet Rex Francor. adverſùs Henricum Angliæ Regem, quod Legatum ſuũ Robertum Beliſmenſem cõtra jus gentium cepiſſet. Hunc in ergaſtulo defeciſſe tradit Guillel. Gemetic. lib. 8. cap 35.

Thomas de Marla.

Nivernenſis Comes a Theobaldo captus.

Cùmque Rex hæc, & his ſimilia dixiſſet, & Gallicana concio veracem ejus orationem allegâſſet; Goffridus Rotomagenſis Archiepiſcopus cum ſuffraganeis Epiſcopis, & Abbatibus ſurrexit, & pro Rege Anglorum rationabiliter reſpondere cœpit. Verùm orto tumultu diſſidentium interceptus, conticuit; quia illic multi aderant inimicorum, quibus excuſatio pro victorioſo Principe diſplicuit. Interea Hildegardis Comitiſſa Pictauorum cum ſuis pediſſequis proceſſit, & alta clarâque voce querimoniam ſuam eloquenter enodauit, quam omne Concilium diligenter auſcultauit: ſi quidem dixit à marito ſuo eſſe derelictam, ſibíque Malbergionem, Vicecomitis de Caſtello-Araldi conjugem, in thoro ſubrogatam. Cumque Papa interrogaret utrum Conſul Pictauenſis ſecundùm ſuum edictum ad Synodum veniſſet, Guillelmus eloquentiſſimus juvenis Epiſcopus Sanctonenſis, & plures Epiſcopi & Abbates de Aquitania ſurrexerunt, & eundem Aquitanorum Ducem excuſauerunt, aſſeuerantes quòd iter ad Concilium inierit, ſed agritudine detentus obiter remanſerit. Denique Papa infirmitatis cauſâ excuſationem ſuſcepit, inducias dedit, certumque terminum conſtituit, quo Conſul ad placitum in Curiam Papæ veniret, ac ut legitimam uxorem reciperet, aut pro illicito repudio ſententiam anathematis ſubiret. Deinde Barbatus Audinus Ebroicenſis Epiſcopus clamorem de Amalrico fecit, à quo etſi turpiter expulſum, Epiſcopium abominabiliter

Hildegardis Comitiſſa Pictauorum.

minabiliter incenſum denuntiavit, protinus ècontra Capellanus Amalrici palam reſpondendo audacter occurrit, & mendacem Epiſcopum liquidò coram omni cœtu vocavit: Non Amalricus, *inquit*, ſed nequitia tua te meritò expulit, & Epiſcopium combuſſit, ipſe protectò quem Rex per fraudulentam ma- « lignitatem tuam exheredavit, & ſtrenuiſſimus Miles armis pollens & amicis, « debitum honorem recuperavit. Rex ſiquidem cum pluribus ſervis ſuorum « urbem obſedit, imperióque tuo ignem injecit, & Baſilicas omnes cum ædi- « bus concremavit, tali tantóque damno peracto receſſit, nec adhuc arcem « ſeu civitatem obtinuit. Videat & judicet hæc ſancta Synodus, quis magis « pro combuſtis Eccleſijs condemnandus, Audinus, an Amalricus. *Francis* « *itaque contra Normannos adminiculantibus Amalrico, grandis ibi facta eſt verborum altercatio; tandem facto ſilentio Papa locutus eſt*: Nolite quaſo, cariſſimi mei multiplicatione verborum inutiliter contendere, ſed pacem ut filij « Dei totis uiſceribus inquirite, filius enim Dei pro pace de cœlo deſcendit, « & humanum corpus ex intacta Virgine Maria clementer aſſumpſit, ut le- « thalem guerram per protoplaſti reatum progreſſam piè ſedaret, ut pacem « inter Deum & hominem ipſe ſequeſter factus mitteret, ut angelicam & hu- « manam naturam reconciliaret: ipſum in omnibus ſequi debemus, qui ejus « in populo ſuo Vicarij qualeſcumque ſumus, pacem & ſalutem membris ejus « omnimodis procurare ſatagemus, quia miniſtri, & diſpenſatores miniſterio- « rum Dei ſumus, membra quippe Chriſti populum Chriſtianum appello, « quem ipſo ſanguinis ſui redemit pretió. Inter bellicos tumultus in pertur- « batione poſitus ſeculari, quis dignè poteſt ſpiritualia contemplari vel in lege « Dei competenter meditari, bellica ſeditio commovet ac diſſolvit, & per « abrupta vitiorum lethaliter evagari cogit, Eccleſias violat, ſacra contami- « nat, & plura nefaria irreverenter exagitat, Clerum vehementer inquietat, « & à ſtudio religionis pluribus modis evocat, in cultu Dei conſiſtentes ter- « ritat, moleſtijs nequiter infeſtat, & quid agant præ timore neſcientes ener- « vat, regularem diſciplinam confundit, ac diſſipat, & indiſciplinatos in om- « ne nefas præcipitat. Eccleſiaſticus itáque rigor diſſolvitur, lethifera diſſo- « lutio paſſim diffunditur, & caſtitatis pudor flebiliter exponitur; furia verò « malorum abominabiliter graſſatur, & iniquorum phalanx ad inferos miſera- « biliter quotidie raptatur. «

Pacem igitur quaſi bonorum nutricem lucidè videmus, in omnibus ubíque « ferventer amplecti debemus, indeſinenter ſervare, omnibus imperare, ver- « bis & exemplis prædicare, hanc ipſe Chriſtus ad paſſionem properans ſuis « reliquit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Hanc eandem « *Joan. 14. d. 27.* ipſe reſurgens ex mortuis repræſentavit dicens: *Pax vobis*. Magna quies & « *20. E. 20.* ſecuritas eſt, ubi pax regnat, dolor & tribulatio ferit omnes & cruciat, « quos ira rodit, ac diſcordia ſtimulat. Pax eſt blanda & ſalubris concatenatio « cohabitantium, omníque creaturæ rationali generale bonum, quo indiſſolu- « biliter nexi celeſtes gaudent, terrigenæque ſimili nexu colligari jugiter indi- « gent, ſine qua poſtulantes timentur, & timent, numquam ſecuri turbantur « & mœrent. Hanc igitur virtutem quam appello, quam & ſanctarum auctо- « ritate ſcripturarum, & generali approbatione publicæ commoditati ſum- « mopere laudo, toto niſu inquirere, & in tota Dei Eccleſia ipſo juvante « diffundere vivaciter elaborabo. Treviam Dei, ſicut eam ſanctæ memoriæ « Urbanus Papa in Concilio Clari-montis tenendam conſtituit, præcipio, & « reliqua decreta, quæ ibi à ſanctis Patribus ſancita ſunt, & auctoritate Dei, « & ſancti Petri Apoſtoli, omniúmque Sanctorum Dei confirmo. Imperator « Alemannorum mandavit mihi, ut Moſomum caſtrum adeam, ibíque pa- « cem cum eo ad utilitatem ſanctæ Matris Eccleſiæ faciam, illuc utíque pro « pace laboraturus nunc ibo, & Coepiſcopos meos Remenſem & Rotoma- « genſem, & alios quoſdam de Fratribus & Coepiſcopis noſtris mecum mi- «

RODUL- PUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 11.9.

Pontificis ſhortatio.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1119.

» nabo, quos præ ceteris ad hoc placitum neceſſarios æſtimo; alijs omnibus » Epiſcopis & Abbatibus jubeo, ut hic præſtolentur nos quantocius redituros » auxiliante Conditore noſtro.

» Omnes hîc exſpectare commendo, nec etiam Goiffridum Abbatem ſancti » Theoderici abire permitto, quamvis ejus hoſpitium ſit in proximo. Orate pro » nobis, ut D[illegible] & Dominus noſter proſperum iter nobis concedat, & om- » nes conatus noſtros ad pacem, & utilitatem totius Eccleſiæ benigniter di- » rigat: cùm autem reverſus fuero, clamores veſtros, & ratiocinationes, ut » rectiùs potuero, diligenter diſcutiam opitulante Domino, ut cum pace & » exſultatione ad propria remittatur hæc ſacra Concio. Deinde ſpiritualem » filium, & originis propinquitate conſobrinum, Regem Anglorum adibo, » precibus & alloquijs, ipſum & Tetbaldum Comitem, ejus videlicet nepo- » tem alióſque diſſidentes admonebo, ut in omnibus rectitudinem faciant, & » ab omnibus eamdem in amore Dei recipiant, & juxta legem Dei pacificati, » ab omni bellorum ſtrepitu ſileant, atque cum ſubjectis plebibus ſecuri » quieſcentes gaudeant. Porro illos qui perſuaſionibus noſtris obtemperare » noluerint, ſed in ſua procacitate contra jus, & publicam quietem contu- » maciter perſeveraverint, terribili anathematis ſententiâ feriam; niſi à pra- » vitate ſua reſipuerint, & pro tranſactis reatibus canonicè ſatisfecerint. *Hîc* » *dictis cœtus Fidelium ſolutus eſt.*

Pontifex it Moſomum locuturus cum Imperatore.

In craſtinum feriâ quintâ cum inſigni comitatu Moſomum profectus eſt, & Dominico ſequenti præ labore & motu laſſus & æger Remis regreſſus eſt. Interea multitudo magiſtratuum, Papæ reditum ægrè præſtolata eſt, nam qui de longinquis regionibus illuc Apoſtolici juſſu convenerant, ibi nihil agentes infructosè ſua diſtrahebant, ſuarumque curam domorum cum mœrore intermittebant. Denique reuerſus Papa, per quatuor dies Synodum tenuit, & de diuerſis Eccleſiarum negotijs tractauit. Igitur feriâ ſecundâ poſtquam Papa conſedit, Iohannes Cremenſis, eruditus & eloquens Presbyter ſurrexit, & peracti euentus itineris ſeriatim » *enucleare cæpit.* Notum eſt, *inquit*, ſanctitati veſtræ quod Moſomum per- » reximus, ſed infortunijs contra nos inſurgentibus, nihil commoditatis per- » petravimus, illuc feſtinanter ivimus, ſed inde feſtinantiùs redivimus; Im- » perator enim cum ingenti exercitu ad prædictum locum advenit, & quaſi » pugnaturus armatorum ferme triginta millia ſecum habuit. Hoc itaque » animadvertimus, Dominum Papam in præfato caſtro, quod in Remenſis » Archiepiſcopi eſt dominio, incluſimus, & nos inde ad condictum collo- » quium egredientes, ipſum exire omnino prohibuimus, ſecretiùs fari cum » Imperatore multoties quæſivimus, ſed mox ut à turba ſegregati, cum illo » ſeorſum migraremus, innumeri ſatellites voluntatis ejus & fraudis conſcij, » nos circumdabant, & lanceas gladióſque ſuos vibrantes, ingentem nobis » metum incutiebant; non enim ad bellum inſtructi veneramus, ſed inermes » pacem univerſali Eccleſiæ procurabamus. Imperator doloſus per diverſas » ambages cavillabatur, fraudulèter nobiſcum loquebatur; ſed præſentiâ Papæ, » ut eumdem caperet, ſummopere operiebatur: ſic totum diem inutiliter exe- » gimus, ſed Patrem Patrum ab oculis ejus ſollerter occultavimus, memores » quàm fraudulenter idem ipſe Romam intraverit, & ante aram in Baſilica » S. Petri Apoſtoli Paſchalem Papam ceperit. Denique nos tetra nox dire- » mit, & unuſquiſque ſua magalia repetijt, nos uti formidantes ne peiora in- » curreremus, iter repedandi, imo fugiendi velociter inivimus; quin etiam » ne formidabilis tyrannus cum multis legionibus, quas ſecum ducebat, » perſequeretur nos, valde timuimus. De his dixiſſe nunc ſufficit.

Alexander Leodienſis Theſaurarius Pontificatum pretio dato obtinuerat ab Imperatore, per baculum & annulum ab eodem inveſtitus, ſeptem ſcilicet millia libras argenti illi numeraverat. *Laurent. Leodienſis. Vaſſeb in hiſt. Virdun.*

Colonienſis Archiepiſ. Legatos & litteras Dom. Papa dirigit.

Colonienſis Archiepiſcopus Legatos & epiſtolas Domino Papæ direxit, & profeſſa ſubjectione pacem, & amicitiam cum illo pepigit, filium quoque Petri Leonis, quem obſidem habebat, ob amoris ſpecimen gratis reddidit, hæc dicens,

quaſi

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1119.

quaſi ob inſigne tripudium, lætitiámque mirabilem, digito monſtrauit magnum & pallidum adoleſcentem, magis Iudæo vel Agareno, quàm Chriſtiano ſimilem, veſtibus quidem optimis indutum, ſed corpore deformem, quem Franci alíque plures Papæ adſiſtentem intuentes deriſerunt, eique dedecus, perniciémque citam imprecati ſunt propter odium patris ipſius, quem iniquiſſimum fenera-torem noverant.

Deinde Lugdunenſis Archiepiſcopus cum Suffraganeis ſuis ſurrexit, & ita loqui cæpit: Matiſconenſis Epiſcopus ad hanc tanctam Synodum clamorem " tacit, quòd Pontius Cluniacenſis ipſum, Eccleſiámque ſuam damnis, mul- " tiſque injurijs afficit, Eccleſias, decimáſque ſuas, debitáſque ſubjectiones " ſibi violenter abſtulit, & congruas dignitates, ſuorúmque ordinationes Cle- " ricorum denegavit. *Queſtus hujuſmodi Lugdunenſis Primas explevit, multi Præſules & Monachi atque Clerici perſecuti ſunt, & de rebus ſibi violenter ablatis cum vociferatione clamores fecerunt, ac de injuſtis invaſionibus, quas à Cluniacenſibus perpeſſi ſunt, plures valde tumultuati ſunt, diúque perſtrepentes, acerbas querimonias evomuerunt.*

Lugdunenſis Archiepiſc & Matiſconenſis Epiſc. conqueruntur de Pōtio Cluniacēſi abbate.

Tandem facto ſilentio Cluniacenſis Abbas cum grandi conuentu Monachorum ſurrexit, bréuique reſponſo & modeſta voce & tranquilla locutione, querulóſos impetitores compreſſit, erat quippe magnanimus de Valle-Brutiorum, Monachus, Conſulis Mergulienſis filius, & Paſchalis Papæ filiolus, imperióque ejus inter Cluniacenſes educatus, ætate quidem juvenis & ſtaturâ mediocris; ſed à pueritia docilis, in virtutibus ſtabilis, & coeſſentibus alacritate affabilis, candida verò facie decorus, moribus & genere ut dictum eſt conſpicuus, Regum & Imperatorum conſanguinitate proximus, religione ac peritia litterarum præditus, ideóque tot chariſmatum prærogatiuis redimitus, fortis in aduerſantes æmulos ſtabat, ac rigidus, multis ut caraxatum eſt clamoribus in Synodo propulſatus reſpondit: Cluniacenſis Eccleſia ſoli Romanæ Eccleſiæ ſubdita eſt, & Papæ propria, " & ex quo fundata eſt à Romano Pontifice obtinuit privilegia, quæ pro- " clamatores iſti ſuâ nituntur abolere & fruſtrari violentiâ. Notum autem " ſit vobis, beati Patres qui adeſtis, omnibus quòd ego, & Fratres noſtri " monaſticas res, quas jure ſervandas ſuſcepimus, ſicut eas venerabilis Hugo, " alíque ſancti prædeceſſores noſtri habuerunt, ſervare contendimus, nulli " damna vel injurias injeſſimus, res alienas diripuimus, nec aliquatenus di- " ripere ſua cuilibet concupiſcimus. Verùm res pro amore Dei datas à Fi- " delibus, quia pertinaciter defendimus, à raptoribus invaſores dicimur, & " opprobria multa injuſtè toleramus, nimia de his ad me ſollicitudo non " pertinet, Eccleſiam ſuam dominus Papa, ſi vult, defendat, & Eccleſias " decimáſque cum alijs poſſeſſionibus, quas ipſe mihi commiſit, patroci- " netur & cuſtodiat. "

Papa igitur de omnibus, quæ ab utriſque partibus audierat, in craſtinum perendinari judicium imperat. Sequenti verò die Iohannes Cremenſis ſurrexit, & locutionis ſuæ proœmium hujuſmodi inchoauit: Sicut juſtum eſt, ut dominus " Papa clamores veſtros ſollerter audiat, vobíſque ſicut pater filijs ſine fi- " ctione omnimodis ſubvenire, talíque vobis obſequij famulatu non ſemel " quotidie debeat, ſic nimirum decet ac juſtum eſt, ut ipſe idem in Parochijs " veſtris aliquid proprietatis poſſideat, Eccleſiámque ſeu domum vel aliquam " poſſeſſionem ſua electione ſive Fidelium oblationem liberam habeat. " *Poſtquam ab omnibus hoc gratanter conceſſum eſt, conſequenter Iohannes " adjecit:* Ducenti & eo amplius anni ſunt, ex quo Cluniacenſis Eccleſia fun- " data eſt, & ab ipſo primordio fundationis ſuæ Romano Papæ donata eſt " à quo utili bus privilegijs in Romana Synodo coram multis arbitris diverſæ " dignitatis evidenter inſignita eſt. Ratum eſt & in chartis inſertum legen- " tibus liquidò patebit, quòd Geraldus Aquitanicus Cluniacenſe Cœnobium "

Cremenſis Epiſcopus Cluniacenſiū privilegia tuetur

Cluniacum in Matiſconenſi epiſcopatu à Bernone Abbate & Guilhelmo Aquitaniæ Duce & Arvernia datore fundatur. Claudy Robertus.

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An. 1119.*

» in alodio ſuo conſtruxit, & illud Romam pergens Romano Pontifici de-
» votiſſimè commiſit, nec id fruſtra fieri voluit; nam ipſe tunc duodecim
» aureos Papæ obtulit & exinde totidem ſingulis annis dari decrevit. Præ-
» fata ergo Eccleſia nulli Principum ſeu Præſulum uſque nunc, niſi Papæ
» ſubjacuit, Deóque largiter opitulante fundis & religioſis habitatoribus fe-
» liciter crevit, unde bonus odor laudabilis famæ longè latéque per orbem
» flagravit exemplúmque ſanctitatis piè quærentibus diſciplinam ſalubriter
» exuberavit. Conventus Monachorum ſecundum regulam ſancti Benedicti
» Patris Abbatem eligit, electum Papæ cum litteris atteſtantibus dirigit, quem
» ipſe ſecundùm eccleſiaſticum morem conſecrat & benedicit.

» Omnis credentium multitudo credit ac perhibet, quòd qui apoſtolicæ
» Sedi jubente Deo præſidet, ligandi atque ſolvendi poteſtatem habet;
» Principis enim Apoſtolorum Petri Vicarius eſt, cui divinitus dictum:
» *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram adificabo Eccleſiam meam, & portæ in-*
» *feri non prævalebunt adverſus eam & tibi dabo claves Regni cælorum. Et*
Matth. 16. cap. 18. » *quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcum-*
» *que ſolveris ſuper terram erit ſolutum eſt in cælis.* Ergo apoſtolica Sedes
Romana Eccleſia prærogativa. » cardo & caput omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio conſtituta
» eſt & ſicut cardine oſtium regitur, ſic apoſtolicæ Sedis auctoritate omnes
» Eccleſiæ Domino diſponente reguntur. Ecce B. Petro conceſſum eſt à
» Filio Dei, ut ceteris præemineret Apoſtolis, unde Cephas vocatur qui caput
» & primus eſt omnium Apoſtolorum & quod in capite præceſſit, in membris
» ſequi convenit, quis ei reſiſtere poteſt, cui tanta poteſtas à Domino con-
» ceſſa eſt? quis audet ſolvere quem Petrus ligavit, ſive ligare quem ipſe
» abſolvit? Igitur cùm Cluniacenſis Abbatia ſoli Papæ ſubjiciatur & ille qui
» præcipiente Deo in terris ſuper omnes eſt, ipſam patrocinetur, Romana
» auctoritas Cluniacenſium privilegia corroborat, & in virtute Dei cum
» omnibus Eccleſiæ filijs imperat, ne quis eos temere priſtina libertate
» privet, nec poſſeſſionibus olim habitis ſpoliet, nec inſolitis vexationibus
» prægravet, in pace omnia poſſideant, ut quieti ſemper ſervire Deo
» valeant.

Hæc Iohanne dicente plures Præſulum & aliorum, qui confines illis erant tumultuati ſunt, nec ea quæ per Cardinalem conſtanter edita ſunt, quamuis aperiè contradicere juſſionibus Papæ non auderent, conceſſa ſunt. In altercationibus multiſluæ jaculabantur ſententiæ, abundanter emanantes de profundo fonte dinitiæ ſapientiæ. Sed omnia Concilij geſta nequeo ſigillatim retexere, arguti ſophiſtæ de multiplicibus Eccleſiæ negotijs ſubtiliter tractauerunt, & multa ſtudioſis auditoribus documenta luculenter intimauerunt. Ibi Gerardus Engoliſmenſis, Hato Vinarienſis, Goiffridus Carnotenſis, & Guillelmus Catalaunenſis duces verbi, præ ceteris intonuerunt, & dicacibus ſcholaſticis, atque feruidis amatoribus ſophiæ, inuidioſi enituerunt. Nuntius de morte Tuſculani Cardinalis Epiſcopi nuper in itinere defuncti locutus eſt, & epiſtola Clementiæ ſororis Papæ pro Balduino Comite Flandrenſium filio ſuo recitata eſt, pro quibus & pro cunctis Fidelibus defunctis lugubris Paſtor, cum venerabili cætu Deum precatus eſt.

In nouiſſimo Concilij die Barcinonenſis Epiſcopus corpore quidem mediocris, & macilentus, ſed eruditione cum facundia & religione præcipuus ſubtilem ſatiſque profundum ſermonem fecit de regali & ſacerdotali dignitate, quem ſumma cuncti qui percipere poterant, hauſerunt auiditate. Tunc Papa Karolum, Henricum Imperatorem theomachum, & Burdinum Pſeudopapam & fautores eorum mœrens excommunicauit, alióſque ſcelestos qui manifeſtè ſapius correpti: ſed inemendabiles perdurabant, illis aſſoſciauit, parique anathematis percuſſione. uſque ad emandationem multauit. Denique decretalia Synodi Capitula propalare imperauit, Iohannes Cremenſis ex conſultu Romani Senatus dictauit, Iohannes

Roto-

Digitized by Google

Rotomagensis sancti Audoeni Monachus in charta notavit, & Chrisogonus S. R. E. Diaconus distinctè & apertè recitavit. Textus autem Concilij hujusmodi est.

RODUL-FUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1119.

Hujus Concilij Canones exstant in Chronico sancti Petri Vivi.

QUæ sanctorum Patrum sanctionibus de pravitate simoniaca stabilita sunt, « Spiritus sancti judicio & auctoritate Sedis apostolicæ confirmamus. « Si quis ergo vendiderit, aut emerit, per se, vel per summissam personam, « quemlibet Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presby- « teratum, Præpositurum, Præbendam, Altaria, vel quælibet alia ecclesiastica « beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, Ecclesiarum dedica- « tiones, clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quælibet ecclesiastica offi- « cia, & vendens & emens dignitatis, & officij sui, & beneficij periculo sub- « jaceat; quòd nisi resipuerit anathematis mucrone perfossus ab Ecclesia Dei « quam læsit, modis omnibus abscindatur. «

Episcopatuum, Abbatiarum investituram, per manum laicam fieri penitus « prohibemus. Quicumque igitur laicorum deinceps investire præsumpserit, « anathematis ultioni subjaceat; porro qui investitus fuerit, honore quo in- « vestitus est, absque ulla recuperationis spe omnimodè careat. «

Universarum Ecclesiarum possessiones quas liberalitate Regum, largitione « Principum, vel oblatione qualibet Fidelium eis concessæ sunt, inconcussas « in perpetuum & inviolatas permanere decrevimus: quòd siquis eas abstule- « rit, invaserit, aut potestate tyrannica detinuerit, juxta illud B. Simmachi « Capitalium, anathemate perpetuo feriatur. «

Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omnino de Clero ecclesia- « sticas dignitates, vel beneficia cuilibet quasi jure hereditario derelinquat: « illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro baptismatis, chrismatis sacri, & « sepulturæ acceptione, & infirmorum visitatione, vel unctione, nullum om- « nino pretium exigatur. «

Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus concubinarum & uxorum « contubernia prorsus interdicimus; si qui autem hujusmodi reperti fuerint, « ecclesiasticis officijs priventur, & beneficijs, sanè si neque sic immundi- « tiam suam correxerint, communione careant christiana. «

Hæc 3. Kalend. Novemb. Callistus II. Papa cum omni Concilio sanxit, & omnes qui convenerant illuc, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti benedixit, deinde sacrum illud Collegium solutum est, & unusquisque laudans Deum ad propria regressus est.

Refert Ferreolus Locrius ad ann. 1118. Gelasium in Concilio Remensi Gomboldo Traiectensi ad Rhenũ Episcopo usum Mitræ concessisse.

Beatum Nortbertum pro novi sui Ordinis confirmatione Remos venientem Bartholomæus Laudunensis Episcopus ad Callistum deducit, seque ejusdem Ordinis benefactorem exhibet.

CAPUT XXIX.

INTER insignes pietate & doctrina viros, qui visendi Pontificis, ac peculiariter aliquid ab eo impetrandi gratiâ Remos advolârant, haud ultimus fuit beatus Nortbertus, genere quidem nobilis, & in Ecclesia Colonienſi inter Canonicos ditissimus, sed incredibili æstuans desiderio arctiorem vitæ perfectionem amplectendi, sub novo religionis schemate ab sanctæ Sedis auctoritate approbando. Hunc nudis pedibus incedentem ad Gelasium prius accessisse, cùm indicto Remis Concilio Alpes transijsset, tradit auctor Supplementi ad Sigebertum, à quo, cùm animi

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1119.

animi ſui propoſitum aperuiſſet, ſeminandi ubique verbi Dei licentiam acceperat. Chronicoh Antiſſiodorenſe addit ab Epiſcopis qui Calliſto ad Remenſe Concilium uenerant perhonorificè ſuſceptum, ob pietatis & doctrinæ præſtantiam ſæpius conſultum.

Hermannus lib. 3. de Miracc. S. Mariæ Laudun. C. 3.

Hermannus vicinior huic tempori Remos quidem conveniſſe refert, ibique toto triduo commoratum, at cùm præ multitudine jugiter confluentium divitum, vidiſſet nullum ſibi ad Pontificem patere aditum, quaſi deſperantem digreſſum cum ſocijs, inventúmque à Bartholomæo Laudunenſi Epiſcopo ad Concilium proficiſcente, juxtà Monaſterium S. Theoderici ſecundo milliari à Durocorto, haud procul ab itinere ſedentem, ac Dei placitum ſumma cum animi demiſſione præſtolantem. Audierat ſiquidem paullo ante idem Nortbertus duas voces ex ſummitate aëris alternatim, & diſtinctè verba hæc protuliſſe, priorem: *Hic eſt Nortbertus & ſocij ejus*, alteram: *Hic eſt Nortbertus & ſocius ejus.* Quaſi Bartholomæum ſingulari hoc vocabulo deſignaret. His ſtupefactus paullulum ab itinere Nortbertus declinârat, humi proſtratus cum ſuis, & tremebundus hinc inde proſpiciens; cùm ecce præfatus Epiſcopus eos iter faciendo obvios habet, benignè ſalutat, percontatúrque quinam eſſent.

Nortbertus ſe à Lotharingia ortum reſpondet, parentes, divitias & honores ſponte reliquiſſe, ut Dei jam obſequio mancipatus arctiorem vivendi normam inire poſſet, ad hoc Remos petijſſe, exploraturus an quod animo volvebat, ſummus Pontifex gratum haberet; at eum poſt aliquam temporis moram adire nuſquam potuiſſe. Epiſcopus bono animo eſſe jubet, hortatur ut ſecum Remos redeant, ſpondétque ſe pro eis apud Papam interceſſurum: & quoniam pedes venerant, rogat equos conſcendere, ut ſimul iter facientes, familiariùs colloquerentur. Oportunitatem nactus Remis adeundi Pontificem Bartholomæus, modeſtè ei ſuggerit, hoc ſibi ab univerſalis Patris manſuetudine videri alienum, quòd divitibus tam facilis pateret aditus, pauperibus verò nullus. Annuente Papa, Nortbertus & ſocij agente Epiſcopo ſtatim ad pedum oſcula libere admiſſi, pro votis viſu & colloquio Pontificis recreantur. At cùm multis hic præpeditus eſſet negotijs, promittit Epiſcopo ſe expleta Synodo Laudunum iturum, ibique quid velint commodiùs auditurum, interim præmittat eos, illúcque ſe operiantur. Quamdiu Remis Bartholomæus Epiſcopus commoratus eſt, eos ſemper ſecum retinuit & aluit, & Laudunum rediens numquam hos à ſuo conſortio ſeparari paſſus eſt, donec adveniens Papa, ut promiſerat, eos officioſiſſimè ſuſcepit, ac Nortbertum colloquio abundantiſſimè ſatiavit.

Nortbertus & ſocij ad pedũ oſcula Pontificis admiſſi.

Jamverò quid Nortbertus voti compos in provincia Remenſi egerit, quanto ſtudio Bartholomæus Præmonſtratenſis Ordinis primitias exceperit, quibus impenſis providerit ei neceſſaria, Eccleſias, domos, reditus, non eſt mei inſtituti hîc longiùs perſequi. Conſulat lector ſi lubet prædictum Hermannum, qui in hoc maximè incubuit ut conditiſſimi Ordinis natales, fœcundam ſobolem, celebriores viros ad eum propagandum à Nortberto ſelectos, Monaſteriorúmque initia poſteritati commendaret. De Præmonſtratenſi etymo & origine hoc unum addam ex Hermanno: *Cùm renuiſſet*, inquit, *Eccleſiam in urbe Laudunenſi B. Nortbertus* (ſancti Martini ſcilicet) *in deſertis locis cupiens habitare, Epiſcopus duxit eum in ſilvam voſagum, oſtenditque in ipſa locum quemdam, qui* PRATUM-MONSTRATUM *vel* PRÆMONSTRATUS *vocatur, in quo erat Eccleſia B. Iohanni Baptiſtæ dicata, de jure Cœnobij ſancti Vincentij Laudunenſis; at viliore in commutationem datâ, locum illum cum Eccleſia liberum beato Nortberto privilegij ſui auctoritate confirmavit.* Hæc prædictus auctor lib. 3. cap. 4. Præmonſtratum tamen, Ciſtercij appendicem ſcribit S. Bernardus epiſt. 251. *Primo*, ait, *locus ipſe Præmonſtrati in quo degitis, noſter fuit, & noſtro munere habuiſtis,*

Præmonſtratum olim è Monaſterio S. Vincentij Laudun. dependebat.

huiſtis, nam nobis Vuido (hoc nomen primi incolæ loci) per manum Epiſcopi ante donaverat. His potiora Vincentiana monimenta, quibus patet manifeſtiſſimè prædictum locum ab Elinando Epiſcopo acceptum, Monachos S. Vincentij Laudunenſis diu incoluiſſe, quem tandem Bartholomæus ab Adalberone Abbate pro Altari de Brennaco,, commutationémque hanc petente Nortberto confirmavit poſtea Sigfridus Abbas, anno 1121. Ceterùm beatus Nortbertus Præmonſtratenſis Ordinis auctor, prædictæ Eccleſiæ Abbàs eſſe noluit; ſed ei Hugonem ſocium ſuum ipſe præfecit, rigidioreſque ſunt ipſius conſtitutiones, quàm Canonicorum ſancti Auguſtini, quamvis ſequaces, beati Auguſtini regulam ſe tenere dictitent. RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1119.

Ante ſummi Pontificis egreſſum ab urbe Remenſi, Odo Abbas S. Remigij humiliter ab eo expetijt, ut Paſchalis ſui prædeceſſoris exemplo, bona Monaſterij recèns ipſi collata confirmarentur, quod & lubens præſtitit prolixiori diplomate, ubi ſequentia hæc nominatim poſt ſolitam præfatiunculam exprimit.

Privilegium Remigianum dat. Calliſtus. an. 1119.

« CAlliſtus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Odoni, « Abbati venerabilis Monaſterij S. Remigij, quod eſt ſecus Urbem ſitum, « ejúſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Apoſtolicæ « ſedis auctoritate compellimur pro univerſarum Eccleſiarum ſtatu ſatagere, « &c. Statuimus ut quæcumque bona largiente Deo poteritis adipiſci, firma « hæc vobis, & illibata permaneant, in quibus hæc duximus exprimenda: « Eccleſiam S. Mariæ quæ ſita eſt extra muros caſtelli, cui Regiteſtis voca- « bulum eſt, cum omnibus ad eam pertinentibus, ſicut eam venerabilis Frater « noſter Rodulfus Remenſis Archiepiſcopus à Comite Hugone dimiſſam « veſtro Monaſterio contulit, Eccleſiam S. Timothei cum parochia Burgi « & appenditijs ad Burgum ..... cenſum Codiciaci caſtri ſexagiñta ſoli- « dorum, Manſiones Ponti-Vidulari in alodio Sancti-Remigij ſitas, quas « Fridericus ejuſdem loci inſtitutor veſtro Monaſterio contulit. Decerni- « mus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem Cœnobium temere per- « turbare, &c. «

Datum Remis per manum Chriſogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac « Bibliothecarij IV. Idus Novemb. Indict. XIII. Incarnat. 1119. Pontificatûs « domini Calliſti II. Papæ anno 2. «

Prioratus S. Petri de Turre-ſupra-Maternam fundatur, & ſancti Mauritij in urbe Remenſi.

CAPUT XXX.

FINITA Synodo Remenſi (in qua ſi non omnino diſſidij fomes exſtinctus ob inveſtituras, renitente Imperatore, anathema ſaltem in eum concurrentibus votis proclamatum eſt) Calliſtus Romam cogitans, iter arripuit per Gallias, provinciámque Viennenſem, ceteris Epiſcopis ad propria redeuntibus, cum propoſito diligenter & accuratè exſequendi per ſuas diœceſes, quæ in celeberrimo hoc Conventu tam firma animi conſenſione decreta fuerant in Simoniacos, ac rerum eccleſiaſticarum pervaſores. Unde brevi diverſis in locis uberrimos naſci fructus contigit, multi Eccleſias, & altaria Præſulum hortatu abdicantibus, quæ cùm pridem ab illis uſurpata eſſent, & quaſi hereditario jure poſteris relicta, tandem pœnitentiâ ducti, ijs ſponte ceſſerunt in gratiam præſertim Monaſteriorum, ubi vigeret obſervantia regularis: hincque factum eſt, ut ex decimis,

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP.

decimis, oblationibus, prædijsque assiduo Monachorum labore comparatis, complures Prioratus initium habuerint, inter quos eminet Prioratus de Turribus-supra-Maternam, quatuor leucis & aliquid amplius ab urbe Remensi, cujus exordium exhibet Reginaldi charta, quam retuli ad annum 1093 clariùs tamen hæc Rodulfi successoris, quâ discimus Manassem filium Hugonis de Plagiotri, decimam de Turribus Monasterio Cluniacensi tradidisse, quam à progenitoribus acceperat, cui donationi Guisimunda mater lubens consensit, adstantibus nonnullis magnæ auctoritatis testibus, qui pariter sequenti paginæ subscripserunt.

An. 1119.

Fortè de Turre vel Turribus vocatur, ob id quod Carolus Rex partem demanij Ecclesia Turonensi dederit. Unde Frodeardus de Hincmaro loquens: Adeloldo Turonensi petenti ut sibi liceret ædificare & consecrare Oratorium in villa suæ Ecclesiæ regio dono data, sita in Remensi parochia, quæ Turris vocatur. *Lib. 3. Cap. 21.*

An. 1115.

„ QUod præsentibus intimamus, posterorum memoriæ præsenti pagina „ suggestum esse volumus, Manassem videlicet filium Hugonis de „ Plagiotri, decimam de Turre-super-Maternam, quam à progenitoribus „ suis jure hereditatis consequebatur, S. Petro Cluniacensi Monasterij con- „ tulisse, & laudante Guisimunda matre sua ob recordationem peccatorum „ suorum, & imperpetualiter tenendam illi concessisse, quibus de medio „ factis, cùm super decimam calumniari possent Adelais uxor Dudonis, „ & filij ejus Johannes & Eustachius, ut pote quibus jure hereditario pro- „ veniebat, prompto tamen animo eam donatam approbaverunt, & proprijs „ manibus illam sancto Cluniacensi Monasterio contradiderunt. Ego igitur „ Rodulfus non meis meritis, sed propitia divinitate Remensis Ecclesiæ „ licèt non idoneus Minister, ne donatio ista aliquatenus oblivionis crimen „ incurreret, testibus idoneis eam approbari volui, & imaginis nostræ im- „ pressione roborari.

Ex additamentis ad lib. 2 Bibliothecæ Cluniac. fol. 1830.

„ Signum Hugonis Comitis Campaniæ.	Signum Adelaidis matris ejus.
„ Signum Andreæ Comitis.	Signum Aboriti & Clarembaldi fratris ejusdem.
„ Signum Johannis Vicedomini.	
„ Signum Johannis Vicecomitis & Eustachij fratris ejusdem.	Signum Gualteri, Isembardi, Guarini, &c.

„ Anno Incarnat. 1115. Indict. v. Archiepiscopatus D. Rodulfi ann. VIII.
„ Fulchardus Cancellarius recognovit & subscripsit.
„

Ex publico hoc instrumento habetur decimas de Turribus Monasterio Cluniacensi collatas esse à prædictis Nobilibus, & quidem sine onere Prioratum constituendi, cujus etiam Charta Rainaldi non meminit, quam ad annum 1093. rejecimus, quod mirum videri posset, cùm in Ludovici VI. diplomate immunitates & privilegia prædicti Monasterij confirmante anno 1119. dictus Prioratus recensetur inter celebriores ejusdem Ordinis, cujus hîc fragmentum ex additamentis ad librum 2. Bibliothecæ Cluniacensis attexuimus.

Ad preces Priorum & Monachorum Prioratuum, in quibus Abbas Cluniacensis exercet jurisdictionem, singulos Prioratus præsentibus litteris inseri jussimus. Sunt autem Prioratus B. Mariæ de Caritate super Ligerim, S Martini de Campis, de Monte-Desiderio, de Abbatis-villa, de Crespeio, de Nantolio de Grandi-Campo, de Conciaco, de Gaia, de Vandopera, de Turribus-supra-Maternam, de S. Theobaldo, de Nongento, de Prato juxta Douziacum, &c.

Institutum igitur fuisse Prioratum ab Abbate Cluniacensi post abdicationem decimarum factam à Nobilibus de Plagiotri palam fit ex præcedenti diplomate; at cùm ijdem altare pagi, cum parte decimarum & oblationibus sacrilego usu sibi reservâssent, imo potius violenter iterum usurpâssent, tandem monitis Raynaldi II. qui proximè Rodulpho Archiepiscopo

Digitized by Google

piſcopo ſucceſſit, eò adacti ſunt, ut hæc omnia prædicto Ordini cederent, fortè etiam rogatu Monachorum, ut jus haberent in Eccleſia parochiali, quod prædictus Archiepiſcopus confirmavit inſigni privilegio, ubi quantum ſtudij inſumpſerit ad eam prædam è manibus eorum extorquendam, cunctis legentibus innoteſcet.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1119.

Charta Raynaldi Archiepiſcopi, quâ altare de Turribus-ſupra-Matronam è Nobilibus ereptum datur Monachis Cluniacenſibus.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit præſentium poſterorúmque ſollertia, quòd ego Raynaldus Dei gratiâ humilis & indignus Remorum Archiepiſcopus, diu multúmque laborans qualiter altare de Turre-ſuper-Maternam, quod manu laicali, indebita uſurpatione diu fuerat occupatum, adeo ut quidam potentes de Plagiotri partes oblationum, decimæ, redituúmque ad idem altare provenientium, municipibus ſuis manciparent, illíque, quod dedecoroſius eſt, uxoribus ſuis & filiabus in matrimonium contraderent. Tandem auxiliante Spiritu-ſancto, qui ſpirat ubi vult, me tali conditione ab eiſdem invaſoribus retraxiſſe; cùm enim ſæpiſſime jam dictos dominos de Plagiotri admonerem, & modis omnibus illis perſuaderem, quòd à poſſeſſione ſanctuarij Dei, quod diu injuſtè poſſidebant, ſecederent, ne Crucifixi patrimonium injuſtè & violenter uſurpando æternam incurrerent damnationem, demum noſtra crebra admonitione & perſuaſione permoti, noſtróque adquieſcentes conſilio, ſupradictum altare eo tenore reſignaverunt. Videlicet ut illud ſanctæ Cluniacenſi Eccleſiæ, quæ eſt quoddam quaſi magnum totius orbis luminare, liberaliter impertirer cum oblationibus & decimis, ceteríſque ad ſe pertinentibus, atque jam dicti Cœnobij venerabilibus Fratribus perſonaliter tenendum concederem. Quorum juſtæ & religioſæ petitioni prompto & devoto annuens animo, ut omnium bonorum quæ in tanta * fuerunt Congregatione particeps eſſe mererer, memoratum altare ipſis jure perpetuo perſonaliter poſſidendum contradidi, cum omnibus ad ipſum pertinentibus, hac ſolùm interpoſita pactione, jam dictis dominis de Plagiotri id humiliter poſtulantibus, quatenus Preſbyter loci illius, qui per eos tunc perſonatum, parochiámque tenebat, quoad vivet, niſi fortè exigentibus culpis ea amittere contigerit, libere ac quietè poſſideret, eo autem viam univerſæ carnis ingreſſo, ſive qualibet rationabili cauſa à ſupradictis remoto, Eccleſia Cluniacenſis quod ſuum eſt, videlicet altare ac perſonatum cum ſuis pertinentijs, jure perpetuo poſſidendum acciperet, liberam deinceps habens facultatem ſubſtituendi in eadem Eccleſia, dum tamen idoneus ſit, quem voluerit Sacerdotem, qui nobis vel ſucceſſoribus noſtris, per ſucceſſionem temporis, ut moris eſt, præſentatus, poſtquam animarum curam ſuſceperit, fidelitatem eis faciet, & debitam reverentiam exhibebit, ſalvo jure ſuo in ijs quæ ad feodum Preſbyterij pertinere noſcuntur. Et ut hæc rata & inconcuſſa permaneant ſigilli noſtri auctoritate corroborare curavimus.

An. 1125.

Altare de Turre ſupra-Matronam occupatum à laicis.

* *Legend.* Fiunt.

Altare cum perſona datur Cluniacenſibus facultas quoque nominandi Sacerdotem, qui gerat curam animarum.

Sig. venerabilis Archiepiſ. Raynaldi.
Sig. Joranni Abbatis ſancti Nicaſij.
Sig. Urſionis Abbatis ſancti Dionyſij.
Signum Hugonis Archidiaconi.
Signum Leonis Cantoris.
Signum Albrici (alias Ambroſij) Magiſtri.
Signum Liberti Decani.
Sig. Johannis de Pi, Johannis de Germania, Odonis Decani Civitatis.

Actum Remis anno 1125. Indict. III. Regnante Ludovico Francor. Rege XVIII. Archiepiſcopatûs D. Raynaldi anno 1.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1119.

» Fulchardus Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſi.

Eodem quoque anno, lis mota eſt inter Preſbyterum & Monachos in eodem Prioratu divinum perſolventes obſequium, pro minuta decima, feno, ſtramine & oblationibus, quam idem Archiepiſcopus compoſuit, Preſbytero medietatem oblationum aſſignando, præter panem & vinum; cetera vero Monachis, ut pote in capite Sanctuarij conſtitutis. Porro vigente regulari obſervantia inter Cluniacenſes, creverunt & reditus, factúſque eſt prædictus Prioratus de Turre, unus ex tredecim decanatibus Ordinis, ubi debent eſſe duo Monachi cum Priore, qui divino incumbunt Officio, quotidie Miſſam, matutinas, veſpertinas horas, & triginta pſalmos cum nota recitantes; ubi etiam fieri debet eleemoſyna quotidie tranſeuntibus, & una generalis ſingulis Dominicis. At hæc tempus edax, bellorúmque turbines aboleverunt, diſtractíſque forſan reditibus Commendatariorum incuriâ, nullum reſtat clauſtri veſtigium, & obſervatæ quondam in eo regularitatis.

Per id quoque temporis inſtitutus eſt Prioratus S. Mauritij Remenſis, mera liberalitate Rodulfi Remorum Archiepiſcopi, cujus quidem prima fundationis tabula cùm deſideretur aut lateat, quâ conſilij ejus certiores redderemur, diſertè à nobis explicari non poteſt quo præſertim anno erectus ſit, & cur Monachis Majoris-Monaſterij conceſſus, horum tamen meminit Archiantiſtes poſteriori reſcripto, anno Incarnationis 1124. Præſulatûs XVII, regni Ludovici ſextodecimo, Indict. II. quo Priori & Monachis, olim in ſacello ad latus Eccleſiæ B. Mauritij, ſed in arctiori loco vota perſolventibus, decima ejuſdem Eccleſiæ parochialis datur, cujus altare Prioratui obnoxium, annuatim debebat octodecim denarios de conſuetudine Archiepiſcopo perſolvendos in Synodo. Hoc tributi genus Raynaldus Archiepiſcopus in gratiam Monachorum remittens, *Sommaticum*, unica dictione parum uſitata (alij *Synodaticum*, vocant) appellavit, ſubſignaverúntque huic privilegio, ſeu Chartæ remiſſionis cum Raynaldo, Joſſenus Sueſſionenſis Epiſcopus, & poſt illum Odo S. Remigij Abbas, Richardus Moſomenſis, Ingelramnus Aluvillarienſis, Albricus ſancti Baſoli, Guillelmus ſancti Theoderici, Jorannus ſancti Nicaſij, Urſio ſancti Dionyſij, Fulco Sparnacenſis. Poſt hos, Dignitates Metropolitanæ Eccleſiæ anno 1128.

Sacellum altiùs & longiùs porrigebatur altari parochiali, & ſic quodammodo Monachis in capite Sanctuarij, ut in alijs omnibus Prioratibus poſiti erant: adhuc exſtat Sacellum B. Anno ſacrum eſtque chori ſeu adyti recèns exſtructi ad latus dextrum, adeo ut ſummum altare Patrum ſit directè ſupra altare parochianorum, quod in eodem loco ut antiquitus permanet.

Samſon ijſdem Monachis anno 1147. confert quamdam decimam, quam Gerardus de Roceio in ipſius manibus depoſuerat, anno octavo Archiepiſcopatûs. Henricus item an. 1166. Præſulatûs an. v. alodium de Alneto Monachis collatum, à Guillelmo Abbate remiſſum, confirmavit, quod Hugo de Plaiſiaco & ejus fratres Guillelmus & Milo vendiderant, ubi Andræas Atrebatenſis ſubſignavit, & poſt hunc Odo Abbas ſancti Dionyſij. Exſtat in Archivis Majoris-Monaſterij Charta, per quam confertur Eccleſia parochialis ſancti Mauritij Sede archiepiſcopali vacante, anno 1272. Sacerdóſque præſentatus admittitur ab Ottobono Cardinale tanquam Archidiacono Remenſi, ſecundùm jus Vicarij-nati, quod prætendebat adversùs Capitulum, de quo poſtea nonnihil dicemus. Hujuſce Prioratus Monachi in ſupplicationibus generalibus incedebant infra Abbatiales Urbis Monachos in ſiniſtro latere, & Prior in Comitijs Cleri ſuffragium ferebat cum alijs, poſt deputatos Capitulorum. Ceterùm Prioratus ille ſat pinguis, & qui Ballivium habet pro exercenda juriſdictione, ceſſit primum Commendatarijs, à quibus ſacellum elegantis ſtructuræ, clauſtrum & aliquot habitacula conſervata ſunt: tum Patribus ſocietatis Jeſu anno 1618. qui puerorum educationi alijſque caritatis operibus incumbunt.

Synodus

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1119.

Synodus Sueſſionis habita in Petrum Abailardum, & Belvaci pro elevatione corporis beati Arnulfi. Turnacenſes fruſtra laborant pro obtinendo proprio Epiſcopo.

CAPUT XXXI.

PETRI Abailardi doctrina inſolens, & ejuſdem viri procacitas ad eam pertinaciter tuendam, complures Synodos convocandi occaſionem præbuêre, quarum priorem hanc ſub Pontificatu Rodulfi Archiepiſcopi incidiſſe palam fit ex epiſtola B. Bernardi inferiùs citandâ. Quis autem fuerit Abailardus, & qua ingenij præditus ſagacitate, ſatis ſuperque dictum ab alijs. Refert Otto Friſingenſis præceptorem habuiſſe Roſcelinum Sophiſtam, Anſelmum Laudunenſem, & Guillelmum de Campellis Epiſcopum Catalaunenſem, rudemque Donatum docuiſſe Pariſijs tantâ famâ doctrinæ & eruditionis, ut ad eum, *pænè de tota latinitate* (ut Chronici Mauriniacenſis verbis utar) *viri literati confluerent.* Veriſimile eſt quadam elatione animi inflatum, novitati vocum ſtuduiſſe, ut ferè evenit ijs, qui ſe cùm nihil ſint, ob aliquod ingenij acumen ſcientiarum gurgites putant. Etenim cùm priùs docuiſſet tres perſonas Trinitatis, ſimplicia dumtaxat nomina non eſſe, quibus Doctores ad tanti myſterij ſublimitatem clariùs explicandam utebantur, ſed tres Entitates diſtinctas, proprietates inter ſe diſtinctas habentes, ſtatim flexa in contrarium oratione, & veluti à ſe diverſus, quorumdam verborum involucro divinæ eſſentiæ virtutem penitùs adimebat.

Otto Friſingenſis lib. 1. cap. 47. de geſtis Friderici.

Cùm jam ſibi multos coacervâſſet diſcipulos, peſſimæque doctrinæ virus hinc inde ſpargeret, provinciæ Remenſis Epiſcopi à Conone Præneſtino S. R. E. Vicario, & Rodulfo Metropolita Sueſſionis convocantur ad Synodum, ubi ab Alberto Remenſi Theologo & Leutaldo Novarienſi nominatiſſimis Magiſtris, Abailardi erroribus palam expoſitis, perniciosiſque ac implexis terminis, quibus in ſcholis utebatur de abditiſſimis Fidei myſterijs diſſerens, cenſuerunt Patres eum ad Synodum vocandum eſſe, cogendúmque publicè fateri & agnoſcere proprios diſcipulos non ſemel ipſum, ob perverſam doctrinam, lapidibus obruere voluiſſe. Legatus ei injunxit, ut ſcripta in manus Archiepiſcopi deponeret, quæ ſtatim ex decreto Concilij in ignem projecta ſunt, nequicquam eo conquerente, quòd auditus non fuiſſet, ſubinde etiam ipſi imperatum palam recitare ſymbolum Athanaſij, quod & fecit ſingultando, dolore an ira incertum.

Sic ex decreto Honorii & Theodoſij Manichæorũ ſub oculis Epiſcoporum fuere cõbuſti. lib. 9. t. 16.

Id etiam jubet Concil. Nicen. quod eſt VII. Oecumenic. cap. 9.

Hinc elicitur Cononem bis à ſummis Pontificibus in Gallias ablegatum cùm vicariatûs dignitate, primùm anno 1115. quo Bellovaci & Remis Synodum coegit, ex Chronico S. Petri Vivi Senonenſis. Tum verò an. 1119. cùm Sueſſionis in Abailardum Epiſcopi eo procurante convenerunt iterum ad Synodum, cujus meminit Petrus Picardus S. Victoris Pariſienſis Religioſus, vir apprime doctus, in Notis ad epiſt 193. S. Bernardi, evidentérque colligitur ex prædicta epiſtola: *Damnatus eſt*, inquit Clarevallenſis Abbas, *cum opere ſuo coram Legato Romanæ Eccleſiæ*, ſcilicet Petrus Abailardus. *Sed quaſi ei non ſufficeret illa damnatio, iterum fecit, unde iterum damnetur.* Et Samſon Metropolita Remenſis epiſt. ad Inno-

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1120.

centium: *Iamdudum fecerat*, scilicet Abailardus, *librum de sancta Trinitate, sed sub Legato Romanæ Ecclesiæ examinatus est.* Abailardus correptus ab Episcopis per aliquod tempus abstinuit à perversa sua doctrina, donec ad vomitum rediens, meritò sibi aliam conciliavit damnationem, ut dicam infra.

Anno sequenti aliam convocatam Synodum Belvaci à Conone 15 Kal. Novem. docet idem Chronicon, Lisiardus quoque Suessionensis Episcopus in vita MS. sancti Arnulfi decessoris sui, cap. XV. ubi de elevatione corporis ejus sic loquitur: *Hæc & alia superna patriæ documenta postquam ad aures D. Lamberti, sive ad notitiam devoti populi latiùs pervenerunt, idem Episcopus iniit consilium in Conventu Belvacensi XV Kal. Novemb. cum quibusdam Coepiscoporum suorum, quid facto opus esset ad tantam Dei magnitudinem. Intererant ibi Episcopi Francorum, Guillelmus Catalaunensis columna Doctorum, Gaufridus Carnotensis Episcopus, Daimbertus Senonensis Archiepiscopus, Aurelianensis, Parisiensis Episcopi, Petrus Belvacensis Episcopus, Angelramnus Ambianensis, Iohannes Morinorum, Lambertus Tornacensis, Boigardus Cameracensis, Bartholomæus Laudunensis, Lisiardus ego indignus Suessionensis Episcopus, Abbatum, Archidiaconorum, Præpositorum & copiosa Cleri multitudo, &c. Synodi Præsides erant Cono Legatus, Remensis Archiepiscopus, Turonensis, decretúmque est viri Dei sanctum corpus de humo levandum, juxta morem Gallicanæ Ecclesiæ.*

Ex Luca Acherio Spicil. to 2. fol 594. & Anto. Sandero in Hagiologio Flandriæ lib. 2. ubi scribit B. Arnulfum Suessionensem vitâ sublatum an. 1087. cujus corpus multis claret miraculis, auctoritate Concilij Belvac. à Lamberto Tornacensi Episc. è terra levatum fuisse juxta morem Gallicanæ Eccles. *ann. 1121.*

Tornacenses qui priùs, Cameracensium forsan exemplo, summum Pontificem adierant pro adipiscendo proprio Episcopo, acriùs hoc anno apud eumdem institerunt, quorum conatus cùm sub Rodulfo Archiepiscopo præsertim efferbuerint, præcipuam eorum causam hîc describere, & quomodo ad tempus repressi fuerint, non erit ingratum. Tradunt hujus ævi scriptores aliàs tentatam Ecclesiæ Tornacensis à Noviomensi separationem statim post Balderici Episcopi obitum, eò vehementiùs à Tornacensibus quæsitam, quòd eos jure an injuria, causam enim reticent, interdicto suppositiisset: tunc enim seriò cogitarunt quonam tandem modo Noviomensis Episcopi jugum excuterent. Cùm autem Romæ noti non deessent, illustriores è Clero subinde ad Paschalem Pontificem mittuntur, qui de Balderico graviter conquesti, licentiam obtinerent eligendi proprium Episcopum, ut ipsa Tornacensis Ecclesiâ pristinæ dignitati restitutâ, animarum saluti in urbe regionis principe, & admodum populosâ, diligentiùs incumberet. At Noviomenses ut hoc consilium præverterent, Lambertum Tornacensem Archidiaconum confestim eligunt, hac spe confisi, quòd Tornacenses ob Præsulatûs honorem ipsi delatum, à postulando deinceps proprio Episcopo deterrerentur. Rodulfus Metropolita eum nihilominus consecrare noluit, quòd Paschalis litteras pro Tornacensibus jamjam recepisset: postmodum re ad prudentiam ejus à Pontifice delata, non corruptus auro, ut perperam tradit Herimannus, qui Episcopatui dudum inhiabat, sed perpensis utrimque rationibus, Rege consentiente, quem pariter pecuniâ illectum idem auctor fabulatur, Lamberto Remis sollemniter manus imposuit, jussitque Tornacensibus sub pœna excommunicationis, ut ipsi tanquam legitimo Pastori reverentiam exhiberent. Verisimile est hanc litem seriò in Curia Regis agitatam fuisse, cùm Ivo Carnotensis secretorum non ignarus, timens ne inde schisma in Regno Franciæ oriretur, hanc epistolam Paschali scripsit, quam Papirius Masso è tenebris ereptam in lucem prodidit III Annalium tomo, quæ sic incipit.

Domino

Digitized by Google

RODUL-
FUS.
XLVII.
ARCHIEP.

Domino & Patri ſuo Paſchali ſummo Pontifici, Ivo humilis Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter: filialis obedientiæ famulatum.

An. 1121.

NOvit veſtra paternitas, quia Regnum Francorum præ ceteris Regnis Sedi apoſtolicæ ſemper fuit obnoxium, & idcirco quantum ad ipſas regias perſonas pertinuit, nulla diviſio fuit inter Regnum & ſummum Sacerdotium. Quod ergo hactenus cum pace & utilitate Eccleſiæ obſervatum eſt, humiliter petimus, ut de cetero obſervetur, & Regni Francorum pax & ſummi Sacerdotij nulla ſubreplicatione diſſolvatur; quod idcirco prælibavimus, quia audivimus Clericos Tornacenſes ad apoſtolicam Sedem veniſſe, petentes ut apoſtolica præceptione proprium poſſint habere Epiſcopum, & Noviomenſis Eccleſiæ fruſtrare privilegium. Quod ne fiat ſicut filij & fideles & rogamus & conſulimus, ut ſtatum Eccleſiarum qui quadringentis annis ferme duravit, inconcuſſum manere concedatis, ne hac occaſione ſchiſma quod eſt in Germanico Regno adversùs Sedem apoſtolicam, in Galliarum Regno ſuſcitetis: nec in hoc reſiſtimus quin poſſit Sedes apoſtolica parochiarum amplitudinem minorare aut brevitatem dilatare, ſi utilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde ſchiſma contingat. Quia ergo Rex Francorum, ut pote homo ſimplicis naturæ, erga Eccleſiam Dei eſt devotus & Sedi apoſtolicæ benevolus, petimus & conſulimus, ut à benevolentia ejus nulla vos ſubreptio ſubtrahat, nulla perſuaſio diſiungat. Novit enim veſtra Paternitas, quia cùm Regnum & Sacerdotium inter ſe conveniunt, bene regitur mundus, floret & fructificat Eccleſia; cùm verò inter ſe diſcordant, non tantùm parvæ res non creſcunt, ſed etiam magnæ res miſerabiliter dilabuntur. Ad hæc quod petimus cum Coepiſcopis noſtris, non eſt contra majeſtatem Sedis apoſtolicæ, non eſt contra utilitatem, ut non dicam dignitatem Tornacenſis Eccleſiæ, ſervare terminos antiquos, quos Patres eorum poſuerunt, & longa antiquitate ſervaverunt. Præterea cùm dignitas epiſcopalis paupertatem his diebus honeſtè ferre non valeat, providendum eſt ne iſta diviſione, utérque Epiſcopus pauper fiat, quod teſtantur Noviomenſes, qui utriúſque Eccleſiæ experti ſunt facultates.

Paſchali vivis exempto circa annum 1118. ab incœpto non deſtiterunt Tornacenſes, ſed majori ſtudio inſudârunt apud Calliſtum II. vivente adhuc Lamberto, ut eo ſaltem obeunte, liberam haberent eligendi Epiſcopi facultatem: at Pontifex perpendens quanti res eſſet momenti, Bullam ſequentem, rogatu Regis Chriſtianiſſimi, dedit pro unionis confirmatione duarum Eccleſiarum, quam hîc intexam ex Vaſſorio exhibemus.

Calliſtus Servus ſervorum Dei, Cariſſimo in Chriſto Filio Ludovico illuſtriſſimo & glorioſiſſimo Francorum Regi: ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

An. 1122.

PAtres tui glorioſæ memoriæ Francorum Reges, poſtquam per omnipotentis Dei miſericordiam chriſtianæ Fidei rudimenta percepe- *Primi Francor Reges ſuis poſteris obedientiam & affectum erga Roman. Eccleſiam ſuis hereditario reliquerunt.*
runt, Romanam Eccleſiam devotione præcipua coluerunt, nec ſatis eis viſum eſt Matrem ſuam ſuis tantùm temporibus venerari, ſed ejus reverentiam, obedientiam & affectum ſuis etiam poſteris, jure quodam hereditario reliquerunt. Unde divinæ inſpirationis gratiâ factum eſt, ut & tu qui ex eadem regali deſcendens progenie, in Regni hujus regimine

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An. 1111.*

» mine ſucceſſiſti, in morum quoque probitate ſuccedens, & in devotione
» ſupradictæ Matris tuæ heres ingenuus permaneres. Hoc nos diebus noſtris
» experti ſumus, hoc & tota pœne Romana Eccleſia recognoſcit; ea prop-
» ter petitiones tuas, Fili cariſſime, clementer admittere, ac perſonam
» tuam & Regnum ſpecialiùs, auctore Deo, decrevimus honorare. Poſtu-
» las ſiquidem, ut antiquam Noviomenſis ac Tornacenſis parochiarum
» unitatem auctoritatis noſtræ robore confirmemus, multa ſiquidem, &
» magna inter utrámque Eccleſiam terrarum ſpatia continentur, & ſuum
» quæque, ut aſſerunt, poſſet Antiſtitem obtinere: ſed quoniam dilectionis
» tuæ abundantia nos compellit, petitioni huic facilem impartimur aſſen-
» ſum. Noviomenſis igitur & Tornacenſis Eccleſiarum & parochiarum
» unitatem, à noſtris prædeceſſoribus inconvulſam, uſque ad hæc tempora
» conſervatam, præſentis decreti paginâ confirmamus, & ratam in per-
Caput & epiſcopalis dignitatis Sedes Noviomi olim habebatur.
» petuum permanere decrevimus, auctoritate apoſtolica ſtatuentes, ut
» utríque Eccleſiæ unus tantùm præſit Epiſcopus; verumtamen caput
» & epiſcopalis dignitatis Sedes Noviomi futuris temporibus habeatur:
» In his omnibus Confratrem noſtrum Lambertum Epiſcopum ſollici-
» tiorem exſiſtere volumus, & ſic per Dei gratiam utríque Eccleſiæ
» providere, ut neutra paſtoralis officij & doctrinæ gratiâ defraudetur.
» Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ
» inſtitutionis paginam ſciens, contra eàm temere venire tentaverit,
» ſecundò tertióve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit,
» poteſtatis honoríſque ſui dignitate careat, reámque ſe divino judicio
» exſiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſanctiſſimo corpore ac
» ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, at-
» que in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eam
» ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructus
» bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ
» pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.
» Ego Calixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus laudans ſignavi.
» Datum Neocaſtri per manum Chriſogoni S. R. E. Diaconi Car-
» dinalis ac Billiothecarij v. Idus Decemb. Indict. x v. Incarnat. Dom.
» an. 1122. Pontificatûs autem domini Calixti II. Papæ anno 3.

Lamberto Epiſcopo defuncto poſt novem annos reginiinis, Clerici Noviomenſes quibus ſatis perſpectæ erant Tornacenſium ſollicitudines apud ſummum Pontificem, communi conſenſu Simonem Hugonis Magni Comitis Viromandenſis filium, & Margaretæ Caroli Flandrenſis uxoris ex matre fratrem, in Epiſcopum aſſumpſerunt, hac ſpe ducti, quòd generis nobilitate ſplendeſcens (erat enim ex regio ſanguine ortus) facilè poſſet adverſariorum cuneos eludere, ſtatimque urbis Primores Metropolitæ Rodulfo præſentant, ut charactere epiſcopali inſigniretur; at quamvis mens tantæ molis capax eſſet, cùm ætas in eo deſideraretur præſcripta per Canones, renuit ei manum imponere abſque conſenſu ſummi Pontificis: unde ab ijs Romam mittitur, Rodulfo interim curam gerente duarum Eccleſiarum, Noviomenſis ſcilicet & Tornacenſis, quamdiu viduatæ manſerunt. Ex quibus innoteſcit quantam ſacris Canonibus reverentiam exhibuerit digniſſimus Antiſtes, à quibus ne latum quidem unguem recedere quocumque prætextu, etiam commendatione Principum uſquam voluit. Cujus rei certior factus Calliſtus Papa & quòd diœceſim ſuam ſanctè & feliciter adminiſtraret, ei gratulatur quâdam epiſtolâ, quam inter codices manu-ſcriptos bibliothcæ Remigianæ vidimus, quamvis ob illicitam Canonicatuum ſancti Timothei Remenſis nundinationem ad eum miſſa ſit, initium autem ſic ſe habet.

Calliſtus

Digitized by Google

Calliſtus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabili Fratri Rodulfo Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1121.

GAudemus de te Frater cariſſime & omnipotenti Deo gratias agimus, « qui conſtitutas per Epiſcopatum tuum Eccleſias ſollicitè gubernare, « & in ſtatum congruum reformare totis viribus elaboras. Significatum eſt « nobis, quòd in Eccleſia Ss. Martyrum Timothei & Apollinaris, ad ſancti « Remigij Monaſterium pertinente, ſæculares Clerici commorentur, &c. «

Hic denique Rodulfus probè ſciens, quantum utilitatis & fructus Reipublicæ chriſtianæ proveniat ex Cœnobijs per diœceſim conſtitutis, ubi vigeret obſervantia regularis, eſſéntque qui plebi erudiendæ ſedulò incumberent; diſcipulis S. Norberti, quem ſupra vidimus humaniter exceptum à Laudunenſi Epiſcopo, quædam prædia contulit in Valle-Rodiginis, pro novo hoſpitio conſtruendo, at illud ibi diu ſtare non potuit ob bellorum procellas, tranſlatúmque eſt paullopoſt in diœceſim Lingonenſem, ac inditum nomen Septem-fontium, fortè à loco fontibus irriguo, cujus meminit S. Bernardus epiſt. 253.

Id patet etiam ex charta Monaſterij Septem-fontium in diœceſi Lingonenſi quæ ſic incipit, Rodulfus Archiepiſcopus & mecum Fratres Eccleſiæ Remenſis, Fratri Ioſleno Monaſterium conſtruere cupienti, &c. *Sedem molendini hac conceſſam fuiſſe tradit, cum terris adiacentibus ſub trecenſu ſingularum librarum de cera, quas ſingulis annis ſolvere debebant. data anno* 1125 *Indict. V. Regni Ludovici ſeptimo-decimo, Archiepiſcopatûs Rodulfi quarto-decimo. Enich. Cantell. cum ſigillo Sanctæ Mariæ.*

Silva Montis-reguli Nicaſianis datur à Comite Campaniæ. Lites ab Epiſcopis terminantur Officialium tribunali nondum conſtituto. Rodulfus Archiepiſcopus vitæ finem imponit.

CAPUT XXXII.

UT egregiè factorum relatione & exemplo ſæpius ad virtutem ſucceduntur animi, ſic pleríque Nobilium hac ætate tam vivum pietatis exemplar ſibi proponentes ad imitandum, præſtantiores Aſcetas non opibus modò, ſed & prædijs benignè cumulabant, quò jugis eorum memoria in ſacrificijs & orationibus haberetur. Inter hos meritò præcellit Hugo Campanienſis Comes, quem poſt exhibitam ſuæ gratitudinis teſſeram erga Francorum Apoſtolum, Hieroſolymam perrexiſſe diximus: nam ut primùm à pio itinere regreſſus eſt, Comitatûs curâ Theobaldo fratris filio relictâ, totus fuit in dotandis exornandíſque Eccleſijs. Unde cùm plura his temporibus occurrant apud nos munificentiæ tanti Principis indicia, ſine ingrati animi labe, ſilentio tegere non poſſum, quod ob virtutis famam incliti Abbatis Joranni Nicaſianis erogavit, cùm dotis pars ſit nobilior Monaſterij, quâ etiamnum gaudent Abbates. Ex charta ſiquidem anni 1114. palam fit prædictum Comitem rogatu Nivernenſis Epiſcopi, venerabili cuidam Sacerdoti Monacho licentiam indulſiſſe hoſpitium conſtruendi in Monte-reguli, ea parte loci quam ad habitandum commodiorem elegiſſet, cui præterea terras arabiles, ſilvas, prata, tam ei, quàm poſteris ibidem degentibus liberaliter conceſſit, quæ omnia poſthac ab eodem Sacerdote Nicaſianis ſponte oblata & tradita ſunt anno 1121. eodem Hugone Comite hanc ſubrogationem gratam habente, cui etiam ſuperaddit Eccleſiam, bannum, ſilvas ſecundùm fines in Charta deſignatos, quam in perpetuum tantæ liberalitatis monimentum ex autographo deſumptam lectorum oculis lubens ſubjicio.

Prima hæc collatio nemorum Monachò facta eſt an. 1104.

Chartâ

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP.

Charta quâ Comes Campaniæ Petro Sacerdoti locum in Monte-reguli conceſsit ad habitandum.

An. 1121. „ NOtum eſſe volumus præſentibus & futuris, quia nos quendam Fratrem venerabilem, Petrum nomine, ſacerdotali Ordine inſignitum, „ ad petitionem domini Epiſcopi Nivernenſis, & ad quorumdam venerabilium virorum atteſtationem in terra noſtra, & in Monte-reguli, in „ loco ipſo quem ipſe elegerit voluntariè recepimus, cui terras arabiles, „ ſilvas, prata, paſcua, aquas, aquarúmque diſcurſus, prout ſibi per miniſteriales noſtros determinatum eſt, benignè largiendo ab omni „ exactione, ab omni prava conſuetudine, & ut omnino careat perturbatione cujuſlibet perſonæ, ipſum locum liberum perpetualiter manſurum, „ tam ipſi Petro, quàm poſteris ſuis, ibidem ad ſerviendum Deo degentibus, „ in nomine & honore Dei Salvatoris noſtri conceſſimus. Hujus itáque „ donationis noſtræ memoria, ut per labentis temporis decurſum non decidat, „ præſenti pagina firmamus & ſub teſtimonio Remenſis Eccleſiæ, omnem *An.* 1114. „ ejuſdem loci reditum vel conſuetudinem omnino emancipamus.

„ Actum eſt anno Incarnationis dominicæ 1114. Indict. VI anno XVI. „ Apoſtolatûs Papæ Paſchalis ſecundi, anno Pontificatûs D. Rodulfi Remenſis Archiepiſco VI, anno glorioſiſſimi Regis Francorum Ludovici VI. „ Ego Hugo Comes de Campania ſub his teſtibus hanc donationem feci „ & firmavi, Nicolao Archidiacono, Ebalo Præpoſito, Godefrido Decano, „ Lamberto Cantore, Magiſtro Leone, &c.

Idem Hugo Campaniæ Comes aliquot annis poſt, ratam habet donationem nemorum de Monte-reguli à prædicto Sacerdote Nicaſianis factam, aliáque ſupperaddidit hoc privilegio.

An. 1121. „ IN nomine ſanctæ Trinitatis. Ego humilis Comes Campaniæ Hugo, „ venerabili Abbati domno Joranno & Eccleſiæ S. Nicaſij ſub eo conſti- „ tutæ: hereditatem immarceſſibilem conſervatam in cælis. Quoniam propter „ Regnum Dei, & pro nobis cæleſtem in terra exercetis militiam, noſtrum „ eſt & gratum Deo obſequium præſtare credimus, ſi vel aliquo temporali „ ſubſidio ſpiritualia veſtra ſuſtentare curaverimus. Igitur terram illam, quæ „ dicitur MONS-REGULI, quam aliquando dedimus venerabili viro Petro „ Monacho & Sacerdoti, ſicut ab eodem viro oblatam recepiſtis, ad ho- „ norem Dei ſemper vobis excolendam conceſſimus, ratúmque id fore per- „ petuum litteris & ſigillo noſtro mandavimus. In eadem verò terra Albertus „ Marculfus feodum, quod ex me clamabat, unde etiam vobis calumnia- „ batur, me præſente abdicavit, & ut omnia pacificè ad honorem Dei „ fierent, idipſum quod clamabat, ſive juſtum, ſive injuſtum, ſuper altare „ ejuſdem loci poſuit. Præterea poſtquam Eccleſia B. Dei genitricis Mariæ „ ibidem cœpit à nobis ædificari, aliud iterum vobis donum fecimus, id eſt „ omnem terram & ſilvam, quæ eſt à rivulo Canis-ſpinæ, qui decurrit ad „ vallem Morendi, uſque ad ſilvam Archiepiſcopi verſùs Remis, itaut ubíque „ & bannum & juſtitiam, & curſum aquæ & omnes quas habebam conſue- „ tudines libere per omnia poſſideatis. Jacobus etiam de Germania totam „ terram illam de Sarcles, quam de me ibidem in feodum tenebat, ſicut „ eam vobis dedit cum banno & juſtitia, ita & nos vobis concedimus, atque „ hæc omnia Eccleſiæ veſtræ perpetuo jure poſſidenda ſcripto & præcepto „ noſtro confirmamus. Si quis etiam adhuc vel terram, vel aliquid quod „ de me teneat, Deo & vobis conferre voluerit, nos idipſum fieri bono „ animo & corde volenti conceſſimus. Hujus rei teſtis Johannes Vice- „ comes, Joſbertus Dapifer, Hugo Coxardus, Paganus Præpoſitus, Te-

baldus

baldus Major, Gualo de Aveniaco, Ernaldus, Johannes de Aveniaco. « RODUL-
Actum anno incarnati Verbi 1121. Indict. XIV. Quod mandat ſcripto, hoc « FUS.
confirmat Hugo Comes ſigillo. « XLVII.

Inſignem hanc Comitis donationem ſcripto laudavit & confirmavit ARCHIEP.
Rodulfus Archiepiſcopus eodem anno, cum ijs quæ matrona nomine Ida *An.* 1121.
uxor Milonis de Chimerio eodem Monaſterio conceſſerat pro anima ſua & anima Arnulfi filij ſui, qui colobium monachale apud Nicaſianos induerat.

Hîc obiter aperiendum quonam modo ſub Epiſcopis provinciæ Remenſis, qui hoc, ac ſuperiori ſæculo vixerunt, litibus inter Eccleſiaſticos præſertim exortis finis imponeretur. Cum enim tunc primùm altaria piorum virorum ſtudio à Nobilibus vindicata, ad menſam epiſcopalem ut plurimùm non redirent, ſed dotandis Monaſterijs pro Epiſcoporum libito applicarentur, ſubinde lites & jurgia pro decimarum partitione emerſerunt, quibus ſedandis Officialium Curiâ ſeu Conſiſtorio necdum exſiſtente, non Judices laïci, ſed ipſemet loci Epiſcopus dabat operam, ſententiámque definitivam inter litigantes ferebat, accitis ſecum Cleri Primoribus, veluti ad Concilium, aliiſque venerandæ auctoritatis viris, qui latum ab Epiſcopo judicium ſuis pariter ſigillis approbabant, ut vel ex hac Rodulfi charta probari poteſt, quam inſtar omnium hîc attexuiſſe juvabit.

PEGo Rodulfus Dei gratia Remenſis Eccleſiæ licèt indignus « *An.* 1123.
Miniſter, cujuſdam decimæ litem, inter Eccleſiam videlicet «
S. Timothei & B. Sixti diſcernere volens, præſentis paginæ teſti- «
monio dubiam terminavi cauſam. Eo tempore quo Magiſter Al- «
bricus decimam S. Sixti tenebat in beneficium ab Hugone Remenſis «
Eccleſiæ Theſaurario, ſuborta eſt querela decimæ cujuſdam culturæ «
ſancti Timothei, quæ cultura jacet inter Viriliacum & Taſſicium. «
Canonici ſancti Timothei dicebant dimidiam partem decimæ culturæ illius «
ad ſe pertinere, eo quòd terra ſancti Timothei eſſet, Abbas autem ſancti «
Nicaſij ad cujus Monaſterium altare S. Sixti pertinet, legalibus perſonis «
& idoneis teſtibus paratus fuit probare decimam illam ad Eccleſiam ſancti «
Sixti pertinere: verùm pacis gratiâ inter utroſque diſpenſavimus, quatinus «
de his quæ in eadem terra extra domos S. Remigij, curtem, & hortos, «
extra etiam altas ædificandas ad agriculturam pertinent, prædicti Canonici «
dimidiam tantùm habeant decimæ partem, prædicti autem manſionarij «
cum decima ſua ad Eccleſiam ſancti Sixti pertineant. Hujus inſtituti teſtes «
habentur Odo Abbas ſancti Remigij ſub cujus præſentia factum fuit, «
Guillelmus Abbas ſancti Theoderici, Nicolaus Archidiaconus, Fridericus «
Præpoſitus, Joffridus Decanus, Hugo Theſaurarius, Adam, Odo, Al- «
bertus Preſbyteri. «

Item Controverſia exſtitit inter Abbatem S. Nicaſij, & Monachos « S. Theobaldi, & Canonicos de Calvo-monte de banno, & de juſtitia & « de aliqua re inventa & de cornaticis, quæ in altari & in Eccleſia de Ro- « *moldi*-curte Monachi & Canonici uſurpare ſibi volebant, adjudicatum « fuit judicio Petri Belvacenſis Epiſcopi, aſſentientibus Hugone Altivilla- « rienſi Abbate & Odone Orbacenſi Abbate, quòd in his omnibus nihil « juris aliqua perſona debet habere præter Monaſterium S. Nicaſij, cujus « altare & Eccleſia ſupradicta eſſe dignoſcitur. Hoc idem judicium corro- « boratum eſt à perſonis Remenſis Eccleſiæ Nicolao videlicet Archidiacono, « Hugone Archidiacono, Guidone Laudunenſi Theſaurario, Bliſardo Lau- « dunenſi Cantore, Magiſtro Alberico, Simone, Leone, Johanne. «

Actum Remis anno incarnati Verbi 1123. Indict. XV. Regnante Ludo- « vico Rege Francor. anno XV. Archiepiſcopâtus autem domni Rodulfi « anno XV. Fulchradus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit. «

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP'

His & similibus chartis Monasteriorum tabularia referta sunt, quibus nobiliores è Clero tum Episcopis subscripsêre, donec sub Vvillelmo Campanensi Cardinale, Officialium curia, seu consistorium à prædecessore Henrico recèns usurpatum, perfectissimè stabilitum est.

An. 1124.

Ceterùm cùm Rodulfi Archiepræsulis pæne jam senectute confecti gravesceret valetudo, illud ultimum tamquam munificentiæ coronidem dedit in gratiam Remigianorum, quod hîc retulisse ingratum non erit. Cùm enim altare S. Juliani Remensis, Monachi sub obtentu personæ, ut moris erat, ante Consilium Claromontanum tenuissent, isdem venerabilis Archiepiscopus amore B. Remigij, quem patronum suum nominat, impersonaliter tenendum indulsit, ea lege, ut quotannis dies ejus anniversaria in prædicta Ecclesia celebraretur, eadem exceptione rescripto imposita, quæ priùs à nobis explicata est.

An. 1124.

„ IN nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Rodulfus ad Remensis Ecclesiæ „ culmen SOLA PIETATE DIVINA provectus, Odoni venerabili sancti „ Remigij Abbati & ejusdem loci Fratribus: de bono ad melius in perpetuum „ promoveri. Temporalibus bonis affluentibus, & caducis rebus sublimatis „ hoc incumbit, ut pro transitorijs permanentia, pro perituris æterna com- „ mutent Hoc attendentes & animæ periclitanti consultum esse cupientes, „ altare B. Juliani, quod Ecclesiæ B. Remigij adjacet, eo quòd eadem Ec- „ clesia sub obtentu personæ hucusque tenuerat, amore ejusdem patroni no- „ stri, tibi & Ecclesiæ tuæ imperſonaliter conferimus & perpetuò tenendum „ concedimus, orantes ut anniversarius dies depositionis nostræ in prædicta „ Ecclesia quotannis in communi celebretur. Hanc paginam ratam esse vo- „ lentes, nostræ imaginis testimonio & idonearum astipulatione personarum „ eam confirmamus.

Altare S. Iuliani remota persona successione datur imperſonaliter tenèndum.

„ Signum Nicolai Archidiaconi,
„ Signum Hugonis Archidiaconi,
„ Signum Frederici Præpositi,
„ Signum Joffridi Decani,
„ Signum Leonis Cantoris,
Signum Odonis Subthesaurarij,
Signum Adæ, Alberti Presbyterorum.
Sig. Raineri, Johannis Diaconorum.
Signum Gervasij, Stephani Subdiaconorum.

„ Actum Remis anno incarnati Verbi millesimo centesimo vigesimo-quarto „ Indictone decima, regnante Ludovico Rege Francorum anno sexto-decimo „ Archiepiscopatûs autem domini Rodulfi anno septimo-decimo. Fulchradus „ Cancellarius scripsit & subscripsit.

Prædictam donationem Rodulfi obitus mox secutus est, quem Necrologium matricis Ecclesiæ assignat decimo Kalend. Augusti, cum brevi hoc laudum encomio, *Decimo Kalendas Augusti Dominus Rodulfus magnæ sanctitatis Archiepiscopus obijt, qui acquisivit huic Ecclesiæ Attiniacum, sed & Ecclesiam, totámque provinciam ad honorem Dei in magnâ honestate gubernavit.* Quo nihil illustrius compendio dici potuit. Fuit enim Rodulfus inter eminentiores sui sæculi Primates pietate ac doctrina insignis, gestorúmque gloriâ clarus. Pietas ejus in hoc eluxit, quòd in omnibus summo Pontifici morem gerens, simoniacam pravitatem radicitus evulserit; doctrina verò tum ex propensione ejus in litteratos*, tum ex Concilijs sub eo convocatis pro reformatione Cleri; unde ab Orderico Vitale laudatur tanquam, *eruditione & facundia inter Patres* (scilicet Remensis Concilij) *præcipuos, studijsque bonis suo tempore laudabiliter deditus, Pater & institutor Monachorum & Clericorum, patronus & defensor pauperum*, lib. XII, Historiæ. Corpus post obitum ad Ecclesiam B. Remigij quam vivens impensè dilexerat delatum est, ac sepulturæ traditum sub curvatura cujusdam fornicis, quæ conspicitur juxta ingressum chori ad Aquilonem,

* Huic *enim* tribus contenta libris miraculis S. Angilberti trâsmisit Anscherus Abbas Centulensis: *Ex Syntagmate Nithardi.*

Digitized by Google

lonem ; ubi donatio Eccleſiæ Regiteſtenſis facta ab Hugone Comite, approbante Rodulfo, in lapide ſculpta prominet, lapiſque tegens ſepulcrum paullulum ereta ſub fornice, tapete nigro operitur die anniverſarij, ſupra quem accenduntur duo cerei dum juſta impenduntur à Monachis.

RODUL-FUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1124.

Viri doctrina & ſanctitate illuſtres qui ſub Rodulfo Archiepiſcopo Remis, aut in vicinia claruerunt.

CAPUT XXXIII.

SI verùm ſit illud oraculi, urbium ac provinciarum decus in ſapientûm numero conſiſtere, nihil etiam jucundius eſſe poteſt ea relatione, quæ nobis geſtorum notitiam parit, docétque quibus ſcientiæ ac virtutis enituerunt ornamentis, ut exemplo eſſe poſſint, nomenque poſteritati commendetur ; & quoniam Remenſis ſimilium virorum nuſquam expers fuit, quoſdam ex his producam qui floruerunt ſub Rodulfo.

Matthæus ex Canonico Remenſi Epiſcopus Albanenſis et Cardinalis.

MAtthæus Albanenſis Epiſcopus & Cardinalis, inter eos qui doctrinâ hac ætate fulſerunt meritò reponi debet. Hic non obſcuri ſecundùm carnem generis ortus ex provincia Remenſi fuit, utroque parente nobilitate inſignito & mundanis opibus locuplete. A pueritia ſcholis traditus in Laudunenſi Eccleſia adolevit, clericaléque officium adeptus, cum ætate cœpit doctrina & honeſtate invaleſcere : unde fit ut laſciviam conſodalium fugiens, præſtantioribus dumtaxat Clericis, è quorum conſortio melior evadere poterat, adhæreret. Inter hos ſpectatæ virtutis Rodulfus Viridis Remenſis Eccleſiæ Præpoſitus traditur enituiſſe, cui Matthæus ſpecialiter ſe religioſa familiaritate devovit. Eo autem ad Archiepiſcopatum promoto, ipſe quoque Remenſi Canonicatu donatus fuit, Romámque miſſus eſt cum Godefrido Ambianenſi anno 1109. ut præfati Rodulfi nomine obedientiam & fidelitatem ſummo Pontifici profiteretur, hinc prædicti Archiepiſcopi Legatus vocatur in vita S. Hugonis Cluniacenſis.

Andreas Quercetanus in notis ad Bibliothecam Cluniacēſem.

At Matthæus hoc vitæ genus faſtidiens, reſignato Canonicatu monaſticen induit apud S. Martinum de Campis, cujus & Prior renuntiatus eſt poſt Thebaldum III. anno 1119. Deus qui hunc ad prælara deſtinârat, diu latere non eſt paſſus, à Patribus ſiquidem Cluniacenſibus Romam miſſus tanto virtutum ſplendore enituit dum hic moram faceret, ut ſummus Pontifex ejus operâ in gravioribus Eccleſiæ negotijs uti ſtatuerit : unde ſtatim ad Epiſcopatum Albanenſem promotus, cardinalitiâ quoque purpurâ decoratur anno 1125. Petrus venerabilis qui electionem ejus ad Prioratum ſancti Martini Pariſienſis confirmaverat, ſcripſit Matthæum hujus rei penitus ignarum haud ſine providentia Dei Romam miſſum, impeditúmque ne rediret, ut virtuti ejus major proficiendi occaſio pararetur, qui in minori ſe fideliſſimum probaverat.

Ad ſublimem igitur hanc dignitatem evectus, ut luceret omnibus qui in domo Dei ſunt, nihil remiſit ex ſolitis regularibus ſuis exercitijs beati Martini exemplo, quem Gallicanæ Eccleſiæ decus ac Religioſorum probatiſſimam margaritam omnes venerabantur, humilitatem ſemper in corde

RODUL. FUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1124.

retinuit, paupertatem in habitu, tantámque morum ſuavitatem in converſatione, ut interior ejus ſanctitas omnibus facilè innoteſceret. Legatus à latere miſſus in Gallias anno 1127, ſociavit ſibi beatum Bernardum Clarevallenſem & Stephanum Ciſtercienſem Abbates, quorum erat ſtudioſiſſimus, multáque ſcitu digna ac Eccleſiæ Catholicæ proficua, in hac præſertim provincia Remenſi, exſecutus eſt, quæ leguntur apud Baronium & nos obiter nonnihil referemus. Cum vigilia Natalis Domini gravi morbo laboraret, quo & mortuus eſt, hæc verba ad Chriſtum ſervatorem cruci affixum direxit: *Tempus eſt, miſericors Deus, ut impleas, quod famulo tuo promiſiſti, & ut die Natalis tui ex hujus mundi laqueis ſolutus & miſeriis, redeam ad te, qui vera vita es.* Tum cilicio indutus animam exhalavit, cùm hæc cantarentur in choro: *Lux fulgebit hodie ſuper nos*, anno 1135 ſepultúſque eſt Piſis in Eccleſia ſancti Fridiani. Martyrologium Cluniacenſe eum catalogo Sanctorum inſerit his verbis: *Depoſitio Matthæi S. R. E. Albanenſis Epiſcopi, qui ante mortem ſuam videre meruit gloriam, quam ipſi Chriſtus præparârat.* Et Benedictinum paullo fuſius. *Octavo Calendas Ianuarij: Piſis depoſitio ſancti Matthæi S. R. E. Cardinalis Albanenſis ex Remenſi provincia.*

De Anſelmo Laudunenſi inſignium virorum qui hoc ſæculo in Gallia claruerunt Præceptore.

Quidam eũ confundunt cum Anſelmo S. Vincentij Abbate, vel Cantuarienſi Archiep. ob nominis conformitatem: at in nuſquam fuit Abbas nec Epiſcopus, licèt famoſior, ut loquitur Rupertus.

ANſelmus Decanus ac ſcholarum Eccleſiæ Laudunenſis Rector eximius, ſub Vvaldrico Epiſcopo floruit, quem à ſeditioſis civibus cæſum anno 1112 ſupra vidimus. Hic ferè per totam vitam Lauduni ſacras litteras docuit, cum tanta nominis celebritate, ut ex remotiſſimis etiam regionibus ſcientiarum avidi in ejus ſcholam convolârint: inter quos hi paſſim nominantur qui Galliam ſua doctrina & ſapientia illuſtrârunt, Matthæus Albanenſis, Guillelmus de Campellis Epiſcopus Catalaunenſis, Albericus Remenſis Primas Aquitaniæ, Guillelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Gilbertus Porretanus Epiſcopus Pictavienſis, Algarus Conſtantienſis Epiſcopus, & Petrus Abailardus. Ultimus hic eam eſt eruditionis laudem aſſecutus, ut nihil eum latuiſſe dicatur: at optimi magiſtri ingratus fuit diſcipulus, nam de Anſelmo emerito ſene dicere ſolebat, ætatem & vigilias, non verò ingenij acumen, famam ei conciliâſſe apud homines. *Acceſſi*, inquit, *ad hunc ſenem, cui magis longævus uſus, quàm ingenium vel memoria nomen comparverat, ad quem ſi quis de aliqua quæſtione pulſandum accederet incertus, redibat incertior: mirabilis quidem erat in oculis auſcultantium, ſed nullus in conſpectu quæſtionantium, verborum uſum habebat mirabilem, ſed ſenſu contemptibilem & ratione vacuum; cùm ignem accenderet, domum ſuam fumo implebat, non luce illuſtrabat. Arbor ejus tota in foliis aſpicientibus à longè conſpiciebatur: ſed propinquantibus & diligentius intuentibus infructuoſa repericbatur, ad hanc itáque cùm acceſſiſſem, ut fructum inde colligerem, deprehendi illum eſſe ficum, cui maledixit Dominus.* Hæc ingratus ille Philoſophus.

At prælariùs de eo ſentiunt Sigebertus ad an. 1127. Rupertus Abbas *lib. de Omnipotentia Dei*, & Guibertus de Novigento pluribus in locis, præſertim, *in Proœmio ad Geneſeos moralitates:* ubi Anſelmum totius latini orbis magiſterio prædicatum aſſerit. Hermannus item *lib. 1. Cap. 1. de Miraculis ſanctæ Mariæ Laudunenſis.* Imo Eugenius III. de eo dixiſſe fertur: *Per eum revixiſſe litteralis ſcientiæ decus & intelligentiam.* Hic igitur cùm incredibilem toti provinciæ Remenſi gloriam peperiſſet, quam ſuis ſcriptis ac diſcipulorum multitudine claram reddidit, viam

univerſæ

universæ carnis ingressus est anno 1117, tumulatus in Sanvincentiano templo, cujus Epitaphium sepulcro inscriptum refert Andreas Ducheſne in Notis ad Abailardum. Auctor quidam synchronus de operibus ab eo editis hæc habet: *Magister Anselmus nominatissimus Lauduni Decanus, in litteratura suis temporibus nulli secundus, morum honestate & consilij maturitate venerabilis, obijt anno 1117. Hic utili stilo & sollerti industria, inter cetera opera sua, etiam glossas marginales & interlineares in Psalterio de authenticis expositionibus elimata brevitate ordinavit.*

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1114.

Albericus ex Canonico Remensi & scholarum Rectore, Primas Aquitaniæ.

ALbericus Remis oriundus philosophiæ primùm operam dedit sub Godefrido Scholarcha S. Brunonis successore, tum verò se magni Anselmi Laudunensis magisterio addixit, ad cujus scholam ex toto orbe latino peritiores advolabant; cúmque animum theologicis præceptis imbuisset, Remos rediens fit Canonicus & scholarum Rector, cujus erat junioribus Clericis sacrarum litterarum prælegomena exponere, cúmque huic muneri obeundo naviter incumberet, & omnibus esset admirationi, nihil magni momenti ab Episcopis ipso inconsulto fiebat in provincia. Unde à Roberto de Monte in Supplemento ad Sigebertum, *scientiâ litterarum atque consilij prudentiâ clarissimus* prædicatur, conquestúsque est Abailardus prædictum Albericum, & Lotulfum Lombardum, quos egregios viros & nominatissimos magistros vocat Otho Frising. sibi insidiatos fuisse. Matthæus Albanensis ejus operâ usus est in Concilio Trecensi anno 1127, nominatúrque in actis immediatè post Episcopos, ob insignem ipsius dicendi peritiam & doctrinam. Obeunte Catalaunensi Episcopo Ebalo, postulatus est à Clero in Episcopum, laboravítque pro eo S. Bernardus apud Honorium II. ut tanti Præsulatûs insulas obtineret, præsertim epistolâ 13, ubi eximiè eum laudibus effert his verbis *De Ecclesia Catalaunensi nec valeo nec debeo dissimulare periculum. Videmus nimirum, jamjámque imminere sentimus nos qui vicini sumus, pacem memoratæ Ecclesiæ graviter mox esse turbandam; si electioni illustris illius viri id est Magistri Alberici, in quem utique totus tam Clerus quam populus pari voto & voce convenerunt & conveniunt, vestra pietatis assensum impetrare nequiverint. De qua re si & nostra quæritur aut curatur sententia: Novimus hominem sanæ Fidei & doctrinæ hactenus exstitisse; in divinis pariter & humanis prudentem esse; & speramus in domo Dei (si tamen ipse elegit eum) fore vas in honorem, & utile futurum non solum illi, sed & omni Gallicanæ Ecclesiæ.* At hæc S. Bernardi commendatio effectu caruit, priorique titulo Albericus Canonicatum duntaxat addidit Laudunensem, donec votis Cleri & populi Bituricensis evectus est ad Primatum Aquitaniæ anno 1136. Petrus Venerabilis ei epistola 23 summopere gratulatur ob recentem hanc dignitatem, multíque alij viri graves. De eo Richardus Pictavienſis Monachus ad annum 1137: *Circa tempora Ludovici Regis, floruit Gislebertus cognomento Vniversalis, natione Brito, ... postquam Remis surrexit Albericus, non illo famâ minor, qui promotus in Archiepiscopum modico duravit spatio.* Igitur cum jam ætate provectus dignitatem hanc obtinuisset, ut habet Chronicon S. Petri-Vivi Senonensis ad annum 1139, vix quicquam ab eo gestum, quod historiæ commendetur; nam post duos annos & menses novem Pontificatûs excessit, sepultúsque est in Monasterio de Loroy cum hoc Epitaphio.

Ex Othone Frising. lib. 1. cap. 47.

Patet id ex conventione in Tabulario S. Timothei Rem. recensita facta pro oblationibus inter Canonicos & Parochum an. 1132 cui subscripsere Dignitates majorum Ecclesia post Albericum hoc ordine. Signum Alberici Magistri. Sig. Hugonis Archidiacons. Signũ Frederici Præpositi. Signum Leonis Decani. Signũ Gervasii Cantoris.

Item patet ex epist Gualteri Laudun. Episc. ad Magist. Albericum ubi confutatur, quòd assereret Christum mortem non timuisse, Spicil. tomo 2.

In magisterio Scholarũ senescens Archiepiscopatum Bituric. obtinuit. *Chronicon S. Petri Vivi.*

Hic

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. An. 1124.

Hìc Albericus requieſcit, Bituricenſis
Primas magnificus, modò major in arce polorum.

Necrologium Remenſe de eo XII Calend. Septemb. hæc habet: *Deceſſit Albericus Bituricenſis Archiepiſcopus & Canonicus noſter, quondam Anſelmi Laudunenſis diſcipulus, pro cujus anima Stephanus de Porta-Clauſtri nepos ejus Canonicus N. dedit terram de Courcelle & C. libras ad emendos reditus pro anniverſario ſuo & avunculi ſui Magiſtri Alberici Bituricenſis Archiepiſcopi.*

Legitur etiam IX. April. in Obituario Remenſi.

Johannes Sareſberienſis alterius Alberici Remenſis meminit de Porta-Veneris, quæ vulgo Valeſia dicitur, nuncupatus, qui ſibi quaſdam divinarum litterarum quæſtiones nomine Henrici Comitis Campaniæ, adhibitis aliquot litterarum viris propoſuerat epiſt. 172. de quo forſan alibi.

Bartholomæus Canonicus & Theſaurarius Eccleſiæ Remenſis, poſtmodum Laudunenſis Epiſcopus.

Cognatorum Bartholomæi excellentia non ſolùm in Francia, ſed & in Hiſpania, Burgundia quoque & Lotharingia prædicabatur. Ex Guiberto in Proœmio ad Geneſeos Moralitates & Hermanno lib. 1. cap. 2. de de Miraculis ſanctæ Mariæ Laudun.

INter inſignes Ordinis eccleſiaſtici viros qui hoc ſæculo tàm generis nobilitate, quàm morum probitate fulſerunt, meritò excellit Bartholomæus Remenſis Eccleſiæ Canonicus & Theſaurarius, *ſanguinum regiorum*, ex Guiberto, *contiguitate clariſſimus.* Hilduinus námque Comes Roceienſis avus ejus duxerat uxorem Adeladam germanam Manaſſis Remenſis Archiepiſcopi, ex qua genuit Ebalum Comitem de Roceio & Andræam Comitem de Ramerú, patrem Ebali Catalaunenſis Epiſcopi, ſeptémque filias, quarum unam Feliciam nomine duxit Sancius Rex Arragonenſis, aliam verò, Adeladam ſcilicet, Fulco de Jur in Burgundia Princeps, ex qua prodijt Bartholomæus noſter & Hermentrudis Henrici Comitis de Grandi-Prato conjux.

Hic ergo Bartholomæus adhuc puerulus in Franciam ad Ebalum avunculum ſuum Comitem Roceienſem miſſus, domino Manaſſæ Remor. Archiepiſcopo matris ſuæ avunculo traditur educandus, cúmque litteris animum applicuiſſet, ab eo Canonicatu & Theſauraria Remenſis Eccleſiæ donatur adhuc admodum juvenis; unde inter Minores & poſt Diaconos ſubſcripſiſſe reperio in donatione altaris de Columnis Monaſterio ſancti Remigij facta anno 1106. Poſtea verò cùm Laudunenſi etiam Canonicatu potiretur, Adela Veromandenſis Comitiſſa conjux Hugonis Magni fratris Philippi I, ei tanquam conſobrino Theſaurariam ſancti Quintini Veromandenſis procuravit. Cúmque inter ſuæ ætatis illuſtriores Clericos & generis nobilitate, & virtutum radijs coruſcaret Vvaldrico Laudunenſi per vim è medio ſublato, & Hugone qui ei ſucceſſerat poſt ſeptem menſes obeunte, unanimi totius Cleri & populi aſſenſu ad Pontificatum urbis Laudunenſis lectus, multis Epiſcopis præſentibus à Rodulfo Metropolita Remenſi conſecratur.

Incredibile dictu eſt, quàm ſe vigilem, munificum, ac pium ubíque Paſtorem exhibuerit, quot Monaſteria ingenitâ liberalitate ditaverit vir per omnia inſignis: *Cui cum Pontificij ſacramento, Deus gloriam puriſſimi contulerat cœlibatûs, & non ſine humilitate profunda copioſæ devotionis inſtinctum*: ut loquitur Guibertus de Novigento. Unde poſt triginta octo annos Præſulatûs, quos maxima cum laude & fructu tranſegerat, abdicatis hujus ſæculi curis & præfectura, colobium monachale induit apud Fuſciniacum, ibíque ſaluti ſuæ conſulens, mortuus eſt cum ſanctitatis fama, ut dicam inferiùs.

Drogo

Digitized by Google

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1124.

Drogo ex Priore S. Nicaſij Remenſis, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis.

DRogo ex territorio Remenſi ortus, Religionis habitum ſuſcepit à pueritia in Aſceterio Nicaſiano ſub Joranno Abbate, cujus poſt ſtrictioris vitæ tirocinium, & eximiæ virtutis ac prudentiæ ſpecimen ab eo editum, Prioris clauſtralis dignitatem aſſecutus eſt. In hoc munere obeundo ſodalibus adeo ſe carum exhibuit, & exteris amabilem, ut Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus, qui ejus converſatione pridem uſus fuerat, ſtatuerit eum Abbatem Monachis Benedictinis præficere, quos apud S. Johannis Laudunenſis Cœnobium, Monialibus regia auctoritate ob ſpurcitiam ejectis, ſubrogaverat anno 1128 Frizonius qui mutationis hujus gloriam Drogoni ſpecialiter attribuit, patriam ejus ac profeſſionem omnino reticet: at Hermannus lib. 3. *de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis*, gradus à Monachatu ad dignitates clariùs aperit & proſequitur, cujus fragmentum reddemus cap. 28. ob id maximè, ne quis Drogonem Cœnobij S. Nicaſij alumnum fuiſſe neget, eo quòd Robertus de Monte, Trithemius & recentiores quidam non meminerint. Auctor Hiſtoriæ cardinalitiæ, qui illud etiam tacuit, refert profeſſionem ab Abbatibus requiri ſolitam coram Bartholomæo Laudunenſi edidiſſe, juxta Concilij Aurelianenſis primi decreta. Ceterùm quàm ſe providum, ſagacem & ſtrenuum novellæ ſuæ familiæ diſpenſatorem & villicum exhibuerit, vel ex hoc intelligi poteſt, quòd Innocentius II. cognita ejus eruditione & in rebus agendis ſollertia, quibus imprimis uſus eſt in Concilio Piſano, ad Cardinalatum & Epiſcopatum Oſtienſem Piſis evexerit in ſecunda promotione, menſe Decembri anno 1136. quamvis adhuc eodem anno chartis quibuſdam ſuſcripſiſſe reperiatur titulo Abbatis S. Johannis Laudunenſis.

In Charta S. Amādi. Drogo Abbas S. Iohānis Laudun. *legitur an* 1136 *pro donatione altarīs de Barisiaco.*

Drogonis pietas & inſignis doctrina elucet in tractatu, *De Paſſione Salvatoris*, quem collectores tomo II. Biblioth. Patrum inſerverunt, & in *Soliloquijs*, quorum meminit Bibliotheca Belgica, aliiſque nonnullis ingenij monimentis, in quibus elocutionis nitor & nervoſitas deprehenditur ferè æqualis ſtilo S. Bernardi. Auctor Appendicis additæ ad Sigebertum anno 1138, quo & obijt, *Virum religioſum & ſapientiâ clarum*, eum nominat, Nangius *Religione & facundia venerabilem*, & Necrologium S. Johannis Laudunenſis XIV. Calendas Januarij his verbis: *D. piæ memoriæ Drogo Oſtienſis Epiſcopus, & apoſtolicæ Sedis Cardinalis, primus Abbas noſtræ congregationis, & Mathildis ejus ſoror, in quorum obitu habemus quindecim ſolidos annuatim.*

Obijt Drogo bonæ memoriæ Hoſtienſis Epiſc. vir religione & ſapientia clarus an. 1138. *Sigebertus.*

De Guillelmo Abbate S. Theoderici & libris ab eo editis.

GUillelmus ſancti Theoderici Abbas, Leodienſis diœceſis, monachale ſchema induit apud Nicaſianos ſub Joranno Abbate, qui mox præfecturam obtinuit Creſpienſis Monaſterij, tum S. Theoderici prope Remos poſt Goffridum anno 1121. Familiare ejus colloquium cum beatiſſimo Clarevallenſi Abbate, quem in promovendo monachali Ordine ferventiſſimum noverat, tanto cum ſolitudinis, arctioriſque vitæ deſiderio delinivit, ut abjecto pedo paſtorali ſtatuerit ad Signiacum ſecedere, quò liberiùs contemplationi vacaret. Ingemj ipſius ubertatem teſtantur eruditiſſimi partùs, quorum exſtat elenchus in codice Sancti-Theoderici veteri manu-ſcripto, cujus pericopen damus. *Reverendus Pater Guillemus Abbas S. Theoderici compoſuit multa devota opuſcula, quæ miſit Fratribus de Monte-Dei, ſcilicet,* DE SOLITARIA VITA. SPECULUM ET ÆNIGMA FIDEI. DE CONTEMPLANDO DEO. DE DIGNITATE AMORIS.

Vide quæ ſupra de inſignioribus viris Monaſterij S. Nicaſij diximus.

Et de libello de vita ſolitaria ad Fratres de Monte-Dei.

RODULFUS. XLVII. ARCHIEP. *An.* 1124.

DE SACRAMENTO ALTARIS. MEDITATIONES NOVITIJS AD ORANDVM. SVPER CANTICA usque: *Inveni quem diligit anima mea. Item* SUPER PAULUM AD ROMANOS. *Item*, DE NATVRA ANIMÆ ET CORPORIS. *Fecit item*, SENTENTIAS DE FIDE, &c.

His addi possunt alia opuscula ex præfatione libelli *De vita solitaria*, quæ integra habetur in M. S. codice operum ipsius Guillelmi, in qua auctor describit catalogum eorum omnium, quæ sibi propria videbantur. Scilicet ADVERSUS ERRORES ABAILARDI multæ & valide refutationes. SELECTÆ SENTENTIÆ ex libris S. Augustini. EXCERPTA quædam ex libris Ss. Ambrosij & Gregorij, quibus usus est in libris super *Cantica canticorum*. Opusculum quoque, DE NATURA ANIMÆ, sub nomine Johannis ad Theophilum.

Scripsit denique idem Guillelmus Vitam & gesta sancti Bernardi, cui addictissimus & familiaris fuit, ipso adhuc vivente, sed perficere non potuit morte præventus, unde ipsa historia stilo stat eleganti & candido unico libro comprehensa, schismatis tempus non excedit in Innocentium II. ab Anacleto suscitati, quæ omnia opuscula ab hinc viginti annis, cùm diu latuissent in armario claustri Signiacensis inter alios codices manu-scriptos, casu reperta sunt. Porro Guillelmus fractus ætate cùm ultimum hoc opus aggressus est, hominem exuit ante S. Bernardum, jacétque in claustro Signiacensi juxta ingressum Ecclesiæ.

Vnde in prologo verentis, *dicit*, ne præoccupatus morte explere non posset quantum animo conceperat stilo mandandũ *Quod & accidit.*

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1124.

Raynaldus II. ex Andegavensi in Sedem Remensem translatus diœcesim visitat, séque munificum prabet erga Monasteria.

CAPUT XXXIV.

MARTIGNE'. D'argent à trois faces d'azur, à la croix ancrée de gueule brochante sur le tout, écartelé de gueule, à trois quintes feuilles d'argent.

RODULFI sepultura, justisque exsequiarum completis, Canonici Remenses cum ijs qui de jure adesse debebant, Rege annuente in unum collecti, eligunt Raynaldum de Martiniaco magnæ nobilitatis virum, & raræ prudentiæ. Is enim fuit Brientij filius è gente Meduana in provincia Andegavensi, quique adhuc juvenis sedem episcopalem loci adeptus, sapienter admodum eam viginti quatuor ferè annis administravit. Refert Chronicon sancti Albani suffectum fuisse Gauffrido Meduanensi pridie Idus Januarij anno 1102. at palam fit ex Chartulario Abbatiæ de Rota, sive S. Mariæ in Bosco prope Credonium, Ecclesiam prædicti Monasterij dedicasse decimo septimo Calend. Maij anno 1099, quo Gauffridus prædecessor monitu Urbani Papæ sedem Andegavensem deserens, Monachus Cluniacensis factus est.

Goffridus Vindocinensis Abbas, Ivone argutior, ac de investituris longè aliter sentiens, Raynaldo multis annis adversatus est, ut fatetur ipse epistolâ undecimâ libri tertij, non ob id solum quòd vulgo furente & spreta canonica electione creatus fuerit Andegavensis Episcopus; sed etiam, quòd gravius est, & prope ad hæresim accedebat, investituram de manu laicali per anulum & pastoralem virgam publicè sumpsisset: ob eam pariter causam viri graves eum tanquam intrusum sacrisque Ecclesiæ insignibus carentem insectati sunt, & inter eos, ut prælaturam ejuraret, Ildebertus Cenomanensis suasit. At culpâ, si quæ vitio temporis forsan irrepserat, apud Vicarium Christi dilutâ, Pastoris nihilominus

Digitized by Google

minus officio ſumma cum laude perfunctus eſt, exſtántque Ivonis & Marbaudi ad eum epiſtolæ illuſtria ſuæ eruditionis ac meriti præ ſe ferentes teſtimonia, quæ ut externa lubens prætereo. RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1124.

E ſede igitur Andegavenſi tranſlatus ad Galliæ Belgicæ Primariam, poſſeſſionem inijt more majorum, menſe Octobri 1124, ſtatímque ac Remenſe ſolium conſcendit, ei, qui dudum infenſus fuerat Goffridus Vindocinenſis mutato ſtilo gratulatur, ardet videndi eum deſiderio, cupítque comitatui ejus ſociari, ſi Romam perrexerit, nec mirum; Raynaldus enim ut erat eximiæ indolis, aſperæ nimium correptionis immemor, multis poſtmodum Vindocinenſem donarijs devinxerat, ut ipſemet agnoſcit epiſt. 31. lib. 1. Pallio à ſummo Pontifice Honorio, PRO GENIO REMENSIS ECCLESIÆ recepto, ut loquitur Hincmarus, Eccleſias diœceſis viſitare aggreſſus eſt, villáſque pertranſiens ſuggeſtum eſt illi apud Turrim-ſupra-Maternam eſſe quoſdam nobiles, qui cum altari decimas & oblationes ſacrilego quodam abuſu ſibi non arrogabant modò, ſed quod turpius & dedecoroſiùs, uxoribus in dotem expendebant. Paſtorali primum eos ſollertia monuit, ut Epiſcopalem decet lenitatem, verbíſque gravioribus ſic tandem egit apud eos, ut à poſſeſſione ſanctuarij Dei quod injuſtè retinebant, ſecederent, ne Crucifixi patrimonium violenter uſurpando, æternam incurrerent damnationem; cujus adquieſcentes conſilio eo tenorè ſupradictum altare, & decimas emancipârunt, ut illud ſanctæ Cluniacenſi Eccleſiæ impertiret, quod & fecit libentiſſimè, ut ſupra retulimus.

Uſus pallij eſt genij ſedis Metropolis Remenſis. Hincmarus epiſtolâ ad Nicolaum I.

Remis exſiſtens liberalitatis ſpecimen, tanquam ſui Pontificatûs primitias conſecraturus, exhibuit erga Nicaſianos, quos plurimis angi neceſſitatibus audierat; ut enim eorum egeſtatem aliquatenus ſublevaret, altaria ſubtus annotata eis conceſſit ſub authenticarum perſonarum teſtimonio, quæ pariter ſequenti ſchedulæ ſubſignarunt, cujus hic tenor eſt.

« IN honoris culmine ſublimati, Angelis & hominibus facti ſúmus ſpectaculum, Angelis quidem ad congratulandum ſi boni fuerimus, & ad melius incitandum; hominibus verò ad imitationis exemplum. Hæc ego Raynaldus Remenſis Eccleſiæ licèt indignus Miniſter reco- *An.* 1125. lens in exordio promotionis meæ, pauperibus Chriſti in Monaſterio S. Nicaſij Martyris degentibus aliquid impertire ſtudens, altare de Antiniaco contulimus, altare de Hanapio, & altare de villa quæ dicitur *Buiſſid.* Præterea ut hæc ſchedula largitionis approbetur legitima, authenticis eam perſonis, & noſtræ imaginis impreſſione corroborari juſſimus. *Altaria de Antiniaco & Hanapio dantur Nicaſianis.*

Signum Odonis Abbatis ſancti Remigij.	Signum Nicolai Archidiaconi.
Signum Joffridi S. Medardi Abbatis.	Signum Hugonis Archidiaconi.
Signum Guillelmi Abbatis ſancti Theoderici.	Signum Frederici Præpoſiti.
	Signum Joffridi Decani.
	Signum Leonis Cantoris.

Actum Remis anno incarnati Verbi 1125 Indic. v, regnante Ludovico Rege Francor. anno XVIII. Archiepiſcopatûs D. Raynaldi anno I. Fulchradus Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit. »

Viſis etiam Gervaſij litteris, Alexandri II. & Philippi I. pro immunitate agiſtis & procurationibus à Nicaſianis obtentis, eandem immunitatem eis indulſit juxta tenorem præcedentium privilegiorum. Charta haud diſpar à præcedente, altare de Celto in pago Regiteſtenſi, & altare S. Helanij de Buſſolio cum prædicta exemptione conjungit, data anno 1128.

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1125.

Exſtat regium diploma in chartulario Laudunenſi, quo à Ludovico Rege Vicedominatus & Præpoſitura ejuſdem Eccleſiæ, quæ laïcis in beneficium conceſſa fuerant, ne quies Epiſcopalis ab oratione & prædicationis ſtudio ſæcularium cauſarum tumultibus exturbaretur, Bartholomæi Epiſcopi precibus eidem Eccleſiæ reddita ſunt, aſſenſu Aelidis Reginæ, Philippi Regis deſignati, Ludovici quoque & Henrici, atque Optimatum qui in Curia aderant, cui ſubſcripſêre poſt Ludovicum Raynaldus Archiep. Remenſis, Petrus Belvacenſis Epiſcopus, S. Catalaunenſis Epiſcopus, Clarembaldus Silvanectenſis Epiſcopus, Gauffridus Abbas S. Medardi. Datum Silvanectis per manus Stephani Cancellarij atque Dapiferi IV Octob. Indict. IV. Epact. XXV. anno 1125.

Vicedominatus & Præpoſitura Laudunenſis laïcis dantur in beneficium. Quare?

Præter hæc quæ paſſim occurrunt in Chartophilacijs, Raynaldus ut ſui muneris, ſic & propriæ ſalutis non immemor animum ſedulò virtutibus excolebat, nitebatúrque populis ſibi à Deo commiſſis, non tam præeſſe, quàm prodeſſe, ſingulis præbens in ſeipſo pietatis, modeſtiæ & lenitatis exempla, quæ in ſupremo Paſtore cùm inſigniter refulgerent, etiam ijs qui ſunt in dignitate conſtituti, maximum ſunt ad perfectionem incitamentum. Ad hoc multùm hauddubiè ei profuit B. Bernardi familiaris converſatio, quem velut Cleri Gallicani oraculum, ac totius Religionis probatiſſimam margaritam boni omnes ſuſpiciebant ac venerabantur. Hunc Remos, totámque provinciam odore ſanctitatis perfudiſſe patet ex epiſtolis, paſſimque indicant ab eo exſtructa Cœnobia. Tam pium igitur & inſignem virum cùm Raynaldus in delitijs haberet, non mirum ſi juſti ac recti tenax fuerit, purpuræ decus, columnáque Monachorum, vel eò maximè, quòd ſeveriori inſtituto in antiquam dignitatem prædicti Clarevallenſis operâ Monachiſmum refloreſcere conſpiceret, unde ſodales ejus albicanti veſte ſub pullo amictu indutos Igniaci ſtabiliendos curavit, prædijs ad convivendum affatim ſubminiſtratis tertio ſui Præſulatus anno, ut infra videbimus.

Raynaldi cũ B. Bernardo familiaris cõverſatio.

Vide Igniaci fundationem ſub finem hujus tomi.

Henricus Imperator Remos, quòd ibi anathemate percuſſus fuiſſet, obſeſſurus, in Campaniam Gallicam venit, at hic inglorius ad propria revertitur.

CAPUT XXXV.

CALLISTO Papa ad Superos evocato, cui Deus brevi tempore conceſſit Eccleſiam ob inveſtituras Imperatorum tyrannide, ſervitutis jugo depreſſam, vindicare in perpetuam libertatem, ſucceſſit Honorius id nominis ſecundus, vir gravis, & ſeverus, qui Matthæi Albanenſis Epiſcopi uſus opera & conſilio, multa ſapienter inſtituiſſe legitur. Eo igitur necdum in Sede Petri bene ſtabilito, Henricus Cæſar immemor pœnitentiæ ob ſacrilegia turpiter à ſe perpetrata, memor verò excommunicationis ſibi inflictæ in Concilio Remenſi à Calliſto Papa, qui ei præfuerat præſente Ludovico Francorum Rege, de eo ac de civitate Remenſi, ubi nulla imperialis dignitatis habita ratione innodatus fuerat, graviter ulciſci ſtatuit, ingenti ſiquidem, licèt alio prætextu, collecta militum acie Galliam Moſa ſuperato ingreditur, Remos improviſo oppugnaturus; conſtituerat enim hanc expugnatam ſolo æquare ſi poſſet, aut cuncta ſecus eam igne & ferro devaſtare.

Honorius conſilio Matthæi & Raynaldi Archiepiſ. Argentolium Sãdionyſianis Pariſienſibus reſtituendum cenſuit ejectis Montalib. qua minus honeſtè vivebant.

Conſilio

Digitized by Google

Consilio ejus detecto, Ludovicus Rex armis ei maturè occurrendum ratus, delectu indicto, ac pro recepta in Regni acerbitatibus consuetudine, precibus ad B. Dionysij tumulum fusis, susceptóque vexillo in Campaniam Remensem perrexit, obsidionémque ab Imperatore vix incohatam solvere cum magno Imperij dedecore coegit, ut narrat Sugerius Abbas qui præsens æderat, cujus verba hîc apponere cùm graphicè & luculenter totam hanc expeditionem referat, non pigebit. RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1125.

ANte Domini Papæ Callisti decessum, Henricus Imperator collecto longo animi rancore contra dominum Regem Ludovicum, eo quòd in Regno ejus Remis in Concilio domini Callisti anathemate innodatus fuerat, exercitum quantumcumque potest Lotharingorum, Alemannorum, Bajoariorum, Suevorum & Saxonum, licèt eis infestaretur, colligit, alióque tendere simulans consilio Regis Anglici Henrici, cujus filiam Reginam duxerat, qui etiam Regi guerram inferebat, Remis civitatem inopinatè aggredi machinatur, proponens aut eam subitò destruere, aut tanta dehonestatione & oppressione civitatem obsidere, quanta dominus Papa in eum agens sedit sessione.

Sugerius hâc historiam refert paullo ante Callisti decessum: At Robertus de Monte tradit Honorio jam in Papam electo.

Quod cum domino Regi Ludovico intimorum relatione innotuisset, tam strenuè, quàm audacter delectum quem non exspectat cogit, Nobiles accisit, causam exponit. Et quoniam B. Dionysium specialem patronum, & singularem, post Deum Regni protectorem, & multorum relatione, & crebro cognoverat experimento, ad eum festinans, tam precibus quàm beneficijs præcordialiter pulsat, ut Regnum defendat, personam conservet, hostibus more solito resistat. Et quoniam hanc ab eo habent prærogativam, ut si Regnum aliud Regnum Francorum invadere audeat, ipse beatus & admirabilis defensor cum socijs suis, tanquam ad defendendum altari suo superponatur, eo præsente fit tam glorioste, quàm devote. Rex autem vexillum ab altari suscipiens, quod de Comitatu Vilcassini, quo ad Ecclesiam feodatus est, spectat, votivè tamquam à Domino suo suscipiens, pauca manu contra hostes, ut sibi provideat, evolat, ut eum tota Francia sequatur, potenter invitat. Indignata igitur hostium inusitatam audaciam usitata Franciæ animositas, circumquaque movens militarem delectum, vires & viros pristinæ virtutis & antiquarum memores victoriarum delegat. Qui cùm Remis undecúmque potenter convenissemus, tantæ militaris & pedestris exercitûs copiæ apparebant, ut viderentur superficiem terræ more locustarum, non tantùm secus decursus aquarum, sed etiam montanis & planitie devorare. Ubi cùm Rex continuatâ septimanâ Teutonicorum præstolaretur incursum, tali inter Regni Proceres deliberatione res disponebatur: *Transeamus*, inquiunt, *audacter ad eos, ne redeuntes impunè ferant, quòd in terrarum dominam Franciam superbè præsumpserunt. Sentiant contumaciæ suæ meritum, non in nostra, sed in terra sua, quæ jure regio Francorum, Francis sæpe perdomita subjacet, ut quod ipsi furtim in nos machinabantur attemptare, nos in eos coram retorqueamus.* Aliorum autem perita severitas persuadebat eos diutius exspectare, ingressos Marchiæ fines, cùm jam fugere intercepti nequirent, expugnatos prosternere. . . . . .

Francia terrarum Domina.

Ordinantes autem Regni Proceres in palatio bellatorum acies coram Rege, quæ quibus Regni suffragio jungerentur, Remensium & Catalaunensium ultra sexaginta millia, tam equitum quàm peditum unam componunt, Laudunensium & Suessionensium, nec minori numero, secundam, Aurelianensium, Stampensium, & Parisiensium & beati Dionysij copioso exercitu, & coronæ devoto tertiam; cui etiam seipsum interesse spe suffragij protectoris sui disponens; *Hac*, inquit, *acie tam securè, quàm strenuè*

RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1125.

» *strenuè dimicabo, cùm prater sanctorum Dominorum meorum protectionèm;*
» *etiam qui me compatriotæ familiarius educaverunt, aut vivum juvabant,*
» *aut mortuum conservantes reportabunt.* Comes etiam Palatinus Theobaldus
» cum avunculo Trecensi Comite Hugone, cùm ex abjuratione Franciæ
» (guerram enim Regi cùm avunculo Rege Anglico inferebat) adven-
» tasset, quartam efficiens ; quintam Burgundiorum Ducis & Nivernensis
» Comitis prævium fecit. Comes verò egregius Veromandensis Radul-
» fus germana Regis consanguinitate conspicuus, optimâ fretus militiâ,
» multóque Sancti-Quintini & totius terræ armato tam loricis, quàm
» galeis exercitu, cornu dextrum conservare destinatus, Pontivos & Am-
» bianenses & Belvacenses in sinistro constitui approbavit. Nobilissimus
» etiam Comes Flandrensis cùm decem millibus militum pugnatissimorum
» triplicâsset exercitum, si tempestivè scisset extrema acie ad peragendum
» ordinabatur. His autem locorum affinitate propinquus Dux Aquitaniæ
» Guillelmus, Comes egregius Britanniæ, Comes bellicosus Fulco Ande-
» gavensis, summè æmulabantur, eo quòd vires exaggerare, & Francorum
» injuriam gravissimè punire, & viæ prolixitas & temporis brevitas prohi-
» beret. Provisum est etiam ut ubicúmque exercitus, apto tamen loco,
» certamen inirent, & carri & carretæ aquam & vinum sessis & sauciatis
» deferentes instar castellorum in corona locarentur, ut à labore bellico
» & vulneribus deficientes, inibi potando ac ligaturas restringendo, fortio-
» res indurati ad palmam obtinendam concertarent.

Comes hic Theobaldus avunculus Hugonis Trecensis, antea bellum inferebat Ludovico Régi, cum patruo Rege Anglia.

Profectus est perid tempus cum exercitu in Galliâ Carolus (Comes Flandria) suppetias Ludovico Regi, contra Henricum Cæsarem, qui Remorum urbē obsidere tentabat. Meyer. an. 1124.

» Publicata igitur tanti & tam tremendi facti deliberatione, tantique
» delectûs fortissimi apparatione, cùm hoc ipsum auribus Imperatoris in-
» notuisset, simulans & dissimulans, palliata occasione subterfugiens, alias
» tendit, magis eligens ignominiam defectûs sustinere, quàm & Impe-
» rium & personam ruinâ periclitantem Francorum gravissimæ ultioni sup-
» peditare. Quo Franci comperto, sola Archiepiscoporum & Episcoporum
» & religiosorum prece virorum ab illius Regni devastratione, & pau-
» perum depressione vix se continere valebant. Tanta igitur & tam celebri
» potitus victoria (idem enim haud superiùs fuit, quàm si campo trium-
» phâssent Francis repatriantibus) Rex exhilaratus ad protectores suos
» sanctissimos Martyres humillimè devenit, eisque post Deum gratias ma-
» gnas referens &c. Imperator Teutonicus eo villescens facto, & de die
» in diem declinans, infra anni circulum extremum agens diem, antiquo-
» rum verificavit sententiam ; neminem nobilem aut innobilem Regni aut
» Ecclesiæ turbatorem, cujus causa vel controversia Sanctorum corpora
» subleventur, anno fore superstitem, sed ita vel intra deperire.

Hæc peracta sunt inquit Robertus de Monte, mense Augusto.

Hæc Sugerius qui hanc victoriam sine cruore partam sancto Dionysio & socijs Martyribus, tanquam Regni Francici protectoribus adscripsit, ut ampliorem famam, majorémque nominis claritudinem suo Monasterio conciliaret, cui rei summopere tunc incumbebant Archimandritæ, Regésque in posterum suffragia Martyrum eò magis ceremoniâ extractionis corporum è cryptis, ac recepti vexilli expeterent, quò multis experientijs constaret, difficillimis temporibus auxillio fuisse, quamvis in re satis incerta tutelaribus locorum potiori jure id sit referendum

An. 1126. Anno sequenti Ursio S. Dionysij Remensis Abbas, juxta receptum illo sæculo morem, quo cunctis Ecclesiarum Rectoribus sollemne erat post inaugurationem cujúsque summi Pontificis à sancta Sede apostolica privilegium, sanctique Petri protectionem certatim postulare, ab Honorio II. generale præceptum obtinuit omnium bonorum ac jurium suo Monasterio hactenus concessorum, interventu Raynaldi Remorum Archiepiscopi, quod cum valde commune sit, ut & alia à Collegijs & Abbatibus nostræ diœcesis pariter obtenta, ea curiosius hîc recensere

Fere omnia altaria quæ à Monasterio S. Dionysij dependēt ibi numerantur.

non

non modò prolixior deſcriptio, ſed & lectori oneroſior evaderet. RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1127.

Sub his diebus reperio Maneſſen de Poſſeſſia, advocationem villæ ſancti Remigij de Miſencella, quam à Comite Theobaldo tenebat in feodo, coram eo in gratiam Odonis Abbatis abdicâſſe, datis XL libris cuidam Andreæ de Brandemant, viro crudeli, cui eam oppigneraverat. Comes chartam abdicationis ſubſignavit & poſt eum magnæ claritudinis viri hoc ordine.

Fredericus Comes Tullenſis, Hugo Comes de Roceio, Hugo Comes de Rivello, Rogerus Comes de Joinvilla, Johannes Vicedominus, Euſtachius Vicedominus Catalau Ebalus de Buſſeo. Henricus de Caſtellione, Guido de Noviliaco &c. anno 1126. Lothardus Cancellarius ſcripſit.

Concilium Trecis indictum, ubi Templariorum inſtitutio comprobatur. Pactum init Raynaldus cum Leodienſi Epiſcopo pro Bullionenſi Beneficio.

CAPUT XXXVI.

REBUS non ita proſpere ſuccedentibus per omnes Eccleſias Regni Francici, ob depravatos mores ac collapſam diſciplinam, miſſus eſt in Galliam Matthæus Albanenſis Epiſcopus, qui ex Canonico Remenſi & Rodulfi Archipræſulis Legato, monachiſmum apud Cluniacenſes profeſſus, magnam ſui admirationem in Romana curia concitârat. Hic virtutibus inſignis, & in rebus gerendis prudentiſſimus, ab Honorio legationis officio ſublimatus Trecis Concilium indixit, cui interfuerunt Remenſis & Senonenſis Archiepiſcopi cum Suffraganeis hoc ordine.

Matthæus Albanenſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatus.
Raynaldus Remenſis Archiepiſcopus.
Henricus Senonenſis Archiepiſcopus.

Goſſenus Sueſſionenſis Epiſcopus, cum Epiſcopis Pariſienſi, Meldenſi, Trecenſi, Aurelianenſi, Catalaunenſi, Laudunenſi, Belvacenſi, Lingonenſi & Abbatibus Ciſtercienſi, Pontiniacenſi, Trium-fontium, ſancti Dionyſij Remenſis, Bernardo quoque Clarevallenſi, & Magiſtro Alberico Remenſi ſcholorum Rectore. *Epiſt. 21.*

Comes Theobaldus à Clarevallenſi monitus, ut Epiſcopos in ſua urbe perhumaniter exciperet, præſens etiam adfuit, Comes item Nivernenſis, Frater Hugo cum quibuſdam ex Confratribus. Sanctus Bernardus gravi tunc febri agitatus, conabatur ſe ab eo Conventu ſubtrahere, ob idque Legatum ſupplex interpellat, quippe qui ſtatuiſſet, niſi maximis urgentibus cauſis, è Monaſterio non egredi: at tantopere requiſita erat ejus opera, ut licèt non ſine magno labore avulſus ſit à Clauſtro, optatæ malæ valetudinis excuſatione, nuſquam tamen Legati potuit inſtantiam eludere. In eo Concilio comprobata eſt inſtitutio Ordinis Templariorum, nono videlicet anno poſt primam ejus inſtitutionem Hieroſolymis factam, rogatu Fratris Hugonis de Paganis, ex illuſtri familia Comitum Campaniæ oriundi. Sanctus Bernardus, cujus præſentia tanto ſtudio expetebatur, præſcripſit Templarijs formam vivendi, texuitque libellum perutilem de laudibus & exaltatione prædicti Ordinis; quæ autem præterea geſta ſunt in eodem Concilio Trecenſi, habes in Annalibus Ciſtercij. Querelas præterea *Epiſt. 44.*

Acta Concilij exſtant in Annalibus Ciſtercienſibus & in 27. tomo Concilior.

Digitized by Google

RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1127.

præterea diverſorum illic auditas ſignificant litteræ ejuſdem ſancti Bernardi ad Archiepiſcopum Senonenſem.

Ægidius Aureævallis Monachus in Hiſtoria Leodienſi refert Obertum Canonicum ſancti Lamberti ad Epiſcopatûs infulas promotum, emiſſe à Godefrido Duce ad bellum ſacrum proficiſcente caſtellum de Bullonio, ſeu Ducatum Bullionenſem mille trecentis marchis argenti; cùm autem Remenſis Eccleſia feodum aliquod haud procul ab eo poſſideret, viſum fuit Epiſcopis Leodienſibus valde conveniens, ad prædictum Ducatum tutiùs conſervandum, utrumque ſimul conjungere, cum indemnitate Eccleſiæ Remenſis. Albero igitur, qui Leodij ſedit anno 1121, obiitque 1128. res ſui Epiſcopatûs promovere ſatagens, petijt à Raynaldo, ut prædictum feodum in jus, poteſtatémque Leodienſis Eccleſiæ tranſiret; obtinuitque quadam interveniente pactione, relata ab eodem Auctore, quamvis perperam id ſub Alberone II factum eſſe contendat, qui Bullionem ab invaſione cujuſdam Reginaldi vindicavit, chartam concordiæ inter utráſque Eccleſias dignam relatu & Archiepiſcopis Remenſibus honorificam ex veteri membraneo codice excerptam hîc ſubjicere non erit otioſum, ſic autem incipit.

An. 1127. " IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus præſentibus, & quorum futura poſteritas exſpectatur hæc præſenti pagina " diſcat quid & quomodo de beneficio Remenſis Eccleſiæ, quod ad " caſtellum quod Bullion dicitur, pertinet, cum Alberone venerabili Leo- " dienſium Epiſcopo ſtatuimus. Ego Raynaldus Remenſis Eccleſiæ, licèt " indignus Miniſter, Beneficium quod Remenſis Eccleſiæ ab antiquo eſſe " dignoſcitur, quod etiam ad Bullionem pertinere nulli dubium eſt, Albe- " roni Leodienſium Epiſcopo, & per eum ſucceſſoribus ſuis conditione ſup- " poſita contradidi.

" Si ob aliquorum infeſtationem Remenſi Eccleſiæ ingruerit neceſſitas, " dominus Leodienſis Epiſcopus equitatum trecentorum militum ſingulis " annis mihi vel meo ducet cuilibet ſucceſſori, ſi quadraginta dies ante præmo- " nitus fuerit. Quod ſi taliter præmonitus, habere ſe legale vel canonicum " impedimentum monſtraverit, de prædicta expeditione excuſatus erit, ita " tamen ut poſtquam fuerit expeditus, pactum exſolvat præfixum, eodem " rurſus termino revocatus. Hunc autem equitatum dominus Leodienſis ſuo " conductu, & proprijs expenſis ducet uſque Moſomum, quo poſtquam " pervenerit, Remenſis ei cum ſuis omnibus & in progreſſu & in morando " & in revertendo uſque ad Moſomum, victûs neceſſaria providebit. In " quamcumque verò partem, circa Remenſem urbem & per decem leugas " protrahere hanc militiam, vel habere ſecum ad obtinendam Eccleſiæ " utilitatem voluerit, per quindecim dies cum expenſis eos retinebit, ita ut " infra hunc terminum eos reducat uſque Moſomum.

" Si verò eundo vel redeundo aliquid de ſuis amiſerit, de his omnibus " Archiepiſcopus nihil eis recompenſabit, quicquid autem lucrati fuerint, " tam in equis, quàm in alijs rebus, præter captos milites, ſui juris erunt: " ſi de prædicto beneficio violentia, vel infeſtatio fuerit illata Leodienſi " Epiſcopo, Remenſis ei conſilio aderit & auxilio. Si quæ verò contra- " dictio fuerit orta, vel proclamatio digna audiri, non alibi ſtatuet diem " audientiæ niſi Moſomi, juvabítque eum ad retinendum lege & ſententia " judiciali. Similiter ibidem, & non aliàs alibi Remenſi occurret Leo- " dienſis Epiſcopus, de neglectu hujus ſervitij vel pacti præuaricatione " tantùm reſponſurus.

" Quia verò Leodienſis Epiſcopus, aliorum more caſatorum hominum, " nobis facere non potuit hominium, octo de ſuis, quatuor videlicet de caſtellanijs

ſtellanijs de Buillon, Gualterum ſcilicet de Buillon, Ingonem de Mirenvalt, Manaſſem de Herge, Ingonem filium Lamberti, & quatuor de alijs caſatis ſuis, Cingerum Advocatum, Galterum Caſtellanum de Hoio, Raynaldum de Jupperi, Lambertum de Tiembeche à quibus hominium ſuſcepimus, nobis produxit. « RAYNALDUS. XLVIII. ARCHIEP. « An. 1127.

Inſuper hujus conventionis tenorem, & amicitiæ ſervandæ in manu noſtra firmavit, quod etiam à ſucceſſoribus ſuis Remenſi Archiepiſcopo eodem modo obſervandum ſtatuit, utríſque tandem Epiſcopis Remenſi, ſcilicet & Leodienſi ſublatis de medio, ab utriúſque Eccleſiæ ſucceſſoribus pactum omne, ut prædiximus, obſervabitur perpetuo & irrefragabili jure. Item quòd Leodienſis Epiſcopus veniens Moſomum firmatâ amicitiâ, renovata conventione, redditis hominijs Baronum prænominatorum, ſi ſupervixerint, vel heredum ſibi ſuccedentium à Remenſi Archiepiſcopo, gratis & abſque ulla contradictione certum recipiat beneficium. Si verò quolibet accidente caſu aliquando Leodienſis Eccleſia prædicti caſtelli poſſeſſione caruerit, ita ut juſtè reclamare non poſſit, omnis præſcripta conventio inter Remenſem & Leodienſem Epiſcopum caſſa & annulata maneat. Quia ergo ſicut ſcriptum eſt: *Generatio præterit & generatio advenit*, & dictorum æquè factorum noſtrorum ætas interit, ne proceſſu temporis deleri quod geſtum eſt, aut ambiguitatate mutari valeat, hanc noſtram conventionem ſcripto mandavimus, probabilium perſonarum atteſtatione firmavimus, inſuper additamento noſtræ imaginis communiri juſſimus. *Eccleſ. 1. 4.*

Signum Odonis Abbatis ſancti Remigij.
Signum Joranni Abbatis ſancti Nicaſij.
Signum Urſionis Abbatis ſancti Dionyſij.
Signum Nicolai Archidiaconi.
Signum Hugonis Archidiaconi.
Signum Joffridi Decani.
Signum Leonis Cantoris.
Signum Odonis Preſbyteri.
Signum Boſonis, Drogonis Preſbyterorum.
Signum Magiſtri Alberici.

De Laicis.

Signum Henrici de Caſtellione.
Signum Blihardi de Hercreio.
Signum Nicolai de Burgo.
Signum Radulfi de Radulfi-curte.
Signum Haimonis Caſtellani de Alto-monte.
Signum Balduini Dapiferi.
Signum Alberici Materanni.

De Leodienſibus.

Signum Alexandri Archidiaconi.
Signum Dodonis Archidiaconi.
Signum Arnulfi Præpoſiti.
Signum Vvillelmi Præpoſiti.
Signum Henrici.

De Laicis.

Signum Lamberti Comitis, &c.

Actum Remis anno incarnationis Verbi 1127. Indict. v regnante Ludovico Francorum Rege anno v. Archiepiſcopâtus domini Raynaldi tertio. Fulchradus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit.

Multum interim laboris ponebat S. Bernardus ut varijs in locis vires caperet religio: cùm autem toti regioni notum eſſet Sparnacenſes Canonicos non adeo probè piéque vitam agere, hujúſque Eccleſiæ ſacerdotia Comitum Campaniæ nutu vel libidine, contra jus conferri, nactus occaſionem quâ Theobaldus Comes Vvaleranno Dapiferi ſui filio Abbatiam contulerat, quod diu mente volvebat feliciter exſecutus eſt, ut mox dicendum, ſi de prædicta Eccleſia non nihil præfati fuerimus.

Canonici

Digitized by Google

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1128.

Canonici regulares exactis ſæcularibus in Sparnacenſi Cœnobio ſtabiliuntur.

CAPUT XXXVII.

SPARNACENSEM Eccleſiam dudum flammis exuſtam Odo Campanienſis ſtatim ac dominium ejuſdem urbis adeptus eſt, ſuis expenſis reſtituerat, ut ſupra vidimus, ſæcularéſque Canonici ab eo, ut fertur, inſtituti divino inſiſtebant Officio (quorum Abbates quidam in vetuſtioribus ſchedis adhuc leguntur) cùm Theobaldus Magnus, per Hugonis abdicationem circa annum 1128 Comes Campaniæ renuntiatus, patronatum ſæcularis Abbatiæ Uvaleranno Dapiferi ſui filio, quòd ad ſtatum eccleſiaſticum propenſus videretur, contulit. Is opportuna hac uſus occaſione reſtituendi canonicalem Ordinem in prædicta Eccleſia, maximè quòd arctioris vitæ ſtudio apud Claramvallem monachiſmum profiteri meditaretur, præfecturam ſibi à Comite oblatam in manus pijſſimi Abbatis Bernardi ejurat, qui cùm magnæ eſſet auctoritatis apud Comitem, facilè obtinuit ab eo, ut ſubrogâtis in locum ſæcularium regularibus S. Auguſtini Canonicis, Eccleſiam ſui juris eſſe permitteret, proventibus illæſis, & inſuper eligendi Abbatem ab Archiepiſcopo Remenſi benedicendum facultate indulta, quæ omnia fuſiùs narrantur in authentico Raynaldi Archiepiſcopi, cujus exemplar hîc antiquitatis amatoribus exhibeo.

An. 1128. » RAynaldus miſeratione divina Remorum Archiepiſcopus. Notum facimus quòd illuſtris Comes Theobaldus, divina inſpiratione compunctus Sparnacenſem Eccleſiam, ob remedium animæ ſuæ & prædeceſſorum ſuorum, Stephani videlicet patris ſui, & avi ſui Comitis Theobaldi, qui in eadem Eccleſia ſepultus eſt, in manu ſua hujuſmodi libertate donavit. Cùm prædictus Comes Theobaldus præfatam Eccleſiam à primogenitoribus ſuis, quaſi hereditario jure ſibi derelictam teneret, & Abbatiam ipſius Eccleſiæ Galeranno domini Andreæ Dapiferi ſui filio dediſſet, incommutabili voluntate Dei, qui mutat omnia, quando vult, eadem Eccleſia ad meliorem ſtatum mutata eſt. Præfatus námque Galerannus Spiritus-ſancti gratiâ divinitus inſpiratus, & domni Bernardi Abbatis Clarævallis prudenti conſilio roboratus, jam dictum Comitem adijt, ſeſe ſæculo abrenuntiaturum, & apud Claramvallem Monachum futurum enuntiavit, petivítque ab eo, quatenus Eccleſiam Sparnacenſem ad Ordinem & regulam B. Auguſtini per manum dicti Archiepiſcopi permutari concederet. Cujus petitioni ſatis rationabili Comes ſupradictus libenter annuens, Deo & præfato Archiepiſcopo Eccleſiam ſupradictam liberam, & ſub regula S. Auguſtini in perpetuum permanſuram demiſit, &c.

» Actum Remis anno incarnati Verbi 1128. Indictione v. Regnante Ludovico Francorum Rege anno xx. Archiepiſcopatus autem domni Raynaldi anno III.

Sparnacenſis igitur Eccleſia in manus Archiepiſcopi à Comite emancipata, & Uvaleranni abdicatione ſuo juri reddita, ſtatuit ut in poſterum ſub Auguſtiniano Ordine permaneret: quò autem plus religioſæ vitæ, virtutiſque ad recèns inſtitutos arctiori ſtudio inflammandos illuc deferret,

Digitized by Google

è Cœnobio ſancti Leonis Tullenſis, admodum ea tempeſtate religioſis actibus florente, Fulconem ad hoc munus delegit, qui octavis Penteceſtes Archiepiſcopo præſentatus, exceptus ante altare B. Virginis, benedictus & inveſtitus eſt, ut dicam infra. RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1128.

Abbatum ſancti Martini Sparnacenſis indiculus.

FUlco ſancti Leonis Tullenſis in Lotharingia à Raynaldo ob famam virtutis ſelectus, in Remenſi Eccleſia Metropoli ante altare Virginis ſollemniter benedicitur & inveſtitur, præſente Joſſeno Sueſſionenſi Epiſcopo, & Abbatibus Urſione ſancti Dionyſij Remenſis poſtea Virdunenſi Epiſcopo, Bernardo Clarevallenſi, Guidone ejuſdem Ordinis Monacho ac Bernardi Clarevallenſis fratre, Joranno Abbate ſancti Nicaſij, Euſtachio Omnium-ſanctorum apud Catalaunum, & Comite Theobaldo, regimenque ſuſcepit Sparnacenſis Eccleſiæ anno 1128. ſubſcripſiſſe legitur fundationi Carthuſiæ de Monte-Dei anno 1136. ad eum exſtat epiſtola ſancti Bernardi 98.

Et ſic Odo nominatus apud Sammarthanos præſſe non potuit anno 1139.

Theodoricus I rexit anno 1149, ex Chartulario ſancti Dionyſij Remenſis, & ab Eugenio III. privilegium obtinet pro bonis ſui Monaſterij acquiſitis & acquirendis anno 1145.

Petrus an. 1166. Alexander ei privilegia ab Eugenio conceſſa confirmat, permittitque ut uni è Fratribus cura paſtoralis parochiarum ab eo dependentium committatur, epiſt. ad Hugonem Sueſſionenſem. *Unde quoniam quæ per privilegia Romanæ Eccleſiæ Abbati & Fratribus S. Martini Sparnacenſis noſcuntur fuiſſe conceſſa, volumus inviolabiliter obſervari, per apoſtolica ſcripta tibi mandamus, quatenus ſecundùm tenorem privilegiorum, quæ à Sede apoſtolica ſunt Eccleſiæ prædicti Abbatis indulta, in Eccleſia S. Martini de Monte-felici ad jus & diſpoſitionem ejuſdem Abbatis ſpecialiter, ſicut dicitur, pertinente, uni de Fratribus ſuis curam animarum committat, &c.*

Ivo anno 1178.

Guido I anno 1186, hoc anno Vicedominus Catalaunenſis decimas reſtituit villæ de Creciaco, Monaſterio S. Martini Saparnacenſis.

Hugo I nominatur in concordia pro villis de Sarmiers & Villa-nova in Chartulario S. Nicaſij anno 1200.

Robertus anno 1211.

Theodoricus II. anno 1214.

Johannes I. anno 1228.

Nicolaus anno 1239.

Guido II. anno 1248

Johannes II. anno 1259.

Hugo II. vixit ſub Blancha Comitiſſa Campaniæ, ut eſt in Tabulario Nicaſiano, anno 1270.

Johannes de Altovillari III. electus anno 1302 in feſto Decollationis ſancti Johannis Baptiſtæ.

Johannes de Roceio IV. præſtitit juramentum Eccleſiæ Remenſi anno 1315.

Johannes de Fimeis V. vovit obedientiam anno 1334.

Richardus de Cuis anno 1346.

Ægidius de Baconne jurat Eccleſiæ Remenſi anno 1370.

Jacobus de Condeto annis 1385. & 1409, ex chartis ſancti Nicaſij, ubi caput cervi habet pro ſtemmate.

Johannes Champian VI. ſacramentum præſtitit anno 1412.

Johannes Gobin VII. anno 1419.

RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP.

Johannes Dormentinus VIII. interfuit Concilio provinciali ſub Johanne Juvenali de Urſinis anno 1455.

Johannes Richard IX anno 1469.

Georgius Marlot Doctor Theologus anno 1463.

Petrus Gaaltier anno 1491.

Deſiderius Piffle obijt anno 1506.

Johannes Dhaulatte X. ultimus è Cœnobitis canonicè electus, qui Dionyſio Briçonnet Maclovienſi Epiſcopo, primo commendatario adverſanti, poſt ſex annos coactus ceſſit anno 1512, extinctus 1528, decima quinta Junij.

Dionyſius Briçonnet Epiſcopus Maclovienſis in Britannia, Commendatarius, anno 1512 chori Eccleſiæ ſat elegantis ſtructuræ fabricam fecit, juxta inſcriptionem in lamina cuprea inciſam extra ædificium pilæ affixa, quæ Gallico idiomate tempus, quo primarius lapis poſitus eſt, & nomen auctoris indigitat.

Regnant dixieme Pape Leon,
Et Roy premier François du nom,
L'an de grace cinq cent & vingt,
Au mois de Juin ici ſurvint,
Un noble Prelat de cœur net,
Meſſire Denis Briçonnet,
De ſaint Malo Sire & Eveſque,
Et de Lodeve & outre avecque,
Abbe de ſaint Martin d'Eſparnay,
Prieur de Taraſcon, Coſſay,
Et grand Archidiacre de Reims,
Et d'Avignon, lequel aux mains,
Humbelement profund à terre,
Aſſit la premiere pierre,
Sous ce pillier. &c.

Franciſcus de Champgirant Decanus Maclovienſis.

Philippus de Lenoncourt Epiſcopus Catalaunenſis, Cardinalis, domum abbatialem conſtruxit anno 1530.

Jacobus Luillier dictus de Boulencourt Protonotarius apoſtolicus, Prior S. Mauricij Remenſis, qui ædem abbatialem inchoatam abſolvit.

Aimarus Hennequin Epiſcopus Redonenſis, Canonicus Pariſienſis anno 1558. ornamentis ſacrarium Eccleſiæ inſtruxit, poſt quem dominus de Vignoles regius Præfectus Sparnacenſis anno 1591. proventibus Abbatiæ potitus eſt: unde Emin. Cardinalis Aldobrandinus, ſummi Pontificis nomine conqueſtus eſt eminentiſſimo Cardinali d'Oſſat, quòd Rex Galliæ hæretico Abbatiam commendâſſet, epiſt. 51.

Johannes le Roy dominus d'Ameſſaintes, Conſiliarius curiæ Parlamenti, & Archidiaconus Pariſienſis anno 1597, exceſſit 1606.

Carolus de Gonſague, filius natu minor Ducis Nivernenſis anno 1613.

Franciſcus du Drac ex Baronibus Danevoux anno 1619.

Claudius Violart, Remenſis Archidiaconus Campaniæ, ex permutatione cum Franciſco anno 1639.

Antonius

Digitized by Google

Antonius Loiſel ex ceſſione præbendæ in Capella-ſacra Palatij regij Pariſiorum cum Claudio facta. RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP.

Porro ab aliquot annis in Sparnacenſe Phrontiſterium à Canonicis Regularibus Congregationis Gallicanæ inducta eſt reformatio, miſſis à Superiore generali ſodalibus, in ritibus Auguſtinianis optimè inſtructis, quò Religionis vigor, qui temporis lapſu multum intepuerat, in priſtinum ſtatum eorum ſtudio revocetur, cui rei ſollerter & ſtrenuè incumbunt, cum ſpirituali totius urbis fructu, & populorum viciniæ, qui novæ plantationis bono odore recreantur, & cum redituum temporalium incremento.

Lauduni apud Sanctum-Johannem velatis mulieribus Benedictini ſubrogantur.

CAPUT XXXVIII.

CANONICORUM Regularium ſæcularibus recèns facta ſubſtitutio apud Sparnacum, nobis anſam præbet diſſerendi hîc de ſimili Benedictinorum ſubrogatione in locum Monialium, quæ eodem anno apud ſancti Johannis Laudunenſis Parthenonem contigit, eò vel maximè, quòd Matthæus Albanenſis in Conventu Remenſi, Raynaldo Archiepiſcopo conſentiente, prædictam innovationem ut Legatus Apoſtolicus approbavit, uſúſque ſit operâ Drogonis ſancti Nicaſij Prioris ad eam promovendam, quem inter Inſignes noſtræ diœceſis ſupra collocavimus. *An.* 1118.

Et ut à vetuſtate tam nobilis Monaſterij ordiar, operæpretium eſt hîc referre quæ narrat Hermannus Monachus de *Miraculis S. Mariæ Laudunenſis lib. III. cap. XXII*, ubi de Bartholomæo Prælule ex Canonico Remenſi, ad prædictam Cathedram promoto, ſic habet: ***Poſt hæc ſancti Johannis Baptiſtæ corrigere ſtatuit Abbatiam, quæ cunctis alijs ſupra memoratis diœceſis***, ſcilicet, ***Laudunenſis, Cœnobijs fertur antiquior & ditior átque nobilior fuiſſe. Hanc ſiquidem beata Salaberga, ſicut in ejus vita legitur, conſtruxit, & Sanctimoniales ibi ponens, earum ipſa prima fuit Abbatiſſa. Tanta verò auctoritate ſtuduit eam ſublimare, ſicut refert antiquitas, ut quemadmodum in Apocalypſi Johannis legitur:*** Scribe ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia; ***ita etiam hanc Abbatiam cupiens eſſe velut alteram Aſiam, ſeptem Eccleſias in ea ædificaverit. Harum primam, quæ principalior eſſe noſcebatur, in honorem ſanctæ Genitricis condita, appellari voluit ſanctæ Mariæ Profundæ, ad differentiam forſitan majoris Eccleſiæ, in qua epiſcopalis Sedes conſiſtit. Secundam ſancti Michaelis, & omnium Angelorum: Tertiam S. Johannis Baptiſtæ (inter alias celebrem) ut quando cùmque Rex Francorum in diebus ſollemnibus Lauduni coronandus eſſet, in ipſa præcipuè coronam auream portaret. &c.***

Herman. lib. 3. de Mirac. S. M. Laud. cap. 22.

Apoc. 1. v. 11.

Beatæ autem Salabergæ morienti ſucceſſit filia ejus ſancta Anſtrudis & aliæ permultæ per trecentos & amplius annos Abbatiſſæ, quas recenſet R. P. Lucas Acherius, vir juxta eruditus & pius, in ſuis analectis ad vitam S. Salabergæ, ubi ſub primis Abbatiſſis trecentas aliquando Moniales vixiſſe, uſque ad Adelaïdem Reginam Ludovici ſexti ſponſam, quæ prædictum Monaſterium, non Abbatiſſæ titulo, ſed uxoriæ dotis jure poſſedit. Quod nefandi commercij genus ſub Regibus ſecundi ſtemmatis natum, illa ætate reluxit in exitium obſervantiæ regularis, quæ ſenſim tepeſcere cœpit,

Sancta Salaberga circà annum 640. ex ſuburbano Leucorũ oppido Lingonicoque confinio, clarâ ortu natalibus nobile Monaſterium Deo-para Virgini primùm, tum B. Johannis ſacrũ condidit multis Regnum & Principum donarijs ditatũ.

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. An. 1128.

& ex laxiori vivendi modo in peius ruere, etiam in bonis temporalibus, unde ſubdit idem Auctor coætaneus.

In diebus verò præfati domini Bartholomæi Epiſcopi, antiqua religio non parum in eodem Monaſterio refrignerat, exteriores quoque poſſeſſiones paullatim diminutæ erant; ſed & nonnulla ſiniſtræ famæ de eiſdem Virginibus dicebantur. Vnde multùm contriſtatus idem Pontifex, videbat enim eas frequenter à ſe commonitas emendationem quidem verbo promittere, ſed facto non implere: conſilio & auctoritate domini Papæ Innocentij, dominique Raynaldi Remorum Archiepiſcopi, Ludovici quoque Regis Francorum, ad quem eadem Eccleſia propriè pertinere dicebatur, omnes pariter illas Sanctimoniales ex illa ejecit. Aſſumens quoque virum religioſum domnum Drogonem Cœnobij S. Nicaſij Remenſis Priorem, cum ibidem primùm Abbatem ordinavit, & Monachos illic ex diverſis Monaſterijs poſuit. Sed cùm jam illic, Deo donante, non parum proficeret, bono odore ſapientiæ & probitatis ejus longè latéque diffuſo, præfatus Papa Innocentius obedientiæ vinculo conſtrictum, eum Romam ire coëgit, & urbis Oſtienſis Epiſcopum conſecravit.

Herman. ibidem.

Ex his liquidò conſtat quid Bartholomæum Laudunenſem Epiſcopum impulerit ad Nonnas è ſua ſede expellendas, patétque adhuc clarius ex Comitijs provinciæ Remenſis Attrebati VI Idus Maij anno 1128 habitis ab univerſis Præſulibus, ubi Rege volente, decretum eſt, ut Monachi Cœnobium ſancti Johannis, ejectis prius Monialibus, occuparent, quo ſtatuto ab Matthæo Albanenſi Epiſcopo Cardinali Sedis apoſtolicæ in Gallias Legato, eodem anno in Conventu Remenſi Sanctimoniales apud Crandelam villam vitæ reſiduum tranſacturæ ablegantur.

En Ludovici VI diploma è Tabulario Laudunenſi deſumptum.

An. 1128.

» IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ego Ludovicus Dei miſericordiâ in Regem Francorum ſublimatus notum fieri volo omnibus » Fidelibus, tam futuris, quàm inſtantibus, quòd in Conventu quem fidelis » noſter Raynaldus II. venerabilis Remorum Archiepiſcopus, Attrebati cum » univerſis ſuffraganeis ſuis Epiſcopis & Abbatibus, VI Idus Maij tenuit, ubi » & nos præſentes aderamus, ipſe & Bartholomæus venerandus Laudunenſis » Epiſcopus humiliter nos convenerunt, cum multa precum inſtantia poſtu» lantes, ut Laudunenſem B. Mariæ & beati Johannis Eccleſiam, quæ re» galis Abbatia eſt, quia Sanctimoniales, quæ ibi ab antiquo fuerant, nimis » indignè & enormiter ſe habebant, ad meliorem Religionis ſtatum duci, » & Monachos ibidem ſubſtitui concederemus. Quam profectò petitionem » rationabilem & utilem cognoſcentes, voluntati eorum & conſilio aſſen» ſum dedimus, & in prædicta Eccleſia Abbatem & Monachos ſubſtitui, & » haberi in perpetuum, ſalvo ibi in omnibus jure Regio & Adelaïdis Regi» næ uxoris noſtræ dotalitio, benignè quidem conceſſimus, ita ſiquidem » quòd ſubjectionem illam, quam ceteræ Abbatiæ noſtræ, quæ in Epiſco» patu Laudunenſi ſunt, Laudunenſi Epiſcopo debent & exhibent, Abbatia » illa eidem Epiſcopo, ſine aliquo juris regij detrimento, debeat & exhi» beat. Quod ne valeat oblivione deleri, ſcripto commendavimus, & ne » poſſit à poſteris infirmari, ſigilli noſtri auctoritate & nominis charactere » ſubter firmavimus.

» Actum Attrebati publicè anno incarnationis Verbi 1228, regni noſtri XX, » aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſubſtituta ſunt & ſigna.

»

» Signum Ludovici Buticularij. | Signum Alberici Camerarij.
» Signum Hugonis Conſtabularij. | Dapifero nullo.

» Data per manum Simonis Cancellarij.

Signum

Signum Raynaldi Remenſis Archiepiſcopi.
Signum Simonis Noviomenſis & Tornacenſis Epiſcopi.
Sig. Johannis Morinenſis Epiſcopi.
Sig. Garini Ambianenſis Epiſcopi.
Sig. Roberti Attrebatenſis Epiſcopi.
Signum Clarembaldi Silvanectenſis Epiſcopi.
Signum Petri Belvacenſis Epiſcopi.

« RAYNALDUS. XLVIII. « ARCHIEP. « An. 1128.

Eſt & alia charta ejuſdem Regis, quâ confirmat bona prædicti Monaſterij, ejúſque reformationem approbat, ſalvo dotalitio uxoris ſuæ, anno 1137. his verbis.

LUdovicus Dei gratia, &c. Notum facimus Monaſterium B. Mariæ « An. 1137.
& B. Johannis regalis Abbatiæ, quod in civitate Laudunenſi ſitum « eſt, divina, ut credimus, inſpiratione bonorum illuſtriúmque virorum « conſilio ac noſtræ ſerenitatis aſſenſu, in ſacræ religionis Ordinem, reforma- « tum; ejectâ ſiquidem mulierum ſpurcitiâ, quarum vita & civitati pernicies, « & ipſo Monaſterio puteus erat interitûs, fidelium noſtrorum tam Epiſco- « porum, quàm Abbatum unanimi electione, Abbatem inibi ac religioſæ « vitæ Monachos ad honorem Dei & coronæ noſtræ gloriam ſanximus inſti- « tui, quorum paci ſtudentes in poſterum, regiæ majeſtatis præcepto ſtatui- « mus, ut in omnibus, ſalvo jure regio & conſortis noſtræ Adelidis Reginæ « dotalitio, Abbas & Monachi, quibus idem locus perpetuò deputatus eſt, « quietè teneant quæcúmque huic Monaſterio collata ſunt, quorum non- « nulla placuit annotari, Eccleſiam ſancti Petri Monaſterio ſancti Johannis « contiguam, &c. «

Actum publicè apud Sanctum-Germanum-in-Laya anno 1137. annuente « filio noſtro in Regem ſublimato anno IV, & Adeleïda Regina. «

Decretum Matthæi Albanenſis Epiſcopi, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati.

MAtthæus Dei gratiâ Albanenſis Epiſcopus, & apoſtolicæ Sedis Le- « gatus univerſis Fidelibus ſalutem. Quod in Conventu Attrebatenſi « ſancto Spiritu cooperante à venerabilibus Fratribus Raynaldo Remenſi « Archiepiſcopo, Bartholomæo Laudunenſi, Giſleno Sueſſionenſi, ceteríſque « illius diœceſis Epiſcopis & Abbatibus, aliíſque religioſis perſonis de expulſione « Monialium, in Eccleſia S. Mariæ ſanctíque Johannis Laudunenſis minus « honeſtè viventium, & de ſubſtitutione Abbatis, & Monachorum ibidem « Deo religiosè ſervientium, conſtitutum eſt, Ludovico Rege Francorum « præſente, annuente, & ſuo præcepto firmante, nos in Remenſi Conventu, « conſilio & petitione venerabilium Fratrum, Remenſis & Senonenſis « Archiepiſcoporum, atque Abbatum plurimorum, aliarúmque religioſa- « rum perſonarum comprobavimus, & Sedis apoſtolicæ auctoritate, & muni- « mine in perpetuum confirmamus. «

Exſtat Innocentij II Papæ reſcriptum ad Drogonem Abbatem de eadem re, datum apud Rohænnam XI Nonas Novemb. Drogo autem hic S. Nicaſij Prior Adelaïdæ ſucceſſit anno 1128, decimo ſeptimo Calend. Junij, Rege ſuam promotionem comprobante, rexítque Abbatiam uſque ad annum 1136, quo Romam ab Innocentio evocatus, Cardinalis Oſtienſis creatus eſt.

Drogo ſubſcripſit titulo Abbatis S. Iohannis Charta Raynaldi Archiep. pro piſcatura Vidulæ in Tabulario S. Theoderici.

Quid verò Regem tunc & Epiſcopos Attrebatum vocaverit, ex Flandricis annalibus paucis accipe. Caroli Boni cæde à Stratenſibus (præpotens erat in Brugenſibus familia) cùm ad Ædem S. Donatiani oratum iviſſet, nequiter patratâ, Ludovicus Francorum Rex, ut Flandris, tanquam ſupremus dominus, novum daret Comitem, Guillelmum Ducem Normanniæ ab Henrico

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1128.

Henrico patruo Normanniâ pulsum, Attrebatum adduxit, eúmque rejectis omnibus, qui jus ad Comitatum, sanguinis affinitate prætendebant, auctoritate regia in possessionem Flandriæ collocat; tum ex Attrebatibus Insulam, Gandavum, Brugásque inaugurandi gratiâ circumduxit. Hic obtenta Flandriæ possessione, non modò de recuperanda Normannia, verumetiam de asserendo Regno Angliæ consilia capiens, ad avaritiam se prorsum convertit, genti liberæ imposuit vectigalia, dignitates, officiáque publica quæstui habuit, Magistratus pretio creavit, nihílque intactum reliquit, quominus bellis gerendis aurum coacervaretur. Diuturnis his Flandri fessi malis, de Guillelmi Comitis inexplebili avaritia, & rapacitate conquesti, gravitérque ob ademptam pæne omnem sibi libertatem frementes, fortissimum virum Theodoricum Comitis Alsatiæ filium evocant, ut debitum sibi jure hereditario imperium capesceret. Sub adventum Theodorici, Normanno celebriores civitates summo omnium consensu portas clausérunt, causámque repentini tumultûs, defectionísque percontanti libere responsum, Principe sibi, parentéque, non expilatore opus esse, quæ Flandrici scriptores fusiùs prosequuntur.

Flagrantè dissidio pro Flandriæ Comitatu, Insulæ Canonicos B. Petri magna penuria incesserat, ob graves Ecclesiæ causâ impensàs ab his toleratas, cui ut subvenirent, à vassallis pro more auxilia petierunt. At hi, forsan sacræ gentis odio, pertinaciter obrogavêre, & ne quid subsidij darent ad Comitem Guillelmum mittunt, donísque ad eorum partes suscipiendas alliciunt. Hic dicto vetuit, nequid ab suis Canonici peterent: hac sanctione vehementer perculsi Canonici, & quòd Ecclesiæ suæ jura infringerentur, è suo Collegio ad Regem & Remensem Archiepiscopum legavêre, qui Ecclesiam suam ab injuria vindicari postularent. Rex & Archiepiscopus acribus statim litteris Guillelmum exagitârunt, missúsque est ab his Insulam Johannes Morinensis Episcopus, ut re diligenter inquisita, pro Canonicis sententiam diceret. Auditis igitur multis, tam sacri cœtus, quàm primæ nobilitatis testibus, publicè censuit tantum Canonicis jure in subditos competere, quantum in suos habent regionis Principes, idcóque nulli Principum fas esse, tam insigni jure hos per libitum exuere. Eo pariter anno multos in pago Suessionensi sacro igne accensos ad Ecclesiam beatæ Dei genitricis, quæ in civitate sita est, convenisse fertur, ibíque diebus paucis misericordiam Dei, & B. genitricis opem præstolantes, salutem ipsius meritis consecutos; ita ut intra quindecim dies, centum & tres nominatim, præter aliquot virgines distortas, exstincto igne sanitati redderentur. Facta sunt ibi deinceps alia miracula, quæ ex instituto refert Hugo Farcitus, & ex eo Vincentius Bellovacensis.

Scripsit Raynaldi Archie. ad Comitem Guillel. pro privilegiis Canonicor. S Petri Insulensis de hospitib⁹ vel. pro jure quod habebant in hospites (vel subditos:) *ex historia Bethuniensi.*

Hoc pariter jure gaudebãt plures Episcopi & Abbates ante communiarum erectionem.

Sacer ignis sæviit etiam Cameraci, Attrebati utrobique flammis contractis de B. Virgine remediis obtinuere.

Philippus filiorum Regis maximus Remis inauguratur. Apud Cisonium regulares Canonici sæcularium sedem obtinent. Innocentius II Gallias petit.

CAPUT XXXIX.

PHILIPPUS Ludovici Regis primogenitus, cùm annis maturus esset, rebúsque gerendis satis idoneus, pater ejus ut sibi jam senescenti auxilio foret, ad pacem Regni feliciter stabiliendam, Remos eum deducendum esse statuit, ut coram Franciæ Optimatibus regali diademate

Digitized by Google

RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1128.

demate insigniretur: nec apologia Ivonis Carnotensis nuper evulgata moram fecit, quamvis in ea jus antiquum Remensis Ecclesiæ labefactari quodammodo videretur. Potiora siquidem apud eum fuêre veterum exempla, quàm futiles quædam rationes susceptæ causæ gratiâ ab Ivone, forlan nocendi studio excogitatæ. Conventus hic à Rege indictus, haud dubiè celebris fuit, nam Ludovicus cunctis carus erat, ut afflictorum pater, & vindex publicæ libertatis. Raynaldus Archiepiscopus Regis propositi certior factus, se præsentem cum Suffraganeis exhibuit, rebúsque ad tantam sollemnitatem rite dispositis, juniori Regi coronam imposuit, Henrico Anglico Rege Ducis Normanniæ munus obeunte, XIV Aprilis die Resurrectionis dominicæ anno 1128. Chronicon Mauriniacense de hac inauguratione breviter sic loquitur: ***Cum enim apud Remim nobilissimam Galliæ Metropolim, Rex Ludovicus primogenitum filium suum Philippum ungi faceret in Regem, secúmque coronari, Thomas hujus loci Abbas cum Bartholomæo sancti Martini Priore huic tam celebri interfuêre Conventui.*** Extat in Tabulario sancti Theoderici prope Remos charta Simonis Tornacensis, Remis data anno 1128, quæ Episcoporum & Abbatum nomina præferre videtur, qui huic inaugurationi præsentes fuerunt: nam præter Simonem Episcopum, Matthæus Albanensis S. R. E. Legatus legitur, Raynaldus Remensis Archiepiscopus, Petrus Belvacensis, Joslenus Suessionensis, Goffridus Carnotensis, Theodoricus Abbas sancti Eligij, Balduinus Abbas sancti Quintini-in-insula, Raynaldus Abbas sancti Bartholomæi, Gauffridus Abbas sancti Medardi, Simon Abbas sancti Nicolai-de-saltu, Alvisius Abbas Aquincinctensis, Robertus Archidiaconus Tornacensis, &c.

An. 1129.

Everardus hic Gisli Ludovici Imperatoris sororè duxerat. Etsi de eo Flodoardus.

Everardum Comitem ac Cisoniensem Toparcham, Canonicorum sodalitium apud Cisonium instituisse, Tomi primi lib. IV. cap. III. diximus. In eo cùm Canonicorum potior pars à primæva vivendi ratione deflexisset; auctoribus maximè Liethardo & Roberto Canonicis, iisque agentibus, Herimanno Præposito nobili viro Insulensi, qui pro suscipiendo etiam religionis habitu, & divi Augustini Canonicorum regulâ, coram Remensi Archiepiscopo sacerdotijs & dignitatibus se exuêre, novus Canonicorum cœtus in locum sæcularium inductus est, multis sub prædicto instituto certatim coeuntibus, quibus Raynaldo Archiepiscopo probante, Anselmus è Cœnobio S. Dionysij Remensis præfectus, pietate ac doctrina clarus, ***quamvis hic admodum reluctaretur***, inquit Buzelinus; ***& Remis subesse mallet, quàm illic præesse.*** Inter multas nihilominus vexationes, & probra ab iis, quibus ingrata hæc mutatio fuerat, illata, pacificè Cisonij Abbatiam moderatus est, cum magno animarum lucro & Religionis emolumento.

An. 1130.

Raynaldus Rem. Archiepiscopus omnia bona Henniacensis Cœnobij cõfirmat auctoritate Metropolitana, altero lapide à Lensi in Artesia: altare quoque eiusdem loci

Refert eodem anno Vasseburgius Henricum Virdunensem Episcopum, qui ex schismatico partes Romanæ Ecclesiæ susceperat in Concilio Remensi sub Callisto II, negligentiæ & cujusdam pravitatis insimulatum fuisse apud Honorium summum Pontificem, qui Matthæo Albanensi Legato per Gallias statim dedit in mandatis, ut coacta Catalauni Synodo, querelas Cleri Virdunensis, ac civium audiret coram Archiepiscopo Remensi, Bernardo Abbate Clarevallensi & Ursione S. Dionysij Remensis Abbate. Henricus mandato Papæ huic pariter interfuit, ut objecta dilueret, at monitus à S. Bernardo Synodi expetendam non esse sententiam, si sibi consultum esse velit, Episcopatum abdicat, cui petente Clero Virdunensi Ursio Abbas S. Dionysij Remensis subrogatur, merito quidem commendabilis, sed non ita præditus robore, ut à prædecessore dissipata in

curam animarum omnium Henniasi manentium & si Ecclesia violari contigerit Abbas, accepta ab Atrebatensi Episcop. aquâ reconciliationis, possit reconciliare, &c. Remis Indict. VII. an. 1129.

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1127.

in integrum reſarciret : unde vix infulas induerat, cùm primis difficultatibus ceſſit, ac profectus ad Innocentium II, qui Leodij Synodum convocârat, ſupplex ab eo petijt, ob infirmitates à præfectura abſolvi.

Raynaldus Comes certus quàm puſillo eſſet animo, ob hoc præſertim parum æquus erat, quòd ſacramentum fidelitatis Lothario Imperatori præſtitiſſet, dominium urbis ac Comitatum ad ſe trahere conatus eſt, coegítque Urſionem auxilio deſtitutum repatriare, ſícque ad Clauſtrum regreſſus poſt tres annos regiminis, rurſum in Abbatem S. Dionyſíj à Fratribus electus eſt.

Honorio Papa functo XIV Febru. eodem planè die conclamatus eſt Innocentius pariter ejus nominis II, nobili familia, & olim profeſſione Monachus, quem è veſtigio Cardinales Honorio familiaritate propinquiores inſignibus induunt, ut ſic Petrum Leonis prævenirent, qui ad Papatum inhiabat. Hic, qui & Anacletus dictus eſt, ſubnixus ope Siciliæ Regis & quorumdam ſuæ factionis Cardinalium, nec-non majoris partis vulgi, quam largitionibus ſibi devinxerat, coegit Innocentium undíque oppreſſum, ac ſine præſidio relictum, conſcenſa navi in Galliam ſe recipere. Deſcendens itáque navali itinere ad partes Galliarum, tutum & approbatum elegit ſuæ perſonæ & Eccleſiæ poſt Deum defenſionis aſylum Regnum nobiliſſimum Francorum, nuntiſque ad Regem Ludovicum deſtinatis, ſibi & Eccleſiæ opitulari poſtulat. Rex pro ſua in Eccleſiam propenſione Concilium Archiepiſcoporum Remenſis ſcilicet, Senonenſis, Bituricenſis & Turonenſis, aliorúmque Stampis citò convocat, eorúmque conſilio, magis de perſona, quàm de electione ſollicitus, ſuo tamen aſſenſu eâdem approbatâ, ſtrenuum ſeipſum defenſorem fore pollicetur. Quin & ſuſceptionis, & obſequij primitias Cluniaci per Sugerium offert, quibus exhilaratus Pontifex, gratias & benedictionem Regi impertit, pergítque ſecurus uſque ad ſanctum Benedictum-ſupra-Ligerim, ubi Rex cum Regina & filijs lætus occurrens, nobilem, & ſæpius diademate coronatum verticem, TANQUAM AD SEPULCRUM PETRI, inclinavit, pedibus ejus procumbit, & cetera quæ Sugerius ſubdit de caſu Philippi novi Regis ex equo dejecti, & Ludovici fratris ejus inauguratione, à Mauriniacenſi pariter Chronographo accuratè referuntur hoc modo.

Sugerius in in vita Lud. Groſs cap. 21.

Chronicon Mauriniacēſe ad an. 1130.

„ INnocentius à Germania rediens in Galliam dum Autiſſiodoro commoratur, cùm tempus convocandi Concilij, quod in feſtivitate B. Lucæ „ Evangeliſtæ Remis celebraturus erat, appropinquaret, ... per „ Aurelianenſem Stampenſémque tranſiens provinciam, ſuæ præſentiæ „ Pariſius illuſtravit. Ingredienti tota civitas obviam ivit, à Rege Ludo„ vico Philippóque ejus filio favorabiliter excipitur, & egrediens hono„ biliter educitur, Aſt ut ille ait.

„ *Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.*

„

„ Inter lucidiſſimam proſperitatis ſerenitatem, ſubiti fulguris inopinatus „ caſus oboritur, qui corda omnium ſuæ nimietatis horrore concuteret : „ Philippus namque Rex & Regis filius, amœniſſimus puerorum flos, an„ nos plus minus quatuordecim à nativitate, à conſecratione verò duos „ & ſex menſes habens, dum ſuper velociſſimum equum cum quibuſdam „ ſequipedis luderet, in ipſa urbe, in angiportu quodam porcus occurrens „ ex adverſo, in pedes equi incurſantis irruit, & equum cum aſſenſore „ ſub ſe dejecit. Sic puer ille tener, & in quo Regni Francorum ſpes tota „ ſita erat, horrenda morte tormentatus, rebus humanis exemptus eſt, &c. „ Ceterùm mortis hujus audito nuntio, Papa præcordialiter permotus, „ mittit à latere ſuo ad conſolandum Regem venerabiles Epiſcopos Gaufridum

fridum Catalaunenſem, & Matthæum Albanenſem, qui ex Prioratu « RAYNAL-
S. Martini de Campis per Honorium Papam vocatus, & ad Epiſcopa- « DUS. II.
tum fuerat ſubrogatus. Initur conſilium, ut Rex quantocius Remos ad « XLVIII.
Concilium properaret, & Ludovicum filium, qui poſt Philippum natus « ARCHIEP.
erat, ſubrogaret in Regem. « *An.* 1131.

Rex poſt obitum filij Remos petit, ſummus Pontifex eum conſolatur, Ludovicúmque Juniorem, in Regem cæleſti conſecrat unctione.

CAPUT XL.

IGITUR Rex Ludovicus die ſabbati cum Radulfo Vermendenſium « *Idem Chron.*
Comite, qui ſibi cognatus & Major regiæ domus erat, multiſque Fran- « *Ibidem.*
corum Proceribus, Concilium ingreditur, tribunal aſcendit, & domini «
Papæ pedes oſculatur, juxta quem cathedrâ poſitâ ſedit, pauca pro filio «
defuncto peroravit, omnes ad lacrimas excitavit. «

Papa verò in Regem convertens intuitum, ſic orſus eſt fari: *Oportet*, inquit, *te, Rex optime, qui ſuper nobiliſſimam Francorum gentem tenes imperium, ad illius ſummi Regis, per quem Reges regnant, majeſtatem, mentis oculos attollere, & ejus voluntatem per omnia venerari. Ipſe enim gubernat omnia qui creavit omnia, & omnium habens ſcientiam, in univerſitate rerum nihil omnino vel facit, vel fieri permittit injuſtè, quamvis multa fiant injuſta. Morem habet ille pijſſimus Dominus, ô bone Rex, Fideles ſuos & proſperitatibus conſolari, & adverſitatibus erudire Sicut enim in ſancta Scriptura legimus, quæ ejus Epiſtola de cælo per Spiritum-ſanctum ad nos in terra poſitos directa eſt, ipſe percutit & medetur, & flagellat omnem filium quem diligit.* Ego, *inquit*, occidam, & ego vivere faciam: percutiam & ego ſanabo. *Ne videlicet homo, qui ad imaginem Dei conditus, reatu tranſgreſſionis ad hujus mortalitatis tenebras devolutus eſt, pro patria diligat exſilium: ſed quantocius redire feſtinet ad illam, de qua peregrinatur in terris, cæleſtem civitatem ſanctam Hieruſalem, cujus fundamenta ſunt in montibus ſanctis, hoc eſt in Apoſtolis noſtris*, quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra. *Advenæ etenim ſumus, & peregrini, ſicut omnes patres noſtri*, nec habemus hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. *In ea cum Deo perenniter exſultant, qui carnales hîc concupiſcentias virenter conculcant. Ad eam filius tuus ſimplicitatis & innocentiæ puer emigravit:* Talium enim eſt Regnum cœlorum. *David, ô Rex, qui bonis Regibus exemplar virtutum fuit, dum filius illius langueſceret, graviſſimè ploravit: poſtquam verò mortuus nuntiatus eſt, de cinere & cilicio in quo jacebat exſurrexit, veſtes mutavit, manus lavit, ad convivium familiam convocavit. Impoſſibile enim eſt non fieri quod factum eſt: & ſciebat vir Deo plenus quantum peccaret, qui divinæ juſtitiæ, vel voto contrairet. Depone nunc igitur hanc, quam tibi carnalis generavit affectus, quam pectore vultúque geris, animi mæſtitiam: quia qui ſibi unum ſecum regnaturum ſuſcepit, plures qui poſtea regnare poſſent tibi dereliquit. Debes etiam & nos conſolari, ſcilicet homines extraneos, & à propriis ſcaibus expulſos, quos tu primus omnium pro amore Dei & B. Petri in Regno tuo honorificè ſuſcepiſti, obſequijs honorâſti, beneficijs onerâſti. Reddat tibi Dominus vicem & perpetuam mercedem, domine Rex, in illa,* *Prov. 8. B. 15.* *Heb. 12. B. 6.* *Deut. 32. f. 39.* *Gal. 4. d. 26.* *Heb. 13. c. 14.* *Matth. 19. 6. 14.* *Lib. 2. Reg. d. 16.*

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1131.

de qua, Glorioſa dicta ſunt, *civitate*, *& in qua eſt vita ſine morte*, *aeternitas ſine labe*, *gaudium ſine fine.*

„ Hujus orationis mirabili velut antidoto, faucium cor Regis ſanctus
„ Apoſtolicus delinivit, ac protinus ſurgens in pedes, oratione dominica,
„ ſicut mos chriſtianus exigit, dicta ſub ſilentio, pueri defuncti animam
„ abſolvit. Dein Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates per obedientiam mo-
„ nuit, quatinus ſacris atque feſtivis, ſicut erant in Conventu, veſtibus in-
„ duti, die craſtina, quæ Dominica futura erat, ſeſe repræſentarent, & con-
„ ſecrationi novi Regis intereſſent.

„ Igitur eo die ſolitò clarior ſol illuxit, & rebus agendis ſuum obſequium
„ ovanter præſentare viſus eſt. Papa mane ſummo de Palatio Pontificis
„ egrediens cum ſuis Cardinalibus & Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus,
„ ad Eccleſiam B. Remigij, ubi Rex cum filio hoſpitatus erat, perrexit, &
„ cum magna devotione atque proceſſione Monachorum decentiſſimè ſuſ-
„ cipitur. Ibíque Romani Pontificis omnibus inſignibus indutus, ac ut ſibi
„ conſuetudinis eſt in ſacris magníſque feſtivitatibus, Frigio coronatus, in-
„ numera eccleſiaſtici atque militaris ordinis, plebíſque multitudine conſti-
„ patus, ad Eccleſiam matricem, quæ in honore B. Mariæ conſecrata eſt,
„ cum puero conſecrando pervenit. Ante fores Eccleſiæ eos exſpectabant
„ Rex, Proceres ejus, Archiepiſcopi, quidam Epiſcopi, Abbates, Monachi,
„ Canonici, Clerici, conſcholaſtici, qui de diverſis Galliæ ac germaniæ par-
„ tibus ad Concilium confluxerant. Intrant Eccleſiam, puerum ad altare
„ præſentant, & oleo quo ſanctus Remigius per angelicam manum ſibi præ-
„ ſentato Clodoveum Regem Francorum in CHRISTIANUM unxerat,
„ puerulum decem annos plus minus habentem cum ingenti tripudio domi-
„ nus Papa conſecravit. Fuerunt qui dicerent numquam in Francia ſimul
„ eveniſſe Concilij celebrationem, & ab ipſo Romano Pontifice factam
„ Regis conſecrationem. Itaque Rex Ludovicus ſumpta poſt lamentationem
„ conſolatione, cum conjuge & filio & Curia ad tractanda Regni negotia
„ reverſus eſt.

Hanc Regis inaugurationem conſulè ponit ob oculos Innocentij Petrus Mauricij Abbas Cluniac. quò eius flectat animum maximè in Regem Ludovicum commotũ propter Petrum Bituric. Archiep.

Pro Domino Rege Franc. *inquit*, magno nobili & ſpeciali filio veſtro benignitatem deprecor apoſtolicam, ut quia non ſolùm Rex eſt, non ſolùm magnificus Rector Chriſtiani populi eſt, ſed etiam quia opus manuum veſtrarum eſt, quem ad Regnum proveniſtis, quem ſacris manibus inunxiſtis, quem Gallis noſtris potentioribus Regem deſignatis.

Order. Vit. lib XIII. Eccl. hiſtor.

Luberet pariter hîc attexere quæ habet Order. Vit. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. XIII ad annum 1134, ubi de Innocentij II itinere & geſtis diſſerit.

„ Sequenti Dominico, *inquit*, Papa Sueſſionis Baſilicam S. Medardi Epiſ-
„ copi dedicavit, & inde Remis ad Concilium properavit, ibíque ſubli-
„ mium multiplices cauſas perſonarum diſcutiens, ferè quindecim diebus
„ permanſit. Illic affuerunt tredecim Archiepiſcopi & ducenti ſexaginta
„ tres Epiſcopi, & Abbatum ac Monachorum & Clericorum magna
„ multitudo. Illuc Rex & Regina ac tota nobilitas Franciæ confluxerat,
„ & per Raynaldum Remorum Archiepiſcopum ad totam Synodum,
„ ſuam petitionem fecerunt, ſcilicet Ludovicum pro Philippo fratre ſuo,
„ quem paullo ante in Regem inunxerat idem Raynaldus, nempe
„ die Paſchatis, Regem conſecrari poſtulaverunt. Innocentius igitur Pa-
„ pa, VIII Calend. Novemb. filium Regis, Regem conſecravit, quæ
„ conſecratio quibuſdem Francis utriúſque Ordinis diſplicuit: quidam
„ enim laïcorum poſt mortem Principis ſpem augendi honoris habebant;
„ quidam verò Clericorum jus eligendi & conſecrandi Principem Regni
„ captabant. His itaque pro cauſis, nonnulli de ordinatione pueri muſ-
„ ſitabant, quam procul dubio impedire ſi potuiſſent, ſummopere fla-
„ gitabant.

Concilium

Digitized by Google

RAYNALDUS. XLVIII. ARCHIEP. An. 1131.

Concilium Remense, cui præfuit Innocentius II summus Pontifex, quid in eo actum, & quod sanctorum Norberti & Bernardi præsentia multùm contulerit ad eorum Ordines longè, latéque propagandos.

CAPUT XLI.

Concilium habitū est mense Octob. die Dominica scilicet festo SS. Crispini & Crispiniani: ex Roberto de Monte.

PERACTA junioris Regis inauguratione, eodem anno & mense summus Pontifex Innocentius, quæ hactenus in Gallia fuerunt, celeberrimum Remis tenuit Concilium, sive statum Ecclesiæ spectes, quæ pernicioso tunc schismate laborabat, sive illustrium virorum multitudinem ex toto pæne christiano orbe collectam, inter quos melioris notæ Cardinales & sanioris judicij, qui summum Pontificem ubique comitabantur, præ ceteris nominandi sunt eo ordine, quo referuntur in Chronico Mauriniacensi & in Charta Sandionysiana, cui pariter subscripsêre apud D. Doubletum.

Præsentibus omnium Europæ gentiū Episcopis. Sugerius.

Ex Chronico Mauriniacensi.

EPISCOPI CARDINALES.
Guillelmus Prænestinus.
Matthæus Albanensis.
Johannes Ostiensis.
Guido Tiburtinus.

CARDINALES PRESBYTERI.
Johannes Cremensis de tit. S. Grisog.
Petrus Rubeus de tit. S. Martini.
Humbertus Rubeus de tit. S. Clem.
Gotielmus de titulo sanctæ Ceciliæ.

DIACONI CARDINALES.
Romanus de tit. S. Mariæ in Porticu.
Haimericus Cancell. Diac. Cardin. de tit. S. Mariæ-novæ.
Vui.... de titulo S. Mariæ in Vialata.

Ex Charta sancti Dionysij in Historia D. Doubleti.

Petrus Presbyter Cardinalis sancti Equitij.
Vvibertus Presbyter Cardinalis tituli sancti Clementis.
Rusticus Presbyter Cardinalis tituli sancti Cyriaci.
Gregorius Diaconus Cardinalis tituli sanctorum Sergij & Bacchi.
Albertus Diaconus Cardinalis tituli sancti Theodori.
Vvi..... Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Vialata.

Sed nihil æquè venerabilem hunc consessum, post summum Pontificem commendabat, ac sanctissimi Norberti Magdeburgensis Archiepiscopi præsentia, opinatissimæ sanctitatis, per quem canonicus Ordo sub nomine Præmonstratensis (cujus & confirmationem hîc obtinuit) in antiquum Religionis decus refloruit; & beatissimi Bernardi Clarevallensis in Ecclesiæ firmamento radiantis stellæ, *Qui in formidolosi schismatis flamma, quâ christianus orbis flagrare incæperat, lustranit provincias, infectum reddidit quicquid factum non opportuit*, inquit Cæsarius lib. XIV. cap. XVII.

Huic etiam Synodo, inter has totius religionis margaritas, enituit Gosvinus Alvisij successor in Monasterio Aquicincti, de quo fertur, cùm Remos cogitaret, unicum, quem pro itinere nummum in marsupio habebat, ante discessum pauperi erogâsse, quem tamen toties reperiebat, vel alterum similem, quoties eroganda esset eleemosyna, cui valde propensus fuit, nec ulli pauperi denegabat.

Alexander Aquicinctensis apud Molanū in Indiculo.

RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1131.

„ Ceterùm die Craſtina (*ſubdit Chronicon Mauriniacenſe ſcilicet poſt novi* „ *Regis unctionem*) domino Papæ in Concilio reſidenti per quendam Mag- „ deburgenſem Archiepiſcopum præſentaræ ſunt litteræ à Lothario Rege „ Alamannorum, in quibus rurſus & obedientia promittitur, & quòd ſe „ ad expeditionem cum * juribus omnibus Regni ſui præpararet, intimatur. „ Similiter etiam Rex Anglorum Henricus per Hugonem Archiepiſcopum „ Rotomagenſem & ornatiſſimas litteras miſit, & fidelem obedientiam „ promiſit. Reges quoque citerioris Hiſpaniæ, Senior Hildefunſus, & in- *Chron. Maur.* „ terioris junior Hildefunſus, miſſis per Epiſcopos ſuarum provinciarum „ epiſtolis Papam ſalutant, ſeſe filios obedientes denuntiant, auxilium „ contra Chriſtiani nominis inimicos, & regionum illarum invaſores Mo- „ rabites, ſuppliciter efflagitant. Fuerunt ſiquidem & lætitiæ & admirationi „ ad id negotium pertinentes excellentiſſimorum Heremitarum Carthuſien- „ ſium litteræ, quæ per quendam venerabilem Abbatem de Ordine Ciſtel- „ lenſi delatæ, & in Concilio per Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum reci- „ tatæ ſunt. Erant autem Carthuſienſes in jugis Alpium angelicam degentes „ vitam, ſupereminentiſſimæ religionis & incomparabilis * auctoritatis viri.

* *F. viribus.*

* *F. auſteritatis.*

His expeditis actum de electione Innocentij, promulgatáque excommunicatio in Petrum-Leonis Antipapam, ut habetur in geſtis S. Norberti Magdeburgenſis Archiepiſcopi, qui unà cum ceteris Antiſtitibus interfuit, éſtque item mentio ejuſdem Concilij in vita S. Bernardi, qui & ipſe adfuit, cùm eum à ſe ſeparari Pontifex non pateretur, atque in eo multa ad honorem Dei diſpoſita fuiſſe traditur. Sed quænam ea fuerint, præter jam dicta, & quæ ſparſim leguntur apud auctores, nihil prorſus in Archivis reperi. Exſtant tamen duo ſermones, apud eumdem S. Bernardum, habiti in Concilio coram ſummo Pontifice; alter ad Clericos, ad Epiſcopos alter, cùm tamen potius in Epiſcopos dicti eſſe reperiantur, quaſi horum vita tunc haud eſſet conſentiens dignitati. Hos quidem S. Bernardi nomine evulgatos, & ejus inter ſcripta recenſitos, commentum potius incerti auctoris eſſe, admonuit cenſura recentior.

Hiſtoria Tornacenſis à Cognato edita meminit facultatis conceſſæ à ſummo Pontifice Innocentio, tempore Concilij Remenſis, beato Alberto Anachoritæ excipiendi confeſſiones eorum, qui in cellula ſua eum conveniebant. Erat is S. Criſpini in Hannonia Monachus, qui auſterioris vitæ ſtudio in eremum, Abbatis ſui conſenſu, ſeceſſerat; cum autem ob ejus ſanctitatis famam, maximus fieret ad eum plebis concurſus, ut ab eo pœnitentiæ ſacramentum ſuſciperent, eam, quam prius à Paſchali & Honorio obtinuerat licentiam, Innocentius confirmavit reſcripto Remis dato XII. Calen. Novemb. ubi hæc verba habentur; ***Pœnitentiam dare, & abſolutionem confitentibus peccata ſua, tibi auctoritate Dei & B. Petri ac noſtra concedimus. Inſuper ut in Oratorio tuo licentiam habeas oſtijs apertis Miſſas celebrare, etiamſi pro aliquo foriffacto patria reliqua in bannizata fuerit.***

Ordo Præmonſtratenſis confirmatur à ſummo Pontifice.

Sub finem Concilij obtulit ſummo Pontifici Norbertus privilegia Eccleſiæ Magdeburgenſis ſenio pæne obliterata, petens ab eo, ut de novo confirmarentur; ſupplex etiam poſtulavit approbationem ſui Ordinis, qui Præmonſtratenſis dictus eſt, à loco ſeu prædio ex Abbatia S. Vincentij Laudunenſis dependente, quod Bartholomæus Epiſcopus ab Abbate Seifrido obtinuit, dato illi pro commutatione altari de Lariaco, ſalvo jure Synodi. Quod verò ſpectat ad S. Bernardum, quem à ſe ſummus Pontifex ſeparari non patiebatur, gladio verbi divini ſuccinctus ſchiſmaticorum frangebat audaciam, ac per os ejus purpurati Patres, Reges, Principéſque terrarum, quaſi per commune mundi oraculum loquebantur. Hi duo viri pietate & doctrina inſignes, tantæ erant auctoritatis,

ut

Digitized by Google

ut Epiſcopi certatim eos invitarent, imo & compellerent ad Monaſteria in ſuis diœceſibus conſtruenda, quibus nunc mirum in modum illuſtrantur, ad quod Concilia Remis habita, ubi eorum virtus enituit incredibiliter contulerunt. RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. An. 1131.

De his Robertus de Monte Appendice ad Sigebertum ſic diſſerit: *Sub his temporibus Ordo canonicus Præmonſtratenſis & monaſticus Ciſtercienſis, quaſi duæ olivæ in conſpectu Domini, pietatis lumen, & devotionis pinguedinem mundo miniſtrabant, & quaſi vites fructifera Religionis palmites circumquaque propagabant, & per omnes ferè Chriſtiani orbis terminos, bona opinionis paullatim odore diffuſo, novas Abbatias, ubi antea Dei cultus non fuerat, conſtruebant.* Et paullo poſt. *Erat circa hæc tempora pulchra ac decora facies Eccleſiæ, diverſorum Ordinum ac profeſſionum circumdata varietate, dum hinc Præmonſtratenſes, hinc Ciſtercienſes inde Cluniacenſes Monachi, tum & diverſi habitûs & profeſſionis Sanctimoniales, & mulieres Deo devotæ in continentia atque paupertate ſub obedientiæ jugo regulariter viventes, fenore religionis invicem provocarent, & novæ certatim diverſis in locis Monaſteria fundarent. Cum his etiam Monachi Carthuſienſes, & ipſi paullatim pullulabant, qui præ ceteris continentes, peſti avaritiæ, quâ plurimos ſub Religionis habitu laborare uidemus, terminum poſuerunt.*

His omnibus Eccleſiarum Primarij ac Comites, prout quiſque erga ſingulos animatus erat, altaria, ſilvas, terras arabiles, prædia certatim offerebant, pro ædificando de novo, aut dotandis Monaſterijs. Inter eos meritò primas obtinent Remenſis provinciæ Epiſcopi & Nobiles: ſiquidem Canonicorum Regularium S. Auguſtini incunabula cis Alpes exceperunt Gervaſius Remis & Raynaldus, Guido, Rogerus Catalauni, Bellovaci Baldricus, Turnaci Johannes Morinenſis, &c. Præmonſtratenſis Ordo Cœnobiorum ſuorum natales debet Bartholomæi munificentiæ, quem Nortberto quinque piaſſe, prædicti Epiſcopi docet Epitaphium. Claravallis Ciſtercij Filia clareſcit per totam provinciam, fecunda ſobole ac Monaſteriorum numero, Igniaci, Signiaci, Vallis-cellæ, Laudenſis, ad quorum molitionem S. Bernardus præſens incubuit. His omiſſis Montis-Dei Ordinis Carthuſiorum exordia auſpicabimur, quorum indefeſſo labore & theoriæ ſingularis ſtudio, veterum Anachoretarum auſteritas revixit in Eccleſia.

Concilia Canon. regular. Remenſe 1077. Phanop. 1108 Choquenſe 1108 Sparnac. 1108 Ciſonienſe 1129.

Odo Abbas ſancti Remigij, cooperante Raynaldo Remorum Archiepiſcopo, fundat Carthuſiam Montis-Dei ex bonis ſui Monaſterij, oblationibúſque Fidelium, qui ad tumulum beati Gibriani confluebant.

CAPUT XLII.

CARTHUSIA Montis-Dei ab exordio ſuæ inſtitutionis ad noſtram hanc ætatem incolarum ſanctitate, jugi obſervantia & ædificiorum cultu ſic excelluit, ut inter nobiliores Remenſis diœceſis Abbatias, quæ Reginaldo II ſedente clarere cœperunt, eam meritò collocandam cenſuerim: quamvis non Abbatia, ſed Eremi, vel Carthuſiæ nomen ex principe Gratianopolitana ſortita ſit. Huius initia & progreſſus, cùm

CARTHUSIA MONTIS-DEI. An. 1131.

cùm miraculi aliquid præſe ferant, mirum non eſt, quod citò coaluerit, ſítque alijs felicior in hoc, quòd temporum detrimenta vix ſenſit, tam regiminis ſagacitate, quàm abſolutâ æmulandæ religionis formâ, quæ in hac rerum, quam patimur, mobilitate & fluxu (quod omnium pæne Carthuſiarum commune eſt) annorum vices penitus ignorat.

Famoſiſſima igitur hæc ſolitudo à Durocorto quindecim diſtans leucis, Remigiani Præſulis opibus primùm conſtructa, & dotata, hanc ſibi imprimis gloriam vendicare poteſt, quòd totius Ordinis primariam Gratianopolitanam Matrem agnoſcat, quòd ipſa, ut mox adolevit, Montem-ſancti-Petri in diœceſi Laudunenſi, & Vallem-Dei in Pertico pepererit, quòd inter inclitas S. Brunonis Ædes octavum antiquitatis locum retineat, quòdque in Regno Franciæ prima lucem viderit, ſi limites ſpectemus, quibus Regnum hoc ſæculo continebatur. Sed his, ſimilibúſque elogijs in commendationem tam illuſtris Domûs, quæ ex Petro Cellenſi, aliíſque graviſſimis auctoribus depromi poſſent, prætermiſſis, ordiar primùm à fundatione, quam cæleſtibus prodigijs, non inchoatam modò, ſed & perfectam fuiſſe patebit ſequenti narratione, quam ex MS. codice paullatim contractam, ne lectoribus tædium inferat, exhibemus.

Odo venerabilis S. Remigij Abbas Romam profectus anno circiter 1129, ibi moram aliquam fecit, forſan ut Sanctorum limina viſitaret; cúmque orationi intentiùs ſolitò defixus, quadam die nimio ſopore gravaretur, vidit ſibi ob oculos mentis Monachos quoſdam repræſentari, inuſitato quodam habitu, ſed candido, juxta ſanctuarium pulchro ordine diſpoſitos, tantáque majeſtate divina perſolventes Officia, ut ad ſeipſum rediens in admirationem illico raptus fuerit, quamvis ijdem valde ſibi ignoti eſſent, nec de ijs quicquam hactenus audiviſſet. Eadem viſio ſæpius noctu meditanti oſtenſa eſt, quid verò innueret penitus ignorabat. At Deus haud multo poſt ei dignatus eſt revelare, votis ſiquidem ad tumulum Apoſtolorum ſolutis, expeditíſque negotijs pro quibus peregrinationem pariter ſuſceperat, de reditu cogitans iter arripuit ad Alpes, quæ Sabaudiam à Delphinatu ſeparant: ubi ſtatim ab itinere quo in Galliam itur deflexit, & inter devia, montiúmque flexuras ſine ductore pererrans, tanta nebularum caligine vallari cœpit, ut Alpium prærupta non cerneret. In hoc viarum diſcrimine, quid ſibi faciendum eſſet neſciebat, donec campanulæ ſonitu inſperatè quidem, ſed feliciter in locum undique rupibus clauſum appulit, ubi major Carthuſia ſita eſt. Eo igitur ad januam pulſante, venerabili Priori nunciatur hoſpites longâ viâ defeſſos adveniſſe. Hic citius è cella exſilit, Abbatémque perhumaniter ſuſceptum, in Eccleſiam, ut moris eſt, deduxit, eo tempore quo Fratres ad Eccleſiam properabant. Abbas viſis Religioſis, & formâ habitûs, hæſit primùm ſtupefactus, tum tacitè apud ſe revolvens, eos omnino eſſe cognovit, quos Romæ ſpiritu perſpexerat. Proſpero hoc eventu exhilaratus, quæſivit à Patre quinam, & cujus Ordinis eſſent (Carthuſiani ſiquidem inſtitutum pænè tunc ignotum erat in Gallia) cui ſe B. Brunonis alumnos Remenſis quondam Canonici, & Scholarchæ, eſſe reſpondit. Miratus Præſul Dei providentiam, quæ per devia montium, inter rupes & præcipitia duxerat, ut oculis videret, quod prius contemplatus fuerat viſione mentis, cogitare cœpit id omne non ſine divino inſtinctu contigiſſe, ſtatuítque, ſi ſoſpes in patriam regrederetur, ea omnia ſuppeditare, quæ neceſſaria forent ad Carthuſiam in Campania Remenſi ſtabiliendam; ſubinde animum ſuum venerabili Priori aperit, rogátque, ut ſtudium & operam, cùm opus fuerit, non deneget.

Addunt fundationis tabulæ Odonem S. Remigij Abbatem, conſilio & hortatu Guidonis Gratianopolitani Epiſcopi, ad hoc præſertim inductum fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, Guidonémque pauperum Carthuſianorum Priorem (hoc enim nomine indigitatur) conſenſu Capituli, Religioſos Odoni promiſiſſe, cùm primùm operi manum admoviſſet. Unde patet Odonis profectionem ad Sanctorum limina, ante obitum Guidonis prædicti Epiſcopi contigiſſe, quem Annales referunt ad annum 1132, propoſitúmque Montem-Dei conſtruendi habitum ante Concilium Piſanum. Manuſcripta quoque Monaſterij fidem faciunt, primarium lapidem poſitum fuiſſe x Calend. Junij an. 1130, duobus annis antequam Guido ad Superos evolaret, & quatuor ante Concilium Piſis coactum. Remos regreſſus Odo Abbas nihil antiquius ei fuit hac ipſa fundatione, de qua cùm in Capitulo coram Fratribus diſſerüiſſet, omnes ad unum eam approbârunt, ut meritoriam apud Deum, Eccleſiæ proficüam, Monaſterióque ſuo apud poſteros immortale decus parituram. Mox locum ſelegit ſolitudini aptiſſimum, quem MONTEM-DEI appellandum cenſüit (quamvis Mons-Boſonis prius vocaretur) ob ſublimem vivendi rationem, jugi meditationi addictam eorum, qui eam incolebant, ſtatímque Eccleſiæ jacta ſunt fundamenta, tum clauſtri, cellarum, certíque reditus aſſignati, ut expreſſiùs habet Charta fundationis, ubi venerabilis Odo conſilij ſui rationem pandens ſic loquitur. CARTH. MONTIS-DEI.

Charta fundationis Carthuſiæ Montis-Dei in diœceſi Remenſi.

UNiverſorum Domino, qui eſt ſumma Sanctitas, famulantibus & in « An. 1137.
ſacro Religionis propoſito perſeverantibus, maximè his qui abjectis «
ſæcularium negotiorum ſarcinis, jam præguſtant in tranquillitate vitæ «
quàm ſuavis eſt Dominus, nos benignos eſſe convenit, & non ſolùm eo- «
rum neceſſitatibus aliquod levamen impendere, verumetiam ſi quid eis «
devotio Fidelium contulerit, ut illæſum ad ipſorum uſus permaneat, ſolli- «
citè curare. Idcirco memoriæ cunctorum, tam præſentium, quàm futuro- «
rum fixum eſſe volumus, quòd ego Odo humilis Miniſter Eccleſiæ ſancti «
Remigij, totúmque Capitulum ejuſdem Monaſterij communicato mecum «
labore, prompta voluntate, & pia devotione præbentes aſſenſum, Cœ- «
nobium in quo uſus, & ſacras conſuetudines Carthuſianorum honeſtis mo- «
ribus Fratres teneant, & cuſtodiant, in fundo Eccleſiæ noſtræ, videlicet «
in loco qui nunc Mons-Dei nuncupatur, nam antiquitus vocabatur Mons- «
Boſonis, in honore B. Virginis, Mariæ & S. Johannis Baptiſtæ conſtru- «
ximus. Hoc totum factum eſt conſilio domini, Hugonis felicis memoriæ «
Gratianopolitani Epiſcopi, necnon aſſenſu reverendi Guidonis Carthu- «
ſienſium pauperum Prioris, qui & primos ſacræ hujus inſtitutionis magi- «
ſtros ad nos miſit, & ut locus ille Mons-Dei vocáretur, præcepit & ſtatuit. «
Venerabilis etiam Raynaldus II Remenſis Archiepiſcopus in hoc opere «
ſtrenuus cooperator exſtitit, & ejus voluntate & conſilio evocatio Carthu- «
ſienſium Fratrum facta eſt, & conſtitutio loci. «

In hoc ſiquidem Monte, Fratribus ibidem in ordine Carthuſienſi Deo «
militantibus, & ſecundùm ſacras ipſius inſtitutiones à ſanctis eorum præ- «
deceſſoribus datas, degentibus, prædictum Cœnobium, & quicquid Ec- «
cleſia noſtra in præcinctu ejuſdem Cœnobij infra ſubſcriptos terminos «
poſſidet, communi totius Capituli noſtri aſſenſu gratanter, & ab omni «
ſenſu & exactione liberum dedimus. Conceſſimus etiam & terras, quas «
ruſtici infra eoſdem terminos poſſidebunt, ſi dono, vel pretio prædicti «
Fratres acquirere poterunt, libere & abſque ullo cenſu in perpetuum «
habeant. Similiter de omnibus * Richardus Moſomenſis Abbas cum ſuis « * Qui.
Fratribus, & domnus Urſio S. Dionyſij Abbas & ejus congregatio habe- «

bant

CARTH. MONTIS-DEI. „ bant liberam donationem, & ab omni querela abſolutam prompta devo-
„ tione obtulerunt, & dederunt. Uvillelmus etiam Setona & Nicolaus &
„ Guido de Altreio quicquid ibi tenebant, & quod uſibus pauperum Chriſti
„ utile, ac neceſſarium viſum eſt, pro remedio animarum ſuarum jam dictis
„ Fratribus ſimili modo, pari liberalitate dederunt.

„ Hi ſunt autem termini quibus prædicta loca limitantur, ab oriente
„ plaga verſùs meridiem, ab alia uſque ad rivulum, qui defluit in Amo-
„ ſias, ab Amoſijs uſque ad viam regiam, à via regia ſicut tendit in Foreſt,
„ de Foreſt per verticem montis-roüel ſicut vergit uſque Chermel, de
„ Chermel uſque in Boulem rivulum, à Boulem ſicut defluit uſque in
„ Barrum fluvium. Item ab alia verſùs ſeptentrionalem plagam uſque ad
„ rivulum, qui dicitur Aſrepe, ſicut idem rivulus defluit in Barrum. Ut
„ autem hæc munificentia noſtra in perpetuum vires obtineat, & inconcuſſa
„ illibatáque in omne conſervetur tempus, & permaneat, auctoritate pri-
„ vilegij domini Innocentij Papæ II muniri fecimus. Sed & nos ſigilli
„ B. Remigij impreſſione, & honorabilium annotatione perſonarum, ac
„ teſtium roboramus & confirmamus, & quicumque hanc infringere ten-
„ taverit, anathematis ſententiâ percutimus.

„ Sig. Gofridi Catalaunenſis Epiſcopi. | Sig. Richardi Moſomenſis Abbatis.
„ Sig. Alviſi Atrebatenſis Epiſcopi. | Sig. Hellini Abbatis S. Theoderici.
„ Sig. Odonis Abbatis ſancti Remigij. | Sig. Joranni Abbatis ſancti Nicaſij.
„ Signum Ingulramni Altovillarienſis | Sig. Urſionis ſancti Dionyſij Abbatis.
„ Abbatis. | Sig. Fulconis Abbatis Sparnacenſis.
„

„ Actum Remis anno incarnati Verbi 1137. regnante Ludovico Francorum
„ Rege anno xxx. Archiepiſcopatûs domini Raynaldi anno xii. ordina-
„ tionis verò noſtræ anno xviii.

Ex his liquidò patet Carthuſiæ Montis-Dei fundationem venerabili Odoni meritò adſcribendam eſſe, eámque ſumptibus ſui Monaſterij perfectam, atque dotatam; quæ cùm verſùs Moſam, inſtar ſpiritualis ſit propugnaculi adverſùs aërias poteſtates, ac principes hujus ſæculi, æternum ſibi devinctos habebit accolas quamdiu, Deo volente, ſteterit incolumis. Exſtat Innocentij II diploma, quo prædictam fundationem confirmat, immunitatéſque impertit adinſtar majoris Carthuſiæ, datum Piſis anno, 1136. quod mirum videri poſſet, cùm charta Odonis, quæ totius rei ſeriem pandit, poſterior ſit. At certum eſt Montis-Dei exordium à data charta Odonis revocandum non eſſe, ſed ad annum 1129, quo de Carthuſia inſtituenda in diœceſi Remenſi, conſilium habuit, licèt tardiùs inſtituti ſui rationem prædictus Abbas ſcripto reliquerit; unde in ſcripto Pontificis, res à benefactoribus collatæ, non eodem ordine, nec ijſdem verbis de more referuntur, ut legenti patebit.

Innocentij II diploma, quo Carthuſienſium Montis-Dei in diœceſi Remenſi inſtitutio confirmatur.

An. 1136. „ INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilectis Fratribus in Mona-
„ ſterio S. Mariæ Montis-Dei divino famulatui mancipatis, tam præſentibus,
„ quàm futuris in perpet. Ad hoc univerſalis Eccleſiæ cura nobis à proviſore
„ omnium bonorum Deo commiſſa eſt, ut religioſas diligamus perſonas, &
„ beneplacentem Deo religionem ſtudeamus modis omnibus propagare: nec
„ enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, niſi ex radice caritatis
„ procedens, à puritate religionis fuerit conſervatus. Ideóque dilecti in
„ Domino filij veſtris juſtis deſiderijs clementer annuimus, & beatæ Dei
genitricis

genitricis Monaſterium, in quo divino vacatis ſervitio, apoſtolicæ Sedis « CARTH.
privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo mona- « MONTIS-
ſticus, qui ſecundùm normam & inſtitutionem Fratrum Carthuſienſium, « DEI.
in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis futuris temporibus ibidem «
irrefragabiliter obſervetur. Sancimus etiam, ut nulli omnino liceat Or- «
dinem Carthuſienſium, in eodem Monaſterio ſtabilitum infringere, mi- «
nuere, vel mutare, & libertatem quam Carthuſia, ſcilicet caput hujus «
Ordinis, habet, veſtrum Cœnobium nihilominus obtineat, nec alicui eam «
liceat ullatenus violare. Ut autem mente & corpore omnipotenti Deo «
ſervire liberiùs valeatis, ſimili modo decernimus vos ab omni inquietudine «
cujuſlibet rei, vel placiti quietos ac liberos remanere, nec de his, quæ «
in terris, paſcuis, ſilvis aut agricultura vobis collata ſunt, ullam vos «
injuriam, vel moleſtiam ſuſtinere. Terminos autem loci veſtri proprijs «
terminis duximus exprimendos: ab eodem ſcilicet Monte-Dei, uſque ad «
montem qui eſt juxta Setonam, verſùs orientalem plagam, ſicut dederunt «
ipſam terram Nicolaus de Burgo, & Vvillelmus; verſùs occidentem «
uſque ad aquam Bairone; à meridie uſque ad antiquum aggerem, qui «
vadit de ponte * Bairone, uſque ad Moſomenſe caſtrum; à ſeptentrione « * *Vel* Bario-
uſque ad fagos in fundo vallis ſilvæ, quæ eſt Comitis Regiteſtenſis, cujus « rone *ut eſt in*
voluntate & conceſſione hoc donum factum atque firmatum eſt. Adjicien- « *Bulla Eugenij.*
tes etiam ut nulla femina fines veſtros introeat, niſi fortè id fiat propter «
tranſitum, qui per loca veſtra viatoribus debet eſſe communis. Decerni- «
mus igitur, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Cœnobium temere «
perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel allatas retinere, minuere, «
ſeu aliquibus vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eo- «
rum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus « *In charta Eu-*
omnimodis profutura, ſalvâ nimirum diœceſani Epiſcopi debitâ juſtitiâ, « *genij habetur:*
& reverentiâ. « Salva Sedis
« apoſtolicæ au-
Si qua igitur in poſterum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ « ctoritate, &
conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſe- « diœceſani E-
cundò, tertióve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione cor- « piſcopi cano-
rexerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reúmque ſe divino « nica reve-
judicio exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat, à ſacratiſſimo corpore « rentia.
& ſanguine Dei ac Domini Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo «
examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura «
ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum «
bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ «
pacis inveniant. Amen. «

Ego Innocentius Eccleſiæ catholicæ Epiſcopus. «
Ego Guillermus Prænestinus Epiſcopus. «
Ego Theodevinus Rufinenſis Epiſcopus. «
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Ss. Sergij & Bacchi. «
Ego Guido Diaconus Cardinalis ſancti Adriani. «
Ego Chriſogonus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu. «
Ego Lucas Preſbyter Cardinalis tituli ſanctor. Johan. & Pauli. «

Datum Piſis per manum Armeraci S. R. E. Diaconi Cardinalis & « Cancellarij IX Kalend. Decemb. Indict. XIV. Incarnat. dominicæ anno « 1136. Pontificatûs verò domini Innocentij P. R. II. anno VII. «

Pontificium hoc diploma ſtudio Carthuſianorum obtentum fuiſſe veriſimile eſt, Odone interim operi perficiendo totis viribus incumbente, & licèt digniſſimus hic Abbas expenſis non pepercerit pro inſigni hoc opere complendo, Deus qui nuſquam deeſt in neceſſarijs, modum ei ſuppeditavit æquè miraculoſum ac prius, quo feliciter ad finem perductum

CARTH. MONTIS-DEI.

est. Narrat siquidem vetus Montis-Dei Chronicon tantam miraculorum vim per id tempus patratam fuisse meritis sanctissimi Confessoris Gibriani apud S. Remigium, ubi sacra ejus pignora maximâ veneratione adservantur, ut ex remotissimis locis advolarent ægroti ad ejus tumulum, sanitatem divinitus recepturi. Videns autem Abbas Deum cœptis suis favere, peregrinorum oblationes pro sublevanda Carthusianorum paupertate lubens designavit, tantáque ex tunc confluxit multitudo, ut eos ne Burgum quidem S. Remigij capere posset, & quod omnem superat admirationem: *Tamdiu*, inquit Chronicon, *patrandis miraculis apud sanctum Remigium incubuit S. Gibrianus, donec Ecclesia Montis-Dei consummaretur.*

Addit præterea Auctor Synchronus, qui miraculorum summam posteritati consignavit, unum præ ceteris adeo infrequens, & inauditum miraculum contigisse, ut vix simile in quavis cujuslibet Sancti historia queat reperiri: nam cùm magnus languentium numerus Dei misericordiam B. Gibriani meritis præstolaretur, brachium ejus separatim ante majus altare expositum, pannóque serico involutum, visum est nullo tangente sursum elevari, ac si præsentibus benedictionem impertiri vellet, eisque pro eleemosynis gratias referre.

Piorum igitur largitionibus, Odonis præsertim Abbatis S. Remigij, in altum sese erigente totius ædificij mole, nobilior pars orationi destinata feliciter tandem completa est, quam sollemni ritu consecravit Samson Remensis Archiepiscopus anno 1144, adsistentibus Goslino Suessionensi, & Milone Tarvanensi Episcopis, ut probat vetus quædam inscriptio, in sepulcri cujusdam operimento nuper reperta sub principe altari.

Eugenius III statim ac Petri solium conscendit, rogatus à Patribus Montis-Dei sequens privilegium eis indulsit, ubi benefactorum nomina referuntur, repetítque ferè ea omnia, quæ præcedenti diplomate.

Eugenij III privilegium Carthusianis Montis-Dei concessum.

An. 1145. Additur in Bulla Eugenij Et S Iohannis Bap quòd Ecclesia Montis-Dei anno præcedenti dicata fuerat B. Virgini & sancto Iohanni, à Sáfone.

» EUgenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis in Christo filijs Fratribus sanctæ Mariæ & sancti Johannis Baptistæ Montis-Dei, in Christo famulantibus, tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpet. Desiderium quod ad religionis propositum, & animarum salutem pertinere dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderijs congruum impertiri suffragium. Ea propter dilecti in Deo filij, quieti vestræ paterna sollicitudine providere volentes, præfatum B. Dei Genitricis Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut Ordo monasticus secundùm B. Benedicti Regulam, normam quoque & institutiones Fratrum Carthusiensium perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea locum ipsum, & quicquid in terris, silvis, aquis, pascuis, vel alijs ab Odone Ecclesiæ beati Remigij Abbate vestri Monasterij fundatore, Vrsione sancti Dionysij, Richardo Mosomensi Abbatibus, Nicolao de Burgo, Guillelmo de Setona, Guidone de Altreio Militibus, vel alijs Dei Fidelibus, justis modis vobis collatum est, vel inantea Deo propitio conferetur, vobis vestrísque successoribus per præsentis scripti paginam confirmamus. Terminos autem loci metis proprijs duximus exprimendos. Ab eodem scilicet Monte-Dei, &c. *Vt supra in Bulla Innocentij.*

» Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
» Ego Albericus Ostiensis Episcopus.
» Ego Oddo Diaconus Cardinalis sancti Georgij ad Velum-aureum.
» Ego Guido Cardinalis tituli sancti Grisogoni.

Ego

Digitized by Google

Ego Raynerius Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Priscæ. « CARTH.
Ego Jacinthus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin. « MONTIS-
Ego Jordinus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. « DEI.
Ego Cinthius Diaconus Cardinalis sanctorum Sergij & Bacchi. «
Ego Julius Presbyter Cardinalis tituli sancti Marcelli. «

Datum Vetrallæ per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis « & Cancellarij, XVII Kal. Janu. Indict. VIII. Incarn. dominicæ anno 1145. « Pontificatús autem D. Eugenij III Papæ anno I. «

Odone, post tot exhibita in Carthusianos caritatis officia ad superos translato, Hugo ei in abbatiali dignitate apud Remigianos subrogatur, anno 1152, quem prædictus Eugenius Papa vehementer hortatus est sequenti rescriptò, ut prædecessoris exemplo, in eosdem Patres misericordiæ viscera aperiret, quod Samsoni Archiepiscopo, & Episcopo Trecensi in hunc finem se transmisisse asserit.

Eugenij Papæ rescriptum ad Hugonem Abbatem S. Remigij, ut Carthusianorum Montis-Dei necessitatibus subveniat.

EUgenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filijs Hugoni Ab- « bati & Monachis sancti Remigij Remensis salutem, & apostolicam « benedictionem. Venerandæ memoriæ Abbas vester religiosos Fratres « Montis-Dei quanta caritate dilexerit, & erga eos pietatis opera curaverit « exercere, nec à vestra credimus memoria excidisse, nec nobis etiam ex- « stat incognitum. Unde sicut tanti viri Filij estis in nomine, affectu quo- « que probari vultis & opere, bonis moribus, & conversationi ejus dili- « gentiùs adhærere, atque huic præcipuè tam sancto, & laudabili operi « toto studio caritatis insistite Dilectionem itáque vestram rogamus at- « tentiùs, & parentis affectu monemus, quatenus prædictos Filios vestros « pro illius amore, *Qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum*, « *1. Pet. 2. 9.* pro beati Petri & nostra reverentia, toto pectore diligatis. Et quoniam « quantò vitam magis arduam elegerunt, tantò minus sæcularibus negotijs « implicantur, & necessitatibus plurimis sunt expositi, taliter subventioni « eorum, aut sustentationi intendite, taliter eis viscera misericordiæ aperite, « taliter eis optata caritatis solatia ministrate; ut & nos dilectionem vestram « commendare de piarum rerum imminentia debeamus, & omnibus, quod « cognoverint, quanta in pectoribus vestris caritas radiet, argumentum « vivacis experientiæ præbeatis. De cetero vobis Filij quoad vitæ patriam « sub Prælati custodiam festinatis, per apostolica scripta mandamus, qua- « tenus supradicto filio nostro Hugoni, quem vobis hoc tempore Abbatem « voluit divina clementia ordinari, sicut Patri & animarum vestrarum Re- « ctori, honorem & reverentiam humiliter impendatis, ac salubribus mo- « nitis, & præceptionibus ejus propositæ obedientiæ colla subdatis; & ut « ipse per suam sollicitudinem, susceptum officium utiliter valeat, Domino « donante tractare, & vos per obedientiæ vestræ sollicitudinem cum eodem « possitis ad gaudia cœlestia Regni pertingere. Ut autem meliùs valeatis « his, quæ vobis agenda fuerint, imminere, venerabilibus Fratribus nostris « Samsoni Remensi Archiepiscopo, & Trecensi Episcopo scripta nostra « pro vestra subventione transmisimus, & de cetero utilitatibus vestris, Do- « mino auctore, curabimus attento studio providere. «

Datum Signiæ XII Calend. Februarij. «

Hugo ab Eugenio paternè monitus, haud segniter se habuit erga Carthusianos Montis-Dei, nihilque eorum omisit, quæ à se, Mona-

CARTHUSIA MONTIS-DEI.

ſterióque ſuo pendere videbantur ; donec prædictorum Patrum ædificia , adnitentibus miraculis in tumulo S. Gibriani , penitus abſoluta ſint , cui ut grates redderentur , Samſon Archiepiſcopus paullo poſt ſacras ejus Reliquias è feretro , quod ſterilitatis tempore , ad ſublevandam pauperum egeſtatem , laminis argenteis denudatum fuerat , in decentius Fidelium eleemoſynis exornatum tranſtulit , ut poſtea dicemus.

Ceterùm venerabiles Carthuſiani Montis-Dei , ſui amoris & obſequij teſſeram erga B. Gibrianum teſtaturi ob erogatam in eos caritatem , ſingulis annis feſtum ejus ſollemniter apud eos celebrandum decreverunt , beatúmque Remigium in patronum tutelarem aſſumendum , obſídque non ita pridem ſuæ gratitudinis pignus renovârunt conſtructione inſignis cujuſdam ſacelli , qua auctum eſt & exornatum recens Monaſterium , vigétque plurimùm apud eos recordatio eorum omnium , qui ſe munificos olim præbuêre erga Cœnobium de Monte-Dei , ſollertérque dant operam , ut Anniverſaria eorum celebrentur eo ordine , quo in Eccleſiæ ſuæ Necrologio deſcripta ſunt.

Præter hæc habet , ut par eſt , eadem domus Carthophilacium bullis ſummorum Pontificum non mediocriter ditatum , & refertum , quibus eorum privilegia , & immunitates continentur ; inter quas eminent præſertim Eugenij III. Gregorij IX. & X. Nicolai IV. Innocentij IV. Alexandri IV. Honorij , Clementis , Johannis XXI. & XXII. diplomata. Viſuntur etiam in eo donationes factæ per Raynaldum II. Samſonem & Uvillelmum Cardinalem Remenſes Archiepiſcopos , per Abbates quoque S. Nicaſij , Moſomenſis & S. Dionyſij , qui ad conſtructionem , dotationémque Montis-Dei nonnihil contulerunt , ut & Comites Regiteſtenſes Manaſſes & Balduinus , à quibus Carthuſiani habent partem cujuſdam ſilvæ , quæ porrigitur uſque ad pontem de Mairen. Omitto Regum præcepta , ſeu patentes Litteras ut vocant , quibus Mons-Dei ſpeciali privilegio à decimis , aliíſque ſubventionibus pro Regni negotijs per Eccleſiaſticos ſolvi ſolitis eximitur , cui non ita pridem Clerus Remenſis in gratiam ſanctiſſimi Brunonis Patriarchæ , quondam prædictæ Eccleſiæ alumni , lubèns & gratanter conſenſit.

De Eccleſiæ Montis-Dei renovatione , primíſque ejuſdem Rectoribus & alumnis , & quo in pretio habeatur ob jugem in eo diſciplinæ perſeverantiam.

CAPUT XLIII.

MONTE-DEI Fidelium eleemoſynis diteſcente , Eccleſia ab Odone S. Remigij Abbate conſtructa paullo anguſtior viſa eſt pro amplitudine Monaſterij , ſubiítque animum venerabilis Patris Nicolai de Arziliers Prioris ampliorem procurandi , ad quod vicinorum non modò largitionibus adjutus eſt ; ſed & Johannis de Clinchamp Abbatis ſancti Remigij & Monachorum ejus : qui ut nomen , gloriámque fundatorum hujus domus æternùm ſibi conſervarent , huic ſecundo operi ſumptus generoſè ſupeditârunt , peregrinorum oblationibus in id , ut prius , prædeceſſorum exemplo deſtinatis , qui iteratis Deo volente ad tumulum S. Gibriani miraculis , ex tota Gallia confluebant. Eccleſiam hanc recenter exſtructam conſecravit dominus Petrus Barbet Remenſis

Alij dicunt : Eccleſiam à Samſone Archiep. conſecratam omnibus numeris abſolutã non fuiſſe , ſed ſub Rrieve N. de Arziliers navim & altaria inchoata , eámque tantum conſecráſſe Petrum Barbeſium an. 1291.

Remenſis Archiepiſcopus in honorem Dei, ſanctæ Virginis Mariæ, ſancti Johannis Baptiſtæ, ſancti Remigij præcipui ac ſpecialis patroni, omniúmque Sanctorum Nonis Februarij 1290, & hæc eadem eſt, quæ etiamnum ſtat, non ignobili Reliquiarum theſauro nobilitata, quarum indicem poſtea referemus. CARTH. MONTIS-DEI.

Videbantur quoque inter præclara Monaſterij ædificia, quibus mirum in modum ſplendet, beatiſſimi Bernardi cella & ſacellum, ubi animo à curis ſæculi, laboribúſque pro Eccleſia ſuſceptis avocato, meditationi abſque ulla inquietudine defixus, inſignem tractatum, *de Vita ſolitaria*, elucubratum, ut fert traditio, varijs ſparſum elogijs in pignus, ac veluti hoſpitalitatis mnemoſynon, venerabilibus Patribus dedicavit. Cella exſtat adhuc, at ſacellum in favillas & cineres redactum eſt, ultimis heterodoxorum tumultibus, cùm Fidei quidam deſertores è Sedano Carthuſiam anno 1563 hoſtiliter invaſiſſent.

Huius invaſionis & incendij meminit Hub. Mauritan. de Sacrificio Miſſ.

Quod ſpectat ad digniſſimos Rectores, qui ſacræ huic ſolitudini præfuerunt, quos ad ſeptuagintaduos jam exſtitiſſe fertur, quamvis hîc nominatim & ad unum recenſere difficile ſit, aliquos tamen attingam, ne omnes omnino prætermiſiſſe videar.

Primus omnium electus eſt Godefridus, vir doctrinæ ac pietatis commendatione clarus, ac unus, ſi tabulæ fundationi credatur, ex diſcipulis ſancti Patriarchæ Brunonis. *Primus*, inquit Odo Abbas, *ſacræ hujus inſtitutionis magiſtros ad nos miſit.* Eo obeunte.

Simon ei ſuffectus eſt, cujus meminit Petrus Cellenſis, claruítque an. 1161. Johannes Sareſberyenſis lib. IV Collec. Hiſt. S. Thomæ Cantuarienſis multis eum laudibus effert, aítque delegatum ab Alexandro III. cum Bernardo Grandimontenſi ad Anglorum Regem, ut beatum Thomam in ſuam gratiam reciperet. De eo idem ſummus Pontifex magnificè ſic loquitur. *Prior de Monte-Dei de Ordine Carthuſienſi & litteratus eſt, & honeſtate ac religione prædicatur inſignis.*

Engelbertus tertius ordine ſubſcripſiſſe legitur in tabulario Montis Dei cum Rodulfo Priore Vallis-ſancti-Petri anno 1197.

Omitto ceteros, quorum virtus ſatis nota eſt ex perfecto regimine, quod cùm fixum invariatúmque ſit, primævum pariter diſciplinæ florem integrum ac illibatum poſt tot ſæcula, ad nos uſque conſervavit.

Habent prædictæ domûs MSS. Abbatem S. Nicaſij Jorannum nomine primum exſtitiſſe, qui ſub initium fundationis, huic normæ vivendi ſe mancipavit, qui cùm cellulam (S. Bernardi forſan exemplo) in clauſtro erigi curâſſet, depoſitâ abbatialis dignitatis ſarcinâ, ſuſceptóque Carthuſianorum habitu, reliquum vitæ in ea tranſigere ſtatuerat. Et defacto inter Patres per aliquod tempus tantâ effulſit ſanctimoniâ & dexteritate, ut dilatando Ordini haud ſegniter incumbens, erectionem Vallis-ſancti-Petri in Teraſchia procurârit anno 1145, donec virtutis ejus fama pecrebreſcente, Eugenius III. qui eum noverat, accitum è Clauſtro cardinalitiâ purpurâ inſignivit ſub titulo ſanctæ Suzannæ anno 1153. Legatúmque à Latere creatum in Germaniam ablegavit ad Conradum Regem eodem anno: ubi cum diu manſiſſet, ad Montem Dei rediens ſuperveniente vocationis tempore migravit à ſæculo XXV. Septemb. anno 1155. Hunc alij pariter ſecuti ſunt viri inſignes provinciæ ac diœceſis Remenſis, qui odore ſanctitatis auſterioríſque vitæ ſtudio pellecti, relictis ſuis Monaſterijs, alioqui optimè conſtitutis, ac flore diſciplinæ vigentibus, novæ huic militiæ nomen dederunt. Optarem hîc omnium indicem texere, at cùm

Fortè Iovannus hic Vel Iordinus, ſic enim ſcribitur in Bulla Eugenij, non Abbas ſed Religioſus fuit tantùm S. Nicaſij.

Recenſet Cardinales & Epiſcopos ex hac Carthuſia aſſumptos, doctrina quoque ac ſanctitate præſtantes viros, qui in ea claruerunt, inter quos teſſerandum nominat, qui damonem de Vauvert fugavit. Et Bernardum Caraſſum tanta caritate in pauperes ut Campania fame laborante ingentem multitudinem per ſex menſes alimeris victûs ei neceſſaria ſubminiſtrando.

CARTH. MONTIS-DEI.

cùm liber exſtet in folio nuper à R. P. D. . . . . in lucem editus, ubi eorum geſta diſtinctè, accuratéque referuntur, ſuperſeden dum duxi, ne folia, ut dicitur, in ſilvam mitterem.

Quod attinet ad eminentis ſcientiæ viros, qui inter delitias computabant cum terreſtribus his Angelis converſari, mirum eſt quid de eorum vita ſenſerint; nam præter S. Bernardum, qui relicta Claravalle illuc ſæpius properabat, Bernardus alter, ex Abbate Prænestinus Epiſcopus vitæ, mortiſque ornamentis clariſſimus, Montis-Dei latebras Romanis delitijs, & cardinalitijs, quæ delatæ fuerant, inſulis, anteponebat. Petrus S. Remigij Abbas, vulgo Cellenſis dictus, poſt delibatam ſemel congreſſûs, conſuetudiniſque dulcedinem, nihil habuit antiquius, quàm ut ad eos identidem, quod ejus epiſtolæ teſtantur, aut reipſa cum poſſet, aut votis certè, ſi re non liceret, animo & cogitatione recurreret. Mitto hîc quæ facundiſſimus Præſul de Montis-Dei felicitate diſſerit, ceteriſque ejusdem ac ſequioris ævi auctores, qui mirari ſatis non poſſunt, quomodo Carthuſia hæc in finibus Campaniæ ſita, quæ bellorum externorum ac civilium commune eſt receptaculum, ſtare potuerit, ceteris Ordinibus è ſuo ſtatu, & ſplendore cadentibus. Theologus quidam perpendens animo, qui fieri poſſit, ut ſic perſiſtat, cenſet abſtinentiam eorum ab omni oſtentatione doctrinæ apud homines, multùm ad hoc contuliſſe, contemptum veriùs dixerim ſcientiarum, quo libidinem, ac quodlibet ſciendi pruritum in ſeipſis exſtingunt; quamvis apud eos nuſquam viri docti defuerint, & inſtructiſſimæ bibliothecæ, qualis olim fuit apud Montem-Dei ingenti manuſcriptorum numero referta, quibus deſcribendis incubuerant primi ejuſdem loci accolæ, ji præſertim, qui cùm haud vulgari doctrina in ſæculo claruiſſent, ſpretis omnibus, in eum tamquam in tutiſſimum ſalutis portum, ſe receperunt, at ipſa voracibus flammis hoc caſu poſtmodum interijt. Cùm enim Johanni de Virduno Priori ejuſdem domus in cella ægrotanti lumen pro matutinis horis perſolvendis de more allatum eſſet, eo ſopore depreſſo, ſcintilla cecidit, quâ accenſo igne, cella non modò Prioris, ſed & contigua ædificia conflagrârunt: at cùm hoc incendio chartæ, libri, réſque aliæ in rogos evaſiſſent, prædicti tamen viri corpus & veſtimenta, Deo permittente, ut ejus ſanctitas & innocentia palam innoteſceret, illæſa inter prunas ardentes reperta ſunt. Unde charta Capituli generalis de eo verba faciens hoc habet: *Iohannes de Virduno miraculosè obijt.*

Cùm in omnimoda paupertate ſe deprimant, ditiſſimam tamẽ bibliothecã coaggerant. *Guibertus Abbas, de Carthuſianis lib. 1 de vita ſua cap. 10.*

Præſtantiores gazæ quibus Carthuſia Montis-Dei nobilitatur.

CArthuſia Montis-Dei præter ſacram ſupellectilem, qua imprimis ditata eſt, poſſidet ſat magnam Reliquiarum quantitatem, ex quibus licèt nonnullæ partes Sanctorum haud ſint admodum notabiles, ſunt tamen omnes extra ſuſpicionem, ut ex litteris teſtimonialibus infra patebit. Referam eas eo ordine, quo exſtant in catalogo, qui ſingulis annis legitur in octava omnium Sanctorum, die ſollemni harum commemorationi à veteribus conſecrato.

» Crucis ſalutiferæ nobile ſegmentum.
» De ſudario Domini.
» De ſpinea corona.
» De linteo quo fuit præcinctus in Cœna, cùm Apoſtolorum pedes » ablueret, mox ſacro-ſanctum corporis ſui ſacramentum in ſui me» moriam ſuffecturus.
» De veſtimentis ejus.

De

De lancea quæ latus ejus aperuit. «CARTH.
De ſpongia qua Salvator noſter duos inter latrones à perfidiſſimis Ju- «MONTIS-
dæis in cruce ſublatus, felle & aceto in ſiti potatus eſt. «DEI.
De menſa, ſupra quam Chriſtus in Cœna cum Apoſtolis comedit. «
De columna, in qua Chriſtus alligatus pluſquam quinque millia «
virgarum ictus, noſtris pro ſceleribus expiandis, patientiſſimè ſuſcepit. «

De veſtimentis. }
De camiſia. } Beatæ Mariæ Virginis. «
De capillis. }

De oſſibus. {
Sancti Petri Apoſtoli. «
Sancti Bartholomæi. «
Sanctorum Innocentium. «
Sancti Mauritij. «
Sancti Nicaſij Remenſis Archiepiſcopi. «
Item ſanctorum Chriſanthi & Dariæ. «
Sancti Medardi Epiſcopi Noviomenſis. «
Sancti Marculfi Abbatis. «

Dens Sancti Pauli Apoſtoli. «
Unum os ex cruribus ſanctorum Militum Thæbeorum. «
Vertebra ſancti Aigulfi Abbatis Lirinenſis. «
Unum os ex oſſibus humeri ſancti Gangulfi Varenenſis. «
Mandibula inferior ſancti Luperci Abbatis Gabalitani. «
De pulvere corporis ſancti Alberti Epiſcopi Leodienſis & Martyris. «
De brachio ſancti Leodegarij Epiſcopi Auguſtodunenſis. «
De capite ſancti Gereonis. «
De coſta ſancti Servatij Epiſcopi Tungrenſis. «
Duo oſſa integra tibiæ & brachij ſancti Teodulphi Archiepiſcopi & « *Hieroga zophilaco Belgico fol. 318 obiit Theod. anno 730.*
Abbatis Lobienſis. Vocatur is Archiepiſcopus Remenſis à Rayſſio, non «
quòd Eccleſiam gubernârit, ſed quòd hoc titulo uſus fuerit ad infide- «
lium converſionem. «
De pulvere corporis ſancti Germani Epiſcopi Antiſſiodorenſis. «
De digito ſancti Martini Epiſcopi Turonenſis. «
Dens cum oſſibus nonnullis ſancti Beati Preſbyteri Confluentini. «
Articulus unius pollicis ſancti Gibriani Eremitæ. «
Unum os ſancti Benedicti Abbatis Caſſinenſis. «
Os pollicis ſanctæ Bovæ Virginis & Abbatiſſæ Remenſis. «
Media pars digiti ſanctæ Dodæ Virginis & Abbatiſſæ Remenſis. «
Dens, & quædam oſſa ſanctæ Agathæ Virginis & Martyris. «
Dens ſanctæ Urſulæ. «
Tria capita, & oſſa plurima undecim millium Virginum, quæ pro chri- «
ſtiana religione & virginitatis conſtantia apud Coloniam Agrippinam «
ab Hunnis interfectæ, martyrio vitam finierunt. «
Quatuor oſſa inſigniora ſanctæ Elizabeth Andreæ Regis Hungariæ filiæ. «
De oſſibus ſanctæ Amalbergæ viduæ. «
De capillis & oſſibus ſanctæ Mariæ Magdalenæ. «

Prædictæ Sanctorum exuviæ in capſis ligneis ſerico pigmentato exornatis, roſeiſque argenteis, lapillis, ſeu variorum colorum criſtallis eleganter hinc inde diſcriminatis adſervantur; harum major pars R. P. Engilberto Priori ejuſdem domus, poſtmodum verò Cabilonenſi Epiſcopo data eſt, cùm ſummi Pontificis auctoritate, eo quòd Uvillelmus Remenſis Archiepiſcopus propter Regni Francici præfecturam in abſentia Regis ipſi delegatam, intereſſe non poterat ad conſecrandum Archiepiſcopum Trevirenſem

gratitudinis monimentum R R. Patribus erogavit. Viſebatur etiam prædicti ſancti Bernardi ſacellum, & cella; at illud ab hæreticis funditus everſum eſt, ut dixi, cum ingenti mærore totius Monaſterij: cellam verò, quæ adhuc ſtat, ob tanti Præſulis ſanctitatem non Aſcetæ modò, ſed & hoſpites ab his incredibili & aſſueta caritate ſuſcepti, quoddam velut ſacrarium venerantur. CARTHUSIA MONTIS DEI.

Quis ſit auctor Libelli ſeu Epiſtolæ, de vita ſolitaria ad Fratres de Monte-Dei.

EPiſtolæ cui titulus eſt, ***De vita ſolitaria ad Fratres de Monte-Dei,*** quis germanus ſit auctor, diſcrepans eſt ſententia, quidam ſanctiſſimo eam Bernardo adſcribunt, nituntúrque traditione poſteritati conſignata, quam ſequentes verſus veteri ſaxo inciſi Eccleſiam ingredientium oculis palam exhibent.

Montis prima Dei CLàM fundamenta revelat, *Id eſt. Anno MCL.*
Bis ſeptem demas, ſi tamen inde prius.
Hanc tibi, Chriſte, domum ſancti venerabilis Abbas,
Remigij exſtruxit, nomine dictus Odo.
Quam faciunt celebrem Bernardi cella, ſacellum,
Et Zona, & caſula, & Littera miſſa ſimul.

Lapis iſte proſtat adhuc veſtibulo Eccleſiæ, non fictus de novo, ut periti norunt, ſed veteri fabricæ ſeſe in altum erigenti ab architectis primò, ut creditur, tum demum recentiori, quæ ante trecentos & aliquot annos reſtructa eſt, poſitus. Unde concludi poteſt, ſenioribus ejuſdem loci pridem perſuaſum fuiſſe, prædictam Epiſtolam partum eſſe genuinum melliflui Doctoris, quæ ob id forſan, cum alijs ejuſdem operibus prælo mandatur. Traditioni huic in Chronico Carthuſienſium adſtipulatur R. P. Kalcar Ordinis Viſitator, haud vulgaris doctrinæ, hic autem vixit an. circiter 1300.

Alij ex ſtilo, quo ingenij fetus ut plurimum dignoſcuntur, Vuillelmi Abbatis Sancti-Theoderici prope Remos eſſe autumant, tum quòd in M. S. codice Signiacenſi tractatus ille, ***De vita ſolitaria,*** reperiatur cum præfatione prolixiori & paullulum diſtincta ab ea, quæ eſt apud S. Bernardum, tum denique quòd Vvillelmus eadem præfatione, qua ſuas lucubrationes Patribus de Monte-Dei nuncupat, meminit prædictæ Epiſtolæ, ***De vita ſolitaria,*** ex quo evidens deduci poteſt argumentum hujus pariter auctorem exſtitiſſe.

Hæc quidem maximi momenti eſſent ad convincendum, ſi manuſcripti fides aliunde non vacillaret; at cùm ſermo integer in eodem reperiatur S. Anſelmi, & in eadem pagina ubi deſinit, incipiat tractatus, ***De vita ſolitaria,*** manifeſtè ſequitur Uvillelmum Exſcriptorem dumtaxat fuiſſe, ut revera fuit ſermonis ſancti Anſelmi.

Ob id non deſunt, qui aſſerant Vuillelmum non Exſcriptorem modò prædicti tractatus, ſed & Interpretem fuiſſe, quem B. Bernardus pro neophitis ad perfectionem promovendis, vernaculè conſcripſerat. Horum opinio quæ tertia dici poteſt, exemplaribus quibuſdam Gallicis comprobatur, quæ adhuc exſtant in diverſi Ordinis Monaſterijs, maximè verò apud S. Paulum Virduni, è cujus bibliotheca R. P. Dinteville Vicarius generalis, & avitæ Religionis Præmonſtratenſium eximius aperrator deſumpſit illud

Digitized by Google

CARTH. MONTIS-DEI.

exemplar, quod ad RR. PP. de Monte-Dei nuper tranſmiſit, vetuſtate penitus annoſum, ut caracteres indicant, & ob idiomata dudum obſoleta intellectu dificile. Hinc fit ut liber ille, ex E. Cardin. Bellarmino, ſpiritum non ſtilum Bernardi habeat, cùm ab alio ex patria lingua in latinam converſus ſit, & hæc mens eſſe videtur eruditorum quorumdam virorum, qui verſioni ſedulò incumbunt in Portu-Regali, nam prima parte in Gallicum tranſlata, ſecundam primo aſpectu, ut ſunt in judicando ſagaces, rejecerunt, veluti alienum fetum à ſancto Bernardo, putántque eſſe Petri, Cellenſis vulgo ſic nuncupati.

Quicquid ſit de hac ultima opinione, quæ conjecturis ſat eruditis nititur, ſi Ciſtercienſi coœtaneo credendum, qui venerabilis Uvillelmi Abbatis vitam ſcripſit, alius Auctor prædictæ Epiſtolæ non eſt, quam idem Uvillelmus; nec enim dubitâſſet B. Bernardo ſibi familiari illam aſcribere, ſi revera ad eum pertinuiſſet. Verba ejus clara ſunt, nec poſſunt alio detorqueri: *Libellumque unum direxit*, Uvillelmus ſcilicet, *Fratribus Chartuſiæ habitantibus in Monte-Dei, qui licet eis loquatur ſpecialiter cunctis tamen eſt commodus in Religione perfici cupientibus.* Et hæc eadem eſt mens R. domni Tiſſier Ciſtercienſis familiæ ac Boni-fontis Prioris, viri eruditiſſimi, qui propediem opera Uvillelmi prælo mandabit, prædictúmque libellum, qui dubio procul pietatem redolet, dignúſque eſt, ut ab eremi incolis, imo & à pijs omnibus legatur. Et hæc de Montis-Dei Cœnobio breviter dicta ſint, nun hiſtoriæ filum proſequamur.

Ex vita manuſcripta Guillelmi Abbatis à ciſtercienſi coætaneo in bibliotheca S. Theoderici prope Remos.

Raynaldus malè audit apud ſchiſmaticos, pergit ad Concilium Piſanum, redeundo incarceratur, vitæ finem imponit.

CAPUT XLIV.

RAYNALDUS. XLVIII. ARCHIEP. *An.* 1134.

POST Remenſe Concilium, Innocentius luſtrata Laudunenſi diœceſi Noviomenſibúſque, ut fertur, prodigioſo incendio punitis, quòd eum verbis deriſorijs excepiſſent, terreſtri itinere Italiam repetit, cis Alpes necdum ſopito ſchiſmate. Raynaldus qui Pontificis familiari colloquio potitus fuerat dum Remis ageret, unus ex Epiſcopis Gallicanis fuit, qui tenaciùs ei adhæſit adverſùs Pſeudo-pontificem: quin & auctoritate qua pollebat in provincia, eorum labores juvit quàm maximè, qui verbo & ſcripto nefandi hujus monſtri proſcinderent intruſionem: unde ſchiſmaticorum iras non modò in ſe concitavit, ſed & ab Anacleto malè habitus, ſpurciſſimas ejus calumnias ſenſit quadam epiſtola ubi ſic loquitur: *Quòd idiota Remenſis, truncus inutilis in te & in Eccleſiam tuam nequiter & impudenter egiſſe dignoſcitur, nequaquam te maror aliquis ſeu dolor afficiat, præſertim cùm in nos, & in Romanam Eccleſiam, cui ſe juramento aſtrinxit, quaſi ebrius & vino æſtuans, hiſtrionum more, multa inſolenter vomuerit, ponens quidem in calum os ſuum, ut lingua ejus tranſeat ſuper terram. Tamquam alter Dioſcorus Sedem niſus eſt apoſtolicam, judicare &c.*

Exſtat apud Baronium ad anno 1131

Ex his alijſque adducor, ut credam, Epiſcopum ad quem prædictus ſcribit Anacletus, ex Suffraganeis fuiſſe provinciæ Remenſis, qui cùm partes ejus pertinaciter foveret, à Metropolitano correptus fuerat, eo vel maximè, quòd ſub finem epiſtolæ hortetur eum ad patientiam, moneátque ne minis Archiepiſcopi terreatur. Quidquid ſit dubitari non poteſt, quin Pſeudopontificis calumniæ, quibuſvis floribus Raynaldo gratiores fuerint, laudémque ejus prædicent, fidem, & odium in ſchiſmaticos & S. R. E. perduelles.

Ceterùm

Digitized by Google

Ceterùm Innocentius aggregatis totius Occidentis Episcopis, inter quos Raynaldus noster cum Suffraganeis suis, multísque Abbatibus integræ Fidei, & propensionis erga sanctissimam Sedem, magnæ gloriæ Synodum Pisis celebravit, cujus actionum summa in excommunicatione Petri Leonis Antipapæ, & irregressibili fautorum ejus dejectione constitit. Reperitur quoque relatum fuisse ibidem in Sanctorum numerum, sanctitate insignem ac post mortem miraculis clarissimum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, cujus hortatu Carthusia Montis-Dei in diœcesi Remensi condita fuit, datúmque in mandatis Guidoni Priori Carthusiensi, ut ejus vitam describeret, quod ipse diligentissimè præstitit. RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. An. 1134.

Porro cùm infestaretur tunc temporis Italia Conradi tyrannide, quem hactenus Mediolanenses confœderatum habuerant adversùs Lotharium Imperatorem, & qui ei favebant, ita undique grassarentur, ut viæ publicæ ejusmodi non militibus, sed prædonibus obsiderentur, accidit illud admodum lugubre, ut ijdem in insidijs latitantes apud Lunam civitatem Tusciæ, Gallicanos Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, qui magno numero ad Concilium Pisànum advenerant, in reditu aggressi, eosdem immensa rabie distraxerint, vulnerârint, & rebus omnibus exspoliârint, quem planè tragicum casum unus ex ipsis Petrus Cluniacensis Abbas, omnium nomine è carcere per epistolam significavit Innocentio Pontifici, rogans ut his ipsorum malis mederetur, his verbis. *Videsis Spond. ad an. 1134.*

Petrum Venerab. epist. 27. lib. 1.

Dies tribulationis & angustiæ, dies hæc, quia secundùm Prophetam, *Venerunt filij usque ad partum, & virtus non est pariendi, venerunt nuncij Sennacherib blasphemantes Deum Cæli. Irruit Nabuchodonozor & captivavit populum Dei* ..... Lamentabilem historiam cogor retexere, quam præcordiorum dolore interrumpere, lacrimis, velim, nolim, interfluentibus, vix (ut arbitror) potero explicare. Sed quia proh dolor! hoc à Martyrum temporibus jam inauditum scelus me vidisse contigit, silere cùm maluissem, loqui invitum oportuit. Regressi ab uberibus vocantis Ecclesiæ, à Concilio pietatis vestræ, ut grex dominicus simpliciter ambulans, luporum morsus incurrimus, & nostris sæculis insolita rabie dispersi, captiuati, vulnerati, & rebus omnibus pæne exspoliati sumus. Aderat in comitatu nostro non ignobilis, neque ultima pars Ecclesiæ Dei, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, legio Monachorum, non parvus numerus Archidiaconorum, nobilium Clericorum & religiosarum personarum populus. Horribile spectaculum, tantas, támque necessarias Ecclesiæ personas videre distrahi, dissipari, vulnerari, atque gladijs insequentibus, ubi ubi, per diversa fugari. Episcoporum atque Abbatum plurimi ad proxima castra violenter abduci, & quidam eorum post verbera & vulnera, barbarica immanitate incarcerati sunt. Inter quos dominus Remensis, cui nec ætas, nec dignitas adesse potuerunt, post multas injurias & vulnera turri conclusus tenetur. Dominus Petragoricensis similia expertus est. Sed quid ego de singulis, quasi solis loquor? &c. *4. Reg. 19. 3. 4.*

Ubi cum Bituricensi, Senonensi, Trecensi & Atrebatensi Episcopis, Abbatem quoque S. Remigij interfuisse memorat, cui Alexander Leodiensis Episcopus ad generale Concilium Pisis coactum proficiscenti concesserat, ut decedentibus Clericis apud Marsnam, Religiosi Benedictini substituerentur, anno scilicet 1134.

Quomodo verò tot Præsules, Remensis præsertim Archiepiscopus, libertatem sortiti fuerint, nobis est incompertum. Ex historia tamen Noviomensi discimus primariam Ursicampi Monasterij Ecclesiam dedicatam fuisse à Raynaldo Remensi, septem Episcopis assistentibus an. 1134. at dies & mensis desiderantur, unde aliquid deduci posset.

RAYNALDUS II. XLVIII. ARCHIEP. An. 1135.

Quod ſpectat ad B. Bernardum, licèt cùm alijs ex Gallia ad Concilium veniſſet, opportuna occaſio interceſſit, ut mitteretur cum alijs Legatis à latere, ad Mediolanenſes, à quibus expetitus fuerat, ut ejus operâ illa civitas, jam abdicato ſchiſmate, reconciliaretur Eccleſiæ Romanæ, & reciperet Lotharium Imperatorem, quod à Legatis eſt feliciter impletum, & præcipuè verbis & miraculis ejuſdem ſancti Bernardi.

Raynaldus Remos reverſus anno 1135. rogatus à Joranno ſancti Nicaſij Abbate, ut pro more rata habere velit quædam ab eo empta, vel dono conceſſa pro ſuſtentatione Fratrum ſui Monaſterij, quod cum lubens annuerit, chartáque ejus nomina contineat quorumdam Nobilium diœceſis Remenſis, unde non nihil lucis deduci poteſt ad elucidandam eorum genealogiam, hùc eam tranſcribere non inutile aut ſupervacaneum eſſe putavi.

Charta Raynaldi Remorum Archiepiſcopi.

An. 1135.

„IN nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Raynaldus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus univerſis ſanctæ Eccleſiæ Filijs. In perpetuum „devotioni Fidelium conſentire &c. Proinde quaſdam res, quas venerabilis „Frater noſter Jorannus Abbas B. Nicaſij, vir pro ſanctitatis merito omnibus bonis imitabilis, ſuo Monaſterio ad ſuſtentationem Fratrum Deo „ibidem famulantium, partim emptione, partim dono adquiſivit, nos præſentis decreti paginâ eidem Monaſterio confirmamus. Videlicet mediam „partem totius poteſtatis in alodio ſancti Leodegarij, cum banno & juſtitia „& paſcuis & curſu aquæ & piſcatura & ceteris omnibus reditibus, quæ *Cathalaunenſis monetæ.* „omnia prædictus Abbas à Roberto Anguilello pro triginta libris Cathalaunenſis monetæ emit &c. Berta itaque Comitiſſa & Godefridus filius „ejus & Elizabeth uxor Clarembaldi alodium de * Domno-Trojano, ** Dontrian.* „cum ſervis & ancillis ad idem alodium pertinentibus, cum banno, & juſtitia, „cum curſu aquæ, & molendino, & piſcatura pro remedio animarum ſuarum „& parentum ſuorum beato Nicaſio libere conceſſerunt... Poſtmodum „verò Comes Henricus hanc donationem Eccleſiæ confirmavit. Godefridus „Comes Namurcenſis & Elizabeth filia ejus, & Bertha, & Godefridus filius „ejus villam Femicurt cum banno, & juſtitia, & pratis ..... Manſum etiam „Fulcaudi, & manſum Roberti de Corbineio in territorio de Guns prædictæ Eccleſiæ in eleemoſynam dederunt. Hugo Comes de Regiteſte „totam villam de Singlei, cum ſervis & ancillis, cum banno & juſtitia, & „dominatione quæ ibi habebat, B. Nicaſio pro remedio animæ ſuæ contulit, quam poſtmodum à Guitero Comite in vadimonio poſitam domnus „Abbas Jorannus à Johanne de Altomonte, datis novem libris, redemit. „Palatium de Munci cum appenditijs ſuis Godefridus Comes Namurcenſis „& uxor ſua, annuente Guitero Comite & uxore ejus, prædicto loco in „eleemoſynam contulerunt. Eremburgis mater domni Joffridi Catalaunenſis „Epiſcopi dimidiam partem molendini de Copællo, & de alodio ibidem pertinente prædictis Fratribus contradidit. Gilbertus de Turro, Hugo de „Uvanium, Godrannus de Tranloio pro animabus ſuis alodium, quod dicitur Hugonis-de-Cureio, B. Nicaſio donaverunt, pro qua tamen donatione Hugo & Godrannus quinquaginta ſolidos de manu Abbatis acceperunt, & filij Hugonis abjuraverunt. Item alodium Hugonis de Cyris „cum campis & pratis ..... Radulfus de Turro præfato Martyri in „eleemoſynam tradidit Eccleſiam de Roverio, quam Raynaldus de Burgo „in manus noſtras reddidit, nos eidem Eccleſiæ præſenti decreto confirmamus. Hæc in perpetuum ut ratâ permaneant, ſigilli noſtri auctoritate, & probabilium perſonarum affixione firmamus.

Signum

Digitized by Google

Signum Odonis Abbatis S. Remigij.
Signum Ingelramni Abbatis ſancti Petri Altivillarienſis.
Sig. Hellini Abbatis S. Theoderici.
Signum Albrici Abbatis S. Baſoli.
Signum Urſionis Abbatis S. Dionyſij.
Signum Albrici, Signum Hugonis Archidiacon.
Signum Leonis Decani.
Signum Gervaſij Cantoris.
Signum Henrici, Signum Gregorij Preſbyterorum.

Actum Remis anno Incarnationis 1135. Indictione XIII. regnante Ludovico Francorum Rege an. XXVII. Archiepiſcopatûs autem D. Raynaldi anno XI.

Drogo Cancellarius recognovit, ſcripſit, & ſubſcripſit.

" RAYNALDUS II. XLVIII ARCHIEP. An. 1136.

Joannus Abbas ſancti Nicaſij, in præcedenti Charta Laudatus à Raynaldo, rem Monaſterio ſuo utilem ſe facturum ratus, ſi bonorum à ſe, vel à prædeceſſoribus ſuis acquiſitorum immunitatem obtineret à ſummo Pontifice Innocentio adhuc Piſis agente cum Cardinalibus, qui ſupplici libello rogatus ab Abbate, privilegium ſat commune ei libens impertit, quo præter altaria de Buzolio ſuper Matronam fluvium, de Celto ſuper Axonam, &c. Clauſtrum quoque & ſuburbium quod circa Monaſterium eſt, & ad ipſum pertinet, ab omni exactione liberum decernit. Prohibet etiam ut nulli umquam Monachorum poſt factam in Monaſterio ſancti Nicaſij profeſſionem, abſque libera Abbatis & Fratrum licentia, ad alium locum liceat pertranſire. Datum Piſis per manum Aimerici IV. Idus Novembris Indict. XV. Incarnat. 1136. Pontificatûs Innocentij anno VII.

Alexander Leodienſis Epiſcopus ſui amoris & obſequij pignus teſtari cupiens erga Francorum Apoſtolum, ſuſque Monaſterij Religioſos, quos vigore diſciplinæ florere conſpexerat, conceſſit ut decedentibus liberioris vitæ Clericis apud Marſnam, quæ dudum à Gerberga Regina Remigianis data fuerat, Monachi in eorum locum ſubſtituerentur, privilegio Odoni Abbati proficiſcenti ad vocationem generalis Concilij Piſis celebrandi, ſpontaneè & gratulanter impertito, cui ſummus Pontifex Innocentius conſenſit diplomate Piſis dato VI Idus Junij Indict. XIII. Incarnat. 1136. Pontificatûs anno VI.

Anno ſequenti Conradus Imperatoris Henrici ſororius creatur Rex Romanorum circa medium quadrageſimæ anno 1137. confirmat poſſeſſiones à Gerberga Regina Remigianis legitimè contraditas, & à divæ memoriæ Ottone primo & Ottone ſecundo confirmatas, Marſnam videlicet cum fiſco & appenditijs ejus, dedítque operam, ut Dux Godefridus de Lóvanía, qui à pluribus annis Littam, quæ ad Marſnam pertinet, violenter invaſerat, eam Abbati & Fratribus reſtitueret, &c. Regio diplomati ſubſcripſerunt Thedvinus ſanctæ Rufinæ Cardinalis & apoſtolicæ Sedis Legatus, Albero Trevirenſis Archiepiſcopus, Andræas Trajectenſis Epiſcopus, Unibardus Stabulenſis Abbas, Radulfus Ticienſis Abbas, Vvillelmus Abbas Palatinus, Valerannus Dux, Henricus filius ejus, Otto Comes de Rineçe, Theodoricus Judex Aquenſis, Rotgerus pater ejus.

An. 1137.

Signum domini Conradi invictiſſimi Regis.

Arnulfus Cancellarius vice ſummi Cancellarij Maguntini ſcrip. & ſubſcrip. Coloniæ III Idus Aprilis, anno 1138.

An. 1138.

Cùm præſenti hoc diplomate Romanorum Rex Conradus referat Godefridum de Lovania facti pœnitentem ab invaſione alodij Littæ ad Monaſterium ſancti Remigij pertinentis Dei timore, & ſua commonitione abſtinuiſſe, operæ pretium eſt hîc abdicationis litteras in medium proferre, ne ſenio temporum evaneſcant.

Godefridi

RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP.

Godefridi Lotharingiæ Ducis decretum de Litta.

An. 1139.

Godefridus hic Dux Lotharingiæ & Leodiensis 1139

„ IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego Godefridus Dux Lotharingiæ & filij mei Godefridus atque „ Henricus. Notum facimus universis sanctæ matris Ecclesiæ filijs nos injustè „ & violenter alodium B. Remigij Francorum Apostoli, quod Litta dicitur, „ diu usurpâsse & tenuisse, tandem verò compuncti, & pœnitentiâ ducti, „ maximè autem quòd * apostolica, & ab Episcopo Leodiensi, & Camera- „ censi, nec non & ab Ecclesia præfati Confessoris excommunicationi sub- „ jacebamus: jam dictum alodium cum omnibus ad ipsum pertinentibus „ Deo, & beato Remigio, atque Abbati prompta devotione reddidimus, „ nec non fidei sacramento, & jurejurando firmavimus. Insuper in præsentia „ domini Conradi Imperatoris illud abdicavimus, statuentes & confirmantes, „ quòd amodo numquam per nos, nec per aliquem nostrorum, sæpedictum „ Monasterium de ipsius alodij rebus aliquod damnum patietur; sed ex inte- „ gro eidem maneant sua omnia, sicut dedit & confirmavit Gerberga vene- „ rabilis Francorum Regina. Quod nostræ constitutionis decretum, ut per „ succedentia tempora inconvulsum servetur, & maneat, auctoritate nostri „ sigilli firmavimus, & testes idoneos subnotavimus. Hujus rei ex parte Ec- „ clesiæ testes fuerunt domnus Odo Abbas, & domnus Vvalterus Abbas san- „ cti Martini, & Simeon Abbas de Parco, Joscelinus Prior, Raynaldus Præ- „ positus, Gervasius, Lambertus Monachi, Tetbaldus Canonicus, Hesselo „ Canonicus. Ex parte Ducis Sigerius de Vanera, Arnulfus Dapifer, Ray- „ nerus, Gozvinus, &c.

*dicit * auctoritate.*

Post obitum Ludovici VI. Francorum Regis, quem contigisse non anno 1136, ut quidam scribunt, sed 1137, necesse est ex charta Odonis Carthusiæ Montis-Dei fundatoris superiùs relata. Ludovicus VII. dictus Junior, Remos concessit anno sequenti, ibique per aliquod tempus moratus est. Incertum an ut tumultus, specie Communitatis per urbes Belgij exortos, sedaret, vel ut post Raynaldi obitum Regalia tueretur. Hic enim Archiepiscopus cùm ad magnam senectutem perveniisset, vivere desijt anno 1138. juxta computum Romanum, ut conjici potest ex Charta hoc anno apud sanctum Theodericum Raynaldi nomine sigillata. Corpus ejus Igniacum translatum, ad latus altaris versùs meridiem conditur, cum hac Epigraphe tumulo ejus lapideo inciså.

Patet id ex charta prædicti Ludovici, quam, ubi agitur de fundationes Dionysij Remensis, retulimus.

EGO RAYNALDUS A PRATIS QUONDAM ARCHIEPISCOPUS REMENSIS PRESBYTER.

Credo quod Redemptor meus vivit.
Et in novissimo die de terra surrecturus sum.
Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

OBIIT M. C. XXXVII. XIX. KAL. IANUARII.

Sequens inscriptio certiùs, ut reor, diem & annum mortis retulit his versibus.

Anno milleno centeno terquoque deno,
Octavóque simul, cùm Jani dicitur Idus,
Remensis Præsul memorandus obit Raynaldus.

Martyrologium Remense de eo pariter hæc habet Idibus Januarii:

Decessit

Digitized by Google

Deceſſit dominus Raynaldus primùm Andegavenſis Epiſcopus, poſtea Remenſis Archiepiſcopus requieſcit intus, qui emit nobis terram de Hundilicurte, &c. pro ſuo anniverſario. Et in Obituario XIII. Januarij: *Dominus Raynaldus qui dedit nobis triginta marcas argenti ad emendos reditus & tres marcas auri ad altare.* Calendarium vero S. Mauritij Andegavenſis citatum à Sirmondo in Notis ad Godefridum Vindocinenſem paulo aliter quo ad diem obitûs XIX. Calendas Februarij. *Obÿt Raynaldus junior primò noſter Epiſcopus, poſtmodum Archiepiſcopus Remenſis, in cujus anniverſario ſingulis annis tredecim pauperes alere debemus, & ſigna pulſare.*

RAYNALDUS. II. XLVIII. ARCHIEP. An. 1139.

Communiarum inſtitutio, & quando Remenſis cœperit, Ludovici VII Regis epiſtola ad Communiæ Remenſis fautores, quò eos in debita obſervantia & officio contineat.

SEDES VACAT. An. 1139.

CAPUT XLV.

Communiæ inventa ad excutiendum eccleſiaſticæ juriſdictionis jugum.

QUÆ populorum indomiti furoris cauſa fuerit pro aſſerenda Communiarum libertate, ob quam tot hoc ſæculo jurgia emerſerunt, non eadem apud omnes ſententia. Qui Romanæ urbis ſtatum ſub Pontificibus Innocentio, Cæleſtino, Lucio & Eugenio penitius inſpiciunt, laicos ad excutiendum eccleſiaſticæ juriſdictionis jugum incitatos putant ſeditioſis ſermonibus Arnaldi de Brixia Petri Abailardi diſcipuli, docentis nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione poſſe ſalvari, cunctáque hæc Principis eſſe ab ejúſque beneficentia in uſum tantùm laïcorum cedere oportere. Perniciosum hoc dogma, quo pænè corruit jus eccleſiaſticum, viam ſtraviſſe ad Communias obtinendas lubens agnoſco: at etiam negari non poteſt, ſi tumultuum ratio habeatur, qui per Galliam haud ſine ſanguinis effuſione ſæpius oborti ſunt, bonorum expilationes, & latrocinia, quæ ſenſim invaluerunt ſub Regibus Roberto & Philippo I. plurimùm ad id laicos impuliſſe, quibus & addi poteſt Procerum juriſdictionem temporalem habentium nimia ſeveritas, ac in ſubſidio ferendo neglectus adverſùs graſſatores. Unde fit, ut Communiarum origo apud nos maximè revocari debeat ſub initium regni Ludovici VI, qui vivente adhuc patre, Communiarum auxilio opportunè uſus eſt ad prædonum propugnacula funditus evertenda, & paullopoſt cùm ei obſiſtendum fuit Henrico II. Imperatori, urbi Remorum, ut vidimus, excidium minitanti.

Ceterùm Communiæ nomen hîc ſumi non debet, pro conventu populi dudum ſparſi & per agros & in tugurijs, vel nemoribus habitantis, recénſque in unum corpus collecti, ſub certis legibus aut pro Republica ex varijs urbibus & villis coaleſcente, ut paſſim legitur apud Cæſarem Civitas Remorum, Bellovacorum, Sueſſionum. Etenim licèt Romanorum adventu, immo & Francorum in Gallias, veteris regiminis forma abolita ſit, quantùm ad ſupremam auctoritatem, communis tamen vivendi uſus relictus eſt pluribus in locis, leges quoque & magiſtratus ad ius dicendum, caſibus quibuſdam Comitum cognitioni relictis, quibus Ballivi ſucceſſerunt. Sed per Communiam ſeu Communitatem certa quædam ſocietas intelligenda eſt, quæ tunc coaluit inter cives eiuſdem urbis, qui ſacramento aſtringebantur ſibi ipſis mutuo auxilio adeſſe adverſùs ſibi inſidiantes

SEDES VACAT. diantes æmulos, quod Guillelmus de Janivilla Cathalaunenſis Epiſcopus, nomine Fraternitatis haud ineptè deſignat Epiſtolâ ad Ludovicum VII. An. 1139. *Gratias refero ſublimitati veſtræ, quòd & me benignè excepiſtis, & illa Burgenſium noſtrorum doloſa Fraternitas diſſipata eſt.* Guibertus de Novigento hujus ævi Scriptor Communiam aliter deſcribit his verbis: *Communio novum & peſſimum nomen ſic ſe habet, ut capite cenſi omnes ſolitum ſervitutis debitum dominis ſemel in anno ſolvant, & ſi quid contra jura deliquerint, penſione legali emendent. Ceterùm cenſuum exactiones, quæ ſervis infligi ſolent, omnimodis vacent.* Ex quibus patet ſervos, ſive ſubditos unius tributi penſitatione, ab alijs quæ imponi ſolerent, hoc fœdere ſolutos, ſervitutiſque jugum aliquatenus excuſſum, quod non in perſonis quidem, apud nos magnam partem ingenuis, & liberis, ſed in poſſeſſionibus omnino remanſerat, adhúcque vigent, ſaltem ejus reliquiæ in cenſu à re vectigali prædiatorio dominis feodi annuatim debito.

Guibertus lib. 3. de vita ſua cap 7.

Quod ſpectat ad chartam inſtitutionis Communiæ Remenſis, eam necdum nanciſci licuit, nec certò ſcire quæ jura illi à Regibus attributa. Veriſimile eſt cives Remorum ſuppetiarum memores, quas Regi ſponte & alacriter miſerant adverſùs Imperatorem, motos fuiſſe aliarum civitatum exemplo, ad Communiam expoſcendam poſt exceſſum Raynaldi Archiepiſcopi; multúmque ad eam firmiter ſtatuendam laborâſſe, ut ex verbis ſancti Bernardi inferiùs citandis probari poteſt, & ex Necrologio ſancti Simphoriani, ubi id ſcriptum habetur: *XIII. Kalendas Decembris anno 1140. Dedicata eſt Eccleſia noſtra à domino Milone Morinenſi Epiſcopo anno domini Samſonis primo, à duobus Communionis nequam fautoribus, Simone ſcilicet & Albrico profanata, mundari neceſſariò indiguit, qui hominem ſacrilegum aure truncatum, quem dici nefas eſt Sacerdotem, ipſo die Omnium-Sanctorum divina celebrare myſteria huc intruſerunt.*

Remenſes Sede vacante laborant pro communia à Rege obtinenda.

Guill. Abbas in Vita S. Bernardi cap. 14.

Vvillelmus ſancti Theoderici Abbas alterius cujuſdam tumultûs meminit in vita ſancti Bernardi Clarevallenſis, Samſone jam Pontificatum adepto, ubi & refert miraculum Remis à prædicto ſanctiſſimo Abbate patratum, his verbis: *Contigit aliquando diſſentientibus Archiepiſcopo, & populo Remenſi, ad conciliandos eos adeſſe virum Dei. Cumque in palatio ejuſdem civitatis cum Ioſleno Sueſſionenſi Epiſcopo conſediſſet, & magnâ Cleri plebiſque frequentiâ repleta domo, de pace tractaretur, ecce coram omnibus miſera mulier filium ſuum plenum (ut putabatur) dæmone, precibus Sancti liberatum, & triplici miraculo, erat enim ſurdus mutus & cæcus, incolumem redditum matri ſuæ.* Hic autem ſanctiſſimus Abbas non ſic pacificare potuit Archiepiſcopum cum plebe, quin Ludovicus Rex certior factus eorum, quæ à Communiæ principibus fiebant in perniciem eccleſiaſticæ juriſdictionis, hos ut à talibus abſtinerent, monuerit hac epiſtola.

Diſſenſio inter Samſonē Archiep. & cives pro cōmunia.

Ex codice manu-ſcripto ſancti Theoderici prope Remos ad calcē Optati Milevitani.

„ LUdovicus Dei gratiâ Francorum Rex & Dux Aquitanorum Majori, „ totíque Communiæ Remenſi fidelibus noſtris ſalutem. Scitis quia „ nos humili petitioni & precibus veſtris aſſenſum præbentes, ad modum „ Communiæ Laudunenſis, Communiam vobis indulſimus, ſalvo tamen „ jure & conſuetudinibus Archiepiſcopatûs & omnium Eccleſiarum, quod „ pro pura & ſimplici intentione fecimus, ut ſcilicet inde vobis commodum, „ ex veſtro autem commodo nec Eccleſijs, nec nobis ipſis damnum aliquod „ aut dehoneſtas veniret. Vos verò à conceſſu noſtro ulterius evagati, id „ quod jus eſt Eccleſiarum, non jus eſſe aſſerentes, & conſuetudines Ec- „ cleſiarum ab antiquo tempore uſitatas, conſuetudines eſſe contradicentes, „ Eccleſiarum dignitati & poſſeſſioni impetuosè & abruptè derogatis. Super „ hæc fidelitati veſtræ mandamus & præcipimus, imo & precari addimus, ut „ Eccleſiæ beatæ Mariæ & Eccleſijs omnibus, præcipuè venerabili ac ſanctiſſimæ

dissimæ sancti Remigij Ecclesiæ jura sua integra, & consuetudines per centum annos plus minúsve quietè possessas, in pace dimittatis; neque inde subtiliter controversari addatis, & hanc obstinationem & duritiem erga Ecclesias deponatis: alioquin illi Ecclesiæ, & alijs post nos miserabiliter clamantibus, à justitia deesse nec volumus, nec debemus, nec etiam possumus, & hoc nullo modo patiemur. Valete. « SEDES VACAT. An. 1139.

Ex hac Regis epistola apertissimè constat Communiæ Remorum à Ludovico VII. concessæ, ad modum Communiæ Laudunensis, primarios tenorem privilegiorum suorum sæpius excessisse. Porro Communiam Laudunensem à Ludovico VI. erectam clarum est ex ijs quæ de Vualdrico, in seditione à civibus cæso supra retulimus. Notat Sugerus Abbas ex institutione Communiæ, Castellani jura infringi non debere, & si in Curia Episcopi probare potuerit, se ab antiquo certis juribus potitum, illæsa ei conservanda. Ex quo deduci potest, consilium Regis non fuisse, ut ejusmodi privilegia dominis temporalibus aliquod detrimentum inferrent. Unde Ivo Carnotensis de Communia Belvacensi loquens hæc habet: ***Obligatio Episcopi quâ se promisit observaturum consuetudines ejusdem civitatis, sive turbulenta conjuratio factæ Communionis nihil præjudicant legibus Ecclesiasticis.***

Laudunensis Communia erecta anno 1106.

Sic in charta Communiæ S. Quintini anno 1213. habetur: Salva fidelitate Ecclesiæ S. Quintini & nostra. *Epist.* 30.

Verùm ut ex rebus recèns inductis multæ nascuntur difficultates, rarâque est inter officiarios diversarum jurisdictionum concordia; sic omnino credendum est Juratos Communiæ, sive etiam Scabinos statim Clericorum libertatibus & privilegijs vim intulisse, tam captione servientium Capituli, quàm protectione extraneorum, quos indebitè in suam societatem sumebant: ex quo factum est, ut Ludovicus VII. iteratis Clericorum tactus querelis sequentem Epistolam graviori stilo transmiserit, cujus hic tenor est.

« LUdovicus Dei gratiâ Francorum Rex & Dux Aquitanorum Salutem & gratiam suam. Gravissimum nobis est id quod vos facitis, quòd nulla alia Communia facere præsumpsit, & modum Laudunensis Communiæ, qui vobis propositus est, omnino exceditis, & hoc ipsum quod vobis nominatim prohibuimus, scilicet ne villas extrinsecas in Communiam vestram reciperetis, hoc confidenter & securè facitis, & reditus consuetudinarios Ecclesiarum per multa sæcula possessos, vel hos ipsi aufertis, vel à subditis reddi auctoritate Communiæ vestræ prohibetis, & Ecclesijs Remensibus, & Canonicis maximè sanctæ Mariæ, quæ modo in manu nostra est, & nullum alium præter nos habet defensorem, libertates & consuetudines & justitias suas, vel omnino aufertis, vel maximè diminuitis. Item proprios servientes Canonicorum, qui in eadem libertate sunt, in qua domini sui, ad redemptionem coegistis, quosdam etiam cepistis, quidam etiam præ timore vestro Ecclesiam egredi non audent. Pro his omnibus excessibus jam vobis mandavimus, & nunc mandamus & præcipimus quatenus in pace dimittatis, ablata eis restituatis, & Ecclesijs ac Canonicis Justitias & consuetudines & libertates suas integre conservetis. Valete. »

Hinc patet sedem tunc vacâsse.

Prædictas litteras Interpontificij tempore collocavimus, tum propter titulum Ducis Aquitaniæ, quo Ludovicus Rex in utrisque insignitur (certum est enim post reditum à transmarina peregrinatione, Eleonorâ Guillelmi Ducis Aquitaniæ filiâ repudiatâ, ab eo Ludovicum abstinuisse) tum propter verba hæc *Quæ modò* (Ecclesia Remensis) ***in manu nostra est***, quæ Interpontificium manifestissimè innuunt. Mandatum Regis Burgentium nihilominus proterviam non repressit, Burgi præsertim sancti Remigij, qui cùm in Communiæ confœderationem admissi essent, multas turbas excitârunt sub Samsone, armísque instructi terras Ecclesiæ devastabant, ut idem Archiepiscopus conquèritur ad Sugerium Abbatem Regni Ministrum in absentia Regis. Videbimus libro sequenti quid Henricus Sam-

SEDES VACAT. *An. 1139.*

sonis successor præstiterit pro abolenda ejusmodi civium confœderatione, seu Communia, tam in urbe Belvacensi, quàm Remensi, quibus successivè præfuit, & qualiter hæc cum scabinatu, Vuillelmi Archiepiscopi & Cardinalis moderatione, ad certam regiminis formam restituta sit.

Communia S. Audomari confirmatur à Ludovico Rege & Guillelmo Fland. Comite anno 1127.

Regum Ludovici & Philippi exempla imitati Comites & Barones, in suis quique dominijs Communias excitârunt pro communi utilitate, mutuóque auxilio Burgensium suorum, quorum Chartæ in Tabularijs Monasteriorum asservantur. Confirmatio Communiæ Compendiensis data anno 1209. sic incipit: ***Philippus Francorum Rex. Noverint universi quòd carissimus genitor noster pia memoriæ Ludovicus Burgensibus Compendij Communiam concessit &c.*** Ubi jura, libertates & privilegia fusè reteruntur, cum articulis quos Burgensis jurare debebat, ut in Communia reciperetur, privilegiisque gauderet. Hos autem articulos eosdem esse pro singulis urbibus, vel ex hoc probari potest, quòd in charta Communiæ Remensis, & Belvacensis apertè dicat Rex, illam concessisse ad modum Communiæ Laudunensis, quæ aliarum exemplar & typus fuisse videtur, præsertim Compendiensis, cujus autographum exstat in regalis hujus Monasterij Chartophilacio. Ex Charta restitutionis Benedictinorum in Ecclesia sancti Cornelij Compendiensis (quos Canonici turpiter expulerant) discimus Samsonem Archiepiscopum pacis amantissimum, non solùm multa contulisse ad statum prædictæ Ecclesiæ in monachali Ordine restituendo, sed egisse etiam apud Regem pro Burgensibus, ut illis Communia concederetur. At cùm Rex in diplomate Ducis Aquitaniæ titulo non utatur amplius, fiátque mentio Ælidis Reginæ, quæ Compendium pro dote acceperat, sequitur tam Monachos, quàm Communiam perfectè stabilitos non fuisse ante annum 1152.

Concilio Samsonis venerandi Archiep. Rem. atque Odonis Abbatis S. Dionysij, & aliorum hominum nostrorum: Ex charta restitutionis.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1140.

MAUVOISIN-ROSNY. D'or à deux faces de gueules.

Samsonis ad Archiepiscopatum Remensem promotio. Concilium Suessionense adversùs Abailardum. Et de Roceïensi Comite, & Rodulfo Viromandensi aliquid.

CAPUT XL VI

POST excessum Raynaldi Archiepiscopi, Remensis Ecclesia per biennium Pastore viduata mansit, non tam Clericorum dissidio & ambitione, quàm civium tumultu, innatóque Ludovici VII. odio in Theobaldum Campaniæ Comitem, quod pariter in Præsules vicinásque Ecclesias sese effudit; quasi gemente populo sponsa Christi in luctu quoque esse deberet. Inter nocivas ejusmodi orbitatis, seu interpontificij nebulas, quibus Sedium Episcopalium nitor, veluti quadam eclypsi, sæpius obscuratur, radius quidam felicitatis micare visus est, quibusdam è Clero S. Bernardi Clarevallensis dominatum ob præclara virtutis ornamenta, salubrémque doctrinam ambientibus: at eo suffragia eorum recusante, rursum civitas factionibus scissa est, civibus, ut opinor, jurisdictionis Ecclesiasticæ jugum excutere conantibus, prætextu Communionis firmiter stabiliendæ, opportunum sibi tempus eam diu exoptatam à Rege obtinendi tunc adesse cernentibus. Unde fit ut turbato rerum statu, conniventibus quoque quibusdam Clericis, dilata sit electio in summum Ecclesiæ dedecus, perniciémque animarum, ut idem Bernardus conqueritur epistolâ 329, ad Innocentium summum Pontificem.

Nobilissima Franciæ civitas secundæ Belgicæ caput, ejus dominatum ambivit. Auctor vitæ S. Bernardi.

Cadit

Digitized by Google

CAdit in interitum Remensis Ecclesia, data est in opproprium civitas « Samson
gloriosa, clamat transeuntibus per viam; quòd non sit dolor similis « xlix.
dolori ejus. Foris enim pugnæ, intus timores: sed & intus pugnæ, quo- « Archiep.
niam filij ejus pugnant contra eam, nec habet generatorem qui liberet « An. 1140.
eam: unica spes ejus Innocentius, qui abstergat lacrimas à maxillis ejus. «
Sed usquequo, Domine, clypeus protectionis vestræ non opponitur? « Bernard.
usquequo conculcabitur nec inveniet sublevantem? Ecce Rex humilia- « Epist. 329.
vit se: & jam quievit indignatio ejus. Quid ergo supereſt nisi ut manus «
apostolica supponatur afflictæ, & plagis ejus curam adhibens & fomenta? «
Primum itaque esse credimus, ut maturetur electio, ne insolentia Re- «
mensis populi disperdat si quid residuum est, nisi in brachio excelso fu- «
rori ejus resistatur. Si hæc ritè celebrata fuerit, confidimus quòd in re- «
liquis quoque daturus sit Dominus gratiam & effectum. «

Laborante igitur ex animo Clarevallensi Abbate apud summum Pontificem, ne diutius viduata maneret Remensis Ecclesia, tandem omnium votis electus est vir summæ nobilitatis & prudentiæ, Samson, malè à Pratis dictus, Rodulfi Militis filius & Odesindæ, ut habetur in Necrologio Remensi, quem Ivonis Carnotensis discipulum quidam faciunt. At Genebrardus censet præceptorem habuisse Gilbertum Porretanum. Andreas Ducheſne, qui genealogiam ejus texuit, refert progenitores suos sub Philippo I. inter nobiliores Vilcassini claruisse, patremque ejus de Mauvoisin, Barbatum dictum, tantam de eo curam egisse, quem ab incunabulis ad Ordinem ecclesiasticum destinaverat, ut ob egregiam ejus indolem, progressúmque in studijs, factus fuerit Carnotensis Archidiaconus, quod pariter tradit Robertus in Gallia Christiana, ubi & addit Samsonem à Pratis vocitatum, quòd Raynaldo patruo in Archiepiscopatu successisset.

Tam illustris viri, quamvis canonica fuerit electio, effectum tamen assecuta non est, Rege eam impediente, forsan quòd eo inconsulto facta fuisset, vel ob Radulfum Viromandensem Comitem, contra promissum Theobaldi, rursum ab Episcopis censurâ religatum, quod S. Bernardus non obscurè significat epistolâ ad Josſenum Suessionensem Episcopum, & Sugerium Abbatem, quæ est 222. sicque incipit.

SCripseram Regi arguens eum super malis quæ fiunt in Regno ejus, « *Promiserat*
ipsius sicut dicitur assensu. Et quod rescripsit, dignum duxi vobis, qui « *Regi Theobaldus pro pace*
de consilio ejus estis, insinuandum..... Ait enim: Adhuc suspensi manent « *reformanda*
Episcopi nostri, adhuc terra nostra interdicta est. Quasi verò cujuspiam « *se effecturum*
ecclesiastici absolutio interdicti ad Comitem Theobaldum pertineat: aut « *ut Episcopi*
hoc ipse aliquo modo pepigerit se facturum. Illusus est (ait) Comes « *absolverentur, eo quòd*
Radulfus, & iterum religatus. Et hoc quid ad Comitem Theobaldum? « *approbassent*
Nonne quicquid de hac re promisit, fideliter elaboravit, & efficaciter « *matrimonium Radulfi*
adimplevit? ..... An propter hoc decuit incandescere iram Regis con- « *Comitis Viromandensis*
tra Deum & Ecclesiam ejus, contra seipsum & Regnum suum? ..... « *contra sententiam summi Pontificis.*
Quid meruit, non jam sola Bituricensis Ecclesia, sed & Cathalaunensis, «
etiam & Remensis, etiam & Parisiensis? Habeat Rex adversùs Comitem «
jus; sed de quo jure, obsecro, de quo jure præsumit, ut Ecclesiarum «
possessiones & terras devastet, ut Christi ovibus Pastores præfici non per- «
mittat, ut bis quidem Electorum promotionem prohibeat; alijs verò «
(quod hactenus inauditum est) dilationem electionis indicat; donec «
universa consumpserit, donec diripuerit pauperum facultates. &c. «

Ex alia quoque discimus factiosos quosdam sua lucra sectantes discordiam sparsisse inter Clericos, omnemque movisse lapidem, ut Electum Regi suspectum redderent. *Heu corruit Virgo Remensis Ecclesia, non est* Epist. 170.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1140.

qui ſublevet eam : corruit & Lingonenſis ; non eſt qui porrigat manum. De qua illuſtriſſimarum harum Eccleſiarum ſequentia dicat incertum, forſan de utraque: *Electio ritè celebrata eſt : Electus fidelis eſt. Non autem eſſet fidelis, ſi veſtra, & non per vos habere vellet. Necdum ad veſtra manum extendit, necdum civitatem veſtram ingreſſus eſt : necdum prorſus ſe intromiſit de aliquo, quamquam invitatio Cleri & populi, & oppreſſorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementiſſimè flagitârint.*

Item ex epiſt. 172. Inter crebra mala quæ his diebus in Eccleſijs videntur accidere occaſione electionum &c.

Bern. Epiſt. 224.

Mala hæc paſſim per civitates Regni pullulabant, Rege electionibus obſiſtente, ut idem Bernardus adhuc graphicè depingit epiſtolâ 224. ad Prænestinum Epiſcopum : Conculcantur apud nos ſancta, Eccleſia turpiter ancillatur. Nam electiones Epiſcoporum prohibentur fieri : & ſicubi id præſumptum à Clericis fuerit, Electus epiſcopari non ſinitur. Sedet in triſtitia Eccleſia Pariſienſis proprio deſtituta Paſtore, & nemo eſt, qui de ſubſtituendo alio mutire audeat ..... Veſtra Cathalaunenſis fecit quidem electionem, ſed qui electus eſt, ecce jam diebus multis debito honore fruſtratur, & ſcitis, quàm non abſque gravi gregis dominici detrimento. Commiſit Rex germano ſuo Roberto vices Epiſcopi, ... verùm angustus eſt malitiæ ejus ille epiſcopatus. Remenſem invadit, atque in terra Sanctorum iniqua gerit, non Clericis, non Monachis, non Sanctimonialibus parcens. Denique ſanctæ Mariæ, ſancti Remigij, ſancti Nicaſij, ſancti Theoderici terras fructiferas, & villas populoſas, ita in ore gladij devaſtavit, ut penè in ſolitudinem redegerit univerſas.

Deus qui ſæpius mala permittit, ut ſalubres ſint peccatorum medicinæ, nimiam his Clericorum ambitionem corrigere voluit, frænùmque injicere indomitæ quorumdam cupiditati, qui duplicatis honoribus, vix ſatiari poſſunt, donec Clarevallenſis Abbas multùm in Eccleſiam Remenſem propenſus, obtinuit ut ſedatâ Regis iracundiâ, Samſon canonicè electus ad Archiepiſcopatum, à Joſleno Sueſſionenſi Epiſcopo conſecraretur anno 1140. poſt duos ſcilicet Interpontificij annos, ut certiſſimè conſtat ex pluribus chartis, ubi hic annus ſuſcepti regiminis primus numeratur ; ſícque poſt indefeſſos labores pro Archiepiſcopatu pacificè obtinendo, cœpit egregias virtutis, & prudentiæ dotes ovium ſibi commiſſarum ſaluti impendere, quas amicè ſic deſcribit S. Bernardus epiſtolâ 210, qua eum commendat ſummo Pontifici Innocentio.

Bern. Epiſt. 210

Dominum Samſonem Remenſem gloriæ veſtræ commendamus : non tamquam de ceteris, ſed verè præ ceteris unum, ídque tam ſecurè, quam ſecuri ſumus de ſua erga vos fideli devotione, & ſincera dilectione, voluntate ſubdita atque obedientiſſima. Honoretur, quoniam vas eſt in honorem. Sentiat, quod in vobis eſt, non fruſtra ſe honorificare miniſterium ſuum : non fruſtra pollere his moribus quibus honoretur Deus, ornetur Eccleſia, qui denique deceant Domini Sacerdotem.

Sic præclara Samſonis decora à Clarevallenſi ingenuè deſcripta, in multis veriſſima eſſe digniſſimus hic Antiſtes comprobavit ; quamvis id quod nuperus quidam auctor aſſerit, civium ſcilicet Communiam ab eo, præſente Rege, abrogatam fuiſſe, ſtatim ac rerum potitus eſt, probare non poſſum : cùm urbana hæc commotio (de qua Sareſberienſis) ſub Henrico ſucceſſore contigerit, nihílque tentatum à civibus, niſi ſede vacante, aut ſaltem anno primo Pontificatûs Samſonis, ut ex Obituario S. Simphoriani colligi poteſt, probátque Innocentij diploma, adversùs Communiarum pertinacitatem, Clero, & populo Remenſi deſtinatum.

Sibilavit apis quæ erat in Francia, & apis de Italia parat ſagittas ſuas in pharetra. *Bernardus Epiſt. 189.*

Extincto ſchiſmate per obitum Petri-Leonis, Arnoldus de Brixia damnatus hæreticus ex Italia rediit in Gallias collocuturus cum Abailardo, ut ambo peſtilentis doctrinæ virus per provincias diffunderent. Abailardus pridem ſuos errores ventilârat circa myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, ſcriptáque

ſcriptáque ejus præſente Legato Sueſſionis igni tradita fuerant, ex epiſtola ſancti Bernardi 190. At ruinam Jerico ſuâ pervicaciâ reædificante, alias ſuperaddidit hæreſes recèns excogitatas, quas iterum ſpargere ſatagebat. Igitur ratus faciliorem ſibi fore ſuarum hæreſum promulgationem, ſi ejus qui colebatur ab omnibus velut ſanctiſſimus, atque doctiſſimus, ipſius ſancti Bernardi victor exſiſteret, quem captionibus inanis philoſophiæ à ſe vincendum nullatenus dubitabat, adito Metropolitano Senonenſi petijt, ut diſputationem publicam inter ipſum, atque Bernardum indiceret, eo colore, quòd ſi ipſe vinceretur omnino cadens palinodiam recantaret. Archiepiſcopus quò faſtum inſultantis hæretici comprimeret, unà cum Remenſi Archiepiſcopo, ac ſuffraganeis Epiſcopis, Synodum indicit, litteríſque S. Bernardum rogat, ut & ipſe adſit diſputaturus: qui diu abnuens, tum ob alia, tum quòd non de recenter inventis ageretur erroribus; ſed antiqui veterum hæreticorum, Arij, Neſtorij, Pelagij, aliorúmque contra ſanctiſſimam Trinitatem, perſonam Chriſti, ſacramenta Eccleſiæ, bonóſque mores, jam olim ab Eccleſia catholica proſcripti renovarentur, fas non eſſe dicebat de ſemel judicatis iterum diſputare. Tamen quòd ad proclamationem iſtius futuræ diſputationis, omnes undique, ac præcipuè viri litterati concurrerent, timeretúrque, ne de ejus abſentia, & ſcandalum populo, & cornua creſcerent adverſario, ipſe ad locum & diem accurrit, cui & Rex adeſſe voluit. Simul igitur ac in præſentia omnium nonnulla producta ſunt ex libris Abailardi capitula, de quibus diſputaretur; ita ille hebes factus eſt, ut nihil prorſus reſpondere valens, tantummodo ſedem Apoſtolicam appellârit. Epiſcopi in præjuditium appellationis, poſt latam in eum ſententiam, nihil ulterius agendum rati, totum negotium, ſcriptis ex parte cujuſque provinciæ litteris quaſi ſynodalibus, ad ſummum Pontificem remittunt. Quid Senonenſis Archiepiſcopus ſcripſerit de his, quæ in Synodo geſta fuerant, ad nos non pertinet: Remenſis & Coepiſcoporum epiſtola adhuc exſtat inter Bernardi epiſtolas, fuitque eorum nomine ab eodem confecta cujus hic tenor eſt.

Samson xlix. archiep. An. 1140.

Epiſt. 187.

« Reverendiſſimo Domino & cariſſimo Patri, Dei gratiâ ſummo Pontifici Innocentio, Samſon Remorum Archiepiſcopus, Joſlenus Sueſſionenſis, Gaufridus Cathalaunenſis, Alviſus Atrebatenſis: voluntarium debitæ ſubjectionis obſequium. Auribus occupatis ad plurima, ſermonem facimus abbreviatum de prolixo negotio, pro eo maximè quia idipſum diffuſiùs ac pleniùs continetur in litteris domini Senonenſis. Petrus Abailardus chriſtianæ Fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus eſt, humana ratione arbitratur ſe poſſe comprehendere. Aſcendit uſque ad cælos, & deſcendit uſque ad abyſſos: nihil eſt quod lateat eum, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra. Homo eſt magnus in oculis ſuis, de Fide contra Fidem diſputans, ambulans in magnis, & mirabilibus ſuper ſe, ſcrutator majeſtatis, hæreſum fabricator. Jamdudum fecerat librum de ſua Trinitate, ſed ſub Legato Romanæ Eccleſiæ igne examinatus eſt, quia inventa eſt in eo iniquitas. Maledictus qui reædificabit ruinas Jerico: ſurrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreſes quæ dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis. Jamjam extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius: quòd liber ſuus in curia Romana habet ubi caput ſuum reclinet, hinc confirmatus & confortatus eſt furor ejus. »

Propterea cùm in conſpectu Epiſcoporum ſuper his argueret eum Abbas Clarævallis zelo Fidei, & juſtitiæ armatus, nec confeſſus eſt, nec negavit: ſed à loco & judice, quem ipſe ſibi elegerat, ſine læſione, ſine gravamine, ut ſuam prolongaret iniquitatem, ſedem Apoſtolicam appellavit. »

Epiſcopi

SANSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1140.

„Episcopi autem qui propter hoc in unum convenerant, vestræ reve-
„rentiæ deferentes, nihil in personam ejus egerunt, sed tantummodò
„capitula librorum ejus à sanctis Patribus condemnata, ne morbus ser-
„peret, medicinali necessitate adjudicaverunt. Quia verò homo ille mul-
„titudinem trahit post se, & populum qui sibi credat, habet, necesse
„est ut huic contagio celeri remedio occurratis.

Ovi. lib. 1. de rem. am.

Serò enim medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

„ Processimus in hoc negotio quousque ausi sumus, tuum est de
„cetero, beatissime Pater, providere ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ
„pravitatis maculâ decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissa est sponsa
„Christi, amice sponsi, tuum est tandem uni viro virginem castam
„exhibere Christo.

Innocentius receptis Episcoporum litteris summopere eis gratulatur, quòd ardore caritatis & zelo rectitudinis succensi fraudulentam hæreticorum fallaciam detexerint, Deoque gratias agit, quòd in Ecclesia sua præclaros voluerit esse Pastores, qui eorum calumnijs studeant obviare. Unde communicato Episcoporum & Cardinalium suorum consilio, destinata ab eis capitula, & universa Petri Abailardi perversa dogmata, sanctorum Canonum auctoritate cum suo auctore damnasse significat: eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuisse. Extat alia Innocentij Epistola, qua perversi dogmatis fabricatores excommunicationis vinculo innodatos jubet in religiosis locis includi.

Ex epist. 194. data Laterani. xvij Cal. Aug. in tomo Concilior. habetur. 10. Cal. Aug.

„ INnocentius servus servorum Dei, Samsoni Remensi Archiepiscopo,
„ Henrico Senonensi, & Bernardo Clarevallensi Abbati: salutem.
„Præsentia scripta fraternitati vestræ mandamus, quatenus Petrum
„Abailardum, & Arnaldum de Brixia, perversi dogmatis fabricatores, &
„catholicæ Fidei impugnatores, in religiosis locis, ut vobis melius visum
„fuerit, separatim faciatis includi, & libros eorum ubicumque reperti
„fuerint, igne comburi. Datum Laterani decimo septimo Calendas Augusti.

Quidam referunt ex Herimanno, Canonicos Tornacenses ad Samsonem Archiepiscopum, & Bernardum Clarevallensem per id tempus misisse, quidnam de revelationibus, cuidam Henrico juniori Canonico factis, sentiret, ipsósque rescripsisse, ut divinæ voluntatis effectum deinceps exspectaretur. Harum quædam, Deo volente, ut prædixerat, evenerunt; aliæ in futurum reservantur, & præsertim quæ refertur à nobis de B. Nicasio in historia scripta ad annum 1064 tomo 1. in Epithome Monasterij Nicasiani cap. v.

Porro cùm Abailardus prosecuturus appellationem, Romam versus dirigeret iter, divertens Cluniacum, libenter se passus est retineri à Petro Venerabili illius Monasterij Abbate, cujus operà non solum errores abjuravit, eósque à suis libris erasit: sed & Monachus effectus, ibi reliquum vitæ in arctissima observantia, summo Pontifice permittente, transegit. Verisimile est Samsonem ob egregiè præstitam operam in Abailardum, & ut iteratis Synodis complices ejus persequeretur, ab Innocentio S. R. E. Legatum creatum fuisse, quo titulo passim indigitatur in chartularijs; Remisque hac nixus auctoritate, ab eo convocatum Concilium, cujus meminit Petrus Cluniacensis Abbas epist. VIII. ad Milonem Tornacensem Episcopum, ubi conqueritur prædictum Milonem præ ceteris intercessisse, ne ex collegiata quadam Ecclesia apud Abbatis-villam, Monasterium Cluniacensis Ordinis fieret, quamvis Patres Concilij Remensis, Samson præsertim Archiepiscopus, & alij Suffraganei consensissent. Idem annus pœnitentiâ Hugonis Comitis de Roceio celebris quoque habetur; cùm enim

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1140.

enim ob deprædationes, & damna terris Monaſterij ſancti Remigij hoſtiliter ab eo inflicta, Remorum Archiepiſcopi Rodulfus & Raynaldus eum ſacris arceri juſſiſſent per Bartholomæum Laudunenſem, pœnitentiâ ductus Comes apud Abbatem, ejúſque Eccleſiæ Fratres veniam non poſtulavit modò; ſed in curiam prædicti Epiſcopi veniens, Samſone Archiepiſcopo præſente, alijſque viris nobilibus, ut vexationes à ſe perperam illatas quodammodo reſarciret, cenſum viginti ſolidorum ſingulis annis perſolvendum eidem Monaſterio in perpetuum impertivit, ſequenti pagina, quam ex Tabulario fideliter exſcriptam lectorum oculis non indignam judicamus.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ Laudunenſis Epiſcopus miniſter humilis. Cùm paſtoralis excellentia &c. Notum ſit omnibus tam futuris, quàm præſentibus, quia cùm Hugonem Comitem de Roceio pro diverſis moleſtijs & deprædationibus, quas terræ B. Remigij intulerat, & ex præcepto venerabilis Archiepiſcopi Rodulfi & ſucceſſoris ejus Raynaldi, anathematis ſententia rationabili ligaſſemus; tandem nutu divino prædictus Comes pravarum exactionum pœnitens, apud Abbatem ſancti Remigij & ejuſdem Eccleſiæ Fratres veniam poſtulando hoc modo obtinuit. Anno primo quo venerabilis Samſon metropolitanam ſedem Remenſis Eccleſiæ regendam ſuſcepit, memoratus Comes pœnitentiâ ductus in curiam noſtram venit; ibíque in præſentia reverendiſſimi Patris noſtri Samſonis, atque Joſcelini Sueſſionum Epiſcopi, nec non Abbatum, procerúmque, & plurimorum Fidelium, aſtante etiam Abbate illo, de quo nobis eſt ſermo, cum quibuſdam è Fratribus, non ſolùm pro ſatisfactione, & emendatione rapinarum & pravarum exactionum; ſed magis pro ſalute animæ ſuæ, ſuorúmque prædeceſſorum cenſum viginti ſolidorum apud Alemancorum-Curtem, Eccleſiæ B. Remigij ſingulis annis perſolvendum, aſſenſu uxoris ſuæ & filij ſui Guiſchardi, qui eum ab omni dominio & poteſtate ſua liberum clamaverunt, jure perpetuo aſſignavit ..... promiſit etiam, & promiſſum ſacramento ſtabilivit, hominibus & feminis, villis & poſſeſſionibus univerſis beati Remigij pacem inviolabilem ſe deinceps ſervaturum, & ſi Vuerra inter ipſum, & Archiepiſcopum emergeret, etiam ſi, quod abſit, rapiendo res Eccleſiæ juramentum violaret, nulla tamen ratione eundem reditum auferret, vel auferri à quoquam ſuorum ſineret, &c. Ubi de piſcatione apud Septem-ſalices agitur, & de Guimagio, & Roagio ſolvi ſolitis in terra ſua, pro cucullis, lignis, alijſque rebus ad victum neceſſarijs, à quibus Remigianos gratuitò immunes præſenti ſcripto declarat, teſtibus in charta Comitis, quæ idem ferè continet, relatis hoc ordine, Joſleno Sueſſionenſi, Bartholom. Laudunenſi, Joffrido Cathalaunenſi. Archidiac. Villelmo & Hugone, Vuitero Regiteſtenſi Comite, Boſone de Buxeio, Gervaſio Cantore, Rogero de Porta-carceris, Vuidone de Roceio, Joanne d'Epi. Caſtellano de Altomonte, Stephano de Ecreio, Stephano de Novo-caſtello. Sine data.

Charta Comitis ſic incipit: Quoniã ingruentibus ſæcularium actuum negotiis & bellorũ tumultibus, multa damna & oppreſſiones Dei Eccleſijs intulimus &c *Guiſchardus Hugonis Comitis filius Herroſolymã profecturus hanc patrię donationẽ ratam habuit ſub Petro Abbate an* 1170.

Expletâ beatiſſimi Dionyſij Pariſijs ſumptuoſo ſchemate Baſilicâ, Sugerius Abbas extremam manum, veluti coronidem operi ſuo impoſiturus, magnifica dedicatione & ſanctorum Martyrum relatione, regiæ Majeſtatis aſſenſu, diem agendi III. Idus Junij aſſignavit. Delegatis igitur nuntijs ex parte Sanctorum per univerſas Gallias, Rex primùm, Regina Alienor, mater ejus, ac Regni Primates perendie adventarunt, ingens quoque numerus Procerum, ac Nobilium, Archiepiſcoporum quoque & Epiſcoporum, inter quos hi præſertim recenſentur, Samſon Remenſis, Hugo Rotomagenſis, Guido Senonenſis, Theobaldus Cantuarienſis, Archiepiſcopi. Gaufridus Carnotenſis, Joſlenus Sueſſionenſis, Simon Noviomenſis, Elias Aurelianenſis, Odo Belvacenſis, Hugo Auliſſiodorenſis, Alviſus Atrebatenſis,

EGO Samſon divina miſeratione Remorum Archiepiſcopus, cariſſimo in Chriſto filio ſuo Nicolao Abbati ſancti Nicaſij, ejuſdemque loci Fratribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Quia in ſummi Patris-familias domo diſpenſationis locum, licèt indigni, ſortiti ſumus, ex injuncto nobis officio præſumptionem ſæcularium hominum, qui videlicet Eccleſias, & Eccleſiarum res tamquam proprias poſſident, reprimere neceſſe habemus. Quamobrem ad præſentium & futurorum memoriam ſtuduimus inferendum, quòd Henricus Comes cum uxore & filijs, & Clarembaldus de Roſeto cum uxore & filijs, ſancti Spiritus ſuggerente gratia, tandem aliquando hereditaria lege ſanctuarium Dei poſſidere arbitrati immane delictum, Eccleſiam B. Mariæ de Caſtello-Portuenſi, obtentu domini Nicolai Abbatis, libere & abſolutè in manus noſtras refutaverunt, & eam Monaſterio B. Nicaſij Martyris cum omnibus ad eandem pertinentibus, & ut per jus eccleſiaſticum monaſtico Ordini regenda tranſiret, à nobis devotè donari petierunt, & impetraverunt. Nos igitur, qui vice B. Nicaſij fungimur, amore ipſius Martyris inducti, & Sanctorum, quorum in prædicta Eccleſia memoria habetur, jamdictam Eccleſiam beatæ Mariæ cum omnibus ad eam pertinentibus Monaſterio ſancti Nicaſij præſentis decreti paginâ perpetualiter poſſidendam confirmamus, ſalvo nimirum jure parochiali. Decernimus etiam quòd quæcumque bona largitione Pontificum, conceſſione Principum, oblatione Fidelium, ſeu quibuſlibet juſtis modis rationabiliter Eccleſia acquirere poterit, rata & inconvulſa in poſterum ei permaneant. Si quis autem his noſtris inſtitutis ſalutaribus contraïre præſumpſerit, &c. SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1143.

Sig. Joſleni Sueſſionenſis Epiſcopi,	Sig. Albrici Abbatis ſancti Baſoli,
Signum Joffridi Cathalaunenſis Epiſcopi,	Signum Urſionis Abbatis ſancti Dionyſij,
Sig. Bernardi Claræ-vallenſis Abbatis.	Signum Guilelmi &c.
Sig. Odonis Abbatis ſancti Remigij,	Signum Hugonis Archidiaconi,
Signum Hillini Abbatis ſancti Theoderici,	Signum Leonis Decani,
	Signum Getvaſij Cantoris.

Actum Remis anno 1143. ſeptimo Regni Ludovici Junioris, & tertio pontificatûs Samſonis.

Eſt & alia charta Samſonis Archiepiſcopi anno 1160. quâ prædicti Monaſterij bona omnia confirmat, ubi illud ſcriptum habetur: *Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Caſtello-Portenſi cum ſcholis, ſervis & ancillis, manſuris, terris & hortis & parochiali jure univerſarum decimarum, etiam in curte ſancti Theobaldi, & oblatione omnium parochianorum totius villæ, ſalvo jure Preſbyteri parochialis, confirmamus. In qua villa non niſi una matrix Eccleſia eſt, unus ſancti Martini Presbyter parochialis, qui ſingulis diebus ad ſanctam Mariam, vel ut moris eſt, ad ſanctum Theobaldum, cùm res poſtulat cantaturus accedit, unum baptiſterium ad ſanctam Mariam, & una omnium parochianorum ſepultura ad ſanctum ſcilicet Martinum.*

Sed ne prædictæ unioni pontificalis auctoritas deeſſet, Monachalíſque inſtitutio apud ſanctam Mariam per ſuccedentia tempora convelleretur, Eugenium III. certiorem reddidit Samſon, tam abdicationis factæ à prædictis Comitibus, quàm conceſſionis in favorem Monaſterij ſancti Nicaſij. Rogavit, ut id quod à ſe canonicè factum fuerat, ſuo decreto confirmaret, cujus petitioni eò lubentiùs annuit, quòd S. Bernardus ſuis exhortationibus multùm contuliſſet apud Henricum, & Clarembaldum, ut diu ab eis uſurpatam Eccleſiam refutarent. Tenor privilegij cùm idem ſit cum charta præcedenti, eadémque omnino repetat, ut brevis ſim, prætermitto.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1143.

Gaufridus Hugonis ſucceſſor cultum Dei in prædicto Prioratu augere cupiens, egit apud Abbatem ſancti Nicaſij, ut quatuor Monachis, qui jugiter in eo divinum Officium perſolvebant, duo alij adderentur, quibus in ſubſidium vitæ reditus infra notatos ex ſuo dominio aſſignavit, probantibus uxore & filijs.

» Ego Gaufridus dominus de Caſtello notum facio præſentibus & futuris, » quòd in ejuſdem Caſtelli Eccleſia obſequium Dei amplificare deſiderans, » Abbatem ſancti Nicaſij Raynaldum, & ejuſdem loci conventum rogavi, » ut ad quatuor Monachos, qui in præfata Eccleſia ſervire ſolebant, duos » alios adderet, ut obſequium Dei eò fortiùs fieret, quò plures eſſent, & » ex hoc ad amorem Eccleſiæ Fidelium excitaretur devotio. Illud etiam » exegi, ut ſex illi Monachi omnes Clerici eſſent, & ad minùs quatuor illo- » rum Sacerdotes, qui miſſas celebrare valerent, & ne ſenarius numerus ullo » modo poſſet imminui, quin infra octo dies reſtauraretur, Abbas & Con- » ventus petitionem meam religioſam attendentes, deſiderio meo aſſenſum » præbuerunt. Sanè ne ſub ſpecie boni, eorum gravamen quærere viderer, » ad duorum Fratrum, quos exegi ſuſtentationem, redditus infra notatos » perpetuò poſſidendos conceſſi. Eccleſiæ de Caſtello, & Monachis ibidem » Deo ſervituris quidquid habebam in furnis de ſancto Ferreolo, unum mo- » dium frumenti, & unum modium avenæ, quos illi qui tenent culturas me- » as de Vvaſſinis in granarium prædictorum Monachorum afferent: omnes » quoque cenſus, quos in eadem villa habebam cum Juſtitia, uſque ad ſep- » tem ſolidos & dimidium. Hanc donationem factam ſollemniter, coram » domino Remenſi, laudaverunt uxor mea, & filij, ego quoque ut rata per- » maneant, præſentes litteras munimento ſigilli mei confirmo.

Hinc data at ex nomine Raynaldi Abbatis S. Nicaſij citati in charta an. 1150. colligitur.

Verùm quàm timidæ mortalium cogitationes, & incertæ providentiæ! Cultus Dei, quem tanto ſtudio pijſſimi hi Comites promovere intenderant, temporis nequitiâ ſenſim imminutus eſt, ſublatiſque Monachis, officium ſtatis horis perſolventibus, Porcenſis Eccleſia divæ Mariæ ſacra ſuo honore privatur, ſed non receptore commendatario, eòque nihil muneris in ea per plures annos exſequente.

Sup. 9.

De pago & Comitibus Caſtri-Porcenſis.

CAPUT XLVIII.

Pagus Porcenſis legitur in Chron. Flodoardi an. 926. & 945 & Porticenſis pagus 949. alicubi ut in Caſt. Portiano voce indeclinabili ſæpius Porcenſis.

CUM hîc erectionis Prioratûs ſanctæ Mariæ de Caſtro-Porcenſi meminerim, haud erit otioſum antiquitatem hujus pagi cum cathalogo Comitum ex veteribus ſchedis more noſtro proferre, ne quid omnino, quod hiſtoriæ lucem afferre poteſt, prætermiſſum videatur. Pagus hic igitur inter Remenſis diœceſis Comitatus celebris, porrectior olim fuit: veriſimile enim eſt terram de Poteſtatibus versùs Mauberti-fontem, quæ Porcenſis vocatur à B. Remigio, prædicti Comitatûs appendicem fuiſſe. Hic diviſa Francorum Monarchia inter filios Ludovici Pij, ſorte Carolo Calvo obtigit, cum aliis quibuſdam pagis, quorum nomina, ut plurimùm nunc obſoleta, Campaniæ noſtræ limites his verbis indicant: *De media Francia Vvarenſis, Vngenſis, Caſtrenſis, Portianenſis, Remegenſis, Laudunenſis, Moſellis, &c.* Quæ Flodoardus paullo aliter, & clariùs expreſſit agens de Miſſis-Dominicis ſub Carolo Magno.

Idem Auctor in Chronico ad annum 920. totam regionem quæ Caſtro-Portiano adiacet, *Pagum Porcenſem & Porticenſem* nominat, ubi pagus hîc ſumi non debet pro villa, quæ ex multis ædificiis ruſticis coaleſcit, ſed

pro

pro territorio, tractu, seu regione integra, quam Galli sua lingua *Pays* vocant: unde Porcense territorium, Teriaschiam versùs; pagis Voutizo, Remensi, Castricensi, Dulcomensi, & Laudunensi terminabatur. Certissimum enim est, latiùs patuisse, ut dixi, quoad dominium sub ultimis Regibus secundæ stirpis, cùm Flodoardus referat anno 933 Bernardum Comitem castellum apud Archeias in pago Porcensi constructisse, quod Richarius Episcopus Tungrensis evertit. Hinc forsan P. Pithæus vir summæ litteraturæ collegit, partem Porcensis territorij versùs Mosam, olim fuisse dominij Leodiensis Ecclesiæ. Urbs Castrum-Porcense dicta, & quæ totius pagi caput est, in amœno, sat fecundo loco super Axonam sita est, pascuis & pratis abundans; quando cœperit, & utrum Comites totius pagi dominos habuerit ante Carolum Calvum, vix certò affirmari potest. Aliquos hîc è vetustioribus subnectam, ut ex Tabularijs colliguntur.

Hucbaldus filiæ Everardi Ducis & Comitis Cisonij maritus, cujus Flodoardus meminit lib. IV. à multis censetur Comes Porcensis, claruit anno 880.

Manasses I memoratur apud Flodoardum in Chronico anno 915. his verbis: *Manasses Comes cum Ragenoldo Nortmannos prosternit apud Calvum-montem.* At Calvus-mons in Porcensi agro situs est.

Rogerus I legitur in Appendice ad Flodoardum pro restitutione Vallis-Rodiginis, floruitque anno 940. Hic vel alter ejusdem nominis Abbatiam sancti Theoderici tenebat, cùm Remensis Archiepiscopus Adalbero Benedictinos in ea Regis auctoritate restituit anno 971. subscripsitque privilegio Lotharij Regis in favorem prædicti Monasterij an. 974. Hujus filius Hugo nomine *nobili prosapia genitus* dicitur in eadem Appendice.

Manasses II Comes Porcensis, & Retellij, hominium fecit Gervasio Archiepiscopo, pro villis quas ab Ecclesia Remensi acceperat anno 1055. ultróque fassus est castellum de Alto-monte, huius pariter esse dominij, chartâ nobilium virorum sigillis munitâ, quam supra retulimus. Filios post se reliquit Rogerum & Raynaldum.

Rogerus II Hascelini Comitis de Grandi-prato frater, donationi altaris de Baina, Comitis dumtaxat nomine scripsisse legitur anno 1052. Ecclesiam apud Calvum-montem exstrui curat, quam B. Arnulfus Suessionensis Episcopus consecravit, ex Lisiardo cap. 36. Hanc postmodum Præmonstratenses occupârunt, in charta Rodulfi Archiepiscopi, quâ bona Eremitarum Calvi-montis Canonicis confirmat anno MCXI.

Albericus an. 1087. & Guibertus de Novigento.

Rogerus alter Raynaldi filius nominatur & Adeleidis, porro ex Ermengarde conjuge liberos suscepit Ottonem Comitem de Varx, & Sibillam, quæ Godefrido Namurcensi nupta, Comitatum etiam pro dote habuit. Ottonem subscripsisse reperio in charta fundationis Prioratûs de Noviomo, cum titulo Comitis de Varx anno 1097. altaria quoque de Betanacurte & de Burimont rogatu ejus concessa fuisse Nicasianis à Manasse Archiepiscopo anno 1106.

Godefridus Namurcensis Comes, ex parte Sibillæ conjugis Comes de Castello-Porcensi nominatur in charta prædictæ fundationis de Noviome, anno 1097. Quis verò post eum Comitatûs heres fuerit, non satis liquet; quidam asserunt ad gentem Castilloneam transisse sub Guidone I. Hic enim duos habuit filios, Guermundum qui & Guarmundus, vel Guarimundus de Castellione, sine titulo Comitis in pluribus chartis annis 1103 & 1115 appellatur, & Gerardum, quem Henrici Comitis de Grandi-patro Rogeri II. fratris filiam duxisse putant, è qua Comitatum habuit; sicque genealogiam continuâsse. At Gerardus hic natu major Guidonis de Castellione necdum mihi innotuit; sed inter Godefridum primum & secundum legitur.

Guermundus hic de Castellione Ruminiaci advocatus post Compendiensem Ecclesiâ vocatur in Charta S. Cornelij Compendiensis an. 1133.

Henricus Comes Castri-Porcensis in fundatione Signiacensi anno 1134.

SAMSON XLIX. ARCHIEP.

hic concenſit & Elizabetha Comitiſſa de Calvo-monte uxor Clarembaldi domini de Roſeto prope Calvum-montem, ut Præmonſtratenſes ſubrogarentur Canonicis ſæcularibus apud Calvi-montis Cœnobium, anno 1147. Eccleſiam quoque B. Mariæ de Caſtro-Porcenſi, quam à progenitoribus acceperat, Monaſterio ſancti Nicaſij ſub Samſone Archiepiſcopo uniendam conceſſit, in qua Prioratus inſtitutus. Henricus Elizabetham reliquit filiam, cujus fit mentio in charta Raynaldi Archiepiſcopi apud Nicaſian. anno 1125. Item & Berthæ Comitiſſæ & Godefridi filij ejus.

An. 1144.

Annales Hannonienſes referunt Balduinum Hieroſolymitanũ Hannoniæ Comitem Ælidem filiam habuiſſe, quæ Hugoni Domino de Rumigny & de Florines nupſit an. 1101, vel 1105, ex quibus prodierunt Nicolaus de Rumigny, Beatrix de Rumigny, Mathildis de Rumigny quæ cum Domino de Brabançon fecunda eſt.

Godefridus II. Comitis Caſtri-Porcenſis titulo inſignitur in chartulario S. Nicaſij anno 1190. Hic duxit N. de Turno, filiam Radulfi, ex qua Radulfus, Godefridus & Guido prodierunt.

Radulfus in chartulario ſancti Remigij nominatus, anno 1207, ſeptemdecim ſextarios bladi, ſeu ſiliginis, Sanctimonialibus ſancti Petri Remenſis ſingulis annis percipiendos in molendinis de Balham tradidit, ut earum precibus commendaretur, anno 1218. Ex Agnete de Baſoches uxore & Nicolai I. domini de Baſoches filia plures liberos reliquit. Agnete poſt ejus obitum vidua permanente Theobaldus Campaniæ Comes cuſtodiam Caſtri-Porcenſis, terrarúmque ad illud pertinentium Henrico Comiti de Grandi-Prato commiſit: at Agneti poſtmodum nuptum datæ Errado Damoy filio Oudardi Mareſchalli Campaniæ, aſſenſu prædicti Theobaldi, caſtrum ea conditione redditum eſt; ut filijs Rodulfi ætate provectis ſine dolo redderetur. Hi fuerunt Nicolaus de Caſtro-Porcenſi, Guido LXII. Epiſcopus Sueſſionenſis, & alter Nicolaus. Porro veterum Comitum ſigilla è ceris videſis ad calcem hujus Tomi cum alijs inſignioribus, quæ reperire licuit.

Nicolaus I. Radulfi major natu uxorem habuit Iſabellam de Chievres, ex qua tres liberos ſuſcepit; quorum primus Godefridus nomine uxorem duxit Felicitatem Hugonis Comitis de Rueux filiam, & alterius Felicitatis, dominæ de Beaufort, ex qua nullos reliquit heredes.

Nicolaus II. de Caſtello, præcedentis frater etiam deceſſit ſine liberis, & ſic eorum ſoror N. de Caſtello-Porcenſi, Comitatûs heres eum marito ſuo domino de Montcablon detulit, reliquſtque ex eo Jacobum de Montcablon, & *Alexiam Ægidij domini de Roiſin uxorem. Prædicta Adelis quondam Comitiſſa Caſtri-Porcenſis legitur in Necrologio ſancti Nicaſij Remenſis 2. Idus Maij.

*vel *Adelidem*

Jacobus Montis-Cathalaunenſis dominus vulgò de Montchalon memoratur in Chartularijs, annis 1276. 1286. & 1294. patruiſque ſine liberis decedentibus, Comitatui ſucceſſit Galcherus de Caſtellione. Jacobus hic geſtat in ſcuto inſignia gentis Caſtilloneæ cum lilio in fronte.

Galcherus de Caſtellione Franciæ Conſtabularius ſociavit ſibi Iſabellam Drocenſem, legitúrque anno 1289, quo Caſtellaniam de Caſtellione cum alodijs ab ea dependentibus, præter Caſtri proprietatem, Philippo Pulchro tranſtulit, ut ibi regalis præpoſitura conſtitueretur. Rex autem ei Comitatum de Caſtro-Porcenſi dedit in concambium, cum villis de Roſoy, & de Gandelu. Conſtabularius Franciæ electus eſt in locum Radulfi de Claromonte in pugna Curtracenſi perempti anno 1302. Fratribus & Sororibus hoſpitalis Remenſis bannum, Juſtitiam, vovariam, partémque alodij villæ de Ecly in agro Porcenſi, & de Gomont ex Comitatu & alodio Caſtellenſi provenientem dedit anno 1313. Helleſinde de Vergi defuncta, quæ ſecunda ejuſdem fuerat uxor, Elizabetham de Ruminiaco duxit, Duciſſam dotariam Lotharingiæ, ac Theobaldi Ducis relictam, unde ipſius nomine Abbati ſancti Nicaſij pro villis de Baye, & de Lyart, & pro ſilvis ab ijs dependentibus hominium fecit. Legitur præterea in chartis Nicaſianis, annis 1329. 1330. & 1338, Monaſterij Boniſontis, cui in eleemoſynam quinque modios frumenti ſingulis annis percipiendos erogavit.

Digitized by Google

gavit. In ſcuto unicam merulam habet.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1144.

Galcherus II. præcedentis filius & Iſabellæ Drocenſis Comitatum Porcenſem tenuit vivente patre; fuit etiam dominus du Tour & de Dampierre, ex parte uxoris, Margaretæ ſcilicet de Dampierre, cum qua matrimonium iniit anno 1308.

Galcherus III. pœnâ pecuniariâ decreto Senatûs Pariſienſis mulctatur MMMM. librarum erga Regem & M. erga Capitulum Remenſe, quæ tamen ex media parte remiſſa anno 1342. quòd cùm trecentis Equitibus longè, latéque depopulatis agris, & direptis, multos accolas de Boul ſuper Sopiam, carceri mancipâſſet. Hic Johannam de Conflans matrimonij fide ſibi devinxerat.

Johannes I. de Caſtellione Comes Porcenſis & dominus du Tour memoratur anno 1346. Johanni de Craon Remorum Archiepiſcopo Roſciacum expugnanti ſuppetias tulit, anno 1359. In Angliam obſes miſſus eſt, ut Johannes Rex liber rediret. Uxorem habuit Johannam d'Apremont dominam de Calvo monte in agro Porcenſi, tum Jacquelinam de Domno-Martino, exceſſit anno 1390.

Johannes de Caſtellione II. tranſegit titulo Comitis de Caſtro-Porcenſi cum Fratribus & Sororibus hoſpitalis Remenſis anno 1391. vendiditque poſtea Comitatum Ludovico Duci Aurelianenſi, qui teſtamento eum Carolo Duci Aurelianenſi fratri natu majori reliquit. Hic pariter in pugna de Azincurte captus ab Anglis, prædictum Comitatum vendidit Antonio de Croy, anno 1435. cui ſucceſſit.

Philippus I. de Croy Præfectus ſeu Toparcha Remenſis, & Eques Torquatus in Ludovici XI. inauguratione: claruit anno 1484. filiúmque habuit Antonium de Croy Tarvanenſem Epiſcopum, qui in Hieruſalem pietatis ergo profectus, diem ultimum clauſit in Cypro anno 1495.

Philippus II. de Croy titulo Comitis de Caſtro Porcenſi inſignitur in coronatione Franciſci I. anno 1514. fuitque unus ex Baronibus, qui ſanctam Ampullam deduxerunt, quâ Rex ipſe unctus eſt. Hic Catharinam de Chaſteaubriant duxit uxorem, ex qua prodijt Guillelmus de Croy Cardinalis Epiſcopus Cameracenſis, poſtmodum Toletanus Archiepiſcopus in Hiſpania. Carolus de Croy Tarvanenſis Epiſcopus, & Robertus, qui Guillelmo fratri ſucceſſit in Epiſcopatu Cameracenſi, anno 1516. ſub Philippo Comitatus Porcenſis erectus eſt in Principatum, anno 1565

Antonius de Croy Princeps Caſtri-Porcenſis Catharinam Franciſci Clivienſis filiam duxit, nullíſque ex ea ſuſceptis liberis, relicta ejus Henrico Lotharingiæ Duci Guiſiaco nupſit, ex qua prodeunt illuſtriſſimi hujus familiæ Principes, qui adhuc florent in Gallia.

Comites de Grandi-Prato.

CAPUT XLVIIII

GRANDIS-PRATI Comites cognationis nexu juncti cum Porcenſibus poſtulare videntur, ut horum antiquitatem, réſque ab eis geſtas breviter hîc inſeram: præſertim cùm horum Toparchiæ haud multum diſtent ab invicem, & ſint in diœceſi Remenſi. Et ut à loci nuncupatione ordiar, aliquod ejus veſtigium exſtat apud Flodoardum lib. 2. cap. 18. ubi villas recenſet, quarum reditus Vulfarius Præſul Remenſi Eccleſiæ diſtribuerat, pro ſui corporis & animæ ſalute, cùm Romani

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An* 1144.

mam proficiſci vellet, noménque ſortitus videtur à pratorum amplitudine, quæ juxta fluvioli alveum (*Ayr* dicitur) cui villa de Grandi-Prato adjacet, grata amœnitate vireſcunt. At hæc ſub Vulfario admodum exigua erat, nec Comitatûs dignitatem conſecuta eſt uſque ad annum circiter 1000. quo veteres Comitatus, eorúmque nomina exoleverunt: tunc enim potentiores è Nobilibus erectis de novo per diœceſim Remenſem, ut & alibi paſſim, caſtellis ſeu munitionibus, turbatis Regni negotijs toti viciniæ dominari, noménque, ac famam ſibi comparare cœperunt affinitate Principum, obſequióque validioribus præſtito, ut horum ope firmarentur. P. Pithæus Comites de Grandi-Prato numerat inter Pares Comitum Campaniæ, quaſi horum vaſalli fuerint; at certum eſt, hos ab eis hoc titulo honoris gratiâ cohoneſtatos, cùm ex eodem auctore Dynaſtæ Trecenſes in ſuperiorem Campaniam ſuum dominium non protulerint. Ceterùm ex Monaſteriorum tabularijs veteres hos tantùm Grandis-Prati Comites hactenus excerpere licuit.

Hermanus Comitis de Grandi-Prato nomine indigitatur in Obituario matricis Eccleſiæ Remenſis, quo autem tempore vixerit, incertum, quidam ſcribunt vixiſſe anno 1060.

Haſcelinus Rogeri Comitis Porcenſis frater nominatur in Chartulario ſancti Nicaſij, anno 1087. & in charta Rodulfi Archiepiſcopi, qua terram de Ambly impertit Canonicis ſancti Dionyſij Remenſis. Hic ad bellum ſacrum cum Godefrido Bullioneo profectus eſt anno 1101.

Balduinus Haſcelini ſeu Heceli Comitis frater, ut eſt in Necrologio Remenſi, idem aggreſſus eſt iter anno 1101.

Richardus Virdunenſis Archidiaconus, filius, patruus, ac tutor Comitum de Grandi-Prato, filiorum ſcilicet Balduini, qui in Palæſtina Martyr occubuit, Comitatum rexit per aliquot annos. Hic Archiepiſcopatum Remenſem à Paſchali Pontifice oblatum recuſavit, ut dixi ſupra, factúſque Epiſcopus Virdunenſis obijt apud Montem-Caſſinum anno 1114, ut habet Robertus in Gallia Chriſtiana.

Henricus I. regimen Comitatûs adeptus eſt poſt exceſſum patrui ſui, nominatúrque in charta inferiùs deſcripta, ubi ob vexationes ſancti Remigij hominibus inflictas, triginta ſolidos Cathalaunenſis monetæ Monaſterio aſſignat ſingulis annis percipiendos ſuper molendinum de Hans. Refert Vuaſſeburgus hunc Imperatoris mandato Virdunenſem Epiſcopum ab urbe expuliſſe, quòd à ſuis partibus deſciviſſet anno 1121. Unde Albericus putat ob id ab eodem Imperatore Comitatu Virdunenſi donatum anno 1123. liberos ſuſcepit ex uxore nobis incognita Henricum, & Raynoldum.

Henricus II. Leuchardem ſibi ſociavit uxorem aſſenſu Alberti Virdunenſis Epiſcopi, ex Vaſſeburgo, reſtituítque eleemoſynam Monaſterio ſancti Remigij factam à Patre ob forisfacta, hortatu Samſonis Archiepiſcopi anno 1151. Charta ſic incipit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Deo propitio Magnipratenſis Comes tam futuris, quàm præſentibus in perpetuum. Eleemoſynam, quam pater meus Henricus Comes pœnitentiâ ductus, pro forisfactis ſuis, quibus in ſanctum Remigium aſſidua offenſione deliquit, eidem ſanctæ Eccleſiæ triginta ſolidos de reditibus propriis annuatim perſolvendos conceſſit. Ego Henricus eleemoſynam patris mei aliquot annis poſt obitum ejus retinere præſumpſeram, ſtimulo excommunicationis aſtrictus præfatæ Eccleſiæ recognovi, & in manu Samſonis Remenſis Pontificis reddendo repoſui, &c. Donationem hanc confirmavit Albertus Virdunenſis Epiſcopus, quòd molendinum de Hans de feodo eſſet ſuæ Eccleſiæ.

Henricus III. duxit Ermentrudem Bartholomæi Laudunenſis Epiſcopi ſororem, Fulconis Principis in Burgundia & Adelaidis Roceïacenſis filiam:

ex

ex Hermanno, ex qua alter Henricus prodijt, & Adelais altera mater Richardi Laudunenſis Archidiaconi, ac Epiſcopi Virdunenſis poſt Albertum anno 1163. Henricus nominatur in charta ſancti Nicaſij cum Godefrido de Balham, domino de Grand-pré, qui Monachis dat capellæ patronatum in caſtello de Balham, approbante Guillelmo Archiepiſcopo, & Henrico palatino Trecenſi, anno 1171. Priori ſancti Thomæ de aſſenſu Baronum, & hominum ſuorum, piſcationem fluminis Axonæ in certo loco conceſſit anno 1176: decimam quoque Montis-ſancti-Remigij Abbati ſancti Nicaſij, pro luendis vexationibus, quas intulerat incolis ſancti Hilarij, conſenſu Henrici filij ſui anno 1178. Charta pro piſcatione ſic incipit.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1144.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Comes de Grandi-Prato, & filius meus Henricus, tam præſentibus, quàm futuris notum fieri volumus quòd nos inſpiratione divina compuncti pro remedio animarum noſtrarum, & patris mei, & uxoris meæ, nec non & prædeceſſorum meorum, Deo & venerabili Petro Abbati ſancti Remigij, & Iohanni cariſſimo nobis Priori ſancti Thomæ, ceteriſque Fratribus Deo & ſancto Thomæ inibi militantibus, aſſenſu Baronum & hominum noſtrorum, dedimus in perpetuum fluminis Axonæ piſcaturam, ab eo loco ubi Biona decidit in Axonam uſque ad locum ubi fons de Chimeron in eundem Axonam profluit, &c. Vt autem noſtra donationis ſtabilitas nullius temporis excurſu infringi poſſit, ſigilli noſtri impreſſione & teſtium ſubſcriptione roborari præcipimus. Raynaldus de Sommepy frater Comitis, Engiobrannus de Altreyo, Vlricus de Sarnaco Iohannes de Vienna, & frater ejus, Richerus, Vualterus de Vienna & Ludomarus frater ejus, Vualterus Dapifer & Nicolaus de Vienna &c. Actum anno 1170.

Barones Comitis de Grandi-prato.

Henricus IV. præcedentis filius ex Cruce ſignatis fuit adverſus Albigenſes, fato functus anno 1211, ex Alberico. Idem auctor meminit Petri Comitis de Grandi-Prato, qui cum Rege Navarræ interfuit ſupplicio CLXXXIII. Hæreticorum apud Montem-cornutum, anno 1239.

Henricus V. memoratur in Chartulario ſancti Dionyſij Remenſis cum Iſabella uxore & Johanne filio, anno 1212 & 1220. vadem ſe obtulit pro Abbatiſſa de Claro-mariſco erga Nicaſianos, obtinuitque ab Abbate ſancti Remigij facultatem exſtruendi villam in territorio Senucenſi, anno 1272. ut ipſe agnoſcit hac charta.

Ego Henricus Comes Grandis-Prati notum facio omnibus litteras iſtas viſuris, quòd Abbas & Capitulum ſancti Remigij Remenſis communi aſſenſu me, & heredes meos, qui mihi in Comitatu ſuccedent, aſſociaverunt ad faciendum novam villam, in territorio ſancti Oricoli ſito, inter Sidunum & Chevier, ſicut per Priorem de Siduno limitabitur, ad participandum cum eis in dicta villa in omnibus modis, & commodis, exceptis altari & decima tam majori, quàm minuta, quæ ſibi ſpecialiter retinuerunt, &c.

Idem Henricus legitur inter vexillis inſignitos ſub Philippo Auguſto Francorum Rege, conſenſit tanquam ſummus dominus vinditioni decimarum, quas habebat Johannes de Alneto miles dominus de Genduno, in villis de Graternes juxta Mauram de Arduelles, &c. factæ Monachis ſancti Nicaſij, anno 1258. Adhuc reperitur in Chartulario ejuſdem Monaſterij, pro reſtitutione decimarum Montis-ſancti-Remigij, anno 1281 & 1287. pro LX ſolidis ſancto Nicaſio aſſignatis in Tonnegia de Maure, ubi & Henricus filius ejus nominatur.

Sub eo vixit Godefridus de Grandi-Prato Catalaunæ Epiſcopus.

Johannes Henrici filius Comitatûs clavum tenuit anno 1300 & 1320. ex chartis ſancti Dionyſij Remenſis.

Eduardus ibidem memoratur anno 1386.

Federicus interfuit pugnæ de Azincurte, obiitque in tumultibus Pariſienſium adverſus Armeniacos, anno 1418. Meyerus.

Henricus de Borſelle. Lu-

Digitized by Google

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1144.

Ludovicus de Grandi-Prato, Miles, dominus de Landres, Binervillam tenebat in omni Juſtitia ex Abbate ſancti Remigij, anno 1463. an Comitatu potiretur haud ſatis ſcio; conſtat enim Comitatum Grandiſpratenſem mox tranſijſſe in familiam de Joyeuſe, inter illuſtriores Galliæ nobilitate, præfecturis, rerúmque geſtarum gloriâ clariſſimam: cujus origo, & affinitates, cùm ab hujus ævi Auctoribus Sammarthanis præſertim dilucidè explicentur, in ijs longiùs immorari ſupervacaneum duxi: dicam tamen in MS. genealogiam familiæ de Joyeuſe continente hæc haberi, Ludovicum ſcilicet de Joyeuſe, poſt obitum Johannæ de Bourbon, ſociâſſe ſibi Iſabellam de Halevvin Johannis de Halevvin filiam natu majorem, dictæ villæ Dominam in Flandria prope Menenum quatuor leucis ab Inſulis, qui poſterioris hujuſce uxoris vendito patrimonio; quòd procul abeſſet, ex denarijs provenientibus Comitatum de Grandi-Prato emit ab Henrico de Borſelle, Regis Præfecto in oris maritimis, quem pariter emptione ſibi comparaverat à Quintino le Bouteiller, & dictus Quintinus ab Eduardo de Grandi-Prato, cujus ſupra meminimus.

Eſt quidam Gobertus de Grandi-Prato qui Clundiam duxit Roceiacenſem ex qua Iaquelina S. Petri Rem. abbatiſſa.

Ludovicus empto Grandis-Prati Comitatu, mox ſe Comitis titulo inſignivit, ad quem Carolus VIII. reſcripſit, eum Comitem vocitans, fuítque de Joyeuſe dictus, cujus familia longè vetuſtior eſt, traxiſſéque nomen dicitur ex veteri caſtello, in Occitania, ſeu Gothia, versùs Helvios, quæ Baroniæ nomine intitulata eſt, uſque ad annum 1432, quo erecta eſt in Comitatum ſub Carolo VII. in favorem Ludovici de Joyeuſe, inde in Ducatum, & Pariatum Franciæ, ab Henrico III. anno 1581. in perſona Johannis de Joyeuſe Franciæ Architalaſſo.

Ludovicus de Joyeuſe Comes de Grandi-Prato reliquit Robertum de Joyeuſe, qui Margaretam de Barbançon duxit uxorem. Ab his ortus eſt Fulcaldus de Joyeuſe, qui ſociavit ſibi Annam d'Anglure, è quibus prodierunt quinque filij, Johannes in pugna de Moncontour plaga inſanabili ſauciatus, ex qua & mortuus eſt; Robertus de Joyeuſe miſſus à Rege in obſidionem Vitriaci, percuſſus interijt anno 1589, Claudius de Joyeuſe, Imbertus de Joyeuſe, Antonius de Joyeuſe, qui ab Henrico Moſomenſi Toparchiæ præficitur 8. Maij 1594. Ijs ſucceſſit, Margarita de Joyeuſe Comitatûs heres, quæ obtenta diſpenſatione germano ſuo nupſit Carolo-Franciſco de Joyeuſe, è quorum matrimonio prodijt Carolus, item Franciſcus de Joyeuſe Comes de Grandi-Prato bellica virtute ſublimis, qui totam provinciam meritò ſibi devinxit ob fortiter geſta in deprædatores & incendiarios è Rupe-regia ab hoſtibus occupata, victoriámque feliciter in eos prope Sillerium adeptam menſe Octobri anno 1657.

Reliquias S. Confeſſoris Gibriani è veteri techa in ditiorem transfert Samſon Archiepiſcopus, divortium Philippi fratris Regis approbat, Palliúque uſu privatur, quòd in Eccleſia interdicta miſſam celebrâſſet.

CAPUT L.

INITO Chriſti anno 1144 ſacra beati Gibriani Confeſſoris pignora, quæ per ſexaginta & amplius annos in capſa lignea, abſque ullo ornatu condita remanſerant, Deo volente in decentiorem tranſlata ſunt, mirabili quodam & inuſitato eventu, quem ex Auctore ſinchrono paucis exhibeo. Remenſi provincia ob caritatem annonæ penuriâ laborante ſub finem

Digitized by Google

finem Regni Philippi primi, Clerici, quibus præſertim incumbit curam habere pauperum, opibus deſtituti, cruces aureas, calices, ſacráſque ipſanothecas venalia expoſuêre, ut ex pecunia quæ inde conflaretur, miſeris ſubvenirent: tunc B. Gibriani theca magnifica, auro, gemmíſque, quibus ab Huldárico Comite pridem exornata fuerat, penitùs denudata fuit Mandritis nihil ſacrilegij fore reputantibus, quod Deo & membris ejus motu pietatis impenderetur. SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1145.

Regno poſtmodum feliciore ſuccedente, Deus ut tale ſacrificium ſibi gratum fuiſſe, acceptúmque patefaceret, fidelibus, quibus incliti confeſſoris Gibriani cara erat memoria, ſuggeſſit, ut ex opibus ſuis abundè conferrent, ad ditandum de novo, & cooperiendum ejus feretrum, ob Chriſti pauperes alendos, urgente neceſſitate ſpoliatum.

De miraculis in B. Gibriani tumulo editis & Reliquiarum tranſlatione ſide quæ diximus Cap. 39. de fundatione Carthuſiæ Montis Dei.

Spontanea hæc erogatio clarere cœpit ſub Odone Abbate, capſáque fabricari nono regni Ludovici VII. anno 1145. operâ peritiſſimi cujuſdam fabri Huberti nomine, qui apud ſanctum Remigium ob crimen aliquod, cujus erat ſuſpectus, velut in libertatis aſylum, nuper conceſſerat. Cúmque ad illud opus ritè perficiendum omnem ingenij vim, & artem impendiſſet, dies ſollemnitati Tranſlationis indicitur, feriâ ſcilicet ſecundâ poſt Paſcha, ſupplicatione, ſtationéque celebris, quæ eo die à clero quot annis fieri ſolet ad beatum Remigium. Et ut ab introeuntibus Eccleſiam ſacræ Reliquiæ faciliùs conſpici poſſent, eíſque debitus honor exhiberi, juxta altare ſanctæ crucis in eminentiori loco collocatæ ſunt, & palam expoſitæ. Clero igitur hac die (ut moris eſt) cum Archiepiſcopo veniente ac infinita propemodum populi utriúſque ſexus multitudine, illuxit hora jamdudum exſpectatæ ſollemnitatis. Tunc enim, ut narrat prædictus Author, " dominus Archiepiſcopus Pontificalibus inductus veſtimentis, ſacerdotalíque " trabeatus infula & miniſtris cum crucibus & cereis, ceteríſque ſancti altaris ordinatè præcedentibus miſſam celebraturus proceſſit: lecto verò Evan- " gelio, ſumptis ſecum venerabilibus Abbatibus domino ſcilicet Odone ſancti Remigij, Vuillemo ſancti Nicaſij, Urſione ſancti Dionyſij Remenſis, " pluribúſque perſonis, cœtúque Clericorum ad promovendum Sanctum, per " medium chorum tranſiens vadit, cui advenienti populus omnis devotus " aſſurgit. Ille autem ſcandens pulpitum, ubi Fratres cum Reliquijs, ejus " præſtolabantur adventum, ſalutatorium ad populum exorſus eſt ſermonem, " quo completo, cunctíſque reſpondentibus Amen, deinde feretro novo " benedicto, & aquâ benedictâ aſperſo, cantatâ eſt ab omnibus antiphonâ, " ***Sancte Gibriane***, additâ collectâ, & benedictione, quibus finitis, loculum, in " quo ſancta oſſa jacebant, confregit, & primò caput elevans, poſt cetera " membra involuta pallio ſerico extraxit, & nudata cum capite oſtendit. " Tunc gaudia fletibus admixta, gemitus plauſibus adjuncti fuêre, & ſtrepitu " vocis hymnidicæ tota roboabat Eccleſia. "

Poſtea dominus Archiepiſcopus cum ipſo capite ſignans populum, ſcrinium præparatum aperuit, & in eo Sancti membra, ut erant pallio ſerico " involuta, diligenter recondidit, ſícque deſcendens ad Divina tractanda " reverſus eſt, omnibus autem ritè celebratis & data benedictione, ad propriam cum Clero regreditur ſedem. "

Ipſo verò Tranſlationis die ſeptimo Calendas Maij vergente ad occaſum, " beatus Confeſſor Gibrianus quodam caritatis motu in Clericum, qui ſibi " ob communem patriam, vicinior eſſe videbatur, bonitatis ſuæ ſinum ex- " pandit, ab eóque cœpit poſt prædictam celebritatem miraculis commendari. Hic enim de Vuallia, patria Sancti David natus, nomine Johannes, " quæ regio vicina eſt Hiberniæ, ſeu veteri Scotiæ, unde & beatus Gibrianus ortum habuit, cùm Remis diſcendi causâ moram faceret, inopinato " caſu paralyſi percuſſus, ſtudijs ampliùs vacare non poterat, donec feriâ "

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1145.

„ ſecundâ Paſchæ, die ſcilicet Tranſlationis, ſummo ſurgens diluculo, quæ-
„ dam ſibi ob oculos verſari viſa ſunt, paullatimque in pedum articulos vi-
„ gorem irrepere ſenſit, unde dudum attenuata genuum veſtigia cæleſti quo-
„ dam veluti linimento ſic roborata ſunt, ut rurſum animatâ membrorum
„ fabricâ, opitulante Deo, precibus S. Gibriani ſubitò ſurrexerit, ac ſine cu-
„ juſquam adminiculo ad ejus feretrum gratias acturus, mirantibus cunctis,
„ ſanus & incolumis accurrerit.

Ad famam hujus miraculi infinita propemodum languentium multitudo certatim confluit, ut beati Confeſſoris virtutem experiretur, quæ recèns in favorem Hiberni Clerici inclaruerat, factúmque eſt, ut qui prius laudem & merita prædicti Confeſſoris extollentibus vix aurem præbuerant, ſtupore quodam perterriti, & compuncti munera, non jam ad feretrum perficiendum, ſed ad ditandam Eccleſiam, quæ ſacrorum ejus pignorum cuſtos eſt, ultro proferrent. Inter eos qui ſibi non morituram gloriam pepererunt, eminet Stephanus Metenſis Epiſcopus purpurâ cardinalitiâ inſignis; hic enim ad expeditionem tranſmarinam cum Rege profecturus, villam de Marſeri diœceſis Tullenſis in Lotharingia beato dedit Gibriano, in qua Henricus Tullenſis Epiſcopus, ferè eodem tempore, capellam nomine ejuſdem Confeſſoris ædificari permiſit, quam ſub titulo Præpoſituræ Monachi tenuerunt ad an. 1537. quo Rob. de Lenoncourt I. Abbas Commend. S. Remigij, & Conventus rogati à Philippa Gueldrenſi Regina Siciliæ & Lotharingiæ dotaria, jus & proprietatem prædicti loci ſponte abdicârunt, pro velatis Virginibus Ordinis ſanctæ Claræ ſtabiliendis, cujus & ipſa Philippa prima fuit, poſt ſuſceptum religionis habitum, Abbatiſſa. Henricus Campaniæ Comes ſe quoque beneficum erga B. Gibrianum præſtitit donatione rivuli villæ de Condeto ſupra Maternam, cum banno, aliúque permulti, quorum largitiones & eleemoſynæ notantur in tabulario, ſcriptíſque codicibus, quæ extant apud S. Remigium.

Anno 1152.

Vigente adhuc diſcordia inter Ludovicum VII. & Comitem Campaniæ, Philippus Ludovici VII. quintus filius, & Regis frater, qui filiam Theobaldi majoris matrimonio ſibi conjunxerat, petijt ab eâ ſeparari, propter affinitatem, ſuper quâ diſpenſatio non interceſſerat. Samſon Archiepiſcopus divortium approbavit anno 1145. ut narrat Rodulphus de Dicy Decanus Laudunenſis. Philippus uxore ſolutus ſtatum eccleſiaſticum amplexus eſt, regalibúſque Abbatijs ſucceſſit, quas Henricus frater ejus tenuerat antequam ad Clarevalenſes ſeceſſiſſet.

Lege Lundonienſis.

Lib. qui inſcribitur Imagines hiſtoriar.

Anno ſequenti Edeſſa civitas capta eſt à Turcis, noſtrorum dormitante providentia (ut habet Chronicon Mauriniacenſe) Sarcacenorúmque ceſſit dominationi: quæ res cùm nimio dolore fidelium accolarum Hieruſalem intima ſauciaret, Legati à Primoribus mittuntur ſuppetias à Francis expoſcentes, ut periculum relictis proximè imminens innata ſua generoſitate propulſarent. Rex plenus fide & verè Catholicus oppreſſorum miſeriæ condoluit, útque eam citiùs vindicaret, ſelectiſſimorum totius Regni Principum egit conventum, caſtro Vezeliaci, in quo cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, Bernardus Clarevallenſis Abbas magnæ vir pietatis, qui aderat, quanta potuit animi contentione cunctos hortatus eſt, ut ad ulciſcendas Chriſti inimicitias totis viribus inſurgerent. Rex ipſe primus crucem aſſumpſit, & poſt ipſum Alienor uxor ejus, Alphonſus Comes S. Ægidij, Theodericus Comes Flandriæ, Henricus filius Theobaldi Comitis Campaniæ, Guido Comes Nivernenſis, Ivo Sueſſionenſis item Comes, Guillelmus Pontivienſis, Engueranmus de Couciaco, aliique permulti magni nominis ex provincijs Picardiæ & Campaniæ, quaſi ſuo exemplo Petrus Eremita hanc proficiſcendi gloriam patriæ ſuæ peperiſſet. De Præſulibus, Simon Epiſcopus Noviomenſis, Godefridus Lingonenſis, Alviſus Attrebatenſis

An. 1146.

batensis, quorum hic Philippis urbe Macedoniæ, Simon verò Seleuciæ vitâ excessserunt. SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1146.

Generalis quoque Placiti ob eam rem Carnuti celebrati meminit S. Bernardus epistolâ 256. ubi se à Principibus in ducem ac principem militiæ electum refert. Item & alterius Placiti epist. 247. cujus locum non indicat, in quo Samson Remensis Archiepiscopus Regi coronam imposuit, plurimis astantibus ex sacra expeditione Primoribus. At cùm hoc facto Eugenij minas in se concitârit, juvat ex Patriarchio Bituricensi Pontificis epistolam hîc referre, quâ & locus, & objurgationis causa innotescent, ante hanc Patriarchij Auctor sic præfatur.

Quemadmodum Remensi Archiepiscopo jure competit Regem Francorum sacro Chrismate è cælo quidem demisso inungere, sic ad Bituricensem Patriarcham pertinere dignoscitur Reges Aquitaniæ regio diademate coronare. Quod dum aliquando Romæ exsistente domino Petro Archiepiscopo, Samson Remensis Antistes temerè usurpâsset, sanctissimus Papa Eugenius usum Pallij ob hanc causam eidem Remensi interdixit, ut ex subjectæ Eugenij epistolæ ad Samsonem patebit.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei, venerabili Fratri Samsoni Remensi Archiepiscopo; salutem.

QUantum sancta Romana Ecclesia, nostrique prædecessores felicis « recordationis videlicet Innocentius, Cælestinus, Lucius, pro pace « Bituricensis Ecclesiæ, & venerabilis Fratris nostri Petri, ejusdem Ecclesiæ « Archiepiscopi, laboraverint, universus ferè mundus cognovit, & prudentiam « tuam latere non debuit. Nunc autem cùm per Dei gratiam & eo « rumdem prædecessorum nostrorum studium, ad portum quietis venisset, « tu, qui eidem Fratri tuo congratulari debueras, versa vice, in ipsius injuriam, « & perturbationem ausu temerario prorupisti, & carissimum filium « nostrum Ludovicum illustrem Francorum Regem coronare in Bituricensi « civitate, contra appellationem ad Sedem apostolicam, præsumpsisti; quod « nec tu, nec aliquis prædecessorum tuorum fecisse dignoscitur: immo ad « majorem beati Petri, & nostrum contemptum, Bituricensem Ecclesiam à « divinis Officijs interdictam, cum Gosleno Suessionensi Episcopo, & alijs « Ecclesiæ tuæ Suffraganeis, Abbatibus quoque, & multis alijs tuæ provinciæ, « ausu sacrilego invasisti, & divina ibidem Officia celebrare, & oblationes asportare temerè præsumpsisti ..... Ne tantum excessum dissimulare videamur, communicato Fratrum nostrorum consilio, usum Pallij tibi interdicimus, per apostolica tibi scripta mandantes, atque præcipientes, quatenus « infra quadraginta dies easdem oblationes, & præcipuè eosdem cereos, quos « in eadem Ecclesia recepisti, per idoneas, & honestas personas ad Ecclesiam « Bituricensem cum integritate remittas, & super ipsum altare manifestè, « sicut manifesta fuit injuria, restitui facias. De tanto verò B. Petri & nostro « contemptu cum complicibus tuis, videlicet G. Suessionensi, A. Atrebatens, « O. Belvacensi, T. Ambianensi, S. Silvanectensi, S. Noviomensi, & G. « Cathalaunensi Episcopis, Bartholomæo Laudunensi Thesaurario, & Bosone « Remensi, qui tibi in tanta præsumptione astiterunt, proximis B. Martini « octavis responsurus, & satisfacturus, apostolico te conspectui repræsentes. « Datum Sutrij VII. Cal. Aprilis. «

Pontificis decretum ægerrimè tulit Clarevallensis Abbas Samsonis amicissimus, gravitérque conquestus est, tam severè animadversum ab eo, præsertim cùm nihil præter jus & privilegij tenorem Remensis usurpârit, Principúmque conventus pro expeditione Hierosolymitana id prosus ab eo ex-

SAMSON XLIX. ARCHIEP. torquere videretur. Bernardi Epistola ingenuam præ se fert libertatem, magnúmque historiæ compendium adferet si præcedenti conjungatur.

An. 1146.

Amantissimo Patri & Domino Eugenio Dei gratiâ summo Pontifici, Bernardus Clarevallensis Abbas, pro Remensi Archiepiscopo.

Bern. Epist. 247. ad an. 1146.

» PArcat vobis Deus. Quid feciſtis? Faciem hominis verecundiſſimi con-
» fudiſtis: & cujus laus eſt in Eccleſia, ipſum in facie Eccleſiæ humi-
» liaſtis. Lætificâſtis omnes inimicos ejus, ſed quantos vos contriſtâſſe putatis.
» Non eſt modus condolendi, quia amicorum non eſt numerus. Dilectus à Deo
» & hominibus, grandis criminis luit pœnas, nullius convictus, nullius confeſſus.
» Imponitur ei quod Regem coronavit: ſed in hoc non æſtimat exceſſiſſe ſe
» tenorem privilegiorum ſuorum. Objicitur quòd ſcienter divina præſumpſerit
» celebrare in Eccleſia interdicta. Negat. ſuo tempore probabitur illud, pur-
» gabitur iſtud. Eſto tamen putemus omnia conſtare, quæcumque in abſen-
» tem adverſarijs ejus licuit, vel libuit loqui. Debuitne hoc ſolo exceſſu cujus
» cetera laudabilia exſtiterunt, tam durè feriri, tam ſeverè animadverti? Se-
» mel exceſſiſſe, etiam virtus poterat reputari, ſi de veſtro, non de vultu
» inimicorum ejus judicium prodijſſet. Deinde quid in arcto illo fieri opor-
» tebat. Dies celebris, ſollemnis curia, juvenis Rex: & quod his majus eſt,
» Dei negotium, de Hieroſolymitana ſcilicet expeditione, propter quod
» omnes convenerant. Prorſus hæc omnia Miſſarum, & coronæ regiæ ſol-
» lemnis, debitíque honoris fruſtrationem nullatenus admittebant. Sed nec
» ipſi Bituricenſi Archiepiſcopo omnino expediebat, ut honor Regis per
» eum impediretur.

» Quæ cùm ita ſe habuerint, æſtimamus locum miſericordiæ non deeſſe,
» ubi tanta neceſſitas typhum excuſat contumaciæ. Nunquid poteſtatem
» habetis tantùm percutere: & nequaquam ſanare? Noſtis qui dixerit:
Deut 32. f. » *Percutiam, & ego ſanabo.* Abſit ut cujus tenetis vicem, non uſurpetis
» & vocem, vocem præcipuè pietatis. Ergo hac ſola vice redeat ſagitta
» Jonathæ retrorſum, & ſi neceſſe fuerit, in me magis mittatur. Tolerabi-
» liùs, fateor, habuiſſem, interdici mihi Miſſarum celebrationem, quàm
» Archiepiſcopo Pallij uſum. Eſt etiam quod non mediocriter veſtro pio
» rigori obviat in hac parte, quòd Filio veſtro Ludovico Regi poſſit hinc
» non parvæ offenſionis, & irritationis occaſio dari, cùm ipſe ſibi tota mali
» hujus videatur eſſe occaſio. Quod planè tempore iſto non expedit: ne
» bonum quod veſtro hortatu bono & magno animo cœpit, dignum
» (quod abſit) non habeat exitum, ſi in ſcandalo & animi perturbatione
» hoc egerit. De cetero mandâſtis, & obedivi, & fecundavit obedien-
» tiam præcipientis auctoritas. Siquidem annuntiavi & locutus ſum, mul-
» tiplicati ſunt ſuper numerum. Vacuantur urbes & caſtella, & pæne jam
» non inveniunt quem apprehendant ſeptem mulieres virum unum,
» adeo ubique viduæ vivis remanent viris.

Matthæus Paris ad annum 1146 teſtatur Eugenium Pariſiis hoc anno conſecraſſe Petrum de la Chaſtre in Archiepiſcopum Biturecenſem; cumque Rex quòd eo neſcio, ac refragante factum eſſet, ſtatuiſſet impedire, ne Petrus civitatem intraret, per triennium Regis perſona ſubjacuit interdicto, & in quamcumque civitatem, vicum, vel caſtellum intrabat, ſuſpendebatur celebratio divinorum, ut Chronicon Mauriniacense. id factum docet ſub Innocentio.

Ex his conſtat evidenter Samſonem, ob Regi diadema impoſitum abſque legitima auctoritate, & quòd in loco interdicto Divina celebrare præſumpſiſſet, uſu Pallij à Pontifice fuiſſe privatum. Quæri tamen hîc poteſt, de qua Regis coronatione epiſtolæ verba intelligenda ſint; nam Ludovicus ſæpiuſcule coronatus legitur, Remis primò vivente patre, ſed miniſterio Innocentij II. ſecundò Burdegalæ in Comitem Aquitaniæ ex Chronico Mauriniacenſi, Samſone necdum ad Præſulatum provecto:

Aurelianis

Aureliæ item ipso die nuptiarum, cum Constantia Regis Hispaniarum nita per manus Hugonis Senonensis Archiepiscopi anno 1151 post bellum sacrum: denique Parisijs fuit coronatus, cum Alidem Theobaldi Comitis Palatini filiam duxit uxorem, per prædictum Hugonem Senonensem, de qua sanctus Bernardus fato functus loqui non potuit. Restat igitur, ut dicamus prædicta intelligenda esse de Regum nostrorum coronatione diebus festis, & in solemnioribus conventibus fieri solita, de qua passim Ivo Carnotensis, & alij. Et quoniam id præsumpsisset Samson in aliena Ecclesia, Celtici Præsules, eo præsertim tempore, quo lis necdum soluta erat pro Regis coronamento inter Remensem & Senonensem Archiepiscopos, hoc illi negotium facessserunt, quos sanctus Bernardus breviter hic repressit: *In hoc*, inquit, *non æstimat se excessisse tenorem privilegiorum suorum.*

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1146.

Quod spectat ad id quod Samsoni objiciebatur, sacrum celebrâsse in Ecclesia interdicta, ex priori epistola clarum fit, illud contigisse cùm adhuc vigeret discordia inter summum Pontificem & Ludovicum VII. ob electionem Petri Castrensis ad Archiepiscopatum Bituricensem: tunc enim Francia interdicto supposita est ab Ivone S. R. E. Legato, ut supra vidimus. At cùm sub Innocentio id factum sit, & Cælestinus censuram abroverit, verisimile est interdictum mansisse quoad Ecclesiam Bituricensem, vel Eugenium renovâsse, cui Samson non multùm detulit ob personarum claritudinem, qui in celeberrimum hunc cœtum convenerant; præsertim cùm negotium Dei ageret, ac gementium Fidelium in Palestina.

Tornacensis Ecclesia à Noviomensi sub Samsone Archiepiscopo separatur, Eugenij Papæ rescriptum de hac separatione, ejusdémque privilegium Remigianis concessum & Conradi Regis Romanorum.

CAPUT LI.

TORNACENSES, qui maximo dudum flagrabant desiderio proprium adipiscendi Pastorem, Eugenio ad summum Pontificatum feliciter promoto, intermissum diu negotium Romæ totis viribus redintegrare cœperunt. Dictum superiùs Noviomenses, ut improbis eorum conatibus obsisterent, Simonem regali prosapia, probis moribus & auctoritate fulgentem in Episcopum elegisse, quod illis nihilominus haud ita prospere cessit. Cum enim ob divortium Radulfi Comitis Viromandensis ab eo approbatum, Innocentij Papæ animum in sese concitâsset, fuit ipse ab Ivone Legato cum Bartholomæo Laudunensi, & Petro Silvanectensi Episcopis ab officio suspensus, quos pariter sanctus Bernardus perstringit epistolâ 216. ad eundem Pontificem his verbis: Scriptum est: *Quod Deus conjunxit homo non separet, surrexerunt viri audaces, qui non timuerunt conjunctos à Deo contra Deum disjungere.*

Bern. Epist. 216 an. 1148.

Tornacenses hac freti occasione Innocentium clam adeunt, explicant quid sub Paschali tentatum fuerat, tandémque suis suasionibus proprium eligendi Episcopum ab eo obtinent facultatem, quem, renuente Metropolita Remensi, spondet se proprijs manibus consecraturum. Absalon igitur sine cunctatione, sancti Amandi Abbas, ab illis eligitur, qui cùm Remis

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1146.

Remis repulsam tulisset, Rege, ut fertur, procurante, & Comite Viromandensi Radulfo, statim Romam petit; expositisque rationibus ob quas Tornacensis Ecclesia Episcopo præsertim indigeret; in cujus diœcesi, vel territorio hominum essent plusquam nongenta millia, & quòd intra decem annos ob penuriam Episcopi, centum millia decessissent sine Confirmationis sacramento, eò adducunt Pontificem, ut ratam haberet prædictam electionem. At re in quindecim dies dilata, omnia pessum ivêre, postquam eò, id est Romam, Simon Episcopus advenit. Ubi namque quorumdam animos auro corrupit, inquit Buzelinus, hi facilè à cœptis Innocentium quibusdam rationibus adducunt, unde jussi sunt Tornacenses Simoni subjicere sese, donec Innocentio ad patres appositio, Cælestino quoque, & Lucio, qui brevî Pontificatum compleverunt, conatus iterum exerunt sub Papa Eugenio, à quo, intercessore præsertim Bernardo Clarevallensi, qui apud eum plurimum valebat, voti compotes effecti obtinent, ut Anselmus, ex Abbate sancti Vincentij Laudunensis, lectus ab eis Episcopus suis manibus consecraretur, quem statim ad Tornacenses transmissum Ludovicus Rex, & Theodericus Flandriæ Comes Papæ litteris satisfacturi, magnâ prosecuti sunt pompâ, cùm primum is Tornacum iniret. Quo verò anno Eugenius à Noviomensis Episcopi obedientia Tornacenses absolverit, variant auctores; quidam id referunt ad annum 1148, juxta annales sancti Victoris Parisiensis, Simone Noviomensi, ut putat Vassorius, ad transmarinam expeditionem cum Rege profecto. At verius Chronicon sancti Vincentij Laudunensis an. 1145. cui concinit Hermannus Monachus de miraculis sanctæ Mariæ Laudunensis. Lib. 3. cap. 21. *Anselmus*, inquit, *cùm per decem & septem annos præfuisset, cum Germano suo Gualtero Romam proficiscens à Clericis Tornacensibus miro eventu in Episcopum eligitur, & à domino Papa Eugenio invitus consecratur anno 1145. Dominicâ, Lætare Hierusalem.* Bulla vero summi Pontificis Eugenij ad prædictum Anselmum postmodum transmissa, sub his terminis refertur apud Cognatum lib. 31. cap. 47.

Buzelin.

De hoc Anselmo Chronicon S. Vincentij Laudun. In Cœnobio sancti Vincentij quod est extra muros urbis Laudun.

Dom Bartholomæus Anselmum de Monasterio S. Medardi Suession. ascitum, Abbatem ordinavit, cujus probitas in hoc uno potest evidenter adverti, quòd in diversis Ecclesijs ex eius Monachis electos novem vidimus Abbates, florere viros probatissimos, &c.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei venerabili Fratri Anselmo Tornacensi Episcopo, nostris manibus consecrato, ejúsque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

An. 1146.

» SAcro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ cælesti privilegio sibi collato semper
» licuit, semperque licebit episcopales Sedes divisas conjungere, &c.
» Tornacensis Ecclesia ex antiquo episcopalis Sedes noscitur exstitisse, &
» Pastorem proprium habuisse: cujus curam & administrationem quamvis
» Noviomensis Episcopus longo tempore habuerit, non tamen Noviomensi
» Ecclesiæ subjecta, aut unita fuisse legitur; in qua multitudo hominum
» sucrevit, ut necessariò proprium debeat habere, etiam si non antiquitus
» habuisset, & ab uno Pastore propter distantiam eædem Ecclesiæ, sine
» gravi animarum periculo, regi non possunt. Sanctorum Canonum consti-
» tutionibus & prædecessorum nostrorum felicis recordationis Vrbani,
» Paschalis & Innocentij, qui hoc ipsum deliberaverant, studio incitati, te
» Fratrum nostrorum communicato consilio, eidem Tornacensi Ecclesiæ,
» Domino cooperante Pastorem providimus, & proprijs tanquam B. Petri
» manibus in Episcopum consecravimus, & ad regendum populum illum,
» Domino auxiliante, transmisimus. Per præsentis itáque privilegij paginam
» legitimum perpetuum statuimus, ut Tornacensis Ecclesia deinceps ab
omni

Digitized by Google

omni Noviomenſis Epiſcopi ſubjectione libera, proprium ſemper Epiſcopum fortiatur. Statuimus etiam, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Tornacenſis Eccleſia impræſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, & quæ ſibi jure pertinere noſcuntur, ſeu quæ in futurum largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, ſive alijs juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus, & per vos eidem Eccleſiæ firma & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur veſtris, ac pauperum Chriſti uſibus profutura, ſalva Sedis apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hujus noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire præſumpſerit, ſecundò, tertióve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reámque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Eccleſiæ jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1146.

Ego Eugenius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſignavi.
Ego Guido Preſbyter Cardinalis tituli S. Chriſogoni ſignavi.
Ego Hubaldus Preſbyter Cardin. tituli S. Praxedis S.
Ego Jordanus Preſbyt. Cardin. tit. S. Suzannæ S.

Datum Viterbij IX. Calend. Auguſti Indict. IX. Incarnationis dominicæ anno 1146. Pontificatûs verò Domini Eugenij III. Papæ anno 2.

Idem Eugenius Pontifex rogatus ab Odone Abbate & Monachis ſancti Remigij, ut bona Monaſterij novo diplomate confirmaret, votis eorum annuit, ubi burgum cum juſtitia eis confirmat, minaticum burgi, forum, à feſtivitate ſanctæ Ciliniæ matris ſancti Remigij uſque ad vigiliam ſanctorum Simonis & Judæ, Eccleſias ſanctorum Timothei, Juliani, Corbiniaci, Gerſonis, Sanctæ-Mariæ in burgo Regiteſtenſi. Datum Vetrallæ per manum Roberti S. R. E. Preſbyteri Cardinalis & Cancellarij XIX. Calend. Janu. Indict. XIV. Incarnationis 1145. Anno primo &c.

Conradus quoque Romanorum Rex, prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inhærens, res ſancti Remigij Francorum Apoſtoli in Germania ſitas, petente etiam Odone Abbate, confirmavit illuſtri diplomate, cui inſignis proſapiæ & magnæ auctoritatis viri, qui in curia aderant, ſubſcripſerunt. Sic autem incipit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Conradus divina favente clementia Romanorum Rex ſecundus. Ne damnoſa in poſterum quod actum eſt deleret oblivio, ſcripto memoriali commiſimus qualiter domnus Odo venerabilis Abbas ſancti Remigij Confeſſoris & Francorum Apoſtoli noſtram præſentiam apud Trajectum viſitaverit, & poſſeſſiones, &c. Ubi Marſnam cum appenditijs ſuis, Hotta, Cluma, Litta, præbendas quoque Marſnenſes in uſus Monachorum decedentibus Clericis tranſmutatas ſuo privilegio confirmat, vetátque ne B. Remigij poſſeſſionibus alius Advocatus detur præter Regem Romanorum, vel quem legaliter providerit: definit etiam quid Advocato debeatur in placitis generalibus: quid poſſit, vel non poſſit Præpoſitus Marſnenſis ſine Advocato. Teſtium nomina hæc ſunt.

Harbertus Trajectenſis Epiſcopus, Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus, Conradus frater noſter Trajectenſis Præpoſitus, Henricus Comes de Gueldre,

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1147.

„ Gueldre, Herimannus Comes de Cuich, & frater ejus Comes Godefri-
„ dus, Adelbertus Comes de Nervenich, Marchuardus de Grumbach,
„ Vualterus de Landhauſen, Tibertus de Spileberh.
„ Signum Domini Conradi Romanorum Regis ſecundi.
„ Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiſcopi &
„ Archicancellarij recognovi anno dominicæ Incarnationis 1145. Indictione
„ VIII. Regnante Conrado Romanorum Rege ſecundo, anno verò Regni
„ ejus octavo. Data eſt apud Ulterius-Trajectum in Chriſto feliciter Amen.

Per id temporis Ludovicus Rex Cathalauni exiſtens, rogatu ſancti Bernardi Clarevallenſis & Joſleni Sueſſionenſis Epiſcopi, conceſſit Balduino Abbati S. Johannis Laudunenſis Eccleſiam ſancti Petri ipſius Monaſterio contiguam, aſſenſu Bartholomæi Epiſcopi, ita ut obeuntibus Canonicis nullus in eorum loco ſubſtitueretur: ſed ſingulorum præbendæ in manu Abbatis redigantur, ſtatu totius Eccleſiæ ipſi relicto, ut libere de ea ordinet, ut voluerit, diplomate Cathalauni dato, cui Regni Primores ſubſcripſerunt, Radulfus Viromanduorum Comes Dapifer, G. Buticularius, Matthæus Camerarius, Matthæus Conſtabularius anno 1146. Regni Ludovici decimo.

Concilium Remenſe cui præfuit Eugenius III. & quid in eo actum ſit.

CAPUT LII

Dum à Turcis diſperſi populi Hieruſalem tendẽtes per altum navigaverunt æquor. in Baſilica B Mariæ Remis præſidẽte Eugenio ſedit Concilium. *Otho Friſingenſis.*

EUGENIO exſule ab urbe Roma, ob perditiſſimi hæreſiarchæ venenoſam doctrinam apud furioſum populum invaleſcentem, & Viterbij degente, ubi ſuperiùs à nobis relata diplomata conſcripta ſunt: ſeriò agebatur inter Principes Galliæ de expeditione in Terram-Sanctam. Exſtat epiſtola ad eos parænetica, ut viriliter accingantur, in tomis Conciliorum. Narrat Vuil. Tyrius decretum à ſancta Sede Apoſt. Legatum qui proficiſceretur cum Ludovico Francorum Rege: at inter moras, ut Romanorum Arnaldiſtanorum jugem perſecutionem declinaret Eugenius, conſilium inijt ſeſe conferendi in Gallias more majorum, quem Ludovicus Pariſijs exſpectavit, excepitque honorificentiſſimè. Ordinatis interim omnibus ad iter tantæ peregrinationis, Rex magno Procerum comitatu movit anno 1147. Hebdomadâ ſecundâ poſt feſtum Pentecoſtes, Pontifice in Gallijs remanente, apud quem delata eſt hæreſis Giſleberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi, qui cùm ab adoleſcentia philoſophiam magno nomine docuiſſet, nuper ad dignitatem Pontificalem evectus, ut antea conſueverat, ſubtiliter de quæſtionibus philoſophicis diſputare, ita cœpit & de rebus divinis multa præter communem Eccleſiæ morem dicere; indèque factum, ut quod antiquitus dictum eſt, philoſophos patriarchas eſſe hæreticorum, in Giſleberto hoc tempore infeliciter fuerit innovatum.

Ex Chronico ſancti Petri Viv.

Sanctus Bernardus certior factus rerum, quæ in concionibus ſeminabat, zelo catholicæ Fidei æſtuans egit apud Pontificem, ut, promulgatæ quæ dicerentur à Giſleberto hæreſes, damnarentur. Quinam autem fuerint errores quibus Giſlebertus impetitus fuit, narrat Otho Friſingenſis; nempe quòd aſſereret divinam eſſentiam non eſſe Deum; proprietatem perſonarum non ipſas eſſe perſonas; Theologicas perſonas in nulla prædicari propoſitione; divinam naturam non eſſe incarnatam; nullum mereri præter

Digitized by Google

præter Chriſtum, nullum baptizari præter ſalvandum, &c. Addítque idem Auctor de ijs actum eſſe in tribus diverſis conventibus, primò Autiſſiodori, deinde Pariſijs, poſtremò Remis. Et in Pariſienſi cùm hinc inde multa Giliberto objicerentur, plurimúmque impulſationibus ad reſponſionem de divina majeſtate cogeretur, inter cetera dixiſſe audacter: Confiteor « Patrem aliò eſſe Patrem & aliò Deum, nec tamen eſſe hoc, & hoc. « Eugenius perſpecta cauſæ difficultate, protelandam eſſe uſque ad pleniorem Synodum Remis celebrandam judicavit. SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1147.

Anno igitur 1148, quo Francorum exercitus in Syriam fractus maris tempeſtatibus appulit, media quadrageſima, hoc eſt undecimo Calendas Aprilis, indictum Remis ab Eugenio Papa generale Concilium celebratum eſt. At quot & quinam Cardinales Eugenium Remos comitati ſunt, cùm ad calcem Concilij nomina eorum deſiderentur, ſuppleri quodammodo poſſunt ex duabus Chartis, quarum prima eſt Monaſterij Montis Sancti-Quintini ab urbe Perona primo lapide diſparati data Meldis, ante Concilium Remenſe: altera ſancti Dionyſij Pariſienſis data Cathalauni, ubi expleto Concilio Pontifex aliquot dies moratus eſt.

Cardinales in Sanquintiniano privilegio hoc ordine recenſentur poſt Eugenium catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum.	Cardinales in charta Sandionyſiana paucis mutatis, & omiſſis ita referuntur.
	Juranus Tuſculanus Epiſcopus.
Theodevinus ſanctæ Rufinæ Epiſcop.	Hubaldus Preſbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis.
Albericus Oſtienſis Epiſcopus.	
Juranus Tuſculanus Epiſcopus.	Julius Preſbyter Cardinalis tituli ſancti Marcelli.
Guido Preſbyter Cardinalis tituli ſancti Griſogoni.	Bernardus Cardinalis Preſbyter tituli ſancti Clementis.
Himboldus Preſbyter Cardinalis tituli Ss. Johannis & Pauli.	Odo S. R. E. Diaconus tituli ſancti Georgij ad Velum-aureum.
Gillebertus indignus Sacerdos tituli ſancti Marci.	Octavianus Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano.
Hugo Preſbyter tituli in Lucina.	
Odo Diaconus Cardinalis S. Georgij.	Johannes Diaconus Cardinalis ſancti Adriani.
Gregorius Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.	
Hiacynthus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmidin.	Hiacinthus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmidin.
Datum Meldis per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij xiij. Calendas Julij. Indictione x. Incarn. Dom. anno 1147. Pontificatûs Eugenij Papæ III. anno tertio.	Datum Cathalauni per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij xij. Calen. Maij. Indictione xi. Incarn. Dom. anno 1148. Pontificatûs Domini Eugenij Papæ III. anno quarto.

Apud Lucam Dacherij in Notis ad Guibertum fol. 620.

Apud Doublet in hiſtoria Sandionyſiana folio 495.

Infra quoque dabitur aliud privilegium Eugenij, ubi ijdem Cardinales ſubſcripſerunt.

Magnus quoque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum numerus interfuit tam Galliæ, quàm Germaniæ, Angliæ & Hiſpaniæ; inter quos ex provincia Remenſi notantur Samſon Metropolitanus, Joſſenus Sueſſionenſis Epiſcopus, Bartholomæus Cathalaunenſis, & Milo Tarvanenſis. Ex Abbatibus Sugerius ſancti Dionyſij Pariſienſis Miniſter Regni, Bernardus Clarevallenſis monaſtici Ordinis ſol lucidiſſimus, ac totius Synodi non poſtremum ornamentum, Goſvinus quoque Aquicinctenſis, ob ſanctitatis famam & doctrinæ, ab Eugenio licèt provectæ eſſet ætatis vocatus, dicitur, qui ei quotidie de ſuis ferculis mittebat, ut Molanus refert in Natalibus IX Octob. Porro ſub initium Concilij gravis exoritur controverſia inter Archiepiſcopos Remenſem & Trevirenſem, quis amborum

Adfuerunt Epiſcopi & Abbates circ. xl. ex Alberico. Ibi Hatto Trevirenſis Epiſcopus à ſede dejicitur.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1147.

præcederet, cujus meminit Brouverius in notis ad Venantium Fortunatum cap IX. ſubdítque ab Adalberone Trevirenſi, qui præſens aderat, acre ſuſceptum certamen, quod non ſine vulneribus, & pugna; atque adeo non ſine rixa abijt & jurgijs: ſcilicet extunc Eccleſiaſticus zelus vehementer fervebat pro loci dignitate tuenda. At fertur litem hanc eodem pacto ſopitam fuiſſe, quo aliàs ſub Leone IX.

Quod verò ſpectat ad ea quæ in Synodo geſta ſunt, refert Baronius ſancitos fuiſſe Canones decem & ſeptem pro eccleſiaſtica diſciplina in priſtinum uſum revocanda, & quidem priuſquam de Giſleberti cauſa quidquam ſtatueretur; qui ferè omnes jam antea promulgati fuerant in maxima Synodo Lateranenſi ſub Innocentio II. ſed quòd pæne exoleviſſent, rurſum Remis ab Eugenio renovati ſunt, quamvis nec ſic quidem præ malitia ſeculi ſervatos eſſe conqueſtus ſit poſt quadriennium S. Bernardus, in libris *de Conſideratione ad Eugenium.*

Nõne os tuũ in Remenſi Conſilio ſubjecta capitula promulgavit quis eas tenet? *Lib. VI de Cõſid. Cap. V.*

Hi Canones ex Gallicano codice Romam miſſi ad Gregorium XIII. exſtant in veteri MS. Bibliothecæ ſancti Remigij Remenſis, nec ulla, aut ſaltem minima inter hos varietas eſt, ſúntque ejuſmodi.

Canones Concilij Remenſis.

I.

„ QUI ab Epiſcopis ſuis anathematis ſententiâ condemnantur, quoniam „ à communione eccleſiaſtica removentur, diabolicæ dignoſcuntur „ ſubjici poteſtati, non enim eſt homo qui ligat, ſed Chriſtus qui hanc mi„ niſtris ſuis exhibuit poteſtatem: ideóque à ſuis Epiſcopis excommunicatos, „ ab aljis recipi modis omnibus prohibemus. Epiſcopus autem qui ſententiam „ promulgaverit, eam vicinis Epiſcopis enunciet; qui verò excommunicato, „ donec ab eo, qui eum excommunicaverat, vel ab auctoritate Sedis apoſto„ licæ abſolvatur, ſcienter communicare præſumpſerit, eâdem excommu„ nicationis ſententiâ ipſum teneri cenſemus.

II.

Meminit etiã horum Canonum S. Bernardus ſermone octavo in Cantica.

„ Præcipimus etiam quòd tam Epiſcopi, quàm Clerici neque in ſuper„ fluitate, ſeu inhoneſtate, varietate colorum, aut ſciſſura veſtium, neque in „ tonſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant „ aſpectum; ſed potiùs ita in ſuis actibus ea condemnent, ut amorem inno„ centiæ converſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit Ordinis clericalis. „ Quòd ſi moniti ab Epiſcopis ſuis infra undecim dies non obtemperave„ rint, eccleſiaſticis beneficijs eorumdem Pontificum auctoritate priventur: „ Epiſcopi verò ſi præfixam pœnam irrogare neglexerint, quia inferiorum „ culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligentéſque „ Paſtores, tamdiu ab epiſcopali officio abſtineant, donec pœnam à nobis „ conſtitutam Clericis ſibi ſubjectis imponant, nec etiam, niſi præcedente „ congrua ſatisfactione, relaxent.

III.

„ Præterea quòd à Patribus noſtris propenſiori cura novimus conſtitutum, „ nos quoque præcipimus obſervari: ut qui in Ordine Subdiaconatûs, aut „ ſupra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque beneficio „ eccleſiaſtico careant.

IV.

Sãctimoniales & Canonica iuxta S. Benedicti & Auguſtini inſtituta viventes

„ Ad majorem autem Domûs Dei decorem adjicientes ſtatuimus, ut „ Sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter „ vivunt, juxta beatorum Benedicti & Auguſtini rationem, vitam ſuam „ in meliùs corrigant & emendent, ſuperfluitatem & inhoneſtatem veſtium reſcindant,

Digitized by Google

reſcindant, & in Clauſtro ſint aſſiduè permanentes, choro, refectorio & dormitorio ſint contentæ, & relictis præbendis & alijs proprijs, earum neceſſitatibus de communi provideant; quòd ſi uſque ad proximum Apoſtolorum feſtum non adimpleverint, ex tunc in earum Eccleſijs, donec hoc noſtrum mandatum adimpleatur, divina prohibemus Officia celebrari, & ſi qua etiam ipſarum mortua fuerit, Chriſtianorum careat ſepulturâ. Prohibèmus etiam ne in earumdem collegijs aliqua, quæ irregulariter victura fuerit, recipiatur. SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1148.

V.

Decernimus etiam, ut laici eccleſiaſtica terminare negotia non præſumant, & Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi & alij Eccleſiarum Prælati de negotijs eccleſiaſticis, vel de alijs quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, aliquorum laicorum judicio non diſponant, nec propter eorum prohibitionem, eccleſiaſticam iuſtitiam dimittant exercere.

VI.

Auctoritate quoque apoſtolica prohibemus, ut nullus Advocatus præter jus & beneficium antiquitus conſtitutum, ſibi aliquid accipere vel uſurpare præſumat: Subadvocatos vero, & exactores eorum, modis omnibus ab Eccleſiarum infeſtationibus removeri præcipimus. Quòd ſi quis contra hanc ſententiam à nobis promulgatam de cetero attentare præſumpſerit, Chriſtianorum careat ſepulturâ.

VII.

Quia verò continentia, & Deo placens munditia in eccleſiaſticis perſonis, & ſanctis Ordinibus dilatanda eſt, ſanctorum Patrum & prædeceſſoris noſtri Papæ Innocentij veſtigijs inhærentes ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Preſbyteri, Subdiaconi, regulares Canonici, Monachi, atque converſi profeſſi, qui ſacrum tranſgredientes propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur, hujuſmodi namque copulationem, quam contra eccleſiaſticam rationem conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus: qui etiam ab invicem ſeparati, pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant, idipſum quoque de Sanctimonialibus, ſi quod abſit, nubere tentaverint, obſervari præcipimus. *Regulares Canonici.*

VIII.

Divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & ſanctorum Patrum decreta ſanxerunt, ut decimas Eccleſiarum, quas in uſus pietatis conceſſas Canonum demonſtrat auctoritas, laïci non debeant poſſidere: nos quoque ne id fiat modis omnibus prohibemus, ſive ab Epiſcopis, ſive à Regibus, vel quibuſlibet perſonis acceperint; niſi Eccleſiæ reddiderint, ſacrilegij crimen committunt, & periculum æternæ damnationis incurrunt. *Decimas laïci non debent poſſidere.*

IX.

Illud etiam duximus annectendum, ut nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus, vel Preſbyter ordinetur; Archidiaconi verò, Decani vel Præpoſiti, qui infra Ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, ſuſcepto honore priventur. Prohibemus etiam ne adoleſcentibus, vel infra ſacros Ordines conſtitutis; ſed qui prudentia & merito vitæ clareſcunt, prædicti concedantur honores.

X.

Præcipimus etiam, ne Preſbyteris conductijs Eccleſiæ committantur, & una quæque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem, nec ab eius regimine alicuius, niſi Epiſcopi, in cuius parochia fuerit, vel Archidiaconi canonico judicio depellatur, cui de bonis Eccleſiæ tantum beneficij debeatur, unde convenienter valeat ſuſtentari.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1148.

XI.

» Præcipimus quoque, ut Preſbyteri, Clerici, Monachi, Converſi, pere-
» grini, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura exiſten-
» tes, & animalia cum quibus arant, & oves omni tempore ſint ſecuræ.
» Siquis autem hoc noſtrum ſtatutum violare præſumpſerit, Epiſcopus, in
» cujus parochia fuerit, omni trepidatione ſepoſita, canonicam de ipſo
» juſtitiam faciat.

XII.

» Temerariam quoque Militum audaciam, qui ad deteſtabiles nundinas,
» vel ferias ex condicto ſolent ad oſtenſionem ſuarum virium convenire,
» unde mortes corporum & animarum ſæpius provenerunt, omnino fieri
» interdicimus : quod ſi quis ibidem cæſus, vel mortuus fuerit, pœnitentia
» ei & viaticum non negetur, eccleſiaſticâ tamen careat ſepulturâ.

XIII.

» Nihilominus præſentis ſcripti ſerie ſtatuta prædeceſſoris noſtri felicis
» memoriæ Papæ Innocentij confirmantes decernimus, ut ſiquis ſuadente
» diabolo, tanti ſacrilegij reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Mo-
» nachum violentas manus mittat, anathemati ſubjaceat, & nullus Epiſ-
» coporum illum præſumat abſolvere ; niſi mortis urgente periculo, donec
» apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.

XIV.

» Hæc etiam conſona Ss. Patrum definitione ſancimus, ut in eos qui ad
» Eccleſiam, vel Cœmeterium confugiunt, nullus manus mittere audeat :
» quod qui fecerit, anathema ſit.

XV.

» Innovamus etiam, ut ſiquis malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vin-
» dicta ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium,
» vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur : & ſi mortuus fuerit
» incendiarius Chriſtianorum careat ſepulturâ, nec abſolvatur, niſi priùs
» damno, cui intulit ſecundùm facultatem ſuam reſarcito, juret ſe ulteriùs
» ignem non appoſiturum : pœnitentia ei detur, ut in Hieroſolymis, aut
» in Hiſpania in ſervitio Dei per annum permaneat. Si quis verò Ar-
» chiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per
» annum ab officio pontificali abſtineat, ſanè Regibus & Principibus facul-
» tatem faciendæ juſtitiæ non negamus.

XVI.

» Præcipimus etiam ut pro Chriſmatis, & olei ſacri, & ſepulturæ ac-
» ceptione nullum pretium exigatur.

» Illud etiam quod à prædeceſſore noſtro Papa Innocentio ſtatutum eſt
» innovantes, ordinationes factas à filio Petri-Leonis, & alijs Schiſmaticis,
» & Hæreticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus.

XVII.

» Quia etiam apoſtolica Sedes quod rectum eſt conſuevit attenta con-
» ſideratione defendere, & quod devium inveniur eſſe, devitare ; præ-
» ſentis decreti auctoritate præcipimus, ut nullus omnino hominum hæ-
» reſiarchas, & eorum ſequaces, qui in partibus Guaſconiæ, aut Provin-
» ciæ ..... vel alibi commorantur, manuteneat, & defendat, nec ali-
» quis eis in terra ſua receptaculum præbeat : ſi quis autem vel eos de
» cetero retinere, vel ad alias partes proficiſcentes eorum errori conſen-
» tiens recipere fortè præſumpſerit, quo iratus Deus animas percutit,
» anathemate feriatur, & in terris eorum, donec condignè ſatisfaciant,
» divina celebrare Officia interdicimus.

Poſthac

Samson XLIX. Archiep. An. 1148.

Ex Vita sancti Bernardi edita a Godefrido.

Posthac Gisleberti Pictavienſis Epiſcopi cauſa ventilatur, de qua nonnihil dictum fuerat anno ſuperiori, Gaufredus Monachus Ciſtercienſis epiſtolâ ad Albanenſem Epiſcopum, quæ exſtat tomo 27. Concilior. refert univerſam Eccleſiam conveniſſe in inſigni palatio Remenſi, cui nomen eſt Thau, & ibi Epiſcopum interrogatum fuiſſe de ſingulis capitulis, ubi B. Bernardum expertus eſt vehementiſſimum contradictorem, qui eum diſputando in has adegit anguſtias; ut omnino convinceret hæreticum. Eugenius Papa tanti conſulens famæ Epiſcopi, id ſeorſum & ſecretò poſt dimiſſam Synodum tractandum duxit, ne coram diverſarum provinciarum Epiſcopis erubeſceret hæreticum. Summa autem aſſertionum Gisleberti hæc eſt.

« Divina natura, quæ Divinitas dicitur, Deus non eſt, ſed forma quâ « Deus eſt: quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma, quâ « eſt homo. Cum Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus unum eſſe dicun- « tur, non niſi una Divinitate eſſe intelliguntur: nec converti poteſt, ut « unus Deus, vel una ſubſtantia, vel unum aliquid Pater, & Filius, & « Spiritus ſanctus eſſe dicatur. «

« Tres perſonæ tribus unitatibus ſunt tria, & diſtinctæ proprietatibus « tribus, quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres res, æternæ & ad- « invicem à Divina ſubſtantia in numero differentes. «

« Divina natura non eſt incarnata. «

Contra hujuſmodi errores firmatum eſt à Patribus ſequens Fidei ſymbolum, ſub Eugenio Papa.

« Credimus, & confitemur ſimplicem naturam Divinitatis eſſe Deum, « nec aliquo ſenſu catholico poſſe negari, quin Divinitas ſit Deus, & Deus « Divinitas. Sicubi verò dicitur, Domini ſapientiâ ſapientem, magnitudine « magnum, Divinitate Deum eſſe, & alia ejuſmodi; credimus non niſi « eâ ſapientiâ, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe; non niſi ea magnitudine, « quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe; non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe « Deus, æternum eſſe; non niſi ea unitate unum, quæ eſt ipſe; non niſi « ea Divinitate Deum, quæ eſt ipſe; id eſt ſeipſo ſapientem, magnum, « æternum, unum, Deum. «

« Cum de tribus perſonis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, « ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe fatemur. Et è con- « verſo, cùm de uno Deo, unâ divinâ ſubſtantiâ loquimur, ipſum unum « Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas confitemur. «

« Credimus & confitemur ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum « ſanctum æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſive relationes, ſive « proprietates, ſive ſingularitates, vel unitates dicantur, vel alia ejuſmodi « adeſſe Deo, quæ ſunt ab æterno, & non ſunt Deus. «

« Credimus & confitemur ipſam Divinitatem, ſive ſubſtantiam Divinam, « ſive naturam Divinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in Filio. «

Hæc quæ in cauſa Gisleberti Porretani geſta ſunt Otto quidem Friſingenſis fuſius retulit cap. 56. at breviter Godefridus, vel quicumque ille ſit Auctor ſecundi libri vitæ ſancti Bernardi ubi ſic ait: *Igitur in Concilio, quod in urbe Remorum Papa venerabilis Eugenius celebravit, egit cominus adverſus hunc Gilibertum Eccleſiæ ſanctæ ſuo tempore ſingularis athleta Bernardus, primò quidem totum, quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, biduana diſputatione redarguens &c.* Habet autem amplius Otto, Cardinales, qui tunc Remis aderant, graviter conqueſtos apud Eugenium, quòd Bernardus ſeorſum cum Gallicanis, ipſo abſente Pontifice, ipſiſque inconſultis Cardinalibus, in contemptum Romanæ Eccleſiæ,

Is auctor vocatur Bernardus Bona Gallia Abbas, in MS. ſancti Nicaſij.

Alberico è contra refert Stephanum quemdà Magiſtrum ſcrip-

ſiſſe, quòd S. Bernardus non prævaluerit adverſus Gilibertum & Abailardum. an ex fide aut ex invidia?

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1148.

Eccleſiæ, cujus ſolius eſt de Fide definire, præſumpſiſſet Symbolum Fidei condere, & credendum proponere. Pontificem autem rem geſtam à Bernardo ſciſcitantem, humile ab eo reſponſum accepiſſe; haud ipſum, vel Epiſcopos Gallicanos ea animo definiendi conſcripſiſſe, ſed ſimpliciter quid ſentirent expoſuiſſe, eóque reſponſo indignationem Cardinalium quieviſſe; ita tamen ut prædictum ſcriptum tanquam inconſultâ curiâ prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro ſymbolo in Eccleſia, ſicut in Concilijs contra hæreſes congregatis fieri ſolet, non haberetur, niſi ab Eccleſia Romana confirmaretur: quod quidem factum eſſe tradit idem qui ſupra Godefridus, ſubdítque Otto de primo S. Bernardi capitulo Eugenium Pontificem definiſſe, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & perſonam divideret, néve Deus Divina eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantùm, ſed etiam nominativi.

Neubrigenſis.

Eugenio adhuc Remis exſiſtenti peſtiferus quidam Brito, nomine Eudo de Stella, oblatus eſt, illiteratus quidem & agreſtis, at dæmonum ludificatione ſic dementatus, ut cum ſermone Gallico *Eon* proferretur, ſe eſſe crederet *eum*, qui in eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, *Venturus judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem.* Erat ipſe per diabolicas præſtigias tam potens ad decipiendum, ut maxima eum multitudo ſequeretur: cùm verò ad eum capiendum ſatellites mitterentur à Principibus, fraude dæmonum non apparebat, Deo tamen permittente ipſum deſerentibus, levi negotio à Remenſi Archiepiſcopo comprehenſus eſt, & ad Concilium deductus, ubi cum interrogatus rurſum alia fatua deliraret, juſſus diligenter cuſtodiri, tempore exiguo ſupervixit.

Robertus de Monte ad an. 1148. refert in turri Archiepiſcopali retruſum ibique periiſſe. *Hæc turris juxta portam palatij ſolo æquata eſt ſub Leonorio Archiep. an. 1647.*

Nicolaum Egidium narrat Eugenio divina celebrante in ſummo altari Rem. Eccleſiæ calicem cum vino conſecrato caſu effuſum fuiſſe ſuper altare: *At cùm hujus rei auctores de hoc non meminerint fides ſit penes auctorem.*

Sub finem Concilij Aldricus Abbas ſancti Theoderici prope Remos Monaſterium ſuum ſub Romanæ Eccleſiæ tutela ſuſcipi, bonáque à benefactoribus collata celebri privilegio confirmari ab Eugenio obtinuit: cui cùm Cardinales, qui Synodo interfuerunt, ſubſcripſerint, horum hîc nomina referre non erit ingratum. Bulla ſic incipit.

Eugenij privilegium Remis datum.

An. 1148.

» EUgenius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio » Aldrico Abbati ſancti Theoderici, ejúſque ſucceſſoribus regulari» ter ſubſtituendis. Piæ poſtulatio voluntatis debet effectu proſequenti » compleri, quatenus devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utili» tas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Ideóque, dilecte in Domino » Fili Aldrice Abbas, tuis juſtis poſtulationibus gratum præbentes aſſen» ſum, Monaſterium ſancti Theoderici, cui auctore Domino præeſſe di» gnoſceris, ſub beati Petri tutela & noſtrâ protectione ſuſcipimus.

» Eugenius catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

» Data Remis per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Can» cellarij XIV. Cal. Maij. Indict. II. Incarn. Dom. an. 1148. Pontificatûs » Eugenij anno tertio.

» Hulbaldus Preſbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis.
» Imarus Tuſculanus Epiſcopus.
» Odo Diaconus Cardinalis Sancti Georgij ad Velum-aureum.
» Hulbaldus Preſbyter Cardinalis ſanctorum Johannis & Pauli.
» Guido Preſbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Damaſo.
» Aribertus Preſbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ.
» Johannes Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Novæ.
» Guido Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

Catha-

Digitized by Google

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1148.

Cathalaunenſem Eccleſiam Eugenius conſecrat, Monaſterijs petentibus Prælatis, privilegia concedit. Conradus Rex Advocatos bona ſancti Remigij invadentes coercet.

CAPUT LIII

ABSOLUTO Remenſi Concilio, Eugenius, curia comitante, Cathalaunum conceſſit, ubi rogatus à Bartholomæo ejuſdem urbis Epiſcopo principem Eccleſiam ſollemni ritu in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, Virginis Deiparæ, ſancti Prothomartyris Stephani, cui pridem dicata erat & adhuc ipſius fulget patrocinio, ſancti Johannis Baptiſtæ, & ſanctorum Valerij, Vincentij, Criſantis & Dariæ Martyrum, adſiſtentibus, præter Cardinales Italos, Theobaldo Pariſienſi, Bernardo Autiſſiodorenſi, & Hugone Nivernenſi conſecravit, eodem anno & menſe; quamvis Robertus aliter ſentiat, quo privilegium Sandionyſianis Monachis de quo ſupra, & Remigianis conceſſit. Ibi enim cùm per aliquot dies moram traxerit, Abbates non pauci bonorum ſuis Monaſterijs conceſſorum confirmationem novis privilegijs, ut moris erat, conſecuti ſunt: è quibus inſtar omnium ſit illud Odoni S. Remigij conceſſum, quod moram illam Pontificis apud Cathalaunum evidentiſſimè teſtatur & eſt ejuſmodi.

Robertus in Gallia Chriſtia refert Eugenium Eccleſiam Cathalaunenſem cõſecraſſe VII. Idus Novembris 1147. cui adſtipulatur Chronicõ ſanctæ Petri Cathalaun.

Quidã aiunt Concilio Remenſi abſoluto Eugenũ Treviros conceſſiſſe cùm octodecim Cardinalibus & ſancto Bernardo. Synodumque tenuiſſe, ubi actum de Revelationibus ſanctæ Hildegardis.

EUgenius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filijs Odoni Abbati Monaſterij ſancti Remigij, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Officij noſtri nos hortatur auctoritas pro Eccleſiarum ſtatu ſatagere, & earum quieti & utilitati ſalubriter, auxiliante Domino, providere &c. Dignum namque eſt & honeſtati conveniens eſſe cognoſcitur, qui ad regimen Eccleſiarum aſſumpti ſumus, eas & à pravorum hominum nequitia tueamur, & B. Petri & apoſtolicæ Sedis patrocinio muniamus. Proinde, dilecti in Domino Filij, veſtris juſtis petitionibus clementer annuimus & præfatum Monaſterium ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & præſentis ſcripti privilegio communimus &c. Si qua igitur eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire tentaverit ..... poteſtatis, honoríſque ſui dignitate careat &c.

Ego Eugenius catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus.
Ego Odo Diaconus Cardinalis ſancti Georgij ad Velum aureum.
Ego Octavianus Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano. Ego Johannes Paparo Diaconus Cardinalis ſancti Adriani. Ego Hebaldus Preſbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis. Ego Humbaldus Preſbyter Cardinalis tituli Ss. Johannis & Pauli. Ego Gillebertus indignus Sacerdos tituli ſancti Marij. Ego Julius Preſbyter Cardinalis tituli ſancti Marcelli.

Datum Cathalauni per manum Guidonis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarij XII. Cal. Maij Indict. II. Incar. Dom. anno 1148. Pontificatûs verò Domini Eugenij III. Papæ anno quarto.

Anno ſequenti conqueſti ſunt apud Conradum Romanorum Regem Monachi Remigiani de Advocatorum multitudine, qui cùm bona Monaſterij juxta Rhenum ſita contra jus ſibi vindicarent, ſiſtere tamen ſeſe, ſeu præſentes exhibere in Gallia ad cauſam dicendam renuebant: quos Rex

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1149.

Rex certior factus legis Germanorum, ad hoc eos compulit judicio Optimatum Regni assensu in eos lato, quorum nomina, cùm eminentioris dignitatis prærogativam præ se ferant, hîc cum diplomate inferenda non otiosum fore duximus, sic autem incipit.

Conradus II. Imper.

„ ANno dominicæ Incarnationis 1149. Indict. XIII. duodecimo Kal. „ Septem. venerunt Fratres de Monasterio sancti REMIGIJ FRAN„ CORUM APOSTOLI, Hugo scilicet ejusdem Ecclesiæ venerabilis Prior, „ Petrus Præpositus de Monte-sancti-Remigij, Johannes Camerarius de „ Frankenevurt ad curiam invictissimi Romanorum Regis Conradi II. & „ fecerunt querimoniam de Advocatis, qui erant in terra quæ pertinet ad „ Montem-sancti-Remigij, quorum numerus magnus erat, & plus ad no„ cendum, quàm ad defendendum paratus. Supra quorum proclamatione „ quæsitâ à Dom. Augusto sententiâ judicij & ex communi Principum, qui „ ibidem aderant, consensu, Ludovicus Regionarius (*id est Landgravius*) „ judicialem sententiam promulgavit, quòd nullas posset causas, vel lites, „ quæ ad Advocatorum jus pertinerent, audire, vel terminare, vel placita „ advocatiæ tenere; nisi qui bannum de manu regia recepisset. Deinde „ altero & cohærenti judicio quæsito judicavit Otto filius Conradi Mar„ chionis de Misnia, omnium Principum favore & conniventia, quòd „ Herimannus Palatinus Comes de Rheno, qui advocatiam in prædictis bo„ nis, de manu domini Regis habebat, latam legis sententiam effectui „ mancipare deberet, & omnia corrigere, quæcumque contra indubitati juris „ rationem in prænominatis possessionibus ab injustis Advocatis essent per„ petrata. Quod etiam ei ab inclito Rege Conrado, sub omnium testimonio „ præsentium, per obtentum gratiæ suæ, ut perficeret, impetratum est.

„ Præterea in eisdem possessionibus in villa nomine Cossa habitabat qui„ dam Albertus ministerialis proprius Ecclesiæ sancti Remigij in suburbio *Cossa.* „ Remorum Civitatis sitæ, cuius pater maiorem beneficij sui partem, scilicet „ Hercebech, Habbach, & alia quædam Abbati sancti-Remigij sumptâ ab „ ipso pecuniâ reddiderat & legitimè abdicaverat: easdem possessiones præ„ dictus Albertus per vim occupabat, nolens stare in conventione, quam „ legimè & absque ipsius injuria fecerat. Idem etiam Albertus beneficium cu„ jusdam militis sui, videlicet terram de Alba, cum ipso milite suo dicto, „ Harduino, in altari obtulerat, & liberum Ecclesiæ resignaverat, quod iterum „ violenti usurpatione invadebat. Super quibus omnibus ab Abbate sancti „ Remigij frequenter evocatus & ad domum suam Remis ad agendam cau„ sam venire jussus, dicebat se intra fines alterius Regni causam non debere „ agere & judicium subire; sed in terra lege gentis suæ paratum se esse ex ju„ dicio facere. Interrogavit itaque dominus Rex quendam de ministerialibus „ suis Conradum nomine de Haga, quid super hac controuersia juris ordo „ contineret, respondit ille cunctis assistentibus: ***Omnem hominem sive li***
Lex Germanorum. „ ***berum sive ministerialem, oportere domum illius adire cujus nomine possidе„ ret in quocumque Regno, vel provincia sita esset, si de ipsa possessione con„ troversia ageretur.*** Omnium itaque suffragante judicio glorioius Rex præ„ cepit, ut cuncta hæc, sicut præscripta sunt, prosequente justitia effectui „ manciparentur, & Ecclesia B. Remigij de possessionibus, quas sæpedictus „ Albertus occupaverat, per Advocatum & Regios nuntios reinvestiretur. „ Et ut hæc omnia postmodum rata & inconvulsa permanerent, præsentem „ paginam idem inclitus Rex sigilli sui impressione muniri jussit.

„ Interfuerunt itáque huic actioni Guido sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car„ dinalis Diaconus & apostolicæ Sedis Legatus.

„ Henricus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus.

„ Albero Trevirensis Archiepiscopus.

Bocco

Bocco Vvormacenſis Epiſcopus.
Burchardus Argentin. Epiſcopus.
Herimannus Conſtantienſis Epiſcopus.
Bernardus Paterburnenſis Epiſcopus.
Fredericus Dux Sueviæ & Alſatiæ.
Albertus Marchio de Bradenburch.
Ludovicus Lantgravius.
Ludovicus Comes de Los.
Herimannus Palatinus Comes de Rheno & frater ejus.
Henricus de Cacenelenboge.
Otto Comes de Ruïecha.
Gerlacus Comes de Novo-caſtro & alij multi.
Vvibaldus Stabul. Abb. & Arnoldus regiæ curiæ Cancell. quorum ſuffragio id maximè actum eſt.

" SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1149.

Hoc eodem anno, ut notat Robertus, haud abſque ingenti admiratione Henricus Ludovici Francorum Regis frater calcatis hujus ſæculi pompis Monachus factus eſt Ordinis Ciſtercienſis, cùm ad ſanctum Bernardum de quodam ſæculari negotio locuturus veniens, viſitánſque conventum Fratrum, prædicente S. Bernardo ipſius converſionem, eodem poſtmodum die ſuſcepit habitum, ſed non diu permiſſus in ea, quam elegerat vita degere; ſiquidem defuncto paullopoſt Odone Belvacenſi Epiſcopo, ipſe ab ijs ad quos ſpectabat electus, cùm acquieſcere renueret, juſſus eſt ab Eugenio Papa & à proprio Abbate Epiſcopatûs adminiſtrationem ſuſcipere, è quo, poſt obitum Samſonis, transfertur in ſedem Remenſem, ut dicam poſtea.

Samſon Archiepiſcopus curam habet & Officij divini in Eccleſia Remenſi, & pacis inter Principes Rege Ludovico adhuc in Syria commorante. Sugerij Abbatis epiſtola ad eundem pro convocanda Synodo.

CAPUT LIV.

POST Eugenij reditum in Italiam, Samſon Archiepiſcopus omne ſtudium, & curam impendit in diœceſi optimè gubernanda, juxta nuper ſtatuta à Patribus in Concilio Remenſi. Vetuit primò ne Canonici fructus præbendæ perciperent, niſi præſentes eſſent horis canonicis, ut ſic divinum Officium majori celebritate & cultu perficeretur, quod quibuſdam ſchedulis conforme eſt, ubi habetur Canonicos ex tunc cogitâſſe de reſcindenda communitate, quam tamen adhuc per triginta annos ſtetiſſe docet epiſtola Stephani Tornacenſis ad Decanum Remenſem. Cúmque decretum illud nihili facerent, rurſum ſancivit, conſentiente Capitulo, non reſidentes omni fructu privandos eſſe, excepto pane, quod Henricus ejus ſucceſſor confirmavit, & poſt hunc Alexander III. cujus diploma ſic incipit: ***Pervenit ad nos quod bonæ memoriæ Samſon Archiepiſcopus ſtatuit quòd nullus Canonicus, niſi eſſet aſſiduus, &c.***

Idem antea præſtiterat vir Carnot. inſtituens panem quotidianum pro ijs qui aſſidui eſſent Officio divino: epiſtola 75 unde Canonici à canone frumentario dicti eruditis quibuſdã placet.

Interea dum Theodoricus Flandriæ Comes (Elſatius dictus) in Syria pro religione militat, Sybillæ ejus uxori domi principatum adminiſtranti, Balduinus Comes Hannoniæ bellum fecit, totúmque agrum Atrebatenſem repentina populatione fœdavit, qua rei indignitate Sybilla graviter commota, conſcriptum magna celeritate exercitum, hoſtium conatibus oppoſuit, & Samſon Remorum Pontifex ſua maximè intereſſe ratus, abſente procul Rege, rem Francicam in pace continere, ſumma ope pacificari utrinque ſtuduit: nec prius hortari, ſuadere & orare umquam deſtitit, quàm eò adduxiſſet accenſos utrimque animos, ut ſex menſium paciſcerentur induciæ.

Meyerus ad annum 1149.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1150.

Anno ſequenti ſeptimo Id. April. à bello ſacro Theodoricus Princeps domum revertit, portionémque ſacratiſſimi cruoris Chriſti ſecum unâ per Leonium Abbam Bertinicum in phyala chriſtallina deportatam, Brugis collocavit in Ædem divi Baſilij. Dehinc Elſatius finitis inducijs, hoſtili exercitu ingreſſus Hannoniam, grave Balduino intulit bellum, quod matrimonio filiæ Theodorici, necdum nubilis cum Balduini Comitis filio, necdum pariter pueritiam egreſſo, contracto, ſopitum eſt, icto fœdere inter eos, ſancitáque amicitiâ in perpetuum. *Idem ad. an. 1150.*

Ludovico quoque Francorum Rege bellum Turcis inferente, ſpiritus diſcordiæ Regnum ejus turbare aggreſſus eſt, ac ſubinde latentis odij funeſtos eventus prodigia diverſis in locis propâlarunt. Sanctus Bernardus prævidens ex ſcintillis futurum incendium, Sugerio Abbati conſulit, ut ſollerter attendat ad Henricum Comitis Campaniæ filium, & Robertum Regis Ludovici fratrem, recenter ex Aſia reverſos, monétque, ut ſeſe ijs viriliter opponat, epiſtolâ 72. in qua idem ſe ſcripſiſſe Remenſi Archiepiſcopo, alijſque Optimatibus Regni aſſerit.

Sugerius Abbas, qui Regni pondus in abſentia Regis, tanquam Miniſter electus ſuſtinebat, Samſoni quoque Remenſi vehementer inculcat, pacem Regni infringi non poſſe ſine gravi diſpendio Eccleſiæ Dei, quæ cum eo indiſſolubili vinculo conjuncta eſt, ſequenti epiſtola, in qua cùm prædicti Archiepiſcopi non vulgare encomium contineatur, hîc exſcribendam eſſe judicavi.

Sug. Epiſt. 74 » *Venerabili Dei gratiâ Remenſi Archiepiſcopo Samſoni, Sugerius beati Dionyſij Abbas ſalutem & dilectionem.* Cùm gloria corporis Chriſti » videlicet Eccleſiæ Dei, Regni & Sacerdotij indiſſolubili unitate conſiſtat, » conſtat profectò quia qui alteri providet, alteri ſuffragatur: quoniam & » temporale Regnum per Eccleſiam Dei ſtare, & Eccleſiam Dei per tem» porale Regnum proficere omnibus diſcretis evidenter oſtenditur. Eapropter, » quia cariſſimi domini noſtri Regis Francorum Ludovici longâ peregrina» tionis abſentiâ perverſorum tergiverſationibus & moleſtijs Regnum gra» viter moveri videmus, & cum Regno Eccleſiam Dei graviùs turbari » formidamus, & citò conſulto opus eſt: TANQUAM PRETIOSAM » DE CAPITE CORONÆ REGNI GEMMAM VOS OBSECRAMUS, » INVITAMUS, ET PER EAM, QUÆ INTER NOS ET VOS EST » INVICEM, FIDEM VESTRAM atque noſtram, & qua Regno aſtricti » eſtis, vos ſubmonemus, quatenus cum Suffraganeis veſtris Dominica præ» cedente Rogationes Sueſſionis nobiſcum conveniatis, &c.

Samſon ſubmonitus à Sugerio ut Suffraganeos ad conventum Sueſſionis habendum pro negotijs Regni convocaret, ſe id diligenter præſtitiſſe epiſtolâ ad eum ſcriptâ reſpondet, cujus hic tenor eſt.

» Samſon Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, cariſſimo & præcordiali » amico ſuo Sugerio venerabili Abbati ſancti Dioniſij, ſalutem & ſinceram » in Domino dilectionem. Epiſcopos & Comitem Flandriæ, ſicut condi» xeramus, ſubmonuimus, ut Dominicâ quâ cantâbitur; *Vocem jucunditatis*, » pro negotijs Regni nobiſcum Sueſſionis tractaturi conveniant. Ipſi autem » ſe ſubmonitioni noſtræ obedituros libenter ſpoponderunt, &c.

De ipſis Regni perturbationibus, & quomodo Eugenius Papa (in cujus protectione Rex Ludovicus Hieroſolymam profecturus Regnum ſuum reliquerat) Archiepiſcopis eos excomunicari in ſuis conventibus, ſeu Synodis; niſi ab infeſtatione Regni deſiſterent, mandârit, exſtant prædicti Pontificis epiſtolæ apud Andræam du Cheſne tomo IV. Ceterùm Ludovici reditus à Palæſtina hos motus compeſcuit, ſentiens enim maximè poſt diſceſſum Imperatoris moram ſuam in nullo, vel in modico profuturam, *Duchenius fol. 523.* *Ex geſtis Ludovici VII. Regis tom. IV. fol. 410.*

Digitized by Google

futuram, navigium præparavit, licentiáque à Rege Balduino, Patriarcha & alijs Baronibus acceptâ, portu Acconenſi navigium conſcendit, marísque nullo impediente periculo ad Regnum proprium eſt reverſus. SAMSON XLIX. ARCHIEP.

Interea quidam de ſtirpe regia progeniti Regi ſuggeſſerunt inter ſe & Alienordem uxorem ſuam conſanguinitatis affinitatem intereſſe, ob quam de jure lex matrimonialis ſubſiſtere non poterat: Rex cupiens per omnia ſanctiones Eccleſiæ inviolabiliter obſervare, juſſit Hugonem Senonenſem, Samſonem Remenſem, & alios Epiſcopos & Barones die Martis ante feſtum Paſchatis-floridi in caſtro Baugenciaci ſolemniter convenire. Dum hujus rei veritas indagatur, unde divortium ſecutum eſt, omnium bellorum inter Gallos & Anglos ſcaturigo, obijt Joſcelinus Sueſſionenſis Epiſcopus *Magiſter celeberrimus Pariſienſis, Pater juſtitiæ & multorum Cœnobiorum, hoſtis vitiorum, & caſtitatis cultor præcipuus*, ex vita ſancti Godefridi Ambianenſis apud Surium. Obijt quoque Sugerius Abbas Miniſter Regni, ac præcipuus Regis Conſiliarius, Odo quoque Abbas S. Remigij vir integræ probitatis, cui canonica Fratrum electione ſubrogatur Hugo ex Priore clauſtrali. Is cùm ſollers ingenio eſſet ac ſtrenuus in rebus gerendis, ſtatim ac Præſulatum adeptus eſt Ludovicum ex peregrinatione Pariſios nuper regreſſum adijt, pro adipiſcenda bonorum ſui Monaſterij confirmatione, quam Rex prædeceſſorum ſuorum more, non modò largitus eſt; ſed & novo ſuo diplomate beatiſſimum REMIGIUM FRANCORUM APOSTOLUM à Deo electum, REGNI TUTELAREM, eúmque auctoritate apoſtolica CORONÆ, EJUS ET REGNO PATROCINARI ingenuè profitetur. Hoc eodem privilegio decernit ut caſtrum, ubi corpus B. Remigij quieſcit, cum Burgo ei adjacente, immune ſit ab omni aliena juſtitia, ita ut præter Abbatem & Monachos nullus ibi exerceat juridicam poteſtatem. Enumeratis deinde villis & juribus à Monaſterio dependentibus, eodem ſuo decreto corroborat imprimis Condedam-Curtem cum appenditijs, ſicut eam Lotharius Rex glorioſiſſimus Gerbergæ Reginæ matris ſuæ precibus, & Hugonis cognati ſui, beato tradiderat Remigio. Item eleemoſynam Vvalteri Comitis, cujus lib. 1. memini. Chartæ regiæ ſubſcripſerunt Engelbaldus Turonenſis Archiepiſcopus, Theobaldus Silvanectenſis Epiſcopus, Odo ſancti Dionyſij Abbas, Aſſelinus Foſſatenſis Abbas, Radulfus Viromanduorum Comes Dapifer Regis, Guido Buticularius, Matthæus Camerarius, Matthæus Conſtabularius. Actum publicè Pariſius anno 1151. Regni XIX. per manum Hugonis Cancellarij. *An.* 1151.

Eodem quoque anno, ut eſt apud Sigebertum, ultimum diem clauſit Theobaldus Comes Campaniæ, pater pauperum, lux juſtitiæ ac totius Religionis & pietatis ſpeculum, pro cujus anima Henricus Trecenſium Comes B. Remigio ac S. Confeſſori Gibriano Bannum Condeti ſupra Maternam conceſſit, cum alijs juribus in charta contentis, quam ſuper altare ſancti Remigij obtulit, & cui majores Officiarij curiæ ſuæ ſubſcripſerunt, traditâ Remis manu Guillelmi Notarij ab Incarnatione 1152. Ludovico Rege regnante, Samſone Remenſium Archiepiſcopo exſiſtente, & Hugone beati Remigij Abbate. *An.* 1151.

Exſtat & aliud præceptum in Tabulario prædicti Monaſterij, quo idem Henricus Comes ſpondet ſe nullam exactionem, vel talliam facturum in homines ſancti Remigij, illuſtrium virorum ſubſignationibus roboratum, quod pariter, ne longior ſim, omitto. Conradus Romanorum Rex poſt reditum à tranſmarina expeditione, tribus annis & non amplius ſupervixit, vergentibúſque annis ad occaſum, antequam migraret à ſæculo, reliquit Regalia, non filio Friderico ætate minori; ſed fratris ſui filio itidem Friderico nominato, Suevorum Duci, cognomento

SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1152.

Ænobarbo, quod & generalibus Comitijs fuit à Principibus approbatum. Hic ſecunda die poſtquam unctione ſacra Romanorum Regnum acceperat, rogatus ab Hugone ſancti Remigij Abbate, qui tunc Aquiſgrani aderat, ut bona ſui Monaſterij ſita in Germania, prædeceſſorum ſuorum more, novo diplomate confirmaret, ipſius votis non annuit modò; ſed & Advocatorum exactiones regiâ cenſurâ penitùs interdixit inſigni privilegio, cui Principes Germaniæ & Antiſtites ad futuram inaugurationem convocati ſubſcripſerunt, quod hîc ob perſonarum claritudinem, quamvis ſit prolixum, apponere non pigebit. Eſt autem ejuſmodi.

Privilegium domni Friderici Romanorum Regis de Marſna & Coſla Remigianis conceſſum.

Fridericus Ænobarbus. An. 1152.

„IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente „clementia Romanorum Rex. Si venerabilium ac religioſorum viro„rum juſtis petitionibus aurem benignitatis clementer accommodamus, ſi „ſervorum Dei quieti & utilitatibus piam providentiam impendimus, ei „nimirum placere non diffidimus, cujus & nomen & vicem in terris ge„rimus. Quocirca noverit fidelium noſtrorum tam futurorum, quàm præ„ſentium induſtria, qualiter domnus Hugo venerabilis Abbas Cœnobij „ſancti Remigij Confeſſoris & Francorum Apoſtoli, quod in Regno Fran„corum Remis, noſtram adiens regalem præſentiam in palatio Aquiſgra*Unctione ſacra Roman. Rex lauitur.* „ni, ſecunda die poſtquam unctionem ſacram in Romanorum Regem ac„cepimus, petijt noſtro privilegio confirmari ad præfatum Monaſterium „quaſdam poſſeſſiones in Regno noſtro, quondam à glorioſa Regina Fran„corum Gerberga prædicto Cœnobio legitimè contraditas, & à divæ me„moriæ primo Ottone, itémque Ottone ſecundo, per privilegij donatio„nem in perpetuum confirmatas. Nos itaque ad petitionem tam noſtro„rum fidelium, quàm antedicti religioſi Abbatis & Fratrum ipſius, ſupra „memorato Monaſterio ſancti Remigij omnes poſſeſſiones, quas hactenus „in noſtro Regno habuit, confirmamus, & præſentis auctoritate privilegij „noſtro regio banno corroboramus, ſcilicet Marſnam cum fiſco & omni„bus appenditijs, videlicet Hertha, Cluma, Litta, Anglodura, Segima „& Beccha, quæ ad eam pertinent: necnon & in pago Voſago Coſlam „cum omnibus appenditijs ſuis, id eſt Becheem, Glana, Capella Petteu*Mont-Sancti-Remigij in Germania.* „leimbach, atque Montem-ſancti-Remigij, & ſi quas adhuc per Dei mi„ſericordiam juſtis modis in noſtro Regno acquirent; ut ipſe Abbas & „Monachi per omnia ſuccedentia tempora liberam poteſtatem habeant, „præſcriptas cum omni integritate & appenditijs ipſarum ordinandi, fru„endi & diſponendi ſine ullius perſonæ contradictione. Hoc quoque „poſteritatem noſtram latere nolumus, quòd Dux Godefridus de Lova„nia multis annis Littam, quæ ad Marſnam pertinet, invaſerat, & om„nem ipſius fructum Fratribus ſæpedicti Monaſterij violenter abſtulerat, „donec Dei timore, & beatæ recordationis patrui noſtri glorioſi Roma„norum Regis Conradi commonitione perterritus, eandem villam Abbati „& Fratribus in præſentia ejuſdem incliti Principis refutavit, & reddidit, „& firmis ſecuritatibus à ſe, & à Filio ſuo Godefrido, atque Henrico, „datis, ſe aut heredes ſuos nullam deinceps invaſionem, vel injuſtitiam il„laturos firmiter repromiſit, & proprio ſcripto confirmavit. Hanc juxta „conſtitutionem & præceptum divæ recordationis Henrici Imperatoris „ſtatuimus, & ſtatuendo immobiliter ſancimus; ut tam in prænominatis, „quàm in omnibus in Regno noſtro B. Remigij prædijs nullus Judex, vel Advocatus,

Digitized by Google

Advocatus, vel Comes aliquid exigendi habeat facultatem; niſi quantum Abbas, vel Monachi ejuſdem Cœnobij dederint, vel permiſerint. « SAMSON « XLIX.

Hoc etiam per cuncta ſuccedentia tempora notum eſſe volumus, quòd « ARCHIEP. Eccleſiæ ſancti Remigij privilegia in præfatis poſſeſſionibus nullum ſpe- « *An.* 1152. cialiter Advocatum eſſe determinant; niſi ſolum Imperatorem, aut Romanorum Regem. Et quoniam ad honoris noſtri excellentiam pertinet tam diſtortè facta reformare, quàm rectè geſta roborare, judicium ſuper eadem re in curia prædeceſſorum noſtrorum, Regum videlicet & Imperatorum, ordine legitimo promulgatum eſt, per hanc pragmaticæ ſanctionis paginam confirmamus, decernentes ut talis in eiſdem poſſeſſionibus Advocatus, & idem ſolus ſine Subadvocatis ordinetur, ut velit & poſſit potiùs prodeſſe, quàm obeſſe. Qui Advocatus ea, quæ ſubſcripta ſunt, pro beneficio advocatiæ ſuæ, ſine ullo additamento in perpetuum accipiet, in tribus ſcilicet placitis generalibus ſingulis annis ſervitium determinatum, tertiam partem pecuniæ in tribus placitis generalibus acquiſitæ recipiens: villicos, miniſteriales, & Scabinos ponere, vel deponere poterit Præpoſitus Marſnenſis ſine Advocato. De redditibus ſancti Remigij per villicum & Scabinos placitabit Præpoſitus ſine Advocato: ſi effuſio ſanguinis, ſeu banni infractio, ſeu latrocinium infra alodium contigerit, placitare non poterit Præpoſitus ſine Advocato, & exinde tertiam partem recipiet Advocatus, Præpoſitus duas. Exactiones, tallias, quas quidam precarias, vel petitiones nuncupant, ſive hoſpitationes regiâ cenſurâ penitùs interdicimus. Si infra alodium terra culta, vel inculta, molendina ab heredibus emancipata fuerint, & domos ſub cenſu annuali, Præpoſitus ad commodum Eccleſiæ quibuſlibet tradere poterit ſine Advocato. Hoc etiam eidem B. Remigij Eccleſiæ regali munificentia adijcientes confirmamus; ut præbendæ Clericorum Marſnenſis Eccleſiæ in uſus Monachorum, decedentibus Clericis, ſine ullius contradictione de cetero cedant. Et ut hæc noſtræ regiæ confirmationis auctoritas ſtabilis & inconvulſa ſemper permaneat, chartam hanc ſcribi manúque propria, ut infra apparet, corroborantes ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri, teſtéſque qui affuerunt ſubter annotari præcepimus, quorum nomina ſunt hæc.

Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus.	Henricus Dux Saxoniæ.
Hillinus Trevirenſis Archiepiſcopus.	Matthæus Dux ſuperioris Lotharingiæ.
Henricus Leodienſis Epiſcopus.	Godefridus Dux Lovanienſis.
Fredericus Monaſterienſis Epiſcop.	Henricus Comes Namurcenſis.
Otto Friſingenſis Epiſcopus.	Henricus Comes de Lemburch &
Orthlenus Baſileenſis Epiſcopus.	frater ejus Gerardus.
Henricus Conſtantienſis Epiſcopus.	Conradus de Daleheim & alij
Albertus Marchio de Brandeburch.	quamplures.

Signum Domini Friderici Romanorum Regis invictiſſimi.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Henrici Maguntini Archiepiſcopi & Archicancellarij, recognovi.

Acta ſunt hæc in palatio Aquiſgrani anno dominicæ Incarnationis 1152. Indic. xv. regnante domino Friderico Romanorum Rege invictiſſimo, anno Regni ejus primo feliciter.

Samſon

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1153.

Samſon quoſdam perſonatus abrogat amore beati Remigij, ſancto Bernardo locum exhibet ubi Monaſterium conſtruatur, ſupplicemque libellum Bartholomæi Laudunenſis quondam Epiſcopi in obtrectatores recipit.

CAPUT LV.

REBUS per diœceſim circa Dei cultum optimè ſtabilitis, ſtatuit Samſon ſeſe munificum exhibere erga ſacros Ordines, quorum regularis obſervantiæ vigor Fidelibus ad virtutem erat incitamentum. At quoniam ſancti Remigij Francorum Apoſtoli Cœnobium prædeceſſores varijs hactenus cumulârant beneficijs, ab eo auſpicandum ratus ſui amoris, & obſervantiæ teſſeram in prædictum tutelarem patronum ſequenti pagina rurſus obſignandam cenſuit, qua abſolutis, ſeu etiam extinctis perſonatibus quorumdam altarium in ea recenſitis, fructus ab ijs provenientes utilitati Eccleſiæ & Theſauri adjudicavit, appoſitis quibuſdam conditionibus, quæ pietatem ejus ſpirant, & in Cælites obſequium, ut clariùs conſtabit ex verbis, quibus tabula confecta eſt, cui comprovinciales Epiſcopi, qui Remis ad Synodum tunc forſan aderant, cum Archimandritis, ac majoris Eccleſiæ dignitatibus ſuſcripſerunt.

An. 1153. » IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ego Samſon divina
» miſeratione Remorum Archiepiſcopus, univerſis ſanctæ Matris Ec-
» cleſiæ filijs tam futuris, quàm præſentibus in perpetuum. Quoniam ad hoc
» in Eccleſia Dei præficimur, &c. Beatiſſimi itaque Remigij Francorum
» Apoſtoli & patroni noſtri, licèt indigni locum tenentes, prædeceſſorum
» noſtrorum, qui ejuſdem Sancti Monaſterium præ ceteris ſuæ diœceſeos
» Monaſterijs ampliare & exaltare ſtuduerunt, pijs veſtigijs inhærentes .....
» nihilominus præfatum locum & ejuſdem loci ſanctum Conventum di-
» ligere, fovere volumus & deſideramus. Tuis petitionibus dilecte in Chriſto
» fili Hugo præſcripti Monaſterij Abba libenti devotione aſſenſum præben-
» tes, tam tibi, quàm tuis ſucceſſoribus regulariter in perpetuum ſubſtituen-
Perſonatus ad communè profectum, ideſt Monaſterij utilitatem, Monachis concedit Samſon, quæ à Nobilib. plerũque poſſidebantur aut Clericis qui perſonas vocabant, de hiis Ivo epiſt. 12. Godefrid. Vindoc. lib. 3. epiſt. 40.
» dis, ſubſcriptarum Eccleſiarum perſonatus concedimus, & metropolitana
» auctoritate ad communem profectum contradimus, quorum nomina pro-
» prijs duximus exprimenda vocabulis. Perſonatum Eccleſiæ de Cruſniaco,
» de Saceio, cum matrice Eccleſia de Brul ceteriſque appenditijs ſuis, per-
» ſonatum Eccleſiæ de Saceio cum appenditijs ſuis, perſonatum de Villa-
» Alleramni cum appenditijs ſuis, perſonatum Eccleſiæ de Riſleio cum ap-
» penditis ſuis, perſonatum Eccleſiæ de Bana cum capellis & appenditijs ſuis,
» perſonatum Eccleſiæ de Salice-ſancti-Remigij cum cappella de Roſeio
» ceteriſque appenditijs ſuis, perſonatum Eccleſiæ de Johannis-villa cum
» capella de Alencurte ceteriſque appenditijs ſuis, perſonatum Eccleſiæ
» de Erpeio cum appenditijs ſuis. Hæc inquam omnia, ſicut à perſonis poſſi-
» debantur, Eccleſiæ tuæ in perpetuum conferimus, ut eis decedentibus qui
» nunc habent, non quilibet mortalium, ſed patronus noſter ſanctus Remi-
» gius ſuccedat, & per famulantes ſibi Monachos, uſque in finem ſæculi te-
» neat, ea videlicet diſtinctione, ut annonam prædictarum Eccleſiarum
» Conventus habeat, donationum verò reditus, ceteráque omnia The-
» ſauro deputentur.

Viſum

Visum est etiam nobis præsenti scripto memoriæ commendare, quòd « Samson
pietatis intuitu tu ipse Fili Hugo Abba, totúmque Capitulum nobis in- « xlix.
dulsit; ut videlicet anniversarius depositionis nostræ dies per annos sin- « Archiep.
gulos in memoria apud vos habeatur, quo etiam die refectio generalis de « An. 1153.
annona supradictorum altarium quæ vobis cedit, ab illo qui reditus an- « Dantur cum
nonæ recipiet, præbeatur, tredecímque pauperes pro animæ nostræ reme- « conditione.
dio reficiantur. Alio autem anni tempore, videlicet VII Cal. Martij, pro «
patris & matris meæ, anteceſſorúmque meorum, missarum sollemnia cele- «
brentur, & plena refectio, ab eo qui recipiet, sicut & in die anniversario «
depositionis nostræ, Fratribus communiter administretur, pauperesque «
tredecim ab eodem Thesaurario pascantur. Præterea volumus ut quotidia- «
num cereum, qui jugiter ante corpus beati Remigij ardeat, de supradictis «
reditibus, qui sibi cedunt, Thesaurarius subministret. Hanc vero nostræ «
donationis constitutionem, &c. probabilium personarum testimonio «
confirmamus. «

Sig. Bosonis Cathalaunensis Episc.
Sig. Balduini Noviomensis Episcopi.
Sig. Girardi Tornacensis Epicopi.
Signum Gotheſcalci Atrebatensis Episcopi.
Sig. Theobaldi Silvanectensis Episc.
Signum Ingranni Abbatis sancti Medardi.
Sig. Nicolai Altovillarensis Abbatis.
Signum Aldrici Abbatis sancti Theoderici.
Sig. Roberti Abbatis sancti Basoli.
Sig. Johannis Abbatis sancti Nicasij.

Sig. Odonis Abbatis sancti Dionysij.
Signum Bartholomæi, Signum Bosonis Archidiaconorum.
Signum Drogonis Præpositi.
Signum Leonis Decani.
Signum Gregorij Cantoris.
Signum Rogeri, Signum Henrici, Signum Thomæ Presbyterorum.
Signum Gaufridi, Signum Letholdi, Signum Fulconis Diaconorum.
Signum Guidonis, Signum Rogeri, Signum Ellandi, Signum Helduini, Subiaconorum.

Actum Remis anno incarnati Verbi 1153. Indic. II. regnante Ludovico « Rege Francorum an. XVIII. Archiepiscopatûs autem D. Samsonis. An. XV. «

Robertus Cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit. «

Idem Archiepiscopus officiorum memor, ac benevolentiæ sancti Bernardi Clarevallensis, quam sæpius in negotijs Ecclesiæ ac Regni expertus fuerat; maximè verò, cùm summi Pontificis Eugenij auctoritate indiguit, dignas se satis persolvere grates non posse persuasum sibi habuit, quàm exhibendo ei locum ab omni servitute immunem, ubi domus sui Ordinis posset exstrui. Reperto igitur sat idoneo in diœcesi Lingonensi, cognomento Mora, ad Abbatem sancti Dionysij Remensis pertinente, egit apud eum quantùm potuit, ut is sibi concederetur, quod & obtinuit sub ea conditione, ut Abbatia Clarevallensis Ordinis sine longioris moræ obstaculo fieret. Id clariùs patebit ex charta, quam ex locupletissimo penu Nicolai Camuzati antiquitatum sollertissimi indagatoris, Claudius Robert expiscatus est, & in suam Galliam christianam transtulit.

Samson Dei gratia Remorum Archiepiscopus, carissimo ac præcordiali « *amico suo Bernardo Clarevallensis Monasterij venerabili Abbati: sa-* « *lutem & in sancta Religionis proposito beatam perseverantiam.* Sanctitatis « vestræ petionibus debita sollicitudine annuentes, apud Abbatem & Cano- « nicos beati Dionysij multùm, diúque laboravimus, ut Ecclesiam, quæ est « apud Moras, nobis donarent cum omnibus appenditijs suis ad faciendam « ibidem Abbatiam Ordini Clarevallensis, quòd quidem vix impetrare « potuimus. Ceterùm Domino propitiante tandem ipsam Ecclesiam cum « omnibus appenditijs suis nobis donaverunt, ea conditione videlicet, ut «

ibidem

Digitized by Google

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1154.

» ibidem Abbatia Clarevallenſis Ordinis fieret. Nos itaque Eccleſiam illam » cum omnibus appenditijs, vobis & ſanctæ Congregationi Clarevallenſi » concedimus & donamus; ita videlicet ut ibidem Abbatiam Clarevallenſis » Ordinis abſque longioris moræ obſtaculo faciatis. Valeat Sanctitas veſtra » in Domino, & pro nobis, & pro Eccleſijs nobis commiſſis jugiter » Dominum oret.

Præter hoc grati animi monimentum, à Samſone editum in gratiam Clarevallenſis Abbatis, multa quoque contulit Igniacenſi Cœnobio, ubi ſepulturam elegerat, in hoc maximè incumbens, ut recens Clarevallenſium Ordo per totam provinciam propagaretur, ſimiliſque fieret myſticæ huic vineæ, quæ propagines expandit ab ortu ad occaſum, nec propterea veterum Monaſteriorum fuit immemor, hoc cavens imprimis, ne Monachi, vel Sanctimoniales ab avita pietate deflecterent, aut quidquam à laicis legi Dei adverſùm committeretur. Unde cùm accepiſſet Matthæum Thedorici Elſatij Flandriæ Comitis filium eductam contra fas è Monaſterio Abbatiſſam ſancti Petri Rummeſſienſis, Mariam nomine, Stephani Regis filiam ac Guillelmi Comitis Bononiæ & Monaſterioli ſororem, ſibi copulâſſe, ſacrorum communione prædicto Matthæo interdixit, terrámque ejus interdicto ſe poſiturum minatus eſt, ut majorem illi metum incuteret. Hac cenſurâ, veluti tonitruo, excitatus Comes ac illegitimi matrimonij ſacrilegium recognoſcens, Abbatiſſam dimiſit, póſtquam duos ex ea liberos ſuſcepiſſet, Idam & Mathildem, ſicque Archiepiſcopus viſâ Comitis reſipiſcentiâ ab excommunicationis vinculo innodatum abſolvit.

Rameſey in anglia.

Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus anno XXXVIII. ſui Pontificatûs poſt reſtructam epiſcopalis Eccleſiæ fabricam ſub Vvaldrico flammis exuſtam, pluráque à ſe per diœceſim condita Monaſteria, contempto mundi ſchemate, Monaſticen induit apud Fuſniacum, cui ſufficitur Galtherus de ſancto Mauritio, Abbas ſancti Martini in urbe, quo poſt tres annos regiminis obeunte, alter Galterus de Mauritania Decanus Laudunenſis eligitur an. 1154. Hic cùm Bartholomæo ſe minimè obſtrictum ſentiret, cœpit de eo graviter conqueri apud Metropolitanum, quaſi fundandis, ditandiſque Monaſterijs Eccleſiæ ſibi commiſſæ facultates imprudenter abſumpſiſſet, cujus rei factus certior Bartholomæus, ne diſſipatoris notâ inureretur, è Clauſtro proſiliens ſeſe ad Synodum Epiſcoporum provinciæ Remenſis præſentem ſiſtit, ſupplicémque defenſionis libellum Samſoni Archiepiſcopo porrexit, cujus hic tenor eſt.

Venerabili ſempérque amabili domino Samſoni Remorum Archiepiſcopo, & ſub ejus præſentia congregato ſancto Conventui, Frater Bartholomæus in Fuſciniaco pauper Monachus, miſericordiam & veritatem diligentibus.

» VErecundiæ meæ ſilentium imperat hujus ſancti Conventûs ſolemnitas, ſed frontem aperit, & ſtimulat ad loquendum in palam immenſ famæ meæ periculum: neque etiam diſſimulare poſſum, quod » multorum vulgavit opinio, quod etiam ad aures domini Papæ volavit, » epiſcopales reditus me detraxiſſe rumor eſt, cui rumori plùs juſto credit » Laudunenſis Epiſcopus. Meum ergo eſt ſuper eis fateri quod verum eſt; » intueri autem quod juſtum eſt, & tueri veſtrum erit.

» Laudunenſis ſedes triſtis, & mærens erat cùm illuc primùm ingreſſus » ſum, ut pote attrita ſeditionibus & ignibus conflemata; ipſæ quoque res » majoris Eccleſiæ afflictæ erant, & tenues reditus, ſi illi porrexi manum ut » reſurgeret, novit Deus, noverint & Eccleſiæ Filij: verumtamen nihil eis contuli,

contuli, quod ad reditus pertinet Episcopi, præter porcos, quos vulgò nostrates verres vocant, quos mensæ Episcopali personæ solvebant Ecclesiæ, hoc inquam ad præbendam Canonicarum concessi, quoniam illos nec sine pudore exigere, nec habere sine molestia poteram. Præterea quinque dumtaxat Abbatias in nostra diœcesi reperi, rebus pariter ac religione dilapsas, in his Domino Deo multiplicante misericordiam suam & numero & merito crevit Sanctorum numerus & singulariter possessio est dilatata. Novem insuper novæ Religionis Monasteria passim in eadem diœcesi sunt fundata, horum in personis numerus numerum pæne excedit, horum religio Religionis est specimen, horum tam multa possessio est, tam multis abundè sufficiens. Si manum beneficij me porrexisse negavero antiquis Ecclesijs, ut resurgerent; novellis, ut consurgerent, mentiar. Profui sanè ferè Ecclesijs omnibus, sed nec quantùm volui, nec quantùm debui. Sanè Calixtus Papa dominum Nortbertum, cujus memoria in benedictione est, fidei nostræ commisit, ut ei locum traderem, ejùsque votis assisterem: terram igitur ad Episcopum pertinentem illi contuli, quæ vix tamen sufficeret duobus aratris, hujus pars Versiniaco est posita, pars apud Cuisy, quæ tamen multis jam ab annis inculta & sterilis jacebat. De his itaque, quæ ad episcopales pertinebant reditus, nihil amplius me recolo detraxisse, vestro tamen favore ac consensu quidam Ecclesijs contulerunt terras, quas à nobis habebant in beneficio, censum tamen terrarum & vinagia nulli penitùs condonavi. De cetero quid illi Sedi accessit commodi, aut honoris nolo humanum procedat judicium; si quid verò, ut homo deliqui, in conspectu hominum confundi non refugio.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1154.

Causam itaque nostram, vobis, tanquam judicibus allegare, tanquam testibus intimare volui, in quibus calumniatorem non timeo verum dicens: liceat tamen mihi aliud audere apud vos, liceat aliquod humanum loqui. Nihílne Sedi nostræ titulorum accessit & gloriæ, cùm tot & tantas parturivit Ecclesias, cum tot multiplicaverit regulares personas? cur ergo, ut audio, dominus Laudunensis sine testibus bellum parat? cur tentat quod fortè ei promovere non liceat? si Filios Dei congregavi, si suscepi justum in nomine justi, nemo mihi succenseat, videat alius ne congregata dispergat. Conservet vos Omnipotens pariter ad honorem sui nominis, & per vos Ecclesiæ suæ religionem & sanctitatem corroboret.

Quo usque verò à Galtero II. lis & controversia hæc adversùs Bartholomæum, & Præmonstratenses præsertim, quos ditaverat, fuerit perducta, ex epistolis Hadriani IV. Pontificis maximi ad christianissimum Regem Ludovicum VII. atque ad ipsum Galterum ea de re conscriptis, licèt colligere, quæ referuntur lib. 2. Bibliothecæ Præmonstratensis Cap. 15. pag. 431. & 432. Sed quid ex tempore Bartholomæo ab Episcopis responsum sit, non legimus; verisimile est absolutum redijsse ad Claustrum, in quo cùm regulari disciplinæ gnaviter & studiosè admodum incubuisset, vivum pietatis exemplar omnibus exsistens, animam Deo plenam virtutibus reddidit sexto Cal. Julij, accensetúrque eodem die inter Beatos in Necrologio Cistercienſi, Auctore Chrisostomo Henriquez. Sepultus jacet apud Fusniacum cum epitaphio genus, promotionem ad Episcopatum & Monasteria ab eo condita exibente, brevius hîc circa tumulum exaratum refero.

Templa decem instruxit, Benedicto contulit unum.
Bernardo quatuor, Nortberto quinque piavit.

SAMSON XLIX. ARCHIEP.

An. 1155.

Conſtantia Ludovici Regis ſecunda uxor Aurelianis inungitur. Sueſſionis Conventus ad latrocinia compeſcenda. Tranſlatio Reliquiarum ſancti Eligij. Bononienſes proprium poſtulant Epiſcopum.

CAPUT LVI.

SOPITIS bellorum turbinibus celebri fœdere Ludovicum VII. inter & Henricum Angliæ Regem, cui Eleonora à Ludovico repudiata Aquitaniæ Ducatum pro dote attulit, idem Francorum Rex, ut palam teſtaretur gratum ſibi eſſe matrimonium nuper contractum cum Galliciæ Regis filia ſecunda conjuge, Aurelianis eam ſecum coronari fecit per manus Hugonis Senonenſis Metropolitæ, quod Samſon Remenſis tanquam privilegio ſuo adverſum ægre tulit, ſui eſſe juris dictitans, Regem Francorum & Reginas conſecrare, ubicúmque fuerint, ut habet Chronicon Autiſſiodorenſe.

Extat Regii ſcriptum apud Andræ du Cheſne tom. 4. fol. 883.

Subinde poſtulationibus Cleri, & aſſenſu Baroniæ, toti Regno, ad compeſcendum violentas prædonum manus pax ſancita Sueſſionis anno 1155. IV. Idus Jun. ad decem annos, jurantibus Summatibus Regni, ex epiſtola, quæ apud Andræam du Cheſne legitur tomo IV. ubi & Henricus Angliæ Rex, ut homo ſeu beneficiarius-cliens Ludovici Regis Francorum, fidelitatem jurat coram eo, & pro ejus amore pacem ſe facturum promittit cum Comite Theobaldo, ita quòd de querelis, quæ inter eos eſſent, paratus ſit ſtare judicio Remenſis Archiepiſcopi, Epiſcopi de Noïone, Comitis Flandrenſis, & Comitis Saxoniæ &c.

Samſon corpus S. Eligij in novam thecam tranſfert

Inde Samſon Remenſis Archiepiſcopus rogatus à Noviomenſi Epiſcopo Balduino, ut B. Eligij corpus in novam thecam transferret, Noviomum profectus eſt eodem annò, ſollemnitatémque Tranſlationis VII. Cal. Julij tantâ Cleri ac populorum frequentiâ celebravit; ut ex omnibus ſancti Eligij Tranſlationibus pridem factis, hujus præ ceteris anniverſarius dies à Samſone peractæ in Breviarijs Remenſi, Pariſienſi & Victorino reponatur. Juvat hîc attexere quod de prædicta Tranſlatione ſcriptum habetur in litteris quinque ſigillis ſigillatis, quas Gerardus Ambianenſis Epiſcopus cùm prædicti Confeſſoris Reliquias, rogatu Vuermandi Noviomenſis Epiſcopi & Capituli ejuſdem Eccleſiæ viſitaret, in theca aurea ſupra majus altare poſita reperit an. 1255.

An. 1155. » Anno dominicæ Incarnationis 1155. regnante Ludovico Juniore & Bal-
» duino I. Noviomenſis Eccleſiæ Epiſcopo, venerandæ memoriæ Simonis
» ſucceſſore, decenter & honorificè rurſus elevatum *, & tam Clero, quàm
» populo Dei publicè monſtratum, & in præſenti theca aurea devotiſſimè
» repoſitum fuit, aſſiſtentibus venerandis dominis Samſone videlicet Me-
» tropolitano Remenſi, Henrico Belvacenſi, Theodorico Ambianenſi, Go-
» theſcalco Atrebatenſi Epiſcopis, quorum ſigilla in præſenti ſcripto appo-
» ſita ſunt. Adfuerunt autem huic celeberrimæ ſolemnitati Abbates de
» Epiſcopatu Noviomenſi cum proceſſionibus ſuis, Decani cum Clericis,
» Archipreſbyteri cum Preſbyteris, cum alijs nonnullis, tam Clericis, quàm
» Laïcis, quorum nomina partim ſubſcripta, Balduinus Noviomenſis De-
» canus Eccleſiæ, Theodricus Theſaurarius, Cantor Gaufridus, Hugo Can-
» cellarius, Magiſter ſcholarum Robertus cum ceteris ſanctæ Mariæ Canonicis

Scil. * corpus S. Eligij.

Digitized by Google

nicis, Guiboldus Abbas ſancti Eligij, Conventus ſancti Bartholomæi, Ab- " Samson
bas Calniacenſis, Alulfus cum proceſſione ſua, Raynerus Prior Hamenſis " xlix.
cum proceſſione ſua, Gillebertus Abbas Urſi-campi, Garinus Abbas Hu- " Archiep.
molarienſis, Raynaldus Abbas ſancti Prejecti, Hugo Abbas de Monte- " *An.* 1156.
Sancti-Quintini, Giſlebertus Abbas Viromandenſis, Folbertus Abbas de "
Arroaſia, Ingramnus Abbas ſancti Medardi, Nicolaus Abbas Corbeïenſis, "
Clerus Nigellenſis, Jobbertus Decanus Peronenſis, cum Clericis ſuis, Ivo "
Decanus Belvacenſis, Johannes Archidiaconus Belvacenſis &c. Guido "
Caſtellanus Noviomenſis cum filijs ſuis, Radulfus Magellenſis Caſtellanus "
& Albericus de Rois. Actum anno præſignato in craſtino feſti ſancti "
Johannis Baptiſtæ VII. Cal. Julij. "

Anno ſequenti Philippus Theodorici Elſatij Flandriæ Comitis filius Bellovaci nuptias celebravit cum Elizabetha Rodulfi Viromanduorum Comitis filia, Rex quoque Ludovicus Tarvannam mediterraneam Morinorum urbem cum Comitatu, oppidóque vetuſto Alckina ac ſupremo imperio in Ardam, Lilerium & Heſdinum propria ac libera dimiſit Eccleſiæ Morinorum, ut narrat Meyerus in Chronicis, qui & anno 1157. Gotheſcalcum Atrebatium Epiſcopum præfecturam abdicâſſe refert, cui Andræas patriâ Pariſinus in locum ejus ſtatim ſuffectus eſt. Ex Tabulario quoque Laudunenſi habetur Ludovicum VII. eodem anno Laudunum perrexiſſe, ut diſcordiam Galterum Epiſcopum inter, & Hugonem Præmonſtratenſem Abbatem componeret. Charta ſuper hac re confecta in Capitulo B. Mariæ addit prædictos ad concordiam revocatos fuiſſe annitente Rege, Samſone Archiepiſcopo ſanctæ Sedis apoſtolicæ Legato, Anſculfo Sueſſionenſi Epiſcopo, Roberto Comite Regis fratre, Hugone Cancellario, ceteríſque Regni Primarijs ſuadentibus & Regem in capitulo comitantibus. Milo Tarvannenſis Epiſcopus exceſſit anno 1158. vir præter ceteras virtutes, quibus divina bonitas eum cumulârat, humilitatis præſertim commendatione clarus, juxta hujus ſæculi adagium: ***in Bernardo charitas, in Norberto Fides, in Milone humilitas.*** Eo autem ad Patres appoſito, ortum de novo ſubrogando Præſule grande certamen, adeo ut Bononienſes adducti, forſan hac ratione, quòd eorum Eccleſia quondam epiſcopalis fuerat, ut legitur apud Hincmarum, peculiarem ſibi ab Samſone Pontifice Remorum petentes Epiſcopum, veteri ſe Morinorum Eccleſiæ ſubducere contenderent. Ea in diſſenſione Milo Morinorum Archidiaconus & Canonicus regularis (ut deceſſor ejus fuerat) electus eſt, quem cùm Samſon Archiepiſcopus ſacrare vellet, Clerici civitatis Bononiæ interceſſerunt ſub appellatione apoſtolica, ne eum ſacraret Samſon, niſi tantummodo ad titulum Tarvannenſis Eccleſiæ. Quòd cùm prædictus Electus renueret, Clerici verò aliàs obſiſterent, Romam profectus eſt, & à ſummo Pontifice Alexandro in Epiſcopum eſt conſecratus, qui & ſequens reſcriptum Samſoni direxit, quo eum hortatur, ut benignè Milonem ſuſcipiat, eúmque caritativè tractet, inſigni addito laudis præconio, quod Samſonis Archiepiſcopi fidelitatem & in apoſtolicam Sedem obſequium, hoc præſertim tempore, quo ſchiſma exarſerat, mirificè commendat & extollit.

Meyerus.

An. 1157.

Buzelinus Godeſcalcum ait abdicaſſe anno 1134. ut in S. Martini abbatiam abderet ſeſe, Henrico Remenſi adhortante quod capitis doloribus agitaretur.

An. 1158.

Epiſt. ad Epiſcopos provincia Remenſis Cap. 18.

Alexander die Non. Sept. creatur ſummus Pontifex anno 1159.

Reſcriptum Alexandri III. pro Eccleſia Morinenſi.

ALexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabili Fratri Samſoni " Remenſi Archiepiſcopo: ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Di- " lecti Filij noſtri M. Morinenſis quondam Electus, & Canonici ejuſdem " Eccleſiæ multis laboribus fatigati ad noſtram præſentiam acceſſerunt, al- " ſerentes ſe pro eo quòd Bononienſes Eccleſiam illi Epiſcopatui quondam " ſubtrahere conabantur, multas expenſas, & multa gravamina tolerâſſe. "

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1160.

»Cum enim à Canonicis præfatæ Morinensis Ecclesiæ canonicè fuisset »electus, & sicut ex confessione tum diversæ partis accepimus, nihil ei »prorsus objiceretur, quod ipsius electionem deberet aliquatenus impedi»re, & tu ei juxta petitionem Ecclesiæ suæ, cùm jam de mandato tuo ra»sus esset & tonsuratus manum velles consecrationis imponere : Canonici »Remensis Ecclesiæ tibi, & præfato Electo proposuerunt, quòd Baldus »& E..... frater ejus, Bononiensis Ecclesiæ Canonici in vocem appella»tionis jam antea prorupissent, ne ei manum imponeres, nisi prædictæ Bo»nonienſi Ecclesiæ abrenuntiaret ex parte apostolica prohibentes.

» Tu verò, sicut devotus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Filius, & »qui semper consuevisti eandem Matrem tuam Romanam Ecclesiam, »sicut vir religiosus & catholicus in omnibus & per omnia honorare, eum »propter factæ appellationis obstaculum consecrare minimè voluisti. Cùm »autem adversarij ejusdem Electi, qui ad subtractionem Bononiensis Ec»clesiæ, & ut in ea ordinaretur Episcopus propensiùs intendebant, & Cle»rici ipsius Electi, quos ad præsentiam nostram ipse præmiserat in nostro »fuissent auditorio constituti, adversario illo à causa deficiente, præfatam »Bononiensem Ecclesiam in eo statu, in quo ad hæc usque tempora fue»rat, de communi Fratrum consilio decrevimus permanere. Videntes »igitur prædictam Morinensem Ecclesiam, & ipsum Electum veniendo »ad nos multipliciter laborâsse, & cognoscentes, nihil esse, quod ejus »electioni de sacrorum Canonum deberet institutionibus obviare, no»luimus eos relinquere desolatos, sed ipsorum laboribus, & expensis »misericorditer compatientes, honori & dignitati tuæ per omnia de»ferendo ad summam precum instantiam Canonicorum ejusdem Ec»clesiæ, qui cum Electo erant, de communi Fratrum nostrorum con»silio, munus ei consecrationis impendimus, SALVA tamen in omnibus,

Nota. »TAM TUA, QUAM ECCLESIÆ TUÆ JUSTITIA. Ipsum itaque »ad te & Ecclesiam suam de manibus nostris remittimus, tanquam Me»tropolitano suo, omnem quam debet subjectionem impendat, & reve»rentiam exhibeat, humilitatem & honorem, sicut antecessores sui meliùs »umquam consueverunt tuis antecessoribus exhibere.

» ROGAMUS proinde Caritatem tuam, monemus, hortamur atten»tiùs, quatinus pro reverentia B. Petri ac nostra ipsum debita benignitate »suscipias, caritativè tractes, & gratiam tuam circa se non ex hoc sentiat »minoratam; imo interventu nostro dilectionem & familiaritatem ei ex»hibeas ampliorem. Nos enim personam tuam, SICUT UNAM DE

Nota. »MAJORIBUS COLUMNIS ECCLESIÆ, ET IMMOBILE DOMUS »DEI FIRMAMENTUM. Quia tu, etsi alij, quando in Ecclesia Dei »scandala suborta sunt, de animorum pusillanimitate nutâssent, numquam à »firmitatis tuæ robore decidisti; sed semper immobilis permansisti in Ec»clesiæ catholicæ unitate, sincerè in Christi visceribus caritate diligimus, »& nihil prorsus efficere volumus unde persona tua quomodolibet offen»datur, sed propositum potiùs & voluntatem habemus te, sicut venera»bilem & carissimum Fratrem nostrum, in benedictionibus dulcedinis »prævenire, & postulationes tuas, quibuscumque modis cum Deo poteri»mus, intendimus exaudire. Datum Anagniæ XVI Cal. Feb.

Extat in Tabulario Nicasiano.

Eodem anno Samson Archiepiscopus, Guidone Abbate sancti Nicasij petente, bona sui Monasterij, prædecessorum suorum exemplo, egregio diplomate confirmavit, quo Vicarij sanctæ Sedis Apostolicæ titulo insignitur, & cui majoris Ecclesiæ Primarij subscripsêre, Bartholomæus scilicet & Boso Archidiaconi, Drogo Præpositus, Leo Decanus & alij. XXIV regni Ludovci VII. & XXI Pontificatûs Samsonis. Anno Domini 1160. Rodulfus de Diceto lib. qui inscribitur, *Imagines historiarum*, refert Ludovicum

Digitized by Google

Ludovicum Francorum Regem, poſt obitum Conſtantiæ ſecundæ conjugis, non obſervato luctûs tempore, intra decimumquintum diem Aleidem Comitis Theobaldi filiam duxiſſe uxorem, quam Samſon Remenſis Archiepiſcopus ungere noluit, ob præcipitatum fortè conjugium, vel aliam latentem cauſam, quam Chronicon Autiſſiodorenſe his verbis acutè diſſimulat: *Ipſo anno 1160 mortua eſt Regina Francia filia Imperatoris Hiſpaniæ, femina vitæ laudabilis, actibus clara, moribus perornata. Rex verò Ludovicus conſilio Procerum ſuorum accepit in conjugem filiam bonæ memoriæ venerabilis Comitis Theobaldi, quam poſtmodum prædictus Hugo Senonenſis Archiepiſcopus Pariſiis in Reginam unxit, ipſámque cum domino ſuo Ludovico ipſa die, præſentibus Cardinalibus Ottone videlicet & Vuillelmo Papienſi, atque Henrico Piſano, in Eccleſia B. Mariæ coronavit, & in eadem Eccleſia ipſis Cardinalibus & multis alijs præſentibus, Miſſa officium ſollemniter celebravit, quod factum valde diſplicuit & Remenſi Archiepiſcopo & ejus Epiſcopis.* Sed quam ob rem? an ideo Samſoni hæc conjunctio diſplicuit, quòd tamquam Legatus apoſtolicus antea diſſolviſſet matrimonium inter Aleidis ſororem, & Philippum Regis fratrem propter affinitatem, vel certè, quòd ipſa coronatio Eccleſiæ Remenſi deberetur, Chronicon non explicat.

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1160.

Idem refert Chronicon S. Petri Vivi.

Porro cùm Samſon hactenus verſatus eſſet in domo magni Patris familias, tamquam vas in honorem ut, loquitur S. Bernardus epiſtolâ 284. ad Eugenium, mirúmque in modum laborâſſet ne rabies lupina hæreticæ, vel ſciſmaticæ pravitatis gregem commiſſum invaderet, religionémque per diœceſim cum inſigni laude & fenore gratiarum promoviſſet, finem vitæ tandem feliciter impoſuit undecimo Cal. Octob. ut habet Albericus & conſentiunt Martyrologia, Remenſe præſertim his verbis. XI. Cal. Octob. *Deceſſit D. Samſon bonæ memoriæ Remenſis Archiepiſcopus, qui dedit nobis duo altaria, unum de Malleio, alterum de Machoio, & unum modium frumenti apud Curvillam de decima, quam emerat à Galchero de Caſtellione & dimidiam partem molendini apud Clariſſellum, ad creſcendum de his omnibus panem Canonicorum.* Inſuper multa inſignia ad decorem fecit, ſcilicet dexteram partem altaris auro & lapidibus pretioſis texit, duos calices aureos dedit. Corpus Igniaci tumulatum fuit, ubi ſepulturam vivens elegerat, cujus & benefactor exſtitit, ac ſuper lapidem ſepulcri inciſum legitur ſequens epitaphium.

S. Symphoriani Remenſis Martyrologium hæc habet: XI. Cal. Octob. bannum de majori vico, qui eſt ante portam carceris. (*Samſon*) addidit, & infulam ſacerdotalem cum dalmatica & tunica nobis dedit pro anniverſario ſuo.

Hic jacet præclaræ memoriæ reverendus Pater Dominus
SAMSON DES PRETS ARCHIEPISCOPUS REMENSIS,
alter hujus Monaſterij Fundator,
Domni Raynaldi primi fundatoris ex fratre nepos.
Obijt undecima Auguſti Anno M. C. LX.
Cujus Anima requieſcat in pace. Amen.

Exſtat epitaphium aliud rhythmicum antiquitatis nihil ſpirans, & in hoc cum priori ſimile, quod in die & anno obitûs Martyrologijs, vetuſtioribúſque chartis adverſetur: conſtat enim ex Tablino ſancti Theoderici prope Remos charta pro Surianæ prædio adverſûs Bartholomæum de Bucco, Samſonem adhuc ſuperſtitem anno 1161. Indic. IX. Archiepiſcopatûs ſui anno XXI. quo & mortuus eſt. Immo in brevi appendice ad Sigebertum nuper à R. P. Labbeo edita id legitur, *Anno 1162. obijt Samſon Rem. Archiep. vir ſcientiæ & ſanctitate clarus.* Item in Chronico Remenſi

An. 1161.

apud

SAMSON XLIX. ARCHIEP. *An.* 1161.

apud eundem Auctorem: *Anno 1161. obijt Samſon Rem. Archiep. Monachus Igniaci factus XI. Cal. Octob. cui ſucceſſit Henricus, 19. Kal. Feb.* Is titulo Beati inſignitur apud Johannem Sareſberienſem epiſtolâ 168. ad Theſaurarium Remenſem: *Pro reverentia*, inquit, *venerandi & pij Patris noſtri* BEATI SAMSONIS *hoc vobis propono, cujus memoria in benedictione ſit:* Quod à Sareſberienſi veriſſimè dictum puto, prædicatur enim inter varias Samſonis virtutes, inculpata ejus religio, zelus pro domo Dei, cujus fuit immobile firmamentum, effuſa in pauperes largitas, in adminiſtratione prudentia, legum inſuper eccleſiaſticarum inviolata cuſtodia, & in divinis miniſterijs rituum ad amuſſim obſervatio: unde ea diſciplinæ claritas in Eccleſia Remenſi effulſit, ut vix in toto Gallicano orbe Canonicorum Collegium reperias, quod cum Remenſi conferendum videatur.

Ob hæc: Vna de majoribus Eccleſiæ columnis, *vocatur ab Alexandro III.* Vas in honorem, *à Bernar. epiſtolâ ad Innocentium*, Prærioſa de capite Regni gemma, *à Augerio.*

Orto pertinaci ſchiſmate poſt Adriani IV. obitum in Eccleſia Romana, Alexander, quem ſupra vidimus ab Epiſcopis provinciæ Remenſis tanquam legitimum Paſtorem cognitum & receptum, cùm intellexiſſet multos Prælatos ac Principes à ſchiſmaticis circumventos eſſe exquiſitis mendacijs, nihilque non moliri Fridericum Imperatorem erga Octavianum, Victorem dictum, propenſiſſimum, quo illi poſſet ſtabilire Sedem apoſtolicam, utile ei conſilium viſum fuit; non tantùm Cardinales è Latere ſuo deſtinare in diverſas orbis provincias, per quos univerſi Fideles cognita veritate in unitate catholica ſolidarentur: ſed etiam circulares ad Capitula, celebrioreſque conventus miſit epiſtolas, quibus oſtenderet electionem Octaviani ſpuriam omnino fuiſſe, ac Simoniacam. In ea quam ad Canonicos Eccleſiæ Remenſis direxit, hortatur eos, ut modis omnibus inducere ſtudeant quoſcumque poterunt ad cauſam Eccleſiæ Romanæ ſuſtinendam, complurium venerandæ dignitatis virorum exemplo, qui à Pſeudopapa, tanquam à mortifera peſte & putrido membro ac reſecato, declinant, ut latius patebit, ex ipſo reſcripto, quod è Bibliotheca Remenſi nuper hauſimus.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filijs univerſis Canonicis Remenſis Eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem!

» SAcroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris veſtræ, & his qui in ea ex
» canonica Fratrum electione Domino diſponente miniſtrant. Quan-
» tum ex veſtri debeatis officij dignitate, & quàm ſollicitè ad honorem &
» exaltationem ipſius vos intendere oporteat, nobis etiam reticentibus,
» diſcretionis veſtræ prudentia non ignorat. Qualiter autem hoc rempore
» revelatus ſit homo peccati, filius perditionis, Octavianus ſcilicet Schiſ-
» maticus, Simoniacus, & manifeſtus invaſor, qui adverſatur & extollitur
» ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, & quia jam miſterium
» operatur iniquitatis, qualiter etiam aſſumptis ſibi tribus malitiæ ſuæ
» complicibus, Petri ſe velit conſtituere ſucceſſorem, cùm Petri Fidem
» oppugnet, & catholicam violet unitatem, tum ex publica & communi
» fama, tum ex generalibus litteris, quas iamdudum per univerſas provin-
» cias deſtinamus, ad veſtram arbitramur notitiam perveniſſe. Unde quoniam
» Eccleſia Dei ope, & conſilio Eccleſiaſticorum virorum à multis retro
» temporibus, non magis, quàm nunc indiguit adjuvari, caritatem veſtram
» per apoſtolica ſcripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino,
» ut in devotione ſacroſanctæ Eccleſiæ Matris veſtræ ac noſtræ, ſicut de
» vobis confidimus, & ſperamus, immobiliter perſiſtatis & ſimoniaca

pravitate

Digitized by Google

pravitate illius Apoſtatici atque Schiſmatici omnimodè reprobata, à quo videlicet Epiſcopi, Abbates, atque alij viri religioſi & cunctæ ferè perſonæ eccleſiaſticæ, ſicut à peſte mortifera fugiunt, & ad eum nulla ratione accedunt, in petra Fidei & Eccleſiæ unitate animi firmitatem conſtituatis, atque alios omnes quoſcumque poteritis, ad hoc ipſum jugi admonitione inducere ſtudeatis & modis omnibus exhortari. Nos enim perſonas veſtras, ſicut dilectorum & ſpecialium Filiorum noſtrorum, ſincera volumus in Chriſti viſceribus caritate diligere & petitiones veſtras, quantùm cum Deo poſſumus, libentiùs exaudire. Datum Anagniæ XV. Calend. Febr. « Samson XLIX. « Archiep. « An. 1161.

Hæc Alexander difficillimis illis Reipublicæ chriſtianæ temporibus. Ceterùm libro ſequenti videbimus quàm ſe obſequentem & devotum præſtiterit Henricus Remorum Archiepiſcopus erga Sedem apoſtolicam, & quomodo fratrem ſuum Ludovicum VII. nonnihil dubitantem monuerit ſurdas aures præbere fallacijs Friderici Imperatoris pro Octaviano ſatagentis, in præjudicium Alexandri veri, ac legitimi Pontificis.

Viri doctrina & pietate illuſtres qui per diœceſim floruerunt ſub Raynaldo, & Samſone Archiepiſcopis.

CAPUT LVII.

CUM Samſonis Pontificatus ultimam ferè aurei ſæculi periodum attigerit, in quo ſcientiarum amor, virtus ac pietas adhuc vigebant inter homines, ſic & aliquot illuſtrium virorum face Pontificatus ejus colluſtrari meruit, quos hîc referre operæpretium duxi, ne quis litteratorum ope nos omnino tunc deſtitutos fuiſſe putet.

Petrus de Riga.

Petrus de Riga Clericus Eccleſiæ Remenſis ſacras litteras Remis cum laude profeſſus eſt poſt Albericum, & Leonem. Hic, ut Trithemius refert, multiplici doctrina præditus fuit, tantáque ubertate dicendi, ut rori cæleſti ejus eloquentia merito comparari poſſit, quæ in flores, roſáſque ſtillat tempore veris. Ipſius decora lib. de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* brevi hoc excipit elogio: *Petrus dictus de Riga, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſæcularibus litteris inter omnes Doctores ſui temporis doctiſſimus, Grammaticus & Philoſophus inſignis, carmine excellens & proſa.* Tum recenſitis lucubrationibus ſat longo indice, quibus utroque ſtilo nomen ſuum poſteritati notificavit, inter quas obiter extollit metricum opus ſuper ſacra Biblia, quod Aurora titulatum eſt, & ſequentia in Geneſim, Exodum Leviticum, Numeros, &c. Addit in hujuſmodi operibus libros hiſtoriales ſacræ Scripturæ mirâ brevitate expoſuiſſe, & lege metri ad amuſſim obſervata, hiſtorico, allegoricóque ſenſu ſingula declarâſſe. Meminit Brullius hujuſce operis metricis verſibus concinnati, aitque Manuſcriptum adſervari in Bibliotheca ſancti Germani Pariſienſis ſub titulo Magiſtri Petri de Riga Canonici regularis ſancti Dionyſij Remenſis, & nos pariter ſimile vidimus in bibliotheca majoris Eccleſiæ Remenſis, in quo ſequens legitur epigramma.

Scire cupis, lector, quis codicis ipſius Auctor,
Audi quid breviter dicat ad iſta liber.

Petrus

SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1161.

Petrus & Ægidius me conſcripſere; ſed ille
Auctor, corrector ultimus ipſe fuit.
Simplex hic Clericus, ſacri Ordinis ille profeſſor:
Ambo graves annis, hic vir, & ille ſenex.
Alter adinvenit, operatur, ſed in ordine peccans,
Quidquid dimiſit ſenſibus ire vagis.
Alter acu ſtipica diſtinctis verſibus unum
Conſluit in corpus, atque revixit opus.
Alter abundantis ſtudij, ſed acutior alter,
Quis proponendi debuit ordo geri.

Claudius Robertus in Gallia chriſtiana putat Archidiaconatu donatum fuiſſe ſub Samſone Archiepiſcopo, at nomen Petri nullibi exſtat in Chartophilacijs. Fertur hunc de ſeipſo dicere ſolitum.

Petrus Riga vocor cui Chriſtus petra rigat cor.

Et Guillelmus Brito verſificandi peritiam in Petro agnoſcit his verbis.

Si tibi, Petre Riga, vitium non eſſe putavi
Vbere de legis occultos ſuggere ſenſus,
Quos facis ut lenibus verbis elegia cantet
Fortia facta virûm, numero breviore coarctans,
Quæ potiùs pede Meonio referenda fuerunt. &c.

Et hæc quidem de inſigni Profeſſore Petro de Riga: verùm non ſatis mihi conſtat, an huic hiſtoriæ eccleſiaſticæ præclarum opus tribuendum ſit, quem verſibus ut plurimùm luſiſſe tradunt Auctores. E. C. Bellarminus commentaria in Pentateuchum, & alios veteris Teſtamenti libros à Trithemio relata Petro Comeſtori adſcribit, qui cùm Trecis verſaretur, aut ex hac urbe ortus eſſet, Guillelmo Senonenſi Metropolitæ ſuo eadem nuncupavit, an ipſe pariter Remis litteras profeſſus ſit, incertum eſt. Petrus Cellenſis eum ſolo nomine Petri Magiſtri deſignat, quaſi jam opuſcula ſua edidiſſet, epiſtola 19. libri 7. *Si tibi nova placent ecce Magiſtri Hugonis, ecce Bernardi, ecce Magiſtri Gilleberti, ecce Magiſtri Petri ſcripta in quibus nec roſa, nec lilia deſunt.* Ubi nomine Petri ſine addito, Comeſtorem intelligere probabile eſt, cùm Albericus alteri Petro poeticè ſcribendi peritiam tantùm aſcribat. *Petrus de Riga*, inquit, *quidam ſanctus Canonicus regularis ſancti Dionyſij obÿt anno 1209. Bibliotheca*, id eſt *ſanctorum Bibliorum Verſificator apud ſcholares celeberrimus.* Obituarium ſancti Dionyſij Remenſis utriuſque obitum varijs diebus aſſignat & diſtinctis elogijs excipit, primus legitur VII. Cal Octob. his verbis: *Obÿt Magiſter Petrus, lucerna totius Galliæ.* Alter verò tertio Nonas Sept. *Obÿt Petrus de Riga Sacerdos & Canonicus, Verſificator egregius.*

Sancti Bernardi Clarevallenſis in provincia Remenſi celebris memoria.

Sanctum Bernardum inter provinciæ Remenſis Inſignes accenſere nihil gloriæ cuiquam detrahitur, cùm hanc juxta, ac alias quaſcumque Regni Gallici virtutum ſuarum odore perfuderit. Gaudet quidem Burgundia tam incliti Abbatis natali & educatione, at Campania, in qua Claravallis, frequenti ipſius tranſitu, jugi propemodum præſentia, conſortio & miraculis: unde à Clero & populo Remenſi, ob dudum cognitas animi dotes, & divinitus acceptam doctrinam, Raynaldo II. vivis exempto, in Archiepiſcopum poſtulatus, & à Catalaunenſibus poſt Herbertum electus dicitur.

At

Digitized by Google

At posthabitis hisce majoris Prælaturæ oneribus sufficere sibi credidit, vir quacumque dignitate excelsior, si viduatis Sedibus idoneos Pastores procuraret, ac Monasterijs velut stellulis exornaret Belgicas regiones, quæ cùm inconditis villicorum moribus juxta ac vepribus, & lutosa palude alicubi tunc horridæ essent & obductæ, discipulorum suorum, quibus solitudines repleverat, indefesso labore, morum fragrantia & concionibus brevî cultiores evaserunt: hinc fit ut tanti viri suavissima memoria quolibet unguento pretiosior ubique fragret, & cum ingenti gaudio celebretur juxta eruditissimi Doctoris effatum in indiculo Sanctorum Belgij. SAMSON XLIX. ARCHIEP. An. 1161.

Divi Bernardi igitur inter Belgicos nostrates ingerenda est mentio, quòd illius apud eos frequenter transeundo virtus & caritas multis opem attulerit. Remis dæmoniacum, surdum & mutum triplici & inusitato miraculo ab hoste liberatum sanitati reddidit, ut Biographus asserit. Cameraci celebrans Missarum sollemnia surdo auditum restituit: *Eo concionante*, ait Gaufridus, *multi Nobiles & Sapientes sub ipsius magisterio sacram professi sunt servitutem*: ex Tornaco discipulum accepit virum eruditione & sanctitate insignem Guarricum Abbatem postea Igniacensem in diœcesi Remensi, ex sancti Theoderici Asceterio Guillelmum venerabilem, ex sancto Nicasio Arnulfum &c. His addi potest multis Bernardum interfuisse Concilijs Remis celebratis, sæpius etiam conciones habuisse, Monasteria visitâsse, ac motâ discordiâ inter Clerum & populum Remensem hos ad pacis fœdera feliciter revocâsse, ut supra diximus.

Adalgisus.

Adalgisus Rhetor, & forsan Remensium scholarum caput vixit anno 1100. sub Manasse II. scripsitque de miraculis sancti Theoderici, ac titulis distinxit, à Reliquiarum ejusdem elevatione facta anno 976. usque ad suam ætatem, ne lapsu temporis oblivione delerentur, stilo sat eleganti & nitido, quamvis huic rei incubuisse dicat ut votis potiùs Monachorum id enixè petentium satisfaceret, quàm studio laudis acquirendæ. Alia quoque opuscula edidisse patet ex præfatione operis, cujus MS. in Bibliotheca Monasterij vidimus, an is ante obitum regularem vitam professus sit, non ausim asserere, certum est celebrem fuisse in Clero civem Remensem, ac in tutelares Patronos propensissimum.

Alij quoque præcedentibus adnecti possunt quos breviter referam.

Odo Canonicus Remensis, postea suscepto Benedictinorum schemate, Abbas sancti Medardi Suessionensis, ex Necrologio principis Ecclesiæ, III Nonas Februarij.

Gilonius Remensis doctrinâ clarus apud Doubletium in historia Dionysiana folio 263.

Jorannus sancti Nicasij Abbas eximiæ virtutis & prudentiæ vir, postmodum Cardinalis, de quo supra.

Odo venerabilis Sanremigianus Abbas, Montis-Dei in Campania fundator eximius, de quo Sigebertus ad annum 1151.

Godefridus ex Monacho Nicasiano Abbas sancti Theoderici, deinde sancti Medardi Suessionensis, postmodum vero Cathalaunensis Episcopus.

Simon Abbas sancti Nicolai in bosco, cujus meminit Hermannus lib. III. *De miraculis sancta Maria Laudunensis.*

Arnulfus pietate celebris in historia Signiacensi.

Hi omnes de quibus nonnihil alibi vitæ merito, gravitate morum, ac eruditione toti diœcesi ac provinciæ hoc sæculo insigniter præluxerunt.

LIBRI SECUNDI FINIS.

Digitized by Google

METROPOLIS REMENSIS HISTORIÆ LIBER TERTIVS

DE

REMORUM ARCHIEPISCOPIS

REBVSQVE SCITV DIGNIS,

QVÆ PER PROVINCIAM,

ET

DIOECESIM CONTIGERVNT,

AB HENRICO USQUE AD OBITUM PETRI BARBET.

Digitized by Google

LIBRI TERTII EPITOMÆ.

SEDATIS per urbes Belgij inter Epiſcopos & populares Magiſtratus, ob Communias, gravioribus diſſidijs, Henricus Archiepiſcopus Ludovici VII. frater, Remis hæc rurſum acrius excitavit, ſcabinos faceſſere jubens, legéſque domeſticas ſolvere. At Vuillelmus Campanienſis, Princeps optimæ indolis, ac moderatioris ingenij utrumque reſtituit, civéſque celebri diplomate impoſterum antiquis legibus uti permiſit. Hic etiam ſublimioribus adhuc titulis Remenſem Eccleſiam Ducatûs ſcilicet, ac primi Pariatûs Franciæ nobilitavit, aſſertâ inſuper Reges ungendi prærogativâ, vetus ſimul convivendi Canonicorum conſuetudo reſoluta eſt, & poſt annos ferè viginti, cathedralis Eccleſia flammis exhauſta; ita ut nihil operis vetuſti ſuperfuerit, pro qua longè amplior & venuſtior ſtatim ſurrexit, vel ex nova materia, vel rediviva.

Aliquot Archiepiſcopis in Albigenſes, inde in Paleſtinam cum Cruceſignatis euntibus, ſucceſſores maximam pro aſſerendis juribus ſegetem reperêre adverſùs tam Scabinos libertatis Clericorum oſores, aut eis parum æquos, quàm Capitulum, tribus his proprijs armis acriter ſe tuentibus; Archiepiſcopis Conciliorum convocatione & cenſuris; Capitulo ceſſatione à Divinis & interdicto; Scabinis verò Clericorum & Canonicorum ſervientium viâ facti, ob foriſfacta (ut vocant) in vincula conjectione: adeo ut his inter ſe vehementer digladiantibus, populorum tumultibus, jurgis, querimonijs, & litibus

confusa fuerint omnia, donec frequentior interdicendi usus per delegatos Iudices abrogatus est, datúmque Scabinis liberè uti Vuillelminâ chartâ, quæ multum negotij postmodum Archiepiscopis facessivit.

Interim Ordines Mendicantium invehuntur in urbes, quorum insueta privilegia Episcopis, æquè ac Pastoribus novam conquerendi materiam præbuerunt, litibus tam Romæ, quàm in Comitijs Gallicanis asperrimè suscitatis, quæ vix hoc sæculo sopitæ sunt, ac pontificia privilegia tolerata. Pomœrio Remorum dilatato, fortioribus propugnaculis & aggeribus jussu Regis urbs munienda fuit, cùm obortis simultatibus inter Philippum III, & Angliæ Regem asperrima excrevit discordia, quæ ad bellum usque procedens totius provinciæ quietem multoties, & fœdè admodum interpolavit.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM LIBRI TERTII.

CAP. I. HENRICVS ex Monacho Ciſtercienſi ſit Epiſcopus Belvacenſis, Eccleſiæ jura generosè tuetur, ſtátque à partibus Alexandri adversùs Octavianum.

CAP. II. Henricus ex Belvacenſi ad Sedem Remenſem transfertur, ſtudium ejus pro Alexandro in Schiſmaticos. Concilium Remenſe, cui idem Alexander præfuit, interfuítque beatus Thomas Cantuarienſis.

CAP. III. Henricus civium Remenſium Communiam, Canonicorùmque libertates infringere ſatagit. Alexandri reſcriptum pro Canonicis. Scholarium burgi ſancti Remigij privilegia. Populicani hæretici è Flandria pulſi.

CAP. IV. Annualia Canonicatuum S. Symphoriani dat Henricus Sandionyſianis, nundinas Remis inſtituit die Paſchatis, turres & caſtella exſtruit ad latrocinia comprimenda, migrat anno 1175.

CAP. V. Vuillelmus Theobaldi Campaniæ Comitis filius ex Carnotenſi Electo ſit Senonenſis Archiepiſcopus, ejuſdem animi & virtutis indoles, ac præclarè geſta.

CAP. VI. Vuillelmus è Senonenſi Sede in Remenſem transfertur, concedit indulgentias ijs, qui nundinis Paſchalibus interfuerint, Alexandri III. ad eundem epiſtola de Friderico in Eccleſiæ gremium recepto.

CAP. VII. Apud Macerias, opidum Remenſis diœceſis, Canonici ſeculares, Manaſſæ Comitis Regiteſtenſis liberalitate inſtituuntur.

CAP. VIII. Vuillelmus peregrinatur ad tumulum S. Thomæ, ſit Cardinalis, Philippum Ludovici filium ungit, à quo Dux inſtituitur & primus Par Franciæ.

CAP. XI. Eccleſia Sanctæ Balſamiæ, vulgo S. Nutricis dicta, ſacrorum pignorum quondam, ut & nunc dives in Collegiatam erigitur.

CAP. X. Vuillelmus Scabinos ab Henrico prædeceſſore ſublatos civitati reſtituit, culturámque concedit ad novum burgum adificandum, quo pomærium urbis dilatatum eſt.

CAP. XI.

INDEX CAPITUM

CAP. XI. *Vuillelmus ab Auguſto rerum ſummæ præficitur, diſcordiam inter ſe & Canonicos Remenſes pro jure excommunicandi componit, & ſuum curat anniverſarium.*

CAP. XII. *Rege ad bellum ſacrum proficiſcente, tutela Regni Vuillelmo committitur, ejus ſtudio ad Francos redit Atrebateſium, & in Eccleſia Remenſi Scholarchæ dignitatem inſtituit.*

CAP. XIII. *Sanctus Albertus Leodienſis Electus à Vuillelmo Remenſi Archiepiſcopo conſecratur, ejuſdem martyrium juxta Remos.*

CAP. XIV. *Sub Vuillelmo Canonici recedunt à communitate, eiſque idem Archiepiſcopus jus impertit habendi ſervientes liberos in banno ſuo.*

CAP. XV. *De pago Virtudiſo, ac Decaniæ ſancti Iohannis apud Virtutum erectione Henrici Comitis Trecenſis ſtudio & liberalitate, ubi manus S. Catharinæ Virginis religiosè tanquam immortale depoſitum adſervatur.*

CAP. XVI. *Iſemburgæ Ambiani coronam Vuillelmus imponit. Atrebates Francis iterum adjudicati. Litterarum apoſtolicarum corruptores conquiruntur. Comites de Regiteſte & de Couciaco terras invadunt Eccleſiæ Remenſis.*

CAP. XVII. *Noſocomium Remis Vuillelmus exſtruit & dotat, hujus curam ſuſcipiunt Religioſi ſancti Antonij, quid circa ejus adminiſtrationem conſtitutum ſub aliis Archiepiſcopis, ac de ſacris pignoribus in ipſius Eccleſia conſervatis.*

CAP. XVIII. *Viri ſanctitate & doctrina illuſtres qui Remis claruerunt ſub Pontificatu Henrici & Vuillelmi Cardinalis.*

CAP. XIX. *Guido ex Cardinale Præneſtino & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legato fit LII. Remenſis Archiepiſcopus, privilegium generale obtinet ab Innocentio III. Gandavi obyit in æde ſancti Bavonis, Ciſtercium transfertur ubi quieſcit.*

CAP. XX. *Albericus de Humbert LIII. Archiepiſcopus lites componit, in Albigenſes proficiſcitur, eóque ſedente, expugnata per Gallos Conſtantinopoli, ſanctioribus Græcorum gazis provinciæ, urbiſque Remenſis Eccleſiæ nobilitantur.*

CAP. XXI. *Incenſâ Remenſi Eccleſiâ Reliquiæ Sanctorum circumferuntur ad erogandam pecuniam pro ipſius reſtauratione, quo anno opus inchoatum, & perfectum: ipſius dimenſiones, ichnographia.*

CAP. XXII. *Albericus à Scabinis claves urbis repetit, ſacram militiam in Albigenſes profitetur, ſententiam approbat quâ tota Flandria interdicto ſubjicitur.*

CAP. XXIII. *Vrbium Communiæ in pugna Bovinenſi ſtrenuè ſe gerunt. Iuramenta per provinciam Remenſem prohibentur. Bochardo Avennenſi ob illicitas nuptias ſacris interdicit ſummus Pontifex.*

CAP. XXIV.

Digitized by Google

CAP. XXIV. *Lis mota pro Campaniæ Comitatu Parium Franciæ judicio dirimitur. Celebris excommunicatio in Ingelramnum de Couciaco lata ob læsam Ecclesiæ libertatem, & ejusdem absolutio.*

CAP. XXV. *De Paribus Franciæ aliquid, & cur Remensis Archiepiscopus primus inter Pares.*

CAP. XXVI. *Guillelmus de Ianivilla ex Lingonensi in Sedem Remensem transfertur, provinciam visitans jus sibi debitum in primo adventu à Civibus Peronæ, & Flandriæ Comite exigit, litem dirimit inter Capitulum & Scabinos Noviomenses.*

CAP. XXVII. *Dominicani, Franciscani, & Clarissæ sub Guillelmo de Ianuilla Remis stabiliuntur.*

CAP. XXVIII. *Guillelmus fit Legatus apostolicus, celebrat exsequias Philippi Augusti, Ludouicum VIII inungit, crucem sumit aduersùs Albigenses, defungitur.*

CAP. XXIX. *Hugo Leodiensis Archiepiscopatum Remensem suscipere recusat. Ludouicus IX. Remis inungitur Robertus fit Atrebatesij Comes. Bertrandus impostor à Flandris explodituɾ.*

CAP. XXX. *Henricus de Brana LV. Archiepiscopus uisitat diœcesim & prouinciam, honores exhiberi solitos Metropolitis Remensibus exigit à Flandrensi Comite, Concilium apud Sanctum-Quintinum conuocat.*

CAP. XXXI. *Vrbici Magistratus ex discordia inter Regem & Episcopos augendæ auctoritatis ansam arripiunt. Gregorij rescriptum ad Remenses. Concilia apud Sanctum Quintinum, Situanectum &c.*

CAP. XXXII. *Remis ob collectam tumultuatur. Henricus litem componit inter Episcopum & Scabinos Laudunenses. Thomas de Bellomeso à dominis de Ruminiaco in uincula conjicitur, pœna in eos lata.*

CAP. XXXIII. *Absoluuntur Remenses ab excommunicatione. Prioratus Vallis-Scholarium fundatur. Multi Archiepiscopatum ambiunt. Innocentius IV. Monasterio sancti Theoderici priuilegium indulget.*

CAP. XXXIV. *Iuellus ex Turonensi factus Remensis Archiepiscopus modum uiuendi bonorum puerorum Collegio præscribit, interest Concilio Lugdunensi, priuilegium obtinet aduersùs delegatos, Cancellariatus Remensis officium extinguit.*

CAP. XXXV. *Innocentius Lugduni degens formam uisitandi Suffraganeorum diœceses Metropolitanis præscribit, & Abbatibus indulget priuilegia.*

CAP. XXXVI. *Thomas de Beaumets LVII. Archiepiscopus à Laudunensi Episcopo consecratur, huic Leodiensis Episcopus hominium facit. Rex cæcis hospitium exstruit, & interest translationi Reliquiarum sancti Quintini.*

METROPOLIS REMENSIS HISTORIÆ.

LIBER TERTIVS.

GESTA REMENSIVM ARCHIEPISCOPORVM Eccleſiarum origines, Pontificum, Regúmque diplomata continens, ab Henrico Ludovici VI. filio ad Robertum de Curtiniaco.

Henricus ex Monacho Ciſtercienſi fit Epiſcopus Belvacenſis, Eccleſiæ jura generosè tuetur, ſtátque à partibus Alexandri adverſûs Octavianum.

FRANCE. D'azur ſemé de fleurs de Lis d'or.

CAPUT I.

AUSPICATO tertiam hujuſce operis partem ordior ab Henrico regiæ ſtirpis illuſtri ſurculo, cujus proſapia, virtus, celſitas animi & magnitudo præſtantiores Remenſis provinciæ ſedes exornârunt. Ludovici Groſſi & Aleidis à Sabaudia filius fuit, ex quibus pariter prodiêre Philippus poſt inaugurationem abſumptus, Ludovicus Junior qui patri ſucceſſit in Regno, Robertus Comes Drocenſis, Philippus Aurelianenſis Eccleſiæ Archidiaconus, Petrus qui heredem de Courtenay duxit uxorem, & Conſtantia Raymundo nupta Comiti de Sancto-Ægidio.

Aimoini continuator lib. 5. cap. 32.

Rex igitur tanta, ac felici parens ſobole, Henricum ex filijs tertium ſtatuit ad dignitates eccleſiaſticas promovere, & ut gradatim ad eas aſſurgeret, Clericatum primò ſuſcepit anno 1134. Subdiaconatum poſt duos annos, Archidiaconatum Aurelianenſem an. 1142. tum, licèt adhuc juveni, educto tamen è domo regnatrice, congeſta beneficia in inſigni privilegio ſancti Victoris Pariſienſis magnificè recenſita, ubi ſic loquitur: *Henricus frater illuſtriſſimi Ludovici Dei gratiâ Regis Francorum & Ducis Aquitanorum S. Martini Archiclavis, Abbas quarumdam regalium Eccleſiarum, videlicet S. Mariæ de Stampis, S. Mariæ de Corbolio S. Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Puiſſiaco, S. Melonis de Pontiſara &c.*

At tactus deſiderio animum excolendi in ſancti Bernardi ſchola, quæ inter celebriores totius Eccleſiæ morum ſanctimoniâ, virtutiſque famâ florebat, evangelicam paupertatem aulæ delitijs, & opibus longè anteponendam duxit. Godefridus Ciſtercienſis miram hanc mutationem collo-

Vide Andream du Chesne in Hiſtoria Drocenſi.

HENRIC. I. ARCHIEP. quio, quod ei contigit habere cum ſanctiſſimo Abbate, tribuit, ubi cùm pro ſæculari negotio eum conſulturus quandòque conveniſſet, ſéque Fratrum collegium viſitans eorum precibus impenſè commendàſſet, prædixit vir Dei hunc è ſtatu ſæculari ad regularem brevi tranſiturum, expertúrumque quanti pretij eſſent humilium preces apud Deum pro ſua converſione, quod ſtatim evenit, cum totius Ordinis plauſu & Aulicorum mærore ac triſtitia.

Emiſſo poſt triennij ſpatium voto, laudatiſſimè vivens apud Claramvallem, à Clero & populo Belvacenſi poſtulatur in Epiſcopum, anno ſcilicet 1149 ex Supplemento Sigeberti: ſibi tamen non fidentes, quòd receſſu in Monaſterium, vitáque aſceticâ Henrico carius nihil eſſet, ſcribunt ad Eugenium III. enixéque precantur, electione pontificio decreto firmata, ſanctum Bernardum, è cujus hic ore & nutu pendebat, ut ad regimen ſuſcipiendum induceret. B. Bernardus rei certior factus juveniles animos obtendere, converſionis propoſitum necdum bene inchoatum, poſtulati reluctantem animum; ſed ne bono ſui Ordinis impenſiùs conſulere videretur, Petri Cluniacenſis Abbatis, magni tunc in Gallia nominis, conſilium expetit, cujus hîc reſponſum ſubijcio, quòd excellens ſubacti animi ſpecimen in Principe luculenter exhibeat.

Petri Venerabilis epiſtola ad S. Bernardum.

» PLacuit Sanctitati veſtræ humilitatem meam conſulere, quid mihi » ſuper electione Fratris Henrici Filij veſtri videretur: utrum eidem » aſſenſum præbere debeatis, an non? At vos quidem plenus ſpiritu conſilij, » & timoris Dei, meo ſuper hoc conſilio non egetis, nec neceſſe vobis eſt » ab aliquo talium, qualis ego ſum, mutuare &c. Quia tamen quid inde ſen- » tiam audire vultis, breviter dico. Si vitæ meritum quæritur magnum eſt, » quomodo enim non magnum eſt, cùm de tanto tantillum ſe fecerit, cùm » regij ſanguinis, ut ſic loquar, ſuperbiam tam robuſtæ humilitatis pede cal- » caverit, cùm luxus & pleno cornu fluentes mundi delitias tormentis innu- » meris, & mille mortibus commutaverit, cùm undique arridentem mundum » irriſerit, cùm abnegans ſemetipſum, & tollens crucem ſuam Chriſtum » morientem ſecutus fuerit. Si concors electio de Clero & populo Belva- » cenſi, nec unus diſſentire dicitur, ſi Metropolitani, & Coepiſcoporum » aſſenſus, etiam univerſorum preces vobis, ut comperi, pro conſumendo » tam ſacro opere oblatæ ſunt &c.

Henricus cui Cluniacenſis conſilium non ignotum fuit, quô ſe dignitates ſummopere averſari clariùs oſtenderet, hunc veluti conniventem ſequenti epiſtola mærentis animi, & hoc onus à ſe amoliri cupientis indice ſic alloquitur.

» *INter Patres reverendiſſimo domino Petro Abbati Cluniacenſium Frater Henricus, ſive iubente, ſive permittente Deo Bellovacenſis Electus ſeipſum,* » *& ſi quid amplius poteſt.* Pareat vobis omnipotens Deus, quid eſt quod » feciſtis? ſepultum hominem revocaſtis ad homines, & conſilio veſtro, » cui nimium creditum eſt, expoſitus ſum, & repoſitus in terribile curarum » pelagus; ut me iterum honoris altitudo reſorbeat. Neſcivi, anima mea » conturbavit me propter quadrigas Aminadab, quas ſuſcepi regendas: regi, » non regere opus habens, manus meas miſerunt ad fortia, opus eſt forti- » tudine. Speculator domui Iſraël factus ſum, opus eſt juſtitiâ, prædicator » populi datus ſum, opus eſt temperantiâ, ne fortè cùm alijs prædicavero, » reprobus, quod abſit, inveniar, &c.

Scripſit pariter ad Sugerium Abbatem pro avertendis Belvacenſibus à ſuſcepto conſilio, ne quid detrimenti inter moras eorum Eccleſia pateretur, his verbis.

Aman-

HENRIC. L. ARCHIEP.

Amantiſſimo Patri & domino Sugerio, Dei gratiâ Abbati Sancti-Dionyſij, Henricus indignus Monachus Clarevallenſis: æternam in Chriſto ſalutem.

Moleſtum mihi eſt quòd occaſione mei Belvacenſis fatigatur Eccleſia, unde & ab initio denuntiaveram Clericis, ne inutilem laborem aſſumerent, aut Eccleſiam ipſam damnoſa dilatione gravarent &c.

Exſtat apud Claudium Robert in Gallia Chriſti. De Epiſcopo Belvacenſi.

Videns autem dignitatem hanc ſibi ab omnibus deferri, nihilque cunctando proficere, ſe, licèt invitum, perſuaderi ſinens, characterem epiſcopalem ſuſcepit ab urbis Remenſis Metropol. Samſone anno 1151. ſedemque Belvacenſem annos duodecim tenuit, in qua non minùs ſe ad jura Cleri tuenda ſtrenuum & utilem, quàm prius ab ea ſuſcipienda alienum exhibuit. Unde ob id ſæpius Regem ipſum Ludovicum germanum ſuum expertus eſt adverſarium, ut teſtatur S. Bernardus litteris ad Eugenium III. ſcriptis, maximè verò ob Communiam Belvacenſem, cui totis viribus obſtitit, quamvis cives à Rege privilegium eam inſtituendi obtinuiſſent, ab anno 1146. cujus tenor, quem exhibeo, Remenſi haud abſimilis eſt.

Epiſt. 228. & 308.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum, Dux Aquitaniæ. Notum omnibus facimus tam futuris, quàm præſentibus, quoniam Communiam illam, quam à patre noſtro Ludovico per multa ante tempora homines Belvacenſes habuerant, ſicut priùs inſtituta fuit, & jurata, cúmque eiſdem conſuetudinibus, ſalva tamen fidelitate noſtra, nos quoque ipſis concedimus, & confirmamus. Conſuetudines autem iſtæ ſunt, univerſi homines infra murum civitatis, & in ſuburbio commorantes Communiam jurabunt, niſi fortè Rex conſilio Parium, & eorum qui conſilium juraverunt, aliqui remanſerint. Alter etiam alteri infra firmitatem ipſius villæ rectè ſecundùm ſuam opinionem auxiliabitur, &c.

Petrus Cellenſis binas ad eum per id tempus ſcripſit litteras, primâ grates rependit pro beneficijs ſibi ab eo, ac Monaſterio ſuo collatis; alterâ verò hortatur eum, ut fortiter ſeſe Octaviano Pſeudopapæ opponat, ſtétque à partibus Alexandri III. legitimi Paſtoris, quod & egregiè præſtitit. Sed & Ludovicum VII. fratrem blanditijs Friderici Imperatoris pœnè emollitum, ac nutantem, ſua dexteritate retraxit, & anno 1161. quo celebri conventu Bellovaci indicto quæſitum, cui Pontifici ad hærendum eſſet in Gallia, egit pro virili parte apud Ludovicum VII. & Henricum Angliæ Regem, ut inito fœdere, poſitiſque ſimultatibus Alexandri cauſam ſtrenuè foverent, ac tuerentur, quod & infra clarius conſtabit.

Henricus ex Belvacenſi ad Sedem Remenſem transfertur, ſtudium ejus pro Alexandro in Schiſmaticos, Concilium Remenſe, cui idem Alexander præfuit, interfuítque beatus Thomas Cantuarienſis.

HENRIC. L. ARCHIEP. *An.* 1161.

CAPUT II.

AT Henrici natales, animi robur, & ſtrenuitas in juribus Eccleſiæ præſertim conſervandis, viam ipſi ſtraverunt ad eminentiorem dignitatem, Bellovacenſiſque ſedes, alioquin illuſtris, ubi tirocinium expleverat, gradus ei fuit ad Metropolim Remenſem facilè conſequendam, quæ totius provinciæ caput eſt. Vix enim Samſon Archiepiſcopus è vivis abierat, cùm à Clero, & populo Remenſi conſpirantibus votis eligitur

HENRIC. I. ARCHIEP. *An.* 1162.

anno 1161, quamvis in hoc ſibi non conſentiant Auctores. Johannes Pariſienſis refert hanc electionem ad annum 1166, quem ſequitur Vincentius Bellovacenſis, Robertus verò de Monte, & Colvenerius ad an. 1163, remittunt, Albericus an. 1161. At ex Affligemienſi Chronographo, & ex Chartis authenticis, quibus hic ſubſcripſit, probatur evidenter in Archiepiſcopatûs honorem aſſumptum anno 1161, maximè verò eâ, quæ viſitur in Chartulario Nicaſiano pro villa de Nongento, ubi annus 1164. tertius ſui Præſulatûs certiſſimè notatur.

Inito fœdere Ludovicum VII. inter & Henricum Angliæ Regem menſe Julio, actum de Alexandro recipiendo, apud Bellovacum, & Victore Pſeudopapa, aliàs Octaviano, anathemate percutiendo ab utriuſque nationis Epiſcopis. At Friderico prædicti Victoris partes fovente, & Italiâ militibus ſchiſmaticis pæne occupatâ, Alexander in Franciam, commune ſummorum Pontificum refugium, venire compulſus eſt, ſicque è Campania Italica in Gallias navigans Genuam applicuit anno 1162. inde Magalonam pervenit, & Montempeſſulanum tranſiens, ab ingenti Prælatorum multitudine cum gaudio ſuſceptus eſt. Mox ſtatuit nonnullos è Cardinalibus, qui aderant in ſuo comitatu, ad Regem deſtinare, qui ſuo nomine eum ſalutarent; mutato tamen conſilio, provinciam hanc Henrico Remenſi, qui ad eum venerat, Epiſcopo Lingonenſi, & Silvanectenſi demandavit, Regémque ſuis litteris orat, ut fidem illis tanquam ab eo ſpecialiter miſſis adhibeat.

Interea loci Fridericus videns omnes Orthodoxos Reges, & Principes Alexandro reverentiam exhibere, timuit ne, eo prævalente, Germani ab eo deficerent, & Imperio caderet; unde Regi Francorum, doli neſcio, pacis autem Eccleſiæ cupidiſſimo, per Comitem Trecenſem callidè mandat, ut ambo convenirent apud Avenionem (alij Divionem ſcribunt) in confinio Imperij & Regni: & ipſe quidem ſecum eò deduceret Octavianum, Rex autem Alexandrum; & ſic congregatæ in unum ibidem Eccleſiæ, Gallicana, Italica, & Teutonica de utroque decernerent quod rectius & utilius videretur. At Henricus Remenſis Archiepiſcopus, audito quòd Ludovicus Rex aures præberet ſuggeſtis incantationibus per Comitem Trecarum, prædictæ unioni, ſeu colloquio generosè obſtitit; eóque illuſtrius Romanæ Eccleſiæ præbuit obſequium, quòd Rex, & Imperator in eo colloquio aliquid forſan ſtatuiſſent in diſpendium veri ſucceſſoris S. Petri. Epiſtola autem Henrici ſic ſe habet.

Reverendo D. & fratri ſuo Ludovico Dei gratiâ Francorum Regi, Henricus Remorum dictus Archiepiſcopus ſalutem.

Apud Andream du Cheſne tome 4. pag. 176.

„ VEhementer admiramur, & vehementiùs perturbamur in his, quæ
„ ſignificata ſunt nobis, Comitem ſcilicet Henricum ſacramenta,
„ firmiſſimáſque ſecuritates ex parte veſtra, ſicut dicitur, Imperatori de-
„ diſſe; quòd illum Octavianum generaliter cum Eccleſia Gallicana in
„ Apoſtolicum debeatis recipere: à quo verò nobis hoc ſit ſignificatum,
„ nec habemus, nec debemus vobis intimare. Sit in hoc tantæ neceſſitatis
„ articulo circumſpecta veſtra diſcretio, ne per filios tenebrarum inno-
„ centia veſtra tam animæ, quàm corporis miſerabile patiatur naufra-
„ gium. Valete.

Friderici epiſtola, quam Henricus ſtatim intexit, ſuppreſſo nomine Præſulis ad quem mittitur, alterius colloquij meminit, quod cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patribus Orthodoxis, ac viris religioſis, Baronibus, & univerſis utriuſque Regni Principibus IV. Cal. Sept. die ſcilicet Decollationis S. Johannis Baptiſtæ, ſuper fluvium Saonam in Epiſcopatu Biſuntino,

Robertus de Monte eiuſdē colloquij meminit ad an. 1163.

Digitized by Google

Biſuntino, pro ſopiendo ſchiſmate, jurgiiſque finiendis fieri debebat: at æquè irritum fuit ac prius; repentè ſiquidem mutato conſilio propter Octaviani contumaciam, Principes infecto negotio ad propria redierunt. Sic igitur Deus, in cujus manu cor Regis eſt, Ludovici animum aliò flexit, fratris Remenſis Archiepiſcopi induſtriâ, pactóque paullo poſt fœdere cum Anglo, ambo Reges ſuper fluvium Ligerim convenientes Alexandrum Papam honore congruo ſuſceperunt, ac perfuncti ſtratorum officio, pedites dextrâ, lævâque frenum equi ipſius tenentes, eum uſque ad præparatum habitaculum perduxerunt. HENRIC. L. ARCHIEP. *An.* 1162.

Vaſſeburgus de Alexandri adventu in Galliam diſſerens, refert ab eo tria diverſis in locis indicta fuiſſe Concilia, quamvis doctiſſimus Spondanus unum dumtaxat, Turonenſe ſcilicet, retulerit; primum apud Clarummontem in Arvernia, ubi Fridericus & Pſeudopapa excommunicati, Turonis ſecundum pro reformatione Cleri; tertium Remis ubi, Chriſtianorum rebus in arctum redactis in Palæſtina, actum de ſuppetiis ferendis, & collecta per totam Europam faciendâ, vectigali à Rege ob id impoſito, * quilibet tam Nobilis, quàm Clericus per quatuor annos ex viginti ſolidis annui reditus unum pendere tenebatur. Thomas Leodienſis de hoc pariter Concilio Remis habito verba faciens, tradit Cononem Abbatem ſancti Vitoni Virdunenſis aliquando poſt Papam, Cardinales, ac Epiſcopos in conſiſtorium tardiùs adveniſſe, nullâque ſede reperta, quæ vacua eſſet, humi cubâſſe, quem cùm ſummus Pontifex ex eminentiori loco advertiſſet, publicè faſſus eſt ex Gallicis Præſulibus unum eſſe, cui plurimum deberet; juſſitque in ſignum honoris, ſellam pontificalem, quâ ordinariè ferebatur, ipſi præſentari, cum ſumma totius conſeſſus admiratione. Sanctus Thomas Cantuarienſis extorris patriâ, huic quóque Concilio interfuiſſe legitur, ac Remis manſiſſe per aliquot menſes, ubi & Capellam Virgini Deiparæ in clauſtro ſancti Nicaſij conſecravit, quæ ob tanti viri nomen magno deinceps in pretio ab Aſcetis habita eſt, & noſtro etiam tempore habebatur. *An.* 1163. * quo.

Probabile eſt Xenodochij majoris Sorores mnemoſyni loco cingulum ab eo, cum ægrotos viſitaret, accepiſſe: Rex illi ſodalibuſque ſuis neceſſaria ſupeditavit, quamdiu intra fines Regni morati ſunt, ſicque ſol ipſe ab Anglia turpiter avulſus, Franciæ illuxit ſuæ ſanctitatis radio, diſcipulorúmque ſuorum ſapientiæ & eruditionis luce; ex quibus quidam Remenſis urbis dulcedine delectati, tædium ſuæ proſcriptionis ac exſilij nonnihil lenierunt: inter quos Radulfus memoratur majoris Eccleſiæ Decanus, & Johannes Sareſberienſis nationis Anglicæ jubar longè refulgens. Ea enim erat Henrici Archiepiſcopi in viros doctos propenſio, & liberalitas, ut quos fovere poterat, apud ſe retineret, ſubſidio eis collato ad decus & ornamentum ſuæ Eccleſiæ: unde per id quoque tempus Galterum inſignem Vatem ex burgo Caſtellionenſi ad ſe evocavit ut Rhetoricam Remis profiteretur, cujus meminit Sareſberienſis epiſtolâ ad Epiſcopum Pictavienſem his verbis: *Litterarum latori injunctum eſt, ut apud dominum Epiſcopum gerat negotium M. Galteri Clerici domini Remenſis, pro recuperandis libris, quos idem G. Magiſtro Heliæ commendaverat.* Tum alludens ad vetus vocabulum DUROCORTORUM, quo Remorum urbs antiquitus vocabatur, hæc addit: *Si neſcitis, Belgica ſecunda, quæ modò Remorum dicitur, in antiquis hiſtoriis provincia* * DUROCORDUM *appellatur, licèt, habita contemplatione quorumdam, poſſit Mellicordam nuncupari.* *Lege Bergerij de Antiquit. Remor. lib 2. cap. 2. & 3.*

Henrico Archiepiſcopo adhortante Atrebatium Pontifex Godeſcalcus annis jam grandis, & capitis doloribus graviter agitatus hoc anno infulas depoſuit, eóque extra propriæ diœcèſis fines profecto, apud ſancti Martini Laudunenſis Præmonſtratenſes, unde priùs ad ſuſcipiendum Epiſcopatum

HENRIC. L. ARCHIEP. *An.* 1164.

tum extractus fuerat, abdidit seſe: cui Andræas Cistercienſis Ordinis Antiſtes ſubrogatur. Paullo poſt idem Henricus Marcianas adveniens novo capulo ſacras B. Rictrudis reliquias impoſuit, Andræa Epiſcopo Præſule præſente, & totius viciniæ Abbatibus IV. Cal. Aug. anno 1164. ad eam celebritatem convocatis.

Octaviano Pſeudopapa è vivis ſublato apud Lucam civitatem, & Guidone Cremenſi à Schiſmaticis in locum ejus ſubrogato, qui Paſchalis III. dictus eſt, univerſus Clerus & populus Romanus legationem mittit in Galliam ad Alexandrum, pro accelerando ejus reditu in Urbem, ob Imperialium acerbas vexationes, quod ipſe præſtitit anno ſequenti, collectâ Galliarum Eccleſijs indictâ pro impenſis itineris. Celebrato itaque Senonis Paſchate, poſt feſtum Apoſtolorum pervenit ad Montempeſſulanum, Epiſcoporum ex pluribus Regnis ingenti numero comitante; inter quos Henricus Remenſis pars magna fuit, qui abeundo Petrum Abbatem ſancti Remigij Vicarium generalem in ſpiritualibus inſtituit, ex epiſtola 8. libri 1. quâ Regi Suecorum, Ducibus quoque, & Principibus ſeſe excuſat, quòd Fulconem Epiſcopum, Monachum quondam ſuum, ac in clauſtrali religione ab eo enutritum, apud ſe per aliquod tempus detinuerit, ob eam potiſſimùm cauſam, quòd cum domino Archiepiſcopo Remenſi Romam pergens ipſi Petro Abbati officium ſuum ſupplere commiſerit, neque in dedicatione Eccleſiarum, vel in ordinatione Clericorum, aut in Confirmatione Chriſtianorum Abbatis aſſurgat dignitas, per ipſum implevit, quod per ſe non poterat.

Fulco hic Eſtonum fuit Epiſcopus qui Suecia tum Regno adhærebant.

Scripſit idem Abbas Magiſtro Johanni Cancellario & R..... Cantori Compendienſi, & quibuſdam alijs qui Henricum comitabantur, intimans ſe valde ſollicitum eſſe de ipſius reditu: *Tam ſedula*, inquit, *dilectiſſimi domini mei Archiepiſcopi in pectore meo viget memoria, ut non ſolùm vigilans, ſed etiam dormiens frequentiſſima viſione, & allocutione fruar de abſente, quod modò non poſſum de præſente.* Videns verò cives Remenſes, ex abſentia Archiepiſcopi, neſcio quid moliri de novo, multáſque in urbe turbas excitare, reſcripſit ad eum, ut ſuum ad diœceſim, provinciámque ſuam reditum maturaret, hac epiſtola quæ eſt quarta decima lib. 1.

Lib. 6. Epiſt. 7.

„ *VEnerabili domino & Patri cariſſimo Frater Petrus humilis Abbas ſancti Remigij, ſeipſum devotiſſimè.* Cùm ſemper præſentia veſtra nobis & toti provinciæ Remenſi neceſſaria ſit, quia nunc ſolitò increverunt, „ & intumeſcunt tribulationes, quæ circumdederunt nos, omnino poſtulantes rogamus ne moram faciatis redire ad nos. In abſentia enim veſtra „ cornua ſibi aſſumunt inimici veſtri & noſtri, adeo ut non ſit pax ingredienti vel egredienti. Indifferenter ingrediuntur rapere, vaſtare, & devorare omnia, in quibus manus injicere poſſunt, Monacho, Clerico, laïco, „ pauperi, viduæ, nullíque conditionis miſeriæ parcunt. Placeat igitur, Pater amantiſſime, ſollicitudini veſtræ inclinare animam neceſſitatibus & „ anguſtijs terræ veſtræ, quæ clamat ad vos, & poſt vos.

Incertum an ibi de Primoribus Communia Remenſis loquatur, an vero de Vexationibus à Guiſcardo Comite de Racco in Eccleſias illatis de quibus epiſt. 3. lib. 6.

„ Ceterùm Henricus redux à Montepeſſulano gratulatorias recepit Alexandri III. litteras pro exhibito ſibi à provinciæ Remenſis Epiſcopis „ obſequio, quibus & hos honorabiles Fratres, & immobiles Eccleſiæ „ columnas nuncupat, certóſque reddit ſui adventûs cum maxima totius „ populi Romani, & Senatorum gratulatione, & reverentia in Urbem IX. „ Cal. Decem. Has videſis apud doctiſſimum Dacherium ſpicil. tomo „ V. pag. 572.

Henricus

HENRIC. L. ARCHIEP. An. 1164.

Henricus civium Remenſium Communiam, Canonicorúmque libertates infringere ſatagit. Alexandri reſcriptum pro Canonicis. Scholarium Burgi ſancti Remigij privilegia. Populicani hæretici è Flandria pulſi.

CAPUT III.

TUMULTUS exorti ob recèns erectas Communias in immenſum ubique ſic excreverant, ut ſæpius ad ſanguinis effuſionem uſque perventum ſit, & quidem Regis præcepto juſtiùs nihil, & ad publicam utilitatem accommodatiùs videbatur; ſi conceſſæ auctoritatis limites Scabini non exceſſiſſent: at freti conditione temporis, Pontificúmque diſcordiâ, pluribus in locis veriti non ſunt eccleſiaſticæ libertati violenter manum injicere, ac profanæ ditioni ſubjicere Sacerdotium.

Vidimus ſupra quid Lauduni actum ſit à Communiæ fautoribus, qui Uvaldricum Epiſcopum in ipſius Eccleſiæ gremio fœdè trucidârunt, ob id quoque Aurelijs regia auctoritas in diſcrimen adducta eſt, apud Senones populi furor eò prorupit; ut inter diſtrictos enſes B. Petri Abbas diſcordiam ſedaturus, ſeſe propipiens occubuerit, & ex epiſtola Balduini Noviomenſis Epiſcopi ad Ludovicum VII. patet Regem ab eo exoratum, ut aliquos è ſuis Noviomum mitteret, ne jus Epiſcopi violentiâ Communiæ periclitaretur, & juſtitia etiam ipſorum burgenſium in nullo gravaretur: timebat enim, inquit, populi multitudinem.

Hi verò motus eò graviores ijs in urbibus, quò aliquis eſſet impedimento, apud Remenſes tandem efferbuêre, nec ſemel itum ad arma, quibus commota, & concuſſa civitas, donec Communia perfectè ſtabiliretur. Enimverò Scabinis excedentibus tenorem regij privilegij, protectionémque omnibus promiſcuè, ac ſine delectu offerentibus, ijs quoque qui juriſdictioni Eccleſiæ ſubdebantur, Henricus horum molitioni, tum ex debito officij, tum ex officiariorum, qui ab his premebantur querelâ, obnitendum cenſuit. Sed ut quanto ſtudio, imo quàm acriter, ac ſeverè id factum ab eo, meliùs intelligatur, in medium adducenda ſunt verba Johannis Sáreſberienſis lugubrem reipublicæ ſtatum graphicè depingentis, eo prorſus tempore, quo hæc geſta ſunt; oblatam quoque à civibus ultro ſatisfactionem, eorum animos pro avita libertate tuenda, totiúſque rei ſeriem & exitum.

Domino Iohanni Pictavienſi Epiſcopo Iohannes Saresberienſis.

REgnorum colliſiones, & terræ motus magni, & imminentium periculorum exitus, me calamum ſuſpendere diutiùs coegerunt, & commodiora ſcribendi tempora expectare: bellici namque tumultus æſtate ferè tota ferventes intermeandi facultatem litterarum portitoribus præcluſerunt, & in Remenſi urbe orta ſeditio ſic turbavit provinciam, ut vix tutum fuerit ingredi, vel egredi civitatem. Conſpiraverant enim cives de Clericorum conſilio, & auxilio militum, nittentes contra Archiepiſcopum, qui novas quaſdam, indebitas & intolerabiles ſervitutes volebat imponere civitati; & Eccleſiarum turres & domos munitiores occupantes, officialibus & amicis Archiepiſcopi ejectis ab urbe, multas ei injurias intulerunt. Et

Iohannes Sareſberi. epiſt. 214.

HENRIC. I. ARCHIEP. *An.* 1164.

„ Et primò quidem ei omnem humilitatem exhibuerunt, parati duo „millia librarum, ſicut multi teſtantur, conferre in ærarium ejus, dum„modo eos jure tractaret, & legibus vivere pateretur, quibus Civitas „continuè uſa eſt à tempore S. Remigij Francorum Apoſtoli. Adierant „etiam Chriſtianiſſimum Regem, ſed nec per eum, rigorem Archie„piſcopi flectere potuerunt: confugerunt itaque ad Comitem Henricum, „& ex ejus conſilio ceſſerunt Regi, quem Archiepiſcopus adduxerat, ut „in brachio ejus contereret Civitatem. Rex autem dolens, ſed tamen „fratris ſatisfaciens voluntati, circiter quinquaginta domos dirui fecit, & „receſſit. Cives verò die tertia redierunt, & in ultionem dirutarum „domuum funditus everterunt domos militum faventium Archiepiſcopo, „Vicedomini ſcilicet ſui, & alterius qui in urbe geſſerat præfecturam: „unde motus Archiepiſcopus Comitis Flandriæ imploravit auxilium, „eúmque cum mille militibus adduxit Remis, ut cives perirent in ore „gladij, aut redimendi, & torquendi conjicerentur in vincula. Sed illi „prætentientes adventum Comitis iteratò ceſſerunt; ſic evacuantes urbem, „ut Flandrenſes inediâ confecti vix unius diei, & noctis moram potue„rint ſuſtinere: & quia Archiepiſcopus in receſſu eorum, cives ad propria „redituros non dubitabat, per Comitem Robertum fratrem ſuum ignaris „Flandrenſibus cum eis pacem fecit, acceptis quadringentis quinquaginta „libris in recompenſationem damnorum, quæ ut multiplices injurias, & „contumelias taceam, in quadruplum excreverant, concedens ut de „cetero moribus utantur antiquis. Sic itaque damnoſam, & ignominioſam „cum civibus faciens pacem, adhuc cum Clero exercet inimicitias, & „ſè juri offerentes erercet Eccleſias. Hæc apud nos.

Exterus hic Doctor, ac recèns hoſpitio Remis exceptus, breviter quidem perſtringit quàm acerbè tumultuatum ſit ſub Henrico; at non ſatis aperit quænam eſſent indebitæ illæ ſervitutes, quas civibus imponere nitebatur, nec jura, ſeu conſuetudines quibus à tempore ſancti Remigij (imo ante Francorum Monarchiam, ut quidam volunt) uſos fuiſſe aſſerit. leges ſanè municipales habuiſſe haud abnuerim, de ijs licèt nuſquam meminerit Flodoardus; utrum autem eas primùm abrogare tentaverit Archiepiſcopus, ſdque locum dederit diſſidio, non ſatis conſtat. Immo videtur potiùs in Communiæ principes potiſſimùm exarſiſſe, quòd ex abſentia ſua elati nimiùm ſibi arrogâſſent, gravamina ſuis inferendo, ut toties apud Regem Epiſcopi alij hoc tempore conqueſti ſunt, probátque ulterius Philippi reſcriptum ad Majores Communiarum totius provinciæ Remenſis. At Henricus novellæ Communionis inſtitutioni obviam iviſſe non contentus, ut alibi factitatum, veterem vivendi modum, ſeu conſuetudines, juxta quas Scabini jus dicebant, antiquare voluit; ut ijs ſublatis, cives omnino officiariorum ſuorum juriſdictioni ſubmitteret. Cùm autem reluctantes animos, totámque adversùm ſe commotam ſenſiſſet civitatem, coactus tandem eſt permittere, ut ſuis ipſi uti poſſint legibus, interdicta forſan ad tempus Scabinorum auctoritate, cùm Vuillelmus Cardinalis eos in charta ſtatim citanda reſtituerit.

Sic incipit: Philippus Dei gratiâ Francorum Rex Majoribus juratis Cómuniarum ſalutem Quoniâ moleſtum eſt nobis quòd vos gravamina ſæpius incurritis Clericos capiendo, &c Datũ Compendij. *Vaſſorium in Hiſt Noviom. pag. 927.*

Quòd verò in Clerum pariter, ſeu Canonicos exercuerit inimicitias, qui inito fœdere cum civibus conatui ejus obnitebantur, id accidiſſe puto ob privilegiorum infractionem, quibus conceſſa facultas illis erat excommunicandi, ſeu etiam abſolvendi eos; qui jura Capituli violâſſent, aut Clericorum bona invaſiſſent. Veriſimile enim eſt ejuſmodij privilegijs, ab Urbano II. confirmatis in jucundo ſuo adventu ſubſcribere noluiſſe, quòd non minùs dignitati archiepiſcopali ea adverſarentur, quàm Scabinorum ob Communiam aucta juriſdictio ditioni ſuæ temporali, cui tam acriter obſtiterat. Exſtant Alexandri epiſtolæ ad prædictum Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopum pro ſopiendis ejuſmodi querelis, quas hîc ſubnectere profuturum judicavi. HENRIC. I. ARCHIEP. An. 1164.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Henrico Archiepiſcopo: ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

QUanto majori dignitate, & nobilitate ſanguinis præemines, tanto te « decet ſubditis tuis magis mitem, & benevolum exhibere, & ad hoc « inter cetera ſtudia tua ſtudio totius attentionis intendere; ut ſubditos « tuos manſuetè videaris, & benignè tractare. Accepimus autem ex parte « dilectorum Filiorum noſtrorum Canonicorum Eccleſiæ tuæ, quòd tu « eos durè nimis, & graviter tractas, ultra modum in ipſos manum tuam « gravâſti, & ad eorum gravamen Kariſſimum in Chriſto Filium noſtrum « illuſtrem Francorum Regem fratrem tuum, quod te prorſus dedecuit, « provocâſti, in hoc minùs, quàm decuerit, libertati eccleſiaſticæ provi- « dens, nec conſiderans, vel attendens quantum eidem Eccleſiæ in poſte- « rum poterit eſſe damnoſum, quod per eundem Regem, præter grava- « men tuum, præfatam Eccleſiam gravari feciſti. Si enim ſupradictus Rex, « qui ita Catholicus & Chriſtianiſſimus eſt, & eccleſiaſticæ libertatis ama- « tor, in bona ipſius Eccleſiæ manum extendit, heredes ejus, qui non ita « erunt fortè amatores eccleſiaſticæ libertatis, eandem & alias Eccleſias « Regni facti hujus exemplo committere poterunt graviora: quòd ſi fortè « (quod abſit) contingeret, tibi in ſalutis perpetuæ detrimentum non « immerito proveniret. Quoniam igitur cum univerſis ſubditis tuis, & « præſertim cum Clericis cathedralis Eccleſiæ, te decet pacem, & concor- « diam habere, & obtentu potentiæ, & nobilitatis tuæ ab eorum gravami- « nibus propenſiùs abſtinere, cùm in omni certamine, ille qui plus poteſt, « etiam ſi injuriam ſuſtineat, facere videatur. Fraternitatem tuam mone- « mus, mandamus, atque præcipimus quatenus ad teipſum redeas, quid pro- « videntiam tuam, & nobilitatem deceat diligenter attendas, & ſupradictos « Canonicos paterna caritate diligas, & honores, & apud eundem Regem « efficere ſatagas, ut eis gratiam ſuam & ablata omnia clementer reſtituat: « ita te circa ipſos & univerſos ſubditos tuos benignum & munificum exhi- « beas, quòd plùs videaris diligi quàm timeri; non enim ſine derogatione « famæ tuæ prædicta & Eccleſia, & Canonici gravamen tuum, vel injuriam « ſubſtinebunt, & inter te & ipſos durabit, &c. «

Illuſtri Francorum Regi Ludovico, Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei: ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INter alia pietatis opera quibus magnitudo regiæ ſerenitatis invigilat, hoc « eſt quod ad cumulum ſempiternæ mercedis, & æternæ laudis gloriam « copioſius tibi proveniet, quòd eccleſiaſticam libertatem ſicut Chriſtianiſ- « ſimus Rex, & Catholicus Princeps præ ceteris Regibus, & Principibus « orbis auges propenſiùs, & conſervas, & pro eccleſiaſtico ſtatu ſervando « ſollicitus, & ſtudioſus exſiſtis. Unde decet regiam prudentiam tuam pium, « & commendabile opus indefeſſa cura & ſollicitudine votivis cordis affe- « ctibus imitari, nec ab eo aliquorum ſuggeſtionibus aliquo tempore « retrahi, quod tibi & ſempiternam ſalutem procul dubio præparat, & « ubique terrarum famæ tui glorioſi nominis tribuit incrementum. «

Accepimus autem quòd occaſione ſumpta ex diſcordia, quæ inter vene- « rabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum, & devotos filios noſtros Cano- « nicos Remenſes naſcitur eſſe ſuborta, ab eiſdem Canonicis quædam contra « ſolitum exegiſti, quæ quoniam tibi negârunt, tu adversùs eos indignatus «

HENRIC. L. ARCHIEP. *An.* 1164.

» eis, & Eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones quaſdam pro voluntate propria ſubſtra-
» xiſti. Quoniam igitur perſonam tuam ita ferventi caritate diligimus, quòd
» nihil aliquando vellemus committere unde merito poſſet per Deum, vel
» homines regiæ magnitudini derogari ; Excellentiam tuam rogamus, mo-
» nemus & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem peccatorum
» injungimus, quatinus divinæ retributionis intuitu, & pro reverentia B.
» Petri & noſtra, nec non tuæ ſalutis obtentu eiſdem Canonicis gratiam,
» & amorem tuum clementer reſtituas, ablata omnia reddas, ad reforma-
» tionem pacis inter eundem Archiepiſcopum & Canonicos diligenter in-
» tendas, prædictam Eccleſiam in ſua libertate conſerves ; ut ſicut in Regno
» tuo eadem Eccleſia celebris, & ſollemnis habetur, pace gaudeat, & tran-
» quillitate. Indignum eſt ſi .....

Item epiſtola Petri Cardinalis ſanctæ Mariæ in Via-lata ad Henricum Archiepiſcopum de eadem re.

Hic Cardinalis erat patriâ Duacenſis & Legatus apoſtolicus ex Meyero ad an 1199. *& Canonicus Remenſis.*

Cariſſimo Patri ac domino Henrico Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopo ſuus Canonicus, & ſanctæ Mariæ in Via-lata Cardinalis Diaconus : ſalutem & ſinceram dilectionem.

» SI patri filius, domino ſuo Canonicus, ſi Archiepiſcopo Cardinalis
» loquitur, benigna aure ſuſcipiendum eſt quod ore benigno profertur.
» Quantum decori capitis, ſi membra ſibi ſubtrahuntur, tantum derogatur
» archiepiſcopali auctoritati, ſi ſuus, cum quo mori & vivere deberet
» conventus diſſentiendo ab ea dividitur ; quod contigiſſe plurimùm dolco,
» & ne in peiorem vergat exitum, admodum expaveſco. Sicut enim parvæ
» res concordiâ creſcunt, ſic magnæ diſcordia dilabuntur : Remenſis enim
» Eccleſia ſperans exaltari, regiam prolem elegit, nunc autem depreſſa,
» regiam molem ingruere ſibi ſentit.

» Conſuetudines enim ſuas, quas vos credo ſervare promiſiſtis, ſibi violari,
* *f.* nulla. Nota. » maximè in abſolvendis ſuis excommunicatis * nunc facta ſibi ſatisfactione
» lacrimabiliter gemit. Unde, Pater pie, provolutus pedibus Sanctitatis
Promiſerat Archiepiſcop. ſe conſuetudines Eccleſiæ ſervaturum. » veſtræ MAJESTATEM VESTRAM exoro ; ut convocatis Suffraganeis
» veſtris, diſcordiam amicabili compoſitione ſopiri ſtudeatis : plùs enim
» valet compoſitio cum parvis expenſis amicabilis, quàm cum multo diſ-
» pendio ſententia lacrimabilis ; hæc generat pacem & dilectionem, illa
» diſcordiam & odium. Si diffidetis à conventu veſtro, à vobis ipſi diffide-
» tis, ſunt enim pars veſtri, nec totus, & integer ſine ipſis eſſe valetis. Inde
» eſt quòd ſine ſuorum Clericorum conniventia quemquam Epiſcopum ju-
» dicare, ligare, vel ſolvere, ſine eorum miniſterio ſacrificare ; ut ſic unitas
» ſervetur Eccleſiæ, ſacrorum Canonum inhibet auctoritas.

Quis diſcordiæ finis fuerit, non comperi, videtur tamen Henricus, Cardinalis acquieviſſe conſilio, ex epiſtola ad Henricum Sueſſionenſem Epiſcopum, quâ mandat & præcipit ; ut remota omni occaſione ei occurrat apud Belvacum, inſtanti Sabbato poſt feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ ; quò ſequenti Dominica de negotijs ad ſe, Eccleſiámque ſuam pertinentibus tractare poſſint. Hiſce necdum bene ſopitis ſimultatibus, alia exarſit controverſia tam Remis, quàm Cathalauni, pro regimine ſcholarum. Alexander ex relatione ſibi tranſmiiſſa ab Abbate ſancti Petri-de-montibus, quòd Magiſter ſcholarum Cathalaunenſis Eccleſiæ in terra dicti Abbatis ſibi magiſterium vendicaret, mandat Remorum Archiepiſcopo ; cùm ſcientia litterarum ſit donum Dei, tam Abbati, quàm Magiſtro ſcholarum præcipiat, ne aliquem probum & litteratum virum regere ſcholas in civitate, vel ſuburbijs, ubi voluerit, aliqua ratione prohibeat. *Non enim,* inquit, *venale debet exponi, quod munere gratiæ cæleſtis acquiritur, &c.*

Pro regimine ſcholarum diſcordia.

Longè

Longè gravior ſuborta eſt commotio inter ſcholares, & Preſbyterum quendam in Burgo ſancti Remigij; cùm enim hic die Dominica coram Clericis & laïcis poſtpoſitâ modeſtiâ clericali choreas duceret, ſcholaribus ipſis eundem Preſbyterum exinde increpantibus, & deridentibus, idem furore & impetu oſtium & feneſtras ſcholarum auſu temerario fregit, & in quoſdam ex ipſis ſcholaribus violentas manus injecit, ijſque non contentus, abſque conſcientia Archiepiſcopi, & Officialium ſuorum, in ipſos non citatos, nec confeſſos, proximè ſequenti die excommunicationis ſententiam promulgavit, quam Archiepiſcopus fecit, ut debuit, relaxari. Re ad ſummum Pontificem ſtudio ſcholarium devoluta, quòd aſſererent libertatem habere, ut nullus in eos manus injiciat, aut eccleſiaſticam ſententiam audeat proferre, donec coram Magiſtro ſuo juſtitiæ ſtare voluerint, idem Pontifex per apoſtolica ſcripta Abbati S. Remigij, & Fulconi Decano Remenſi mandavit, ut partibus ante eorum præſentiam convocatis, veritatem ſtudioſiùs inquirant, prohibeántque, ne quis prædictos ſcholares contra eorum libertatem moleſtare audeat, quamdiu Magiſtro ſuo parati fuerint obedire, &c. HENRIC. I. ARCHIEP. *An.* 1166.

Ceterùm ex prædictis Alexandri litteris, Eccleſiarúmque Tabulario patet Epiſcopos per id tempus ordinarios Officiales conſtituiſſe pro cauſis tam civilibus, quàm eccleſiaſticis terminandis, approbandíſque emptionibus, vel donationibus ſigillo particulari; cùm perſonaliter antea huic rei incumberent, aſſiſtentibus pari gradu Dignitatibus majoris Eccleſiæ, diœceſeos Abbatibus ſpecialiter ad id vocatis, aut in comitatu, vel palatio archiepiſcopali caſu repertis, ut chartæ ſubindicant. Litibus igitur in immenſum pullulantibus partium dexteritate, ac ſtudio Clericorum, qui juri canonico dabant operam, Epiſcopis quoque aliò intentis, cura hæc quibuſdam Canoniſtis è Clero committenda fuit, quod Remis incœpiſſe ſub Henrico, cujus hiſtoriam texímus, probant Alexandri III, epiſtolæ, octava præſertim ad Epiſcopum Silvanectenſem, & Abbatem ſancti Medardi, ubi agitur de reſtitutione quorumdam bonorum facta Monaſterio S. Remigij, judicio Remenſis Eccleſiæ. Item quintadecima docet Preſbyterum, qui ſcholares Burgi ſancti Remigij excommunicârat, id feciſſe abſque conſcientia venerabilis Archiepiſcopi & Officialium ſuorum. Quinquageſima fit mentio Curiæ archiepiſcopalis, ex qua ad audientiam ſummi Pontificis quidam appellaverat, remiſſúſque eſt ad Judices delegatos; ut ab initio ſollemne fuit. Cùm autem ex Epiſcopis provinciæ ad audientiam Remenſis Archiepiſcopi provocabatur, & hoc coram Officialibus, ut epiſtolâ quartâ decimâ Stephani Tornacenſis habetur, aut quidpiam ab his geſtum, metropolitana auctoritate confirmandum erat. Officiales initialia hæc verba ſuis litteris apponebant MAGISTER MATTHÆUS. GUIDO V. G. OFFICIALES REMENSES, *Iudices metropolitani.* Vel ad cauſas provinciæ. *Vniverſis præſentes litteras inſpecturis. Noverint univerſi nos anno..... vidiſſe, & legiſſe litteras ſigillatas talis Epiſcopi, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte ſui vitiatas quarum tenor talis eſt, &c.* Vocantur alicubi *clariſſimi ſpectabiléſque Patres, domini Officiales:* duo enim erant pro litibus finiendis cum Promotore, ut hactenus ſunt & fuerunt, habéntque caput cervi impreſſum in ſigillo, quòd Officialitatis auditorium eſſet in area ubi Cervus æneus ſuppedaneo lapideo impoſitus ſtabat. Petrus Bleſenſis, Officialis munus deſcribit epiſtolâ 25. ad Officialem Carnotenſem, hortatúrque eum, ut ab hac litium officina egrediatur, tanquam de Vr-Caldæorum, & de medio Babilonis, ob corruptelas quæ hac ætate in immenſum excreverant.

Patet etiam id ex epiſt. 14. & 74. prædicti Pontificis.

Officialiũ inſtituto fecit ut Abbates & Dignitates cathedralis Eccleſiæ archiepiſcoporum decreto amplius non ſubſcripſerint nec horum litteris annum Epiſcopatûs apponatur.

Henricus Flandriæ diœceſes viſitans Manichæorum hæreſis quoſdam ſectatores reperit tantâ veſaniâ elatos, ut ſe ſordium omnino expertes

HENRIC. I. ARCHIEP. *An.* 1167.

existimarent, cùm re vera essent gravioribus vitijs conspurcati. Hos primùm monuit Archiepiscopus ad Ecclesiæ gremium redire, ne altiùs iniquitas radices ageret, eo autem nihil proficiente, & à censuris ejusdem, quibus tandem in eos usus est, ad Sedem apostolicam proclamantibus, Ludovicus Rex Alexandrum, ne audirentur, deprecatus est hac epistolâ, quam ex Andræa du Chesne hausimus.

Sanctißimo Patri & Domino Alexandro Dei gratiâ summo Pontifici, Ludovicus eâdem gratiâ Francorum Rex: salutem & debitam reverentiam.

De his Populicanis Chronicon Antiss. sequitur ad an. 1198.

„ ARchiepiscopus Remensis H. frater meus nuper in Flandriarum „ terram profectus, ibi invenit homines depravatos, erroris pessimi „ sectatores, in Manichæorum lapsos hæresim, qui vulgò Populicani vo„ cantur, & per quasdam observationes, quas habent, meliores apparent, „ quàm sint, & si fortè prosperati fuerint dispendium magnum erit nostræ „ Fidei, præsertim in partibus illis, ubi iniquitas pullulavit, & radices al„ tiùs fixit. Si voluisset Archiepiscopus solummodò ut parceret iniquis istis, „ & toleraret pravitatem hanc, pro hujusmodi redemptione habuisset pecu„ niam magnam nominatam, videlicet sexcentas argenti marcas: quia apud „ eum non patebat illis refugium, proclamaverunt ad audientiam vestram; „ sed rem tam venenosam, tam pernitiosam attendat diligentiùs sapientia „ vestra, & velitis, ut tanta pestis potiùs evellatur, quàm pullulet. Pre„ camur itáque attentiùs pro honore Fidei Christianæ, ut ex consilio Ar„ chiepiscopi carissimi Filij vestri rem provenire sinatis, ut illi scilicet de„ struantur, qui contra Deum eriguntur, &c.

Ex his quæ tanto studio fiebant à Remensi Archiepiscopo summus Pontifex exhilaratus, alia quædam postmodum discretioni ejus, ac sapientiæ commisit; ut scilicet de regimine scholarum Parisiensium ordinaret cum Vvillelmo Senonensi, epistolâ 18. Ut Cameracensis Electi interemptores publicè accensis candelis denunciaret, epist. 15. Cúmque ob aliquod crimen admissum interdicto terram cujusdam Bélvacensis diœceseos subjecisset, ac Ludovicus Rex pro eo solvendo ad summum Pontificem rescripsisset, deprecatorias ad Archiepiscopum litteras priùs mittendas censuit, nihílque circa interdicti relaxationem agendum; donec in curia ejus, vel Belvacensis Episcopi, causa finem debitum sortiretur. *Aliter enim minùs honestum esset*, inquiens, *ut sententiam à tanto viro canonicè promulgatam, si id ei grave est, sine conscientia ejus facilè solveremus.*

Hoc anno Hericus Archiepisc. Remigianos immunes reddidit & absolvit a censu, quod ei exhibere tenebantur diebus Natalis & Translationis S. Remigij & à Prescengijs, modò ei solverent & successoribus suis quinquaginta solidos, Remensis monetæ. FRISINGAR. *autem dicebantur porcelli majores, nondum justis incrementis. Vide lib.* IV. *Capitular. cap* 33. *& P. Pithœum in Glossar.*

Multum præterea sollicitudinis, & curæ impendit idem Archiepiscopus pro Hugone Suessionensi Episcopo Regis Ludovici Cancellario adversùs malevolos, qui præclarum hoc munus invidebant. At irritæ preces ejus fuerunt apud Alexandrum pro regulari Canonico, qui Canonicatum sæcularem in Ecclesia Noviomensi propensiùs ambiebat, ut ex sequenti Pontificis rescripto patebit, quod Vassorio debemus.

Non arandum in bove & asino.

Deut. 22. *B.* 10. *Alexander Episcopus Servus servorum Dei venerabili Fratri Henrico Rem. Archiep. salutem & apostolicam benedict.*

„ DEvotionis & sinceritatis tuæ litteras, quas nobis pro dilecto filio „ nostro Drogone scripsisti, benignæ mentis affectione suscepimus,

&

Digitized by Google

& eas curavimus diligenter audire. Verùm ſuper negotio illo, de quo nos rogâſti, nihil aliud tuæ prudentiæ reſpondemus, niſi quod bonæ memoriæ. B. quondam Noviomenſi Epiſcopo exinde jampridem meminimus reſpondiſſe, etſi nuntij ejus litteras noſtras nollent deferre. Licèt enim regulares ad Prælationes eccleſiaſticas aſſumptos perſæpe vidimus, numquam tamen legimus, vel à quoquam audivimus, quòd de regulari Canonico quiſquam fuerit ſæcularis effectus. Quare ſi precibus tuis in hac parte non acquievimus, quoniam ſalva Eccleſiæ honeſtate, id non potuimus efficere, grave non debes, vel moleſtum habere, aut inde quoquo modo turbari, cùm ſcriptum ſit: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro aptus eſt regno Dei*; Et uxor Loth quia reſpexit retro, in ſalem, ut condiat, legitur converſa fuiſſe. Tu ergo præfatum Drogonem diligentiùs exhorteris, & omnimo inducàs; ut ad Clauſtrum ſuum celeriùs revertatur, & ibidem ſecundùm promiſſionem ſuam ſtudeat humiliter Domino deſervire: non enim nobis minùs grave, quàm tibi exſiſtit, quòd preces tuas ſicut vellemus, ſalvâ conſcientia noſtra, in hac parte non poſſumus exaudire. Datum Beneventi VII. Id. Martij.

HENRIC. L. ARCHIEP. *An.* 1167.

Canonicus regularis ſæcularis fieri non debet.

Luc. IX. 62.

Alexander rogatus à Guidone ſancti Nicaſij Remenſis Abbate, ut bona recèns Monaſterio ſuo conceſſa, vel aquiſita, cum veteribus novo diplomate firmaret, non acquievit modò; ſed & privilegium eligendi Abbatem ſecundùm Regulam ſancti Benedicti, quod aliàs à ſummis Pontificibus conceſſum fuerat, cujus hic tenor eſt.

Alexander Epiſc. Servus ſervorũ Dei, dilectis Filijs Guidoni Abbati Monaſt. S. Nicaſij, ejúſque Fratrib⁹ tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeßis in perpetuum.

REligioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe præſidium &c. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, villam Sancti-Hilarij, ſicut Eccleſia veſtra quietè & ſine calumnia à centum quatuor annis noſcitur poſſediſſe cum manſo indominicato, terris adjacentibus, paſcuis & omnibus exitibus villæ, cum banno & Juſtitia, & ſedibus molendinorum, tam in villa, quàm extra villam, & curſu aquæ, & toto piſcatorio ab ..... ſione Montis-ſancti-Remigij uſque ad lapideam metam Sancti-Hilarij verſùs Sanctum-Martinum; quæ omnia ab omni humana calumnia, atque exactione liberrima GERVASIUS quondam Remenſis Archiepiſcopus à quibuſdam Militibus comparaverat, & Eccleſiæ ſancti Nicaſij perpetuo jure poſſidenda ſub auctoritate privilegij PHILIPPI quondam Regis Francorum contradidit.

An. 1188.

Privilegium aliud Philippi ſupra relatum eſt.

Caſam Eccleſiæ de Monte-ſancti-Remigij, decimam de Burigniamonte per manus Archiepiſcopi à Petro Milite de Arpi redemptæ*, donum terræ vel nemoris, quod Petrus de Courtenay dedit ſancto Nicaſio pro matre ſua Helvide ad cenſum XII. denariorum ad Paſcha ſolvendum. Totam ſilvam à cultura Monachorum de Ham, uſque ad Perus, quam Petrus de Monte-cornuto dedit Eccleſiæ de Ham in die Dedicationis ejus Totam villam de Ham cum Eccleſia & molendino cum banno & Juſtitia, ſervis & ancillis, pratis, terris, ſilvis, & liberis exitibus ejuſdem villæ. Totam decimam de Arceis. Totam Eccleſiam de Clerum, & Capellaniam de Montecornuto. Eccleſiam de Lunis. Capellam de Sulmone. Eccleſiam de Curte-Monaſterij cum decimis de Nocumento. Eccleſiam de Villzeto cum tota decima, & uno manſo terræ arabilis.

* *ſ.* redemptã.

In

HENRIC. L. ARCHIEP. „ In Burgo Sancti-Nicasij portagium, roagium, modragium, sextellagium „ & theonicum cum banno, & Justitia, & furno bannato, & novalia, quæ „ proprijs manibus, aut sumptibus coluntur. Siquis, &c.

An. 1168. „ Ego Alexander catholicæ Ecclesiæ Episcopus. | Ego Hugo Diaconus Cardinalis, &c.
„ Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis. | Ego Conradus Moguntiæ Archiepiscopus & Sabinensis Episcopus.
„ Ego Ardilio Diaconus Cardinalis.

„ Datum Beneventi per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi & Notarij „ VI. Id. Feb Indic. II. An. Incar. 1168. Pontificatûs verò Dom. Alexandri Papæ III. anno decimo.

Gosvinus Aquicinctensis Abbas.

Gosvino Aquicinctensi Præsuli Remos per id tempus ad Henricum proficiscenti id accidisse ferunt, quòd cùm unicus in cruriena nummus esset (acceleratio enim plures accipiendi tempus præripuerat) eo egenti, ac stipem petenti erogato, alius in marsupio, Deo volente, repertus est, quo in alium pauperem erogato, alius atque alius semper ei divinitus sufficitur, donec Remos perveniret. Idem Henricus nuntio postea accepto quòd prædictus Abbas in extremis laboraret, aliquem è suis Aquicinctum mittit, quò felicem à moriente precationem impetraret. Molanum contule in Nat. IX. Octob. Sigebertum, Locrium, & alios.

Epistola ad Episcopũ Oxonensem.

Johannes Saresberiensis de excommunicatione differens, quam B. Thomas Cantuariensis in Regem Angliæ inflixurus erat, ob libertates Ecclesiæ violenter ab eo temeratas, ait prædictum Thomam Suessionem profectum, quò B. Virginis, & S. Drausij opem postularet, pro animi robore obtinendo adversùs pericula, quibus strenuiter agendo sese expositurus erat: imo & B. Gregorij Ecclesiæ Anglicanæ fundatoris, cujus reliquiæ Suessionis conservantur. Sanctus ille Drausius inter bellicosos tantam sui nominis famam obtinuerat; ut non modò Franci & Lotharingi, sed & Burgundiones & Itali turmatim Suessionem adirent, juxta sacellum ejus excubias acturi, hac fiducia quòd ipsius intercessione strenui ac invincibiles forent in bello. B. Thomas per tres dies continuos in Ecclesia dicta pernoctavit, tum Vezeliacum rediens, paratum se esse audacter professus est, mille potiùs pati supplicia, quàm perversæ Regis acquiescere voluntati.

S. Drausius à militibus invocatur.

Annualia Canonicatuum sancti Simphoriani dat Henricus Sandionysianis, Nundinas Remis instituit die Paschatis, turres & Castella exstruit ad latrocinia comprimenda, migrat anno M. C. LXXV.

CAPUT IV.

Ex Obituario S. Dionysij, Idibus Novẽ. Henricus Archiepiscopus dedit nobis annualia S. Simphoriani.

POST graviores susceptæ regiminis curas, Henricus in Urbem rediens animi sui propensionem erga Sandionysianos Remenses testari voluit, annualia eis præbendarum sancti Simphoriani impertiendo, quæ à successoribus suis, approbante summo Pontifice Alexandro, postmodum confirmata sunt, ut ex chartis authenticis supra vidimus, patetque ex eorumdem Obituario, Idib. Novem. De ejusmodi annualium origine tradunt moderni Auctores olim factitatum à Prælatis ecclesiasticis, quod apud Reges, Principésque laïcos quandòque dicitur usurpatum. Ut enim hi à Comitibus, alijsque Regni beneficiarijs priorem annum annui reditus

Digitized by Google

reditûs exigere poterant pro jure clientelæ; ſic illi à Canonicatus ſeu præbendas obtinentibus, quarum collatio ad eos integre ſpectabat, juſque illud non feudi, ſeu clientelæ; ſed annatæ, haud priùs nomine uſitato, ab eis nuncupatum. Annatæ enim dictæ, quia per annum emolumenta beneficiorum percipiebantur, voce minus odioſa ſimoniæ labem occultantes; licèt variatio nominis, ut aiunt Juriſconſulti, non excuſet id, quod ſua natura malum eſt. HENRICI I. ARCHIEP. *An.* 1170. *Cap. de Simonia.*

Cùm igitur ejuſmodi annualium exactio turpitudine non vacaret, Remenſes Archiepiſcopi ab his abſtinendum rati, jus illud qualecumque Sandionyſianis ex eleemoſyna, & ad ſublevandam eorum egeſtatem aliorum Epiſcoporum exemplo tranſtulêre. Legimus ſiquidem annualia ſancti Petri Belvacenſis impertita Monaſterio ſancti Quintini anno 1126. alia item in favorem Abbatis ſancti Juſti, quæ ab Henrico, cùm adhuc Belvacenſis eſſet Epiſcopus, confirmata reperiuntur Pontificatûs ſui anno ſecundo, regni verò Ludovici VII. XXXIII. numerando ab ipſius inauguratione Remis facta.

Sic Theobaldus Epiſcopus Ambianenſis primum annum cujuſque præbendæ, ſeu Canonicatus vacantis per obitum, indulſit Abbati S. Martini ea conditione, ut ſingulis diebus per annum preces fierent pro anima defuncti Canonici. Item illuſtris Archiepiſcopus, ut nimiæ ſeveritatis notam ſpeciali gratitudine erga cives expungeret, ſtatuit nundinas inſtituere, quæ die Paſchatis inciperent, finirent verò ſequenti Dominica; externis mercatoribus ad eas frequentandas delinitis, tum ſpe lucri, tum Indulgentiarum, ac ſollemnitatis apparatu. Cúmque nundinæ prædictæ, ſeu feriæ ex vetuſtioribus Regni habeantur, celebrarique deberent juxta Eccleſiam ſancti Eligij, ut inde aliquid emolumenti leproſis cederet, chartam inſtitutionis hîc ſubjicere curavimus. *Hic Theobaldus auctor fuit faciendi talium præbendarum, quòd pauci tunc ad Sacerdotiũ promoverentur. ex Chron. Corbeienſi.*

Henricus Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, univerſis Dei Fidelibus tam præſentibus, quàm futuris in perpetuum.

Nundinæ Remis inſtitutæ incipientes à die Paſchatis.

QVoniam cùm è lapſu temporum labitur & memoria rerum geſtarum, ea quæ ad poſterorum memoriam volumus tranſmitti, litterarum apicibus facimus fideliter annotari. Sciant igitur & præſentes & futuri quòd infirmis Remenſibus paterna ſollicitudine providentes, & paterna compaſſione condéſcendentes conceſſimus gratiâ emolumenti ipſorum, ut nundinæ celebrentur per octo dies, id eſt à die Paſchæ uſque ad veſperam ſequentis Dominicæ ſingulis annis, juxta domum ipſorum extra civitatem Remenſem; ita quòd omnia emolumenta, quæ de nundinis illis proveniant, cedent in jus & proprietatem ipſorum & ſucceſſorum eorum, libere & quietè, excepto feſterlagio, banno, foriſfactis, viatoria & ſanguine. Verumtamen ne reditus archiepiſcopales imminuiſſe videamur, ob hoc quòd mercatum agebatur Remis, infra præſcriptum terminum centum ſolidos Remenſis monetæ pro theloneo, & thoagio, & decem pro cambitoribus noſtris ſolvent, & ſucceſſoribus noſtris ſingulis annis, in termino earumdem nundinarum; eo pacto quod mercatum non celebrabitur Remis infra præſcriptum terminum, niſi in illo loco nundinarum. Quod ut ratum permaneat, & à nullo hominum poſſit infringi, ſub aſſignatis teſtibus ſigilli noſtri impreſſione fecimus roborari. *An.* 1170.

Signum Philippi & Boſonis Archidiaconorum.
Signum Drogonis Præpoſiti.
Sig. Fulconis Decani, Gregorij Cantoris, Thomæ, Laurentij Preſbyter.
Sigillum Abbatis ſancti Dionyſij.

Signum

HENRIC. L. ARCHIEP. An. 1170.

» Signum Petri Abbatis ſancti Martini Sparnacenſis. | Signum Raynoldi Cantoris Compendienſis & Canonici Remenſis.

» Actum Remis anno incarnati Verbi 1170. regnante Ludovico Franco» rum Rege fratre noſtro anno quadrageſimo. Archiepiſcopatûs no» ſtri decimo.

Prædictam nundinarum inſtitutionem confirmat Alexander tertius.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis Fidelibus infirmis Fratribus juxta Remenſem civitatem commorantibus: ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

» DIgnum eſt & conſonum rationi, ut qui circa omnes injunctæ nobis » diſpenſationis miniſterium exercere tenemur, neceſſitatibus veſtris » non debeamus deeſſe, quorum calamitatibus & continuis doloribus pater» na mentis affectione compatimur, & ſubſidium quod cum Deo & juſti» tia poſſumus, libenti animo impertamur. Ea propter dilecti Filij veſtris » juſtis poſtulationibus inclinati, & pietatis officio moti, domum veſtram » cùm omnibus quæ impræſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum » poterit adipiſci, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Præterea » nundinas, quas venerabilis Frater noſter Henricus Remenſis Archiepiſ» copus ad utilitatem domûs veſtræ, juxta eam domum annuatim celebrari » conceſſit, & ſcripto ſuo confirmavit, ſcilicet à die Paſchæ, uſque ad » veſperas ſequentis Dominicæ, vobis & per vos domui veſtræ apoſtolica » auctoritate confirmamus. Prohibemus autem ut nullus audeat alicui ve» nienti ad eaſdem nundinas, aut revertenti ab eis in perſona, vel rebus ſuis » moleſtiam, vel injuriam irrogare. Sanè novalium veſtrorum, & horum » quæ proprijs manibus, aut ſumptibus colitis de hortis veſtris, ac fructibus » arborum, & de nutrimentis animalium veſtrorum nullus à vobis deci» mas præſumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum » liceat hanc paginam noſtræ protectionis infringere: ſi quis hoc attentare » præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli » Apoſtolorum eum ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ XII cal. Aug.

Et hæc nundinarum Paſchalium origo, ſive inſtitutionis cauſa primaria, quæ ut mercatorum frequentiâ celebriores redderentur, à Villelmo Henrici ſucceſſore venientibus ad eas Indulgentiæ conceſſæ ſunt anno 1177. Poſt-modum verò ob feſti dignitatem in alium diem & locum tranſlatas poſtea videbimus.

Regalem hanc magnificentiam excipit alia haud minoris providentiæ, quam erga eos exhibuit qui in vicinia Remenſis urbis morabantur. Nam cùm per id tempus fruteta, ſeu ſilvulæ ſanctum Baſolum inter & Vidulam prædatoribus præberent refugium, qui viatoribus Remos è Cathalauno proficiſcentibus clam parabant inſidias, nihil potiùs habuit Henricus, quàm domeſticæ ubi conſuluiſſet utilitati, homicidia, latrocinia, furta reſtringere, ſeu cohibere, pacem & tranquillitatem circa urbis ambitum perfectè ſtabilire. Sed ne quid ſimile de cetero auderent, armata hominum manu (quos præſtò ſemper habuit) turrim apud Septem-ſalices exſtruxit per Caſtellanum regendam, cui jura Banni, Juſtitiæ, molendinorum, ac piſcaturæ ab Aſcelino ſancti Baſoli Abbate accepta pro ſuo, ac militum ſtipendio impertivit, ut ex charta prædicti Monaſterij conſtare poteſt, quæ ſic incipit.

Turris apud Septem-ſalices ad latrocinia compeſcenda.

Ex Chartulario S. Baſoli.

An. 1171.

» IN nomine ſanctæ Trinitatis. Henricus Dei gratiâ Remenſis Archie» piſcopus. Quemadmodum peritus Medicus novis, & inexpertis langoribus

ribus ſanandis novas exquirit, & exhibere ſatagit medicinas; ita & vir diſ- " HENRIC. I.
cretus, &c. Inde eſt quòd propulſatis inimicis Dei & Eccleſiæ, non ſine " ARCHIEP.
magnis ſumptibus, & laboribus noſtris à finibus illis, qui ſunt circa Abba- " An. 1171.
tiam ſancti Baſoli, eò quòd ſupra modum gravarent, & præcipuè Eccle- "
ſiam ſancti Baſoli, quæ vicinior erat; proinde deliberatione habita ad ipſos "
perturbandos conſtruximus munitionem apud Septem-ſalices; & Abbas "
Aſcelinus nomine, & Capitulum ſancti Baſoli unanimi conſenſu donave- "
runt nobis bannum, Juſtitiam, viatoriam, & ſanguinem, & quicquid ha- "
bebant ditionis apud Septem-ſalices. Commutaverunt autem nobiſcum "
molendina, cenſus, & univerſos reditus, aquas, piſcationes, & mareſcum, "
uſque ad veterem calciatam, in qua molendina fuêre antiquitus, pro " *Capitalitia.*
decem libris Remenſis monetæ, & duodecim ſolidis, & quatuor modijs "
frumenti, &c. Retinuerunt autem ſibi jus altaris, decimas, terragia, terras "
proprias ad excolendum, corvatas, capitalitia hominum ſuorum, redem- "
ptionem de matrimonijs præter licentiam eorum contractis, & revela- "
tionem de homicidio, ſicut habuerunt ab antiquo, &c. "

De procuratione autem domini Regis, quam ei Remis facimus, ubi " *Regis procu-*
ponunt portionem ſuam, quantum ſolebant ſolvere homines prædictæ villæ, " *ratio.*
tantum ſolvere tenebuntur. Nomina autem qui huic donationi & com- "
mutationi interfuerunt eo ordine referuntur. "

Johannes Remenſis Cancellarius, Galeranus, Lupellus Canonici Re- "
menſes. Bernerus, Michaël Capellani noſtri: de Militibus verò Rogerus "
Cathalaunenſis, Paganus, Valeranus, Hugo de Sillery, Albericus Deſcuret, "
Eurardus Seneſchallus noſter, Petrus Vicedominus & Acharinus filius "
ejus, Renaldus de Betnivilla. "

Actum anno incarnati Verbi 1171. Archiepiſcopatûs noſtri decimo, Da- "
tum Remis per manum Johannis Cancellarij. "

De munitionibus ab Henrico ædificatis vetus Chronicon à Sirmondo citatum hæc habet: *Anno 1177. Vuillelmus Senonenſis Archiepiſcopus à Clericis Remenſibus poſtulatus fuit, mortuo Henrico Ludovici Regis germano, qui per annos tredecim Remenſem Eccleſiam palatijs, turribus, & alijs munitionibus inſigniſſimè illuſtravit, Papa Alexandro aſſentiente, regendam ſuſcepit.* Irrepſit error in annum Pontificatûs Henrici, & obitûs ipſius, ut dicetur infra. Ex hoc tamen chronico, patet alia quædam caſtella ab eodem Archiepiſcopo conſtructa pro viatorum ſecuritate, & ut præſidia eſſent ruſticanis cultoribus, quæ certiores ſunt (ut fertur) Ducatûs Archiepiſcopalis appendices, per quas Ballivus præſertim jus dicit.

Auctus hoc anno legitur Canonicorum numerus Remis in Eccleſia beatorum Coſmæ & Damiani, cujus beatus meminit Remigius in prolixiori teſtamento, & nos lib. 1, cap xxxv. Senio collapſam hanc Baſilicam à Remigianis Abbatibus reſtitutam fuiſſe, aut ſaltem duobus Canonicis inſtructam, qui divinæ pſalmodiæ inſiſterent, quædam produnt monumenta; at numerus hic cùm Eccleſiæ dignitati parum conſentaneus videretur, Petrus Abbas hunc, accedente ſui Capituli conſenſu, ex bonis Monaſterij duobus alijs auxit, hac charta quam ex Tabulario excerpſimus. *Canonici Eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani Remis à Remigianis Abbatibus inſtituti.*

IN nomine Patris & Filij & Spiritus-ſancti Amen, Ego Petrus Dei pa- "
tientiâ ſancti Remigij Francorum Apoſtoli humilis Abbas univerſis in "
perpetuum. Juxta nos anteceſſores noſtri in honore ſanctorum Coſmæ & " *An. 1171.*
Damiani fundavêre Eccleſiam, plurimorum Sanctorum Reliquijs ornatam, "
& duobus Canonicis ad ſerviendum Deo ibidem conſtitutis duas præbendas "
de menſa noſtra eiſdem aſſignantes, ſcilicet decem ſolidos utrique Cano- "
nicorum, & tantum victualium, quantum unaquaque die in refectorio "
noſtro uni Monacho exhiberetur. Nos autem paucitatem Canonicorum & "

HENRIC. L. ARCHIEP. An 1172. Herimarus S. Remigij Abbas Collegium duodecim Canonicorum in Ecclesia S. Timothei erigit.

„ loci reverentiam attendentes, augmentum divini obsequij desiderantes,
„ freti exemplo venerabilis prædecessoris nostri Herimari, qui in Ec-
„ clesia sancti Timothei duodecim præbendas instituit, duos alios Cano-
„ nicos, ex consensu totius Capituli nostri, superinstituimus, & duas præ-
„ bendas per omnia similes, ac prioribus conformes, nummis exceptis, eisdem
„ assignavimus; & ne in posterum id quod instituimus valeat refragari, sigilli
„ nostri impressione roboravimus anno incarnati Verbi 1171.

Exactis pridem, seu verùs suppressis Canonicis, quorum præbendulæ ad scaturiginem redierunt, Religiosi cujusdam curæ eadem Ecclesia credita est, eámque Prioris titulo regebat Remigianus quidam anno 1560. cùm hæc, totiúsque loci ambitus Religiosis sancti Francisci de Paula ab eminentissimo Cardinale Lotharingo Abbate Commendatario collatus est, qui haud procul à veteri sanctorum Martyrum Ecclesia quæ à paucis annis eversa est, novam Ecclesiam, claustrúmque erexerunt, ubi Dei obsequio suíque Ordinis muneribus sedulò dant operam cum animarum lucro, totiúsque diœcesis spirituali fructu & emolumento.

An. 1174. Communia Laudunens.

Rogerus ex familia Comitum de Roseto Laudunensem Episcopatum adeptus est post Galterum de Mauritania, ac Remis consecratus, simultates statim exercuit cum civibus pro Communia, quam ipsi totis viribus, & cum vitæ dispendio tuendam susceperant (ut de facto contigit) nam plures ex illis in quodam conflictu, proprijs manibus Episcopi interierunt, unde propter hoc tam Romæ, quàm in Regis curia malè audijt, donec insontem se esse probavit, jussúque Pontificis sacramento contestatus est coram tribus Episcopis neminem à se læsum, aut prædictam stragem accidisse pro tuenda Ecclesiæ libertate. Die igitur Meldis indicto in octava Christi Nativitatis, Rex acquievit rogatu Comitis Hannonienſis, ut purgaret se in præsentia Cameracensis, Noviomensis, & Atrebatensis Episcoporum: re ut condictum erat peracta, in gratiam Regis redijt, séque potissimùm Hannonienſi obstrictum sentiens, ut par referret octoginta equitibus eum juvit in bello adversùs Comitem Lovanienſem post susceptо.

Guisius ad an. 1179.

Lis agebatur hoc eodem tempore in curia Henrici Archiepiscopi à Vedastinis pro vindicando capite B. Jacobi Apostoli cognomento Majoris, quod Philippus Flandriæ Comes donandi studio Arienſi Basilicæ abstulerat, de qua vide Locrium in Chronico ad annum 1174. Sanctus Bernardus admirabili vitæ vir sanctimoniâ pontificio canonisмo refertur inter Cælites, ex Alberico: fiúntque alicubi apparitiones in Eucharistia, hostia de loco ubi insignis quædam acciderat, apud Branam adservanda defertur per oppidi dominum, Chronicon Autisiodorense.

1175.

Tradit Vincentius Bellovacensis Robertum Arienſem Præpositum in Comitatu Atrebatensi fabri lignarijfilium diœcesis Carnotensis duos Episcopatus simul Atrebatensem, & Tornacensem rexisse, usúmque ope dæmonis ad fortunam altiùs promovendam; cúmque in curia Comitis Flandriæ auctoritate polleret, rixas movisse in Henricum Archiepiscopum, qui sub Ludovico Rege rerum potiebatur in Gallia, sed Jacobi Avenienſis incliti militis gladio Robertum occubuisse anno 1175. His concinit Meyerus qui ei Roberto Cameracensem Episcopatum pariter collatum fuisse putat, addítque hoc atroci facinore graviter permotos in Avenienſem Comites Flandrenſem & Hannonienſem possessiones ejus mox invasisse; at paullo post redijt hic cum illis in gratiam, séque apud Henricum Remorum Pontificem de cæde Sacerdotis utcúmque purgavit.

1175.

Henrici obitus haud multò post contigit, quem Chronicon Suessionense anno 1174. Robertus de Monte 1174. Vincentius verò Bellovacensis, Meyerus & Colvenerius ad annum 1175. remittunt. Sepultus jacet ante majus altare

altare ſub alba ſepulcrali, cujus margines ubi ſculptum epitaphium abraſæ ſunt. Necrologium tamen Eccleſiæ cum pietatis encomio, exquiſitæ liberalitatis inſignia poſteritati commendat his verbis.

HENRICUS I. ARCHIEP. An. 1176.

Die XIII. Novembris deceſſit HENRICUS *piæ recordationis* ARCHIEPISCOPUS NOSTER, *magni* LUDOVICI REGIS *filius quieſcit intus,*

Qui caſtrum quod Septem-ſalices nominatur Epiſcopio acquiſivit, Luminari Eccleſiæ cereos viginti quatuor addidit habentes ſingulos libras quatuor, exceptis quatuor, quorum duo ante corpora Sanctorum, duo ſuper altare jugiter ardere debent, & duabus libris ſinguli conſtare: plurima etiam ornamenta contulit, crucem ex gemmis conſtructam, pelvim argenteam, candelabra cum baculis, & centum libras ad emendos reditus.

Hoc eodem anno, quo Henricus Archiepiſcopus obijt, maxima fuit annonæ caritas per totam Galliam, ex Guillelmo Nangio, unde ad ſuſtentationem pauperum invadiata ſunt ornamenta, & Sanctorum pignora defruſtata.

Vvillelmus Theobaldi Campaniæ Comitis filius ex Carnotenſi Electo ſit Senonenſis Archiepiſcopus, ejuſdem animi & virtutis indoles, ac præclarè geſta.

CAPUT V.

CHAMPAGNE D'azur a la bande D'argent accompagnée de deux doubles Cotices potencées & contrepotencées D'or.

SI ſtili brevitas, quæ hiſtorico apprime convenit, orationis cultum, ubertatémque expoſceret, exquiſitiores eſſent hîc ſpargendi eloquentiæ flores, ubi agitur de Vvillelmi egregia indole, dotibus ingenij, & provectione ad dignitates eccleſiaſticas, quem inter ſui ſæculi Primates ſplendidiſſimum ſuſpicio, eóque magis prædicandum, quòd cum cardinalitia purpura primus Archiepiſcopatum conjunxerit, Sedémque Remenſem præclarioribus illuſtrârit prærogativis, quas ſuis ſucceſſoribus hereditarias ad pompam dereliquit.

SEDES VACAT. An. 1176.

Theobaldi Campaniæ Comitis, id nominis tertij, quartus filius fuit, quem inſigni propagine ornatum, primarijſque Regni dignitatibus celebrem auctores prædicant. Mater ejus Mathildis Corinthiaca Balduini Flandrenſis Comitis filia, fratres verò Henricus cognomento Largus Comes Palatinus Trecenſis, Theobaldus Comes Bleſenſis & Carnutenſis Franciæ Dapifer (hi Ludovici Junioris Francorum Regis filias duxerunt) ac Stephanus Comes Sancerræ vel Sacri-Cæſaris; ſororem habuit Aleidem Campaniæ, quæ Philippo Auguſto ſociata, cum Vvillelmo Archiepiſcopo, Rege ad bellum ſacrum profecto, Regni negotia optimè adminiſtravit. Diem natalis ejus inter hujus ſæculi feliciores retulerunt Chronographi & qui phyſiognomiæ dant operam, ex corporis venuſtate, vivido ingenio, comitate, ac ſtudijs, tanquam certis futuræ magnitudinis indicijs augurati ſunt Eccleſiam, & Regnum quandóque receptura ex eo maximum ſplendoris incrementum.

Theobaldus pater, cui filiorum ſat magna copia erat, de Vvillelmo ad Clericatum promovendo beatum Bernardum Franciæ oraculum, cujus

SEDES VACAT. An. 1176.

sanctitatis fama universum pæne christianum orbem occupabat, consulere statuit, & quamvis res dudum apud se fixa esset & rata, huic nihilominus litteras mittit, rogans ut ei auxilio esse velit, ad ecclesiastica pro filio beneficia obtinenda. Inclitus Abbas paucis ei sic respondet: *Honores, & dignitates, ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè, & secundùm Deum administrare, & volunt, & possunt. Porro eas acquiri parvulo filio vestro meis precibus, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet: nisi dispensatoriè quidem ob magnam, vel necessitatem Ecclesiæ, vel personarum utilitatem ..... Sanè Vvillelmo nostro cupio bene per omnia sed ante omnia Deum, &c.* Ex his patet Vvillelmum duodennem ad summum tunc fuisse, & sic teneræ admodum juventæ, nec ad munia ecclesiastica capacis.

Ber. Epist. 271.

Petrus Cellens. lib. 1. epist. 5.

Petrus Pithœus in Genealogia Comitum Campaniæ Vvillelmum Canonicatu primò donatum fuisse refert in Ecclesia sancti Quiriaci de Provino, cui Præpositura Ecclesiæ Suessionensis brevî addenda erat, ex epistola Petri Cellensis ad Alexandrum III. ubi natales ejus, patrísque in Ecclesiam Romanam obsequia commendat, aitque ramusculum, Vvillelmum scilicet, à radicis pinguedine paternæ non degenerare. At obeunte Roberto Carnotensi Episcopo ad hanc Sedem omnium votis expetitus est, anno 1167 vel 65. si Roberto de Monte credatur in Auctario ad Sigebertum, quod nuper doctissimus Lucas Dacherius edidit. *Vvillelmus frater Comitis Theobaldi eligitur ad regimen Ecclesiæ Carnotensis, data ei remissione à Papa propter juvenilem ætatem, ut usque ad quinquennium differretur sacratio ejus.* Vnde apud Vincentium Bellovacensem, & in epistolis Alexandri III. Electi Carnotensis titulo dumtaxat indigitatur, donec per Hugonis Senonensis obitum ad Senonensem Archiepiscopatum sublimatus anno 1169. ministerio Mauritij Parisiensis Episcopi characterem episcopalem suscepit XI. Cal. Jan. eóque septem annos potitus est, antequam ad Metropolim Remensem promoveretur.

Vvillelmum summus Pontifex ob generis, virtutúmque claritudinem Vicarium suum instituit, ex epistola Rotrodi Rotomagensis Archiepiscopi apud Petrum Blesensem: ubi eum supplex exorat, ut mala Ecclesiæ suæ imminentia ob simultates, & bella inter Ludovicum VII. & Henricum II. Angliæ Regem exorta procul averteret, eo scilicet tempore, quo junior Henricus unà cum Francis, ac fratribus Richardo, Johanne, Godefrido & matre Eleonora in patrem insurrexerat. Inter præclara laudum encomia, quibus eum cumulat, totáque epistola sparsa est, ait Regum corda in manu ejus esse, Regni salutem, vel exitium ab eo dependere, tótque addit eum à Deo insignitum virtutibus; ut in juventa expertior sit ijs, qui per totam ætatem in negotijs tractandis senuerunt. *Vos enim*, inquit, *estis in cujus consilio & auxilio potissimùm sua salutis ancoram B. Petri navicula constituit, cùm inter schismaticæ persecutionis fluctus periculosiùs æstuaret:* Quod dixisse puto, ob ea quæ gessit in gratiam Thomæ Cantuariensis, cùm implacabili eum odio Rex Angliæ persequeretur.

Exstat apud Baronium an. 1169.

Idem B. Thomas epistolâ ad Vvillelmum testatur ex omnibus Galliæ episcopis neminem esse, quem Rex magis veneretur, ac timeat præter eum, & Gratianum, eo quod alij se flexibiles voluntati ejus præbuissent. Johannes Saresberiensis epistolâ 302. grates reddit, quòd Thoma exsulante Cantorbiensis Ecclesia eum nacta sit adjutorem: *Et vestra quidem Sanctitas eidem Ecclesiæ semper astitit in laboribus suis, & meritorum vestrorum concurrentibus titulis glorioſius Martyr agonem ſuum feliciter consummavit.* Unde hortatur epistolâ 287. ut canonizationi ejus faveat, ob miracula quæ fiebant in ipsius tumulo. Tanta pollebat auctoritate apud summum Pontificem,

Digitized by Google

tificem, ut dederit ei etiam in mandatis bona Regis Angliæ interdicto ſupponere; ſi in aliquo pactum cum Thoma Cantuarienſi initum violaret. VVILLELMUS II. ARCHIEP. An. 1176.

Rogerus de Hoveden binas refert litteras Vvillelmi ad Alexandrum III. ubi agitur de preſſuris, & martyrio ſancti Thomæ, quas hic lubens omitto ut & humanitatem, quàm illi exhibuit cùm in Gallia exſularet, ex Petro Bleſenſi: *Non excedit à memoria quantis, & quàm piis humanitatis officijs vobis innata liberalitas relevavit ejus exſilium:* Et quædam alia quæ idem Auctor eleganter perſequitur, cum hæc peracta ſint Vvillelmo Senonenſem Eccleſiam gubernante: ſubjicienda tamen ſunt quæ addit de egregijs naturæ ejus dotibus, ne id, quod ad eas penitiùs cognoſcendas prodeſſe poteſt, præterijſſe videamur: *Vobis contulit Deus in pueritia ſuper ſenes intelligere, & futuram naturæ canitiem maturiore morum ſenio prævenire. Fluxus adoleſcentiæ motus in vobis ratio magiſtra cohibuit, ut omni laſciviæ libertate præciſa, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec poteſtas, nec cetera quibus pudicitia expugnatur, propoſitum interveterent caſtitatis; ſed modeſta in omnibus converſatio plus Angelis, quàm hominis exhiberet. Ceteras virtutes quibus miraculoſè fulgetis ſub ſilentio præterimus.*

Petrus Bleſenſis. Epiſt. 28. ſcripta an. 1165.

Vvillelmus è Senonenſi Sede in Remenſem tranſfertur, concedit Indulgentias ijs qui nundinis Paſchalibus interfuerint, Alexandri III. ad eundem epiſtola de Friderico in Eccleſiæ gremium recepto.

CAPUT VI.

VVILLELMI nomen creſcebat in dies, latiúſque per varias Gallici Imperij oras volitabat, cùm Henricus Archiepiſcopus è vivis exceſſit. Clerici Remenſes ut ei ſucceſſorem, & regij ſanguinis nexu, & morum gravitate inſignem ſubrogarent, oculos in Vvillelmum convertunt, quem geſtorum gloriâ clarum inter hujus ætatis præſtantiores viros noverant: cúmque omnium calculo electus fuſſet, Romam miſit pro bullis obtinendis quæ ad aliam eum Sedem tranſferrent. Quo autem anno poſſeſſionem inierit, non conveniunt Auctores, Chronicon Autiſſiodorenſe tradit anno 1177. at certiùs eſt Sedi Remenſi incardinatum anno 1176. tum ex charta ſancti Dionyſij Remenſis, ubi annus Præſulatûs ſui quartus incidit in annum 1180. tum etiam ex fundatione Canonicatuum apud Macerias de qua, ut de prædicto oppido nonnihil infra dicemus.

Statim ac recipitur, ſtatuit digniſſimus Antiſtes per annum integrum in choro præſens adeſſe, quò frequentiùs Canonici divino inſiſterent Officio, & ut lites, quæ ſubinde inter Clericos emergebant, per ſe dirimeret, donationeſque à ſuis prædeceſſoribus Capitulis factas, novis diplomatibus ſeu chartis confirmaret; quarum ingenti numero Tabularia, Abbatiarum præſertim, referta ſunt, fuítque inter Archiepiſcopos primus (quod ſciam) qui Abbatibus diœceſeos, cathedraliſque Eccleſiæ Dignitatibus non vocatis, eiſdem ſolus ſubſcripſerit, nullo pariter appoſito ſui Pontificatûs anno, quamvis ſigillum commune retinuerit, in quo expreſſa Archiepiſcopi effigies ex una parte, ex altera verò Virginis Deiparæ, cum hoc reſcripto. *Secretum meum mihi.*

Omnium prima quæ tanti viri nomen præ ſe fert, leproſos urbis Remenſis

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1176.

Remenſis ſpectat, quâ ijs omnibus qui nundinis interfuerint, quæ die Paſchatis juxta horum hoſpitale celebrabantur, Indulgentias concedit his verbis.

„ VVillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, apoctolicæ Se-
„ dis Legatus omnibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint in Do-
„ mino: ſalutem. Qui miſerorum miſeretur, miſericordiam Dei à mi-
„ ſericorde Patre conſequetur: cùm autem videamus homines à lepra per-
„ cuſſos miſerabili torqueri cruciatu, humanitatis ratione doloribus eorum
„ compati debemus, & condolere. Hac igitur inducti conſideratione, affli-
„ ctioni, & miſeriæ leproſorum juxta civitatem Remenſem commorantium
„ volumus remedium impendere, & omnes Fideles ad benefaciendum eis
„ rogamus, & in Domino attentiùs exhortamur. Nos autem de Dei miſe-
„ ricordia, & glorioſæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum meritis con-
Indulgentia concedunter venientibus Remos ad nũdinas Paſchales. „ fiſi, omnibus qui ad nundinas eorum venerint de injunctis ſibi pœniten-
„ tijs hanc Indulgentiam impendimus: videlicet de ſeptem annis, unum;
„ de tribus quadragenis, unam, quam ſibi quiſque elegerit; de ſextis
„ ferijs, quartam partem. Præterea offenſas patrum, & matrum niſi vio-
„ lentas manus injecerint, & vota fracta, ſi ad eadem redierint, & pec-
„ cata etiam oblita eis miſericorditer relaxamus. Datum per manum Ale-
„ xandri Cancellarij noſtri.

Præſens reſcriptum, in quo dies & annus deſiderantur, ſtatim ab inita poſſeſſione confectum inde colligo, quòd VVillelmus non Cardinalis in eo, ſed Legati tantùm apoſtolici titulo præfulgeat, ſicque ante Concilium Lateranenſe coactum anno 1179. quo à ſummo Pontifice purpurâ donatus eſt. At nihil æquè id illuſtrat, ac Alexandri III. diploma ad eundem, & ad Remenſis Eccleſiæ Suffraganeos. Cùm enim ſedatis bellorum turbinibus, divina tandem aſpirante clementia amicæ pacis ſidus exſurgens Eccleſiæ Chriſtianæ gaudia ſua reddidiſſet, ad præcipuos Galliarum Epiſcopos Pontifex epiſtolas ſuas direxit, certos faciens eos, diſcordiam quæ inter Regnum & Sacerdotium (Fridericum ſcilicet & Alexandrum) per viginti annos turpiter exarſerat, Deo auctore, finem accepiſſe, ea quæ ad VVillelmum, & Suffraganeos miſſa eſt, nulla cardinalitiæ dignitatis facta mentione, ſic incipit.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus VVillelmo Remenſi Archiepiſcopo apoſtolica Sedis Legato, & Suffraganeis ejus, & dilectis Filijs Abbatibus in Remenſi provincia conſtitutis: ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

„ CUm per auxilium, potentiam, & favorem cariſſimi in Chriſto Filij
„ noſtri Ludovici illuſtris Francorum Regis & Regni ſui, ſacroſanctæ
„ Romanæ Eccleſiæ, ac nobis recognoſcamus glorioſa, & magnifica beneficia
„ proveniſſe, dignum eſt, & conſentaneum rationi; ut illi & vobis, quo-
„ rum auxilio potenter ſumus in neceſſitatibus noſtris adjuti, proſperos &
„ felices pacis ſucceſſus ſignificemus, indubitata veritate tenentes, quod
„ poſt Deum, idem Rex ſimul cum Regno ſuo, cooperatus eſt honori,
„ & exaltationi ſanctæ Eccleſiæ, & ei magnum contulit incrementum:
„ quod quidem ſicut verbo recognoſcimus, ita opere, & ſermone, omni
„ tempore, auctore Deo recognoſcemus.
„ Notum ſit autem ſollicitudini veſtræ quod cariſſimus in Chriſto
„ Filius noſter Fridericus illuſtris Romanorum Imperator per inſpiratio-

nem

Digitized by Google

nem divinæ gratiæ, depoſito vanitatis errore, ad viam veritatis converſus, « Vvillelad obedientiam Eccleſiæ & noſtram, reverenter & devote, ſicut de- « mus. Li, cuit, redijt, & illam beato Petro in nobis reverentiam, & devotionem « Archiep. exhibuit, quam anteceſſores ejus noſtris conſueverunt anteceſſoribus exhi- « An. 1176. bere, & ſe de cetero exhibiturum promiſit. Super quo utique laudes « Altiſſimo agimus, & conſequenter Regi, & Regno gratias copioſas refe- « rimus, de eo quod Eccleſiam & nos ipſos in tribulationibus, & perſecutio- « nibus noſtris nequaquam deſeruit, ſed uſque in finem magnificè juvit, & « defendit. Monemus itaque dilectionem veſtram, & exhortamur attentiùs, « quatenus Eccleſiæ & nobis in proſperitatibus congaudentes, in devotione « beati Petri, & noſtra, ſicut hactenus firmiter perſtitiſtis, perſeveretis, « & Regem, ut in eodem cum Regno ſuo perſiſtat, monere propenſiùs, « & inducere ſtudeatis. Datum Venetiæ in Rivo-alto VI. Cal. Aug. «

Vvillelmus provinciam luſtrans partitionem præbendarum inter Noviomenſes Canonicos ut Metropolita comprobavit, ſcriptóque faſſus eſt Noviomenſi Epiſcopo licitum non eſſe aliquem ex choro majoris Eccleſiæ excommunicationi ſubmittere, ex Vaſſorio pag. 904. Item IX. Cal. Aug. ut tradit Chronicon Aquicinctenſe, die dominica anni 1177. Marchianenſis Cœnobij Eccleſiam, præſentibus Frumoldo Atrebatenſi, & Evrardo Tornacenſi Epiſcopis, in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſecravit. Paullopoſt Remis conſecrationis munus impertijt Nevelont de Cheriſy Sueſſionenſi Epiſcopo, qui Concilio poſtmodum Lateranenſi interfuit, ac electioni Balduini Comitis Flandrenſis in Imperatorem Orientis poſt expugnatam à Catholicis Conſtantinopolim. 1177.

Apud Macerias, Oppidum Remenſis diœceſis, Canonici ſaculares, Manaſſis Comitis Regiteſtenſis liberalitate, inſtituuntur.

CAPUT VII.

Flodoardus in Chronico & in Hiſt. lib. 4. cap. 16.

MACERIAS ad ripam Moſæ Remenſis olim Epiſcopij fuiſſe tradit Flodoardus ad annum 920. ***Profectus eſt***, inquit, ***Archiepiſcopus Heriveus ſuper Moſam, propter quoddam caſtellum in terra ſui Epiſcopij ſitum, quod nominant Macerias, recipiendum: quod tenebat Erlebaldus Comes pagi Caſtricenſis, propter illa quæ ipſius familiæ Epiſcopatûs frequentia ingerebat mala.*** Hanc verò munitionem ab Erlebaldo primitus exſtructam docet in Hiſtoria. Poſtmodum verò idem caſtellum à Landberto vi occupatum Artaldo Archiepiſcopo redditur, coram Friderico Lotharienſium Duce anno 960. Bellis recrudeſcentibus ſub Lothario Rege, tam Macerias, quàm Moſomum Præſul Adalbero multitudine militum communivit, ex Gerberti epiſtola 94. At quonam modò tam inſigne oppidum ab Eccleſia avulſum Comitum Regiteſtenſium ditioni ceſſerit, non ſatis comperi: hoc unum conſtat, capellam à Manaſſe Comite in eo exſtructam, & dotatam Remenſis Archiepiſcopi providentiæ conſignatam fuiſſe, ut tredecim ibidem præbendæ pro totidem Canonicis ſæcularibus inſtituerentur, quibus & alios reditus ex feodo Comes, & quædam altaria Archiepiſcopus in ſupplementum addidêre, in charta fundationis latiùs expreſſa, quam hîc ad æternam munificentiſſimi dotatoris memoriam ſubjicimus.

Charta

Digitized by Google

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1177.

Charta Comitis Regiteſtenſis.

„ MAnaſſes Comes Regiteſtenſis, omnibus tam præſentibus, quàm „ futuris ſalutem. Quia unicum oblivionis remedium eſt cognitio „ litterarum, quibus res annotantur, ne oblivioni tradantur, & ad poſte- „ rorum notitiam litterarum annotationi tranſmiſſæ perpetuentur. Proinde „ univerſitati veſtræ notum fieri volo, quòd ego fundator capellæ B. Petri „ apud Macerias ſitæ, cum aſſenſu uxoris meæ Mathildis, & filij mei Hu- „ gonis, & Alberti, Henrici, Balduini fratrum meorum, ipſam liberam „ in manu domni Archiepiſcopi reſignavi; ut in ea tredecim præbendæ Ca- „ nonicis ſæcularibus conſtituantur, quibus tanquam novellæ plantationi, „ pro redimenda ſalute animæ meæ, & prædeceſſorum meorum, tredecim „ modios, medietatem frumenti, & medietatem ſiliginis, omni tempore „ annuatim perſolvendos, in feſtivitate ſancti Remigij de terragijs villæ, „ quæ vocatur Tainon, ad menſam ejuſdem villæ, aſſignavi præterea quic- „ quid, de feodo, vel de poteſtate mea emere, vel redimere, ſeu quolibet „ modo acquirere potuerint, ipſis libere & quietè poſſidendum conceſſi. „ Vvillelmus autem Archiepiſcopus Remenſis eiſdem Canonicis altare ſancti „ Marcelli cum capella de Villers ſibi adjacente, & altare Sancti-Remigij „ de Reomonte libere, & quiete in perpetuum poſſidenda conceſſit. Et „ prædictarum etiam præbendarum donationem Decano, quem ibi conſti- „ tuet, & Capitulo ejuſdem Eccleſiæ conceſſit, & inſuper eiſdem indulſit, „ ut habitum in eadem Eccleſia, tam tempore hiemali, quàm æſtivali de- „ ferre valeant, atque poſſint adinſtar Eccleſiæ Remenſis. Cùm verò De- „ canus de medio exemptus fuerit, ille quidem qui de communi Capituli „ conſenſu electus fuerit Archiepiſcopo præſentabitur, ab eo, ſi electio „ fuerit canonica, confirmandus, & ſic confirmatus hominium ipſi facier. „ Statuta etiam per eos facta, cum univerſis quæ juſtè, & canonicè ipſis „ collata, vel ab eiſdem acquiſita fuerint, confirmabit. Actum apud „ Attiniacum, anno ab Incarnatione Domini 1176. decimo ſexto Cal. Octob.

Præter collegiatam hanc Eccleſiam apud Macerias in prominentiori urbis loco ſitam, eſt & Parochialis ſat elegantis ſtructuræ, Decanatûs titulo inſignis, & odeo marmoreo. Urbem in declivi poſitam Moſa interluit, iteratóque flexu circa eam girans agros amœniores reddit, & hoſtiliter illam aggredi cupienti difficilem; arce ſpectandæ molis versùs hoſtem è quadratis fere lapidibus fortiſſimo Francici limitis propugnaculo communitur, quam Hiſpani Regis ſumptibus ſuperiori ſæculo ſtructam ferunt, cùm fœderatos Principes pro viribus foveret, quamvis ultimis bellorum motibus Stanacum, Moſomum, Doncherium, & Rupes-regia hoſtium furori ceſſerint, hæc nequidem tentata ab illis eſt, alit enim cives admodum ſtrenuos, qui Carolo V. Imperatori, cùm arx necdum condita eſſet, fortiter reſtiterunt. Sed & avitæ Religionis adeo ſtudioſos, & tenaces, ut hæreticæ pravitatis auram nuſquam ſuſceperint, aut eâ quiſpiam infectus fuerit; quamvis haud procul ſint à Sedano, omnis ſpurcitiei ſentina quondam, & receptaculo. Mercatura apud eos viget coriariorum præſertim, quorum frequentes ſunt officinæ, è quibus coria validiſſima etiam in exteras nationes fluvio Moſa devehuntur, quò fit ut urbs gratiſſima ſitu, pratis & paſcuis, ſuaviſſimiſque fructibus abundans, inter celebriores noſtræ diœceſis meritò habeatur.

Vvillelmus

Digitized by Google

Vvillelmus peregrinatur ad tumulum ſancti Thomæ, fit Cardinalis, Philippum Ludovici filium ungit, à quo Dux inſtituitur & primus Par Franciæ.

CAPUT VIII.

VVILLELMO Præſuli beati Thomæ Cantuarienſis, quem intimo cordis ardore dilexerat, adeo cara erat memoria, ut ob veterem amicitiam, famámque miraculorum, quæ in ejus fiebant tumulo, propoſuerit in Angliam transfretare. Henricus Rex ipſi obviam ivit ſtatim ac portum appulit, ac egregiè eum muneratus eſt. Votis ad ſepulcrum ſanctiſſimi Thomæ ſolutis, in Franciam redijt per Boloniam maritimam, Balduinum II. ſibi amiciſſimum viſitaturus, qui & eum opiparè convivio excepit apud Ardeam, ubi ludicrum aliquod contigiſſe fertur, quod hîc ex Lamberto referemus. *Regerus & Hoveden.*

Cùm recolendæ memoriæ Remenſis Archiepiſcopus Vvillelmus Campanenſis ſanctiſſimo Martyri Thomæ peregrinationem exhibuiſſet, à Giſnenſi Comite Balduino rogatus, in aula Ardeæ ad conveſcendum, & ferculis ad pompam liberaliter appoſitis, & vino altero, altero Cyprico, & inſuper pigmentato, & clarificato in cuppis abundè diſpoſitis, petunt Francigenæ vivas fontis aquas, ut vini virtutem tantiſper refrænarent: miniſtri à pincernis, imo à Comite edocti, in vaſculis Autiſſiodoricum vinum pretioſiſſimum, aquam ſe ferre mentientes, Clericis ignorantibus, & mentibus in gaudio conveſcentibus, ſciphis infuderunt. Quod ut venerabili Archiepiſcopo innotuit, nonnihil commotus eſt, ac pæne quam in obſequendo gratiam Comes meruerat, liberalitatis modum excedendo, in ingratitudinem commutavit. At Pontifex conveſcens memor verbi apoſtolici: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione*, accerſito ad ſe Comite rogat eum, ut ſibi vaſculum aquæ adferret, ut ſapiat, & quaſi neſcius guſtet puri elementi liquorem. Comes velut Pontificis obtemperans juſſionibus ſubridens receſſit, & omnes hydrias aquarum quotquot invenire poterat ante famulos confregit, & pedibus conculcavit, & præ gaudio exſultans ut in omnibus hilaris, & ob reverentiam Præſulis jucundus apparet, id eſt iocoſus, pueris & ebrijs ebrium ſe ſimulavit. Venerabilis verò Pontifex & conviva Comitis hilaritatem proſpiciens, & liberalitatem in voluntate ejus, omnia quæ vellet ſe facturum promiſit. *Ex Chronico Comitum Giſnenſium.* *1. Pet. 4. 6. 9.*

Ambianum tranſeundo inſtitit apud Theobaldum Epiſcopum conſanguineum ſuum pro Abbate ſancti Martini, ut annalia præbendarum, quæ in poſterum vacarent, Monaſterio ſuo conferret, de quibus ſupra. Tum Lauduni moram faciens rogatur à Roberto maioris Eccleſiæ Decano, ut aſſenſum præbeat privilegio dudum ab Innocentio II. conceſſo, quo jus datur Capitulo Laudunenſi ſuos malefactores excommunicandi, quod & fecit his verbis: *Præterea concedimus vobis quod & pia recordationis Innocentius Papa vobis indulſit, ut ſive præſente, ſive abſente Epiſcopo veſtro, malefactores veſtros excommunicare, vel abſolvere poſſitis; & cùm aliquis à vobis excommunicatus fuerit, nemini liceat abſolvere, niſi priùs præſtita ſatisfactione &c. Actum anno Incarnat. 1179.* *An. 1179.*

Sedatis tempeſtatum fluctibus, quibus multos annos jactata fuerat Eccleſia Friderici Imperatoris improbitate, qui peſtiferum ſchiſma fovebat, ac

VVILLELMUS LI. ARCHIEP. *An.* 1179.

tuebatur, Alexander III. ut Eccleſiæ commodis conſuleret, generalem Synodum Romæ Pontificatûs ſui vigeſimo, Indict. XII. die quinta menſis Martij in Eccleſia Lateranenſi celebravit, cui interfuiſſe trecentos Epiſcopos tradit Vvillelmus Tyrius. Rogerus hujus temporis Scriptor addit tribus diebus abſolutum, cujus & Decreta recitat, primúmque diem celebratum feriâ ſecundâ tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ quæ Tertio Nonas Martij evenit: *In qua Concilio*, inquit, *Vvillelmus Remenſis Archiepiſcopus factus eſt Cardinalis ad titulum ſanctæ Sabinæ, & Henricus Abbas Clarevallis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis.*

In Hiſtoria Noviomenſi fol. 903.

Hinc patet Panuinum perperam ſcripſiſſe Vvillelmum purpurâ inſignitum ſub Clemente III. vel Lucio III. menſe Decembri anni 1182. quod aliunde probari poteſt ex chartis, quibus hoc anno cardinalitiam dignitatem ſuis titulis inſeruit. Vvillelmum ad Concilium proficiſcentem ſecuti ſunt Rogerus Laudunenſis Epiſcopus, Nivelo Sueſſionenſis, ac Raynaldus Noviomenſis. Hic civium ſanctionis, quâ prohibitum erat, ne quis prædia in eleemoſynam Eccleſiæ conferret, abrogationem obtinuit ab Alexandro, ſpeciali diplomate, quo ſic habetur. *Conſtitutionem inſuper civium veſtrorum, per quam vetuiſſe dicuntur fundum, vel prædium vendi, legari, aut in eleemoſynam Eccleſiæ veſtræ conferri, velut pernitioſam, nullam decerpimus, anno 1179* Berneredus quoque ſancti Criſpini majoris Sueſſionenſis Abbas, doctrina ac pietate clarus his ſe adjunxit Petri Abbatis ſancti Remigij Remenſis hortatu, factúſque eſt Epiſcopus Prænestinus ab Alexandro, cùm Senonis anno 1173 purpurâ idem inſignivisſet: *At ipſe.*, ut habet citatus Auctor: *tanta præditus erat humilitate; ut Chartuſiam Montis Dei in Campania Remenſi Romanis delitiis, & cardinalitiis inſulis anteponeret.* Vvillelmus priuſquam Româ diſcederet binas à Stephano Abbate ſanctæ Genovefæ Pariſienſis ſuſceperat litteras, primâ quæ eſt pro Hugone ſancti Bartholomæi Noviomenſis Abbate petit, ut ſuſtentationem, quam ei, qui onus & honorem abbatialem lubens abdicârat, benigna & concordi conniventia Fratres conceſſerant, auctoritate benefica confirmâret: ex quo quidam deducunt tunc opus non fuiſſe mittendi Romam pro penſionibus impetrandis. Alterâ verò hortatur, ut Turonenſem Archiepiſcopum ad ſacrum Concilium euntem, & Pariſijs ægritudine retentum excuſet apud dominum Papam, ac ſuæ abſentiæ cauſam intimare meminerit.

Id etiam refert Spondanus ad annũ 1179. *at tum non Senonenſis, ſed Remenſis Archiepiſcopus Vvillelmus erat.*

Actum in prædicto generali Concilio de erroribus Petri Lombardi circa humanitatem Chriſti Domini, quos antea Vvillelmus convocata Pariſijs Synodo condemnârat. De ijſdem poſtmodum Alexander eidem ad Remenſe ſolium promoto reſcripſit, quamvis in tomis Conciliorum epiſtola Senonenſis Archiepiſcopi nomen præferat,

Remenſi Archiepiſcopo.

„CUm Chriſtus perfectus ſit Deus, & perfectus homo, mirum eſt qua „temeritate quiſquam dicere præſumat, quòd Chriſtus non ſit aliquid „ſecundùm quod homo. Ne autem tanta in Eccleſia Dei nequitia poſſit „ſuboriri, Fraternitati tuæ &c. quatenus convocatis Magiſtris ſcholarum „Pariſienſis, & Remenſis, & aliarum civitatum, auctoritate noſtra inter„dicas ſub anathemate, ne quis de cetero audeat dicere, Chriſtum non eſſe „aliquid ſecundùm quod homo, quia ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ita verus „homo, ex anima & carne ſubſiſtens.

Vigente adhuc inter Senonenſem, & Remenſem Archiepiſcopos diſcordia pro jure Francorum Reges inungendi, licèt Philippus interim, & Ludovicus VII. Remis, Senonenſi nullatenus reclamante, inaugurati fuiſſent,

Digitized by Google

sent, obtinuit Laterani Vvillelmus bullam à summo Pontifice, quâ insigne hoc munus illi soli adjudicatur, & sic incipit. VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1179.

"A Lexander Episcopus Servus servorum Dei, venerabili Fratri Vvillelmo Remensi Archiepiscopo, tituli sanctæ Sabinæ Cardinali, apostolicæ Sedis Legato, ejúsque successoribus canonicè substituendis. Cùm sis per Dei gratiam nobilitate generis, honestate morum, & scientia litterarum præditus, &c. Auctoritate Apostolica statuimus, ut nemini, nisi Remensi Archiepiscopo liceat Regem Francorum inungere, vel ei primam coronam imponere, sicut antiqua consuetudine fuerat obtentum ..... Pallium quoque, videlicet plenitudinem pontificalis officij, tuæ Fraternitati apostolicæ Sedis liberalitate largimur, &c. Datum Laterani anno Pontificatûs vigesimo."

Pontificium hoc diploma ab Innocentio, & Gregorio, ut postea videbimus confirmatum, dies festos assignat, quibus Pallio Remensis Archiepiscopus uti potest, videtúrque Pallium istud ad Ecclesiæ Remensis prærogativam pertinuisse, illíque quodammodo proprium, eo vel maximè quòd, à Vvillelmo (ut Senonensi Metropolita) Episcopi consecrati fuissent, indictáque provincialis Synodus, cui & ipse præfuit, quod ante susceptionem Pallij non licet. Putant quidam ab eodem Pontifice, statim post Concilium Lateranense, hac largitione Pallij sanctæ Sedis Vicarium per Gallias constitutum: at cùm hoc titulo decoratum reperiam, eo adhuc Senonensi exsistente Archiepiscopo, verisimile est Vicariatum ejus ad alias provincias extensum, & amplificatum, quem multos annos retinuit; quamvis Alexandri successores alios Legatos intra id tempus in Galliam ablegârint, fortè extraordinarios, Henricum scilicet de Soliaco in Aquitaniam anno 1186. Henricum Albanensem anno 1188. Johannem, & Meliorem Cardinales sanctorum Johannis & Pauli annno 1189. Vvillelmo in sua dignitate Vicariatûs permanente.

Alardo Cameracensi Episcopo vivis exempto anno 1178. maxima inter electores Canonicos emersit discordia pro successore deligendo: Rogerus tamen à saniore parte electus confirmatur primùm ab Imperatore, tum Romam profectus à Metropolitano Remensi coram summo Pontifice, & Patribus Concilij Lateranensis, anno sequenti consecratur.

Hoc eodem anno Ludovicus Rex Francorum Christianissimus sentiens se adversa valetudine, & senio prægravari, erat enim septuagenarius, Parisiis generale Placitum indixit omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & Baronum totius Regni in palatio Mauritij Parisiensis Episcopi, ubi, prævia oratione, intimavit illis se dilectissimum filium suum Philippum eorum assensu die Assumptionis B. Mariæ statuisse in Regem sublimare, quod cùm hi gratanter annuissent, & ille *Karnopolim paullo ante festivitatem advenisset, puer prædæ avidus, licentiâ à patre obtentâ, silvam cum suis ingreditur, aprúmque offendit, quem laxatis canibus per devia nemoris quotquot erant venatores cursu rapidissimo insecuti sunt, eo interim per secretiorem viam equitante, ac solo relicto: cúmque huc, illúcque inclinante jam die pererraret, vastæ solitudinis metu territus in gravem paullo post, & acutum morbum incidit, ob quem protelata est sublimatio ejus usque ad festum Omnium-Sanctorum. Deus qui nusquam deest sperantibus in eum, patrem, ob id quod acciderat, vehementer sollicitum in somnis admonuit, ut devota peregrinatione adiret B. Thomam Cantuariensem, si vellet filium suum pristinæ sanitati restitui. Rex securitate trajiciendi in Angliam ab Henrico accepta, cum multis proceribus iter arripuit, applicuítque apud Douvre xi. Cal. Sept. feria iv. cui Rex Angliæ in littore maris occurrens, suscepit magno gaudio, & honore, sicut

Ex Rigord.

* f Karolopolim.

Ex Rogerio de Hoveden in Annalibus.

VVILLELMUS II. ARCHIEP. *An.* 1179.

ſicut cariſſimum dominum, & amicum ſuum, votiſque ad tumbam ſanctiſſimi Thomæ Martyris expleus, in Franciam remeavit. Interim Philippus filius ejus meritis, & precibus B. Thomæ priſtinam adeptus eſt ſanitatem, quo audito, Rex Franciæ fluctuans gaudio, publico præcepit edicto, ut omnes Principes Regni ſui, eccleſiaſtici, & ſæculares convenirent Remis in capite Kal. Novembrium ad coronationem Philippi filij ſui. Quibus congregatis, Vvillelmus Remenſis Archiepiſcopus præfatum Philippum filium Adelæ ſororis ſuæ, jam quintum decimum annum ætatis ſuæ agentem coronavit, & in Regem unxit Remis in Eccleſia Sedis pontificalis, die ſollemnitatis Omnium-Sanctorum, miniſtrantibus ei in illo officio Vvillelmo Turonenſi, Bituricenſi, & Senonenſi Archiepiſcopis, & ferè omnibus Epiſcopis Regni. Henricus autem Rex Angliæ filius in progreſſione à thalamo uſque in Eccleſiam, ipſo die coronationis ibat ante illum, geſtans coronam auream de jure Ducatûs Normanniæ, quâ prædictus Philippus coronandus erat, & Philippus Comes Flandriæ præibat ferens ante illum gladium Regni. Alij verò Duces, Comites, & Barones præibant, & ſequebantur diverſi diverſis deputati obſequijs, prout res exigebat: ſed Ludovicus pater ejus, ſenio & morbo laborans paralytico, coronationi illius inter eſſe non potuit.

Ex Vvillelmo Brito. Philippidos lib. 1.

Peracta inauguratione Philippus Rex unâ cum Comitibus Hannonienſi, Barrenſi, multiſque alijs Proceribus tornamento interfuit, inter Retellium & Caſtrum-Porcenſe, præparato: tum Valencianas egregio inſequente equitatu profectus eſt, ut refert Guiſius in Annalibus. Tilletius de ſollemni hac coronatione verba faciens, tradit in Mauritij Pariſienſis Epiſcopi palatio Pares Franciæ inſtitutos à Ludovico VII. qui & ordinem, ac ceremonias ſancivit, ſingulis in præſenti, futuriſque inaugurationibus proprias. Addit præterea prærogativam Reges inungendi in eodem conventu Remenſi Archiepiſcopo adjudicatam, ob Vvillelmi Regis avunculi natales, qui & Ducatûs apice, ſive ſtemmate, auguſtiore titulo per Ludovicum exornatur.

Poteſtas inungendi Reges penes Remenſem conſtituta.

De illuſtri Parium collegio opportunus hîc eſſet diſſerendi locus, quòd Remenſis principem in eo locum obtineat; at cùm nihil chartophylacia ſuppeditent, quod abundè ab alijs relatum non ſit, Pariûmque, ac Ducatûs origo ſubobſcurè in ijs notetur, ſuperſedendum duxi: ne quod ab alijs, utcúmque proditum eſt, cum nauſea repetamus. Sufficit quod nemine hactenus refragante, *Remenſis Archiepiſcopus eſt omnium Francia Parium primus, ac excellentiſſimus*, ut loquitur, Matthæus Paris in Hiſtoria Anglicana, & quòd Comitatus in Ducatum erectus dicatur die prima Novemb. anno 1179.

An. 1180.

Illud non omittendum puto, auctoritatem quâ Vvillelmus in curia pollebat, jus inaugurandi Reges, Eccleſiæ quidem Remenſi conſervâſſe; at non primitus peperiſſe, cùm eo à multis retro ſæculis potita ſit, ut alibi oſtendimus. Imo probabile eſt, neſcio quid ſimultatis inter Vvillelmum Archiflaminem ſuíque ſanguinis Principes, ac Regem per id tempus interceſſiſſe; cùm poſt Ludovici exceſſum, Regni ac junioris Regis tutela Philippo Flandriæ Comiti tradita ſit, ſtatímque ad Roberti Clementis filios tranſlata, qui eam uſque ad annum 1182 tenuerunt: ſicque judicium illud de inauguratione æquitati potiùs tribuendum eſt, quàm Vvillelmi proſapiæ vel auctoritati, ut habet Tilletius, qui tutelam Regni á Flandrenſi Comite ad Vvillelmum tranſfert ſine medio. Quod ſi Flandro delatus honor Campaniæ Dynaſtis diſplicuit, multo minus nuptiæ Philippi Regis cum Iſabella Hannonienſi Comitis filia Bapalmis factæ, celebrante officium Rogerio Laudunenſi, placuêre. Robertus de Monte tradit ſponſalibus ſe Philippum obſtrinxiſſe, quòd Comes Flandrenſis promiſerit ei Comitatum

Rob. de Monte.

Digitized by Google

Comitatum ſuum; quamvis heredes maſculos haberet. Addit Meyerus prædictum Comitem omnem occidentalem Flandriam trans Foſſam-novam iſti Iſabellæ nepti ſuæ in dotem aſſignâſſe, quæ nimis amplam rixarum, ac ſimultatis materiam peperit: quin & ob prædictas nuptias perniciosum inter Francos, & Flandros diſcordiæ ſeminarium. Comes Bleſenſis Theobaldus, Stephanus quoque Sacri-Cæſaris mutuam ineuntes confederationem conſpirant in Regem, ex Chronico Autiſſiodorenſi, indeque factum puto, quòd Regina à Senonenſi Archiepiſcopo uncta fuerit apud ſanctum Dionyſium.

VVILLELMUS LI. ARCHIEP. *An.* 1180.

Meyerus ad annum 1179.

Vvillelmus cùm in coronatione Regis ſolitis majores expenſas feciſſet, æréque alieno ob id gravaretur, petijt à Capitulo Remenſi ſubſidium aliquod ex communi ærario, ſed ne ex illo deinceps aliquod pateretur detrimentum, ſequenti charta declarat prædictum Capitulum ab ejuſmodi expenſis eſſe immune, quæ ſic incipit.

"Vvillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, Romanæ Eccleſiæ tituli ſanctæ Sabinæ Cardinalis, & apoſtolicæ Sedis Legatus, omnibus tam futuris, quàm præſentibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd cùm nos multo ære alieno eſſemus onerati pro inunctione, & coronatione domini nepotis noſtri carissimi Regis Phillippi. Int ..... Capitulum noſtrum Remenſe ubi noſtram ..... exponentes & gravamen, rogavimus auxilium coram omnibus; illi autem tanquam Filij paternæ neceſſitati compatientes, precibus noſtris benignum præbuêre aſſenſum, & licèt terræ ..... nobis ex debito contuliſſent ipſi ſoli de terris ſuis, neque pro corona, neque ex debito aliquo, ſed de mera liberalitate ſua fecerunt nobis auxilium. Nos ergo, quia nulli debet ſua liberalitas captioſa eſſe, vel damnoſa, volentes eiſdem & terræ ſuæ impoſterum præcavere, hujus ſcripti noſtri cautionem eis indulgemus, ne donum tam gratuitum, alio tempore ab aliquo trahi poſſit in exemplum, &c. Actum anno incarnationis Domini 1180. Datum per manum Cancellarij." *An.* 1180.

Rogerus Laudunenſis Epiſcopus, quem Bapalmis Philippum cum Iſabella ſociâſſe vidimus, petijt à Rege, cui ob id carus erat, ut Communiam Laudunenſem, quaſi juribus ſuis nocivam, abrogaret. Rex id pollicetur, ſi ſoſpes rediret è Palæſtina, cujus peregrinationem ad peccata ſua eluenda, patríſque, meditabatur. Ille enixiùs rogat ne reditum exſpectaret, eo quod invaleſceret in dies principum Communiæ auctoritas, Rex precibus flexus annuit ei quod petebat, hac charta: *Animæ noſtræ periculum vitare cupientes, Communiam Laudunenſij, contra jura, & libertatem B. Mariæ Laudunenſis inſtitutam omnino quaſſamus, amore Dei, & beatæ Virginis, & reſpectu juſtitiæ, ac peregrinationis noſtræ Hieroſolymitanæ.* Tantâ autem audaciâ, tantóque faſtu ubique inſoleſcebant ejuſmodi Communiarum duces, perduellium Italiæ exemplo, ut nihil Clericis tutum eſſet: imo nec ipſis Papæ officiarijs. Verba Chronici Autiſſiodorenſis hîc attexere non pigebit: *Diſſidia plurima oriebantur propter Communias, non tantùm Epiſcopis ſed etiam Papæ laici erant infeſti: namLucius perturbatus ex urbe à Romanis impetitur injurijs, & multis ex parte Papæ captis eruerunt oculos, impoſuerunt mitras, ac remiſêre mitratos cum juramento ab eis accepto, quòd ſe taliter præſentarent Papæ viſendos.* Diſcordia per id quoque tempus exoritur inter Rogerum Laudunenſem, & Canonicos, conquerentibus eis apud ſummum Pontificem, quòd de eorum præbendis ante mortem diſponeret, unde metus captandæ mortis oriebatur, ex perverſa voluntate ejus præſertim cui collatio facta erat. Epiſcopus ſpondet cum juramento nihil tale facturum in poſterum, quod Inno. III confirmavit.

Obiit Ludovicus VII. menſe Septembri.

Communia Laudunenſis abrogatur.

Eccleſia

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1180.

Eccleſia ſanctæ Balſamiæ, vulgò Sanctæ Nutricis dictæ, ſacrorum Pignorum quondam, & nunc etiam dives in Collegiatam erigitur.

CAPUT IX.

UT loca Deo, Sanctíſque dicata frigidè, ac ſegniter culta ſæpius vileſcunt, ſic eadem cùm ab incolis ſtudioſiùs frequentantur, rurſum refloreſcere, priſtinóque nitori reſtitui videmus, ut liquidò patet in reſtauratione Ædis Balſamianæ apud Remos, varijs olim Sanctorum pignoribus ditatæ: ſed quæ ſaltem exteriùs deformata, poſtquam per aliquot velut ignobilis jacuiſſet annos, ampliorem fabricam hoc demum tempore, ac novos Pſaltes cum dote feliciter eſt conſecuta. Hæc Sanctæ-Nutricis Eccleſia vulgò nominatur, quòd B. Balſamia ſancti Remigij nutrix fuerit, & mater ſancti Celſini: unde prædicta Eccleſia, quandóque ſancti Celſini vocatur à Flodoardo, quòd ejus Reliquiæ in ea depoſitæ eſſent, ut & B. Mauri Martyris; quamvis hæc Balſamiæ, ſeu Nutricis nomen conſtanter retineat, cujus feſtum notatur XIII. Maij in Martyrologio.

Tradunt vetuſtiores chartæ viros aliquot pietate celebres, inito inter ſe fœdere, ac propoſito ſub canonicali habitu Deo arctiùs famulandi ſtatuiſſe ex ſuis opibus, ac Fidelium eleemoſynis, tot præbendas ditare, quot erant ipſi in Eccleſia beatæ Balſamiæ, tunc extra Urbis ambitum ſita. Cúmque tam Eccleſia, quàm locus ipſi proximè adjacens dominij eſſent Remenſis Capituli, utile viſum fuit primis hiſce ſodalibus ea ſibi facere propria, júſque mancipij à venerabili Capitulo petendum, priuſquam inter ſe de modo converſandi quidquam ſtatuerent. Capitulum laudato propoſito, ut horum cœptis faveret, non Eccleſiam modò; ſed & oblationes libenter impertivit, ſub conditionibus in Alexandri III. reſcripto contentis, cujus hîc fragmentum exhibeo.

„ Ex litteris à Præpoſito, & Canonicis Eccleſiæ Remenſis deſtinatis, nobis „ innotuit, quòd cùm vos Domino inſpirante, de bonis veſtris, & aliorum „ eleemoſynis, præbendas inſtituiſſetis, ijdem Canonici ad preces noſtras „ Eccleſiam ſanctæ Nutricis, in exterioribus ab antiquo vaſtatam, ſed „ propter Reliquias quæ ibidem habentur omni honore dignam, cum ſuis „ oblationibus vobis ad exhibendum ibi gratum Deo famulatum ſecundùm „ conſuetudinem Remenſis Eccleſiæ vobis conceſſerunt: ita tamen ut „ donatio præbendarum ejuſdem Eccleſiæ ad Remenſe Capitulum pertineat, „ Præpoſito & Decano inveſtituram facientibus.

Ex his origo certiſſimè clareſcit celebris hujus Collegij, patétque quo jure Remenſes Canonici diſponant de præbendis vacantibus per obitum. Horum numerus qui huic initium dedêre, ex bulla non ſatis colligitur: at ex ſtatu præſenti inferri poteſt duodecim omnino fuiſſe, quot reſtant Canonicatus, quorum pietas ſtatim eluxit, ac Capituli Remenſis aſſenſus Romæ confirmatus eſt, novo ædificio quod in locum veteris, ac ſenío labentis exſtruere cœperunt. Sed cùm tantæ ſubſtructioni impares eſſent, Lucium III. ſummum Pontificem ſupplici libello impenſius rogant, ut Fideles hortari velit, ac Indulgentiarum illecebra provocare, ad aliquid ex ſuis opibus erogandum, quod & præſtitit, aliâ bullâ, quæ ſic incipit.

Lucius

Lucius Servus ſervorum .... Cum autem dilecti Filij noſtri Canonici Sanctæ-nutricis Eccleſiam ſuam, exteriùs quidem vaſtatam, interiùs verò multorum Sanctorum Reliquijs inſignitam, in ſuburbijs Remorum ædificare cœperint, cámque ſine veſtro, aliorúmque Fidelium auxilio nequeunt conſummare: unde eſt ..... " VVILLEL. MUS. LI. ARCHIEP. An. 1180.

Ea non fuit erogatio pecuniæ qualis ſperabatur, cùm Canonici cœpti operis ſtructuram, quæ nec ampla eſt, nec admodum elegans, ad exitum perducere non potuerint, ſed imperfecta permanſerit quinquaginta annos: unde opibus & auxilio deſtituti, pro conſummando opere Indulgentias iterum obtinent, tam à ſummo Pontifice, quàm à Thoma de Beaumets Remenſi Archiepiſcopo, & à ſuis Suffraganeis, in gratiam eorum qui manus adjutrices porrexiſſent. Abbates quoque, & Capitula intra diœceſim conſtituta idem promiſerunt ijs, qui benignè aliquid impertiſſent, Miſſarum, precúmque omnium, quæ in eorum Eccleſijs fierent, participationem. Epiſcoporum & Abbatum nomina in veteri membrana hoc ordine recenſentur.

Summus Pontifex Innocentius annum Indulgentiæ largitur pro pœnis injunctis in foro pœnitentiæ.

Remenſis Archiepiſcopus quadraginta dies remittit, relaxat quoque pœnitentias omiſſas, peccata oblita, vota fracta modò ad ea redierint, offenſiones commiſſas in patrem & matrem, violentiâ & manuum injectione reſervatis.

Sueſſionenſis Epiſcopus quadraginta dies.

Laudunenſis Epiſcopus quadraginta dies. Et ſic de ceteris.

Capitulum Remenſe participationem bonorum ſpiritualium tam Eccleſiæ cathedralis, quàm aliarum quæ ab ipſa pendent.

Abbas ſancti Remigij quinque Miſſas.

Abbas ſancti Nicaſij quinque Miſſas.

Abbas ſancti Dionyſij quinque Miſſas, &c.

Capitulum ſanctæ Nutricis ſeſe pariter obſtrinxit ad celebrandum ſingulis ſeptimanis tres Miſſas, primam de ſancto-Spiritu, ſecundam de B. Maria, tertiam pro defunctis. Vvillelmus Archiepiſcopus quoſdam ei reditus impertit in charta contentos, ubi Sanctæ-Nutricis Eccleſia ſpecialis filia ſanctæ Mariæ Remenſis vocatur; imo & Capitulum Remenſe particeps illud facit ſuarum immunitatum, quodam brevi reſcripto, cujus hic tenor eſt: *Milo Præpoſitus, Vvihardus Decanus, F. Cantor ..... Eccleſiam ſuam conceſſimus ſecundùm libertatem, & conſuetudinem Eccleſiæ noſtræ Remenſis in perpetuum poſſidendam anno 1210.* Inde contendunt Canonici ſe liberos, ac immunes à juriſdictione archiepiſcopali, ut prædicta verba innuere videntur, & ex eo quod totius loci ambitus, & Eccleſia dominij quondam fuerit Capituli Remenſis, ac veluti membrum immediatè ab eo dependens, & pariter immune ab Ordinario. Sanè Chopinus lib. 2. de Jure Religioſ. probat auctoritate Innocentij IV. & Bartoldi, privilegia matricis Eccleſiæ communicari poſſe inferioribus Eccleſijs ab ea dependentibus.

Porro ſanctæ Nutricis ſacrarium pluribus olim Sanctorum fuiſſe refertum pignoribus teſtatur Flodoardus, nec illis omnino ſpoliatum, eo præſertim tempore quo Eccleſia reſtructa eſt, probant bullæ apoſtolicæ ad Canonicorum preces conceſſæ.

Inter Sanctorum exuvias magni ducunt corpus ferè integrum ſanctæ Balſamiæ beatiſſimi Remigij nutricis, matris verò ſancti Celſini, ex Flod. in capſa argentea ſupra majus altare expoſitum.

Sancti Mauri Martyris, ac ſociorum Reliquias poſſident in capſa altera; major enim pars corporis ipſius ſub Arnulfo Archiepiſcopo apud Florinas tranſlata

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1180.

translata est, ut supra vidimus.

Caput, seu veriùs capitis frustum sancti Mauri Martyris, integrum enim in cathedrali Ecclesia secus altare asservari idem Flodoardus asseverat lib. 1. cap. 20.

Habent quoque sancti Celsini beati Remigij discipuli sat notabiles particulas in arculis reconditas.

Beati Laurentij os brachij sat longum in theca argentea optimè ad hoc condecorata recluſum.

Item ossa multorum Sanctorum in capsa lignea quorum nomina exciderunt, scripta tamen sunt in libro vitæ.

Sic representatur quòd Christus Rex esset, hostia, Presbyter, & sacrificans.

In odeo proanon versùs eminet Christus in cruce veste talari indutus violacea, stellulis aureis distinctâ & ornatâ, coronam habens auream, & quidem regiam in capite, pedes verò cum manibus cruci affixos, est que omnino similis illi, qui Parisijs in Ecclesia S. Sepulcri visitur. Quòd autem Christus quandóque ut homo plagiatus repræsentetur in Ecclesia sæpius cum quinque plagis, ut se judicaturum omnibus exhibebit, aliquando verò cum veste regia, sacerdotali, seu sacrificantis, juxta illud Canticorum:

Cant. 3. d. 11. ***Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate.*** Sat multa ab alijs dicta sunt, nec opus est in illis longiùs immorari, ne sæpius repetita tædium afferant.

Visitur quoque secus Ecclesiam capella subterranea, cryptis Martyrum haud absimilis, ubi B. Maurum quidam volunt latuisse tempore persecutionis, ac immaculatam Deo hostiam obtulisse, hac itur in cryptulam, quam B. Mauri cameram vulgus nuncupat, piéque ab eo feriâ quintâ & sextâ majoris hebdomadæ præsertim visitatur: sed de hac cùm siluerit Flodoardus, licèt vetustatis aliquod sit monumentum, plura referre operæ pretium non existimo.

Vvillelmus Scabinos ab Henrico prædecessore sublatos civitati restituit, Culturámque concedit ad novum Burgum ædificandum, quo pomœrium Urbis dilatatum est.

CAPUT X.

VIGENTE inter Philippum II. & Campaniæ Principes discordia ob Cociacensis, ac Roberti Clementis filios, quòd Regis adolescentuli plus justo possiderent aures, Vvillelmus qui tunc à curia procul aberat, ut suæ generositatis specimen erga cives Remenses exhiberet, benéque de illis mereretur; statuit Scabinos restituere, quos Henricus decessor ejus (qua mente incertum) abrogaverat. Porro quàm vetus horum magistratuum apud nos origo fuerit, haud satis liquet: qui de ijs disserunt, putant statûs democratici, olim apud Remenses recepti, aliquod in eis exstare vestigium: nam licèt Romani subjugatis Gallijs, & in provinciæ formam redactis, supremam quæ in Senatu fuit retinuerint auctoritatem, probabile est magistratus populares reliquisse, ijs in urbibus quæ sociæ, & confœderatæ dicebantur, quæque ariete non exspectato sese eorum Imperio submiserant. Addunt Francos, qui Romanis succedêre, quò populorum animos magis ac magis sibi conciliarent, eadem illis jura reliquisse, data cuique facultate utendi legibus patrijs, ne status civitatum gratis everterent, quod nostrates à patribus accepisse, Saresberiensis tradit

Flodoardus de Comitibus differit, de vicedominis, de Missis dominicis qui horum judicia examinabant; de Scabinis ne verbum quidem dicit,

Digitized by Google

tradit epistolâ superiùs citatâ. Qui autem essent hi magistratus, quo nomine vocarentur, qua pollebant auctoritate apud Remenses, cùm hactenus prodiderit nemo, à nobis pariter vix quicquam certo evulgari potest. Opinor Scabinos tunc primùm Caroli Magni tempestate vocitatos, eo quod vox illa sit germanica, exsténtque in Capitularibus ab eo digestis statuta quædam pro ejusmodi Magistratibus in officio continendis, præsertim cap. 4. *Volumus ut Comites qui ad custodiam maritimam deputati sunt, de facienda justitia non se excusent, sed ibi secum suos Scabinos habeant &c.* & in addito cap. 74. *ut Missi nostri ubicumque malos Scabinos invenerunt, ejiciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, & cùm electi fuerint, jurare eos faciant &c.* de Missis-dominicis, & Comitum functione, quibus Episcopi adepto urbium dominio temporali successerunt, frequens fit mentio apud Flodoardum, de Scabinis verò nullibi. Patet tamen ex Notitia de mancipijs per judicium Scabinorum evindicandis in placito Missorum Hincmari Archiepiscopi, quam P. Sirmondus publici juris fecit ad calcem Capitularium Caroli Calvi, nomen hoc eodem Carolo clavum regente usitatum fuisse apud nos. Legitur præterea in Tabularijs Monasteriorum, ut in charta Manassæ Archiepiscopi pro Nicasianis, cui Seybertus subscripsit cum Constantino Scabino, & Gerardo Decano post majoris Ecclesiæ Dignitates, & Vicedominum, qui tunc laïcus erat anno 1100. Item & in charta Rodulfi Viridis anno 1109. & alibi passim ante Ludovici VI. ætatem, qui jus Communiæ civitatibus concessit. Unde adducor facilè ut credam tam Remensem civitatem, quàm Burgum S. Remigij ejusmodi magistratus habuisse pro causis civilibus dirimendis, juxta leges antiquas, etiam ante Remensem Comitatum Ecclesiæ collatum. An verò Henricus Archiepiscopus, qui tot motus in Urbe concitavit, ipsis inviderit, ut omnem ad se, suósque Officiarios traheret jurisdictionem: an verò auctoritati eorum recèns auctæ per erectionem Communiæ, quâ forsan abutebantur in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, penes alios sit judicium. Quod constat illud est, Scabinos ab eo sublatos fuisse, ex charta Vvillelmi Cardinalis, licèt Saresberiensis dicat è contrario civibus concessum, ut de cetero legibus uterentur antiquis.

Doctissimus Bignonius in suis ad Marculfum notis putat Rachimburgios, de quibus Legei Salicæ Scabinos fuisse, Rachimburgij enim non tantùm erant Judices & Arbitri, sed & æstimatores burgēses quasi Scabini istius Burgi, in quo Comes jus administraturus in consilium hos adhibebat.

In Chartophylacijs SS. Remigij & Nicasij.

At Vvillelmus ejusdem successor Princeps egregiæ indolis, pacis amator, ac juris utriusque peritiâ clarus, Remenses pejoris conditionis esse noluit, quàm ceterarum urbium accolas, qui suis magistratibus gaudebant, restituítque Scabinos, jus eis impertiendo civiles causas, forensésque excutiendi, tribus exceptis casibus in charta contentis, quam hîc, ut notiores fiant, exhibemus.

VVillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiscopus, sanctæ Romanæ " *An.* 1182.
Ecclesiæ tituli sanctæ Sabinæ Cardinalis, apostolicæ Sedis Legatus, "
dilectis filijs & fidelibus suis universis hominibus Remensibus in banno "
Archiepiscopi constitutis in Domino salutem. Sicut Principes terrarum "
in observando jure, & libertate subditorum, dilectionem Dei, & proximi "
valeant acquirere; ita in violandis, vel immutandis consuetudinibus diutius "
obtentis indignationem altissimi possunt incurrere, & favorem populi "
amittere, & animabus etiam suis onus perpetuum imponere. Nos siquidem "
hac inducti ratione, & considerantes obsequium & devotionem, quam vos "
dilecti Filij, & fideles burgenses nostri nobis libenter hactenus impendistis, "
consuetudines vobis ab antiquis retro temporibus collatas, sed mutatione "
dominorum aliquando minus servatas, auctoritatis nostræ munimine vobis, "
& posteris vestris duximus restituendas, & perpetuò confirmandas. Vo- "
lumus igitur quòd Scabini Civitati restituantur, qui communi assensu "
omnium vestrûm de bannalibus nostris duodecim electi nobis præsenta- "

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1182.

» buntur, & ſingulis annis in capite jejunij renovabuntur, & jurabunt quòd » vos juſto dijudicabunt judicio, & quantum ad ipſos pertinuerit, jus noſtrum » fideliter ſervabunt : & ſi quis fortè communiter electus Scabinus eſſe » noluerit, nos illum faciemus ſtare Scabinum, ſi tamen vires corporis ſuf- » ficientes habuerit. Verumtamen ſi vos in eligendis Scabinis concordes non » fueritis, nos pro ut Civitati noſtræ, & nobis expedire noverimus, Scabinos » inſtituemus. Si verò ijdem Scabini, vel duo, vel plures illorum, aliquod » judicium fecerint, quod non ſatis rationabile videatur, ſi errorem ſuum » recognoverint, abſque detrimento bonorum ſuorum illud nobis emenda- » bunt. Si autem perſtiterint, & aliquis eos de falſo judicio voluerit impetere, » ſi comprobati fuerint, vel convicti, illud per judicium curiæ noſtræ nobis » emendabunt, & ſi impetitor eos convincere non poterit, illud ſimiliter » nobis, & ipſis Scabinis emendabit.

» Concedimus etiam quòd ſi Burgenſis in banno noſtro conſtitutus aliqua » occaſione in cauſam tractus fuerit, quando ordine judiciario ſe tractari » voluerit, neque ipſe, neque res ejus capientur; ſed nec domus ejus diruе- » tur, ſi domum vel hereditatem Remis habuerit : ſed fidem dabit, quòd » pro exſequenda juſtitia obſides interponet, ſi poſſit; & ſi obſides habere » non poſſit, fidem ſimiliter dabit, quòd judicio Scabinorum ſtabit. Si verò » nec domum, nec hereditatem Remis habuerit, obſides dabit; ſi obſides » non habuerit, corpus ejus detinebitur, quouſque juſtitiæ complementum » proſequatur. Ad hæc ſi quis bannalium noſtrorum furtum, vel murtrum, » vel proditionem commiſerit, & forisfactum manifeſtum fuerit, ipſe & res » ipſius in voluntate noſtra erunt, & ſi dubium fuerit, & ille ſuper hoc im- » petatur, bonos obſides dabit, ſi de banno noſtro fuerit, quòd judicio » Scabinorum ſtabit, & ſi obſides dare non poſſit, corpus ejus captum deti- » nebitur. Si quis ſeſterlagium noſtrum aſportaverit, vel detinuerit, foris- » factum nobis per ſexaginta ſolidos emendabit. Si quis cambierit, qui tre- » cenſum nobis, ſicut cambitores noſtri non ſolvat, & ille, & alius qui cum » eo cambium fecerit, forisfactum nobis per ſexaginta ſolidos emendabit, » forisfactum quoque de timonagio nobis per ſeptem ſolidos, & dimidium » emendabitur. Decernimus autem ut quicumque hereditatem, vel emptio- » nem, vel alias quaſlibet poſſeſſiones per ſeptem annos & unum diem in » pace poſſederit, & tenuerit, tentaturam ſuam deinceps libere, & quietè » poſſideat; ita ut alius reclamare non poſſit, vel tentaturam calumniare, » niſi poſſit probare, quòd interim abſens à terra fuerit, & abſentiæ ſuæ » rationabilem prætenderit occaſionem, vel infra ſpatium illud talis ætatis » exſtiterit, quòd jus ſuum diſrationare non valuerit. Ne ergo ſuper ijs om- » nibus aliqua impoſterum quæſtio poſſit oriri, ſuperiora, ſicut prænotata » ſunt, firma & rata impoſterum permaneant, eadem vobis & ſucceſſoribus » veſtris tam præſentis privilegij patrocinio, quàm ſigilli noſtri munimine » corroboramus, ſtatuentes & ſub anathemate prohibentes, ne quis huic » noſtræ confirmationis paginæ contraïre præſumat, ſalva in omnibus apoſto- » licæ Sedis auctoritate. Actum anno ab incarnatione Domini milleſimo cente- » ſimo octageſimo ſecundo. Datum per manum Lambini Cancellarij noſtri.

Vigebat adhuc ea conſuetudo, ut cùm domino ſuo quis non obtemperáſſet, domus ejus in pœnam deſtrueretur.

Vide Sareſberienſis epiſtolam ſupra citatam.

In hoc memorando, & illuſtri privilegio cur Communiæ Remenſis non meminerit Vvillelmus, jure quis mirari poſſet, forſan quòd Scabinatus Communiam involveret, eſſentque Scabini Communiæ protectores. Unde cùm de ea ſub Thoma de Beaumets, & Johanne de Craon Archiepiſcopis gravis orta fuiſſet diſcordia, ipſis aſſerentibus cives jus Communiæ non habere, nec proprium ſigillum, aut licentiam militum Præfectos inſtituendi pro Urbis cuſtodia tempore belli; alijs verò in curia Regis contradicentibus, ejuſmodi lites ex ſententia civibus optimè ceſſerunt. Quod verò ſpectat ad

Philippus Auguſtus Communiam Sancti Quintini ab Herberto IV. Viromandenſi Comite inſtitutam confirmavit an. 1193. cum iiſdem omnino exceptionibus, quæ leguntur in charta Vvillelmi Archiep. Vide Regeſtum D. d'Hemere in Hiſtoria Viromandenſi fol. 47.

Digitized by Google

ad modum juſtitiam adminiſtrandi ſatis ſupérque traditur ſuperiori diplomate à Lucio Papa ſubinde confirmato, cui etiam lubens conſenſit Philippus Rex, adſtantibus Regni Proceribus, quorum nomina hoc ordine regio præcepto recenſetur. VVILLELM. MUS. LI. ARCHIEP. An. 1182.

Signum Comitis Theobaldi Dapiferi noſtri. "
Signum Guidonis Buticularij. "
Signum Matthæi Camerarij. "
Signum Radulfi Conſtabularij. "

Actum publicè Pariſius anno ab Incarnat. 1182. Regni verò noſtri 4. "
Data per manum Hugonis Cancellarij. "

Scabinis ſic reſtitutis, eorùmque juriſdictione à Rege approbata, innumeræ poſtmodum lites emerſerunt circa obſervationem chartæ, ob quas ad Regis curiam, ſeu parlamentum ſæpius provocatum eſt, ut patet ex inſigni areſto anni 1279. nuper typis evulgato, quod hîc tranſcribere pretium operæ non putavi. Stabilito deinde Ballivio regali apud Laudunum, poſt Viromandenſis Comitatûs reditum, ſeu incorporationem cum regio dominio, ortæ inter Archiepiſcopum & burgenſes, vel inter eoſdem burgenſes, & Clericos pro eccleſiaſtica libertate controverſiæ ad prædictum Judicem extra fines Remenſis Comitatûs remittebantur, quod ab anno 1280. contigiſſe clarum eſt ex archivis Monaſteriorum, præſertim verò ex Philippi Regis Patentibus litteris, quibus Ballivio Viromandenſi injunctum anno 1296. ut Monachos ſancti Nicaſij foveat adverſùs cives Remenſes pro clauſura Monaſterij. At his forenſibus omiſſis ad Vvillelmum redeo, cui cùm ſollers ingenium eſſet, & ad quæque ſublimia natum, ut ſuperiori magnificentiæ aliquid adderet ad Remenſis urbis decus, civiúmque commodum, Culturam eis conceſſit extra Urbis ambitum, quò ædificijs de novo conſtructis, pomœrium ejus protenderetur, illàmque præſertim carpentarij, qui dolijs, aut quadrigis fabricandis dant operam, habitarent, ac in eam nundinæ Paſchales, quæ juxta leproſorum capellam fiebant, ut vidimus, tranſferrentur, ut ex charta clarum fiet quam hîc edere juvabit.

VVillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus S. R. E. & ſanctæ "An. 1183.
Sabinæ Cardinalis apoſtolicæ Sedis Legatus, dilectis Filijs noſtris "
hominibus in nova Cultura Remenſi manentibus tam præſentibus, quàm "
futuris in Domino noſtro ſalutem. Ad hoc conſtituti ſumus in Sede ponti- "
ficali, ut utilitali & augmentationi civitatis, cui nos præfecit Dominus "
ipſo adjuvante proficiendo provideamus, & providendo proficiamus; inde "
ſiquidem enim eſt quod nos ad augmentum, & honorem Civitatis noſtræ "
Culturam, quam habemus extra muros, dedimus vobis dilecti ac Fideles "
burgenſes noſtri ad domus conſtruendas, & novum ibidem burgum pa- "
riter ædificandum, ea conditione quòd de pertica terræ ſingulis annis in "
feſto B. Remigij duodecim denarios perſolvetis, ſimiliter de pertica terræ "
Jardi noſtri, eodem termino totidem reddetis denarios; ſciendum tamen "
quod tam in Cultura, quàm in Jardo ſunt perticæ, quæ tantùm novem "
denarios ſolvere tenentur. Decernimus igitur ut nundinæ, quæ fuerunt "
apud ſanctum Lazarum, in burgo veſtro celebrentur, & durent à Sabbato "
ante Dominicam in Ramis-palmarum, uſque in vigiliam dominicæ Reſur- "
rectionis. Statuimus etiam ut carpentarij, qui dolia & quadrigas fa- "
ciunt, ibidem operentur, & in civitate non poſſunt operari; volumus "
ſi quidem, ut omnia ligna, & marinna ibi vendantur, & non alibi. "
Liceat autem vobis logias, gradus, & puteos ante domos veſtras, "
abſque licentia dominorum, & ſervientium, libere & quietè facere, & "
inſuper Majorem proprium habere, qui pro poſſe ſupra forisfactum, "

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1183.

„ & exceſſus veſtros emendabit, & quæ per ipſum emendari non po-
„ terunt, ad Archiepiſcopum transferentur. Quia verò dignum eſt, ut ea quæ
„ à nobis ſunt juſtè & rationabiliter ſtatuta ſuum perpetuæ robur obtineant
„ firmitatis; nos hæc omnia, ne aliqua malignantium perturbatione violari
„ valeant, vel immutari, tam præſentis ſcripti patrocinio, quàm ſigilli noſtri
„ auctoritate vobis, ac ſucceſſoribus veſtris concedimus, ac confirmamus,
„ ſtatuentes & ſub anathemate prohibentes, ne quis huic noſtræ confirma-
„ tionis paginæ auſu temerario contraïre præſumat, ſalva in omnibus apo-
„ ſtolicæ Sedis auctoritate.

„ Actum anno ab Incarnat. Dom. 1183.

„ Datum per manum Lamberti Cancellarij noſtri.

At ne ob nundinarum tranſlationem, quid detrimenti reciperent leproſi, qui ad hoc conſenſerant, eis Vvillelmus pro compenſatione decem libras, & octo ſolidos Rem. monetæ aſſignavit in ſtallis cambitorum ſingulis annis percipiendos, conceſſitque, ut in molendinis de calciata Vidulæ ſegetes ad uſum domûs neceſſarias ſine molitura danda perpetuò molere poſſent. Anno 1182.

Sanremigianum quoque Monaſterium inter tot exquiſitæ liberalitatis inſignia, Vvillelmi beneficentiæ expers non fuit, jura ſiquidem ac conſuetudines ab alijs conceſſas novo diplomate confirmandas cenſuit, cujus hic tenor eſt.

An. 1182.

„ VVillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus S. R. E. titulo
„ ſanctæ Sabinæ Cardinalis, dilectis in Chriſto Filijs Simoni Abbati,
„ totíque Capitulo B. Remigij Remenſis, eorúmque ſucceſſoribus Regulam
„ B. Benedicti profeſſis in perpetuum. Paſtoralis cura nos ammonet inceſ-
„ ſanter Eccleſias, & viros eccleſiaſticos ſollicitudini noſtræ commiſſos dili-
„ gere, fovere, & eorum libertates, poſſeſſiones, atque jura, rata, &
„ inconvulſa modis omnibus conſervare. Hac ergo nos inducti ratione
„ veſtris, dilecti in Chriſto Filij, juſtis poſtulationibus grato concurrentes
„ aſſenſu, Eccleſiam veſtram, in qua divino mancipati eſtis obſequio, &
„ caſtrum, & burgum veſtrum ſub noſtra ſuſcipimus cuſtodia, & protectio-
„ ne: libertates etiam veſtras & conſuetudines quas ibi habetis, furnos,
„ molendina, cenſus, bannum, Juſtitiam, ſexterlagium, mercata diei
„ Veneris, & diei Dominicæ, & quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque
„ bona impræſentiarum rationabiliter poſſidetis, vel in futurum Domino
„ annuente poteritis adipiſci, Eccleſiæ veſtræ, & vobis perpetua pace, &
„ quiete poſſidenda concedimus, & auctoritate à Deo nobis collata invio-
„ labiliter confirmamus.

„ Decernimus ſiquidem ut homines veſtri, vel alij manſionarij in burgo
„ ſancti Remigij Remis euntes, & redeuntes, nec à noſtris Præpoſitis, vel
„ Officialibus, nec ab alienis capiantur, vel detineantur, neque res
„ eorum, quamdiu Juſtitiæ Abbatis veſtri ſtare voluerint, niſi fortè in
„ præſenti foriſfacto deprehenſi fuerint. Ut igitur hæc omnia perpetuæ
„ robur obtineant firmitatis, eadémque tam præſentis paginæ patrocinio,
„ quàm ſigilli noſtri auctoritate corroboramus, ſtatuentes ſub anathe-
„ mate prohibemus, ne quis Eccleſiam veſtram, vel Fratres veſtros ſuper
„ his moleſtare, vel huic noſtræ confirmationi aliquatenus præſumat con-
„ traïre. Omnibus autem jura veſtra ſervantibus, & beneficia ſua largienti-
„ bus, ſit pax & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut hic temporalem
„ percipiant retributionem, & in extremi examinis die æternæ beatitudinis
„ præmia conſequantur. Amen.

Ei eſt appenſum ſigillum cereum ſat magnum imaginẽ Epiſcopi in fronte præferens, cera autem viridis eſt, ut & funiculus quo Charta eſt affixa.

„ Actum anno ab Incarn. Dom. 1182. Datum per manum Lambini Can-
„ cellarij noſtri.

Lucius

Digitized by Google

Lucius papa III. prædictum Vvillelmi privilegium reſcripto ſuo confirmavit dato Veronæ 3. Nonas Julij, cui appendet ſigillum plumbeum cum hac inſcriptione, *Lucius Papa III.* ex una parte: ex alia verò capita Ss. Petri & Pauli viſuntur, ut in alijs bullis ſummorum Pontificum. VVILLELMUS LI. ARCHIEP. *An.* 1183, 1184.

Vvillelmus ab Auguſto rerum ſumma præficitur. Diſcordiam Vvillelmus inter ſe & Canonicos Remenſes pro jure excommunicandi componit, & ſuum curat anniverſarium.

CAPUT XI.

CUM Vvillelmi Cardinalis in ſuæ familiæ Principibus ad Regis obſequium, à quo pridem averſi fuerant, reducendis enituiſſet induſtria, reipublicæ commodo optimè ſe conſulturum Rex exiſtimavit, ſi prædictum Cardinalem ad Regni miniſterium admoveret, quod anno 1183. contigiſſe tradunt Auctores. Tanti muneris primitias quorumdam hæreticorum detectio, ſeu etiam exſtirpatio commendavit, qui è Lugdunenſi Gallia profecti virulenta peſſimæ hæreſeos ſemina pedetentim per urbes ſparſerant, Albigenſibúſque dedêre initium, è quibus Lutherani & Calviniſtæ ducunt originem. Tradit Robertus Abbas, annitente Flandrorum Comite quoſdam à Vvillelmo in ſua provincia deprehenſos, Atrebati habita quæſtione, aquâ, ferro, & igni probatos, ac demum convictos, ultimo affectos fuiſſe ſupplicio. Rex Vvillelmo pariter ſuadente bellum indixit hæreticis Bituricenſibus, qui Coterelli dicebantur, eo interim auctoritate Vicariatûs S. R. E. quâ fungebatur, excommunicationis mucronem in hæreticos Lugdunenſes diſtringente, quò fit, ut nonnulli perperam eum Lugdunenſem Archiepiſcopum nominârint.

Refert citatus Auctor, & Meyerus poſt ipſum, Leonoram Elizabethæ ſororem, quæ Comiti Bellomontenſi nupſerat, à Flandro Viromanduos, qui mortua eadem Elizabetha eius uxore, ad ipſam redire debebant, repetiſſe; cúmque ſurdas præberet aures, dictitans ſe Viromanduos, non modò dotales, ſed & Ludovici Regis dono, ac ſolida addictione poſſidere: Leonoram ſic Regis pactam eſſe auxilium, ut quando ipſa liberis careret, dimidium Viromanduorum illi relinqueret. Rex igitur ut Leonoram Viromandenſem in paternas introduceret opes, Viromanduos acriter adoritur, bellúmque tanta dexteritate, Vvillelmi Remenſis conſilio, ac Theobaldi Bleſenſis ope ad optatum finem deduxit, ut Flandriæ Comes coactus fuerit concedere in Regis voluntatem. Guiſius tradit ſexaginta amplius caſtella, præter Ambianorum civitatem, à Flandro Regem accepiſſe, at hunc haud ita multò poſt pacis pœnituiſſe. *An.* 1185, 1186.

Addit Meyerus bellum de integro inſtaurâſſe, receptis auxiliaribus copijs ab Henrico Friderici Cæſaris filio, cui hominium de Flandria ſe facturum promiſerat, quod tamen ultimum Meyerus, honori patriæ conſulens, tacuit. At cùm Hannonienſem, ut ſibi auxiliaretur, pellicere non poſſet, pacem Ambianis ab Henrico Anglorum Rege, Vvillelmo Remorum Pontifice, & Theobaldo Bleſenſi compoſitam ſuſcepit. Teſtatur Æmilius per ejus pacis placita Flandro datum, ut in fidem rediret, reciperetúrque, Viromandis in vita frueretur, ejus morte ad Regem venirent.

Sic igitur rerum à Vvillelmo geſtarum fama in dies per Europam creſcente, Lucius Papa deſiderio eum viſendi flagrans, Romam ut veniret,

Digitized by Google

VVILLEL-MUS LI. ARCHIEP. *An.* 1186.

ret, multis litteris est cohortatus, sed ob Regni negotia votis ejus satisfacere non potuit. Rex quoque quantum ejus operâ indigeret, scriptâ ad summum Pontificem epistolâ, quæ Cardinalis panegyricum continet, intimavit, cujus Stephanus sanctæ Genovefæ Parisiensis Abbas portitor fuit, ubi præclarè de eo sic loquitur.

Stephan Tornac. Epist. 111 quæ sic incipit Fidelis sêper Ecclesiæ Romanæ, devotio Regni nostri. ....

„ Impugnant adolescentiam nostram, & auspicia Regni nostri perturbare „ contendunt potentes, & qui multiplici ex causa fidem nobis debuerant, „ infideles adversarij, quorum improbitate compelluntur, & consilia nova „ quærere, & auxilia corrogare. Adsit nobis super omnes amicos, & „ fideles nostros carissimus avunculus noster Vvillelmus Remensis Archie„piscopus, in consiliis nostris oculus vigilans, in negotiis dextera manus, „ cùm vel ad tempus recedere à nobis, succedere est hostibus nostris; qui „ sicut absque armis, ita & absque amicis nos esse votis infidelibus irre„ verenter, & expetunt, & exspectant. Vocâstis enim, Pater, sicut audi„ vimus, ut & præsentiam suam vobis exhibeat, sacris vestris apicibus „ invitâstis, paratus erat parere, & apparere vobis, peccato ariolandi simu„ lacrum inobedientiæ comparans, & voluntatem * acquiescendi vobis, tan„ quam scelus idololatriæ detestans; in articulo summæ necessitatis nostræ „ confidentes de præcipua dilectione vestra retinuimus eum, clavum in ocu„ lis hostium nostrorum, & in lateribus eorum lanceam. Sine ipso fieri nihil „ æstimantes, sivè de pace, sivè de bello, cum hostibus sit agendum..... „ Gratum sit vobis, Pater, quod in tanto discrimine Regni, tantum ami„ cum nostrum retinemus, cujus præsentia nobis est perneccssaria, & ab„ sentia perdamnosa.

Deest * Non *etiam in edit.*

Pace inter Principes firmatâ, Vvillelmus Romam profectus est, eòque tempore appulit, quo Lucius Papa egit animam, sicque inter electores admissus, Urbani III promotioni interfuit. Contigit per id quoque tempus vacare Episcopium Trevirense per obitum Arnaldi, dissentientibus inter se Clericis pro electione successoris, Folcmarus Trevirensis Ecclesiæ Chorepiscopus à saniori parte electus est, ab inferiori verò Rodulfus ejusdem Ecclesiæ Præpositus: ambo non minori dexteritate, quàm forensis præstantiæ gloriâ prædili. Fridericus Imperator, posthabito fœdere recèns inito cum Summo Pontifice quoad investituras, Rodulphi partes susccpit: at Folcmarus, qui vivente Lucio Romæ conquestus fuerat, litem prosecutus est sub Urbano, sententiámque pro votis obtinuit, fremente nequicquam Friderico, injunctúmque Rodulpho per Archiepiscopum Remensem, Metensemque Episcopum à Pontifice delegatos, ut judicio sine mora acquiescceret. Addit Vasseburgus Folcmarum, qui pietate ac scientiâ pollebat, legatum ab Urbano creatum intra Archiepiscopatus Remensem & Trevirensem, Remísque Concilium coegisse pro statu Ecclesiæ reformando, ubi pariter actum est de subsidio Christianis mittendo, qui in Palæstina periclitabantur: item de negotio Henrici de Castres Virdunensis Episcopi, cui consultum fuit, ut Episcopatum abdicaret in pœnam suæ rebellionis, si absolutus à Legato abire vellet. Suspicor Vvillelmum tempore hujus Concilij, de quo in Regestis nihil reperio, Romæ exstitisse, Remósque reversum anno 1186. quo restitutioni decimarum de Reciaco per Hugonem Vicedominum Cathalaunensem Ecclesiæ Sancti Martini Sparnacensis factæ subscripsit, rursúmque Ferrariæ se præsentem exhibuisse pro electione Gregorij VIII. Viromanduis in regium dominium reversis cum insigni Flandrorum mœrore, à quibus Comiti nequiter suggestum, ut Imperatoris imploraret opem, hominiúmque Flandriæ ei præstaret: Philippus personaliter præclari hujus Comitatus init possessionem; cúmque Remis ageret, Canonicis sancti Cornelij Laudunensis pro victûs supplemento indulsit decimas tàm panis, quàm vini

vini quod expenderetur in comitatu Regis ac Reginæ ; ſucceſſorúmque ejus, quandiu Lauduni moram facerent, ut ex ſequenti diplomate patebit, quod verbo tenùs exhibeo. VVILLELMUS LI. ARCHIEP. *An.* 1187.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint præſentes, & futuri quod ad inſtantiam Canonicorum ſancti Cornelij Laudunenſis, ob remedium animæ noſtræ, & animæ patris noſtri bonæ memoriæ Ludovici Regis, qui in eorum Eccleſia præbendas inſtitui conceſſit, ad amplificationem memoratæ Eccleſiæ decimam totius panis, & vini quod nos, Regina, & noſtri ſucceſſores Reges Franciæ Lauduni expendemus quotieſcumque Laudunum veniemus, quietè & inconvulsè poſſidendam in perpetuum conceſſimus. Quod ut perpetuam ſortiatur ſtabilitatem, præſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate, ac regij nominis charactere inferiùs annotato præcepimus confirmari.

Actum Remis anno Domini 1187. regni noſtri anno octavo. Adſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna. *Confirmavit hanc donationem Ludovicum XI.*

Signum Comitis Theobaldi Dapiferi noſtri.
Signum Guidonis Buticularij.
Signum Matthæi Camerarij.
Signum Radulfi Conſtabularij.

Vvillelmus Româ reverſus litigandi materiam reperit cum Capitulo, ſi pronum ad id animum habuiſſet. Enimverò ut prædeceſſores ægrè patiebantur eam quam ſibi arrogabat Capitulum facultatem excommunicandi quemlibet ex ſuis malefactoribus, eóſque pariter abſolvendi, quam nuper ipſis petentibus Lucius Papa ſuo reſcripto comprobârat ; ſic nec Vvillelmus ferre poterat interdictum, frequenteſque divini Officij ceſſationes in matrice Eccleſia, ſpeciali ac ſolâ Canonicorum authoritate ſancitas, eò vel maximè, quòd contenderent illi, majori Eccleſiâ ceſſante, alias Urbis Eccleſias tàm conventuales, quàm parochiales ipſis jubentibus ſilere debuiſſe. Archiepiſcopus re maturiùs deliberatâ, inſpectóque eorum privilegio à lite movenda abſtinuit, ſcriptóque tandem conceſſit, anno 1197. his verbis : *Quod ſi ipſis, aut ſuis Clericis, aut laicis ad ipſos pertinentibus in provincia Remenſi, vel alibi ubicumque de auctoritate Sedis Remenſis poteſtatem habentibus aliquid factum fuerit, quod ad damnum, vel læſionem Eccleſiæ Remenſis cedat ; nos ſuper hoc requiſiti bonâ fide emendare faciemus, ſin minùs Capitulum licitè poterit ceſſare ab Officio divino, aliisque Eccleſiis tàm conventualibus, quàm parochialibus Vrbis vel ſuburbij injungere, ut idem faciant, STATV ECCLESIAE S. REMIGII MANENTE SICVT ANTEA FVIT, conceſſâ nihilominùs Parochis facultate miniſtrandi Sacramenta neceſſaria ſubmiſſâ voce, & cum unius campanulæ ſonitu, nec interdictum ſolvi poterit ab Archiepiſcopo ſine conſenſu Capituli.* Ob ejuſmodi cenſuras, quæ ſine delectu fiebant per omnes Belgij Epiſcopatus, celebriores urbium Abbatiæ coactæ ſunt ab Apoſtolica Sede immunitatis bullas obtinere, quibus ab hac importuna ſervitute liberarentur, quam acrioribus verbis perſtringit Stephanus Tornacenſis epiſtolâ 148. ad Vvillelmum Remenſem : *Ordo judiciorum, Pater, multis excogitatus vigiliis, à quibuſdam rectoribus turbatur, qui ſacris Canonibus, aut nec lectis, aut neglectis, non minus ſunt in ſententia præcipites, quàm in executione crudeles, ſine vocatione ligant, ſine delectu excommunicant, ſine cognitione condemnant. Horum de numero contendit ſe eſſe Silvanectenſis Epiſcopus qui villam noſtram ex leviſſima, vel nulla cauſa ſub interdicto concluſit.* Et epiſtolâ 212. ad eundem Archiepiſcopum, quâ de interdicenda terra Comitis Flandriæ diſſerit, ut mandatum illi fuerat per dominum Cardinalem & Legatum Magiſtrum Meliorem, eò *Steph. Torn. epiſt.* 148.

quod

VVILLELMUS. II. ARCHIEP. *An.* 1187. *Idē epiſt.* 212.

quod idem Comes pacis fœdera rupiſſet : *Adhuc*, inquit, *recentia priorĭs interdicti ſpirant vulnera, nec vulnerati reſpirant. Et ſi ſecundus congeminetur ictus, mors erit in januis, & ſub triſti ſilentio convaleſcent hæreſes, quæ pullulare cœperant, claudentur Eccleſiæ, ſilebunt cantica divina..... videtur nobis... quia vulneraretur profundius, ſi & ipſe, & omnes ei communicantes ſingulis Dominicis diebus excommunicaretur, & loca ad quæ accederet, quamdiu ibi moraretur, à Divinis ceſſarent.* Hoc conſilium poſt hac ſecutum fuiſſe, & in praxim reductum à Capitulo Remenſi, infrà videbimus, cùm ceſſationes à Divinis præſcripſit, quod ſibi licere de jure, vel conſuetudine, ut & pleraque aliâ Eccleſiarum Cathedralium Capitula fidenter prædicabat. Exſtat apud eundem Auctorem epiſtolâ 128. nomine Vvillelmi Remenſis ſcripta ad magiſtrum Meliorem Cardinalem, de veteri, ſed per id tempus recrudeſcente diſcordiâ inter Turonenſem & Dolenſem Epiſcopos, pro Archiepiſcopatu conſtituendo in Britannia Armorica, cujus utinam rationum momenta expendiſſent Regni Proceres ſub Henrico II. cùm Flandrenſes Eccleſiæ excuſſo Francorum jugo ſubſtractionem à Remenſi Metropoli poſtulârunt in Curia Romana, factúmque eſt annitente Hiſpaniarum Monarchâ, & ſilentibus Francis, ut hi Epiſcopatus qui Remenſi ab antiquo ſubjiciebantur, alium ſuperiorem in ſpiritualibus agnoverint, exheredato, ut ſic dicam, ac turpiter mutilato Archiepiſcopatu, qui DIADEMA REGNI HABET, eſtque ex inſignioribus inter occidentales.

Hæc contentio inter Turonenſem & Dolenſem cœpit anno 859. Innocent. verò III. ſanxit auctoritate Apoſtolicâ ut Dolenſis Eccleſia cum reliquis Britanniæ Turonenſi perpetuò ſuffragaretur an. 1199.

Vvillelmus memor conditionis humanæ, ac ſtatûs animarum poſt mortem, quæ in loco purgationis vivorum indigent ſuffragijs, Eccleſiæ ſancti Remigij contulit perſonatum de Driencurte pro anniverſario ſuo, & fratris ſui Henrici quotannis celebrando, quin & aliorum anniverſaria, ne oblivioni traderentur, ſequenti chartâ in unum digeſſit, quæ eſt hujuſmodi.

An. 1188. „ VVillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, S. R. E. tituli ſanctæ „ Sabinæ Cardinalis : omnibus S. Matris Eccleſiæ Filijs in perpetuum. „ Conſiderantes quoniam ſinceræ devotionis affectum venerabilis Eccleſia „ ſancti Remigij Remenſis erga nos, & anteceſſores noſtros ſemper dignoſ„ citur habuiſſe. Nihilominùs penſantes quàm devotum ipſius Eccleſiæ Fra„ tres Deo inceſſanter ſtudent ſervitium exhibere ; nos eorum volentes ora„ tionum fieri participes notum facimus tàm præſentibus, quàm futuris, „ quòd altare de Driencurte pro anniverſario noſtro ſingulis annis piè ce„ lebrando, & pro animabus parentum noſtrorum, necnon cariſſimi fratris „ noſtri bonæ memoriæ Comitis Henrici, ſimiliter prædeceſſorum noſtro„ rum, ad refectionem dilectorum Filiorum noſtrorum ipſius Eccleſiæ Fra„ trum liberè, & quietè in perpetuum dedimus poſſidendum. Nos verò ſub „ interminatione excommunicationis diſtrictè inhibemus, ne quis hujus altaris „ reditus ſivè aliorum beneficiorum ſimiliter pro anniverſarijs collatorum in „ alios uſus, quàm ad quos deputati ſunt, præſumat expendere : illorum „ autem nomina, quorum aniverſaria prælibatâ annuatim celebrantur Eccle„ ſiâ, nominatim ea fecimus ſubſcribi. Anniverſarium noſtrum, anniverſarium „ bonæ memoriæ Samſonis Remenſis Archiepiſcopi, anniverſarium Eſquilini „ Archiepiſcopi Datiæ, Johannis Epiſcopi Carnotenſis, Petri ejuſdem ſuc„ ceſſoris, Gaufridi Cathalaunenſis Epiſcopi, Haiderici Abbatis, Hugonis, „ Odonis, Azenarij, Leonis Abbatis ſancti Giſleni, Vvidonis Abbatis ſan„ cti Nicaſij, Herimari Abbatis, Hugonis Comitis Regiteſtenſis, Hilde„ vini Archidiaconi, Goderanni Preſbyteri, Conſtantii ..... Rodulphi & „ Odelinæ parentum Samſonis Archiepiſcopi, Hannidis matris Hildevini „ Archidiaconi, Lamberti Matricularij &c. Volentes itaquè ut hæc noſtra „ ſolemnis donatio rata permaneat, &c.

Dedit etiam idem Archiepiſcopus altaria de Villare in Silva & de Louvois, pro anniverſario ſuo & parentum ſingulis annis faciendo, Eccleſiæ S. Remigij an. 1192.

Donationem hanc altaris de Driencurte & de Villare in ſilva confirmavit Innocentius Papa.

Actum anno 1188. Datum per manum Lambini Cancellarij noſtri.

Rege

Rege ad bellum ſacrum proficiſcente, Vvillelmo tutela Regni committitur, ejus ſtudio ad Francos redit Atrebateſium, & in Eccleſia Remenſi Scholarchæ dignitas inſtituitur.

CAPUT XII.

CLEMENS III. poſt Urbani exceſſum ad Petri Sedem evectus anno 1188. ut indictam à deceſſore ultramarinam expeditionem promoveret, Johannem Anagninum Cardinalem miſit in Gallias ad conciliandam pacem inter Reges Francorum, & Anglorum, pro ſubſidio Chriſtianis in Palæſtina periclitantibus conferendo: cúmque hujus hortatu prædicti Reges fidem dediſſent ſtandi judicio ejus, & Archiepiſcoporum Remenſis, Bituricenſis, Rotomagenſis, & Cantuarienſis, atque idem Legatus cum præfatis Archiepiſcopis ſubinde protuliſſet ſententiam excommunicationis in eos, per quos ſtaret quo minus pax fieret inter Reges: nihilominus in mutuo congreſſu habito apud Feritatem-Bernardi, minimè potuerunt inter ſe concordare, donec armis Francorum perſtrictus Anglus, pacis conditiones à Franco præſcriptas invitus licèt recepit, quæ poſt Henrici mortem interpolatæ, rurſum operâ Epiſcoporum renovatæ ſunt cum Richardo apud Meſſanam Siciliæ urbem, ac leges nauticæ ſancitæ, ut habet Rogerius in Annalibus.

Ad impenſas verò ſuſcepti belli ſtatutum eſt ex aſſenſu, & conſilio Epiſcoporum, & Procerum, ut omnes tam eccleſiaſtici, quàm laïci, exceptis ijs qui peregrinationem ſuſciperent, decimam redituum, & mobilium ſuorum integre Regi perſolverent. Fertur ejuſmodi decimam *Saladinam* dictam ob bellum adversùs Saladinum Babiloniæ Regem indictum, ſed quòd ejuſdem penſitatione plurimùm gravarentur Eccleſiæ, ſcripſit Petrus Bleſenſis inſignis vir pietatis, & litteraturæ epiſtolam ad Epiſcopum Aurelianenſem, monens ut ſe cum alijs Regi talia præſcribenti intrepidè objiceret. At Præſulum querelas Regem præoccupâſſe veriſimile eſt, cùm Vvillelmo Remenſi Archiepiſcopo, omnibúſque Clericis, & laïcis Remenſis provinciæ actu authentico declarârit mentem ejus non eſſe ut in poſterum ſimilis exactio fieret quacumque cauſa, vel prætextu, cujus hic tenor eſt.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex viro venerabili & cariſſimo « *An. 1189.*
avunculo ſuo Vvillelmo eâdem gratiâ Rem. Archiepiſcopo, & uni- «
verſis ejuſdem provinciæ tam eccleſiaſticis, quàm laïcis perſonis: ſalutem «
in perpetuum. Cùm ad reſtaurationem terræ ſanctæ, Eccleſiarum Regni «
& Principum aſſenſu, rerum mobilium & redituum, tam ab eccleſiaſticis, «
quàm laïcis perſonis decimæ ſemel exactæ fuerint, ne ad conſequentiam «
facti hujus enormitas traheretur, ſtatuimus ne hujus exactionis occaſione, «
vel ob ſimilem cauſam aliquid ullo modo ulteriùs exigatur, &c. Actum «
Pariſijs anno Verbi incarnati 1189. regni noſtri 10. aſſtantibus in palatio «
noſtro quorum nomina ſuppoſita ſunt. «

Signum Comitis Theobaldi Dapiferi noſtri. «
Signum Guidonis Buticularij. «
Signum Matthæi Camerarij. «
Signum Radulfi Conſtabularij. «
Data vacante Cancellaria. «

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1190.

Rigordus refert ad annum 1190. quanta pietate Philippus Rex ad Eccleſiam ſancti Dionyſij pro felici itinere ſupplicaturus acceſſerit, quomodo ante Sanctorum corpora ſuper pavimentum marmoreum proſtratus Deo, B. Virgini & Ss. Martyribus ſeſe commendârit, ſuſceperitque ſportam & baculum peregrinationis de manu Vvillelmi Remenſis Archiepiſcopi, & quòd apud Vezeliacum cum Rege Angliæ Richardo veniens Adelæ cariſſimæ matri ſuæ, & Vvillelmo Remenſi Archiepiſcopo tutelam Regni, ac Ludovici filij ſui cuſtodiam commendârit, condito paullo poſt Pariſijs teſtamento, quod integrum recitat ipſe, & ſic incipit. ***In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Philippus Dei gratiâ Francorum Rex. Officium Regum eſt ſubjectorum commodis modis omnibus providere, &c. Volumus ut cariſſima mater noſtra ſtatuat cum cariſſimo avunculo & fideli Guillelmo Remenſi Archiepiſcopo ſingulis quatuor menſibus unum diem Pariſiis, in quo audiant clamores hominum Regni noſtri, & ibi eos finiant ad honorem Dei, & utilitatem Regni, &c. Actum Pariſiis anno 1190. regni noſtri undecimo.***

Cum primum Rex è Gallia ſolvit, Regina & Archiepiſcopus, quibus Regni tutela demandata erat, injunctum munus obire cœperunt, viros idoneos, & capaces Epiſcopatibus, Monaſterijs, aliiſque beneficijs vacantibus præfici curantes, quorum collatio ad Regem jure Regaliæ ſpectare videbatur, juxta præſcriptam teſtamenti paginam. Narrat idem Auctor poſt nuntium acceptum de obitu Comitis Theobaldi Franciæ Seneſchalli, Comitis Clarimontis, Ducis Burgundiæ, Philippi Flandriæ Comitis, & aliorum Procerum in obſidione Accij, conſilio Vvillelmi Remenſis Archiepiſcopi, & Adelæ Reginæ, coronam beatiſſimorum Martyrum Dionyſij Ruſtici & Eleutherij extractam fuiſſe, & ſuper altare poſitam cum alijs Sanctorum corporibus, ut ibi Fideles ad tantum ſpectaculum cum gemitu & ſuſpirijs pro Terra-ſancta liberanda, pro Rege & univerſo comitatu puras manus cum Moyſe (ſic enim Vvillelmum nominat) levantes, ad Deum preces funderent. Illud iter tanto ſtudio & alacritate ſuſceptum parum utilitatis Chriſtianis gementibus attulit, ob ſimultates & rixas quæ ſubinde naſcebantur inter Principes. Philippus Rex Accone expugnata in Galliam redijt cæli gravitatem, inſolentiámque incuſans, ait Meyerus, qui & aliam cauſam callidè ſuggerit: at Rogerius fatetur apud Pontificem multa de Richardo conqueſtum, quòd ipſum coegiſſet recedere. Hic igitur Richardus in Palæſtina relictus ſæpius cum Soldano proſpere pugnavit, donec deploratis rebus, deceſſionem & ipſe cogitans fœdus cum eo ad triennium ſtatuit. Vvillelmus Remenſis audito Regis adventu Romam petijt, ubi à Cæleſtino III. gratanter exceptus Prænestini Cardinalis titulo, ut quidam volunt, donatus eſt. At nuſquam cum eo legitur.

Terra Philippi Comitis Flandriæ in obſidione Accij mortui, quia alium non habebat heredem, ad Balduinũ nepotem ſuum filium Comitis Hanoenſis eſt devoluta, qui Conſtantinopolitanus Imperator poſtea factus eſt. *Rigordus.*

Nuntiata Philippi Flandrenſis morte, orta eſt de ſucceſſione Comitatûs grandis altercatio, Vvillelmus ut ſe pervigilem Regni tutorem, ac jurium defenſorem præberet, omnem ad ſe conatus eſt trahere Flandriam, ac Ludovicum ſtirpem regiam in poſſeſſionem ejus introducere, dictitans Iſabellam Reginam Ludovici matrem à Philippo avunculo ex aſſe fuiſſe inſtitutam heredem. Res pro votis ſucceſſiſſet, niſi Balduino & Margaretæ capeſcendi imperij gratiâ properè in Flandriam convolantibus, Iprenſes, Brugenſes, Aloſtani, aliíque populi ingentes feciſſent animos, ipſiſque mœnibus receptis fidem, & operam adversùs Gallos eſſent polliciti. Remorum Pontifex nihilominus regio nomine ſe velut Flandriæ procuratorem geſſit uſque ad Philippi adventum, qui menſe Decembri feſtos dominici Natalis dies egit Lutetiæ, tum conventu ab eo de componenda diſcordia Atrebati indicto, ibi omnium conſenſu Vvillelmus Remorum Archiepiſcopus & Petrus Atrebatenſis cum duobus Abbatibus lecti decidendis controverſijs

troverſijs arbitri Gandavum, Brugas, Ipram, Curtracum, &c. Margaretæ Balduini uxori adjudicârunt. Atrebates verò, Bapalmas, Ariam, Fanum-Sancti-Audomari, beneficia, ſeu homagia Bonnoniæ, Fani-Sancti-Pauli, Giſnenſis, Lilarienſis cum tota occidentali Flandria ad uſque Foſſam-novam regiæ ſtirpi Ludovico dotem videlicet matris ejus, Iſabellæ ſcilicet Hanonienſis Philippi Flandrenſis neptis, ſororis verò Margaretæ Flandrenſis, & ejuſdem heredis attribuerunt, jurátque Balduinus more majorum in Regis verba, & ſic Comes Flandriæ nomine uxoris ſalutatus eſt. Sic igitur Vvillelmi ſtudio Comes duo Regi præſtitit, hominium Flandriæ, & abdicationem Arteſij: unde fluxit jus illud, ut multi putant, quod Reges noſtri habent in prædictum Comitatum.

Vvillelmus Archiep. An. 1190.

Anno 1196. menſe Iunio Balduin' Comes Flandrię fecit hominium Regi philippoapud Compendiũ aſtãtibus ouilelmo Rem. Archiep. & Maria Cãpaniæ Comitiſſa Rigordus.

Inſignis idem Antiſtes rebus ſublimioribus intendens animum, quæ nominis claritudinem æquè pariunt, ac meritum, ſtatuit ſtipendium augere Magiſtrũ ſcholarum Remenſium, qui Clericis erudiendis dabat operam juxta præſcriptum Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III (cui & ipſe interfuit) Can. 18. *Quoniam Eccleſia Dei, & in ijs quæ ſpectant ad ſubſidium corporis, &c. per unam quamque Eccleſiam cathedralem Magiſtro, qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ gratis docet, competens beneficium aſſignetur.* Hactenus viri totâ Galliâ celebres ſcholis Remenſibus præfuerant, ut de Gerberto, Brunone, & alijs nonnihil ſupra retulimus; at cùm abſque ſtipendio, & congrua mercede langueſcant animi, laborémque ut plurimùm detrectent, hanc ipſe ingenita liberalitate primùm ſupplevit duorum frumenti modiorum additamento, ut patebit ex charta, quâ ſatisfactionem Vicedomini cujuſdam Cathalaunenſis admittit pro damnis ab eo illatis Eccleſiæ Remenſi.

" V Villelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus S. R. E. & S. Sabinæ " 1190.
" Cardinalis, apoſtolicæ Sedis Legatus: omnibus ad quos litteræ iſtæ "
" pervenerint in Domino ſalutem. Notum ſit tam futuris, quàm præſenti- "
" bus, quòd cùm Hugo Cachat Vicedominus Cathalaunenſis, Eccleſiæ B. "
" Mariæ Remenſis multa & gravia damna intuliſſet, nec haberet unde Eccle- "
" ſiæ ſatisfacere poſſet ad plenum, reliquit & reſignavit in manu noſtra de "
" aſſenſu uxoris ſuæ quicquid ipſe habebat in villa quæ dicitur Cuyſiacum quæ " *forte* Tuiſiacum.
" eſt de feodo noſtro, tam nobis, quàm ſucceſſoribus noſtris libere in per- "
" petuum, & quietè poſſidendum. Nos autem ſatisfacientes Capitulo Rem. "
" ſuper damnis ab ipſo Vicedomino illatis, & æſtimatis uſque ad centum "
" quadraginta libras, receptis etiam ab ipſo Capitulo ducentis & ſexaginta "
" libris pro emptione Cuyſiaci dedimus ſæpedicto Capitulo, & aſſignavimus "
" in telonio Remenſi, quod eſt de Regali domini Regis viginti libras Re- "
" menſis monetæ annuatim recipiendas ..... Sciendum quoque quod neque "
" nos, neque ſucceſſores noſtri aliquo modo, niſi de voluntate domini Regis, "
" & aſſenſu Capituli Remenſis, illam partem Cuyſiaci, quæ fuit Vicedo- " *Cacalis.*
" mino Cacalis poterimus transferre in manum alienam. Quicumque verò "
" pro tempore teloneinus fuerit, in ſuſceptione ipſius officij ſtatim tac- "
" tis ſacroſanctis reliquijs jurabit, quòd ſecundùm tenorem ſcripti hujus "
" prædicto Capitulo viginti libras poſtpoſita omni occaſione atque diminu- "
" tione perſolvet. Præterea ſciendum quòd nos dedimus duos modios fru- "
" menti Magiſtro ſcholarum Remenſium, & aſſignavimus illos in molen- "
" dinis noſtris Remenſibus annuatim in perpetuum recipiendos. Ut autem "
" hæc omnia rata permaneant, &c. Actum anno Verbi incarnati 1190. "
" Datum per manum Lambini Cancellarij noſtri. "

Et in hoc eluxit primùm in litteratos Vvillelmi magnificentia, poſtmodum verò vacante ſcholarum Remenſium rectoratu, ſeu magiſterio, cùm Capitulum Remenſe Magiſtro Garnerio præfecturam contuliſſet,

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1192.

idem Archiepiſcopus ob ipſius eruditionis præſtantiam, & quòd ejus hortatu ſelectus fuerat, dignitatem ei, ac perſonatûs titulum aſſignavit cum dotis incremento, ex charta inſtitutionis quam hîc atteximus.

„ VVillelmus Dei gratiâ Rem. Archiepiſcopus, S. R. E. tituli S. Sabinæ
„ Cardinalis, apoſtolicæ Sedis Legatus; univerſis S. M. E. filijs ad quos
„ litteræ iſtæ pervenerint ſalutem in Domino. Notum fieri volumus quòd
„ cùm dilecti Filij noſtri Capituli Remenſis magiſterium ſcholarum Re-
„ menſium dilecto Clerico noſtro Magiſtro Garnerio ad preces noſtras
„ contuliſſent, nos unanimi omnium voluntate ei aſſignavimus ſtallum in
„ choro in perpetuum dignitatis, & perſonatûs titulum ipſi, ſuiſque ſuc-
„ ceſſoribus obtinendum, jure electionis Capitulo, ſicut hucuſque habuit,
„ reſervato Nos verò attendentes, quòd prædicto perſonatui modici, &
„ minus ſufficientes reditus antea fuerant aſſignati, tum intuitu Eccleſiæ,
„ tum honeſtate, & perſonæ favore eidem, & omnibus in præfato honore
„ ſubſtituendis liberaliter conceſſimus quinque modios frumenti in molen-
„ dinis noſtris Remenſibus ſingulis annis libere, & abſque onere omnimodè
„ ſtatutis terminis exſolvendos: tres videlicet in feſto ſancti Remigij in
„ Octob. & duos in Paſcha, quod ut ratum permaneat, &c. Actum anno
„ 1192. Datum vacante Cancellaria.

Vacabat Remenſis Cancellaria per promotionem Lamberti Remenſis Cancellarij ad ſedem Morinēſem, an 1191. *Meyerus.*

Hanc chartam quâ Scholarchæ dignitas inſtituitur Cæleſtinus Papa III. confirmavit VII. Idus Junij Pontificatûs anno 6. & Philippus Auguſtus eodem anno, Regni 13. adſtantibus in palatio Guidone Buticulario, Matthæo Camerario. Conſtabulario & Dapifero nullis. Vacante Cancellaria.

Sanctus Albertus Leodienſis Electus à Vvillelmo Remenſi Archiepiſcopo conſecratur, ejuſdem martyrium juxta Remos.

CAPUT XIII.

BEATI Alberti apud nos cùm ſit illuſtris memoria, vitæ hujus ſynopſim edere, quò Vvillelmi geſta clariora fiant, Remenſiſque ſoli dignitas enitescat, haud abs re erit, cùm fuſo illud ſanguine purpuratum, ſuiſque adhuc pignoribus dives nobilitet. Inſignis igitur hic Præſul Godofridi Brabantiæ Ducis, ac Mariæ de Limburgo filius, Henrici Lovanienſis frater, alterius verò Henrici Ducis Arduennæ patruelis, primùm donatus fuit Archidiaconatu in Eccleſia ſancti Lamberti Leodienſis, tum Rodulfo vivis ſublato, à ſaniori parte Capituli lectus ejuſdem urbis Epiſcopus anno 1191. Balduinus Hanonienſis Comes ut irritam ejus redderet electionem, factioſorum quorumdam fretus ſuffragio Albertum alium Comitis Regiteſtenſis fratrem, & ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitum eligi curat, ſed nullius omnino litteraturæ, cui ſtatim ac Flandriæ Comes poſt Philippi obitum idem Balduinus renuntiatus eſt, ſuggerit ut Imperatorem adeat pro petenda confirmatione, quam tamen non eſt aſſecutus. Imperator ſiquidem doctrinæ ejus defectum probè ſciens, nec immemor facti Henrici Lovanienſis, fratris ſancti Alberti qui obſtiterat ei, cùm prædictum Balduinum ad poſſeſſionem Comitatûs Namurcenſis vellet inducere, utroſque ſuſpenſos & ancipites diu detinuit, Henrico Lovanienſi fratris negotium apud Imperatorem ob ejuſmodi ſimultates promovere non audente-

Actum

Digitized by Google

Actum interea de amborum electione in curia imperiali, potiórque causa ſancti Alberti videbatur, cum Imperator nactus occaſionem ulciſcendi ſe de Lovanienſi Comite palam profeſſus eſt, emergente litigio inter duos, & ſuffragijs æqualibus repertis, jus electionis ad ſe devolvi, ſtatímque ijs poſthabitis Lotharium quendam Præpoſitum de Bonne Holſtaldenſis Comitis fratrem nominat, qui adepta largitionibus regali inveſtitura in urbes, & caſtella dominij Epiſcopatûs ſe intrudit. Vix aliquis fuit inter probos cui factum illud non diſpliceret, & ſanctus Albertus ſentiens ſibi, ac Eccleſiæ irrogatam injuriam, Sedem Apoſtolicam appellat: Imperator ob id graviter commotus jubet Urbis & palatii fores occludi, cogítque Leodienſes Lotharium in Epiſcopum recipere, qui ut ſibi conſulat, cum Henrico Hannonienſi fœdus init Lovanienſis familiæ adverſario, & maximæ auctoritatis in provincia. VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An* 1192.

Sanctus Albertus omni ope, parentúmque auxilio deſtitutus peregrino habitu Romanæ Urbis iter arripuit per devia, ac flexuras montium cum gravi animi mœrore, corporiſque defatigatione. Summus Pontifex Cæleſtinus eum ad ſe venientem benignè ſuſcepit, juſſitque ut bono animo eſſet, cauſáque ejus in conſiſtorio examinaretur, quæ ob æquitatem quorumdam animos perculit, qui vel metu, vel aſſentatione Lothario impensè favebant; at juſtitia foras miſit timorem, & poſthabito quocumque reſpectu, etiam Imperatoris, Epiſcopatus Alberto adjudicatus eſt, qui Cardinalatu, & Diaconatûs ordine inſignitur à Summo Pontifice, ejúſque officio functus eſt eodem die in miſſa, quam Cæleſtinus celebravit.

Sed ne inſidias ſtruerent Alberto inimici, impediréntque ne conſecrationem ſuſciperet à Metropolitano, binas ei litteras dedit Summus Pontifex antequam ſecederet, primam ad Philippum Colonienſem Archiepiſcopum, alteram ad Vvillelmum Remenſem, hoc conſilio, quòd ſi primus ob Imperatoris comminationes obedire detrectaret, alter cum ſit extra fines Imperij ſine cunctatione expleret quod jubebat; injunxit etiam Capitulo Leodienſi per aliam epiſtolam, ut Alberto reverentiam & obſequium exhiberet, Lotharium verò intruſum ac contra Canones electum, & excommunicatum devitaret. Sic dato ei anulo, quem caniſſimum filium nominat, cum duabus mitris, una Epiſcopali, alia communi pro Abbate Lobienſi benedictionem ei impertivit. Res ut ſe Romæ habuerat cum ad Imperatorem eſſet perlata, furoris œſtro percitus omnem movet lapidem, quo Albertum à Leodienſi territorio procul amandet, Henricóque Lovanienſi interdicit, ne apud ſe eum retineat. Sanctus Albertus ſuper hac juſſione fratrem conſolatur, ſpondétque ſe ad patruum Arduennæ Ducem conceſſurum, donec explorata Metropolitani Colonienſis voluntate, vel repulſa, Remenſem adire poſſet. Colonienſis Imperatoris territus minis Alberto conſulit, ut Remos petat, ubi ab Archiepiſcopo ob natalium ejus ſplendorem, egregiáſque animi dotes ſuſcipitur, viſitatur à Clero & Urbis Proceribus, obtunétque ut peregrinationem, quam Archiepiſcopus ad ſanctum Jacobum propediem aggredi parabat, modicum differret. Hic igitur qui precedenti hebdomada Johannem in Cameracenſem Epiſcopum conſecraverat, ſabbato Quatuor-temporum Preſbyteratûs ordinem beato Alberto contulit, die verò Dominica ante feſtum ſancti Matthæi eumdem charactere Epiſcopali inſignivit, Henrico Arduennenſi Patruo preſente, ac univerſa pagi Remenſis nobilitate. Obſervatum à quibuſdam, quod cum liber Evangeliorum ei de more præſentaretur, Epiſcopos hunc aperientes in hanc paginam incidiſſe ubi ſcriptum eſt: *Miſit Herodes Rex manus & tenuit Iohannem & vinxit eum in carcerem* Archiepiſcopus hoc pronoſtico futuras perſecutiones

Sanctum Albertum Româ rediêſ Abbati Lobienſi anulum ab antiquo habenti mitram attulit. Vide frag. vitæ S. Vrſmari Lobieſis apud Quercet. tomo 1.

Matt. 14. 23.

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1192.

perſecutiones, quæ illi ſubeundæ erant, præſentiens ſic eum eſt affatus, *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore & prepara animam tuam ad tentationem.*

Expletâ conſecratione patruus ei fidelitatem præſtitit, adſtantibus Leodienſis Eccleſiæ deputatis, & Bullonienſi Caſtellano; tum Archiepiſcopus felicitatem ei adprecatur, eúmque Eccleſiæ Remenſi commendans ad ſanctum Jacobum in Gallicia profectus eſt, unde non rediit ante annum ſequentem. Sanctus Albertus die feſto ſancti Matthæi pontificaliter celebravit in principe Eccleſia, coram Remenſis urbis Proceribus, juſſitque oblationes pauperibus erogari: die ſequenti fit concurſus Nobilium extra civitatem, armorúmque ludicra concertatio, in qua Arduennæ Comes multum gloriæ retulit; at diei hujus ſerenitas ſubinde in luctum verſa eſt, allato nuntio Imperatoris adventûs ad urbem Leodienſem cum Balduino Hanonienſi, & Pſeudoepiſcopo, ubi qui à partibus Summi Pontificis, & Alberti ſtabant, peſſimè accepti, inter alios Henricus Lovanienſis cui jubetur hominium Lothario exhibere tamquàm legitimo Præſuli, tum Imperator cum ſuis Trajectum ſe recepit. *Eccl. 2. 4. 1.*

Interea-temporis quidam Hugo Vvormacenſis Alberti familiæ *hoſtis* infenſiſſimus ſperans ſe gratum Imperatori obſequium facturum ſi præfatum Epiſcopum è medio tolleret, cum quibuſdam furſiferis, & carnificibus conſpirat in Eccleſia B. Servatij, & ut ad finem intentum tam enorme crimen celeriùs perduceret, tres ex ſceleratioribus Remos ablegat, ubi S. Epiſcopus cum inſigni pietate, patientia & caritate vitam ducens ſalutares hoſtias Deo, & ſacrificium contriti cordis ſtudebat offerre. Satellites quibus anima venalis erat, & ad omne ſcelus parata diſcedentem ab altari conveniunt, eúmque fictis ſermonibus, & ad fraudem concinnatis ſalutant, Epiſcopus eâ humanitate hos excepit, quæ ſibi innata erat, & familiaris, causámque adventûs, & quo tenderent percontatur: reſpondent ſe Panetarium Imperatoris caſu occidiſſe, & ob id relictâ patriâ in eam convolâſſe Civitatem, quæ Præſuli optimo præbebat hoſpitium, cujus abſentiam ægrè ferebat univerſa Germania.

Alberti columbinâ ſimplicitate ſic deceptâ, parricidæ aditum ſibi parant ad ipſius domum, fictitia narratione domeſticorum paſcentes animos, attenti interim quo tandem modo facinus ad exitum perducerent, nec deerant quibus horum ſuſpecta eſſet converſatio: at Epiſcopus omnem à ſe abigebat timorem, nihílque tunc illi acerbiùs videbatur, quàm deſtitui omni ope, ac parentum ſubſidio, unde brevi coactus eſt ſupellectilem, admodum licèt tenuem, equóſque pro expenſis venales exponere. Quodam die contigit Epiſcopum cum paucis extra Urbem velle ſpatiari; proditores occaſionem ſibi adeſſe rati, hunc comitantur quatuor alijs adaucti, qui eos ſummo mane convenerant, víxque à porta civitatis quingentos paſſus aberat, cùm ſubitò in eum crudeliter irruunt, vulnerant in capite, brachio & manu, humíque proſtratum tribus & decem ictibus confodiunt, tum in fugam verſi ad Imperatorem advolant, equúmque ei offerunt Præſulis turpiter ab eis interfecti. Ad famam patrati ſceleris tota pæne Remenſis concuſſa eſt civitas, Robertus Præpoſitus ſe pro creditoribus gerens, quoſdam ex domeſticis Epiſcopi extra clauſtrum repertos ad vincula conjecit, audaciores quidam homicidas perſecuntur; at ipſi admotis calcaribus Regni fines attigerant. Clerus & populus lugubri hac morte graviter ſauciati ad locum martyrij ſe conferunt, corpúſque vulneribus confoſſum, & exanime honorabiliter collectum, ac panno ſerico involutum ad Eccleſiam deferunt; ubi exequijs, eo quo licuit apparatu, peractis, cum indumentis pontificalibus terræ mandatum eſt, juxta altare tunc in navis meditullio poſitum, & ſub majori crucifixo inter tumbam

Nō greſſus ſed paſſus geometrici in quinque pedibus conſtant.

Horridè tempora ejus, cerebrum & caput effregerunt: Ægidius Leodienſis.

Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopi cujuſdam, & marmor rotundum, quo martyrij locus ſancti Nicaſij tegitur, birrum ſanguine tinctum in theſauro Eccleſiæ reſervatum eſt, anulus verò, quem cum digito puer quidam repererat, ad Abbatem Lobienſem miſſus. Internecio hæc contigit VIII. Calend. Decem. an. 1192. ex Martyrologio Remenſi, & ut poſteritati altiùs conſignaretur hoc epitaphium lapidi exaratum eſt, in quo Epiſcopus ſic loquitur. VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1192. *Anno ætatis 8 Alberti 27.*

LEGIA ME LEGIT, ELECTUM ROMA PROBAVIT
REMIS SACRAVIT, SACRATUM MARTYRIZAVIT.

Paulus V. B. Albertum peculiari diplomate Sanctorum faſtis inſcripſit.

Antonius Sanderus Vates inſignis & Iprenſis Canonicus verſibus quibuſdam heroïcis egregiè ei parentavit, quos Frizonius citat, & refert in *Gallia purpurata* sicque incipiunt.

Auſtraſia culmen, Lotharingæ clara propago
Gentis, & alta Ducum ſoboles, auguſta tuorum
Gloria, ſalve Heros, Alberte ô inclite ſalve
Gemma Patrum, niveo quos infula vinxit amictu,
Salve Heros, pulcro qui relligionis amore
Incenſus, ſacrum pro libertate cruorem
Fudiſti impavidus, &c.

Alberti ſanctitas quibuſdam miraculis mundo propalata eſt, quorum nonnulla ab Ægidio Vallis-Aureæ Monacho in Hiſtoria Leodienſi relata ſunt, ubi etiam habetur multos è Remorum civibus flammulas radiantes noctu ſæpius vidiſſe juxta locum ubi Sanctus occubuerat; erectus quoque eſt titulus, ſive crux ibidem quatuor columnis ſubnixa ob tanti viri recordationem, quæ non ita pridem adhuc exſtabat: corpus verò per quadringentos & amplius annos, haud licèt incognitum, ſub terra latuit, ſine monumento altius erecto, propter aditum quem pulpitum præbet ingredientibus in chorum, ſub cujus fornice tumba raſa cernebatur. At anno 1612. Archiduces ſereniſſimi Albertus & Iſabella, conſentiente Ludovico XIII. Francorum Rege Chriſtianiſſimo, ab illuſtriſſimo Cardinale de Guiſia Archiepiſcopo, & venerabili Capitulo Remenſi, ſancti Alberti corpus obtinuêre. Effoſſo igitur tumulo, integrum illud repertum eſt in ſarcophago lapideo, & per aliquot dies in choro Eccleſiæ expoſitum, panno ſerico coopertum, cereis hinc inde accenſis, donec indicta generali ſupplicatione, à Clero extra portas Civitatis honorificè deportatum eſt, uſque ad ſuburbanam Eccleſiam S. Andreæ, Guidone Bentivolo apud Flandros Internuntio apoſtolico præſente, qui & ſupplicationi interfuit. Inde verò Bruſſellas, per vicos & urbes exhibitus honos ſacroſanctis Reliquijs operâ Alberti Auſtriaci, qui ſuis humeris in Carmelitanarum Eccleſiam à ſe à fundamentis exſtructam eas deportavit, numeratis à venerabili Capitulo deputatis Canonicis, exquiſitiſſimòque cum lypſanotheca ad celebrandum conceſſo ornamento, quo ſolemnioribus feſtis utuntur. Ceterum obitûs ſancti Alberti meminit Remenſe Martyrologium his verbis:

VIII. Calend. Decemb. obÿt Albertus Leodienſis Epiſcopus frater Ducis Lovanienſis pia recordationis vir, auctoritate apoſtolica Remis à domino Vvillelmo Archiepiſcopo in Presbyterum ordinatus, & in Epiſcopum conſecratus, novem ſeptimanis ac duobus diebus à conſecratione elapſis, prope muros civitatis Remenſis ab Alemannis traditoribus, gladÿs & cultellis interfectus.

Idem habet Martyrol. S. Nicaſii Rem. & S. Martyrum Timothei & Apollinaris.

VVILLELMUS LI. ARCHIEP. An. 1192.

Sub Vvillelmo Remenſes Canonici recedunt à communitate, eiſque idem Archiepiſcopus jus impertit habendi ſervientes liberos in banno ſuo.

CAPUT XIV.

OPPORTVNUS hîc differendi locus occurrit de veteri Canonicorum Remenſium diſciplina, corúmque conſueto more ſimul convivendi, quem ad hoc uſque tempus perſeverâſſe probant epiſtolæ ſtatim edendæ, aliàque monumenta cunctis obvia; tantam enim ob id ſibi gloriam pepererant per univerſam Galliam (alijs cathedralibus Eccleſijs dudum emancipatis) ut viri graves, qui per id tempus floruerunt, Remenſes in moribus, quibuſlibet præferre non dubitârint. Tenax illud convivendi propoſitum teſtatur Canonum obſervantiam inſigniter apud eos viguiſſe, tantámque in TONSURA, veſtibus, & inceſſu modeſtiam, ceremonijſque eccleſiaſticis adamuſſim explendis diligentiam, ut nihil à quoquam contra ſtatuta fieri, aut impunè omitti liceret. Quod innuere videtur rigidus ille juniores increpandi modus, & corrigendi à Biographo S. Alberti poſteritati mandatus, exemplo Subdiaconi cujuſdam adducto, cui cùm pœna, ob leve forſan crimen, ſibi impoſita, gravior videretur, nec eam ſubire vellet, interdicto ſuppoſita eſt Eccleſia die feſto Omnium-Sanctorum, donec coram Capitulo (beato Alberto conſulente) id quod impoſitum ei fuerat, tandem explevit.

At cùm nihil ſit expers mutationis, cunctáque ſint ſub cælo viciſſitudini obnoxia, paullatim apud eos deſijt ſocialis illa communio, ſeu vita apoſtolica, quâ hactenus inter alias Regni celebriores Eccleſias eminebat; quo autem anno id contigerit, dictu non eſt facile. Probabile eſt primùm Canonicos deſueviſſe ſimul in eodem refectorio epulari, non quidem omnes & ſemper, ut fiebat antiquitus, ſed quoſdam dumtaxat per vices adfuiſſe ſolitos, initio ſingulis diebus, tum ſtatis temporibus, poſtremò ſollemnioribus feſtis, quod per multos annos perſeverâſſe reperio.

Sed ne gratis hæc protuliſſe videar, Guarini Abbatis ſancti Victoris Pariſienſis epiſtolam ſubjicio, qui ſedere cœpit anno 1173. deſiitque 1194. tum Stephani ſanctæ Genovefæ auream, & inſignem epiſtolam paullo uberiorem eâ quæ typis an. 1611. excuſa eſt. Innocentij III. reſcriptum poſtea deinde referam, demum Alexandri IV. quo patebit vitam communem, ſub eo Canonicis ad propria cænacula converſis, penitùs antiquatam fuiſſe, ac diſſolutam.

Guarini Abbatis ſancti Victoris Pariſienſis epiſtola ad Decanum, & Canonicos Eccleſiæ Remenſis.

Objit hic Guarinus 17 Novemb. anno 1194. ad cum ſcribit Cæleſt. III.

» VEnerabilibus dominis & Patribus Magiſtro R..... Dei gratiâ ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Decano, & reverendo ejuſdem loci collegio » Fr. Guarinus pauperum ſancti Victoris in Pariſienſi miniſter humilis: corda » filiorùm converti ad Patres, & eorùm ſanctis inhærere veſtigijs. Urget » nos devotus fraternæ caritatis affectus, corúmque nos dilectio ammonet, » qui Dei æmulatione noſtrum æmulantur honorem, & humilitatem, ut » paucis noſtra vobis ſcribat humilitas, cariſſimi Patres & domini, nec eſt » aliquid unde magis noſtram exaudire teneamini parvitatem, quàm de hijs quæ

quæ pro honore Dei, & animarum veſtrarum ſalute monemus. Quoniam « VVILLEL-
peccatis exigentibus, ut quotidiana experientia probat, abundante iniqui- « MUS. LI.
tate caritas refrigeſcit, & ferè ubique terrarum audiuntur hodie muta- « ARCHIEP.
tiones fieri, vel de bonis ad mala, vel de malis ad peſſima, cùm pecca- « *An.* 1192.
torum ſanguis jam de terra multiplicius ad Dominum clamet, Chriſtianitas «
jam in opprobrium veniat, glorioſus etiam ſanctæ Eccleſiæ ſtatus jam die- «
bus iſtis ex parte maxima obſcuretur. Mirum quòd viri virtutum ANTI- «
QUAS SANCTORUM PATRUM INSTITUTIONES immutari, pro «
quorumdam minùs provida voluntate, minùs quàm liceret indebitè «
ſuſtinent, in horrendum Dei judicium non timent incidere, cùm ſe murum «
pro domo Domini non opponunt. «

Dolendum non mediocriter cariſſimi Patres, & erubeſcendum quòd in «
glorioſa Matre veſtra ſacroſancta Remenſi Eccleſia, flebilis hic rumor «
inſonuit, de reſiduis ſanctæ diſciplinæ veſtigijs non ex parte, ſed ex toto «
delendis, fieríque incipiat tam nobilis clerus idem ac populus, & qui inter «
omnes ſummas totius Regni Eccleſias religionis antiquæ, & honeſtatis «
omnibus ſpectaculum tam ſingulare priùs relucebat, ſuaviſſimi odoris famam «
in infamiam commutare geſtiat, celebrémque primitus gloriam in igno- «
miniam ſæcularis cupiditatis perpetuam. «

Moveat igitur vos reverenda prædeceſſorum veſtrorum auctoritas, mo- «
veat ſanctæ Matris veſtræ primitivus honor per tot retro generationes in- «
concuſſè hactenus perſeverans, ſingulariſque privilegij in diſciplina, & «
honeſtate ſupereminens dignitas. Cavete cariſſimi ne ſe ſpiritus malignus «
transfiguret in Angelum lucis, ſuſpecta ſit omnis ſanctarum inſtitutionum «
mutatio, quæ verè eſſe non poteſt dexteræ Excelſi, cùm glorioſæ Patrum «
veſtrorum auctoritati ſit omnibus modis adverſa. Multi hodie in Eccleſijs «
pluribus quæ ſua, non quæ Dei ſunt, quærentes, implere loculos quærunt; «
ſed vos oculos habere ſtudeatis ad Dominum, ut tanquam veri Chriſti «
diſcipuli unanimes habitetis in domo, & cuſtodire diligentiùs curetis, & «
impoſterum providere quæ Chriſti pauperibus ſollicitè fuerint partienda, «
quàm quæ effuſa prodigalitate ſunt approprianda divitibus. «

Stephani Abbatis ſanctæ Genovefæ Pariſienſis epiſtola ad Decanum & Canonicos Remenſes de eadem re.

Hic electus & conſecratus fuit Epiſcopus Tornacenſis anno 1191. obyt 3. Idus Sept. an. 1203.

REverendis in Chriſto dominis & Patribus Decano & toti ſacro Collegio Remenſis Eccleſiæ, Stephanus ſanctæ Genovefæ quantuluſcumque miniſter: ſalvere, & debitam antiquis Patribus reverentiam exhibere. Inter confidentiam ſpei, & timoris exſanguem deſidiam, tam ſanctæ « congregationi minùs ſpontaneus, quàm coactus, magis ut arbitror offi- « cioſus, quàm audax ſcribere præſumpſi, finem intenſionis meæ dubium « ſuſtinens, & incertum: id ſolùm mihi ſolatij ſupereſt, quàm ſi repulſam « patiatur, incauſtum non rubet; ſi non exaudiatur epiſtola, verecundiam « non incurrit. Proinde ſuſtinete modicum quid inſipientiæ meæ, Patres, & « *Hic incipit epiſtola in edi-* Collegium magnum puſilli hominis commonitorium non contemnat. Exijt « *tione Pariſienſi an. 1611 & in multis diſſentit ab originali.* ſermo inter plures funebrem potius, quàm celebrem rumorem denuntians, « quòd antiqua Patrum veſtigia ſacris inſtituta Concilijs, & àglorioſa hac- « tenus Remenſi Eccleſia diutiùs obſervata, quidam ex vobis immutare con- « tendunt, ut illud unitatis, ſeu modicum, ſeu magnum quod refrigeſcens « caritas reliquerat inter vos, per ſemicinctia particularium dividant, & « propria communibus anteponant, laminam auream religioſæ conſuetu- « dinis, & regulæ, quæ in fronte tantæ Metropoleos appoſita lucet om- « nibus qui in Regno ſunt, factum ne dicam furtum Acham filij Charmi « tranſcendentes volunt delere, dejicere, conculcare. «

VILLEL-MUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1192.

„ Singulari quodam privilegio ſedes hucuſque Remenſis inter alias Gal-
„ liarum Eccleſiarum Eccleſias eminebat perſeverans cum Apoſtolis in com-
„ municatione fractionis panis, & oratione, & in ſociali communione ſacra-
„ mentalem præferens, majoribus erat ſpeculum, æqualibus exemplum,
„ minoribus documentum. Ex reliquijs regularium inſtitutionum duo ſibi
„ canonica loca Canonici retinuerant, cœnaculum refectionis & domum
„ ſomni; in altero caſtigatam ſequentes abſtinentiam, in altero caſtigatam
„ continentiam obſervantes. Procedentibus unanimiter de Miſſa ad menſam,
„ de ſpirituali refectione ad corporalem, præmiſſa invocatione dominica, &
„ ſigno benedictionis ſuper cibum extenſo, reficiebant convivæ Domini mi-
„ nus ventrem, quàm mentem, ſub ſilentio cultu juſtitiæ ſonante per mini-
„ ſterium lectoris divino eloquio, nunc admonendo præceptis, nunc pro-
„ hibitionibus coercendo, interdum adigendo minis, & terroribus, non-
„ numquam blandiendo conſolationibus, & promiſſis. O felices epulæ,
„ quæ non crapulam provocant, ſed ſobrietati deſerviunt, & poſtquam
„ ſumptæ fuerint, gratiarum actione clauduntur, relinquentes pauperibus
„ alimoniam corporalem, & convivis ſuis ſpiritualem fructum ſervantes,
„ Apoſtolicum erat de communi ſumere, & in communi vivere.

Sic al Ægidio Leodienſi qui tunc florebat, Eccleſia Remenſis vocatur Mater & jucunditas totius Regni *cap. 14. vitæ S. Alberti. Et à Lariſvilla in vita S. Remigij.*

„ In his & alijs regularibus obſervantijs incedebat Remenſis Eccleſia,
„ terribilis ut caſtrorum acies ordinata, amabilis ſuis, admirabilis alienis.
„ Si hæc immutari cœperint, quid dicet germana ejus, loco & ordine Ger-
„ mania, quæ inter alias inſtitutiones canonicas refectionis adhuc & quie-
„ tis fraternam communionem ſic obſervat, ut modernam diſſolutionem
„ non admittat. Clamabit vel compatiens, vel inſultans: ***Quomodo obſcu-***
„ ***ratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?*** De regularibus autem ædi-
„ ficijs tanquam umbraculum in vinea, & tugurium in cucumerario derelictis,
„ & ad alios uſus forſitan diruendis ſubjunget: ***Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij***
„ ***in capite omnium platearum.*** Clamabunt & Gallicanæ Eccleſiæ, diſpen-
„ ſationis levamen libentius admittentes, quàm in communibus ædificijs au-
„ ſteritatis rigorem: Ecce Remenſis Eccleſia facta eſt quaſi una ex nobis,
„ conſortio ſuo verecundiam noſtram tegens, auctoritate ſua negligentiam
„ noſtram defendens. Uterque cantus iſte lethale potius epitaphium, quàm læ-
„ tum epithalamium dici poteſt. Uſurpabant ſibi hactenus, nec immeritò, Pa-
„ riſienſis civitas doctrinam, Remenſis Eccleſia diſciplinam. Illa utrumque in
„ ſcholari ſtudio retinet quod incœpit, hæc ſi in clauſtrali exercitio declinare
„ cœperit, periculo proxima eſt, nec longè à lapſu. O reverendi & ſenſati
„ Patres, quis vos faſcinavit? Tolletis gloriam veſtram, & dabitis inſultanti-
„ bus, qui vel invidentes detrahant, vel imitantes tripudiant. Si de communi
„ refectione portiones nummariæ concurſantibus ad Horas dividantur, vereor
„ quod verum eſt, ne Remenſes glorioſi quondam, & tamquam lucerna ſu-
„ per montem poſita ſplendentes, potiùs mercenarij quàm filij, tributarij
„ quàm Canonici, ſtipendiarij quàm milites appellentur. Comburatur li-
„ bellus ille de vita Clericorum, qui à ſanctis Patribus totius Regni & Im-
„ perij Aquiſgrani conſcriptus eſt, & poſteris tamquam hereditas teſtamento
„ relictus ſub Ludovico Pio Caroli ſucceſſore, diruantur ædificia cum *ipſo*
„ clauſtro in circuitu regulariter diſpoſita, & habitent in eis hyenæ, & eri-
„ cij, & piloſi ſaltent alter alterum.

Thren. 4. A. 1.

Ibid.

Piloſi *ideſt* incubi.

„ Occurrite Patres expanſis brachijs, & apertis viſceribus pernicioſæ no-
„ vitati reſiſtite, & virilem animum, quem de vobis communis opinio præ-
„ dicabat erigite in certamen, abſit ut juventuti ſingulariter, ne dicam ſæ-
„ culariter vivere volenti, Decanus ſeneſcens, vel majores alij obediant, ne
„ alicujus obtentu gloriolæ, vel favoris ventus contrarius conculcet in terra
„ famam veſtram, & gloriam veſtram in pulverem deducat. Scio manſue-
„ tudinem domini Archiepiſcopi tantam eſſe, ut cùm caritate, quæ omnia
ſuffert,

Digitized by Google

ſuffert, omnia ſuſtinet, voluntate eorum, qui hanc immutationem quæ- « VILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1192.
runt, in principio vincetur, maximè cùm generalis Eccleſiæ Gallicanæ « MUS. LI.
conſuetudo ſingulares portiones Canonicis ſuis diſtribuat, & ſummi « ARCHIEP.
Pontificis auctoritas non reſiſtat. Sed verum ſcio, tantam ejus honeſtatem, « An. 1192.
& prudentiam eſſe, quòd antiquam Remenſis Eccleſiæ dignitatem con- «
ſervabit in omnibus, & à concepto, ut aïunt, incœptóque propoſito de- «
fiſtet, ſi hæc ei majores aliqui de ſacro Collegio perſuadere voluerint, & «
ne deformem hanc novitatis formam permittat induci, vel amovere viri- «
liter, vel humiliter ſupplicare. «

Reſcriptum Innocentij III.

INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilectis Filijs Decano, & « *Innocentius III ſedere cœpit 8, Ianu. an. 1198.*
Capitulo Remenſi: ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licèt frigeſ- «
cente caritate quorumdam, & diei ſuperexcreſcente malitia pænè penitus «
univerſi paullatim, ac ſucceſſivè ab illorum perfectione ceciderint, quibus «
cor unum & anima una fuiſſe legitur in Eccleſia primitiva, & fragilitas «
noſtri temporis tantæ caritatis non admittat ardorem, & ſi non in om- «
nibus peccatorum noſtrorum ſarcinis prægravati velimus, aut valeamus «
tantæ perfectionis propoſitum imitari, debemus ſaltem à remotis, & in «
quibus poſſumus illorum quaſi adorare veſtigia, & vel illud in humilitate «
ſervare, quod ab eis ad nos eſt per prædeceſſorum noſtrorum inviola- «
bilem obſervantiam ſucceſſione quaſi hereditaria derivatum Sicut enim «
terminos à noſtris Patribus conſtitutos tranſgredi ſcripturâ prohibente «
vetamur, ſic præcipuum eorum in ſacræ religionis amore, ac forma «
eccleſiaſticæ honeſtatis, quantum poſſumus, tenemur ſequi propoſi- «
tum, & laudabiles conſuetudines, & traditiones eorum reverenter & in- «
violabiliter cuſtodire; ne ſi aliter, quod abſit, egerimus, degenerâſſe vi- «
deamur à Patribus noſtris, & non in voto eis, & deſiderio bono, ſed «
loco ſolummodo ſucceſſiſſe. Id autem etſi ſit generaliter omnibus, & ſin- «
gulariter univerſis, ſubtiliter ac ſollicitè providendum, illi tamen qui ma- «
jorem in Eccleſia Dei locum obtinent, & quorum mores & actus ſu- «
muntur ab alijs in exemplum, tantò id debent accuratiori diligentia & «
ſubtiliori meditatione penſare, quantò turpius eſſet ſuper candelabro, «
quàm ſub modio fumigare lucernam, & nequam oculus deformiùs, quàm «
membrum aliquod latitans, & deformaret corpus, & redderet tenebroſum. «
Sanè cùm inter univerſas ferè mundi provincias, tam dote ſcientiæ, quàm «
virtutum odore, gravitate morum polleat provincia Gallicana, & in ea «
Remenſis Eccleſia metropolica fulgeat dignitate, tantò decet nos am- «
pliorem ſervare tam verbis, quàm operibus honeſtatem, quantò locus «
ſublimior minus tutum inhoneſtati veſtræ latibulum exhiberet, & vos à «
prædeceſſorum veſtrorum propoſito turpiùs caderetis, cum nævus manife- «
ſtior ſit in corpore nitido, & homo in facie deformiùs mutiletur. «

Accepimus autem quòd in eadem Eccleſia hæc fuit antiquitus conſue- «
tudo ſervata, quòd univerſis è Canonicis & unum erat refectorium, & «
menſa communis, in quo etſi non omnes diebus ſingulis, omnibus tamen «
diebus Canonici eorum aliqui comedebant, omnes pariter uſque adeo pie- «
tatis operibus inſiſtentes, & pauperibus, & infirmis hoſpitalitatis impenden- «
tes affectum, ut non ſolùm eis per alienos neceſſaria miniſtrarent, ſed De- «
canus, & Canonici certis temporibus ad hoſpitale quoddam huic «
operi deputatum perſonaliter accedentes lotis, & exterſis pauperum «
tum manibus, tum pedibus, oſculatis etiam in humilitatis exemplum, « *Capituli Remẽſis quanta olim obſervantia.*
propinarent ſingulis ſumtus ſuos, & ad Eccleſiam poſtmodum cum pro- «
ceſſione redirent. Dicitur etiam quòd in coercendis, & puniendis exceſ- «

WILLELMUS II. ARCHIEP. *An.* 1192.

„ sibus tantus rigor servabatur, ut si falsò etiam alicujus levitatis aliquis „ argueretur Canonicus, non prius se præsumeret excusare, quàm flexis „ coram Decano & Capitulo genibus, & terrâ deosculatâ, veniam humi- „ liter postulâsset. Licèt autem adhuc in eadem Ecclesia satis honestè præ- „ dicta serventur, in frequentatione tamen mensæ communis vos exhibetis „ non modicum negligentes, cùm nec omnibus è vobis, nec omnibus die- „ bus, sed certis aliquibus in communi refectorio ministretur; factúmque „ sit per negligentiam vestram interpolatum, quod esse continuum præde- „ cessorum vestrorum temporibus consueverat. Gratum igitur, & acceptum „ habentes quod Apostolatui nostro de vobis generaliter est relatum, „ discretionem vestram monemus, & exhortamur in Domino, & per apo- „ stolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatinus pijs operibus insi- „ stentes prædecessorum vestrorum adhæreatis vestigijs, mensam commu- „ nem sicut olim assiduè frequentantes, solliciti super exhibendo pauperibus „ hospitalitatis obsequio, & ferventes in excessibus corrigendis.

„ Tu quoque Fili Decane, sic in delinquentes rigorem exerceas ec- „ clesiasticæ disciplinæ, ne aliorum excessus, si remanserit incorrectus, tuæ „ negligentiæ rationabiliter imputetur, & si neglexeris perturbare perver- „ sos, quos cohibere potes, & debes ex collato tibi officio Decanatûs, con- „ vincaris eos in sua perversitate fovere. Noveritis autem quod dilectum „ filium Ja.... & Canonicum vestrum, quem nobis per litteras vestras „ commendare curâstis, benignè recepimus, qui laudabiliter, & honestè „ apud Sedem apostolicam commoratur. Datum Laterani 7. Idus Decem. „ Pontificatûs nostri anno tertio.

Rescriptum Alexandri IV.

Electus 21 Decemb. an. 1254

„ ALexander Episcopus Servus servorum Dei dilectis Filijs De- „ cano, & Canonicis Remensis Ecclesiæ: salutem & Apostolicam „ benedictionem. Quantò plures in vos oculos suos intendunt & doctrina, „ & exemplo viam salutis sperant discere, ac tenere, tantò amplius vos in „ mandatis Dei exerceri oportet, & sequentibus in vobis ipsis ostendere quâ „ virtute, atque cautelâ per viam vitæ debeant ambulare. Sanè hoc retroactis „ temporibus, sicut celebris se relatio multorum habebat, ab antecessoribus „ vestris laudabiliter servabatur, qui hoc studij videbantur habere, ut sicut „ adjacentibus Ecclesijs dignitatis ordine præeminebant, ita etiam eas hone- „ statis formâ, & virtute operis anteïrent, & sicut erant in virtute per offi- „ cium, ita nihilominùs primi essent per virtutis exemplum. Lucebat inter eos „ forma honestatis in habitu, & de communi refectorio, juxta traditionem „ canonicam, & refectionem cotidianam cum gratiarum actione sumebant, „ proveniebant ex hoc subsidia non parva pauperibus, & in minori sub- „ stantia, major erat providentia egenorum. Hoc autem ideo quia pluris „ res communis, quàm propria pendebatur, & non tàm de fastu sæculi & „ divitijs, quàm de compositione morum, quantùm de rectitudine vitæ „ fiebat æmulatio inter eos.

„ Nunc autem, quod sine animi dolore non dicimus, paulatim moribus „ ex abundantia depravatis, & communi utilitate per studia privata con- „ sumptâ recessistis singuli ad cœnacula vestra, & communem mensam ad „ susceptionem hospitum, & provisionem pauperum omisistis, in quo plu- „ rimùm formidamus, ne cum discessione corporum, discessio secuta sit, „ vel præcesserit animorum: & sicut non probavistis in loco uno refectio- „ nem accipere, ita etiam non in una voluntatis concordia incedatis, & „ contingat vobis quod dicit Dominus per Prophetam: *Olivam uberem,*

Ierem. II. C. 16. „ *speciosam vocavi nomen tuum; ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea,*

&

Digitized by Google

& combuſta ſunt fruteta ejus. Illud etiam timemus dici poſſe quod legitur: « *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Ne propter hoc vobis, cùm in die judicij ſi tacuerimus, addicamur, univerſitatem veſtram exhortatione noſtra duximus excitandam per apoſtolica ſcripta monentes, & ſub divini judicij commination mandantes, atque præcipientes, quatenus ad antiquitatem veſtram reſumpto ſpiritu redeatis, & quod in communionem menſæ proviſione pauperum, compoſitione veſtium, ſedulitate officij, atque alijs honeſtis operibus inter vos noſcitur vanitate ſubrepente dilapſum, ad honeſtatis formam, & ſtatum priſtinum reducatis, & cogitetis, quod habenti Eccleſiæ in Apocalipſi precipitur: *Memor eſto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: alioquin veniam tibi citò & movebo candelabrum tuum de loco ſuo.* Cogitate itaque quod ſint illi, quorum cura vos reſpicit, & qui ſive in bonum, ſive in malum veſtra opera æmulantur, & videte ne quibus debetis eſſe odor vitæ in vitam, eiſdem potius odor mortis in mortem, quod avertat Dominus, exiſtatis. Non differatis de die in diem, nec trahamini multitudine delinquentium, ſed reflorete in gratiam, & talem fructum afferte, qui non carne intereat, ſed cum ſpiritu Dei vivat, & maneat in æternum. Datum Anagniæ 3. Idus Junij.

« Vvillelmus lib. archiep. *An.* 1192. *Thrē. 4 A.1.* *Apoc. 2 B. 5.*

Has igitur per id tempus Capitulum Remenſe parænetica, ſeu etiam increpatorias ſuſcepit epiſtolas, quæ in MS. codice *pro refectorio Remenſis Eccl.* inſcribuntur. Cur verò Abbates S. Victoris, & S. Genovefæ imprimis ægre ferrent ejuſmodi vitæ ſocialis extinctionem; opinor quod cum à regularibus, ſi vota excipias, ſæculares Canonici haud multum differrent, quippe qui ſequerentur Statuta Concilij in Aquiſgrani palatio Ludovici Pij juſſu, an. Domini 816. celebrati pretiumoperæ ſe facturos exiſtimâſſe, ſi à primæva vivendi conſuetudine hos recedere non paterentur. At ſplendor Curiæ Archiepiſcopalis, jugis inter nonnullos diſcordia, juniorum procacitas erga Decanum, qui nimium eis ſeverus videbatur, diſciplinæ rigidioris importuna ſervitus, & ſi quæ ſunt aliæ rationes, majoris apud eos ponderis fuerunt, quàm tot Præſulum monitiones. Sunt qui ſcribant prædictam mutationem Vvillelmo non diſplicuiſſe, quòd hoc anno Canonicis ſingulis privilegium conceſſerit habendi ſervientem liberum & immunem in banno ſuo, præſtito priùs fidelitatis juramento coram Decano, ad quem ſpectat inquirere, an is qui preſentatur ſit idoneus, & bonis moribus: hic autem ſervus, ſeu burgenſis ſemel oblatus & receptus mutari non poteſt per Archiepiſcopum, vel Canonicum, niſi morte intercedente, ceſſione, vel permutatione Canonicatûs, & tunc gratis & ſine pretio civitate donatur, ut plenius habes in charta, quæ cum trita ſit, & omnibus obvia huc adferre operæpretium non putavi.

Idem Archiepiſcopus obſequia dudum ab Abbatibus Ss. Remigij, Nicaſij & Dionyſij præſtita, ſingularemque in eum propenſionem ſolitâ gratitudine compenſare cupiens, ſingulis horum facultatem conceſſit habendi ſervientem unum, ſeu burgenſem liberum in banno ſuo cum eadem immunitate, qua fruentur burgenſes Canonicorum. Charta pro Remigianis ſic incipit.

Vvillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, S. R. E. tituli S. Sabinæ Cardinalis, apoſtolicæ Sedis Legatus: omnibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra quòd cùm Eccleſia beati Remigij Remenſis nobis in omnibus tam obnoxia ſemper teneatur, quàm devota, nos penſantes quam ei reddere poſſemus recompenſationem, conceſſimus, & dedimus ei unum de burgenſibus noſtris Remenſibus mediæ æſtimationis, burgenſem liberum, & emancipatum « *An.* 1196.

VILLELMUS. LI. ARCHIEP. „ cipatum à nobis ea libertate, quâ communes Eccleſiæ noſtræ majoris „ ſervientes habentur in pace perpetuò habendum & quietè, &c. „ Actum anno 1196. Datum per manum Matthæi Cancellarij.

An. 1192. Charta ſancti Nicaſij pro Burgenſi libero ijſdem ferè terminis conſtat, nititúrque obſequijs, & familiaritate Guidonis Abbatis in Archiepiſcopum benefactorem, cui viciſſim, ut grates rependeret, promiſit ſe habitum religionis conceſſurum ei Novitio, qui ab eo, vel ſuis ſucceſſoribus ſibi in jucundo adventu præſentaretur.

Charta incipit Willelmus, &c. Ex injuncto nobis officio.

Eodem anno Vvillelmus Archiepiſcopus Eccleſiam ſancti Dionyſij Remenſis, & Canonicos in ea Deo famulantes cum omni jure, libertate, beneficijs, & poſſeſſionibus quas tunc temporis poſſidebant ſub B. Virginis, & ſua ſuſcepit cuſtodia, altaribúſque ſigillatim numeratis eiſdem à benefactoribus conceſſis, quibus pacificè potiebantur. Meminit modij frumenti pro eleemoſyna Samſonis Archiepiſcopi, quem percipere debebant in decima pridem empta à Galchero de Caſtellione. Item duodecim librarum, & duodecim ſolidorum in ſingulis feſtivitatibus, *quibus procurationem habent*, inquit, *in Eccleſia B. Mariæ, cum decem panibus, & decem tertiolis vini de refectorio ad opus infirmorum*, quæ omnia indicant Canonicos in feſtis ſollemnioribus ſimul comedere conſuevisſe.

De pago Virtudiſo, ac Decaniæ ſancti Johannis apud Virtutum erectione Henrici Comitis Trecenſis ſtudio & liberalitate, ubi manus Sanctæ Catharinæ Virginis religiosè, tamquam immortale depoſitum adſervatur.

CAPUT XV.

VETUS, ac celebre eſt in Campania pagi Virtudenſis nomen pro toto juriſdictionis tractu pagi ſumpta ſignificatione. Hujus primùm fit mentio, quod ſciam, in diplomate Ludovici Pij apud Flodoardum, quo prædia dudum ab Epiſcopio Remenſi ablata reſtituuntur. *Nec non villa*, inquit, *quæ dicitur Verna in pago Vertudenſi.* Item in Capitularibus Caroli Calvi Virtudiſi pagi nomenclaturam ſibi vendicat, cùm de Miſſis agitur per Miſſaticos ordinatis apud Silvacrum anno 853. Quam verò latè pateret, nobis incognitum: forſan eas villas continebat, quæ nunc Comiti ſubduntur. Ceterum non à villa, ſed à pago Virtudenſe nomen manâſſe probabile, ut de Moſomo ſupra diximus, à pagis enim urbes, caſtra, aut municipia denominantur; at Virtuti nomen vix exſtat, niſi apud medij ævi Auctores. Flodoardus ſcribit privilegium Fulconi miſſum à Formoſo ſummo Pontifice pro quibuſdam villis per precarias ab eo obtentis, inter quas recenſet Duodeciacum, Margolium, atque Virtudem. Hac conventione facta inter Heribertum (qui ex pervaſione eam ſibi vendicaverat) & Canonicos Remenſes ſub Adalberone Archiepiſcopo, Comitum Trecenſium juri ceſſit, etiam poſt obitum Heriberti, contra pactum in charta ſollemniter expreſſum, ubi villa Virtutis voce indeclinabili nominatur.

Lib. 2. cap. 11. Glaber Rodulfus de Leutardo hæretico plebeïo homine verba faciens, narrat apud vicum Virtutis vocabulo, in pago Cathalonico circa annum 1000. exſtitiſſe: vici autem (ſi caſtè loquatur) pagi ſunt ex pluribus villis, domibúſque ruſticis coagmentati, nullis mœnibus cincti, qualis

per

per id tempus haud dubiè Virtutum fuit, donec Comitatu Trecenſi ad Theobaldi familiam devoluto muris vallari cœpit, ac caſtelli nomine inſigniri, ex vita ſancti Arnulfi Sueſſionenſis apud Quercetanum, ubi hic Præſul Campaniam veniſſe dicitur, *Cum electis è Clero in caſtellum Tetbaldi Comitis, quod dicitur Virtutes*, Gaudétque nunc Urbis nomine, & inſignis Comitatûs prærogativâ in diœceſi Cathalaunenſi, à Durocorto novem circiter leucis ſeparata. Quomodo autem avulſa fuerit à dominio Eccleſiæ Remenſis, & Campaniæ Comitatui unita, prædicta conventio ad calcem Flodoardi cuſa haud obſcurè indicat, probántque Pontificum Alexandri, & Innocentij diplomata, ob eam Comites Campaniæ feudatorios fuiſſe Remenſium Archiepiſcoporum, verba hîc attexam. *Feodum quoque, quod ab Eccleſia Remenſi Comes Campaniæ habere dignoſcitur, confirmamus, pro quo tibi tenetur ligium homagium facere, videlicet Vitriacum, Virtutum, Regiteſtum, Caſtellionem, Sparnacum, Rouciacum, Fimas, Branam & Comitatum Caſtelli-in-Portiano, cum caſtellanijs eorum.*

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1192.

Apud Virtutum Comites Campaniæ propriam domum, ſeu palatium habuiſſe docet charta Vvillelmi Remenſis, qua Canonicorum ſancti Johannis initia referuntur, exquiſita quoque Comitis Henrici pietas, & magnificentia, quem idem Archiepiſcopus nepotem ſuum uſitato tunc vocabulo nuncupat, dignáque mihi viſa eſt quæ cum alijs hîc referatur.

An. 1191.

« Vvillelmus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus S. R. E. tituli S. Sabinæ Cardinalis: univerſis Chriſti Fidelibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint ſalutem in vero ſalutari. Quod in oculis divinæ Majeſtatis placeat templi, vel altaris ædificatio, nemo eorum ambigit, qui chriſtiana profeſſione cenſentur, ibi enim qui vulneratas habent conſcientias medicum ſalutis inveniunt, illuc oppreſſi, & onerati de quibuſcumque tribulationibus ad Deum clamaverint, accedunt curandi. Sic & in veteri Teſtamento Moyſen, & ſanctos Patriarchas, altaria conſtruxiſſe, & Salomonem templum ædificâſſe Domino legimus, ubi nomen Domini invocaretur aſſiduè, & pro univerſorum delictis decimæ & hoſtiæ pacificæ offerentur. Hujus tantæ commoditatis, quam in domo Dei Fideles cotidie percipiunt, intuitu, cariſſimus nepos noſter Comes Henricus priam domum apud caſtrum Virtuti dicari voluit Domino, & ad exhibendum ei dignum, ac devotum obſequium, Canonicos ordinari. Nos quoque in honorem beati Iohannis Baptiſtæ altare ibidem conſecravimus, & ad amplificationem ejus loci, qui novella eſt plantatio, incrementum habere non poteſt, niſi quod contulerit devotio Fidelium. Omnibus qui ad ſollemnitatem B. Johannis quæ eſt VIII. Cal. Jul. eleemoſynas ſuas erogaturi acceſſerint, ſive in vigilia, ſive in die craſtina poſt feſtivitatem venerint, viginti dies de injunctis ſibi pœnitentijs, peccata oblita, vota fracta (ſi ad eadem ſervanda redierint) & offenſas parentum, niſi manus violentas in eos injecerint, divina diſpenſatione miſericorditer relaxamus.

Datum per manum Lambini Cancellarij noſtri anno incarnati Verbi 1191. »

Idem Comes Henricus Trecenſis, prædictæ Eccleſiæ fundator munificus Hieroſolymam profecturus, decem libras in reditibus ſuis ad opus Decaniæ perpetuò aſſignandas cenſuit, quam eleemoſynam Maria Trecenſis Comitiſſa mater ejus non probavit modò, ſed & Vvillelmo fratri & Ballivis ſuis, ut nuſquam futuris temporibus omitteretur, injunxit, quam & pro ſex libris centum & viginti ſextarios avenæ indulſit, pro quatuor verò alijs cenſam ut vocat, de Roſſeio, quæ omnia clariùs conſtabunt ex charta prædicti Archiepiſcopi, quam ex Chartulario ſancti Johannis exhibemus.

Vvillelmus

Digitized by Google

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1193.

VVillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, S. Romanæ Eccleſiæ tituli ſanctæ Sabinæ Cardinalis, apoſtolicæ Sedis Legatus: omnibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra quòd cariſſimus nepos noſter Henricus Comes Trecenſis Hieroſolymam profecturus pro remedio animæ ſuæ, parentúmque ſuorum nobis commiſit ad opus Decaniæ Eccleſiæ beati Johannis de Virtuto, cujus ipſe fundator exſtiterat, decem librarum reditus in ſuis reditibus perpetuò aſſignandos, ſuper quo cariſſima ſoror noſtra mater ejus M. Trecenſis Comitiſſa à nobis requiſita, benignè voluit quod ipſe mandaverat adimpleri, & tam nobis, quàm Ballivis, & ſervientibus ſuis recommiſit eandem aſſignationem faciendam. Unde nos cum ipſis eidem Decaniæ aſſignavimus pro ſex libris VI.^{xx} ſextarios avenæ, videlicet ſexaginta octo in cenſa apud Sollerias, & xxxii in Sonneijs de Virtuto, & xx. in Sonneijs de Bergerijs, & cenſum de Roffeio pro IV. libris, quæ omnia eidem Comiti perpetuò debebantur: eadem verò illi, qui ea debent, prædictæ Eccleſiæ Decano, vel Officiali ejus apud Virtutum annuatim reddere tenebuntur. Quod ut ratum permaneat præſentis ſcripti paginâ confirmamus, ſtatuentes & ſub interminatione anathematis inhibentes, ne quis hanc noſtræ confirmationis paginam audeat infringere, aut ei temere contraïre, ſalva in omnibus apoſtolicæ Sedis auctoritate.

Decania hîc vocatur Eccleſia S. Johannis, quòd Decanus ei præſideret, nunc Decanatus officium non eſt, ſed quis ſenior eſt inter Canonicos Decanus honoris gratiâ appellatur.

Actum Remis anno dom. Incarnat. 1193. Datum vacante Cancellaria.

Meminit Petrus Cellen. Abbatis S. Mariæ Virtudenſis lib. 9. epiſt. 14.

Inſigni igitur Comitum Campaniæ liberalitate Virtutum præfati non modò Collegij; ſed & duarum Abbatiarum erectione celebrior evaſit, quæ hinc inde in ſuburbijs prominentes haud mediocrem Civitati præbent ornatum. Aut ſub Ludovico IX. (qui inter Divos relatus eſt) lugubrem in ædificijs jacturam pertulit, ex Joinvilleo: cùm enim conſpirantibus in Regem Regni Primoribus, Trecenſes Dynaſtæ à partibus ejus ſtarent, Tetbaldus ob id bellis acriter impetitus, coactus eſt in rogos Sparnacum, Sezannam & Virtutum redigere, ne Ducis Burgundiæ exercitui commeatum ſuppeditarent.

Pax inita ad Britiniacum 8. Maij, confirmatur Caleti cum his conditionibus, ut Aquitaniæ Ducatus Anglo remaneret ſummo iure, promiſſis inſuper tricies centenis aureorum millibus, quam ſummam mutuò dedit Franciæ Galeas Mediolanenſis Vicecomes, cujus filius accepit in uxorem Iohannis filiam & pro dote Comitatum Virtutum, ex chronico ad annum 1356.

Campaniæ Comitatu ad ſceptrum Francicum devoluto, Virtutum (quod ejus erat appendix) ad Regem tranſijt, erectúsque eſt paullo poſt in Comitatum à Johanne I. De hac erectione P. Pithœus diſſerens ait Roſnacum unitum fuiſſe cum Virtuto, Feritate-ſuper-Albam, caſtello de Moimet, & appenditijs, Virtutúmque Comitatûs caput extitiſſe; qui cum omni Juſtitia, patronagio, Regali, in dotem aſſignatus eſt Iſabellæ Principi, Johanni Galeatio Vicecomiti Mediolanenſi connubio ſociatæ, jure ſupremo retento. Ex charta fundationis Capellæ de Letré à Monaſterio ſancti Nicaſij dependentis, habetur Bertrandum Guaſt Comitatûs Toparcham fuiſſe anno 1374. pro dicto Johanne Galeatio Duce Mediolanenſi.

Galeatius tres reliquit liberos ex Iſabella, Johannem, Philippum & Valentinam Mediolanenſem. Valentina nupſit Ludovico Caroli V. filio an. 1388 habuitque pro dote Comitatum Aſtenſem cum Vertudenſi, hac conventione adhibita, quòd ſi mares ſine liberis excederent, Ducatus Mediolanenſis ad Valentinam veniret, quod ita contigit; at Fr. Sfortia hunc vi, & aſtutia invaſit, quo nunc Auſtriaci Principes potiuntur.

Ludovicus Aurelianenſis Dux, Caroli VI. frater ex Valentina tres filios ſuſcepit Carolum Ducem Aurelianenſem Ludovici XII. patrem, Philippum Comitem Virtudenſem, & Johannem Comitem Engoliſmenſem. Vide Johannem Urſinum ad annum 1411, ubi de caſtello Moimet expugnato

Digitized by Google

gnato diſſerit Philippus filiam Johannis Ducis Burgundiæ ſibi copulavit, at hic anno ætatis 24. viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, apud Cæleſtinos Pariſienſes tumulatus anno 1420. ſic ab eo. VUILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1192.

Comitatus tranſijt ad familiam Ducum Britanniæ, ob affinitatem cum Aurelianenſibus contractam. Margareta enim Aurelianenſis Comitiſſa de Stampis, & Virtuto, Ludovici Principis filia, qui Pariſijs necatus eſt, ac ſoror Philippæ Richardi Britannici uxoris domini de Cliſſon, qui obijt an. 1438. reliquit Franciſcum ultimum Britanniæ Ducem Comitem Montfortium, de Stampis & Virtuti.

Ex Franciſco prodijt Anna Britannica, bis Franciæ Regina, & Comitatuum prædictorum heres.

Claudia Ludovici XII. & Annæ Britannicæ filia, Franciſci Valeſij prima uxor Comitatui de Virtuto ſucceſſit, eáque ſine liberis obeunte, Comitatus ad Franciſcum D. d'Avaugour venit, Franciſci Britannici filium naturalem (ut fertur) & ex eo prodeunt Comites, qui adhuc florent, dictóque Comitatu potiuntur.

Ceterùm Cardinalis de Eſtoutavilla in Regno Franciæ, aliiſque Dynaſtijs apoſtolicæ Sedis Legatus, rogatu Margaretæ Aurelianenſis de Virtuto Comitiſſæ, indulgentias impertijt ijs omnibus, qui ad reparationem Eccleſiæ ſancti Johannis aliquid erogâſſent ſequenti diplomate, quo patet prædictam Decaniam illuſtri admodum gaza, manu ſcilicet beatiſſimæ Martyris Catharinæ ditatam fuiſſe, quæ adhuc in ſacrario cum debito honore & reverentia conſervatur.

VVillelmus miſeratione divina, tituli ſancti Martini in Montibus, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis, de Eſtoutavilla vulgariter nuncupatus, in Regno Franciæ & ſingulis Galliarum provincijs apoſtolicæ Sedis Legatus: univerſis Chriſti Fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui ſuâ mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de ſua clementiſſima Majeſtate ſperantium libenter proſequitur, cùm ipſorum devota humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Eccleſia collegiata, vulgariter nuncupata Regia-capella, in caſtro Virtutum regio Cathalaunenſis diœceſis, in qua à primæva ſui fundatione regia, unus Decanus & ſeptem præbendæ inſtitutæ fuerunt, quorum Decanatûs & præbendarum omnimoda diſpoſitio, olim Regi fundatori, nunc verò dilectæ nobis in Chriſto mulieri Margaretæ de Aurelianis Comitiſſæ Stamparum & Virtututum competere dignoſcitur, ad honorem beati Johannis Baptiſtæ magnificis ſtructuris, & ædificijs erecta, & ampliſſimis redditibus dotata, & in qua capella beatiſſimæ Virginis Catharinæ manus dextera, & plures aliæ Sanctorum pretioſiſſimæ reliquiæ venerantur. Quæ quidem Eccleſia in ſuis ſtructurâ & ædificijs ruinoſa, ac calicibus, libris, ornamentis, & redditibus quamplurimum deſolata exſiſtit, & reparationibus indiget non modicùm ſumtuoſis, ut in eiſdem ſuis ſtructuris, & ædificijs debitè reparetur, ac in ſuis libris, calicibus, & ornamentis reſtauretur. Cùm ipſius Eccleſiæ facultates non ſuppetant, quin imo ad ipſas reparationes faciendas Chriſti Fidelium ſuffragia ſint quamplurimum opportuna: & ut ipſi Chriſti Fideles eò libentiùs inclinentur, & ad eandem confluant, quò ſe ſenſerint de ſpecialis dono gratiæ uberius refectos. De omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ac apoſtolica, quâ fungimur in hac parte, auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis verè pœnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Paſchatis & Pentecoſtes craſtinis, nec non nativitatis beati Johannis Baptiſtæ, beati Martini Epiſcopi Turo-

Monachus & Prior ſancti Martini Pariſienſis.

An. 1452.

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1192.

„ nenſis, beatæ Catharinæ Virginis & Martyris feſtivitatibus, ac ſingulis „ diebus Dominicis Quadrageſimæ præfatam Eccleſiam viſitaverint annua„ tim, & ad reparationem & augmentum ædificiorum, ornamentorum, &c. „ manus porrexerint adjutrices, in ſingulis ſcilicet ſex feſtivitatibus unum „ annum, ac diebus Dominicis Quadrageſimæ prædictis centum dies de „ injunctis eis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus præſentibus „ noſtris litteris perpetuò duraturis. In quorum omnium fidem præſentes „ ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri. Datum Pariſijs an Incarnationis do„ minicæ 1452. die 25. menſis Maij Pontificatus ſanctiſſimi P. Nicolai V. an. 6.

De Petro Cantore Pariſienſi Remenſis Eccleſiæ alumno, in Decanum Remenſem electo.

POſt Radulfum, qui Decanatûs officio dignè perfunctus eſt ſub Vvillelmo recepítque Stephani Tornacenſis epiſtolam pro refectorio Remenſis Eccleſiæ, ut ſupra vidimus, Petrus ex Cantore Pariſienſi omnium Canonicorum votis ei ſubrogatus eſt, anno 1196. Qui verò, quantúſque vir fuerit Petrus hic Cantor tradit imprimis Stephanus Abbas S. Genovefæ Pariſienſis epiſtolâ 173. ad Vvillelmum Remenſem Archiepiſcopum, quâ rogat, ut Petrum devotum ſuum Filium ad Epiſcopatum Tornacenſem electum, regio mandato confirmare velit. *Vir eſt*, inquit, *cujus per omnes Eccleſias famæ ſuavis diffunditur opinio, qui geminâ ſcientiâ efficaciſſimè clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus diſciplinam. Origeni parem in aliquo ſic eum docere credimus, ut vivere; ſic vivere ut docere. Tales in candelabro veſtro lucernas, tales in diademate capitis Aaron lapides, tales in ſancta Remenſi Eccleſia Suffraganeos eſſe decet &c.* At cùm neſcio quid inordinatum inter electores contigiſſet, electio non valuit, Stephanúſque ejus encomiaſtes in locum ipſius ſufficitur anno 1191. Henricus Gandavenſis Petri refert encomia, pariter & Trithemius *lib. de Viris illuſtribus*, ubi & volumina ab eo edita recenſet, aítque ſcholæ Theologicæ Pariſienſi multos annos gloriosè præfuiſſe. Cùm igitur doctiſſimorum virorum luce multum ſplendeſcant ij, inter quos verſantur, Petrum, qui lac pietatis in Eccleſia Remenſi à pueris ſuxerat, in alia diœceſi commorantem, Remenſe Capitulum nova dignitate propoſita ad ſe revocandum cenſuit, cujus conſilium Vvillelmo gratum fuiſſe probat epiſtola ab eodem ſcripta, quam hîc ſubijcimus.

Steph. Torn. epiſt. 173.

Pro electione Petri Cantoris Pariſienſis in Decanum Rem.

„ VVillelmus Dei gratiâ Rem. Archiepiſcopus, S. R. E. tituli ſanctæ „ Sabinæ Cardinalis, apoſtolicæ Sedis Legatus: dilectis Filijs B. Præ„ poſito, S. Cantori, totíque Remenſis Eccleſiæ Capitulo ſalutem & dile„ ctionem. Gratias agimus omnium largitori Deo, qui Remenſis Eccleſiæ „ deſolationem reſpiciens, eidem Decani talis, & Doctoris patrocinio deſti„ tutæ talem providit, & reſtituit ſucceſſorem, cui mores ad exemplum, & „ ſcientia exuberat ad doctrinam. Nos igitur devotionis veſtræ providen„ tiam in Domino plurimùm commendantes, electionem dilecti noſtri Petri „ apud Deum, & homines commendabilem, Remenſi Eccleſiæ utilem, ap„ probamus, & gratam habentes libenter & liberaliter confirmamus.

Petro Cantori Pariſienſi.

„ VVillelmus Dei gratiâ Rem. Archiepiſcopus, S. R. E. Cardinalis, „ apoſtolicæ Sedis Legatus: dilecto Filio M. P. Pariſienſi Cantori,

imo

Digitized by Google

imo Decano Remenſi, ſalutem & dilectionem. Deo & Remenſi noſtræ Eccleſiæ in gratiarum debitas aſſurgimus actiones, eo quòd inſpirante Altiſſimo, eadem Eccleſia vos elegerit in Decanum, vobis quoque congratulandum duximus, quòd onus à Deo vobis oblatum tam humiliter ſuſcepiſtis, nec ad uberiores Eccleſiæ reditus oculus degener, vel avaritiæ ſpiritus vos retorſit. Eandem vero electionem ratam habemus, & gratam, utpote qui jam alias, quando ſuper eodem Decanatu Capitulum in nos compromiſerat univerſum, eum vobis priùs obtulimus, ſi velletis: ſed vos ſaniore tunc uſi conſilio, tendentes ad finem, quem nunc eſtis Deo gratias aſſecuti, creditum vobis à Deo talentum in frequentiorum ſtudiorum, & ſcholarum loco priùs erogare pluribus ſalubriter volebatis. Verùm jam hora eſt, ut de ſeminibus quæ meſſuiſtis, in alios exſultationis manipulos ad propria referatis: unde noſtris eſurientibus parvulis frangatur panis alimoniæ doctrinalis, & pia viciſſitudine lacte doctrinæ per vos laxa matris ubera repleantur, quæ vos aliquando parvuli ſuxiſtis. Dignum erat, & juſtum, ut noſtra primitiva mater Eccleſia, quæ vos aliquandiu indigentiæ commodaverat aliorum, ſuis in neceſſitatibus revocaret filium, ſuis retineret uſibus revocatum. Unde quâ poſſumus obedientiæ diſtrictione vobis injungimus, ſecurâ in Domino conſcientiâ conſulentes, ne cuipiam credatis vobis aliter ſuggerenti, quominùs in hoc propoſito perſeveretis ſtabiles & immoti, in Domino quippe confidimus, quòd & in nobis, & nobiſcum in alijs fructum Deo placitum facere debeatis; utpote quem non ſoli Remenſi Eccleſiæ, ſed & toti provinciæ, Regnóque potiùs univerſo proviſum eſſe credimus, etiam ijs temporibus reſervatum, veſtræ namque circumſpectionis conſilio in proprijs, & communibus negotijs ſpecialiter uti decrevimus..... Et ut in eodem ſtetis propoſito firmiores, quandocumque vobis placuerit & Eccleſiæ noſtræ titulum, & ſuſcipere dignitatis officium per nos, vel per venerabilem Fratrem & conſanguineum noſtrum reverendum Pariſienſem Epiſcopum, ad ſacerdotium promoveri, gratum nobis erit, &c.

" VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An* 1192.

Hinc patet Petrum Cantorem lac pietatis, & doctrinæ, ſuxiſſe in Eccleſia Remenſi.

Is erat Odo de ſoliaco Epiſcopus Pariſienſis, nepos Theobaldi Magni Comitis Campaniæ, poſt Mauritium electus anno 1196. HicHenrici II. Angl. Regis, & Regis Galliarum conſanguineus vocatur.

Utrum Petrus Cantor Decanatûs Rem. dignitatem ſuſceperit, ex chartarum ſubſcriptionibus ſatis mihi non conſtat. Potuit ab anno 1196. quo receſſit Radulfus, uſque ad annum 1199. apud Remenſes egiſſe, donec calcatis honoribus ſuis, quos innumeros habuerat, auditoribus ſcientiæ & morum norma exſiſtens, aſſumpto Ciſtercienſi habitu apud Longum-pontem diœceſis Sueſſionenſis vitam beato fine complevit. De eo ſic Albericus: ***Cantor Pariſienſis Magiſter Petrus Doctor Thelogus, religione & honeſtate famoſus, & clarus, apud Abbatiam Longi-pontis obijt anno 1197.*** Quæ verò ingenij monimenta reliquerit, idem Auctor curioſius enumerat in Chronico.

Iſemburgæ Ambiani coronam Vvillelmus imponit. Atrebates iterum Francis adjudicati. Litterarum apoſtolicarum corruptores conquiruntur. Comites de Regiteſte & de Couciaco terras invadunt Eccleſiæ Remenſis.

CAPUT XVI.

VVILLELMUS ex itinere ad ſanctum Jacobum in Galliam reverſus Regis conſilio interfuit, cùm de Stephano Noviomenſi Epiſcopo in Daniam emittendo actum eſt, pro obtinenda Canuti

An 1193. 1194.

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP.

Regis ſorore Iſemburga, quam Philippus ſibi delegerat uxorem. Hæc annuente fratre cum muneribus & ingenti ſupellectili Atrebatum venit, ubi Rex eam cum Regni Proceribus præſtolabatur : nuptiæ Ambiani celebratæ, novâque ſponſa à Vvillelmo uncta & diademate coronata, adſtantibus Epiſcopis miniſterium ſuum præbentibus, Theobaldo Ambianenſi, Petro Atrebatenſi, Stephano Tornacenſi, & Lamberto Tarvanenſi.

An. 1193.

Cœtan. Antiſſiod.

Rigordus.

At mirum, inquit Rigordus, *eodem die, inſtigante diabolo, Rex uxorem longo tempore concupitam, exoſam habere cœpit, pauciſque revolutis diebus convocata Synodo, cui Vvillelmus Remenſis præſedit, lineâ conſanguinitatis per Carolum Comitem Flandrenſium ab Epiſcopis & Baronibus computatâ, legali judicio matrimonium ſolutum eſt.* Æmilius tradit Reginam apud Stampas relegatam, & in turri incluſam, Philippo novum matrimonium contrahente cum Maria filia Ducis Meraniæ. Exſtat Iſemburgis epiſtola excuſatoria ad Capitulum & Canonicos Ambianenſes, quòd à die ſuæ coronationis apud eos factæ, ſuorúmque dolorum initio, gratitudinis ſuæ pignus necdum exhibuerit, hanc in *Theatro* edidimus & ſic incipit : *Incognitum vobis eſſe non credimus, quod pæne toti notum eſt orbi, quanta perpeſſæ ſumus incommoda poſtquam regiæ dignitatis unctionem adepta ſumus & coronam, &c.*

Maria hæc, non Agnes ut habet Tillius, filia Ducis Meranie & Bohemiæ, Marchionisque Hyſtriæ vocatur à Rigordo.

An. 1196.

Canuto Rege apud ſummum Pontificem Cæleſtinum conquerente de Vvillelmo, aliiſque Epiſcopis, qui hoc divortium approbârant, miſſi Legati in Galliam Melchior Cardinalis, & Cenſius, qui Synodum Pariſijs coegerunt, ſed facti canes muti non valentes latrare, nihil profecerunt. Pontifex interim epiſt. IX. præcipit Archiepiſcopo Senonenſi, ut ſi Rex aliam ſuperinducere vellet uxorem, ipſe auctoritate apoſtolicâ id eidem inhibere curaret. Sunt qui Vvillelmum divortij hujus promotorem faciunt, quaſi Vicariatûs ſui auctoritate abuſus fuerit : at Innocentius Papa rogatus à Comite Peſſulano, ut liberi, quos ex concubina ſuſceperat, legitimi haberentur, eò quòd Philippo Auguſto eadem gratia eſſet præſtita ; declaravit parem non eſſe rationem, Vvillelmúmque ut Legatum apoſtolicum pronunciâſſe non contra jus, teſtes enim coram ſe producebantur, qui conſanguinitatem aſſeruêre, ſed contra ordinem juris, unde ſententia lata ab eo, poſtmodum abrogata eſt.

Ex Maria Philippus ſuſcepit ſilium nomine Philippum & Iohannam filiam.

Balduinus Junior poſt ductas magnificè patri exſequias, publicâ lætitiâ Flandriæ Comitatui inauguratus, ad Regem profectus, fide præſtita juravit in illius verba, præter voluntatem multorum Flandrorum, qui cum Anglis jungendum fœdus, ac armis repetendam à Gallo occidentalem Flandriam cenſebant, *eo quod*, inquit Meyerus, *abſque decreto publici conſilij, & reclamante populo Philippus Comes eam alienâſſet.* At eos Comes hac vice non audivit, & Rex in fidem eum accepit, & clientelam. Anno ſequenti, ardente Francos inter & Anglos bello, Flandris hinc à Gallo, hinc ab Anglo ſollicitatis, tandem Balduinus Comes Richardi Regis promiſſis, ac auro pellectus, miſſis Fœcialibus primùm Atrebates repetijt, quibus denegatis, Philippo Regi, Gallíſque faſſus eſt ſe Regni hoſtem, ictóque cum Anglis fœdere, mox regias invaſit ditiones. Rex de non ſervata fide à Balduino, cum in Normannia bellum gereret, conqueritur, ſtatímque, ob violatam ſacramenti religionem, Melchior Legatus apoſtolicus totam Flandriam interdicto ſuppoſuit ; aliam enim cauſam generalis interdicti hiſtoriæ ſuggerunt. Hoc ſpirituali remedio (quo nunc rariſſimè utuntur Præſules) concuſſi animi, Stephanus Tornacenſis, cui datum erat in mandatis ut interdictum iteratò in ſua diœceſi promulgaret, ſic ad Vvillelmum Rem. ſcribit epiſt. 212. *Adhuc recentia prioris interdicti ſpirant vulnera, nec vulnerati reſpirant, &*

Balduinus hic hieroſolymitanus vocatur à Meyero, fuitque Balduini Hanoneſis filius qui Margaritam Flandriæ heredem duxit uxorem.

An. 1198.

Meyer.

Steph. Torn. epiſt. 212.

& ſi ſecundùm ingeminetur ictus, mors erit in januis, & ſub triſti ſilentio convaleſcent hæreſes.

VVILLELMUS LI. ARCHIEP. *An.* 1199.

Maria Comitiſſa Flandriæ, Trecenſis Comitis filia Pariſios pro pace obtinenda venit, Atrebateſque iterum Franciæ adjudicati, fœdere inito apud Peronam. Quantum verò ad id ſua dexteritate Vvillelmus contulerit, Miniſtri dignitas, quâ fungebatur, facilè perſuadet, teſtatùrque Stephanus Torna. prædictum Archiepiſcopum Regni curam, & Sacerdotij habuiſſe, epiſt. 187. *Inter curiæ curas, & ſanctuarij ſacramenta, felices dierum veſtrorum ſucceſſus occupatos quotidianæ ſollicitudini poſſe ſufficere, & utilitati communi poſſe proficere peroptamus. Geminati ſimul honoris & oneris, Sacerdotium ac Regnum vobis ſarcinam imponunt.* Et epiſt. 188. *Vtroque gladio accincti eſtis, Regni pariter & Sacerdotij, qui in defenſionem Chriſti uſque hodie patientis, teſtante ipſo Domino, ſatis eſſe legantur &c.*

Idem epiſt. 187.

Idem epiſt. 188.

Idem Auctor Vvillelmum rogans pro amico à ſe ordinato, quem Canonici Tornacenſes nec citatum, nec in aliquo convictum, prætermiſſo juris ordine, & altaris miniſterio, & refectorij beneficio privaverant. Ne faſciculis litterarum inter tot occupationes obrueret parabolico Salomonis charactere delicioſas illi nugas apponit, quibus Communias burgenſium carpit, & Capitulorum jurgia: *Tria*, inquit, *ſunt murmurantia ſuper terram & quartum quod non facilè quieſcit, Communia ruſticorum dominantium, cœtus feminarum litigantium, grex porcorum ad unius clamorem grunnientium, Capitulum diverſa vota ſectantium. Cum primo pugnamus, ſecundum irridemus, tertium contemnimus, quartum ſuſtinemus: è primo & quarto libera nos Domine.* Eundem quoque Archiepiſcopum certiorem facit lugubris ſtatùs Eccleſiæ de Brandenay, quæ incolis ſæpe triſte ſpectaculum præbebat, ridiculum alienis: *Solebat enim*, inquit, *in ea monaſticus Ordo ſub duodenario Fratrum numero conventualiter obſervari, divinum celebrari regulariter officium, pauperes alimoniam, peregrini hoſpitium, ſolatium infirmi reportare. Et ecce in contrarium, verſa ſunt omnia,* (ut nunc in pleriſque Regni Monaſterijs, quæ ſub Commendatarijs gemunt, eſt enim horum ſolitudinis perfectiſſima imago) *ubi diruta ſunt ædificia, ſilent Officia divina, dum non ſit in illis Chorus Monachorum; ſed facta ſint velut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, poſſeſſiones amplæ, & decimæ uberes, quibus alebantur Monachi, partim diſtracta ſunt, ſub hypotheca dominio premuntur alieno.*

Idem. epiſt. 193.

Idem. epiſt. 199.

Per id temporis Vvillelmus à Canonicis ſancti Quintini in Viromandia rogatus, ut id quod de foraneitate ſtatuerant, juxta decretum Alexandri III. confirmaret, non annuit modò, ſed & jus proprium remiſit, quod in privata præbenda habere dicebatur, hoc reſcripto quod domino d'Hemerè debemus.

Vvillelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, ſanctæ Romanæ « Eccleſiæ tit. ſanctæ Sabinæ Cardinalis, apoſtolicæ Sedis Legatus: om- « *An.* 1196.
nibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit ſalutem. Notum facimus « tam præſentibus, quàm futuris quòd nos foraneitatem in Eccleſia beati « Quintini à dilectis Filijs Decano, & Capitulo ejuſdem Eccleſiæ inſti- « tutam, & à domino Alexandro Papa bonæ memoriæ confirmatam, ap- « probamus, & ratam habemus, & juxta apoſtoſtolici tenorem authentici « præſentis ſcripti patrocinio & ſigilli noſtri munimine confirmamus. Re- « miſimus etiam prædictæ Eccleſiæ petitionem privatæ præbendæ, quam « in ea, & ab ea petebamus, &c. Quod ut ratum permaneat, litteris « & ſigillo noſtro fecimus roborari. Actum anno 1196. «

Quid

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP.

Quid ſit foraneitas explicat D. d'Hemeré in hiſtoria Sancti Quintini, ubi refert etiam Canonicos ejuſdem Eccleſiæ receſſiſſe à communitate anno 1040.

An. 1199.

Ceterùm increbuiſſe his temporibus uſque ad Innocentij primordia falſariorum ingentem numerum, qui nomine Sedis apoſtolicæ quas vellent litteras ſcriberent: eſt gravis querela de his Cæleſtini Papæ ad Vvillelmum Remorum Archiepiſcopum, refértque Rogerius Clericum Archiepiſcopi Eboracenſis Romæ ad mortem ægrotantis publicè confeſſum fuiſſe, adulterinas Bullas nomine Romanæ Eccleſiæ in Angliam miſiſſe.

Stephanus Torn. cui injuncta cura à Vvillelmo ut in diœceſi ſua vigilaret ſuper ſordidæ hujus mercis negotiatores aliquos deprehendiſſe ei ſic reſcripſit epiſt. 221. ***De mandato veſtro falſarios quoſdam cautelâ, & arte, non potentiâ ad confitendum induximus, promiſſa impunitate, quantum nobis licebit uni eorum, qui adulterinæ Bullæ ſuperiorem, & inferiorem molam nobis in Capitulo reſtituit. Terribili adjuratione, & devotatione confeſſus eſt ſeſe numquam eâ uſum fuiſſe, ſed cujuſdam Presbyteri, qui falſas litteras vendebat, ſocius erat, & partem infauſti pretij quandoque recipiebat, volumen etiam pugillare nobis reddidit, in quo plures litteræ ſub apoſtolico nomine continentur ..... Servamus vobis incudes adulterinas, quarum adulteria, & auctoritatis veſtræ condemnentur judicio, & malleo confringantur.***

De hâ adhuc conqueritur Innocen. ad Vvillelm.

Francis juxta pagum Belvacenſem, & Vvlcaſſinum fortiter cum Anglis dimicantibus, contigit Philippum Drocenſem Belvacenſem Epiſcopum, qui ut nulla ſui characteris habita ratione, haſta & clypeo tectus in Anglos pugnabat, capi & in vinculis detineri; Cæleſtinus Papa litteris Epiſcopi rogatus ſcripſit ad Anglum pro ipſius libertate, Philippum cariſſimum Filium vocitans, quô citius Regis animum ad clementiam flecteret: at Rex miſſo Epiſcopi ſago militari ad Pontificem, ei alludens ad locum Genes. reſcripſit: ***Vide an tunica Filij tui ſit, an non.*** Petrus quoque Drocenſis pro fratre Romam profectus an 1198. in itinere diem clauſit xxv. April. pro cujus ſalute Branenſis Comitiſſa mater ejus eodem die anniverſarium ſingulis annis fieri in Eccleſia Remenſi curavit, ex Necrol.

Rogerius de Hoveden.

Matt. Paris.

Gen. 27 G. 32.

Philippus Drocenſis educitur è cuſtodia ſex millibus marcarum argenti ſolutis pro libertate. Hic poſt Vvillel. obitum aliq. habuit ſuffragia pro Archiep. conſequenda.

Bethunienſis hiſtoriæ Auctor narrat Vvillelmum excommunicationis vinculo innodâſſe Comitiſſam Flandriæ, quòd Præpoſituram de Seclin Eleemoſynario ſuo contra fas, ac reclamantibus Canonicis, contuliſſet: hos enim ob id tam acerbè per officiarios ſuos exagitabat, ut Metropolitani Remenſis opem implorare non dubitârint.

Innocentio poſt Cæleſtinum in Pontificem aſſumpto, Vvillelmus ab eo Legatus apoſtolicus per Germaniam creatus eſt, ac Coloniam miſſus pro compeſcendo ſchiſmate inter duos de Archiepiſcopatu Moguntino contendentes poſt exceſſum Conradi Cardinalis, cui perpetuò Imperator hoſtis fuerat. Hic igitur Archiepiſcopus reprobata Leopoldi electione Vvormacenſis Epiſcopi, cujus partes Philippus fovebat, Sigefridum electum à minore quidem parte Capituli, ſed ſaniore confirmavit: in Franciam regreſſus hoc eodem Vicariatûs officio, quamdiu vixit, perfunctus eſt (ſi Frizonio credimus in Gal. purp.) at revocatum fuiſſe duobus annis ante obitum probant chartæ an. 1199. & 1200. in quibus Legati nomen deſideratur, ob approbatum forſan ab eo Philippi divortium cum Iſemburga. Ea præſertim qua extinxit præbendas ſeu Canonicatus ſæcularis Eccleſiæ ſancti Andreæ infra Monaſterium ſancti Amandi in Pabulo ſtructæ, ubi Cardinalis, & Archiepiſcopus ſimpliciter vocatur, an 1200.

In Charta acquiſitionis decimarū villa de Lieſſiaco per Monachos S. Remigij

Laborandum

Vvillel. Legatus non nominatur, nec item in donatione Altaris de Martin eod. an. Nicaſianis facta.

Laborandum fuit hoc anno, & ſequenti Innocentio in cauſa Philippi Regis Francorum ob quam miſit in Gallias Legatum Petrum Diaconum Cardinalem in Via-lata, nempe ut proſequeretur diu ante cœptum judicium de divortio à Rege facto cum legitima conjuge, aliâ ſuperinductâ; cúmque Rex ſæpius monitus acquieſcere nollet, Legatus totam ejus terram eccleſiaſtico ſubjecit interdicto, ita ut nullum in ea præter baptiſmum parvulorum, & pœnitentiam morientium, divinum celebraretur Officium. Rex in tantam indignationem exarduit, ut Epiſcopos & Clericos qui ſervarent interdictum, faceret à ſuis Eccleſijs expelli; ſed cùm plebs univerſa clamaret, nec Pontifex comminationibus Regis flecteretur, tandem recepit Reginam, & ſententia interdicti, quæ per octo menſes duraverat, relaxata eſt ingenti omnium gaudio & applauſu: hoc concilio Sueſſionis ab Octaviano, & Johanne de ſancto Paulo Legatis Cardinalibus convocato, nec exſpectato Epiſcoporum judicio, id à Rege factum eſſe tradit Rigordus ad annum 1201.

An. 1199.

Menſe Decēb. apud Divion. Concilium à Legato conſocatur an. 1199. ex Rigor. contra Ei tū qui ponit illud an. 1197 vocatur autem Petrus Capuenſis a Rigor. & non Duacenſis, ut Meyer habet.

Manaſſes Regiteſtenſis Comes Balduini Hannonienſis frater, Rogerus Roſatenſis, & dominus de Couciaco confœderati inter ſe bellum Eccleſiæ Remenſi indixerant vagis primùm populationibus, & ob pernicitatem inultis, dein ſilvas exſcindere, trahere graves prædas, pagos & redditus invadere, cóſque impunè & inſolenter (quòd in ſuis eſſent dominijs) ſibi vendicare. Canonici è contrario his vehementer commoti apud Regem conqueri, ejúſque opem enixiùs poſtulare: at ipſe gravioribus Regni curis implicitus, ſurdas primùm omnino aures præbuit, quòd prædicta Eccleſia ſuppetias ei ferre recuſâſſet in bello adverſùs Anglum, ne ſuis privilegijs vim inferre videretur. De hac cunctatione Brito Armoricus Philippidos lib. 1.

An. 1201.

Tempore cujuſdam guerræ Rex prodigus æris,
Cùm res exigeret numerare ſtipendia multis,
Clerum Remenſem petijt, ſcriptòque rogavit,
Vt ſibi ſubſidium ferret, quò gratior illi
Ad tantos vellet ſumtus impendere gratis,
Vt ſolet Eccleſiæ patronos ſæpe juvare,
Qui pro Rege ſuo, Regi ſuffragia ſummo
Fundere cum precibus, aiunt, ſe jure teneri,
Non ſolidos dare, vel cenſum, ne poſtea fortè
Eccleſiæ pariant ex conſuetudine damnum.
Poſtmodo cùm bello, fruerentur pace, ſepulto
Rex, Proceréſque ſui; res ardua protinus egit
Clerum Remenſem, verſa vice poſcere Regem.
Reſtella, Cocij Comites, dominúſque Roſeti
Non attendentes Regíſve, Deívæ timorem,
Certatim Eccleſiæ patrimonia dilapidabant,
Damnoſis populum, Clerúmque premendo rapinis.
Gaudet, & hoc breve Rex reſponſum dedit eiſdem:
Vos prece me ſola nuper juviſtis, eadem
Lege, relatâ nunc vice, prælia veſtra juvabo.
Dixerat, & ſcripto Comites rogat, Eccleſiarum
Vt ſpolijs, Clericque velint deſiſtere damnis.
Acrius hoc illi præſtant, gravioráque damna
Clero non ceſſant inferre, lociſque ſacratis. &c.

Rex igitur exploratâ Comitum contumaciâ, quòd nec ad mandatum ejus per litteras, nec per nuncium ad eos deſtinatum à tyrannide abſtinerent,

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1201.

nerent, conſcripto apud Sueſſionem exercitu venit vaſtaturus terras Comitum de Couciaco, ac Regiteſté: hi audito Regis adventu datis ſecuritatibus, ablata ab Eccleſijs pro voluntate Regis in integrum reſtituunt. Sollicitati poſtmòdum Remenſes Canonici ut Regi ſubſidium ferrent, judicio Epiſcoporum provinciæ ſteterunt anno. 1207. à quibus condemnantur. At Flodoardus ait lib. 2. cap. 11. ſanctum Rigobertum Regi Dagoberto expoſuiſſe Eccleſiam Remenſem à tempore Dom. Remigij, & Clodovæi Regis (quem ipſe baptizavit) ab omni functionum publicarum jugo liberrimam exſtitiſſe, quod ijdem Canonici à Philippo II. petierunt anno ſequenti, ſed an obtinuerint incertum.

Nicolaus pariter de Ruminiaco ob deprædationes, quas faciebat in terra de Poteſtatibus ad Capitulum Remenſe pertinente, à Vvillelmo ſacris interdicitur, qui & vetuit omnibus, etiam Templarijs, ne ſacrum in ipſius præſentia, aut familiæ ejus celebrarent, cúmque privilegia ſua huic decreto opponerent, injunctum eſt eis à ſummo Pontifice, ut Archiepiſcopo morem gererent, ceſſarèntque Officium tempore interdicti ab Eccleſia Remenſi denuntiato.

Noſocomium Remis Vvillelmus exſtruit, & dotat, hujus curam ſuſcipiunt Religioſi ſancti Antonij, quid circa ejus adminiſtrationem conſtitutum ſub alijs Archiepiſcopis, ac de ſacris pignoribus in ipſius Eccleſia conſervatis.

CAPUT XVII.

Vide epiſtol. 8. Cypriani ad Clerum de cura pauperũ & quiete plebis. Hinc Epiſcopus vocatur Oeconimus *rerum Eccleſiaſticarum à S. Clemente lib. 2. C. 37. Apoſtol. Conſtitut.*

CUM penes Epiſcopos, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, ſuprema fuerit cura pauperum, ob idque imprimis bona Eccleſiæ ipſis concredita, Vvillelmus, qui hucuſque optimi Paſtoris partes laudabiliter expleverat, ſtudium ſuum erga pauperes teſtari voluit recentis Noſocomij erectione ampliſſimis reditibus ditati, ne quid inter tot egregia facinora gloriæ ſuæ defuiſſe videretur. Ex charta ſiquidem, quâ conſilij ſui propoſitum pandit, colligimus ſanctiſſimum Francorum Apoſtolum tredecim præbendulas pro totidem pauperibus olim inſtituiſſe, quorum unicuique panis ac denarius diebus ſingulis erogari ſolebat, ſed lapſu temporis tantam in erogando (procuratorum forſan ignaviâ) corruptionem irrepſiſſe, ut non indigentibus, ſed indignis omnino perſonis prædicta indebitè diſtribuerentur. Peſſimæ huic conſuetudini Vvillelmus ut providus Rector occurrendum ratus, ſuis ſumtibus juxta portam Baſilicarem exſtruxit hoſpitalem domum, quæ ſancti Antonij dicitur, cui præter fructum dictarum præbendarum alia bona ſuperaddidit pro vinginti languidis pauperibus, additâ etiam formâ, quâ prædictum hoſpitale futuris temporibus adminiſtraretur, ut palam fiet ex charta fundationis, quam hîc ex Tabulario exſcriptam ſubjicimus.

An. 1201. » VVillelmus Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, ſanctæ Romanç
» Eccleſiæ titulo ſanctæ Sabinæ Cardinalis: omnibus ſanctæ Matris
» Eccleſiæ Fidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint in Domino ſalutem.
» Quoniam inter ceteros humanæ fragilitatis eventus, non eſt facilè filijs
» hominum evadere delictorum incurſus, propoſita ſunt nobis pietatis opera
» ad noſtræ ſalutis remedium, quibus tantò amplius Deum valeamus habere propitium

propitium, quanto ea exercuerimus in neceſſitatibus proximorum: *Quia Caritas operit multitudinem peccatorum.* Cùm igitur paſtoralis ſollicitudo quæque prava & inordinata corrigere, evellere, & diſſipare, & ea quæ ad dilectionem Dei & proximi ſpectant inſerere, ædificare, & plantare teneatur, nos ſollerter, & attentè conſiderantes quod à B. Remigio, Remorum quondam Antiſtite ſanctiſſimo, tredecim præbendulæ pauperum unicuique quotidianus panis & denarius laudabiliter inſtitutæ, plerumque per ignorantiam, quandòque per amicorum ſuggeſtionem indignis, inhoneſtis, & infamibus perſonis contra intentionem ſancti inſtitutoris indiſcretè conferrentur: dignum intelleximus, meritoriúmque reputavimus, ut beneficium, quod de patrimonio Crucifixi periculosè diſtribuebatur, ſecundùm rationis, & veritatis lineam deinceps pauperibus infirmis, & ægrotantibus ſalubriter erogetur. « VILLEL-MUS. LI. « ARCHIEP. « An. 1201. « 1. Pet. 4. b. 8.

Nos itaque glorioſo Confeſſori ſatisfacere deſiderantes, ea quæ ſunt Dei Deo, & pauperibus Chriſti quæ ſibi clementer aſſignata ſunt reddere ſatagentes, ad emolumentum animæ noſtræ, & tam ad omnium prædeceſſorum noſtrorum indulgentiam, quàm ad ſucceſſorum noſtrorum benefaciendi piam inſtructionem, quandam domum hoſpitalem juxta grangiam noſtram ad portam Bacchi, pietatis intuitu fundari fecimus, & ſuperædificari, quatenus ibidem viginti pauperes languentes in perpetuum recipiantur, & miſericorditer foveantur: qui etiam fructum prædictarum tredecim præbendularum perenniter, & incommutabiliter obtineant, & prout facultas, & poſſeſſio pauperum Deo annuente dilatabitur, ita & eorumdem numeroſitas, & humanitatis exhibitio conſequenter multiplicabitur. « Matth. 25 v. 42.

Recolentes ſiquidem terribilem Evangelij ſententiam, & ad memoriam ſedulò revocantes, quia qui in terris Chriſtum hoſpitem ſuſcipere, & infirmatum viſitare, ac ipſum eſurientem, & ſitientem reficere neglexerint, in die ultionis Domini ſupplicijs deputabuntur æternis: ad ſuſtentationem prædictorum carcerariorum, conſilio & aſſenſu totius Capituli noſtri ſuperaddidimus, & adjunximus octo modios frumenti in ſexſterlagio Remenſi annuatim requirendos, & erit pondus præbendalis panis, viginti panes de cartello, & ſtabilivimus ſeptuaginta modios vini de reditu noſtro Montis-valeſij quotannis perſolvendos, & erit menſura vini unicuique pauperi dimidia metreta, & etiam miſerijs & miſerandis ægrotis de menſa Remenſis Pontificis, cùm præſens fuerit, ſemel in hebdomada die Martis, aut in die Jovis reliquias, & fragmenta decrevimus in æternum diſtribuenda.

Verumtamen quia nobis à Domino injunctum eſt, ut de bonis Eccleſiæ quæ gratis accepimus, gratis egenis largiri debeamus, ad opus coquinæ memoratorum languidorum, & ad uſum pannorum, & ad retentionem, & ad neceſſaria ſæpedictæ domûs in hala noſtra quam temporibus noſtris fecimus, & adquiſivimus, etiamſi ipſa hala alibi transferatur, vel in quæcumque alia ædificia tranſmutetur, aut ſi fortè de reditu aliquando amplius non valuerit, vigintiquinque libras Remenſes per ſingulos annos confirmavimus percipiendas; & quia miſerandorum languidorum neceſſitas omnibus alijs negotijs præferenda eſt, in prima ſolutione denariorum ejuſdem halæ recipientur.

Ad calefactionem verò pauperum infirmorum, & ad pulmentorum præparationem quinquaginta duas quadrigas lignorum in nemore Archiepiſcopali apud Calmiſiacum annuatim requirendas perenniter aſſignavimus, cujus videlicet nemoris quandam partem in diebus noſtris magno & ſumptuoſo pretio comparavimus. Conſtituimus autem ut quicumque de cetero grangiæ noſtræ, quæ juxta prælatam domum ſita eſt, cuſtos & proviſor exſtiterit, duas vaccas cum ceteris ſuis vaccis cuſtodire, & nutrire tenebitur, de quorum fructu omnem proventum pauperes infirmi obtinebunt.

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. An. 1201.

„ Similiter verò quiſquis deinceps infra manſionem Jardi Epiſcopalis habitaverit pannos & linteolos prædictorum infirmorum lavare, & mundificare tenebitur. Hujus utique tam meritorij beneficij, & commendabilis eleemoſynæ perpetuò fiet diſpenſator, quiſquis procurationem domûs, cujuſlibet domini Remenſis in poſterum exſequetur, & unum ſervientem pauperibus conceſſimus, ut eis provideat, & miniſtret; qui aſſumpto Religionis habitu omnimoda gaudeat libertate, archiepiſcopali Procuratori tantummodo reſponſurus. Proceſſu quoque temporis ſi quiſquam filius Belial (quod abſit) tam pium, tam neceſſarium opus à nobis devotiſſimè inſtitutum & ſollemniter confirmatum per negligentiam, aut avaritiam diminuere, aut penitus abolere præſumptuosè attentaverit, magnifici Confeſſoris Remigij meritis intervenientibus iram & indignationem Dei omnipotentis incurrat, & deleatur de libro viventium & cum juſtis non ſcribatur. Amen. Amen.

„ Actum anno Incarnati Verbi milleſimo ducenteſimo primo. Datum per manum Matthæi Cancellarij noſtri.

Ex his liquidò patet curam Noſocomij hujus relictam fuiſſe Procuratori domûs Archiepiſcopalis, pauperibúſque ſervientem unum conceſſum, qui ſumpto religionis habitu omnimodâ gauderet libertate, ſcilicet adinſtar ſervientium, ut opinor, quos nuper idem Archiepiſcopus DD. Canonicis conceſſerat. Cujus verò Ordinis habitum ferre debuerit, precedens charta non exprimit, nec item alia prædicti Archiepiſcopi, quæ hujus ſummam continet, confirmátque fructum prædictarum præbendarum, quem pauperibus indulget, cùmprimùm eas vacare contigerit. At Philippi Auguſti diploma ſancti Antonij meminit, indicátque hoſpitale nomen ejus præferre cujus fama, & virtus in ægrotos totum orbem pervaſerat. Illud igitur edere juvabit, quò hiſtoriæ major claritas accedat.

Secunda hac charta ſic incipit Willelmus Dei gratiâ Archiepiſcopus Remenſis Cardinalis ſanctæ Sabinæ: Sacroſancta mater Eccleſia ſicut filiorum numeroſitatem ſibi deſiderat, ita & eorum ſaluti & utilitati tenetur providere, &c. Nos igitur animosè attendentes quòd eleemoſyna extinguit peccatum, &c.

An. 1201. „ INnomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Philippus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint univerſi præſentes pariter & futuri, quòd cariſſimus avunculus & fidelis noſter Vvillelmus Remenſis Archiepiſcopus domum quamdam hoſpitalem ſancti Antonij juxta grangiam ſuam ad portam Bacchi de novo conſtituit, in qua cum tredecim præbendulis, quas ſanctus Remigius inſtituerat, alios redditus ad uſus & refectionem pauperum ejuſdem domus miſericorditer aſſignavit. Nos igitur factum ipſius Archiepiſcopi ſuper hoc plurimum in Domino commendantes, inſtitutionem ab ipſo factam in domo prædicta ratam, & gratam habemus, eámque, ſicut in ipſius Archiepiſcopi authentico continetur, auctoritate regia confirmamus. Quod ut firmum ſit, & ſtabile præſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate, & regij nominis charactere inferius annotato præcepimus confirmari.

„ Actum Remis an. Dom. milleſimo ducenteſimo primo, Regni verò noſtri anno vigeſimo tertio, aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna. Dapifero nullo.

„ Signum Guidonis Buticularij.
„ Signum Matthæi Camerarij.
„ Signum Drogonis Conſtabularij.
„ Data vacante Cancellaria per manum Fratris Garini.

„ Curæ Magiſtri, ac Fratrum ſancti Antonij prædictam domum hoſpitalem haud multo poſt commiſſam fuiſſe probat charta Thomæ de Beaumets Rem. Archiepiſcopi, quibus grangiam ſuam, ut vocat, & culturam ſitas Remis ſub annua penſione concedit, quæ ut & plura à Vvillelmo relicta, pauperibus

Digitized by Google

ribus diu annonam præbuerunt, charta autem sic incipit. VILLELMUS. II. ARCHIEP. An. 1201.

Thomas Rem. Archiep. Notum sit nos dedisse Fratribus hospitalis S. Antonij grangiam nostram, & culturam sitas Remis in territorio Remensi, cum appenditijs earumdem ab ipsis Magistro, & Fratribus in perpetuum tenenda sub annua pensione, sive trecensu sexaginta librarum Parisiensium, nobis & successoribus nostris ab ipsis Magistro, & Fratribus reddendum terminis in littera expressis, cum alijs conditionibus, videlicet administrare stramen album in domo de porta Martis, in palatio Remensi, & in domo sita apud Novamvillam supra vidulam &c. quæ omnia adhuc continentur in litteris Officialium cui subsignârunt Decanus & Cantor Ecclesiæ Remensis an. 1255.

Presbyter S. Antony nominatur in litteris M. Pontij de Sparnaco Officialis Dom Otteboni Cardin. an. 1254.

Nulli igitur dubium esse potest, quin prædictum Hospitale bonis Ecclesiæ Remensis ab initio dotatum regimini Fratrum Ordinis sancti Antonij relictum fuerit, qui pauperum curam gerebant, sub directione tamen Archiepiscopi; unde graves ob id postmodum ortæ sunt controversiæ inter Guidonem de Roya Remensem Archiepiscopum, & Abbatem S. Antonij Viennensis, Trecensis domûs administratorem, Guidone asserente plenam & integram Hospitalis dispositionem ad se pertinere titulo Archiepiscopalis suæ dignitatis; Abbate verò hanc sibi prærogativam deberi ob totius Ordinis generalatum, & præceptoriam Trecensis conventûs. Lis tandem amicè composita est hoc tenore, quod Abbas, & Præceptor Trecensis jus habebit præsentandi D. Archiepiscopo Religiosum Presbyterum, vel alium idoneum ejusdem Ordinis, quem tenebitur dictus D. Archiepiscopus admittere ad præsidentiam personalem in Hospitali prædicto: ubi juxta regulam, & Ordinis statuta Missas saltem diebus Dominicis & festivis celebrare, divinum quoque Officium, & sacramenta Ecclesiæ pauperibus & infirmis ejusdem Hospitalis ministrare tenebitur, nec in eo ultra triennium remanere poterit, nisi de consensu prædicti Archiepiscopi, cui vel deputatis ab eo, reddet rationem de statu & administratione prædicti loci, cùm eidem D. Archiepiscopo, aut successoribus suis videbitur opportunum: data tamen facultate Præceptori Trecensi visitandi prædictum Hospitale semel in toto triennio, júsque procurationis recipiendi, ut pleniùs in prædicta conventione refertur, coram Notarijs & testibus Guidonis Archiepiscopi sigillo roborata in castro portæ Martis an. Dom. 1407. Indict. 15. & die ultima mensis Augusti.

Ibi etiam dicitur quod non obstantibus privilegijs prædicti Ordinis mandabit ipsum hospitale in omnimoda potestate & dispositione Dom. Archiep. Rem.

Postmodum verò, cùm frequens Magistrorum mutatio vergeret in detrimentum Hospitalis, eo quòd vix toto triennio bonorum temporalium cognitionem assequi poterant, statutum est quòd de cetero quoties contingeret abesse Religiosum præsidentem in dicto Hospitali Remensi per cessum, mutationem, vel decessum Religiosi ibidem præsidentis, reverendiss. Archiepiscopus Remensis qui pro tempore fuerit, poterit eligere, aut nominare unum ex Religiosis in dicto Hospitali residentibus, aut alium sufficientem & idoneum ad præsidendum quoad vixerit, quem sic electum tenebitur Præceptor Hospitalis S. Antonij Trecensis præsentare D. Archiep. Remensi sine aliqua difficultate. Hic autem sic præsentatus jurisdictionem D. Archiepiscopi Rem. & non alterius cujuscumque, in civilibus & criminalibus subire tenebitur, statuta Ordinis servare, sacramenta Ecclesiastica infirmis pauperibus, ac ceteris religiosis personis in eodem Hospitali degentibus ministrare, juxta pactum aliud initum inter Vicarios generales in spiritualibus & temporalibus reverendissimi D. Reginaldi Remensis Archiepiscopi tunc in remotis agentis, & Humbertum Abbatem S. Antonij Viennensis & Arnoldum Præceptorem Hospitalis Trecensis, anno 1444.

Ceterùm quod spectat ad ordinem cui prædictum Hospitale unitum

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1201.

est, conveniunt Authores eo tempore incœpisse, quo morbus ille vigebat per Gallias, qui Sacer-ignis ; vel Erysipila, seu Ignis-sancti-Antonij vocatur, studio Gastonis Franci provinciæ Viennensis, & Gerini filij ejus, qui junctis sibi octo alijs ministrantibus Ordinem instituerunt, sumpto pro insignibus signo Tau, quo veluti tessera ab aliis distingueretur, cujus in præcedenti conventione Abbatis cum Guidone de Roya Remorum Archipræsule fit mentio his verbis : ***Insuper Conversi, & Conversæ dicti Hospitalis portabunt impunè signum Potentiæ de panno Persico in forma sua consueta, pro ut alij deferunt in Ordine ipso.*** Prædictus verò Ordo sancti Antonij vocitatur quod Sacro-igne tacti ad ejus Reliquias sanarentur : unde crevit ejus cultus, præcipuè in provincia Viennensi, ubi corpus ejus jussu Urbani Papæ translatum est. Callixtus Papa è Concilio Remensi in Italiam rediens per Viennam, cujus fuerat Archiepiscopus, Ecclesiam sancti Antonij totius Ordinis caput sitam apud Montem-Desiderij, ac frequenti populorum concursu celebrem anno 1110. consecravit. Factum inde est, ut excrescente lue, dilatatus fuerit quoque & Ordo, radicèsque egerit in provincia Remensi, pro ijs qui truncatis membris in perpetua calamitate viverent.

D. Antonius Monachorũ vitam copiosissimo quidem fetu per orbem propagavit, sed viva dumtaxat fuit suorum ac posterorum regula, licèt plerique in Europa dicantur esse Ordinis sancti Antonij. Monachi flavo habitu ex crassiori gossipio, aut pellibus utuntur. Quod spectat ad eos quos Gasto excitavit pro sublevandis pauperibus igne sacro contactis Bonifacius VIII. regulam sancti Augustini illis præscripsit. *Miræus* Origin. Monasticar. lib. 1. cap 15.

Gaudet autem prædicta sancti Antonij Hospitalis Ecclesia aliquot sanctorum pignoribus, imprimis.

Particula vitalis ligni Salvatoris.
Segmento vestis purpureæ Christi Domini.
Osse sat notabili sancti Andreæ Apostoli.

Brachio Sancti Antonij tutelaris patroni, qui nobili prosapia oriundus patriâ Ægiptius, anno ætatis suæ septimo decimo distributis inter pauperes facultatibus suis in eremum secessit, ubi contra dæmonum larvas viriliter dimicándo insignes retulit victorias.

Multis item ossibus ejusdem nominatissimi Antonij in diversis lypsanothecis.

Pede item ejusdem sancti Antonij in argento pedis figuram referente.

Ossibus præterea è sodalitio sanctæ Ursulæ.

Quibusdam alijs Sanctorum Reliquijs in arca quæ exponitur super altare quorum nomina nulli innotescunt.

Vvillelmi Archiepiscopi finis & obitus.

NOsocomio sancti Antonij in Urbe stabilito, Vvillelmi liberalitas adhuc eluxit erga leprosos Remenses, quibus, ob nundinarum translationem in vicum Culturæ, centum sextarios in excambium concessit, hac charta.

„ Vvillelmus Dei gratia Rem. Archiepiscopus, & Ecclesiæ Roma-
„ næ tituli sanctæ Sabinæ Cardinalis. Noverit universitas vestrá quòd
„ nundinas, quas habebant Leprosi Remenses in septimana Paschæ juxta
„ domum suam, transtulimus ad vicum, qui Cultura dicitur, ad meliora-
„ tionem vici, & eisdem Leprosis in excambium assignavimus centum
„ sextarios frumenti, ad mensuram Remis in molendinis nostris inter duos
„ pontes, singulis annis de primo blado, quod exierit de molendinis, in
„ perpetuum percipiendos. &c. Actum an. 1201 mense octobri.

Datum per manum Matthæi Cancellarij.

Hanc donationem confirmavit Philippus Rex eodem mense, & Innocentius III. at huic liberalitati successores intercesserunt, ne reditus Archiepiscopales pro Ducis, ac primi Paris dignitate sat tenues, quocumque prætextu

prætextu anguſtiores adhuc fierent, cujuſvis partis fundi diſtractione. Vvillelmus ſe quoque munificum præbuit erga matricem Eccleſiam, quam duabus capellanijs in ea recèns erectis, tapetibus, & ornamentis auro contextis, aliáque ſupellectili ditavit; vas etiam magni pretij largitus eſt, quo ſacrum viaticum ægrotis deferretur: alijs item circa divini Officij decorem magnificè peractis, ſtatuit iterum in Italiam proficiſci, qua cauſa incertum, cùmque Arimini, quæ eſt urbs Æmiliæ in Italia moram faceret, nunciatum eſt ei Burgenſes Canonicorum ab Officiarijs ſuis indebitè vexari, impediríque, ne ſuis gauderent immunitatibus, quas rogatus ab illis, novo diplomate confirmavit dato Anagniæ, menſe Januario an. 1201 Paullopoſt vergentibus annis ad occaſum, debiliorem ſe ſentiens de reditu in Galliam cogitavit, at mors, quam anniverſarij ſui fundatione dudum prevenerat, ſenſim obrepſit antequam Remos perveniret. Sic plenus dierum, omníque fulgens dignitatum gradu, quæ natales ſuos decerent, ab hominibus receſſit ætatis ſuæ anno ſexageſimo octavo, Pontificatûs vigeſimo ſexto, VII. Idus Sept. an. 1202. Habent MSS. & Chronicon Autiſſiod. Lauduni apoplexiâ deliſſe non condito teſtamento. Corpus Remos relatum eſt, & in Eccleſia Cathedrali honorificè tumulatum juxtà majus altare, ſub tumba lapidea, cui tale inſculptum eſt Epitaphium. VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1202. *VIII. Sept. ex Obitua S. Remigij, & S. Baſoli.*

Moribus excelſus, providus, mitis, prudens, & pacis amator,
Annis bis denis & ſex cum ſimplice menſe
Præfuit Archiepiſcopus VVILLELMUS *in urbe Remenſi,*
Septimâ Septembris Idus fuit finis mea vitæ.

Ceterùm cùm mors ultima ſit linea rerum, geſtíſque clarioribus coronidem imponat, omnibus enitendum eſt quàm maximè, ut prioribus laudabilis vitæ lineamentis extrema reſpondeant, quod an Vvillelmus præſtiterit, propenſio ipſius & effuſa liberalitas in pauperes facilè perſuaderent, niſi Chron. Autiſſiod. neſcio quid ſcrupuli injiceret. Hujus verba referre non pigebit, ne ea conſultò præteriſſe videar: *Guillelmus Remenſis Archiepiſcopus cùm Laudunum veniſſet morbo ſubitaneo præventus opprimitur, & occluſo linguæ officio moritur inteſtatus: vir nobilis genere, & qui diu floruerat, tàm ſæculari, quàm Eccleſiaſtica præditus poteſtate. Primis ſui Pontificatus auſpicijs ſatis modeſtè ſe habuit, & morum enituit ornamentis, felixque exſtitiſſet, ſi primis ultima reſponderent, & uſque in finem merita cohæſiſſent: ſed cùm res in contrarium verſa ſint, nec fuerit concolor finis initio, finali non attulimus laude, quem nimis reddidêre notabilem & munerum injuſta acceptio, & prodigalis effuſio.* Huic concinit Albericus an 1202: *Obijt Vvillelmus Rem Archiepiſcopus VII. Idus Octob. qui per annos viginti ſex & ultra Præſulatus infulas cum favore & gloria ſæculari obtinuit, ſed licèt non ita cum favore Dei.* *Chron. Autiſſ. ad an. 1201.*

Verumenimverò monimenta dictis potiora ſunt, & teſtimonialibus chartis referta Tabularia. Exprobratur illi munerum acceptio, & prodigalitas, quid ſi ab indigo nihil, & in accipiendo juſtitiam non læſerit? qualis illa prodigalitas, quæ ſit in pauperes? imo felix, & laudabilis pecuniarum congeſtio, quæ ad Dei cultum, Eccleſiæ ſplendorem, miſerorúmque ſublevandam inopiam expenditur. Exterorum certè Scriptorum auctoritas tanti eſſe non debet, ut de fama tanti viri quicquam detrahendum putem, præſertim cùm nihil proferant, quod nominatim ei vitio verti poſſit, aut indicet turpem vitæ clauſulam poſuiſſe.

Viri

Digitized by Google

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1202.

Viri ſanctitate & doctrina illuſtres, qui Remis claruerunt ſub Pontificatu Henrici & Vvillelmi Cardinalis.

CAPUT XVIII.

UT duabus potiſſimum rebus, pœnâ ſcilicet, & præmio Reſpublicæ contineri ſolent, ex Solone apud Tullium, ſic virturi propoſita merces eruditiſſimorum hominum illex eſt, quorum copiâ civitates, ſi ejuſmodi ſtimulus adſit, facilè replentur, ut Remenſis ſub Vvillelmo. Stephanus Tornac. Scholaſtici cujuſdam negotium eidem Archiepiſcopo commendare volens, dicit ſibi opus non eſſe verboſas emendicare preces, aut laudum venalium coram eo præconia corrogare, cùm illuſtris ejus clementia, litterarum peritia commendabiles diligere, ac promovere conſueſcat: *Clamat*, inquit, *hoc quaſi ab ortu ad occaſum totus orbis, cùm Etruſcos & Ligures ſuos Italia, Britannia major Anglicos, utraque Gallia Belgas, & Celticos in curia veſtra videant aut onerari divitijs, aut dignitatibus honorari.*

Steph. Torn. Epiſt. 76.

Iohannes Saresberienſis Epiſcopus Carnotenſis.

PRimus ex his occurrit Johannes Sareſberienſis, Anglus natione, ſancti Thomæ diſcipulus, ac individuus Comes, imò oculus & manus, ex Petro Bleſenſi, laudúmque ſuarum Encomiaſtes diſertiſſimus. Vir ille inſignis, cujus doctrinam ſanctitas adæquabat, extorrem domo, patria, parentùmque congreſſu fieri præferens, quàm iniquas ſervitutes, quæ Anglicanis Eccleſiis imponebantur, ſuo ſilentio approbare, in Galliam cum inclito ſuo Primate transfretavit, Remóſque veniens, apud ſanctum Remigium hoſpitio exceptus eſt, ubi loci ſanctitate, Urbis fama, ac Petri Abbatis conſortio delinitus, cum quo vetus & arcta ei neceſſitudo, aliquot annos tranſegit, ſacrarum litterarum lectioni dans operam, ac obſequio ſuorum qui pariter ob perſecutionem à patria exſulabant. Abbas tanto hoſpite exhilaratus ad ſibi amiciſſimum Sancti-Amandi Abbatem ſic ſcribit: *Iohannes litterarum eruditione, & morum honeſtate tanto cunctis probatior, quanto melior ab Anglia exſulat apud nos, & nos domi noſtra, exſulamus cum illo. Dulce ac felix exſilium*, ex eodem Sareſberienſi, qui & ad Henricum Comitem Campaniæ epiſt. 172. fatetur in vita nihil eſſe jucundius, quàm cum litteratis viris, & de litteris habere ſermonem. Johannis eloquentia elucet in epiſtolis, aliiſque operibus poſteritati relictis in quibus ſtrenuitas ejus ad partes Eccleſiæ tuendas, pondus rationum, ſtili gravitas cunctis legentibus patent. Tumultus exortos in urbe Remenſi ſub Henrico graphicè depinxit epiſt. 171. cujus lenitatem, ac ſtudium pro Eccleſia gemente in Anglia miris alibi extollit laudibus. Vvillelmus ex Archiepiſcopatu Senonenſi in Remenſem aſſumptus Johannem Remis latentem, ut toti Eccleſiæ præluceret, ad Epiſcopatum Carnotenſem promovendum cenſuit, quo ipſe potiebatur cum Senonenſi, cujus rei gratiâ Petrus Remenſis grates illi rependit hac epiſtola, quâ ex multis ejus virtutibus æternum veluti encomium compingitur.

Epiſt. 149. apud Sareſbe.

Unico

Digitized by Google

VUILLELMUS. II. ARCHIEP. An. 1202.

Vnico, & unicè reverendo Patri & domino Vuillelmo Dei gratiâ Senonenſi, imo Remenſi Archiepiſcopo, Petrus ſancti Remigij Abbas.

IN inſigni electione Carnotenſi de Magiſtro Johanne ſtellam matutinam produxit Deus de theſauris ſuis, affuit huic prædeſtinationi Dei partus vigilantiſſima ſagacitas Domini mei, & manum obſtetricantem ſuppoſuit, ne aborſum pateretur incommutabilis Dei prælectio. Deus tibi laus, tibi gratiarum actio: Archiepiſcope tibi merces, tibi æterna remuneratio ..... Certè hoc in Rationali, & Superhumerali tuo, Pater amantiſſime, ſtilo ferreo, ungue adamantino ſcribetur, quòd in Vicarijs Petri eligendis nulla te movet humana gratia, nullus favor, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ avaritia ..... Ubicumque hoc Evangelium prædicabitur, dicetur quòd ſis amicus ſponſi, cùm tam verax ſis, & fidelis, non jam in quærenda uxore Iſaac, ſed inveniendo Joſeph virum Mariæ. Verè Maria veneratur in Carnotenſi Eccleſia Verè iſte Johannes, pretioſo ſanguine S. Thomæ Pontificis, & Martyris intinctus, lege divina ad plenum inſtructus, bonis moribus, & pijs actibus ornatus, apoſtolico ad Timotheum catalogo virtutum bene depictus, ad Dei honorem, & ad veſtram perpetuam laudem, columna factus eſt in Eccleſia Dei. Reviruit in vobis antiquus apoſtolicæ ordinationis ramuſculus, cum pro Patribus Filij ungebantur, imo cùm pro panibus omni ſabbato calidi cum thure ſubſtituebantur panes.

Petri Abbatis ſancti Remigij epiſt. 110.

Johannes his prædituſ dotibus aliquot annos Carnotenſem ſapienter rexit Eccleſiam, obiitque an. 1182. ſitus in Monaſterio Joſaphat cognominato.

Magiſter Radulfus Eccleſiæ Remenſis Decanus.

RAdulfus ex eadem gente, ſocius quoque fuit B. Thomæ Martyris, quem in exſilium ſecutus eſt, ex Baronio in Annal. cúmque ſpecimen haud vulgaris doctrinæ edidiſſet in Concilio Remenſi habito ſub Alexandro III. anno 1163. Decanatu majoris Eccleſiæ donatus eſt poſt obitum Fulconis, Sareſberienſis rogatu, ut refert ipſe epiſt. 230. *De cetero quia Remenſis Eccleſia dicitur ad curiam proficiſci, precor ut Magiſtro Radulfo per Dom. Papam, & alios ab Archiepiſcopo, & Canonicis obtineatis. Iam enim de eo eligendo ſermo habitus eſt, nec credo quòd apud eos aliquis litteratior ſit, aut honeſtior moribus aut liberalior in pauperes Chriſti* Res pro voto ceſſit, & Poetæ illud verum eſſe comprobatum, quod Gallia exteris ſit propenſior.

Hanc legem poſuit natura parentibus, ut ſint
In ſua proclives pignora quæque magis,
Gallia ſola tamen, contempta lege, quibuſvis,
Mater & eſt, natis ſæpe noverca ſuis.

Radulfus plures annos Decaniâ religioſè perfunctus eſt, nomenque ejus in pluribus chartis reperitur, quibus ipſe ſubſcripſit an ſcilicet 1176. pro decimis ſancti-Leodegarij apud ſanctum Nicaſium & in Tabulario Hoſpitalis anno 1185. 1193. & 1194. Magiſter Radulfus vocatur apud Petrum Cellen. epiſt. 7. lib. VI. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 39. ſollertiſſimum eum vocat in Remenſi Eccleſia Decanum, genere Anglicum, qui Canonicos ſuos pro exceſſibus viriliter corrigebat. Ejus ſeveritas patuit erga Rotardum ex regia progenie ortum, & electum Cathalaunenſem

Ædilus Leodien. in vita ſancti Alberti cap. 11

VVILLELMUS LI. ARCHIEP. An. 1202.

sem Episcopum, quem validissimâ afflixit disciplina, quòd ad exsequias sancti Alberti sine nuptiali veste venisset. At extinctionem Communitatis Canonicorum Remensium impedire non potuit; licèt pro ea exhortatoriam epistolam miserit Stephanus Tornacensis. De eo Necrologium Remense sic habet, *Radulfus Decanus, & Canonicus noster obijt XIII. Cal. Septem. vir honestus, & litteratus, qui dedit decimam de Gothis (quam emerat) hospitio sanctæ Mariæ, ut inde infirmi, & non conversi habeant pitantias in Aduentu Domini; & in Quadragesima vestes eis procuratores hospitij singulis annis distribuere debent, & hoc de consilio Presbyteri sancti Michaelis.*

f. necnon

Huic successit Petrus Cantor Parisiensis, cujus electionem à Vvillelmo approbatam supra retulimus anno 1196. & post Leonem II. & B. ..... quorum nomina passim in Chartularijs referuntur. Stephanus quidam vir magni nominis & doctrinæ Decaniam obtinuit de quo chronicon MS. hæc habet: anno 1209. *Post Cancellarium Parisiensem, Magistrum Præpositum, virum mirabilem natione Lombardum, qui fecit sermones, & quasdam postillas sententiarum, fuit Cancellarius Magister de Candel, & Iohannes de post eum Magister Stephanus Decanus Remensis.* Legitur hic in Chartulario sancti Nicatij pro domo de Sermiers anno 1214.

Magister Stephanus Decanus Rem. & Cancella. Parisien.

Petrus ex Cellensi Abbas sancti Remigij Remensis

PEtrus abbatiali dignitate primùm præfulsit in Cella diœcesis Trecensis, ut probant epistolæ titulo Cellensis insignitæ. Hic ob famam virtutis, pietatémque, quæ in scriptis suis elucent, Abbas sancti Remigij renunciatur post excessum Hugonis anno 1162. aliquos secum adduxit ex Cella Religiosos, qui tirocinium sub eo expleverant, inter quos memoratur insignis Fulco, quem Dania in Archiepiscopum Lundensem elegit. Monasterium Sanremigianum ipso regente doctissimorum exstitit domicilium, in quo, ob instructissimam bibliothecam, excelsiora ingenia cum Mandritis litterarum otio plerumque oblectabantur; unde idem Petrus ad Episcopum Excestriensem scribens, cùm vigeret persecutio in divum Thomam: *Si magna illa bellua evomuerit vos de terra vestra, est apud nos domus nova vobis parata, cum omni sumptu, sine auro, & argento, ubi & copiam librorum, & studendi otium pro libitu invenietis.*

Pet. Cell. epist. 4. lib. 5.

Henricus Archiepiscopus tanti eum faciebat, ut officium sutum ei commiserit, Vicariatum auguror, cùm Romam Alexandrum Papam comitaturus pergeret. Theobaldus Parisiensis manu ejus, & ingenio usus est ad conciones texendas, ut olim quidam alij Episcopi Salviano apud Gennadium. Cùm frons & chorus Ecclesiæ suæ eâ structurâ non esset, quæ Francorum Apostolum decerent, statuit eas partes magnificentiùs construere, ex epist. 4. lib. IX & epist. 22. lib. VIII. *Nobilem Ecclesiam nostram tam in fronte, quàm in ventre, cui caput secundùm se deerat, fabricandam suscepimus.* At quod illi immortale decus parit, sunt egregia ejus opera, quæ adhuc exstant, visuntúrque in Bibliotheca Patrum, præter epistolas, quas nuper P. Sirmondus publici juris fecit. Post aliquot annos in sanremigiana præfectura emensos, Johanne Saresberiensi è vivis sublato, Vvillelmo Remensi procurante, qui auctoritate plurimùm pollebat apud Regem, in Episcopum Carnotensem Petrus electus est, quem dignissime rexit per decem annos, exemptus anno 1192. Hujus ac Johannis Saresberiensis anniversaria celebrari debent apud sanctum Remigium, excharta Vvillelmi Archiepiscopi.

Idem epist. 9. lib. VI.

Idem epist. 4. lib. IX.

Petri opera omnia ipsa excusa anno 1671 studio D. Ambrosij Janvier.

Galiberus

Digitized by Google

Galtherus Remenſis Canonicus.

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An.* 1202.

GAltherus inter Poetas melioris notæ, qui hoc ſæculo floruerunt, merito ſibi locum vendicat. Hic ex Caſtellione ſupra Matronam oriundus, Remis Rhetoricam docuit, maximámque curam habuit undique comparandi ſibi libros, è quibus velut argutiſſima apis ſuccum, ac medullam ſugeret. De eo Johannes Sareſberi. epiſtolâ ad Pictavienſem Cancellarium : *Injunctum eſt latori præſentium, ut ad dominum Epiſcopum gerat negotium Magiſtri Galtheri Clerici domini Remenſis pro recuperandis libris, quos idem Galtherus Magiſtro P..... Heliæ commendaverat.* Quidam putant Vvillelmo Cardinali à ſecretis fuiſſe, tum verò ob egregiam concionandi peritiam Canonicatu donatum ab eodem Archiepiſcopo, cui in æterni pignus obſequij vitam Alexandri decem libris conſtantem, quot ſunt. litteræ in VVILLELMUS vocabulo, conſecravit; ita ut quilibet poematis liber ab unaquaque incipiat. Vvillelmum autem in præfatione tamquam ſibi Mecœnatem ſic alloquitur.

At tu, cui major genuiſſe Britannia Reges
Gaudet avos, Senonum quo Præſule non minor urbi
Nupſit honos ..... quàm cùm Senonenſibus armis
Fregit adepturus Tarpeiam Brennius arcem,
Si non exciret vigiles argenteus anſer.
Quo tandem regimen Cathedræ Remenſis adepto,
Duritiæ nomen amiſit Belgica virtus,
Quem partu effuſum, gremio ſuſcepit alumnum
Philoſophia ſuo, totúmque Helicona propinans
Doctrinæ ſacram patefecit pectoris aulam,
Excoctúmque diu ſtudij fornace fugata
Rerum nube, dedit cauſas penetrare latentes.
Huc ades.

Et in fine

At tu, cujus opem pleno mihi copia cornu
Fudit, ut hoſtiles poſſem contemnere linguas,
Suſcipe Galtheri ſtudioſum magne laborem
Præſul, & hanc Vatis circum tua tempora ſacra
Non dedigneris hederam conjungere mitræ.

Guillelmus Brito Armoricus Galtheri meminit in exordio Philippidos, ubi ſeſe ejus exemplo ad opus aggrediendum ſtimulat his verbis.

Geſta Ducis Macedûm celebri deſcribere verſu
Si licuit, Galthere tibi, quæ ſola relatu
Multivago docuit te vociferatio famæ.

Buzelin. ad an. 1184. ſcribit Inſulæ vitam Galtheri parentes dediſſe, & cùm Rhetorica, & poetica facultatis plurimùm laboris impendiſſet, ad Philoſophiam & Theol. ſe contuliſſe, aiſque quòd panxit de geſtis Alexandri poema diu tritum in ſcholis eſſe, ac typis excuſum. Citat Iohan. Trithemium in Catalogo Virorum illuſtrium Germaniæ.

Præter heroicum illud opus Galtherus nihil quod ſciam poſteritati reliquit, exſtátque adhuc MS. in bibliotheca Remenſi.

Bernardus ſeu Berneredus Abbas S. Criſpini Sueſſionenſis & Cardinalis.

SAnctus Berneredus Remenſis provinciæ flos lectiſſimus, inſignis vir fuit ſanctimoniæ, ac otij illius amans, quod inter eremi accolas ſuaviùs arridet. Hic ſuſcepto ſancti Criſpini-majoris regimine in urbe Sueſſionenſi eximiæ virtutis tot indices prodidit, ut ab Alexandro III. Senonis

VVILLELMUS. LI. ARCHIEP. *An* 1202.

agente accitus purpurâ meruerit decorari, an. 1163. Hac dignitate nihil mutatus, inter Fratres ſui Monaſterij quaſi unus ex illis vixit, delibatam ſemel congreſſûs, conſuetudiniſque Carthuſianorum dulcedinem Romanis delitijs, & Cardinalitijs, quæ delatæ fuerant, infulis anteponebat: Vvillelmum Archiepiſcopum in Italiam ad Concilium Lateranenſe proficiſcentem cum Nevelone Sueſſionenſi Epiſcopo, Petri Sancti-Remigij Abbatis ſuaſu, comitatus eſt, ubi cùm famâ ſanctitatis eniteret, ad Epiſcopatum Prænestinum invitus ſublimatur. Hic paullo poſt de Petro Abbate graviter conqueſtus eſt, quaſi prædictum iter conſulendo, hoc onus humeris ſuis impoſuiſſet: at Abbas ſibi indulgendum eſſe ſcribit epiſt. 1. lib. IX. quod ſimplicitate potius, quàm calliditate uſus fuerit, quando ut Sueſſionenſi Epiſcopo acquieſceret, ire cum eo ad Concilium perſuaſit. *Si te*, inquit, *cæleſtis diſpenſatio illaqueavit, quid tibi iraſceris? quid mihi?* Hoc per aliquot annos perfunctus munere ad curiam Regis æterni evolavit, vitæ ac mortis ornamentis clariſſimus, anno 1186. De eo idem Petrus Abbas S. Remigij: ***Malebat cellam Montis-Dei incolere, ut frequenter mihi ſcripſit, quàm epiſcopalem Cathedram tenere, prævenit illum Deus benedictionibus ſuis, & quem olim amicum, & Fratrem in terris habebamus, nunc dominum & Sanctum in cælis veneramur; miracula enim quæ facit Deus, teſtimonia credibilia ſunt converſationis ejus.***

Petrus Cell. epiſt. 1. lib. IX.

Hunc in præfectura Abbatiæ S. Criſpini Sueſſionenſis ſuffectus eſt Theobaldus, ſingularis vir modeſtiæ, & eruditionis, ex qua tranſijt ad S. Baſolum prope Remos, cujus non primus Abbas fuit regularis, ut quidam volunt, ſed decimus. Mox ne virtus ejus ſaltuoſis his latebris deliteſceret, in lucem apud Sanctum Geremarum prodijt, deinde apud Sanctum Lucianum Belvacenſem: tum obeunte Guillelmo Cluniacenſi Abbate, totius ordinis generalis Abbas renuntiatur, anno 1176. fitque poſtea Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem ab Alexandro III. & Epiſcopus Oſtienſis à Lucio III. an. 1184.

Magiſter Melior Vicedominus Remenſis & Cardinalis.

INter hujus ævi ſpectabiles viros, Meliorem Remenſis Eccleſiæ Vicedominum præfulſiſſe probant clariſſimum Magiſtri nomen, quo pluribus in chartis, etiam poſt adeptam Cardinalatûs dignitatem, inſignitur, forenſiſque ſcientiæ cognitio, ob quam litibus dirimendis multum excelluit: gravi ſiquidem naſcente diſcordia inter Capitulum Laudunenſe, & Abbatem Sancti Vincentij pro jure Cœmeterij Epiſcoporum, quod Robertus Decanus, (alio loco humandis corporibus aſſignato) ab Eccleſia Vincentiana abſtulerat, cùm ab antiquo, ea non tantùm Epiſcoporum, ſed & Canonicorum, & Caſatorum fuiſſet; Magiſter Melior arbiter ſelectus eſt cum Archiepiſcopo Remenſi, & Abbate Sancti Remigij, ex authentico, cujus hîc fragmentum ſubijcimus.

An. 1183. » Venerabilibus Fratribus & amicis Roberto Decano, & Capitulo Lau-
» dunenſi, Hugo humilis Abbas Sancti Vincentij Laudunenſis, & totius
» ejuſdem Eccleſiæ conventus in Domino ſalutem. Noverint univerſi quòd
» orta inter nos, & vos diſſentione ſuper cœmeterio noſtro, quod contra
» jus noſtrum & conſuetudinem de novo conſtruxiſſe videbamini; tandem
» in dominum Vvillelmum Remenſem Archiepiſcopum tituli ſanctæ Sabinæ
» Cardinalem, apoſtolicæ Sedis Legatum, Simonem Beati Remigij Remen-
» ſis Abbatem, & Magiſtrum Meliorem Remenſis Eccleſiæ Vicedominum,
» hinc inde fide interpoſita compromiſimus &c. Actum anno 1183.

Illuſtris Melior ob reconditioris doctrinæ præſtantiam Cardinalis Camerarius Romanæ Eccleſiæ tituli ſanctorum Johannis & Pauli ſub Lucio Papa

Digitized by Google

Papa III. creatus eſt anno 1184. tum Legatus in Francia ſub Cæleſtino III. ex Rigordo in vita Philippi Auguſti, pro reformando matrimonio inter prædictum Regem & Ingelburgem uxorem ab eo derelictam. Exſtat etiam Magiſtri Melioris mandatum de interdicenda terra Comitis Flandriæ, apud Stephanum Tornac. & epiſtola Vvillelmi Remenſis, Regis nomine (ſtilo tamen Stephani) ad prædictum Meliorem Legatum, quâ conqueritur de Epiſcopo Dolenſi in Armorica, quòd terminos Patrum tranſgredi cupiens, ab Eccleſia Turonenſi in Regis ac Regni præjudicium ſe abſtrahere niteretur, ut ſupra diximus. Obijt Magiſter Melior Cardinalis ſub Innocentio III.

Vvillelmus. li. Archiep. *An.* 1202.

Lucius Papa capite jejunij id eſt feriâ iv. cinerum ordinavit plures Cardinales, inter quos Magiſtrum Meliorem Presbyterum Cardinalem, quem etiam fecit Camerarium ſuum *Rob. de Monte an.* 1184.

Guido Parè ex Cardinali Præneſtino et S. R. E. Legato ſit quinquageſimus ſecundus Archiepiſcopus, privilegium generale obtinet ab Innocentio III. Gandavi obijt in Æde ſancti Bavonis, Ciſtercium transfertur ubi quieſcit.

An. 1203.

CAPUT XIX.

VVILLELMI Cardinalis obitus, quo litteratorum conſternati animi, atque Nobilium è Clero, qui ad eccleſiaſticas dignitates dudum aſpirabant, ſic acuit appetitum, ut nihil intentatum dicatur ab illis, quò ſibi æmulos ab Archiepiſcopatu Remenſi conſequendo arcerent. Refert Chronicon Laudunenſe Philippum Drocenſem regali ſtemmate ortum, Balduinum Præpoſitum Eccleſiæ Remenſis, ac Milonem de Nantolio Canonicum Belvacenſem Galcheri Caſtellionis filium & Alindis de Nantolio, ſibi majorem ſuffragiorum partem vendicâſſe, ſingulóſque horum ſucceſſivè fuiſſe electos. At Theobaldus Perticenſis Remenſis Archidiaconus vir ſubtilis admodum & acutus, quò aditum eis præcluderet, Philippo Drocenſi in belligerando peritiam obiecit, Balduino pollicis mutilationem, Miloni verò juventam, nec tantæ molis parem.

Albericus in Chron. ad an. 1204

Is erat qui captus eſt ab Anglis.

His igitur tribus explosis, Theobaldus, qui æquè ſuffragia ambiebat, infulas ſibi deberi arbitrabatur; *at jure ad ſummum Pontificem devoluto,* inquit Albericus, *nominatur Guido Abbas Trium-fontium, qui bullis nec-dum obtentis hominem exuit, ſicque alter Guido Cardinalis Præneſtinus S. R E. Legatus ei ſubrogatur, quem Philippus Rex ob vitæ ſanctimoniam ſuo calculo comprobavit.*

Proferunt Sammarthani Innocentij III. Pontificis de hac electione decretum ex originali Vaticano, quo impetuoſam eligentium levitatem perſtringit, & quòd facta eis facultate denuo eligendi, ſciſſi inter ſe fuerunt ac diſcordes, donec ijſdem ſanctæ Sedis indulto abutentibus, eadem Guidonem Præneſtinum Epiſcopum apoſtolicæ Sedis Legatum, virum providum, & honeſtum, oriundum de Regno Francorum, qui fuerat in Ciſtercienſi Ordine primus Abbas, Eccleſiæ Remenſi providit in Rectorem, dum tamen ejus ſuper hoc accedat aſſenſus, quem invitum cogere non vult, ſed conſentientem aſſumi, datum Laterani, 2. Nonas Julij an. VII. Cùm hujus viri apoſtolici natales nullus, quod ſciam, retulerit, cogimur initia ejus apud Ciſtercium emendicare, in quod à pueris ſe incluſit, pietati ac litteris dans operam, illuſtrium virorum exemplo, qui

GUIDO LII. ARCHIEP. An. 1204.

recenti adhuc hujus Religionis fervore incalescebant: eâ scholâ educatus, sic inter sodales imitabilem se, ac mirabilem præbuit, ut ex minoribus officijs, post Petri excessum, ad Generalatum meritis exigentibus pervenerit anno 1190. vel 95. *Ipso regente, statutum fuit*, inquit Chronicon, *in Capitulo generali, ne ullus apud Carthusianos ex Cistercienſibus ; néve ex Carthusianis apud Cistercienses migraret, nisi adepta prius facultate ab Abbate Cistercienſi & contra, &c.* Viri hujus fama per Italiam percrebrescente, Innnocentius III. qui hujus operâ indigebat, hunc Romam accersivit, ubi purpura & Episcopatu Prænestino donatur, mense Decemb. an. 1200. ut quidam volunt: at Auctor historiæ Cardinalium refert creatum primò Diaconum S. Mariæ ultra Tiberim an. 1190. ac Presbyterum sancti Callixti à Cælestino III. anno 1191.

Orta simultate inter Imperij Principes pro electione Regis Romanorum, nonnullis stantibus à partibus Philippi Henrici fratris nuper demortui, alijs verò Ottonis Saxonici: Guido Legatus mittitur in Germaniam pro electione Ottonis confirmanda, eo quòd Cælestinus III. Philippo sacris interdixerat, ob deprædationes ab eo factas cùm Ducatu Tusciæ potiretur. Tum Coloniæ moram faciens, constituit primùm ut Presbytero consecratam Hostiam in Missa elevante, campanula columnæ altaris affixa pulsaretur, quò adstantes monerentur adorationem humiliter, ac flexis genibus esse exhibendam; deinde ut quoties Viaticum deferretur ad ægrotos, campanula pulsaretur à Clerico concomitante ob eandem rationem, quæ duo, ut salubriter constituta, adhuc religiosè observantur per universam Ecclesiam.

Eximius hic Cardinalis per Leodium iter faciens, Hugonis filij Clementiæ Agathæ, Manassis Comitis de Regitestе filiæ ex familia Comitum Namurcensium, electionem confirmavit, ipsúmque ab impostoris, quibus impetebatur sufficienter purgatum, Presbyterum primò, tum Episcopum consecravit in octavis Paschæ eodem anno. Cúmque Capitulum, vigente discordia ob Episcoporum electiones, multum à veteri disciplina deflexisset, ne vita Clericorum, quæ laicis proponi solet in exemplum, foret petra scandali, idem Cardinalis Leodium auctoritate apostolica iterum redijt, ubi quædam statuta reformationis, in epistola breviter contenta edidit, cujus hic tenor est.

Exstat apud Bucherium in notis ad historiam Episcopor. Leodien.

Statuta Guidonis Legati à Canonicis Leodiensibus servanda anno 1202.

„ Guido miseratione divina Prænestinus Episcopus apostolicæ Sedis Le-
„ gatus omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem in Domino.
„ Cùm ex officio legationis nobis injunctæ in Ecclesiis infra legationem
„ nostram constitutis, quæ invenerimus resecanda resecare, & plantanda
„ plantare teneamur, ad Leodiensem Ecclesiam accedentes, quædam ibi
„ vidimus & audivimus, quæ digna emendatione videbantur. Unde ha-
„ bito consilio venerabilis Fratris Hugonis Episcopi Leodiensis, & ejusdem
„ Ecclesiæ Capituli, hæc Statuta duximus ordinanda. Residentes Ca-
„ nonici assidui sint in dormitorio, nec possint jacere extra dormito-
„ rium, nisi de licentia Decani; transgressores arbitrio Decani puniantur. Assidui sint in choro, maximè in Matutinis, Missa & Vesperis; „ residentes in refectorio comedant, &c.

Statuta hæc sancita sunt secundo Pontificatûs Hugonis Leodiensis Episcopi anno 1202. Guidone necdum ad Archiepiscopatum Remensem promoto: at articuli spectantes ad communitatem Canonicorum statim exolverunt, cùm idem Auctor asserat, duobus annis necdum expletis, bona Leodiensis Ecclesiæ Guidonis Legati consensu, ac Episcopij Leodij inter Canonicos partita fuisse, Præpositúmque ab officio depositum, qui forsan simplex œconomus, seu administrator temporalis erat, ut alibi exposui-

mus

Digitized by Google

GUIDO LII. ARCHIEP. *An.* 1204.

mus. His quæ ad Eccleſiæ decus, & ornamentum ſpectant ſedulò cùm incumberet Guido Cardinalis, Remenſis Archiepiſcopatus ob egregiè navatam huc uſque operam ei à ſummo Pontifice delatus eſt, quo autem anno Auctores ſibi non conſentiunt. Opinor menſe Maio anno 1203. electum, anno verò ſequenti VI. Idus Septembris in vigilia Nativitatis beatæ Mariæ poſſeſſionem inijſſe perſonaliter, cùm in Flandriam pergeret, hos juxta triviales rhitmos.

Vvido anno Domini milleſimo ducenteſimo quarto,
VI. Idus Septembris ingreſſus eſt Vvido,
Sed annis duobus de Præneſtenſi,
Cathedravit in urbe Remenſi,
Abbatizavit bis, bis quoque pontificavit,
In Ganda oppido moritur ad ſanctum Bavonem,
Sed duo poſt luſtra CITEAV ſibi vendicat oſſa.

Et Normânia redijt ad Regnum Frâciæ, poſt trecêtos circiter ânos ex quo Carolus Simplex Rollonì Ducì conceſſerat. *Chron. Antiſſiod.*

Ceterùm primus Guidonis Pontificatûs annus celebris fuit ſupplicio quorumdam hæreticorum, qui coram Roberto Drocenſi, & Jolanda Comitiſſa examinati apud Branam, ſuæ infidelitatis pœnas igne luerunt: horum è numero Nicolaus quidam fuit Pictor totâ Galliâ celeberrimus. Per id quoque tempus aliis hæreticis ab Albia, Albigenſes dicti, doctrinæ ſuæ virus per Vaſconiam ſpargentibus, Innocentius Papa egit apud Philippum Auguſtum, ut urbes ac provincias peſſimo errore infectas armis aggrederetur, quod præſtitit per Simonem Monfortium, Guidone interim Fideles adhortante ad hanc militiam, ſub ſpe conſequendi Indulgentias omnium peccatorum, de quibus eſſent prius confeſſi. Nec ob ejuſmodi expeditionem, cui ut Legatus apoſtolicus impensè ſtudebat, propriæ ſponſæ immemor fuit, nam hoc eodem anno omnium jurium ejus, ac bonorum inſigne ab Innocentio obtinuit privilegium, quod licèt ſuperiori Vvillelmo conceſſo omnino ſimile, integrum tamen hîc referre operæ pretium duxi, ut veteres Archiepiſcoporum clientelæ omnibus innoteſcant, eſt autem hujuſmodi:

Privilegium generale jurium omnium, ac bonorum Archiepiſcopatûs Remenſis ab Innocentio ſummo Pontifice Guidoni conceſſum.

INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabili Fratri Guidoni Remenſi Archiepiſcopo, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis. Injuncti nobis à Deo Apoſtolatûs officium, & Eccleſiaſticæ utilitatis conſideratio nos admonent, & hortantur, Fratres noſtros Epiſcopos, quos honeſtate ac religione pollere cognoſcimus, ampliori caritate diligere, majorémque illis honorem jugiter, & gratiam exhibere. Eapropter, venerabilis in Chriſto Frater Archiepiſcope, tuis juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Remenſem Eccleſiam, cui Deo auctore præeſſe dignoſceris, ad exemplar piæ recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut qualeſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia impræſentiarum juſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, ſeu alijs juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus vocabulis exprimenda. *An.* 1205.

Sueſſio-

GUIDO LII. ARCHIEP. an. 1205.

„ Sueſſionenſem, Laudunenſem, Cameracenſem, Belvacenſem, Catha-
„ launenſem, Silvanectenſem, Noviomenſem, Ambianenſem, Atrebaten-
„ ſem, Tornacenſem, & Morinenſem Epiſcopatus.

„ In propria diœceſi, ſancti Remigij, ſancti Nicaſij, ſancti Dionyſij,
„ & ſancti Petri Monaſteria infra civitatem Remenſem: extra Ci-
„ vitatem verò de Moſomo, ſancti Theoderici, ſancti Petri de Alto-
„ villari, ſancti Baſoli, & ſanctæ Mariæ Igniacenſis Monaſteria, & in
„ his omnibus Monaſterijs jura ſpiritualia, & patronatus cum omni in-
„ ſtitutione, & ordinatione ſua. Inſuper autem & de Sparnaco, & de
* al Sueſſionenſem. „ Avenayo Monaſterijs. Nihilominus etiam infra Epiſcopatum * Torna-
„ cenſem jus patronatûs in Monaſterio de Ciſoin, in Noviomenſi & Am-
„ bianenſi Epiſcopatibus juriſdictionem in burgenſibus Sancti Quintini, &
„ de Sancto Valarico hactenus habitam, videlicet ut appellati ad Remen-
„ ſem curiam veniant.

„ Dominium Remenſis civitatis, cum omnibus pertinentijs ſuis, feodum
„ quod ab Eccleſia tua Comes Campaniæ habere dignoſcitur, pro quo,
„ ſalva fidelitate Regis, tibi tenetur ligium hominium facere, videlicet Vi-
„ triacum, Virtutum, Regiteſtum, Caſtellionem, Eſparnacum, Rociacum,
„ Fimas, Branam, & Comitatum Caſtelli in Portianis, cum caſtellanijs eo-
„ rum, & alias poſſeſſiones, & caſtra, quæ idem Comes in propria perſona
„ tenet, vel alij tenent ab ipſo. Feodum quoque de Boüillon, quod Leo-
„ dienſis Epiſcopus ab Archiepiſcopis Remenſibus habere dignoſcitur, pro
„ quo etiam manu propria tenetur in manu Remenſis Archiepiſcopi pro-
„ mittere ſervitium, & juſtitiam ſe exhibiturum ei, & fideliter ſervaturum,
„ & pro quo etiam idem Epiſcopus tenetur efficere quod octo Barones
„ illius feodi hominium eidem Archiepiſcopo faciant, & ab Archiepiſcopo
„ vocatus ad expugnandos malefactores ejus, auxilium & ſervitium per
„ milites, & homines armatos facere debet, ſicut in ſcriptis authenticis
„ noſcitur contineri. Feodum etiam quod Regiteſtenſis Comes, videlicet
„ Comitatum de Oſmonte, & feodum quod Comes Grandis-prati, & feo-
„ dum quod Comes Sueſſionenſis à te habere noſcuntur.

Eſtonne prope Jacertas, ubi nunc Franciſcanorum conventus de Bethleem.

„ Caſtrum quoque Moſomi, Attiniacum, Betignivillam, Septem-ſalices,
„ Curmiſſiacum, Curvilla, Chaumuſiacum, & Stannam cum pertinentiis eo-
„ rum. Inſuper etiam auctoritate apoſtolica ſtatuimus ut nemini, niſi Re-
„ menſi Archiepiſcopo liceat Regem Francorum inungere, vel ei primam
„ coronam imponere, ſicut hactenus eſt obtentum: appellationes autem,
„ quæ à quibuſdam juriſdictionis tuæ ad te, vel ad curiam tuam fuerint
„ interpoſitæ, debita præcipimus devotione deſerviri, & quòd in eiſdem
„ appellationibus Eccleſia tua ſpecialius, etiam vacante Sede obtinuit, tibi
„ & ſucceſſoribus tuis auctoritate apoſtolica confirmamus. Hæc ſiquidem
„ omnia ſicut prædeceſſores tui ab antiquo, & tu ipſe hactenus habuiſſe
„ noſcimini, tibi, tuiſque ſucceſſoribus auctoritate apoſtolica duximus
„ confirmanda.

„ Pallium quoque, videlicet pontificalis officij plenitudinem, tuæ Frater-
„ nitati apoſtolicæ Sedis liberalitate largimur, quo utique infra tuam Ec-
„ cleſiam uti memineris eis diebus, quibus prædeceſſores tuos uſos fuiſſe
„ cognoſcis, videlicet in Nativitate Domini, feſtivitate Proto-martyris
„ Stephani, Circumciſione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica
„ in Ramis-palmarum, Cœna Domini, Sabbato, Paſcha, feria ſecunda
„ poſt Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, tribus Feſtivitatibus ſanctæ Mariæ,
„ Natali. Beati Johannis Baptiſtæ, ſollemnitate omnium Apoſtolorum,
„ Commemoratione omnium Sanctorum, Dedicatione Eccleſiarum, con-
„ ſecratione Epiſcoporum, ordinationibus Clericorum, Eccleſiæ tuæ prin-
„ cipalibus feſtivitatibus, & anniverſario tuæ conſecrationis die.

Decernimus

Digitized by Google

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare : ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, & ſuſtentatione uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum per manum Johannis ſanctæ Mariæ in Via-lata Diaconi Cardinalis. Idibus Maij indict. VIII. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo ducenteſimo quinto. Pontificatûs verò domini Innocentij Papæ III. anno octavo.

GUIDO LII. ARCHIEP. An. 1205.

Cardinalis idem Archiepiſcopus Guido veſtigijs ſui prædeceſſoris inhærens tenaciter qui Culturam carpentarijs, fabríſque lignarijs ad habitandum conceſſerat, quô Urbis pomœrium latiùs protenderetur, ſuam pariter erga Hortulanos propenſionem teſtari voluit, quibus totum illud terræ ſpatium, quod duos vicos interjacet, vicum ſcilicet molendinorum S. Remigij, & vicum de Jardo paſſim nuncupatum, excolendum permiſit, & exſtructis domibus habitandum, ſub conditionibus in charta appoſitis, quam hîc ex Tabulario fideliter excerptam reponimus.

GUido Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, apoſtolicæ Sedis Legatus, omnibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra quòd nos terram noſtram, quæ ſita eſt inter vicum molendinorum Beati Remigij, & vicum de Jardo, conceſſimus & dedimus abſolutè quibuſdam hominibus ad ædificandum domos ibidem, itaut manſionarij ejuſdem loci nobis, vel Majori terræ pro nobis, pro ſingulis perticatis terræ, reddent ſolummodò quatuordecim denarios cenſuales annuatim in feſto ſancti Martini. Qui manſionarij proprio gaudebunt Majore conſtituto per manum noſtram, coram quo tractabitur de cauſis eorum, & de forisfactis uſque ad ſeptem ſolidos, & ſex denarios. Erit autem Major de habitantibus in eodem vico, ſi idoneus inventus fuerit ; qui Major fidelitatem nobis faciet de jure noſtro, & eiſdem manſionarijs de juſtitia cauſis exhibenda. Item etiam manſionarij eandem tam in ædificijs conſtruendis, quàm in omnibus aliis habebunt libertatem, quam manſionarij de Cultura noſtra noſcuntur habere. Quæ ut rata permaneant & firma, præſentes litteras in teſtimonium ſcribi fecimus & ſigillo noſtro muniri. Actum anno 1205.

Charta hæc adſervatur in tabulario Scabinatûs Rem. vocatúrque Gallico idiomate : La Chartre de la Mairetie de Veniſe.

Appenſum eſt ſigillum ex cera rubea cum filamentis rubeo & viridi.

Hoc eodem anno emptionem villæ de Proſne in favorem Hoſpitalis Rem. confirmavit idem Archiepiſcopus, donationémque decimarum de Eſcreïo eidem domui factam per Blihardum Canonicum & Præpoſitum majoris Eccleſiæ, cum onere in Necrologio Remenſi recenſito VIII. Idus Februarij : ***Per hunc Blihardum habet Hoſpitale noſtrum altare de Ecreio, de cujus proventibus idem Hoſpitale debet in ſuo anniverſario dare centum ſolidos Clericis chori noſtri, & centum ſolidos pro refectione noſtra, item dare tredecim tunicas tredecim pauperibus, &c.*** Guidone iterum in Flandriam vocato, ut exortos tumultus in Mathildem Reginam, quæ Flandro pridem nupſerat, ſedaret, Cameracum tranſeunte Andreas quidam Clericus jus patronatûs quod habebat in Eccleſia de Vvingehijs in manus ejus reſignavit, rogans ut eo Eccleſia ſancti Dionyſij prope Pariſios, cui erat addictiſſimus, ditaretur : quam reſignationem ſine pravitate factam, ut robur obtineret, metropolitana & ſanctæ Sedis Vicariatûs, qua fungebatur, auctoritate confirmavit menſe Junio anno 1206.

Vix

GUIDO LII. ARCHIEP. *An.* 1206.

Vix Flandriam attigerat legationis munus expleturus, cùm peſte Gandavi apud ſanctum Bavonem interiit XIII. Calendas Julij, poſt tres annos regiminis omninò completos ab electione, juſtíſque exſequiarum ritè peractis, in Eccleſia beati Petri ſepulturæ eſt traditus. Poſtmodùm verò corpus ejus è terra effoſſum, Ciſtercium delatum eſt, ac in medio chori tumulatum, cui addictum eſt epitaphij loco ſequens elogium, longè diſpar ab eo, quod Meyerus Francorum oſor refert in Annalibus.

Gandavi ad Bavonit obijt Guido Arch. Rem cui hoc eſt adjectum elogium.

Grandis Gandavo debetur honor quia Bavo Sanctos protulit illum, quem nullus amavit. *Meyer.*

Nobis donatus de culmine Pontificatûs
Remis tranſlatus, jacet hîc vir Guido beatus.

Ciſtercienſe Calendarium hujus meminit, tanquam inſigniter relati in album Beatorum, hòcque titulo decoratur in Faſciculo Chriſoſtomi Henriquez prædicti Ordinis Chronographi. Cùmque ejuſdem nominis duo Abbates diverſis temporibus claruerint, qui horum texuit elogia, his verſibus diſtinguendos cenſuit ſub eorum imaginibus deſcriptis, quæ in aula majori depictæ habentur apud Ciſtercium

Guido ſequens altos penetrabat acumine cælos,
Collegio Fratrum ſociavit pileus iſtum.
Guido alter, vita cujus fulgebat ut enſis,
Archimandrita factus fuit, inde Remenſis.

Nugantur qui cum diabolo Guidonem pepigiſſe dicunt mortem non oppetiturum, niſi in loco qui Muſla vocatur, cúmque Gandavi morbo correptum, ac morti vicinum dæmoni exprobrâſſe quod promiſſis non ſtaret, dæmonem verò contra affirmâſſe conditiones pacti expletas fuiſſe, eo quòd Muſla & Ganda idem eſſent.

De eo vetus Chronicon. *Guido*, inquit, *apud Gandavum in Cœnobio ſancti Bavonis ex dyſenteria obijt III. Cal. Auguſti. Capitulum Remenſe, quod ſub interdicto poſuerat, moriens abſolvit: tunc vacavit Sedes Metropolitana Theobaldo de Pertico impediente electionem.*

Interpontificium.

SEDES VACAT *An.* 1206.

SEdem Remenſem plures quàm duos menſes vacâſſe poſt Guidonis obitum, liquet imprimis exlite per id tempus exorta inter Rogerum Laudunenſem Epiſc. & ejuſdem Eccleſiæ Capitulum, pro talliis, ſeu aſſiſijs ut vocant, Laudunenſij. Rogerus, ut jura ſibi debita tueretur adversùs Canonicos, tallias exigi poſſe indifferenter ab omnibus incolis pro ſuo libitu, & voluntate contendebat: Canonici è contra negabant vaſallos ſuos ad hoc teneri, niſi in quibuſdam caſibus, & de his authentica exhibebant teſtimonia. Venerabiles Præpoſitus, Decanus, Cantor, & Canonici Remenſes ab utroque judices agniti interpontificij tempore, perpenſis hinc inde rationibus, litem ſequenti decreto dirimendam cenſuerunt.

Canonici Remenſes vocantur Fratres

„ BAlduinus Præpoſitus, B. Decanus, Cantor & reliqui FRATRES
„ Eccleſiæ Remenſis omnibus in perpetuum. Notum facimus quòd
„ Rogerus venerabilis Pater Laudunenſis Epiſcopus in præſentia noſtra con-
„ ſtitutus ex una parte, & capitulum Laudunenſe ex alia per procuratores
„ ſuos ad hoc ſufficienter deputatos, ſuper talliis & aſſiſiis Laudunenſij coram
„ nobis, vacante Sede Remenſi, quæſtio vertebatur; tandem ad hanc
„ formam pacis nobis mediantibus unanimiter convenerunt. Homines de
„ Laudunenſio ſingulis annis in perpetuum domino Laudunenſi Epiſcopo

reddent

Digitized by Google

reddent ſeptingentas libras Pariſienſis monetæ nomine aſſiſiæ, & du- "Sedes
centas libras Laudunenſis monetæ pro Vicedomino, & Præpoſito in "uacat
feſto Omnium-Sanctorum perſolvendas: & hanc aſſiſiam facient inter "An. 1206.
ſe, & bona fide, & ſub juramento homines memorati. Nec aliquam "
talliam de cetero poterit facere dominus Laudunenſis Epiſcopus in Lau- "
duneſio, niſi fortè dominum Epiſcopum contigerit vocari ad exercitum "
domini Regis, vel niſi guerram habuerit, vel pro ſe, vel pro Ec- "
cleſia Laudunenſi; & tunc in ijs duobus caſibus poterit accipere in "
Lauduneſio, moderatione & ordinatione Capituli Laudunenſis, uſque "
ad ducentas libras Pariſienſis monetæ, & ultra non poterit accipere, "
& citra arbitrium & conſilium Capituli ſubſiſtet. Et hæc acta ſunt in "
præſentia noſtra, ſalvâ domino Epiſcopo tallià vini, & alijs ſibi redi- "
tibus aſſignatis, & conſuetis. Si autem Vicedominus, vel Præpoſitus "
Laudunenſis contra hanc formam pacis venire voluerit, & ſuper hoc in .... "
curia litigare oportuerit, dominus Epiſcopus placitum ſubſequetur, & ho- "
mines de Lauduneſio ſumptus, & expenſas, & ſervitium, moderatione & "
conſilio Capituli, domino Epiſcopo miniſtrabunt. "

Actum anno 1206. menſe Septemb. "

Hoc eodem anno inierunt Remenſes Canonici ſocietatem cum Laudunenſibus, eâ formâ quæ inſcripta habetur ad calcem Martyrologij Remenſis, quam hîc referre ſuperfluum judicavi, ut & ſocietates eorumdem Remenſium Canonicorum cum Eccleſijs Taurinenſi, Ratiſponenſi, & ſancti Jacobi in Gallicia, quæ licèt in Chartularijs exſtent integræ, ſunt tamen penitus antiquatæ. Quod verò ſpectat ad ſocietatem Remigianorum cum Nicaſianis, Sede etiam vacante contractam, quæ adhuc viget in modo incedendi Monachorum utriuſque Eccleſiæ ad ſupplicationes generales, erit forſan alibi de ea diſſerendi locus. Orta item diſcordia pro cuſtodia caſtelli Moſomenſis, quod tunc ab Archiepiſcopis, ut perfectum alodium, tenebatur, dictum eſt chartis examinatis, dicti oppidi adminiſtrationem penes Capitulum eſſe Sede vacante. Prædicti Canonici Remenſes confirmârunt acquiſitionem partis nemorum de Monte-Reguli, quam Abbas ſancti Nicaſij emerat ab Ægidio de Ruminiaco menſe Aprili anno 1207. Sede vacante; ex quo deducitur Albericum ante hoc tempus electum non fuiſſe. Charta autem Capituli ſic incipit: *Balduinus Præpoſitus, B. Decanus, S. Cantor, ceterique Remenſis Eccleſiæ FRATRES. Noverit univerſitas veſtra quòd Ægidius Miles de Ruminiaco, &c. hanc venditionem laudat Alanus junior de Roceio, & Euſtochia uxor ad cujus feodum nemus illud pertinebat.*

Nota.

Ex quibuſdam chartis, quæ paſſim apud nos ad futuram rei memoriam conſervantur, habemus Gerardum de Boves Præpoſitum Archiepiſcopatûs, treſque cum eo apparitores, ſeu ſatellites hoc eodem anno coactos fuiſſe reſarcire damnum, quod Capitulo Remenſi intulerant, ob quoddam forisfactum, ſeu vim illatam burgenſi libero, juxta ſententiam latam ab Officialibus, quâ injunctum eſt illis proceſſioni generali intereſſe nudis pedibus in camiſia, plagáſque virgarum excipere finita ſupplicatione ab Hebdomadario. Hiſtoria hæc inſtar fabulæ mihi eſſet, niſi idem factitatum legerem in alijs Epiſcopatibus, quo docetur quanto ſtudio, & ſeveritate Capitula immunitatibus ſervandis incumberent. De hac pœnitentiæ forma, qua diſcalciati in braccis, & camiſia diſciplinantur in proceſſionibus publicè à Sacerdote, vide Notas ad Concilium Tarraconenſe anno 1242. tom. VII. Conciliorum.

Exſtat ejuſmodi ſententia Officialium in chartophylacijs pene omnium Monaſt. diœceſis Rem.

ALBER. LIII. ARCHIEP. *An.* 1207.

Albericus de Humbert LIII. Archiepiſcopus lites componit, in Albigẽſes proficiſcitur, eóque ſedente, expugnata per Gallos Conſtantinopoli, ſanctioribus Græcorum gazis provinciæ, urbíſque Remenſis Eccleſiæ nobilitantur.

CAPUT XX.

SI virtuti debetur honos, quò validiùs mortalium ad labores ſuccendantur animi, palam eſt ſcientias clariores nuſquam exſtitiſſe, quàm tertio decimo hoc ſæculo, quo eximiæ virtutis ac doctrinæ viri infulis præmiabantur. Narrat Chronicon Autiſſiod. Odonem de Soliaco claritudine generis, & gratia præſtantem, dignitates Eccleſiaſticas *non niſi* litteratis à Rege poſtulare ſolitum, obtinuiſſéque ab eò ut per id tempus tres inſignioris doctrinæ viri ad totidem Archiepiſcopatus promoverentur; Guillelmus Caroli-Loci Abbas ad Bituricenſem, Godefridus ad Turonenſem, & Albericus de Humbert ad Remenſem: horum duo poſtremi Archidiaconi Pariſienſes erant, probitate conſpicui, timentes Deum, honeſtatíſque, & juſtitiæ præcipui ſectatores, ex eodem Chronico, à quo cùm natales, & patriam Alberici haurire non liceat, cogor ab iis curioſiùs indagandis abſtinere, præſertim cùm probati viri virtus proſapia ſit, matrémque hic habuerit Academiam toto orbe celeberrimam, cujus ab ineunte ætate ubera ſuccit inter alumnos optimè excultus, & ſpectabilis. Quidam eum confundunt cum Alberico Bituricenſi Primate, de quo ſupra diſſeruimus; at tempus, & nomen non quadrant, íſque, cujus eſt ſermo, Humbertus nominetur in quibuſdã homiliis ab eo editis cùm Pariſiis ageret, quorum MS. exſtat, ut fertur, in bibliotheca illuſtriſſ. dom. Molei regiorum ſigillorum Cuſtodis. De eo Albericus Ciſtercienſis in Chron. hæc habet: ***Poſt longam concertationem Theobaldi de Pertico adversùs Belvacenſem Epiſcopum, auctoritate Papæ, & Odone Pariſienſi Epiſcopo annitente datus eſt Remenſi Eccleſiæ Archiepiſcopus Albericus.***

Hic igitur adepta poſſeſſione menſe Julio, Urbèmque ingreſſus in octavis ſancti Johannis, ac die Dominico ſequenti conſecratus, eam ingenij vim, quâ prædictus fuit, Eccleſiæ ſibi concreditæ ſeriò impendit, quò eam in Fidei puritate, juſtitia, & priſco vivendi more contineret. Memoratur primùm in litteris, quibus pateſcit Capitulum Remenſe teneri banno convocato ad ſubſidium Regi præſtandum, quarum hic tenor eſt.

An. 1207. „ Albericus Remenſis, Philippus Belvacenſis, Stephanus Noviomenſis, „ T. Tornacenſis, VV. Nivernenſis Eccleſiarum Dei patientiâ miniſtri humiles, & R. ejuſdem miſeratione Laudunenſis Electus ſalutem. Noverit „ univerſitas quòd M. Præpoſitus. B. Decanus, & alij Canonici Remenſes in noſtra præſentia conſtituti ſuper contentionibus, quæ inter Phi„ lippum illuſtrem Francorum Regem, & Capitulum Remenſe vertebantur, „ compoſuerunt in hunc modum. Dicti Canonici pro toto Capitulo reco„ gnoverunt eidem Regi, quòd quando ſubmonitio fiet, ſicut ſolet fieri in „ Regno Franciæ per Chriſtianitatem pro defenſione coronæ & Regni, „ facere tenentur ſicut alia Capitula Franciæ, &c. Actum Compendij anno „ Domini 1207. menſe Octobri.

Eodem

Eodem anno Albericus judex delegatur à ſummo Pontifice pro componenda lite, quæ emerſerat inter Abbatem ſancti Nicaſij, & Radulfum de Ecreio, cui participatione ſacrorum Papa interdixerat, ob terram de Undelicurte ab eo injuſtè pervaſam. In hoc negotio ita ſe ſapienter geſſit Archiepiſcopus, ut ſententiæ ab eo latæ prædictus Radulfus acquieſceris, terram bona fide abdicârit anno 1207. In Alberici ſigillo expreſſa cernitur imago Archiepiſcopi, cum inſignibus mitra & baculo ex una parte, ex alia verò idem repræſentatur genuflexus cum hac inſcriptione: *Secretum meum mihi.* ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1207.

Anno ſequenti cùm burgenſes, ſeu incolæ banni S. Remigij, villarúmque ab eo dependentium ſeſe à dominio Monaſterij ſubtrahere cogitarent, ob tallias quibus nimium gravabantur; ſalubri conſilio uſi tam Abbas quàm Monachi, mitius cum eis agendum cenſuerunt, adhibita ſcilicet moderatione, cui Archiepiſcopus lubens conſenſit, hac charta, ubi fit mentio regalis procurationis, & obſequij ad quod prædictum Monaſterium tenebatur, tam erga Regem, quàm Archiepiſcopum, eſt autem ejuſmodi. *An.* 1208.

ALbericus Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus. Noverint univerſi quòd cùm manſionarij de burgo ſancti Remigij, & de villis eidem appendentibus occaſione talliarum, quas Abbas & Monachi ibi faciebant, à dominio eorumdem Monachorum ſe ſubtraherent, ſalubri uſi conſilio prædicti Abbas, & Monachi, eiſdem manſionariis quamdam conceſſerunt aſſiſiam, quæ talis eſt. Scilicet quòd unus quiſque focus ſingulis annis in feſto ſancti Remigij in vindemijs duodecim denarios Abbati & Monachis perſolvet. Verumtamen pro domini Regis procuratione, quæ ſemel in anno à dictis Monachis ei debetur, ſi Remis venerit, unuſquiſque focus tantùm eiſdem Monachis reddet die tertia (poſtquam de eadem procuratione Regi ſatisfecerint) quantum de aſſiſia ſupradicta eiſdem Monachis reddere tenetur, & ipſi Monachi ſervitium Regis reddent, & ſervitium noſtrum. Si verò Monaſterium ſancti Remigij ſervitium Regis, & ſervitium noſtrum reddere non poterit, aut noluerit, tam Rex, quàm nos pro ſervitio, quod nobis debetur, ad burgum & ad villas quæ ſunt de aſſiſia returſum habebimus. Actum anno 1209. *An.* 1209. *Procuratio Regi a Sancto Remigiano debebatur.*

Hanc conventionem confirmârunt Innocentius & Philippus Auguſtus eodem anno. Reſcriptum Innocentij ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilectis Filijs civibus de burgo ſancti Remigij ſalutem. Gratum gerimus, &c. provida pietate feciſtis, ut de bonis veſtris certam annualiter quantitatem Monaſterio beati Remigij conferatis &c. Datum Anagniæ IV. Nonas Iunij, Pontificatus noſtri anno IX.* Exſtat & aliud ejuſdem Papæ anno decimo quarto de eadem re.

Albiorum hæreſi ſenſim gliſcente per diœceſes provinciæ Toloſanæ, actum eſt in Gallia de venenoſa hac ſcabie penitus reſecanda: multi ex primoribus utriuſque ſtatûs cum Odone Burgundo, & Henrico Nivernenſi Lugduni conveniunt, ac novo more crucis ſe ſigno conſignant in pectore contra Fidei deſertores. Petrus de Vallibus Ciſterſienſis, qui horum meminit, refert Albericum Remenſem unum ex iis fuiſſe qui ſacræ huic militiæ nomen dederunt. Hos præire non potuit Philippus Rex, ob exortas ſimultates inter ſe, & Richardum Angliæ Regem, uſque ad annum 1215. quò Ludovicus Franciæ primogenitus, cum Belvacenſi Epiſcopo, & egregio equitatu iterum Lugdunum venit, glorioſæ huic expeditioni ultimam manum impoſiturus. Oppreſſâ tandem gentis rebellio, pervicaciáque victus, profligatúſque à noſtris Raymundus Comes Toloſatum, cum Comitibus Fluxatium, Convenarúmque, qui ab Albiis ſtabant. Hoc anno die Pentecoſtes apud Compedium Ludovicus Regis filius cingulo militiæ accingitur de manu patris,

NNn 2 Dum

Fecerunt autem qui erant cruce ſignati in pectore, Albericus Rem. Petrus Senon. Robertus Rotom. Alberic. in Chron.

Digitized by Google

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1209.

Dum hæc gererentur, auctore potissimum Innocentio, novus in barbaram religionem ductus exercitus duce Theobaldo Campaniæ Comite, & Balduino Flandrensi, postquam Venetias pervenit Alexius Byzantij Imperatoris Isacij filius supplex venit quæstum, ac opem à Gallis imploratum contra vim patrui sui Alexij Imperij affectatoris, qui inaudita tyrannide patrem ejus Isacium captum, luminibúsque privatum in vincula conjecerat. Galli, Principis casum miserati, omnem belli apparatum in Græciam convertunt, móxque ac Constantinopolim perventum, magna virtute certatum est, tantúsque Alexio timor injectus, ut desperatis rebus clam Urbe profugerit. Fugâ ejus cognitâ, Isacius à civibus custodiâ eductus est, imperióque restituitur: at eo morte absumpto, ingens tumultus concitatur in urbe, eóque contentionis res processit, ut rejecto Alexio legitimo Imperatore Isacij filio, alium ejusdem nominis consalutarent. Hic necato mox sua manu juvene Alexio justo Imperatore, Galli cùm tantum nefas ferre non possent, Bizantium totis viribus obsident, eámque pridie Idus April. in potestatem redigunt. Obsidione peracta mox de creando novo Augusto actum est, institutíque quindecim electores, inter quos Suessionum, ac Tricassium Episcopi, Fani-Pauli, ac Brenæ Comites, & ab his summo consensu Balduinus Flandriæ, Hanoniæque Comes, Augustus renuntiatur.

Probabile est expugnata, & capta à Gallis Byzantina urbe, civium domos à militibus non direptas modò, sed & loca sacra ditiori supellectili, sacrísque pignoribus exuta, cùm Rigordus referat anno 1205. aliíque Auctores, quinque annis post captam Constantinopolim, relatum fuisse in Galliam à Vvalone Clerico Ambianensi caput sancti Johannis Baptistæ, & anno sequenti sub Richardo Præsule positum in principe Ecclesia urbis Ambianensis, ubi religiosè in insigni sacello, cum capite sancti Firmini primi ejusdem urbis Episcopi conservatur. Tot autem miracula Deus operatur per meritâ sanctissimi Præcursoris in prædicta Ecclesia, quæ Fidelium donis, & largitionibus ubíque micat, & splendescit; ut de veritate translationis tam insignis gazæ ambigere non liceat.

Elapsis aliquot annis Ecclesia beati Remigij Remensis aliqua parte sanguinis hujus ditata est, qui è Christi corpore fluxit tempore passionis, collectúsque dicitur, quando Josephus & Nicodemus Christum de cruce deponebant, cujus rei luculentissimum exstat Principis Achaiæ testimonium, quo patet adorandum illud pignus in vasculo collatum fuisse Arnulfo cuidam ejusdem Cœnobij Monacho, quod tomo primo, ut omnis (ob Athanasij dictum) scrupulus auferatur, descriptimus. Pretiosissima hæc Christi cruoris portio in imagine argentea Salvatoris sedentis in throno, latúsque apertum dextrâ ostendentis includitur, quam ex Constantinopoli, aut saltem ei similem pariter delatam fuisse, ibidem diximus: huic omnino similis, æquè argentea auro illita servatur in sacrario sancti Nicasij Remensis, in qua partem quoque sanguinis Christi includi fert traditio, quam hujus Monasterij Ascetæ mnemosyni loco obtinuerunt à Remigianis, ob arctam inter eos initam societatem anno 1206.

Vide Breviarium Suessionense 3. Julij.

E Constantinopoli igitur à Gallis expugnata, Græcorum opes, & ditiores gazæ ad nos transierunt, quibus celebriores adhuc Ecclesiæ locupletantur, imprimis sanctæ Mariæ Suessionensis, cui Nivelo Episcopus, unus ex electoribus Balduini Imperatoris, sequentes misit Reliquias, hac charta breviter expressas. ***Nivelo Dei gratiâ Suessionensis Episcopus carissimæ nepti suæ Helindæ venerabili Abbatissæ, &c. Solliciti plurimùm Ecclesiæ vestræ honorem promovere, de pretiosissimis Reliquijs, quas in reversione sanctæ peregrinationis nos è civitate Constantinopolitana deferri fecimus vobis***

Refert quoque Rigord. Philippum Regem in pignus dilectionis pretiosissimæ Reliquiæ recepisse à Balduino Constantin. missas anno 1205.

bis, & Eccleſiæ veſtræ obtulimus, primò Zonam beatæ Virginis, & imaginis ipſius, & de camiſia ejus, caput Indæ Apoſtoli &c. anno 1205. ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1209.

Nivelonem è regia civitate Conſtantinopolitana alterum pretioſum Chriſti ſanguinem retuliſſe, quem Eccleſiæ ſancti Albani Namurcenſis contulit, probat ſequens teſtimonium, quod à Rayſſio hauſimus. *Nivelo Dei gratiâ Sueſſionenſis Epiſcopus. Noverit univerſitatis veſtræ diſcretio quòd pretioſum, & ſanctum Chriſti ſanguinem à regia civitate Conſtantinopoli noſtræ peregrinationis laboribus allatum, ad petitionem Principis illuſtris Philippi Marchionis Namurcenſis, Eccleſiæ ſancti Albani in Namurco habendum de mera liberalitate, & ſana diſpoſitione contulimus, &c. anno 1255.*

Sic Henricus Imperator Conſtantinopolitanus, qui Balduino ſucceſſit anno 1206. Monaſterio Lætienſi infinitas propemodum Reliquias miſit anno 1218. ut diploma ipſius, quod ipſis manibus contrectavi, fidem facit, his verbis: *Henricus Dei gratiâ Imperator, & moderator Romanorum, omnibus qui hoc ſcripturæ monumentum inſpecturi ſunt ſalutem. Cùm vita hominum ſit brevis*, Et cetera quæ habentur apud Rayſſium, ubi etiam exſtat diploma Theodori Eccleſiæ Antiochenæ, & totius Orientis Patriarchæ, quo probatur ſanctuarium de prætioſiſſimo ſanguine Jeſu Chriſti miſſum prædicto Monaſterio Lætienſi. Datum Conſtantinopoli anno 1208.

Ceterùm Balduino Flandrenſi in expugnatione urbis Adrianopolis intercepto, an occiſo, parum conſtat, Henricus frater ejus Flandrici generis, rerum potitus eſt, ſubinde Johannes de Brienna in Regem Hieroſolymitanum electus, maximóque applauſu, ac lætitia à Chriſtianis receptus coronatur Dominica poſt feſtum ſancti Michaelis. Hunc præceſſerant Balduinus Comes Regiteſtenſis, alter item Balduinus Flandrenſis, & Henricus Trecenſis, ex quibus patet illuſtriores Flandriæ Nobilitatis (quæ pars eſt Remenſis provinciæ) & Campaniæ Dynaſtas ad thronum evectos de infidelibus triumphâſſe.

Orta de creando Archiantiſtite Cantuarienſi diſſentione in Anglia, Johannes Rex Stephanum electum illi Eccleſiæ Pontificem, illiúſque Suffraganeos cum Monachis Cantuarienſibus, multíſque alijs templorum miniſtris Regno expulit, qui poſtquam in Franciam appuliſſent, incredibile dictu eſt, quanta benignitate ſint accepti. Anno ſequenti Innocentius Johannem (quòd proventibus Eccleſiarum militem aleret) ipſum anathemate percuſſit, ejúſque ſententiam Atrebati effati ſunt Atrebas Epiſcopus, atque Abbas ſancti Vedaſti. Paullo poſt Rex Philippus Sueſſionis habito Concilio, ſtatuit transfretare in Angliam, cúmque claſſe præparata idoneam exſpectaret ſolvendi tempeſtatem, Anglus metu perterritus pulſos Epiſcopos in patriam revocat.

Ita Paulus Æmil. lib. VI. anno 1209. Aliâ Rigordus refert ad annum 1211. Meyerus meminit ejectionis Epiſcopor. an. 1208. publicatamverò ſententiâ interdicti in Regem Angl. ab Epiſc. Atreb. anno 1209.

Incenſa Remenſi Eccleſia, reliquiæ Sanctorum circumferuntur ad erogandam pecuniã pro ipſius reſtauratione, quo anno opus inchoatũ, & perfectum, ipſius dimenſiones & ichnographia.

CAPUT XXI.

E Sodalitio ſanctæ-Nutricis Clerici, immunitatis, qua gaudent Canonici Remenſes, hoc anno facti participes, fabricæ recentis Eccleſiæ dabant operam indulta ſibi facultate ab Archiepiſcopo collectam

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1210.

lectam faciendi per diœceſim, cùm fortuito incendio contigit conflagrari, cum majori Urbis parte, totius provinciæ matricem Eccleſiam, quo vetuſtatis indices, ſacræ quædam reliquiæ, Regum dona, ditiórque ſupellex in rogos, & cineres abierunt. Auguror fornicem, & pilas ligneas fuiſſe, ut & aliarum Eccleſiarum, quæ flammis voracibus haud multò ante perierant: lignea ſiquidem, ad annum Chriſti milleſimum, apud nos omnia prope Monaſteria & Baſilicas exſtitiſſe, tradit Uvandelinus in Gloſſario Salico, verbo *Baſilica*.

Eccleſia B. M Remcum magna Civitatis parte combuſta eſt an. 1211. ſed cum maxima induſtria per annos viginti mirabili opere reſtauratur. *Alberic.*

Lugubris hic caſus refertur ad annum 1210. VI. Maij ab Auctore Chronici Nicaſiani, qui & anno ſequenti, effoſſa humo jacta fuiſſe fundamenta præclariſſimæ hujus ſtructuræ adhuc ſtantis aſſerit, quæ ob elegantiam omnibus eſt admirationi, cùm ſibi ſimilem non habeat in tota Gallia. Tradit Albericus annos viginti huic operis reſtaurationi impenſos; alij triginta, quod veriùs exiſtimo, quamvis nuperus quidam Auctor ſcripſerit chorum ejuſdem, cum Eccleſia ſanctæ-Nutricis conſecratum fuiſſe ab Alberico Archiepiſc. XV. Cal. Novembris anno 1215.

Refert Herodotus Templum quoddam Ægypti nomine Hellenion & Templum Epheſinum collecta per provinciam ſimiliter facta reſtaurata fuiſſe

Quinam præcipuè contulerint ad tam ſumptuoſi operis impenſas, an Reges, Archiepiſcopi, Canonici, Nobiles, non ſatis compertum: certius eſt exhauſto Capituli ærario, generalem collectam per omnes provinciæ diœceſes factam auctoritate archiepiſcopali, injunctúmque omnibus Capitulis Suffraganeis, ut quæſtores ſolita benignitate reciperent, eorum adventu dies feſtus indiceretur, interdictum ceſſaret ubicumque divinum vellent celebrare Sacrificium. Laudunenſe Capitulum immemor beneficij recepti à beato Remigio, recenſque initam ſocietatem cum Remenſi flocci faciens, huic mandato morem gerere recuſavit, quòd Concilij generalis decreto, ut dicebat adverſaretur, collectoribúſque ſimplices litteras expediendas curat, ſine ullo onere faciendi quæ ſupra præcipiebantur. Canonici Remenſes hac repulſa graviter commoti, aliud reſcriptum obtinent ab Archiepiſcopo, eóque ſubnixi in diœceſim Laudunenſem quæſtores ablegant, dántque in mandatis, ut abſque mora, etiam non exſpectato Epiſcopi conſenſu, munus ſuum exſequantur. Decanus de Guinicurte, & Curati de Prouvay, & de Novo-caſtello certiores facti quòd diœceſanus cœptis eorum non conſenſerat, negant ſe eos recepturos, diéque illis denuntiata in curia Remenſi, reſpondent ſe non teneri ſtare coram Archiepiſcopo, niſi quibuſdam caſibus in jure expreſſis. Hoc Remis audito, litteræ decretoriæ mittuntur ad Vallis-regiæ Abbatem, ut prædictos ex parte Archiepiſcopi compellat, ac Epiſcopum, ſi per eum ſteterit quominus intra tres dies compareant, ab officio ſuſpendat. At de his omnibus ad ſummum Pontificem appellârunt, qui Cantore, ac duobus Canonicis Pariſienſibus, horum rogatu delegatis, Archiepiſcopum Remenſem in multis exceſſiſſe cognoſcens, Senonenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis ſuis mandat, ut Epiſcopum Laudunenſem, ac Decanum de Guinicurte & Curatos de Prouvay & de Novocaſtello à cenſura abſolvant, Pontificis mandatum eſt hujuſmodi.

„ HOnorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Cantori, & Ma-
„ giſtris Gaufrido, & Girardo Canonicis Pariſienſibus ſalutem. Venera-
„ bilis Frater noſter Laudunenſis Epiſc. gravem nobis obtulit quæſtionem,
„ quòd cùm Remenſe Capitulum nuper poſtulâſſet ab eo, ut pro reparanda
„ Eccleſia Remenſi, eis per Laudunenſem diœceſim litteras prædicationis
„ concederet, unum annum indulgentiarum continentes expreſſè, ac eorum
„ nuntij per totam ipſam diœceſim cum proceſſione reciperentur à Clero,
„ & populo, & dies adventûs eorum tanquam Dominicus haberetur, & cùm
„ venirent ad locum interdicto ſuppoſitum, Divina libere celebrarentur ibi-

dem

Digitized by Google

dem quamdiu eſſent, & ſtatueretur pro ipſius Eccleſiæ confraria, &c. " ALBERIC.
Datum Laterani Pontificatûs VII. " LIII.

Reſcriptum aliud Senonenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis miſſum ejuſ- ARCHIEP.
dem eſt ſtili & ſic incipit. *An.* 1211.

Senonenſi Archiepiſcopo & Suffraganeis ejus Honorius Servus ſervo- "
rum Dei, &c. Intellectis quæ ſupra excommunicationis, & ſuſpenſionis "
ſententiis tam venerabilis Fratris Archiepiſcopi Remenſis, & Officialium "
ſuorum in venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Laudunenſem & De- "
canum, &c. Datum Laterani Honorij Papæ Pontificatûs anno VIII. "

Ex his patet anno 1222. qui fuit Honorij III. ſextus, Eccleſiæ Remenſis ſtructuram necdum fuiſſe perfectam, imo ex bulla Gregorij IX. inferiùs citanda conſtat cives Remenſes, ut Henrico Brenenſi obſiſterent, qui caſtellum portæ Martis novis propugnaculis munire nitebatur, lapides ad ædificium deſtinatos, ac tumbas quibus ſterneretur ſuſtuliſſe, iſque vias obſtruxiſſe. Adde quod Chronicon Auctoris coætanei, quod penes me habeo, refert Canonicos Remenſes novum ſuum chorum ingreſſos vigiliâ Nativitatis B. Mariæ anno. 1241. ſicque prædictum opus vix completum ante triginta annos, quod de præcipua ædificij mole, choro ſcilicet, navi, pilis, fornicibus, & ſacellis intelligendum puto: nam quoad turres ſpectat, & exterius ornamentum, ex litibus ortis inter Capituli Remenſis, & Nicaſianos quæſtores, conijcio ſubſidium à populis pro Eccleſiarum utriuſque renovatione præſtitum perſeveraſſe tantùm uſque ad an. 1295. quo bellum in Anglos exarſit, unde ex concluſionibus capitularibus habetur, turri majoris Eccleſiæ versùs palatium archiepiſcopale ſumptibus Cardinalis Philaſtrij extremam manum fuiſſe additam anno 1430.

Ceterùm inſignis hujus ædificij ichnographia hîc à nobis exponenda eſt Ezechielis exemplo, aliorúmque Auctorum, qui de illuſtribus Baſilicis pertractarunt: & quamvis decor ejus, & majeſtas omnem ſcribendi peritiam longè ſuperet, præcipuas tamen ejus partes delineabo, à dimenſionibus incipiens, quibus totius fabricæ moles & amplitudo concluditur. Itaque à gradibus propilæi majoris retro aditum, ſive ad aliud extremum longa eſt pedes CCCCXL. latı verò ex parte tranſverſa quæ longitudinem decuſſat CL. A pavimento ad fornicem CXIII. vel CXXV. juxta varias dimenſiones mihi traditas. Ambæ turres habent CCLII. ad quas quadringentis gradibus aſcenditur; ſic Pariſienſis Eccleſia noſtram, ſi dimenſionum ratio habeatur, amplitudine non excedit.

Gregor. Turon de Eccleſ. Nrvern lib. 2. cap. 16. Totum ædificiũ in modum Crucis habetur expoſitum

Eccleſia Pariſienſis alta eſt à pavimento ad fornicem 172. lata 144 longa 390 pedes, habens duas turres quæ 389. gradibus aſcenduntur altas 204. pedes. *Ex Claudio Rob. Puto quod error ſit in altitudine à pavimento ad fornicem.*

Frons, ſeu facies exterior præcipua ædificij pars tribus veſtibulis diſtincta eſt, quæ ſimul in latitudine quinquaginta pedes habent, frontémque infernè partiuntur. Hæc leniter inſtar fornicis ſurſum ſeſe efferunt, ac deſinunt in conum; concavitates imaginibus à medio ad ſummum ordinata ſerie replentur, proſtántque triginta ſtatuæ ultra hominis ſtaturam ab humo lapidibus ſtrata ſex pedibus excitatæ, columníſque inter ſe diſtinctæ ordine Gothico.

Veſtibulum majus medium occupat, ſub quo geminæ portæ aliis ampliores, beatæ Mariæ ſacrum videtur, ob myſteria Annuntiationis, Viſitationis, & Purificationis, quæ hinc inde repræſentantur: in ſummitate, ubi fornix acuminatim ceteris ſublimiùs erecta, venuſtè ſculptum eſt coronamentum Virginis in lapide. Veſtibulum ad dextram exornant Jonas, Moyſes, Helias, Hieremias, Abacuc, ex una parte; ex alia beatus Remigius, tréſque Reginæ quorum nomina non ſatis nota. In arcus ſummitate eminet Salvator in throno cum Angelis mundum quaſi judicaturus.

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1211.

In tertio ad lævam visitur sanctus Nicasius, cranium gestans manibus (ut alicubi beatus Dionysius depingitur) cum quibusdam aliis Episcopis & Martyribus, in apice fornicis sculpta est historia Christi passionis. Hæc vestibula, quæ januas vestiunt, & quibus postes desuper arcuatim vinciuntur multum prominent ad arcendas pluvias, excipiendúmque quidquid è propilæo, vel turribus cadens ingredientes lædere posset.

Rosa in frontis medio sese videndam præbet, iis maximè qui eam procul suspiciunt, habétque paullo altius pugnam Davidis cum Goliath, deinde peristylium; supra sunt imagines Clodovei suscipientis baptismum, sancti Remigij, Capellani ejus, Clotildis, Montani, & aliorum, quæ propilæi latitudinem replent in conum desinentis inter binas turres. In his (turribus scilicet) prædictæ frontis stat decor, ac venustas, quarum altitudo, seu excelsitas ab inferiori fornice ad verticem, tribus veluti contignationibus distingui potest. Prima, eáque ceteris amplior, qua parte oculis patet, fissa est per medium, crassioribúsque pilis compacta, cui adjacent Virginis & Apostolorum prægrandes statuæ, quæ fulcris sunt ornamento; secunda pæne cooperta est Regum imaginibus ejusdem omnino staturæ, quæ numero sexaginta, cum aliis frontem exornantibus Zonam faciunt propilæum & turres ambientem; tertia ut apertior, sic elegantior est, ubi campanæ, præter fulcimenta quæ medium occupant, filamenta quoque lapidea ab angulis sursum assurgunt, quibus fornices sustentantur, quæ tectulo paullulum demisso coopertæ turres finiunt.

Tota, quâ exterius patet, Ecclesiæ fabrica, sive à tergo, sive ad latus eandem elegantiam retinet, ac iisdem decoratur ornamentis. Parastatæ, quibus à dextra fulciuntur fornices, tot liliis & floribus scatent, ut ad ornatum potius quàm ad fulturæ opus dixeris positas, in singulis Angelus proceræ staturæ eminet inter duas columnas, cui parastatæ apex capitulum præbet in florem desinens affabre sculptum & elaboratum. Peristylia, quibus fit circuitus à navi in chorum, operis venustatem augent etiam maximè, sùntque laminis plumbeis strata, & ad latus cooperta: at nullibi carpentaria pulchrior castaneis lignis perdurandi pervicaciâ aliis longè præcellentibus compaginata, plumbo undique tecta, quam auro illita lilia coronant à propilæo ad caput Ecclesiæ, ubi obeliscus, sive campanarius minor exsurgit infernè imaginibus exornatus, liliis in medio, in apice verò prostat Angelus prodigiosæ magnitudinis deauratus. Undecumque suspiciatur eximium hoc opus oculos in admirationem rapit, meritóque inter Francici orbis miracula commemoratur. Ad Ecclesiam è tribus vestibulis, ubi tot januæ quæ propilæum dividunt, quinque gradibus ascenditur, apparéntque statim triginta octo pilæ, seu fulcimenta quadrilatera, cum epistyliis, quibus laquearia, majores, minorésque fornices innituntur, quæ circa chorum & pronaon ambulationem commodam præbent: supra, peristylium totam Ecclesiam ambit, ac inter quaslibet fornicum fulturas, quæ à pilis sursum eriguntur, fenestræ sunt binæ simul, vitris pellucidæ; sed quæ ob densitatem, mixtósque colores obscuritatem pariunt. In his vetustiores Archiepiscopi ordinatè repræsentantur pontificalibus induti cum Pallio, ut intueuntium animos ad horum sanctitatem, & exempla provocent, Heroum instar, quos in plateis, vel cistulis olim depictos legimus, quod Cardinalis Boromæus Concilio Mediolanensi renovandum sancivit.

Huic tam præclari ædificij descriptiunculæ addenda esset & alia, mensæ scilicet altaris præcipui, quæ ex puro, puto auro est, & Hincmari opus dicitur, gozophilacij, egregiæ suppellectilis, regaliúmque donorum, quibus ob Regum inaugurationes pridem in ea factas prædicta splendescit Ecclesia. At cùm in dies studio Canonicorum augeantur,

Digitized by Google

geantur, & ſuperiori ſæculo pro Regni negotiis ditiora venum ierint, curioſius ea referre nolui, illud duntaxat adjiciendum puto, juxta Eccleſiam à parte ſeptentrionali patere locum columnis undique ſeptum, quod pratellum vocant, alij Clauſtrum, ſeu periſtylium, in quo officinæ contiguæ quibus utebantur Canonici, cùm vigeret adhuc apud eos ſimul convivendi conſuetudo, pratella hæc velut ſpatioſi porticus & ambulacra nunc humandis corporibus uſui ſunt, imbribus quoque in hieme declinandis, & ardoribus arcendis in æſtate. *Cùm ſol Herculei terga leonis adit.* ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1211.

Viſitur etiam bibliotheca multis voluminibus inſignium virorum dono, & quibuſdam manuſcriptis referta, tum exedræ, vulgo Capitula, exterius ubi ſingulis diebus *Pretioſa* poſt Primam canitur; interius verò, ubi ſtatis horis conveniunt Canonici de occurrentibus negotiis tractaturi.

Majoris Eccleſiæ Remenſis gaZophilacium.

GAudet imprimis tribus ſat magnis vitalis ligni partibus in variis, ac divitibus lipſanothecis; primam Crux ſupra majus altare erecta continet, Samſonis Archiepiſcopi ut dicitur liberalitate conceſſa, eſt autem magnitudine ſatis alta, ſumtu & opere magnifica, quam limbus ad oras unionibus, lapillis onychinis, & criſtallus variegatus exornat.

Quod Crux in materia inſenſata vim vivam habeat ac in infinitum multiplicetur *D. Paulinus ad Severum. epiſt. 2.*

Secunda, cáque pars notabilior includitur in Cruce ex puro, puto auro lapidibus pretioſis radiante, quæ in ſupplicationibus interdum defertur ab Hebdomadario. Sunt qui dicant datam Eccleſiæ Remenſi à ſummo Pontifice Adriano.

Tertia pariter in Cruce argentea incluſa ſingulis diebus Veneris poſt Miſſam de ſancta Cruce populis adoranda, & exoſculanda exhibetur à Sacerdote.

Eſt & alia quædam inſignis admodum lipſanotheca Salvatoris paſſionem repræſentans ex dono Emin. Cardinalis à Lotharingia, quæ præter fruſtum ſanctæ Crucis ſequentes adhuc Reliquias continet.

De arundine.
De corona ſpinea.
De veſte Salvatoris.
De ſudario.
De virga Moſis.
De ſepulchro ſancti Hieronymi.

In alia item arcula, ſeu dactylotheca.

De veſte purpurea.
De arundine.
De præſepe Domini.

Supra majus altare ad lævam eſt capſa Virginis in qua, ut conſtans fert traditio, crepida beatæ Mariæ, zona ipſius, ac de capillis ejuſdem reconduntur.

Ad dextram oſſa beati Rigoberti Remenſis Archiepiſcopi & Confeſſoris alia ſimilis capſa recludit, cujus ſuppedaneum & latera ex ære auro illito, imagines verò hinc inde prominentes ex argento.

In abſide ſupra capellam cardinalitiam ſanctiſſimæ Cruci & Magdalenæ ſacram in capſis argenteis, innixis ut plurimum ſuppedaneis ex ære, ſed induſtriè elaboratis, & auro infuſis, notabiliores ſubſequentium Sanctorum Reliquiæ pariter continentur.

Sancti Xyſti Protoarchiepiſcopi Remorum ab Apoſtolis miſſi, ex Flod.

Sancti Mauri Preſbyteri, & apud Remenſes laureâ Martyrij ſub Nerone decorati.

Sancti Nicaſij Archiepiſcopi, qui ſub Uvandalis juxta gradus Eccleſiæ martyrium complevit.

Digitized by Google

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1211.

Sanctæ Eutropiæ ſororis ejuſdem, quæ eodem die æternum pudoris illibati florem ſanguine purpuravit.

Sancti Florentij Diaconi, Uvandalorum gladiis cum Nicaſio necati.

Sancti Calliſti Papæ ab Everardo Comite Ciſonienſi, qui Reliquias ejus à S. Sede apoſtolica obtinuerat, teſtamenti pagina Remenſi Eccleſiæ relicti.

Sanctæ Belandæ Virginis Odelardi Auſtraſiæ Ducis Præfecti filiæ ex MS. codice Moſomenſis Cœnobij.

E regione principis altaris viſuntur capita, ſeu partes eorum notabiles, ſanctorum Nicaſij, & Eutropiæ ſororis ejuſdem capitibus argenteis auro illitis, ac unionibus, rariſſimiſque carbunculis illuminatis incluſa, & ab Angelis pegmati ex ære, vel ligno undique pellucenti innixis ſuſtentata.

In ſacrario haud procul à præcedenti ſequentes reconduntur Reliquiæ in ditiſſimis lipſanothecis, vario lapillorum apparatu ſupra metallum aureo illitum colore præfulgente, quæ ſollemnioribus anni feſtivitatibus ſupra majus altare Fidelium venerationi, & ad ornatum exponuntur.

De ſancto Præcurſore Domini.
De ſancto Bartholomæo.
De ſancto Andrea.

Capita, ſeu pars eorum.
- Sanctæ Annæ aviæ Salvatoris.
- Sancti Rigoberti Confeſſoris.
- Sancti Marcelli.
- Sanctæ Barbaræ
- Sanctorum Florentij & Jucundi Diaconorum, qui cum B. Nicaſio ſub Uvandalis occubuerunt.

Brachia.
- Sancti Andreæ.
- Sancti Nicaſij Archiepiſcopi.
- Sancti Calliſti Papæ.

In variis item imaginibus, ciſtulis, ſeu reliquiariis.

De ſancto Alberto Epiſcopo Leodienſi, qui juxta Remos martyrio affectus in navi Eccleſiæ Remenſis funeratus eſt, ac poſtmodum anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo Bruxellas tranſlatus, erigitur ejus effigies eum Reliquiis in prædiviti, ex ebeno pegmate argenteis cruſtis condecorato, ex dono Alberti & Iſabellæ Archiducum Auſtriæ & Flandriæ.

De ſancto Ludovico.
De ſancta Cæcilia.
De ſancto Lupo.
De ſancto Gibriano.
De ſancto Dionyſio.
De ſodalibus ſanctæ Urſulæ Martyris.
De ſancto Medardo Confeſſore.
De ſancto Ignatio Martyre.
De ſancto Sebaſtiano.
Dens ſancti Marcelli.
De veſtimentis & cineribus S. Alberti.

De calice miniſteriali dato Eccleſiæ Cõſtantiniana à Conſtantino Magno. Vide libellum De Munificentia Conſtantini *Tomo 2. Concilior.*

Calix ſancti Remigij (non miniſterialis, de quo Flod. lib. 1. cap. 10. quique Deo dicatus dicitur ab eo, non conſecratus, cùm fuſus poſtmodum fuerit, & Normannis datus in redemptionem Chriſtianorum) ſed alius quidam ſacrificio deſtinatus, in quo ſculpta leguntur hæc verba: ***Quicumque hunc calicem invadiaverit, vel ab Eccleſia Remenſi aliquomodo alienaverit, anathema ſit, fiat, Amen.***

Versùs Septentrionem elegans ſtat ſacellum Sancti-lactis cæruleo colore, intermixtis

Digitized by Google

intermixtis liliis aureis, & porticu ex ære adornatum, ad quod quotidiani civium accurſus fiunt, Virginis in pignore honorandæ, compellandæque gratiâ: exponitur autem in ea prædictæ Virginis imago ex auro, munificentiâ Blanchæ Comitiſſæ, quæ portionem lactis continet ab Adriano ſummo Pontifice ad Capitulum Rem. mnemoſyni loco miſſam an. circiter 1276. Alberic. Liii. Archiep. An. 1211.

Sunt & aliæ duæ Virginis pergrandes ſtatuæ, quarum una ſtat inter marmoreas columnas ſupra majus altare, diademate auro &, lapillis fulgente coronata, in cujus ſuppedaneo ſunt inſignia Dionyſij de Briçonet. Altera defertur in publicis ſupplicationibus, è cujus collo pendet Reliquiarium adamantibus & carbunculo exornatum, in quo portiuncula includitur Sancti-lactis.

Ponè majus altare ſacrarium eſt, in quo recentiorum Regum dona, quibus Remenſem ditârunt Eccleſiam, cùm ſacratiſſimi liquoris pignus receperunt, reconduntur.

Primum Henrici II. refert Reſurrectionis dominicæ myſterium, ubi Salvator ſepulcro inſidet, ex achate unico affabre polito, & exculto.

Carolus IX. ſolem eximium & altum ex argento auro illito ſtilobati ejuſdem artis & materiæ ſuppoſito dedit, ubi ſacratiſſima recondi ſolet Euchariſtia die Jovis ſanctioris hebdomadæ.

Ab Henrico III. habet navim argenteam, cujus carina ex achate Virginem ex parthenico ſanctæ Urſulæ continet, eâdem omnino ductrice vexillum manu porrigente, cum hoc inſcripto: Tetigit Diva auspice portus. Et in pegmate: *Henricus III. Galliarum & Poloniæ Rex hanc Virgini Deiparæ naviculam, ut res Gallica diuturnis jactata ſeditionum fluctibus, ope divina tandem conferretur in tranquillum, more majorum inauguratus poſuit anno 1575.*

Caput ſancti Ludovici duobus Seraphinis ſuppedaneo innixis ſuſtentatum ex argento, auro undique infuſo, & egregiè ſculpto dedit Ludovicus XIII. tertia Octob. anno 1610.

Ludovicus XIV. ut ſuæ pariter obſervantiæ pignus eidem Eccleſiæ exhiberet, ubi & inauguratus eſt anno 1654. dedit imaginem ſancti Remigij pectore tenus affabre cælatam, & aureo colore cum ſuppedaneo conſperſam.

In ſacriſtia, ubi Regum pariter, Principum, & Archiepiſcoporum ornamenta, & ſacræ ſupellectiles recondntur, ſunt cappæ ſancti Rigoberti, quas Index an. 1470. ſic deſcribit: *Cappa ſancti Rigoberti violacei coloris ad plures magnos leones, aurifrigiata quibuſdam ſtrictis aurificij de textura aurea.*

Item caſula Tilpini, de qua prædictus Index his verbis: *Caſula Tilpini eſt de pano ſerico nigro ad ſoles, & ſtellas aureas, & in ſolibus ſunt dimidiæ imagines aureæ, aurifrigiata de textura aurea ad cruces & lozengias, aliáque opera cum pluribus lapidibus diverſorum colorum.*

Vetuſtior catalogus meminit etiam Rationalis, quo feſtis ſollemnioribus utebantur Archiepiſcopi, cùm ſacrum Miſſæ ſacrificium in Pontificalibus celebrabant: *Eſt unum*, inquit, *magnum & pretioſum RATIONALE de pano aureo, cum quatuor anulis, & totidem agrappis de auro, in quo ſunt duodecim lapides pretioſi diverſorum colorum incuſſati in duodecim circulis aureis, in quibus ſunt ſcripta nomina duodecim filiorum Iſrael, & pendet ipſum RATIONALE cum una catena de auro circumdante humeros Prælati in cujus catena duobus lateribus nitent admodum pulchri duo lapides, dicti* Camayeux, *incuſſati in auro, & à parte poſteriori unus ſat craſſus cintallus.* *Meminit hujus Rationalis Rituale Rem. geſtaque illud S. Remigius in pectorali ſeu ſcalibus januæ majoris Eccleſiæ Monaſterioris S. Remigij, & ſancti Nicaſij.*

Item aliud RATIONALE parvum de auro cum catena aurea, in cujus medio interradiat lapis inuſitatæ magnitudinis, qui dicitur Camaveu, *& in circuitu ejuſdem ſunt alij octo lapides pretioſi, videlicet quatuor ſmaragdinæ & quatuor bales.*

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1211.

Item tres acus de argento deaurato servientes ad tenendum dicta Rationalia cum casula, & habet qualibet acus in summitate unam grossam margaritam antiquam.

Item anulus pontificalis S. Remigij de auro cum lapidibus pretiosis, in medio unus grossus lapis dictus Camayeu, *cum quodam alio anulo de auro, valde lato, sunt etiam quinque mitræ brodatæ, ex dono Archiepiscoporum.*

In eodem satrario servantur Vas S. Rigoberti & liber Evangelior. Indico caractere scriptus.

De vitali Ligno & de lacte Virginis & cruce B. Andreæ brevis elucidatio.

MIrabitur quispiam unde tot vitalis Ligni particulas celebriores per orbem sparsæ Ecclesiæ habeant. Ut ei fiat satis, recolendum est quod Eminent. Cardinalis Baronius suis etiam intexuit Annalibus, Crucem Christi Hierosolymis ab Helena Imperatrice fuisse repertam, cum loca Palæstinæ visitaret, quæ Christi laboribus & passione consecrata sunt, hâncque à duabus alijs insigni miraculo discretam, B. Paulinus tradit, cujus mediam partem B. Helena Hierosolymis reliquit, altera verò ad Constantinum filium transmissa est, & in statua ab ipso inclusa, quam, velut nostræ religionis trophæum, omnium oculis expositam supra columnam porphyriticam Constantinopoli posuit. Credebat enim invictissimus Imperator urbem hanc fore æternam, quæ tam nobile, & exquisitum depositum servaret. Censet tamen Baronius minorem partem medietatis retinuisse, reliquum Romam missum, positúmque in Ecclesia, quæ ex ruderibus & ruinis templi Veneris ædificata est. Pars Hierosolymis relicta mansit sub custodia Episcopi ejusdem urbis, qui aliquot particulas petentibus peregrinis pro itineris stipendio impertiebat, & quamvis singulis ferè diebus aliquid de ligno detraheret, integrum semper apparebat, miraculo simili quod refert Scriptura de quinque panibus, quibus homines ad quinque millia mirabiliter pasti sunt, ut egregiè advertit Paulinus ad Severum epist. 11. *Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris quotidie hominum votis lignum suum commendat, ut detrimenta non sentiat quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus.*

S. Cirillus Cathec. 4. Greg. Turon. de Miraculis cap. 5.

Probabile est id quod possidet Ecclesia Remensis de ligno vitæ, habuisse ab ijs qui in Palæstinam profecti sunt cum Godefrido Bullionensi, particulam præsertim quæ eminet super majus altare, aliæ ex thesauro Constantinopolitano extractæ sunt, & ad nos delatæ ab Archiepiscopis, qui cum Cruce-signatis iverunt in Asiam. Cardinalis à Lotharingia Romæ moram trahens aliquot Reliquias cum particulis sanctæ Crucis obtinuit, quarum cathedralem Ecclesiam, & Moniales sancti Petri fecit participes.

De Reliquijs B. Mariæ Gregor. Turon. cap 10.

Feretrum B. Mariæ, quod defertur in supplicationibus Rogationum, non sic vocatur, quòd aliquid ex ossibus Virginis Deiparæ contineat, indubitata enim traditione credit Ecclesia eam statim post obitum assumtam in cælos, sed quòd aliquot vestimentorum ejus partes referet, quæ sacrum Virginis corpus tetigerunt cùm in terris ageret. Sic Tornaci similis capsa habetur, in qua, ut ferunt, aliquid est lactis & capillorum Virginis. Velatæ Suessionenses Ordinis S. Benedicti cingulum & calceum se habere gloriantur. Lætiacenses in prædivite ipsanotheca religiosè conservant de lacte Virginis, de capillis, de vestibus, præter linteum quod proprijs manibus texuit. Hermannus tractatum reliquit de Feretro B. Mariæ Laudunensis, in quo de camisia, de spongia ori Salvatoris illata & de capillis continetur.

Guibertus de Novigento de lacte Virginis in cristallina columba Lau-

duni

duni pariter ſervata diſſerens, negat ullibi reperiri, ob rationes ab eo allatas lib. 3. *de pignoribus Sanctorum*, quas lubens omitto: unde quidam Auctores lac quod oſtenditur miraculoſum putant, ac ſimile huic cujus fit mentio in vita Fulberti Carnotenſis: *Ipſum beata Virgo tanquam præcipuum alumnum in quadam ægritudine perſonaliter viſitavit, & linguam ejus jam ſacro-igne conſumptam lactis de mamilla recenter extracti infuſione ſanavit; unde accidit tres guttas lactis ſuper faciem remanſiſſe, quas recollegit, & in pretioſo vaſe repoſuit.* Ms. codex beatæ Virginis miracula continens, capite ſeptuageſimo ſexto ſimile quid refert de Monacho, cujus viſcera Virgo beata lacte ſuo rigavit anno milleſimo centeſimo.

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1211.

Alij indiſtincte loquuntur, & illud quod tanquam verum ex traditione à patribus accepta conſervant quædam Eccleſiæ, non miraculoſum, ſed naturale aſſerunt. Anſelmus Gemblacenſis refert Chriſtianos, cùm in procinctu eſſent ad pugnandum adversus infideles, vitalis Ligni partem, lanceam Paſſionis, & in pixide quiddam de lacte Virginis detuliſſe. Exſtat in Pariſienſi regia Capella autographum litterarum Balduini Imperatoris Reliquias ibi ſervatas numerans, inter quas eſt de Lacte Virginis. Omnes memoriæ perhibent ſanctum Lac Remis conſervatum ab Adriano Papa in pignus benevolentiæ datum fuiſſe, quod certis diebus exponitur in ſacello, cui à lacte Virginis inditum nomen *Sacelli Sancti-Lactis*; ſed non ſatis codices aperiunt an. ab Adriano IV. vel V. datum. Colardi Chronicon vult ab Adriano IV. Anaſtaſij ſucceſſore: ſed Johannes le Begue ad calcem Catechiſmi ſtudio ejus editi ſacrum hoc pignus Adriano V. attribuit, qui Remenſis Archidiaconus fuit ſub nomine Ottoboni.

Sigeb. Gemll. refert Epiſcopum Bethleemiticum hæc gaza actuluſſe

Item Continuator Sigeberti ad an. 1214.

De ligno crucis B. Andreæ Apoſtoli, quod inter Reliquias ſervari par eſt credere, quamvis index expreſſè non indicet, ſufficiet referre teſtimonium Petracenſis Archiepiſcopi, cujus hic tenor eſt. *Vniverſis Chriſti Fidelibus ad quos præſentes Litteræ pervenerint A. Dei Gratiâ Petracenſis Archiepiſcopus, ſalutem in Domino. Sicut ex antiquorum relatione Græcorum didicimus, qui ante nos in Petracenſi Eccleſia fuerunt, præſens lignum quod latori præſentium Guidoni de Roti in ſignum devotionis dedimus, de illo ligno eſt, in quo dilectus Dei Andreas Apoſtolus creditur fuiſſe crucifixus, in cujus rei teſtimonium eidem præſentes Litteras dedimus ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum Patras octavo Calend. Aprilis.*

Ex vago hoc teſtimonio colligi non poteſt cui crucis B. Andreæ portio data fuerit.

Albericus à Scabinis claves Urbis repetit, ſacram militiam in Albigenſes profitetur, ſententiam approbat qua tota Flandria interdicto ſubjicitur.

CAPUT XXII.

URBIUM Scabinos, magiſtratúſque populares, adepto Communitatis jure ſupra modum hoc ævo elatos fuiſſe, & audaces produnt hiſtoriæ: tanta enim dominandi libido eos inceſſerat, ut non modò Sacerdotium, ſed & dominos temporales ſibi ſubjicere, aut ſaltem iis adæquari ubique ſatagerent. Democratiæ huic locum dedere Regum peregrinationes in Palæſtinam, Epiſcoporum, Comitúmque à ſuis ſedibus jugis abſentia, iteratáque bellorum commotio, in iis enim populorum ſubſidio Reges indigere Scabinos non latebat: unde ob id paſſim inflati in quemque impetus excitabant. Remenſes haud minoris animi, quàm aliarum

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. rum urbium magiſtratus, aliquid ſimile ſub Alberico pertentârunt; nam cùm Vvillelmus, & Guido ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ac Legati bona fide claves portarum, ac Urbis regimen iis reliquiſſent, anſam inde arripuerunt jus illud ſibi vendicandi, dictitantes urbium cuſtodiam penes eos eſſe debere, quorum maximè intereſſet. Albericus id fieri cum ſuæ juriſdictionis detrimento ſentiens, claves inſtantiùs repetit à Scabinis, iiſque eas denegantibus, apud Regem de hoc, aliiſque rebus conqueritur, qui ſequenti reſcripto eis injungit, ut ſine mora claves reddant portarum, bannos Archiepiſcopi teneant, bannitos non recipiant.

An. 1211. *An.* 1211 „ PHilippus Dei gratia Francorum Rex, dilectis ſuis Scabinis, & civibus „ Remenſibus ſalutem, & dilectionem: Mandamus vobis, & præcisè „ volumus quatenus claves portarum civitatis Remenſis, quam à nobis tenet „ dilectus, & fidelis noſter Albericus Remenſis Archiepiſcopus, eidem ſine „ contradictione qualibet, & dilatione reddatis, bannos etiam ſuos, ſicut „ temporibus anteceſſorum ſuorum obſervati ſunt, teneatis, & obſervetis, „ bannitos etiam ſuos ſine licentia ſua non recipiatis ullo modo, ſed tales in „ his omnibus erga dominum veſtrum Archiepiſcopum vos exhibeatis, quòd „ de cetero querelam de vobis ea de re ad nos non oporteat reportare, quia „ ei deeſſe non poſſumus, quin ea quæ de nobis tenet, ipſi garentiamus. Actum „ Pariſiis anno Domini milleſimo ducenteſimo undecimo, menſe Novembri.

His litteris Scabinos obtemperâſſe, quoad clavium reſtitutionem, non eſt quod quis inficias eat; nutâſſe tamen videntur circa bannum, niſi ex horum conſenſu fieret, partitam cum Archiepiſcopo nitentes habere juriſdictionem, quibus iterum Rex hoc tenore reſcripſit.

An. 1212. „ PHlippus Dei gratiâ Francorum Rex, Scabinis, & civibus Remorum ſalutem. Audivimus pluries, unde multum miramur, quòd bannos, „ quos dilectus, & fidelis noſter Remenſis Archiepiſcopus in Remenſi civi„ tate fieri jubet, obſervare non vultis, niſi fiant de aſſenſu Scabinorum. „ Cùm igitur iſtud pertineat ad dominium, quod in ea civitate tenet *à nobis* „ & jus ipſius tamquam fidelis noſtri garentire debeamus, & velimus; man„ damus vobis, & diſtrictè præcipimus, ut bannos ſuos humiliter recipiatis, „ & obſervetis: quòd ſi eos credideritis irrationabiles, oſtendatis ei pacificè „ tamquam domino, & petatis ut corrigat quod fuerit corrigendum, non po„ nentes contradictum mandato ſuo, ſed ſicut dominum monentes & requi„ rentes, ut periculo quod inde poſſet evenire, quod monſtrabitis ei, provi„ deat ſicut debet; quòd ſi requiſitus facere noluerit, & hoc nobis oſtende„ ritis, libenter conſilium ſuper hoc quale debemus apponemus. Sic autem „ in his, & aliis vos habeatis fideliter erga dominum veſtrum, quia jus „ ipſius, vel dominium quod à nobis tenet, non diminuatur in aliquo, nec „ conqueri inde poſſit, & ſi in aliquo intercepiſtis, ſtatim ei emendetis, ne „ manum apponere nos oporteat, in hoc enim non poſſumus ei deeſſe. Ac„ tum Pariſijs anno 1212, menſe Januario. „

An. 1212. Albericus ſe ad bellum ſacrum in Albigenſes accingebat, cùm ſuperius reſcriptum à Rege accepit: ſuſceptâ igitur militiæ teſſerâ menſe Maïo cum Cantore Remenſi, aliiſque viris eccleſiaſticis, & nobilibus Campaniæ, pæne eodem tempore appulit, quo caſtellum de Penne Simoni Monfortio Cruce-ſignatorum coryphæo redditum eſt, ſexto ſcilicet menſis Julij anno 1212.

Princeps hic magnanimus, cùm poſt expugnatum deinde caſtellum de Biron, ſtatuiſſet urbem de Moyſſac obſidere intra dominium Raymundi Toloſani fautoris Hæreticorum, milites qui in præſidio erant machinas undique admovent, quò obſidentium labores irriti redderentur. At duces certatim expugnationi

expugnationi imcumbebant, eminebátque inter eos Remenſis Archiepiſcopus vir ſingularis prudentiæ ad ea conſulenda, quæ ſuſceptum negotium promovere poſſent, & caritatis in peregrinos, quibus verbum Dei ſeduló adminiſtrabat. Refert Petrus de Vallibus, quòd cùm hoſtes ab urbe ſumma vi in noſtros irrupiſſent, machinas, alióſque belli apparatus exuſturi, Comésque Monfortius cum iis, qui præſidio erant, ſubinde laborantibus præſto fuiſſet, contigiſſe Archiepiſcopi Remenſis fratris filium, cum aliis fortiter pugnantem ab hoſtibus intercipi, qui eum in fruſta conciſum à muris deorſum projecerunt, ut ceteris hoc ſpectaculo terrorem incuterent. Archiepiſcopus, qui eum unicè diligebat, æquo animo id tulit incredibilis patientiæ documento, lucrum reputans quòd pro Deo vitam profudiſſet. Comes Monfortius juſto dolore commotus obſidionem majori conatu urgere aggreditur, novâque machinâ, quæ Cattus dicebatur, pellibus boum recèns detractis coopertâ, ut ab igne tutior eſſet, quem hoſtes miſſilibus jaculabantur, ad muros uſque adjunctâ Urbem undique expugnari juſſit, Remenſi Archiepiſcopo interim cum Epiſcopis Tullenſi, Albienſi, Pariſienſi Archidiacono, & Abbate Moyſſacenſi, Monachis quoque cum Preſbyteris ſtantibus ad radicem rupis, nudis pedibus, indutis albis veſtibus, cum Cruce ac reliquiis Sanctorum auxilium à Deo flagitantibus; cúmque hymnum, *Veni creator Spiritus*, occinerent, Deus ex alto cælorum illico adfuit, iiſque verſum, *Hoſtem repellas longius*, ter repetentibus, tantus ſubitò tremor hoſtes invaſit, ut barbacanis, & repagulis ociùs relictis in caſtellum ſe receperint, ſignóque deditionis dato, Montfortius ut ſanguini parceret, eos hac lege recepit, quòd de cetero bellum Catholicis non inferrent. Albericus aliis etiam circumvallationibus interfuit, ex prædicto Auctore, colloquiúmque habuit cum ſancto Dominico, qui tota hac expeditione in Albigenſes ſummam laudem conſecutus eſt. Sunt qui aſſerant de conventu Pariſiis ædificando cogitantem ſollicitatum fuiſſe ab Alberico, ut quoſdam è ſuis Remos mitteret, quibus locum in vico-novo, ubi Dominicani primitus manſerunt, aſſignabit, at id in aliud tempus remiſſum eſt.

Alberic. Liii. Archiep. *An.* 1212. *Petrus de Vallibus Cernaij Cap. 63.*

Rebus proſpere ſuccedentibus, Albericus Remos rediit, actúmque ſtatim in Gallia de bello Flandris indicendo, cujus cauſa potiſſimum hæc eſt, Philippus Rex Johannam Principem Balduini filiam matrimonio jugârat Fernando Sancij Luſitaniæ Regis filio Lutetiæ Pariſiorum anno 1211. qui in fidem receptus promiſit ſe oppida Ariam, & fanum Audomari Ludovico regio juveni redditurum, iis igitur ut condictum erat redditis, Fernandus, impellentibus Flandris, grave ſtatim odium in Gallos concepit, quaſi ad id vi, aut aſtutia impulſus fuiſſet, unde Regi parere renuit, qui eum cum Primoribus in Angliam proficiſci mandaverat. Rex confecto hoc prælio omnem belli apparatum in Flandriam convertit, Ipríſque ac Brugenſibus brevi expugnatis, & à Gandavo aliíſque urbibus obſidibus acceptis de reditu in Franciam cogitans, Ludovicum filium, & Galterum Caſtellionenſem cum firmo equitatu Inſulæ ac Duaci reliquit. Fernandus confluente ad eum milite, primúm Inſulam tentat; at Francis qui in præſidio erant crebras irruptiones in eum facientibus, ea relicta Tornacum ſe convertit, hánceque Flandri poſtquam ſemel & iterum oppugnaſſent, disjecta magna parte muri, vi incredibili in eam irrumpunt, tantámque edunt vaſtitatem, ut integrum nihil, ne quidem in locis ſacris, permanſerit. Comes è primoribus duodecim capite plectit, ac perſoluto á civibus grandi pondere auri, ne incendio Urbs fœdaretur, contra fidem clam ſuppoſito igne majorem partem abſumſit. Goſſvinus Epiſcopus res ſacras à Flandris indignè cernens attrectari impotenti Comitis ira, conſilio prius habito cum Metropolita Alberico, prædictum Comitem cœtu, conſortióque piorum hominum

Meyerus.

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1213.

minum movit, totíque adeo Flandriæ ſacrorum myſterijs interdixit, juxta reſcriptum à Cognato editum, cujus hîc pericopen damus.

„ GOſſvinus Tornacenſis Epiſcopus Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, tam Eccleſiarum Conventualium, quàm Chriſtianitatis. Sciatis
Hiſtor. Torn. lib. 4 fol. 17. „ quòd cooperante Dei gratia excellentiſſimus dominus Rex Francorum &c.
„ Quia verò vir illuſtris Fernandus Flandriæ Comes cum multitudine exer-
„ citus prædictam Civitatem obſedit, & ſubitò per violentiam ſuam ferè
„ deſtruxit, necnon & Eccleſiam violavit, cùm in primis numquam nos con-
„ veniſſet. Nos de conſilio Epiſcoporum, & aliorum bonorum virorum
„ perſonam ipſius excommunicavimus, totam terram ipſius, quæ in noſtro
„ eſt Epiſcopatu, interdicto ſupponentes, quam ſententiam dominus Archie-
„ piſcopus Remenſis confirmavit. Quare virtute obedientiæ vobis præcipi-
„ mus, ut à Divinis ceſſetis, & ubique ceſſare faciatis, donec Comes ſuper
„ his, quæ contra nos, & Eccleſiam Dei deliquit, ſatagat emendare &c.

Patebit infra quàm grave damnum Comes ſubïerit, ob fœdus ictum cum Anglis jure jurando utrimque firmatum. Interim creſcente Principum diſcordia, quò Rex de urbium fidelitate ſecurior eſſet, novum à civibus ſacramentum exigit, curátque civitates Campaniæ novis vallari munitionibus, ne imparatas ineunte vere fœderati invaderent. Exſtat de ea re inſtrumentum in regio theſauro, quo, pro accelerandis urbis Remorum propugnaculis, civibus Rex pecuniam ſubminiſtrat. De ſacramento primùm præſtito Albericus Archiepiſcopus ſic teſtatur.

Excellentiſſimo domino ſuo Philippo Dei gratiâ Francorum Regi, Albericus divina permiſſione Eccleſiæ Remenſis Miniſter humilis ſalutem, cum debita fidelitate obſequium.

Albericus iuramentum fidelitatis civium Rem. recipit, Novis propugnaculis civitates muniuntur.

„ NOverit excellentia veſtra, quòd audientibus, & videntibus fidelibus
„ veſtris, ad nos propter hoc à vobis tranſmiſſis, A. Meldenſis Ec-
„ cleſiæ Archidiacono, viro nobili Alano de Roſciaco, & Guidone de Beſ-
„ liſiaco Baillivo noſtro, omnes homines Remenſes tam ad nos, quàm ad
„ B. Mariæ & S. Remigij Eccleſias pertinentes, nobis juraverunt, quod per-
„ ſonam veſtram, & omnes veſtros, quotieſcumque neceſſe fuerit, contra
„ Imperium & alia Regna, quæ vos, vel Regnum Franciæ vellent impu-
„ gnare, bona fide Remis recipient, & civitatem ad honorem veſtri, &
„ totius Regni bona fide defendent.
„ Aliud etiam juramentum fecerunt in præſentia noſtra, quòd videlicet à
„ proxima Purificatione B. Mariæ in unum annum vobis reddent duo millia
„ librarum Pariſienſis monetæ, & ab illa Purificatione in alium annum
„ proximè ſequentem alia duo millia librarum Pariſienſis monetæ, quod ipſis
„ ad firmitatem Remenſem faciendam, & accelerandam regiæ Serenitatis
„ veſtræ commodavit munificentia liberalis.

Alexander & Mathildis miraculis clarêt in Laudunenſi

Beatæ Mathildis obitus hoc anno contigit in villa diœceſis Laudunenſis nomine Lapion, cujus miranda paupertas, horrendus & aſperior cultus, jugíſque pœnitentia latè deſcribitur ab anonimo Chronici Laudunenſis Auctore. Hæc, ut refert, Angligena erat, villâ Cantuarienſis diœceſis, quæ Romenele vocatur, ab Urbe diſtans per leucas XII. in portu maris, quo ad Normanniam navigatur, migravítque menſe Junio: *Cujus*, inquit, *ſpontanea paupertas, & apud mortales pro Deo voluntaria vilitas, quanti ſit apud Deum meriti, miracula, quæ Deus poſt mortem ejus dignatus eſt oſtendere, declarant.*

Cantipratenſis hujus beatæ Mathildis & Alexandri fratris ejuſdem meminit in tractatu de bono univerſali, aitque à Rege Scotico genus cùm ducerent,

Digitized by Google

cerent, calcatis mundi vanitatibus, ac relictâ patriâ peregrino habitu in diœcesim Laudunensem veniſſe, & Alexandrum quidem à Fuſciniacenſibus Monachis in Converſorum ordinem admiſſum, eique vaccarum curam demandatam: Mathildem verò novem millibus ſeceſſiſſe à Monaſterio in villam cui nomen Lapium, ubi tanta aſperitate vixit, ut genua ejus cortice duriora evaſerint. Alexandri nomen notius fuit poſt obitum, quàm cum inter vivos ageret; fertur enim cuidam Monacho ad ipſius tumbam proſtrato & oranti, ut à plaga quadam, ſeu cicatrice, meritis ejus ſanaretur, apparuiſſe binis coronis muneratum, quarum altera in manu, altera verò ſole clariòr ſplendebat in capite, dixiſſéque primam terreſtrem eſſe illam quam Dei amore contempſerat, aliam verò collatam ei fuiſſe in articulo mortis, tamquam mercedem laborum. ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1213.

Urbium Communiæ in pugna Bovinenſi ſtrenuè ſe gerunt: Juramenta per Provinciam Remenſem prohibentur. Bochardo Avennienſi ob illicitas nuptias ſacris interdicit ſummus Pontifex.

CAPUT XXIII.

LUDOVICO Regis filio ad Pictones & Aquitanos miſſo, cum Johanne Rege Angliæ manus conferente, contigit pugna Bovinenſis, quâ Germani, ac Flandri, cum Gallis majori odio nuſquam decertârunt. Otto Cæſar, cui abrogatum fuerat Imperium ab Innocentio ob invaſas ab eo ditiones pontificias, anno 1211. ratus Fridericum novum Auguſtum haud ita difficilè ſuperari poſſe, ſi Anglorum, Flandrorúmque ope, Gallorum fregiſſet potentiam, collectis omnibus viribus ſtatuit cum Philippo Rege acie decernere. Eo igitur Valentianis cum exercitu, Anglicis quoque, Flandricíſque copiis à Fernando recepto, auditum primò Tornacenſes ad Gallos defeciſſe: at cùm hoſtibus rei bene gerendæ, fiduciáque ingens eſſet, ad pagum Bovinas ventum eſt, pugnáque incredibili ardore commiſſa. At præter nominatos Duces apud Rigordum, urbium quoque Communiæ, quæ Regi ſuppetias venerant, Corbeij, Ambianenſes, Belvaci, Compendij, Atrebatæ, & Campanæ, æternum gloriæ ſibi nomen pepererunt; imprimis verò Petrus quidam de Remis (Remigium eum vocat Meyerus) inter Campanos laborantibus ſuis tanta celeritate præſto fuit, ut & hoſtes ſubſiſtere, captivóſque aliquot inſignes fecerit. Incredibile dictu eſt quanta virtute, quibus dextris omnes ad unum rem geſſerint, quæ facinora ediderint, quàm fortiter hoſtes adorti, donec victo profligatóque in terram, ac demum capto Fernando, Cæſar diu inter cohortes luctatus, vulnerato graviter equo, relictâ Aquilâ, fugæ ſe mandârit. Illuſtri hac victoria ad ſeptimum Cal. Auguſti Philippus Rex eſt potitus, quam Numinis beneficentiæ acceptam tulit, & quòd in acie multùm periclitatus fuerat, reverſus templum Victoriæ Virgini Matri dicatum prope Silvanectum ſumma alacritate ædificavit. An. 1214.

Ceterùm nefandæ procacitatis libido, ac irreligioſa jurandi perverſitas per id tempus adeo inoleverat, ut homines non tantùm per Dei nomen, ſed per pedes, manus, ac ſecretiora ejus membra turpiter jurare non dubitarent. Hoc juramenti genus ſic omnium animis inſitum erat, ut frequentius in ore verſaretur; horum forſan exemplo, qui in caſtris vitiorum

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1214. omnium colluvie vitam ducunt. Summus Pontifex certior factus pravæ hujus consuetudinis, dedit operam ut Christiani ab eo de cetero abstinerent, scriptâ ad Remensem Archiepiscopum epistolâ, quæ Regestorum libro sexto decimo continetur.

Remensi Archiepiscopo & Suffraganeis ejus.

Quòd inhibeat omnibus jam subditis, ne invent per viscera, & alia membra Jesu Christi cùm ibi multùm vigeat illa mala consuetudo.

„ ETsi Apostolatûs officium nos universis constituat debitores, & „ erga omnes paternum affectum gerere teneamur, Regnum tamen „ Franciæ prærogativâ quâdam diligimus caritatis, ut pote quod præ „ ceteris mundi Regnis apostolicæ Sedi, ac nobis obsequiosum semper „ exstitit, & devotum; ideóque ab eodem Regno specialiter amovere „ cupimus scandala universa, quæ contra illud divinæ Majestatis possent „ oculos provocare. Noveritis autem ad nostram audientiam perveniſſe, „ quòd ejusdem Regni homines, quasi ex consuetudine generali, fre- „ quenter ex ira, & interdum animi levitate, quibusdam utuntur nefariis, „ & horribilibus juramentis, & cùm Veritas doceat per se ipsam non „ esse jurandum, nec per terram, quia scabellum est pedum Dei, non „ solùm per divinos pedes, & jurare non metuunt; verumetiam ipsius „ Christi, & Sanctorum ejus secretiora membra linguâ sacrilegâ perscru- „ tantes, ea non formidant intonare jurando, quæ nos scribendo veriti „ sumus nominare. Cùm igitur sacri Canones in præsumptores ejusmodi „ constituant graves pœnas, & Episcopos nihilominus emendare negli- „ gunt, asserant acerrimè arguendos, Fraternitatem vestram monendam „ duximus attentiùs, & hortandam, potestate apostolicæ Sedis mandantes „ quatenus subditis vestris, ut ab hujusmodi temeritate desistant, curetis „ districtiùs inhibere, & inhibitionibus comminationes addendo eorum „ præsumtionem taliter corrigatis, quòd divini nominis zelus vos tan- „ gere videatur, & eorum temeritas divinam contra ipsos, & Regnum „ præfatum non provocet ultionem. Datum Laterani secundo Idus Maij „ anno decimo sexto.

An. 1215. Refert Bochellus lib. de Decretis Eccles. Gall. lib. IV. cap. 13. quòd à Sede apostolica duo legati Galli missi fuerunt anno 1215. ambo Simonis nomine insigniti ad Philip. Aug. Fran. Regem, qui festum immacul. Conceptionis esse statuendum pronuntiarent hoc tenore: ***Pronuntiatum est laicis ut sciant tempora ferienda per annum, &c. Conceptio beatæ Mariæ hodie de mandato Sedis apostolicæ celebratur***, additque quod eodem anno in Ecclesia Remensi dies illa Conceptionis solemni ritu peracta sit. Ut ex synodalibus actis constat. Vide Bochellum.

Eodem anno Innocentius III. generale Concilium Lateranense indixit, omnium quæ in Europa habita sunt, celeberrimum, ad quod Albericus cum Suffraganeis, ut & alij Galliæ Metropolitani convocatus est, ex epistola encyclica, quæ actis Concilij præfigitur. Actum in eo de sanctissima Trinitate. De nomenclatura Transsubstantiationis panis & vini in corpus & sanguinem Christi. De Abbate Joachimo, & Petro Lombardo De recuperatione Terræ sanctæ, pro qua per Galliam sacri Præcones ablegati, qui ad suscipiendam hanc militiam populum hortarentur. Item de hæresi Albigensium, & Judæis. Sub finem Concilij Missi à Johanna Flandriæ Comitissa conquesti sunt de Bochardo Avennienſi, qui cùm Cantor Laudunensis Ecclesiæ, & Canonicus Tornacensis esset, sacrisque initiatus, relictis sacerdotiis, Margaritam prædictæ Comitissæ sororem duxerat, fidei suæ, ac custodiæ à Balduino Augusto ad Asiaticum bellum proficiscente, commendatam. Paulus Æmilius furto ab eo vitiatam, ac duorum filiorum factam matrem commemorat.

Digitized by Google

commemorat. At Meyerus, qui ſuorum ulcera palpat, coactum fuiſſe ſacris initiari fabulatur, nuptiáſque cum Margareta aſſenſu Johannæ & Fernandi, aliorúmque propinquorum, aſtipulantibus Flandris propalam contraxiſſe. Innocentius ergo ſacrilegij hujus certior factus, jubet ut Margaretâ dimiſſâ, ipſi ac ſorori ejus tanta de injuria ſatisfaciat: eo cunctante à piorum cœtu eum removet, mandátque Remenſi Archiepiſcopo & Suffraganeis ſententiam in Bochardum latam ſingulis dominicis diebus, & feſtivis, pulſatis campanis denuntiare, hoc ſcripto poſt expletum Concilium Laterani dato. ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1215.

INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus Remenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis ejus: ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Horrendum & exſecrabile facinus auribus noſtris inſonuit, quòd cum Bochardus de Aveſnis quondam Cantor Laudunenſis, ſit in Subdiaconatûs ordine conſtitutus, nobilem mulierem Margaretam ſororem dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Johannæ Comitiſſæ Flandriæ conſanguineam ſuam, in quodam caſtro ſuæ fidei commendatam, non eſt veritus fraudulenter abducere, & eam detinere non metuit, impudenter mentiens cum ea ſe matrimonium contraxiſſe. Cùm igitur ex teſtimonio plurium Prælatorum, & aliorum proborum virorum, qui ad ſacrum generale Concilium acceſſerunt, conſtiterit nobis plenè dictum Bochardum eſſe Subdiaconum, & fuiſſe Cantorem Eccleſiæ Laudunenſis: nos moti pietatis viſceribus circa dictam puellam, & volentes exſequi debitum officij paſtoralis adversùs tam nefandi ſceleris præſumptionem, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Bochardum apoſtatam, in quem tulimus excommunicationis ſententiam, ſua nequitia exigente, ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis pulſatis campanis & candelis accenſis, cum ſuis fautoribus faciatis per veſtras diœceſes tamdiu excommunicatum publicè nuntiari ab omnibus arctius evitandum, loca in quibus prædictus Bochardus præſens fuerit, & puella præfata detenta; etiam ſi ad partes alias extra veſtram provinciam divertere, vel illam abducere fortè præſumpſerit, faciendo ceſſare interim à Divinis, donec idem Bochardus præfatam Margaritam liberam dictæ reſtituerit Comitiſſæ, congruè ſatisfaciens de commiſſis, & humiliter revertatur ad converſionem honeſtam, & obſervantiam Ordinis clericalis. Sic autem univerſi, & ſinguli hoc exſequi efficaciter ſtudeatis, quòd diligere juſtitiam, & iniquitatem videamini deteſtari, nec poſſitis de inobedientia, vel negligentia reprehendi. Datum Laterani XIV. Calendas Februarij Pontificatûs noſtri anno octavodecimo.

Nangius Bochardi meminit in vita S. Ludovici, refert eum in Ordine Subdiaconali miniſtraſſe.

Veriſimile eſt Bochardum cenſuram flocci pendiſſe, cùm Honorius III. qui ſtatim Innocentio ſucceſſit, rogatus iterum à Johanna Principe, quæ diu, noctúque ſororis abſentiam plangebat, aliud ſimile reſcriptum in Galliam tranſmiſerit, cujus hic tenor eſt.

HOnorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Remenſi, & Suffraganeis ejus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Utinam apoſtata ille Bochardus de Aveſnis perfidus, impudicus, & perverſus doleret, & attritus acciperet diſciplinam, ut vexatio ſibi pareret intellectum, & repleta ejus facie ignominiâ verteretur impius, & non eſſet; ne vituperaretur per eum miniſterium Ordinis clericalis, ne operiret confuſio vultum Cleri, ſed à voce exprobrantis, & obloquentis eſſet immunis, cùm per illum nomen clericale in gentibus blaſphemetur, & nunc pro eo de quadam negligentia videamini arguendi. Ille námque dum eſſet Subdiaconus, & Cantor Eccleſiæ Laudunenſis, prout notorium

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1216.

„ notorium esse constat, totus dicatus vitiis, virtutibus abdicatis, proditionem similem commisit, & raptum; dum nobilem Margaretam germanam „ nobilis mulieris Johannæ Comitissæ Flandriæ, suæ fidei commendatam, de „ quodam castro fraudulenter, & violenter abducens, eam sub Matrimonij „ velamento, quod nequaquam contrahere poterat, illicito sibi commercio „ copulavit, quam ut apostasiam proditioni, & captui cumularet, spreto „ divino timore, & abjectâ reverentiâ Ordinis clericalis detinet impudicè „ in animæ suæ periculum, & enorme scandalum plurimorum. Verùm cùm „ hæc ad audientiam felicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri „ pervenissent ex relatione multorum, imo ex testimonio Prælatorum quam- „ plurium, & aliorum fide dignorum, qui ad generale Concilium convenerant, „ plenariè constitit, in præfatam apostasiam ore proprio excommunicationis „ sententiam promulgavit, dans vobis suis litteris in præceptis, ut dictum „ Bochardum cum suis fautoribus singulis diebus Dominicis, &c. Quia tamen non estis plenariè præceptum apostolicum exsecuti, sicut Comitissa „ prædicta nostris auribus intimavit, ille non est reversus ad percutientem se, „ nec Dominum exercituum requisivit; sed cùm sit nervus ferreus cervix „ ejus, & frons sua ænea, nec divino timore, nec humano est pudore per- „ cussus, ut vel signa prætenderet pœnitentiæ: propter quod præfata Co- „ mitissa dolore, ac rubore confusa gemit se sororem suam non potuisse hac- „ tenus habere. Ut igitur gravior pœna pungat quem pœnitudo hactenus „ non compunxit, Fraternitati vestræ per apostolica scripta firmiter „ præcipiendo mandamus, quatenus, juxta præcedens prædecessoris nostri „ præceptum, contra sæpedictum apostatam, sublato appellationis obstaculo, „ procedatis, ita quòd tot & tanta facinora nos abominari probetis, & Co- „ mitissa præfata super hoc non cogatur iterare querelam, nòsque rectitu- „ dinis vestræ zelum meritò possimus commendare. Datum Anagniæ XVI. „ Cal. Augusti Pontificatûs nostri anno primo.

Supplex petierat si quo modo expediri à Sacris, atque manere in Matrimonio posset. *Meyer. ad an. 1218.*

Anathemate percussus iterum Bochardus non resipuit. Injunctum ei fuerat ab Innocentio III. quem flectere nequaquam potuit, ut relicta uxore in Asiam proficisceretur, spatium unius anni in barbaram militaturus regionem, & ut reversus in suscepto semel vivendi instituto æternùm maneret. At his oneratus mandatis in Syriam quidem profectus est, sed reversus in patriam conspecta uxore, & liberis, dixisse fertur, malle se vivum excoriari, quàm complere ea quæ Romanus injunxerat. Addit tamen Meyerus ad annum 1218. Gandavi captum fuisse, ac tandem Rupelmondæ jussu Principis decollatum, capútque ejus per omnia oppida Flandriæ & Hanoniæ ludibrio circumlatum, sicque nefarij sceleris luisse pœnas.

Agnete Hervei Comitis Nivernensis filia à Philippo Ludovici VIII. primogenito in uxorem petita & promissa, jurârunt Barones pro securitate Matrimonij, opem nec Regi, nec filio suo usquam collaturos, donec juxta id quod bona fide depactum erat, compleretur; quin & Remensis Archiepiscopus, Attrebatensis, & Tarvannensis Episcopi spoponderunt se ditiones, quas Rex in eorum diœcesibus habebat, interdicto supposituros ad petitionem Comitis Nivernensis, nec interdictum relaxaturos, si prædictus dominus Ludovicus, vel filius ejus à prædictis conventionibus in aliquo resilirent, & requisiti intra quadraginta dies nollent emendare.

Lis

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1216.

Lis mota pro Campaniæ Comitatu Parium Franciæ judicio dirimitur. Celebris excommunicatio in Ingelrammum de Coinciaco lata ob læsam Ecclesiæ libertatem, & ejusdem absolutio.

CAPUT XXIV.

HENRICUS Trecensis Comitatûs heres ad bellum sacrum profectus sororem Balduini Regis Cypri & Hierusalem duxit uxorem, ex qua duas suscepit filias Alidem Cypri Reginam & Philippam quæ Erardo de Brenna domino de Rameru jugata est. Henrico igitur peregre profecto Theobaldus minor natu Comitatum Trecensem invasit, quo diu potitus non est, egit enim animam anno 1200. Post ejus obitum lis mota est pro Comitatu Campaniæ inter Blancham Navarræam prædicti Theobaldi uxorem, & Erardum de Brenna, qui Philippam Henrici filiam duxerat, Blancha studente Comitatum pupillo suo asserere; Erardo hunc è contra, tamquam legitimum uxoris patrimonium, ad se revocare omnimodis satagente, unde hoc titulo investituram à Rege obnixè postulebat. Rex litem hanc dirimere noluit, sed advocatis Paribus Regni utriusque status apud Melodunum, rogat ut quod juri super hac ré consonum esset edicerent. Judicatum est igitur juxta legem Francicam, Comitatúsque Theobaldo ab illis adjudicatus est, ex judicij tabula, quam eo lubentius, ab aliis licèt excerptam, refero, quòd antiquitatis Parium Franciæ saltem ecclesiasticorum, inter quos Remensis primus est, luculentissimum præbeat testimonium.

ROBertus Comes de Alençon universis ad quos præsens scriptum « An. 1216.
pervenerit in Deo salutem. Noverit universitas vestra quòd cùm «
dilecta nostra Blancha Comitissa Campaniæ citata esset per Ducem Bur- «
gundiæ, M. de Montevrault, & Vvitel de Barris, ut in curiam domini «
Regis iret juri paritura super querela, quam Erardus de Brena, & Phi- «
lippa, quæ dicitur uxor ejus, contra eandem Comitissam, & Theobaldum «
filium ejus proponebant, & super eo quod idem Erardus, & eadem «
Philippa petebant à domino Rege, ut ipse reciperet homagium ejusdem «
Erardi de Comitatu Campaniæ, sicut inde tenens fuerat quondam Comes «
Henricus, quem ipsa Philippa patrem suum esse dicebat. Tandem apud «
Meledunum in præsentia domini Regis constituti, prædicta Comitissa «
Campaniæ, & Theobaldus filius ejus ex una parte, & prædicti Erardus «
de Brena, & Philippa ex altera requirentes super hoc sibi fieri judicium, «
judicatum est ibi à Paribus Regni Franciæ, videlicet ab Alberico vene- «
rabili patre nostro Remensi Archiepiscopo, & venerabilibus viris Vvil- «
lelmo Lingonensi, Vvillelmo Cathalaunensi, Philippo Belvacensi, Ste- «
phano Noviomensi, & Odone Duce Burgundiæ, audiente domino Rege, «
& judicium approbante, quòd homagium Erardi de Brena, & Philippæ «
supradictæ de Comitatu Campaniæ nullatenus recipere debebat, quamdiu «
Blancha Comitissa, & Theobaldus filius ejus vellet jus facere in curia «
domini Regis & prosequi, quia usus & consuetudo Franciæ talis est, «
quòd ex quo aliquis saisitus est de aliquo feodo per dominum feodi, do- «
minus feodi non debet alium recipere in hominem de eodem feodo, «
quandiu ille qui saisitus est paratus sit satisfacere. Et quia Comitem «

Theobaldum

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1216.

„ Theobaldum patrem iſtius Theobaldi, per aſſenſum Baronum Regni „ Franciæ, nullo contradicente, recepit dominus Rex in hominem de Co- „ mitatu Campaniæ, & Briæ, ſicut pater ejus Comes Henricus fuerat, & „ poſt deceſſum dicti Theobaldi Comitis recepit Blancham Comitiſſam in „ feminam ſuam, &c. Actum apud Meledunum anno 1216. menſe Julio.

Judicium hoc civile latum à Paribus Franciæ, approbante Rege, aliud ſpirituale, & eccleſiaſticum excipit, quod Eccleſiarum cathedralium Remenſis provinciæ Capitula mirum in modum exercuit. Engueran-nus de Couciaco ex bonis Eccleſiæ domeſticas opes augere cupiens, in villas Laudunenſis diœceſis graſſari cœpit, eáſque vaſtare ac deprædari. Huic obſiſtendum ratus Adam de Courlandon prædictæ Eccleſiæ Deca-nus, vir nobilis è vico Comitatûs Rouſſiaci Fimenſi urbi contermino na-tus, aliquot è ſuis bona Eccleſiæ diripientibus intercipit, ac carceri, donec ſatisfecerint, mancipavit. Enguerannus hac detentione nimiùm excan-deſcens Laudunum venit ſatellitibus, ac famulis ſtipatus, portas Eccleſiæ vi infringi jubet, Decanúmque è Confratrum veluti ſinu abreptum pa-riter in vincula conjicit. Laudunenſis Epiſcopus hac injuria tanto viro irrogata in præjudicium eccleſiaſticæ libertatis graviter commotus, En-guerannum à Fidelium cœtu ſegregat, ſententiámque in eum latam pro-mulgare præcipit per totam diœceſim. Subinde Canonici Laudunenſes litteras querelis plenas mittunt ad Remenſe, Sueſſionenſe, Cameracenſe, Attrebatenſe & alia Capitula, opem ab eis poſtulant in impium, ſcele-ratum, legum divinarum & humanarum conculcatorem, & excommu-nicatum. Capitula lectis litteris teſtantur ſe mœrore affici ob tam enorme ſcelus, ſpondéntque opem, & ſolamen apud Metropolitam, ut ſua auc-toritate Enguerannus cogatur reſarcire præſentem injuriam viâ juris. Re-menſes imprimis Canonici ſignificant abſente Archiepiſcopo, propalam intimâſſe omnibus Enguerannum ob tyrannidem anathemate percuſſum, & ut ſciant quàm intimè nefandum hoc crimen cor eorum, ac medullas penetrârit, addunt ſtatuiſſe corpora Sanctorum, quæ in eorum Eccleſia requieſcunt, cum feretris ſupra pavimentum ſtratum ſpinis deponere, his litteris, quas relatu haud indignas judicavi.

Littera Canonicorum Remenſis Eccleſiæ ad Laudunenſes:

Canonici Remenſes Fratres vocantur adhuc an. 1216.

„ VIris venerandis & amicis reverendiſſimis, Adamo Decano, totíque „ Laudunenſis Eccleſiæ Capitulo M. Præpoſitus, H. Cantor, cete-„ ríque Remenſis Eccleſiæ FRATRES ſalutem, & verum, & conſtantem „ ſinceræ dilectionis affectum. Novit cogitationum, & operum ſcrutator, „ & cognitor Deus, quòd injuriam quæ illata eſt vobis, &c. Scimus enim „ quòd negotium iſtud univerſas Eccleſias communiter tangit, & per im-„ punitatem tanti flagitij commune imminet periculum eccleſiaſticæ liber-„ tati, ſed ne vobis parum, quod hactenus fecimus, videatur, ad præſtandum „ vobis aliquod conſolationis remedium, & tollendam de cordibus veſtris „ ſuſpicionem, corpora Sanctorum, quæ in Eccleſia noſtra requieſcunt, „ cum feretris ſuper pavimentum deponenda, & ſpinis decrevimus circum-„ danda, & ante ſacratiſſimum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu-„ Chriſti contra prædictos perſecutores veſtros ſingulis diebus humiles pro-„ clamabimus, & proſtrati. Etſi jam dictum Ingelramnum in Eccleſia, „ vel civitate Remenſi noverimus eſſe præſentem, ceſſabimus à Divinis.

Sic Judith cap. 4. Et induc-runt ſe Sacer-dotes ciliciis, & infantes proſtraverũt contra faciem templi, altare Domini ope-ruerunt cili-cio.

Epiſcopus & Capitulum Sueſſionenſe ſuum pariter obſequium, ob-ſervantiæ & dilectionis teſſeram in hoc turbido rerum ſtatu erga Lau-dunenſes exhibuerunt, ſequenti epiſtola.

Haimo

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1216.

HAimo Dei gratiâ Epiſcopus, S. Præpoſitus, G. Decanus, totúmque matris Eccleſiæ Sueſſionenſis Capitulum veris, venerabilibus, & in Chriſto cariſſimis Decano & Capitulo Laudunenſi ſalutem, & pro libertate Eccleſiæ ſtare viriliter, nec deficere in adverſis. Cùm in ejuſmodi volutabro nullam certam habuerimus manſionem, nec adhuc etiam habeamus, &c. Turbati ſumus ſiquidem, & dolemus quòd Eccleſia tanti nominis, tantæ dignitatis, quæ alijs Eccleſijs in conſilio, & auxilio conſueverat ſubvenire, & conſolationis ubera porrigere deſolatis noſtris temporibus, jam præſentit præambulos Antichriſti. Unde ad ſupportandum onus veſtrum, & deſolationem veſtram, imo noſtram, ardenti animo, & ferventi deſiderio corda, & corpora noſtra vobis univerſis, & ſingulis exponimus, & res noſtras, rogantes vos cum quanta poſſumus affectione, & ſub fœdere dilectionis, & firmitatis inter nos, & vos in poſterum conſervandæ attentiſſimè requirimus, quatenus intuitu dilectionis mutuæ, & quia ſumus ad invicem debitores, bona noſtra quæ vobis exponimus, tamquam veſtra propria accipiatis confidenter & ſecurè, & eis uti velitis in omnibus tanquam veſtris; & ſi vobis placuerit ad nos divertere, vobis parati ſumus occurrere, & cum omni honore debito & devoto in domibus noſtris vos honorificè recipere & liberaliter pertractare.

Id dicunt propter recèns cùm utraſque Eccleſiam. *contractam ſocietatem inter*

Idem præſtiterunt alia Remenſis provinciæ Capitula, Abbatiæ, Prioratus, miſſis ad Laudunenſes conſolatorijs litteris, quibus recenſendis ſuperſedeo. Honorius III. qui eidem Engueranno ſacris interdixerat ob prava conſilia, quæ Ludovico Philippi primogenito ſuggerebat in perniciem Regis Angliæ, audiens quanta procacitate in Laudunenſes deſæviret, & quòd horum Decanus in vinculis ab eo detineretur, ob id præſertim iterum anathemate percutit, mandátque Archiepiſcopis Remenſi, Senonenſi & Rotomagenſi ut tam illum, quàm adjutores per provincias ſuas palam excommunicatos eſſe denuntient. Reſcriptum Pontificis eſt ejuſmodi.

Ingelramnus de Couciaco diverſis nominibus ab Honorio excommunicatus.

HOnorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus Remenſi, Senonenſi, Rotomagenſi Archiepiſcopis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Licèt nobilis vir Ingelramnus de Coucy Laudunenſis diœceſis, propter manifeſtam iniquitatem, qua Ludovicum primogenitum cariſſimi in Chriſto Filij noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris adversùs illuſtrem Regem Anglorum inſtigat, excommunicationis ſit vinculo innodatus; quia tamen perſequendo Eccleſiam Laudunenſem, Decanúmque capiendo, ac detinendo captivum, alium laqueum excommunicationis noſcitur incurriſſe, Fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ſpecialiter hac de cauſa, tam ipſum, quàm omnes conſiliarios, coadjutores, & fautores ipſius excomunicatos publicè denuntietis, &c. & facientes veſtram ſententiam per provincias veſtras innovari frequenter, illam tamdiu faciatis per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota inviolabiliter obſervari, donec idem Nobilis Decano ipſi, & Eccleſiæ ſuæ de damnis, & injurijs ſatisfaciat competenter, & cum veſtrarum teſtimonio litterarum ad apoſtolicam Sedem veniat abſolvendus. Cùm enim talia non conſueverint in Regno Franciæ attemptari, principiis eſt fortiter reſiſtendum, ne per incuriam tanta perverſitas invaleſcat, unde cauſam iſtam quaſi propriam, imo communem totius Eccl. Gallicanæ cum omni diligentia, & prudentia proſequi ſtudeatis.

Datum

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1116. „ Datum Laterani VII. Kal. Novemb. Pontificatus noſtri anno primo. Ut ſe geſſerit Albericus Remenſis in Ingelramnum, dubium mihi eſt. Exſtat epiſtola excuſatoria ejuſdem ad Hebdomadarium, & Capitulum Laudunenſe, qua elicitur tunc à ſua diœceſi & provincia abfuiſſe, cùm cenſuris diœceſium pulpita reſonarent. Statim ac reverſus eſt rogatur à Capitulis, ut in prædictum Couciacenſem anathematis mucronem exerat, actáque ab illis metropolitana auctoritate comprobet, omnium inſtar erit hæc Tornacenſis Capituli epiſtola, quam hîc ob patheticos motus ſubjiciendam cenſui.

Tornacenſis Capituli epiſtola.

An. 1217. „ VEnerabili Patri, ac domino ſuo Alberico Dei gratia Remorum Archiepiſcopo R. Decanus, totúmque Capitulum Tornacenſis Eccleſiæ ſalutem & promtam ad obſequium & beneplacitum cum obedientia & reverentia voluntatem. Audita gravi perſecutione quæ Laudunenſis Eccleſiæ facultatibus imminet, & perſonæ; ſi qua in nobis pietatis viſcera, neceſſe fuit medullitus conturbari. Fratres noſtri antiquitus inter malleum & incudem poſiti, viriliter, & patienter perſecutorum tyrannidem pertulerunt, quia tempus erat patiendi, necdum ſperantes utrum duorum gladiorum, quos inſtante ſibi perſecutione, infirmitati noſtri temporis proſpiciens Deus aſſeruit ſuffeciſſe. Nunc autem cùm ſancta Eccleſia ad hæc dicatur florere, pace ſibi divinitus conceſſa; ecce in pace ſurrexit amaritudo amariſſima, & penetravit gladius uſque ad animam, cùm in ovile dominicum tyrannus crudelior lupis irruens, non ſolùm oviculas quærit trucidare; ſed etiam arietem gregis, virum ſcilicet egregium, pium, modeſtum, ornatum moribus, Doctorem, jam ſe deglutîſſe gloriatur. Cùm tamen boni Paſtoris voce, & baculo lupi rapaces ſint à caulis Domini propellendi, quia nec ſine cauſa Principes ſæculi gladium, nec ſine cauſa, ſicut melius noſtis, Paſtores Eccleſiæ baculum portant, ſi tamen ſecundùm Prophetam non idola, ſed Paſtores appetunt nominari. Inde eſt, ô Pater ſancte, quod nos Fratribus, & dominis noſtris Laudunenſis Eccleſiæ Canonicis toto cordis affectu condolentes, ad pedes veſtræ paternitatis cum ipſis, & pro ipſis provoluti, toto corde & oris affectu poſcimus, ut zelum ferventem felicis recordationis illius Matathiæ, qui pro lege Dei ſui miniſtris Antiochi reſtitit, aſſumendo adversùs hominem peſtiferum & dominum de Coucy miniſtrum non Antiochi, ſed Antichriſti, utroque gladio ſanctæ Eccleſiæ decertetis, fortaſſe enim decrevit Dominus vos in hac parte provocare, cùm conſtet nos tam apertam tyrannidem declinando virtutis materiam inveniſſe.

Albericus qui cenſuris, ut vir ſapiens, parciùs utebatur, Ingelramnum ad pœnitentiam potius hortandum eſſe cenſebat, quàm excommunicationibus percellendum; quæ cum pharmaca ſint animarum, mederi potius debent, quàm perimere. Igitur quid facto opus eſſet, primùm conſulit G. Cardinalem tituli ſancti Martini, tum verò Senonenſem Archiepiſcopum, & Pariſienſem Epiſcopum, ſtatuerátque de re eadem colloqui cum Rege, ſi Laudunenſis Epiſcopus in curiam adveniſſet, ut erat pollicitus; at eo acrius urgente, Epiſcopi Atrebatenſis, & Tarvannenſis rogantur ab Alberico, ut Ingelramnum conveniant, hortentúrque ad reſipiſcentiam: cúmque, precibus vel minis durior ſaxo flecti non poſſet, habito cum diſcretioribus Capituli Remenſis conſilio, à piorum cœtu eum ſegregavit, juxta epiſtolam ad Capitulum Laudunenſe ab eo miſſam, quò ſibi ſatisfactum eſſe cognoſceret. Ingelramnus ſe ab omnibus exſecratum ſentiens, diriſque devotum, mentis tandem compos ſummum adiit Pontificem, ſpondétque

Digitized by Google

ſpondétque de iis omnibus quæ perperam geſſerat pœniturum, redditurúmque Decanum. Pontifex hac ſponſione contentus, mandat Epiſcopis Noviomenſi, ac Laudunenſi ut ab excommunicationis vinculo eum abſolvant, modò ſe deinceps nihil tale commiſſurum ſollemniter promittat. ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1217.

Abſolutio Ingelramni.

STephanus Dei gratiâ Noviomenſis, & A. eadem gratiâ Laudunenſis, " Epiſcopi univerſis, &c. Noverit univerſitas veſtra quòd cùm domi- " *An. 1218.*
nus Ingelramnus de Couciaco vir nobilis, pro captione Decani Laudu- "
nenſis, infractione villarum ipſius Eccleſiæ, damnis, & aliis injuriis eidem "
Eccleſiæ irrogatis, eſſet excommunicationis ſententiâ innodatus, dominus "
Papa abſolutionem ipſius nobis commiſit. Nos autem ſacramento ab eo "
recepto, quòd de cetero in Clericum manus non injiceret violentas, & "
quòd de cetero villas non infringeret Eccleſiæ Laudunenſis, ipſum abſolvi- " *Epiſcopi qui abſolverunt Ingelramnũ*
mus, & denuntiari facimus abſolutum. In cujus rei memoriam præſentes " *duplicieexcommunicatione innodatum, ſolum abſolu-*
litteras ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. "
Actum anno Domini 1118. menſe Februario. "

vienũ de manibus injectis in Decanum Laudunenſem inimicèrei & ne verbum quidem de abſolutione & ſatisfactione prioris excommunicationis, quam incurrerat propter inimicitias, quas fovebat inter Ludov. VIII. Regem Franc. & Regem Angl. ut hic videatur quærendi locus an abſolverint, aut potuerint abſolvere Epiſcopi dictum Ingelramnum a poſteriori excommunicatione, priori remanente integra.

Prædicta Ingelramni abſolutio ad valvas Eccleſiarum affixa eſt, promiſitque, manibus ad ſancta Evangelia appoſitis, pœnitentiam expleturum à ſummo Pontifice impoſitam; daturúmque operam ut eatlem à militibus obſervetur, qui Decanum Laudunenſem captum in vincula conjecerant. Ob ſimiles, frequentéſque Nobilium graſſationes Capitula Cathedralium Eccleſiarum provinciæ Remenſis per id tempus ſingulis annis Conventum, ſeu Synodum ſtatim poſt feſtum Aſcenſionis Domini apud Sanctum-Quintinum decreverunt celebrare; ſub multa ducentarum librarum iis imponenda, qui deputatos ſuos non mitterent, quæ in uſum fabricæ prædictæ Eccleſiæ cederet, ſtatutúmque, ut quod ibi pro communibus negotiis concluſum fuerit, ſigillis omnium Capitulorum muniretur.

Albericus ad bellum ſacrum profecturus cuſtodem urbis Remorum nominat, Papiæ moritur.

REbus compoſitis cum Ingelramno, rumor ſpargitur per provinciam Chriſtianos Principes ſacro repetito bello, ampliſſimo exercitu, terra marique in orientem contendere, ad quod Albericus Remenſis, Galterus Heduorum, Petrus Pariſiorum, & Jordanus Lexovienſium Epiſcopi, aliíque Galli Nobiles per Venetorum triremes ſuppetias laturi promoventur. An præter pium viſendi loca ſancta deſiderium, quo ardebat Albericus, aliquod aliud murius, quo fungi deberet, induxerit eum ad hanc peregrinationem ſuſcipiendam, incertum: forſan pro cohortando milite ſelectus fuit, ut priùs egregiè præſtiterat in Albigenſes. Narrat Vincentius Bellovacenſis Vicarium generalem in abſentia nominâſſe Robertum de Creſſonſart Bellovacenſem Electum, ſed unde hoc hauſerit non video. Imo ex chartis ſcabinatûs Remenſis colligitur Albericum ad ſacrum bellum proficiſcentem rogatum à Scabinis ut cuſtodiam Remenſis urbis viro prudenti, ac ſtrenuo traderet, ne hoſtium præda fierent, Milonem de Nantolio Bellovacenſem Electum Galcheri Caſtellionei filium

Ex Chronic. Anticſſiod.

Vincentium Bellovac. lib. xxxi. cap. 137.

De Alberico hac habet Chr. Sueſſ. ad an. 1217. Venera-

Q q q

bilis Albericus Archiep. Rem. cum multis Prælatis, & Principibus Chriſtianis diverſarum linguarum Cruces acceperunt contra paganos, & in terram Syriæ profecti ſunt, & ſimul coadunati cum Iohanne de Brienna Rege Tolomaidæ navibus aſcenſis in Ægyptum profecti ſunt, & Damietam obſiderunt, quæ tertio anno 1219. mirabiliter capta eſt.

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1218.

lium, ac Remenſis Eccleſiæ Præpoſitum ſelegiſſe; at eo hanc provinciam recuſante, niſi accederet ſummi Pontificis conſenſus, Scabinos Remenſes ad Honorium III. miſiſſe ſequentem epiſtolam, rogantes ut prædictum Electum ſua auctoritate confirmaret.

Littera precatoria civium Remenſium ad ſummum Pontificem pro Milone de Nantolio Urbis cuſtode deſignato.

» SAnctiſſimo Patri & domino Honorio Dei gratiâ ſummo Pontifici, » univerſi, & ſinguli cives Remenſes ſalutem, & omnimodæ ſervitutis, » & ſubjectionis obſequium debitum, & devotum. Paternitati veſtræ preſſu- » ras, & afflictiones, & damna quæ per defectum defenſionis, & invaſorum » malitiam quotidie patimur, conquerendo ſignificamus. Nos enim in mar- » chia Regni, & Imperij conſtituti ſumus, & tam à vicinis, quàm à remotis » hoſtibus undique concutimur, & ſpoliamur, & tamquam ab hoſtibus ob- » ſeſſi, intra Civitatis muros incluſi, non audemus ad negotia noſtra pro- » curanda, vel ad negotiationes noſtras exercendas egredi, nec ad citationes » auctoritate veſtra factas ſecurè poſſumus proficiſci: quoniam in tantum » excrevit perſecutorum noſtrorum malitia, quòd Dei timorem non habent, » & diſtrictione eccleſiaſtica compeſci non poſſunt. Propter quod venera- » bilem Patrem noſtrum Albericum Remorum Archiepiſcopum Hieroſoly- » mam profecturum rogavimus ſuppliciter, & devotè, ut talem nobis terræ » defenſorem relinqueret & cuſtodem, qui nobis ad negotia euntibus ſecurum » poſſet præſtare conductum, & malorum hominum, qui perſonas noſtras » injurijs affligunt, & res noſtras malitiâ eorum deprædantur, poteſtate ſua » valeret coercere. Ipſe verò preſſuris, & neceſſitatibus noſtris paterna pietate » compatiens, prudentium virorum conſilio Remenſis Eccleſiæ, venerabilem » virum M. de Nantolio Belvacenſem Electum, cuſtodem, & proviſorem » terræ & Eccleſiæ dereliquit. Nos verò Paternitatis veſtræ genibus pro- » voluti quanta poſſumus affectione ſupplicamus, ut hunc prædicti Patris » noſtri delectum, nobis & Eccleſiæ Remenſi neceſſarium, ratum habeatis, » gratum, & ipſi, ſi placet, per litteras apoſtolicas injungatis, ut cuſtodiam » Eccleſiæ & Civitatis viriliter exſequatur.

Albericus expletis aliquot menſibus in ſacra peregrinatione, de reditu in Galliam cogitans ab Alexandria in Hiſpaniam transfretavit unà cum Hollandiæ Comite, at ipſe à Saracenis apud Ulyſipponam obſeſſus, per milites de Calatrava liberatur. Poſtea reverſus per Papiam, morbo correptus exceſſit vigiliâ Nativitatis Domini anno 1218. tumulatus in Æde ſancti Petri, vel ſancti Auguſtini: ſunt tamen qui dicant relatum fuiſſe corpus Remos, ac in Dædali meditullio poſitum, ſeu labyrinthi nigro, albóque lapide confecti, quo ſternitur major pars proani principis Eccleſiæ.

Notatur IX. cal. Ianu. in Rem. Necrol. ubi & habetur Alb. decimas totius territorij dedisse Capitulo, & multa alia bona ad amplificandam Eccleſiam.

Præſul excelſi animi, prudens, ac Regi acceptus, cujus gratiam ſibi tam intimè conciliaverat, ut in juribus ſuæ præfecturæ tuendis ei plurimum laborandum non fuerit, primúſque inter Pares Franciæ paſſim legatur, poſtquam Parium numerus ad duodecim reductus eſt. Ardor ejus pro religione patuit in expeditione adversùs Albigenſes; ſtrenuitas, iter ſuſcipiendo cum Cruce-ſignatis in Palæſtinam; & animi moderatio, cenſuris Eccleſiæ parcius utendo in facinoroſos. Accedit ad cumulum gloriæ ejus quòd primo lapidi magnificæ ſtructuræ cathedralis Eccleſiæ Remenſis, quæ ſtat adhuc, fauſtè omnino manum admoverit. Exſtat liber Sermonum ejus Pariſiis (ut fertur adhuc latens) qui utinam publici juris fieret, ex eo enim ingenij ejus ubertas, optimi conceptus, & gravis elocutio, velut ex gutta mellis favus, cognita, tanti viri nomen certiore panegyri commendaretur.

Statim ac Alberici mors in curia audita eſt, officiarij regij Remos miſſi

ſunt

Digitized by Google

ſunt pro Regalibus ſervandis. Exſtat in regeſtis curiæ parlamenti Pariſienſis ſacramentum fidelitatis, quod Regi inter manus miniſtrorum præſtiterunt burgenſes banni ſancti Remigij ſub hac forma: *Ipſi conſervabunt pro poſſe ſuo bona fide vitam, corpus, & membra Regis, honorem Regni, & omnia jura Regis, præſente Petro de Nongento tunc Abbate, Radulfo Priore conſanguineo ſuo. Hanc fidelitatem pro domino Rege receperunt Magiſter Boſo Clericus ejus, & Robertus de Leſga. Actum Remis, dum cuſtodirent Regalia poſt deceſſum Alberici Archiepiſcopi Remenſis anno 1218. menſe Aprili ante capellam Abbatis.* Cuſtodis officium, ad quod Milo de Nantolio electus fuerat, finiiſſe per obitum Alberici probabile eſt, cùm ex Chron. Antiſſ. habeamus anno ſequenti in Palæſtinam profectum, interceptúmque cum Regis Camerario in pugna adversùs Saracenos data, anno 1219.

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1218.

De Paribus Franciæ aliquid, & cur Remenſis Archiepiſcopus primus inter Pares.

CAPUT XXV.

DE Parium collegio quando cœperit, & unde deductum nomen, diſcors ſententia eſt apud Auctores. Budæus à Patriciis Pares contracto vocabulo dici putat, quorum dignitas clarior evaſit, cùm velut Senatores hos Romulus habuit à conſiliis. Alij ab officio aptius nominari volunt, quòd ſub primis Regibus pari gradu & æquali jure quidam Epiſcopi & Nobiles tam pace, quàm bello fungebantur, priſco more Gallorum apud quos, qui in aliquo numero, & honore habebantur, duo genera erant, Druidum & Equitum: undè in placitis regijs certis diebus convocatis numerus quidam Procerum ex Clericis & laïcis conflatus adſtabat, pro gravioribus cauſis in conſilio terminandis. Sed cur hi præſertim, excluſis pluribus alijs, Paris nomen induerint & quando, obſcurior diſquiſitio eſt. Qui ad etymon potius, quàm ad officium attendunt, cenſent inſtitutos fuiſſe à Carolo Magno, cùm bellis externis occupatus Concilium ab eo erectum, eſt Curia vocatum, ut eo abſente, ſi quid gravius componendum occurreret, mutuo conſilio dirimerent. Ita Vvaſſeburgus in hiſtoria Virdunenſi lib. tertio, Hotomannus de Franco-Gallia, Gaguinus. Alij verò hanc inſtitutionem Hugoni Capeto adjudicant, credúntque Regni Primores hâc dignitate inſignitos ob clientaria prædia, quæ ſub eo poſſidebant, quod Carondas facilè reprobat in digeſtis Juris Gallici capite 21. alioquin qui regalia beneficia occupant, Pares dicerentur, cui tamen reſponderi poſſet Nobiles, qui Baroniam & Toparchias directè & immediatè tenent à Rege, veros Pares exſtitiſſe.

Guillelm Budæus in notis ad Pandect. et. Fauchetus. Duplex to. 2.

Cæſar lib. VI.

Aimo lib. IV. cap. 12. de Chlotario & Dagob. diſſerent.

Petri Pithœi V. C. opinio præ alijs optima mihi viſa eſt, qui Parium originem à communi feudorum uſu ſumendam aſſerit, vaſſallóſque, qui feodo plenè, & directè unius domini beneficio potiuntur, olim Pares Curiæ vocatos fuiſſe, cujus officium erat domino adſiſtere cùm iniret poſſeſſionem ſui dominij, adeſſe velut teſtes novis inveſtituris, & lites dirimere, quæ inter dominum & vaſſallos oriebantur. Sic Parium nomenclaturam vult incœpiſſe ob æqualitatem & prærogativam, quibus gaudebant ſelecti illi pro cauſis feodalibus terminandis ſub Dynaſta dominante.

Quod ſpectat ad tempus creationis eorum, quamvis conjecturæ variæ ſint, ſtatum Regni ſub Capeto videntur indicare: nam ſi verum ſit beneficiaria prædia & toparchias ad heredes non tranſiſſe, niſi ſub ultimis ſe-

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1118.

cundæ ſtirpis Regibus, quis non appoſitè ad Capetum ejuſmodi inſtitutionem non revocet? Eò vel maxime quod in hujus ſtirpis deliquio, & Capeti ad Regnum promotione, Regni Primores ſe velut ſupremos dominos venditabant, ſpreta auctoritate regia, cui tantum verbis parebant. Hugo nihil periclitari volens, Ordinum benevolentiâ contentus qui eum ſuffragiis ad ſolium evexerant, coactus fuit feodalium uſum, jam pæne receptum, relinquere ſub homagio, ſeu clientela coronæ Francorum: cúmque pro hujuſmodi homagiis diverſæ lites & diſſidia promanarent, probabile eſt Hugonem, vel proximè ſucceſſores inter Barones præcipuos elegiſſe, ut hæc ſuo judicio definirent, qui tunc Pares vocati ſunt, eo ſenſu quem indicavimus.

Quod huic præſertim opinioni robur addit, illud eſt, inferiores ſcilicet Toparchas Regum exemplo per id tempus Pares habuiſſe, imo etiam antequam Hugo Capetus ad Regni apicem eveheretur, ex Tilletio, qui ſententiam à Paribus Vicecomitis de Thoars latam anno 929. in Collectaneis ſuis retulit. Gerbertus Parium meminit licèt ſubobſcurè epiſtolâ ad Comitiſſam Mathildem. Fulbertus Carnotenſis Richardum Normanniæ Ducem diem dixiſſe ait Comiti Carnotenſi, ut ſiſteret ſeſe coram Paribus ſuis pro caſtello Drocenſi. Balduinum Calvum, qui per quadraginta annos Flandriam rexit, duodecim Pares inſtituiſſe Meyerus ait. Campaniæ Comiti ſex adſcribit Pithœus, Remenſi quoque Archiepiſcopo (ut & Laudunenſi, & Bellovacenſi Epiſcopis Tilletius) hóſque vulgo nominari homines liberos, & feodales, qui vaſallis Ducatûs Remenſis juſtitiam adminiſtrabant. Addit: ***Clarum igitur eſt Regulis, vel qui majora prædia poſſidebant, permiſſum Pares & Curiam habere, quos Patriciolos, & Nigellanos Budæus vocat.***

Hõmet franc & feffez.

Pares Franciæ Barones ut plurimùm dictos reperio, horúmque numerum ad duodenarium in placito regio Pariſiis coacto ſub Ludovico anno 1179. tradit Favinus, ubi Regis ungendi prærogativa iterum Remenſi Archiepiſcopo adjudicata eſt. In eodem placito Pares inſtitutos contendit, eo quod Præſules necdum Ducatûs, vel Comitatûs dignitate fulgerent, quam Pariatûs appendicem eſſe putat, ſaltem Comitatus Remenſem, & Laudunenſem in Ducatum tunc erectos non legimus: Lingonenſis autem, & Cathalaunenſis ferè per hoc tempus Eccleſiæ collati ſunt, quod intelligendum arbitror de Pariurn collegio ſex Ducibus & totidem Comitibus coaleſcente, non verò de Baronibus antiquis, qui hac prærogativa prius alicubi gaudebant.

Sic igitur Philippi ætate Parium numerus ad duodecim fixus erat, quos Matthæus Paris refert hoc ordine: ***Archiepiſcopus Remenſis primus eſt, ac ceteris excellentior, quòd jus habeat ungendi Reges Francorum ex liquore cælo demiſſo, ob quem digniores alijs omnibus Regibus habentur; Epiſcopus Noviomenſis Comes Palatinus, Epiſcopus Bellovacenſis Comes etiam Palatinus, Epiſcopus Cathalaunenſis, Epiſcopus Lingonenſis qui licèt pauper ſit, magna tamen præditus eſt dignitate, Epiſcopus Laudunenſis (comes B Remigij beneficio, prædicti Epiſcopatûs auctoris.*** Præpoſterè Pares eccleſiaſticos recenſuit hic Auctor, nam ante Comites, Duces collocandi ſunt: Laïci ab eodem numerantur inverſo pariter ordine, Dux Normanniæ aliis digniorem dicit, forſan quòd Angliæ Rex eodem Ducatu potiretur cùm vaſſallus erat, Dux Aquitaniæ ob eandem rationem ſecundo loco ponitur, poſt hunc Dux Burgundiæ: inter Comites, Flandro primum locum attribuit, ſecundum Comiti Campaniæ, ultimum Toloſano.

Quod obſcuritatem adhuc parit in inveſtigando tempore creationis Parium illud eſt, quòd Clerici antiquitus, imo nec Laïci ſuis litteris hunc titulum non inſererent, ſed Comitis ut plurimùm, & Baronis. Simonis Monfortij

Digitized by Google

Monfortij Chronicon de judicio adversùs Johannem Angliæ Regem, dictum Sine-terra, in Regis curia hos Barones vocat, quibus Matthæus Paris Parium nomen attribuit. Froiſſardus pluribus in locis Pares Franciæ Barones etiam inſcribit, & in Epiſcoporum diplomatibus hæc verba initialia titulos omittunt: *Ego N. miſeratione divina Laudunenſis, vel Belvacenſis Miniſter*, curæ ſiquidem ipſis non erat ſæculi honoribus inſulas exornare, quamvis inſciè ſibi delatos non abnuerent, ſic Brito Guillelmum de Beliſmo Cathalaunenſem Epiſcopum, & qui judicio Parium pro Comitatu Campaniæ interfuit, illuſtri hac apoſtrophe compellat. Alberic. LIII. Archiep. An. 1218.

Dignus es inventus, & Epiſcopus, & Comes eſſe,
Vt cui nobilitas gemina eſt à ſanguine Regum,
Nobilitatis apex gemino ſplendeſcit honore.

In epitaphiis quoque, Ducis & Comitis titulus relucebat, ab amicis forſan additus, Gazonis Laudunenſis inſcriptio tumuli hoc docet an. 1317.

Dux Laudunenſis, & Præſul Gazo vocatus,
Laudibus immenſis dignus jacet hîc tumulatus.

Paris Franciæ nomen à trecentis quoque & ſexaginta annis legitur, in actis ſcilicet Epiſcoporum, nam Gerardi de Bazoches epitaphium, niſi recens ſit, & qui ſub Philippo II. vixit, illud clarè exprimit his verbis.

Noviomi Præſul, Par Regni, nobilis heres
Bazochia, rutilans laude Gerarde jaces.

Reſcriptum B. Ludovici ad Capitulum Laudunenſe anno 1235. pro Bellovacenſi, Paris titulum graphicè depingit: *Quod Bellovacenſis Epiſcopus in Baronia, & feodo homagij ligij teneat quod habet apud Bellovacum, & quod Par ſit ex eo Franciæ, vos credimus non latere.* Simon de Nigella hunc etiam titulum ſibi vendicat in areſto adversùs Majorem & Pares Bellovacenſes anno 1393. Idem reperitur de Johanne de Craon Rem. Archiepiſcopo in decreto pro cuſtodia Clavium urbis Remorum, ubi Johannes Rex ſic ait: *Dictus Archiepiſcopus tenet temporalitatem ſuam, & quoad hoc ſumus ejus creatores.* At omni exceptione certius teſtimonium quoad nomen Paris, munus, & præeminentiam exhiberi non poteſt, eo quod ſumitur ex lata ſententia pro Comitatu Campaniæ in Curia Regis Philippi Auguſti anno 1216 cui Albericus interfuit, primúſque ſubſcripſit, ut Capite XXII. vidimus, ubi judicium legaliter pronuntiatum legitur his verbis: *Iudicatum eſt ibi à Paribus Regni Franciæ, videlicet ab Alberico venerabili Patre noſtro Remenſi Archiepiſcopo, & venerabilibus viris Vvillelmo Lingonenſi, Vvillelmo Cathalaunenſi, Philippo Belvacenſi, Stephano Noviomenſi, & Odone Duce Burgundiæ, audiente Domino Rege & judicium approbante, &c.* De juribus Parium Franciæ, muniis eorumdem in Regum inauguratione, & ordine ſedendi in ſupremo Senatu Pariſienſi, & de aliis prærogativis hîc ſileo, cùm multi de his ſat copioſè ſcripſerint, Tilletius præſertim, Favinus, Andræas Duchenus & alij, quos videat Lector ſi velit.

Cur Remenſis Archiepiſcopus primus Par Franciæ, & ex Suffraganeis quatuor inter Pares adſciti.

NOtatu dignum arbitror quòd Remenſis Archiepiſcopus primi Paris prærogativam inter tot Primates, & Metropolitas Regni Francici obtinuerit, & illuſtris hujuſce Collegij, præter eum, quatuor Præſules ſint ex provincia Remenſi ad eamdem dignitatem electi. Non deſunt rationes à viris doctis excogitatæ, quas hîc breviter, & ſine verborum conflictu referam

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. An. 1218.

referam. Quidam eminentis doctrinæ putant hac dignitate Præſules inſignitos, qui Hugonem Capetum ad Regni apicem recèns promotum aliquot obſequiis gratanter exceperunt, inter quos eminet Adalbero Remenſis Archiepiſcopus, qui princeps Collegij Parium ob id lectus dicitur, non modò quòd à partibus Hugonis generosè ſteterit, ex Gerberti epiſtolis; ſed etiam quòd Hugonem Remis unxerit, à quo ſummi Cancellariatûs præfecturâ donatus eſt, vel in ea confirmatus. Sic Aſcelinus Laudunenſis Epiſcopus (Anſelmum hunc vocat Nangius) Hugonis partes tantopere fovit, vt Urbis portâ, cujus claves penes ſe habebat, reſeratâ Carolum Ducem in Hugonis poteſtatem mittendo, ſecundum locum ſibi ac ſuis ſucceſſoribus comparârit. Sic Gebuinus Belvacenſis Eudonis Campaniæ Comitis filius, & Franciæ Cancellarius poſt Adalberonem, & Londulfus Heriberti II. Viromandenſis Comitis filius Noviomenſis Epiſcopus ob natalium claritudinem, & parentum obſequia, ad eandem dignitatem evehi potuerunt.

Hoc appoſitè dictum non inficior, ſi, quod vulgò dicitur, Franciæ Pares ab Hugone inſtitutos fuiſſe verum ſit, maximè cùm Hiſtorici quidam Ducem Burgundiæ ordinis laïci Decanum vocitent, eo quod Otto, & Henricus fratres Regis Ducatum ſucceſſivè occupaverunt, & poſt eos Robertus filius Regis ejuſdem nominis. Supponit enim hæc opinio Parium Collegium idem fuiſſe ab initio, ac poſtea fuit, quod aliter ſe habere ſupra oſtenſum eſt. Quare qui poſterioris ſunt ſententiæ, ſcilicet Pares Franciæ reductos fuiſſe ad duodenarium numerum à Ludovico VII. an. 1179. opinantur habitam pariter fuiſſe rationem in eligendo nobiliſſimæ ſtirpis eorum, qui Sedes epiſcopales obtinebant, quibus hæ dignitates obnoxiæ ſunt. Unde ſi natales tam Archiepiſcopi, quàm aliorum excutiantur, hos non modò progenie, ſed & obſequiis illuſtres reperiemus. Sedem Remenſem Princeps ſtirpis Campanienſis ſanguinis nexu cum Regibus conjunctus regebat, & qui ultra cardinalitiam purpuram, tot fulgebat virtutibus, ut Regni Adminiſter creatus fuerit cum Regina ſorore, Rege in infideles bella inferente. Laudunum magni urbs nominis, quòd ultimis Regibus ſecundæ ſtirpis refugium præſtiterit, gaudebat Præſulatu Rogeri de Rozeto *Famâ, titulis, generiſque nitore fulgentis*, Ut habet epitaphium in Ædе Vincentiana. Hic quòd gratiâ polleret apud Regem, ſelectus eſt pro ceremoniis explendis in fœdere nuptiali Philippi Auguſti cum Elizabetha Flandriæ Comitis filia apud Bapalmas. Belovaci præſidebat Philippus Ludovici VII. nepos, Roberti Drocenſis & Agnetis de Brana filius, qui aciem ſtruxit in Anglos, & Albigenſes, Brito hujus natales breviter complectitur his verbis.

Idem Præſul erat Roberti clara propago,
Qui Groſſi fuerat Ludovici regia proles

Eodem tempore Galterus Ducis Burgundiæ av inculus Lingonenſes infulas induerat. Fertur à Ludovico VII. obtinuiſſe ut ea urbs à Francico ſceptro nuſquam ſeparari poſſet, poſtquam Comitatum Eccleſiæ obnoxium feciſſet, ſic Regis gratiam cùm hoc facto ſibi conciliâſſet, meritò obtinuit ut ea urbs in Ducatum erigeretur, & in Pariatum eccleſiaſticum. Guido de Janivilla, vir magnæ auctoritatis, ad quem ſcribit Sareſberienſis Epiſcopio Cathalaunenſi donatus eſt, & paullo-poſt Pariatu ob claritudinem generis, quem ſuis poſteris hereditarium reliquit. Hic Communiæ Cathalaunenſis erectioni ſtrenuè reſtitit, ex epiſtola ad Ludovicum VII. Tandem Noviomi Ivo de Nigella optimi Paſtoris partes agebat, quem veteres licèt catalogi omittant, legitur tamen in vita Ludovici VII. cum hac laudis præfatione. *Ivo de Nigella Epiſcopus Noviomenſis, formæ elegantiâ, & pollens ſapientiâ naturaliter.*

His

His rationibus addi poteſt, quod magni momenti exiſtimo pro re ſcrutanda cujus cauſa nos latet, Regni ſtatus ſub primis tertiæ Dynaſtiæ Regibus, Ludovico VII. præſertim, ſub quo Normanniæ, Aquitaniæ, Toloſæ, Burgundiæ, & Campaniæ Principatus in beneficium Regulis quibuſdam dati fuerant; tunc enim cùm duo tantùm Metropolitani proximè Pariſios eſſent, Remenſis, & Senonenſis, unus ex his neceſſariò ſeligendus fuit pro loci prærogativa inter Epiſcopos. At Remenſis meritò prælatus eſt, tam ob rationes ſupra tactas, quàm ob jus Reges inungendi, à Senonenſi acriter diſceptatum, quod eodem tempore Guillelmo Remenſi, Rege conſentiente, adjudicatus eſt. Sanè ſi verum ſit quod tradit Aventinus, Moguntiæ Archiepiſcopum inter Electores eccleſiaſticos primum locum tenere, eo quod ſanctus Bonifacius hujus urbis Epiſcopus Pipinum unxerit Imperatorum parentem, cur Remenſes Archiepiſcopi hac præeminentiâ non pollerent, cùm ſint beati Remigij ſucceſſores, qui Clodovæum ad Fidem convertit, unxítque in primum Regem Catholicum. Ceteri Pares, excepto Lingonenſi, ex provincia Remenſi aſſumpti ſunt, quò noſtra Metropolis illuſtrior redderetur, & faciliùs hi poſſent Regum unctionibus intereſſe, quominus ea Urbe procul eſſent, ubi de more celebrantur.

ALBERIC. LIII. ARCHIEP. *An.* 1218.

Hîc aliquid annectendum eſt de erectione Comitatûs Remenſis in Ducatum, quam conjunctim factam cum Pariatu ſub Ludovico VII. ferè omnes ſcribunt Auctores. Hoc probant ex donatione Ducatûs Lingonenſis, quæ hanc ætatem indicat; Epiſcopus enim prædictæ urbis dominio potitus eſt ceſſatione Hugonis III. Burgundiæ Ducis, ut habet Tilletius, & ex Comitatu Cathalaunenſi, Epiſcopatui obnoxio ſex tantùm annis ante prædictam erectionem. Ut autem quædam inter Pares eſſet conventientia, optimum factu Rex exiſtimavit, ut tres ex ſingulis ordinibus Duces, & totidem Comites ſeligerentur, quod hactenus quoad Clericorum numerum, fixum in eadem Urbe, & epiſcopali dignitate ſine ulla cujuſcumque varietate conſtanter retentum eſt. Nunc quod ſpectat ad Ducatûs Remenſis appendices, præter villas, & prædia veteris dominij archiepiſcopalis, de quibus tomo I. lib. IV. cap. 15. quidam numerant ſeptem Caſtellanias, ſic dictas à turre, vel caſtello cui præerat Caſtellanus ex parte Archiepiſcopi, quò iter ad Urbem ſecurius eſſet viatoribus. Hæ diverſo ordine paſſim referuntur in MSS. codicibus, vulgatior hic eſt in ſchedis beneficiaria prædia Ducatûs referentibus.

Caſtellum portæ Martis, Calmiſiacum, Attiniacum, Betnivilla, Curcella, Culmiſiacum, Septem ſalices Quidam codices addunt Nogentum, & Novam-villam.

At ex collecta, quæ fieri ſolet pro expenſis regalis epuli in die unctionis Regum, quinque referuntur, Caſtellum dictum portæ Martis, quod dominij caput eſt, omittitur, & ſic reſtant Culmiſiacum, Attiniacum, Betnivilla Curvilla, & Septem-ſalices, cum duabus Præpoſituris, Nogentum in Montana, & Calmiſiacum, quæ præcipuum Archiepiſcopale dominium conficiunt. Quo verò inſtructu, cùm bellum antiquitus ingrueret, fideles & caſati in ſollemni tranſvectione procedere deberent, quot equos habere, & quibus diſtinctos coloribus & notis, refert MS. codex anni 1317. quo diſcitur diem dictum vaſallis prædia beneficiaria occupantibus, ut comparerent extra portam Martis die veneris ante feſtum Omnium-Sanctorum, ut inde armis optimè tecti, per Seneſchallum ducti, exercitui Regis ſe jungerent, ſubſidium per aliquot menſes exhibituri.

Archiepiſcopi Rem. Principes Patricium nominibus exigendis generale diploma (quod vulgo debitas apellant) pro imperio habere poteſt VIII.

Guillelmus

Id. April. an. à Martinalibus 1418. *ex Iohan. Lucio Pariſien. lib* 3. *Plaitor. curiæ. Item licebat Archiepiſcopo Ducis Rem. ac primo Paris perennem Iſtium ſuarum catalogum promulgare, an.* 1457.

Salometram creare poteſt, id eſt menſorem ſalis, ex placito Calend. Septemb an. 1293. 1403 *tributum ſalis ei deberur, nimirum pro quolibet plauſtro modium ſalis Gallice*, Minot, *& pro ſuſta equi farcina ſemimodium*, un boiſſeau *Rex etiam tallias burgenſibus ſuis non imponebat antiquitus ſine ſuo conſenſu.*

GUILLEL. LIV. ARCHIEP. ann. 1219.

Guillelmus de Janivilla ex Lingonenſi ad ſedem Remenſem transfertur, provinciam viſitans jus ſibi debitum in primo adventu à civibus Perona, & Flandriæ Comite exigit, litem dirimit inter Capitulum & Scabinos Noviomenſes.

CAPUT XXVI.

IOINVILLE d'azur à trois broyes d'or au chef d'argent, chargé d'un Lion de gueules naiſſant.

EXSEQUIJS Alberici per diœceſim ritè completis, Canonici, Rege contentiente, in unum de more coacti eligunt Guillelmum de Janivilla, ingenti deſiderio ab univerſo Clero & populo, ob famam virtutis & nobiliſſimam proſapiam, expetitum. Patrem habuit Godefridum ſeniorem Henrici Comitis Campaniæ Seneſcallum, qui ex Helinde, quidam nominant Felicitatem, alij Johannam de Rinel, quatuor ſuſcepit liberos, Godefridum in bello ſacro defunctum, Simonem qui patri ſucceſſit in Baronia Janivillea, Guidonem dominum de Sailly, & Guillelmum cujus hiſtoriam aggredimur. Ex his duo priores ſacram militiam profeſſi cum Philippo Rege anno 1190. ſtrenuè decertârunt adversùs infideles, etiam poſt reditum Philippi ex Palæſtina; refert enim Vaſſeburg. Richardum Angliæ Regem horum ſubſidio & operâ uſum ad expugnanda loca maritima infidelium, inſignibúſque Angliæ ab eo ob virtutes decoratos, quibus gentis hujus ſcuta nobilitantur.

Janivilla, vel Ioinville oppidum in diœceſi Cathalaun. nunc Principatus nomine inſigne.

Sic Guillelmi genus, egregia fratrum facinora, ejúſque in Clericatum propenſio viam ipſi ſtraverunt ad dignitates eccleſiaſticas; expleto itáque tirocinio in Eccleſia Remenſi, Archidiaconatum mox conſecutus eſt; eóque titulo legitur in Chartulario ſancti Nicaſij anno 1211. Lectus poſtea Lingonenſis Epiſcopus, & Par Franciæ confirmat normam vivendi Fratrum Vallis-Scholarium menſe Sept. anno 1215. quorum primaria domus veluti caput ordinis, eodem ſedente ædificatur juxta oppidum Calvummontem in Baſſigneyo, ſub regula Auguſtiniana. Interfuit quoque placito regio, ſeu Parlamento Meloduni, quo Campaniæ Comitatus Parium judicio Theobaldo adjudicatur anno 1216. At obeunte Alberico, in ſedem Remenſem, Honorio III. aſſentiente, tranſlatus, Urbem ingreditur nona Junij, die Dominica, realemque poſſeſſionem init ritu conſueto infra deſcribendo. At renuit ipſe jurare ſe ſervaturum ad unguem privilegia, & conſuetudines Capituli, ut refertur in ſententia Archidiaconi Cathalaunenſis, ubi Guillelmus dicitur à pueris in Eccleſia Remenſi enutritus.

Guillelmus fuerat Rem. Archidiacon.

Jurare renuit ſe ſervaturũ Privilegia Rem. Eccl.

Subinde homagium requirit à domiſſis villæ de Gothis (ipſis nequicquam contendentibus deberi Comiti Campaniæ) à domino de Muyſon, & ab aliis vaſallis Archiepiſcopatûs, tum ad Urbis Monaſteria viſitanda ſeſe accingit, cúmque magno ſæcularium comitatu ſtipatus capitulum Sanremigianum, id quod erat officij expleturus, ingreſſus fuiſſet, Abbas & Monachi conqueſti ſunt apud Honorium ſummum Pontificem, ad quos ſequens reſcriptum miſit, quo prohibetur ne Archiepiſcopus plures ſæculares inducat in capitulum quàm duos vel tres viſitando prædictum Monaſterium, quod licèt in codice juris inſeratur, hîc tamen conſultò ſcribendum putavi.

Prohibet Honorius ne Archiepiſcopus viſitando Monaſterium S. Remigij plures, quam duos vel tres ſæculares in capitulum inducat.

„ HOnorius Servus ſervorum Dei dilectis Filiis Abbati & conventui „ ſancti Remigij Remenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ut

Ut juxta illius ſupremi poſt Chriſtum Paſtoris edictum, Paſtor forma futuri gregis ex animo dignoſcatur, non dominandi libidine, ſed amore rectè gerendi debet illum ſalubriter viſitare, ſic exceſſus delinquentium quantùm poteſt corripiens, ne revelet; ſic increpans, ne confundat: quia cùm juxta Sapientis edictum ſecretò ſit arguendus amicus; amicitiæ legem violare videtur, ſi econtra palam arguat exprobrando. Attendentes igitur quod indecens eſt, ut venerabili Fratri noſtro Remenſi Archiepiſcopo in vos, vel Monaſterium veſtrum, viſitationis officium exercente, ſæculares interſint, per quos poſſit in clauſtro diſſolutionis materia provenire, cùm nequaquam bene clauſtralibus conſulatur: auctoritate præſentium firmiter inhibemus, ut nullos de cetero ſæculares in capitulum, niſi duos, vel tres Canonicos de Canonicis Eccleſiæ ſuæ in decenti habitu, viris alijs, quot expedire viderit, religioſis adjunctis ſecum viſitationis tempore introducat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam infringere. Datum Laterani IV. Idus Janua. Pontificatûs noſtri anno tertio. " GUILLEL. DE IANVILLA LIV. ARCHIEP. *An.* 1220.

Guillelmus inde per diœceſim & provinciam pergit, debitos honores ab Oppidis recepturus, juxta receptam à multis retro ſæculis conſuetudinem; cúmque Major & Jurati Peronæ jus conſuetum remittendi foris bannitos denegâſſent, de iis apud Regem eo graviter conquerente, miſſi ſunt Guarinus Silvanectenſis Epiſcopus, & Robertus de Betiſy, qui ſedulò inquirerent quo jure apud eos gauderet Remenſis Archiepiſcopus in jucundo ſuo adventu; facta per delegatos diligenti inquiſitione Rex ad Majorem & Juratos reſcripſit hoc modo.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex Majori & Juratis Peronæ ſalutem. Inſinuaverunt nobis dilecti & fideles noſtri G. Silvanectenſis Epiſcopus & Robertus de Betiſy, quòd per legitimam inquiſitionem invenerunt quòd Archiepiſcopus Remenſis tale jus habet in villa Peronæ, quòd primo anno conſecrationis ſuæ, quando prima vice perſonaliter venit in villam Peronæ, poteſt illa vice, & non amplius remittere in villa Peronæ foris bannitos, qui nec vitam, nec membrum amittere meruerunt. Archiepiſcopus Guillelmus, qui nunc eſt, quia jus ſuum denegabatis eidem, quod modò per legitimam inquiſitionem eſt declaratum, vos excommunicavit, unde quia non permiſiſtis dictum Archiepiſcopum uti jure ſuo prædicto, quando prima vice poſt conſecrationem ſuam venit Peronam, remittere in villa Peronenſi foris bannitos, qui nec vitam, nec membrum amittere meruerunt, & hac vice, ſive amplius hoc faciat nomine illius vicis, qua primò veniet Peronam poſt conſecrationem ſuam. Pro contemptu autem quem feciſtis volendo ſuſtinere contrarium, rogamus ipſum Archiepiſcopum, ut exinde recipiat centum libras à vobis pro amenda, & vos abſolvat, & eos qui propter hoc ſunt excommunicati. Archiepiſcopus autem id amore noſtri conceſſit; inde eſt quòd vobis mandamus, quatenus Archiepiſcopo memorato de dictis centum libris ſatisfaciatis. Actum Compendij anno Dom. 1220. menſe Auguſto. " *Archiep. Remenſis primo anno ſuæ coronationis jus habet remittendi foris bannitos in villa Peronæ.*

Flandriæ & Hannoniæ Comes characteris epiſcopalis ſe obſervantiorem exhibuit urbicis magiſtratibus, quoad bannitorum revocationem. Etenim cùm Guillelmus Inſulam, diœceſim Tornacenſem viſitaturus, advenit, ſive Comes procul eſſet ab urbe, aut de tali jure nihil hactenus accepiſſet, requiſitus ab Archiepiſcopo, ut ſibi, velut Metropolitano ac provinciæ in ſpiritualibus ſuperiori, debitus honos redderetur, ingenuè faſſus eſt quòd reus erat, promiſitque quòd deinceps occurreret ei, vel aliquis ex parte ſua, modò competenter adventum ſuum ſignificet, & quòd bannitos permittet revocari, ut clarius conſtabit ex

GUILLEL. DE IANVILLA LIV. ARCHIEP. *An.* 1220.

charta Comitis, quam ad caput triceſimum hujus libri remiſimus.

Magiſtratuum popularium ubique paſſim, poſt pugnam præſertim Bovinenſem, ſic intumuerat arrogantia, ut Epiſcoporum dignitas vilis apud eos omnino eſſet, nulla illis ratio libertatis Clericorum, in quoſlibet ſine delectu manus injicere, privilegia temerare, vetera & nova promiſcua habere, ſacra etiam conculcare, alicubi licitum eſſe videbatur. Narrat Vaſſorius excitatum Novioduni tumultum anno 1222. ob famulum Eccleſiæ à Scabinis in vincula conjectum. Canonici, quibus immunitas qualibet alia re potior erat, eum vendicare ſtatim nituntur, petúntque recredentiam, ut vocant ſeu vindicias, Scabinis hanc denegantibus, Urbem totam interdicto ſupponunt, dicúntque anathema in jurium eccleſiaſticorum temeratores. Epiſcopus ſubortam litem compeſcere cupiens, reum è cuſtodia eduxit, ſublatóque interdicto, Majorem & Scabinos, conſentiente Capitulo, ab excommunicatione abſolvit. Odiis ſubinde recrudeſcentibus, compromiſſum eſt inter prædictos ſe arbitrorum ſententiæ parituros, Guillelmi ſcilicet Archiepiſcopi, Milonis Belvacenſis, & Guerini Silvanectenſis Epiſcoporum. Hi habita ratione injuriarum, de quibus Scabini necdum Capitulo ſatisfecerant, ſanciunt Majorem teneri emendare culpas publicas erga Epiſcopum, & Capitulum, reddere famulum incarceratum in cœmeterio beatæ Mariæ, & pro infractione portarum Eccleſiæ die tumultûs, Communiam mulctam ſummâ ſeptuaginta quinque librarum adversùs Decanum & Capitulum. Decernunt præterea, *Vt Major, & decem de Iuratis Noviomenſibus una die Dominica, vel ſollemni faciant unam haſcheiam ad proceſſionem in Eccleſia Noviomenſi, abſque ullo remedio, & abſolutionem recipiant à Capitulo, Item ut Major, & Iurati, & Communia ſingulis annis jurent Epiſcopo, quòd non mittent manum in Canonicos, aut Clericos de choro Noviomenſis Eccleſiæ, aut ſervientes eorum, qui ſunt de manipaſtu ipſorum, niſi fortè ipſi ſervientes ſint de Communia Noviomenſi, &c.*

An. 1222.

Turbidus Eccleſiæ ſtatus, ob diſſidia inter Epiſcopos, Capitula, & Scabinos.

In componendis hujuſmodi litibus inter Epiſcopos, & Capitula, & Scabinos, quibus urbium Belgicarum ſcatent hiſtoriæ, per ducentos & amplius annos laboratum eſt. Epiſcopi novis titulis, ac dominio adaucti, Canonicorum privilegia quibus pro libitu ceſſare à Divinis, malefactores excommunicare, vel eoſdem abſolvere conceſſum erat, non ferenda cenſebant: Canonicis è contra Epiſcoporum ſplendor, opes, & auctoritas, inviſa ac inſolita videbantur; unde naſcenti populorum democratiæ manus obſtetricantes facilè præbuerunt, quò negotium eis faceſſerent. Laïci verò Clericis infeſti ob libertates utriſque ſummopere invidebant; cúmque interdictis, & ceſſationibus à Divinis, quibus nihil hæc ætate frequentius, hos terrere Clerici, vel in officio continere niterentur, hi ex adverſo tumultus agere, injuriis palam laceſſere, carcere, exſilio, ædificiorum ſubverſione vindicare. Hinc fit ut Regibus ſacræ militiæ attentis, miſera ubique ſparſim, & lugubris Chriſtianæ reipublicæ facies fuerit, donec ſtabilito Pariſiis Parlamento, certis repagulis horum omnium conatus repreſſi, ne ultra æquitatis, ac proprij ſtatûs limites deinceps efferrentur.

Dum juribus ſervandis prædicti certatim incumbunt, diſcordia exoritur inter Philippum Auguſtum, & Guillelmum urbis Pariſienſis Epiſcopum pro quibuſdam juribus prætenſis ab utraque parte in clauſa Brunelli juxta urbem Pariſienſem. Rege igitur, & Epiſcopo ob id diſcordantibus, electi Judices Ludovicus Franciæ primogenitus, Guillelmus Remenſis Archiepiſcopus, & quidam alij Proceres; litteræ quoque ſuper hoc negotio confectæ, quibus nonnihil notatu dignum occurrit, nam Remenſis Archiepiſcopus ante Ludovicum ſtirpem regiam & miniſtrum Regni in iis nominatur, quæ ſic incipiunt.

Littera

Digitized by Google

GUILLEL. DE IANIVILLA LIV. ARCHIEP. An. 1220.

Littera Guillelmi Remenſis Archiepiſcopi, Ludovici Regis primogeniti, Guarini Silvanectenſis Epiſcopi, Bartholomæi de Roya Franciæ Cameraryi, Matthæi de Montmorenciaco Franciæ Conſtabularij, Comitis Petri Britanniæ, &c. de quibuſdam juribus quæ dominus Rex habebat in clauſa Brunelli, &c. anno 1220.

Remos reverſus Godefridum de Fontaine, cognomento Bonum, ſacrat Epiſcopum Cameracenſem Dominica ante Cineres unà cum Jacobo Sueſſionenſi, & Galtero Tornacenſi Epiſcopis, teſte Alberico. Tum in Angliam transfretavit eo anno, quo ſanctiſſimi Thomæ Cantuarienſis corpus è tumulo extractum eſt à Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo, ac in capſa auro, & gemmis affabre facta incluſum, cui ſollemnitati præfatus Guillelmus interfuit, quinquaginta annos poſt fortiter ſuſceptum à beato Thoma pro Eccleſiarum libertate martyrium. Narrat Brennacenſe Chronicon ſimultatem hoc anno exortam inter Comitem Campaniæ, & Philippum Comitem Boloniæ, Comitem Robertum Branæ, & alios Franciæ Nobiles, eóſque trajecto Matrona, villas de Sparnaco, de Virtutibus, & de Seſana combuſſiſſe, fugatóque Campaniæ Comite, obſediſſe in reditu caſtra ſeu Caſtella de .... & de Fimes, iiſque expugnatis, turrim de Fimes ab iis ſuccenſam, quæ paullo poſt ex lapidibus quadris reſtructa eſt & adhuc ſtat.

Corpus S. Thomæ Cantuar. è tumulo extrahitur.

Dominicani, Franciſcani, & Clariſſæ ſub Guillelmo de Janivilla Remis ſtabiliuntur.

CAPUT XXVII.

ORDINES Prædicatorum ac Minorum poſt adeptam ab Honorio III. confirmationem tantis incrementis, coaleſcente planta, per Chriſtianum orbem pullulârunt, ut viventibus adhuc Patriarchis Dominico, & Franciſco, nulla ferè celebris (ſaltem epiſcopalis) urbs fuerit, quæ horum ſodales recipere lucrum non putaret. Sanè quidem in tantorum virorum vocatione ſummam Dei in conſulendo Eccleſiæ ſuæ innotuiſſe providentiam liquet omnibus, dum quo tempore plures à recta Fide deviarent, mundúſque in tetræ noctis caligine verſaretur, ejuſmodi claritudinem lucis immiſit, quò Fidelium mentes illuſtrarentur. At inter eas quæ alacriùs prædictorum Ordinum alumnos in gremium admiſerunt, Remenſis meritò excellit, quòd in ea pedem fixerint ante obitum Ss. Dominici, & Franciſci: hic enim beatam egit animam VI. Auguſti annò 1221. ille IV. Octobris anno 1226. receptio autem Dominicanorum & Minorum refertur ad annum 1219. 1221. & 1225. quamvis primitus ibi non eſſent, ubi poſtmodum ſtabiliti, jacta ſunt Eccleſiarum prædictorum Ordinum fudamenta.

Ordo Prædicator. anno 1207. incæpit ex Alberico. Minorum verò 1208.

Et ut à Dominicanis ordiar, ſchedulæ à ſenioribus relictæ fidem faciunt ſanctum Dominicum Pariſiis degentem quoſdam è ſuis Remos miſiſſe, qui civium propenſionem in eos, ac ſtudium explorarent. Albericus hoc ab eo enixius flagitaverat, dum in ſacro bello adversùs Albios invicem colloquerentur: at felix horum acceſſus ſub Guillelmo de Janivilla contigit; cui Dominici ſanctitas, & eruditio haud ignota erat. Eo igitur promovente ſodales ejus in Urbem recepti ſunt anno 1220. ex iiſdem codicibus: unde ſanctus Antoninus in catalogo Conventuum provinciæ Franciæ, Remenſi ſecundum locum adſcribit, tamquam antiquiori ac digniori poſt

GUILLEL. DE IANVILLA LIV. ARCHIEP. An. 1220.

Parisiensem in vico sancti Jacobi constructum. Hunc item vetustatis gradum probat Chartularium S. Petri-ad-Moniales, ubi habetur Priorem Fratrum Prædicatorum Remensium deputatum fuisse ab Henrico Archiepiscopo anno 1233. ut inquireret an incolis de Gerzicourt necessariò præficiendus esset Curatus, cùm ab antiquo ordinarium, vel residentem non habuissent. Testatur etiam bulla Cælestini III. data nono sui Pontificatûs anno, qui ad annum 1235 incidit, Fratres Prædicatores hospitium in Urbe habuisse, quod nihil detrimenti passum est à civibus, cùm tumultuosè in Archiepiscopi administros juxta portam Martis insurrexissent, licèt ex verbis bullæ non satis constet ubinam habitarent: at ex epistola dominorum de Sailly domûs Vallis-scholarium fundatorum patet evidenter horum residentiam exstitisse in Novo-vico, ut dicam alibi. Hinc nemo inficias ire debet quin Dominicani inter Religiosos Mendicantes primum sibi vendicent antiquitatis locum in urbe Remensi: quanta verò celeritate, ob famam virtutis & doctrinæ apud omnes gentes aditum sibi fecerint, scribunt Crantzius, & alij, qui pariter asserunt 4143. Conventus per orbem conditos fuisse vivente adhuc beato Dominico.

Innocentius IV. horum studij ac laboris in urbe Remensi certior factus, & quid inde emolumenti sperari posset, si viciniores essent Ecclesiæ cathedrali, rescripsit ad Ivellum Archiepiscopum, rogans ut se erga eos benevolum præberet in exstruenda domo, quæ minus distaret à prædicta Ecclesia, quò juniores Clerici horum lectionibus frequentius interessent, fieréntque participes cælestis hujus doctrinæ, quam ipsi hauserant in schola S. Dominici. Hortatur quoque ut in hoc, non modò curam, sed & subsidium impendat, nec grave putet censum abdicare, quem ratione dominij archiepiscopalis justè ab his extorquere posset illis in locis, ubi horum Ecclesia, claustrum, & officinæ ædificarentur, quamvis in suo adventu juramentum præstitisset nihil ab eo subtrahi se passurum, à quo suâ epistolâ mense Julio datâ anno 1246. eum dispensat & absolvit.

Ivellum Pontificem morem gessisse probat pactum, seu conventio Abbatis S. Dionysij Remensis inita cum prædictis Patribus eodem anno, & mense. Hic nempe Archiepiscopi vestigijs insistens, & habita ratione sanctæ conversationis Patrum, & eruditionis, & quòd Parochia Conventui contigua multùm eis prodesse posset, si intra terminos ejus liceat eis Ecclesiam ædificare, pepigit sub conditionibus contentis in sequenti rescripto, quod ex Chartulario Sandionysiano depromptum subijcimus.

An. 1246. „ UNiversis præsentes litteras visuris, Frater Odo Prior Fratrum Prædicatorum Remensium, totúsque ejusdem loci conventus, salutem „ in Domino. Noverit universitas vestra quòd cùm viri venerabiles & religiosi Abbas S. Dionysij Rem. totúsque ejusdem loci Conventus nobis „ de communi consensu concesserunt quòd nos inter terminos Parochiæ „ suæ sancti Dionysij Remensis extra fundum terræ suæ, & salvo super „ censu suo, possimus locum ad commorandum acquirere, Ecclesiam ædificare, Divina celebrare, oblationes recipere, cœmeterium liberum pro „ nobis, & aliis qui apud nos sepulturam elegerint, habere; ita tamen quòd „ ad æstimationem Magistri Nicolai de Sailly Rem. Ecclesiæ Decani, & Magistri S. Scolastici Remensis damna Ecclesiæ suæ, & jura parochialia Parochiæ suæ recompensare teneamur. Et quòd, si ultra terminos nobis à „ domino Remensi Archiepiscopo adbornatos aliquam domum, vel plures „ adquirere contingeret infra Parochiam suam, damna præfatæ Ecclesiæ „ suæ, & jura parochialia jam dictæ Parochiæ suæ ad æstimationem supradictam

dictam Magistri domini N. de Sailly Remensis Eccl. Decani & Magistri « GUILLEL.
S. Scholastici Remensis, & bonorum virorum, recompensabimus. His « DE
omnibus venerabilis Pater Ivellus Remensis Archiepiscopus gratum « IANVILLA
assensum exhibuit, & benignum. In cujus rei testimonium præsentes lit- « LIV.
teras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. « ARCHIEP.

Actum anno Domini 1246. mense Julio. « *An.* 1220.

His consensu partium stabilitis, Patres Dominicani Ecclesiam suam exstruunt anno 1250. sat eleganti structura, & quæ ex insignioribus est totius Ordinis, cùmque opes non suppeterent ad perficiendum, Indulgentias ab Episcopis provinciæ obtinent omnibus iis, qui manus adjutrices porrexissent, quibus & alias archiepiscopali auctoritate, superaddit Johannes de Courtenay prioribus suo diplomate confirmatis die Martis ante festum Omnium-Sanctorum anno 1268. cujus hic tenor est.

Iohannes miseratione divina Archiepiscopus Remensis. Mansiones in « domo Domini multæ sunt, &c. Cùm Fratres Prædicatores Remenses « *An.* 1268.
Ecclesiam suam de novo ædificare cœperint opere non modicum sump- «
tuoso, nec iis suppetant facultates, iis qui contribuerint quadraginta dies «
de injunctis sibi pœnitentiis, peccata oblita, vota fracta, offensas patrum «
& matrum sine manuum injectione, relaxamus. Indulgentias autem & «
remissiones tam à Suffraganeis nostris, quàm à quibuscumque Pontificibus «
Ecclesiæ collatas, & conferendas ratificamus, & quantum in nobis est, «
approbamus, scilicet Episcopi Suessionensis, Ambianensis, Silvanectensis, «
Tornacensis, Noviomensis, quibus quadraginta dies addimus, &c. «

Ecclesiam suis numeris absolutam Petrus Barbesius ritu sollemni consecravit anno 1180. in qua visuntur aliquot magni nominis virorum monumenta, dominorum præsertim de Castilloneo, quorum in historia prædictæ gentis meminit Andreas du Chesne. Hæc cùm è regione altaris pridem fuissent, in sacellum beatæ Mariæ relata sunt, ponè cujus altare sepulcrum est Salvatoris visendæ architecturæ. Conventus ædificiis ad hospites suscipiendos idoneis instructum est, claustro, cellis, officinis, quæ Superioribus ansam præbuerunt sæpius in illud Capitula provincialia convocandi. Horum numerus, & anni quibus coacta sunt in tabella parieti affixa prope capitulum hoc ordine recensentur.

Primum habitum est anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio. Secundum millesimo ducentesimo octuagesimo. Tertium millesimo trecentesimo tertio. Quartum millesimo trecentesimo trigesimo secundo. Quintum millesimo trecentesimo septuagesimo octavo. Sextum 1466. Septimum 1512. Octavum 1550. Nonum 1585. Ex actis capitularibus Ecclesiæ Remensis an 1466. habetur permissum fuisse Dominicanis post supplicationem celebrandi sacrum in prædicta Ecclesia die festo sanctæ Magdalenæ, quo sextum Capitulum incœpit, modò habeant Prælatum, quod reperitur in conclusione anni 1512. vigesima Aprilis.

Ultimum hoc incœpit 9. Maij prævia supplicatione facta ad majorem Ecclesiam, ubi M. Archidiaconus P. Remy sacrum celebravit, juxta tenorem capitularis conclusionis. Inter insigniores viros qui apud Dominicanos Remenses claruerunt, nominatur Petrus de Remis Prior Conventûs Parisiensis, Agennensis Episcopus renuntiatus an. 1242. Nicolaus de Remis Episcopus ac Baruls in Palæstina. Hugo Regiestensis Corinthiorum Archiepiscopus & Bituricensis Suffraganeus, Nicolaus Pinguis Vicarius Inquisitionis in diœcesi Remensi, & Cathalaunensi, qui 28. Januarij obiit anno 1440. Erardus Tourtebat Prior ejusdem conventus Vicarius Inquisitionis ac nominatissimus Doctor in Theologia an. 1543. Henricus Blandin caput Inquisitionis, ac Vicarius Antonij Mascerij, cujus exstat tumulus, juxta portam capituli cum hac epigraphe : *Hic se-*

pultus

Digitized by Google

GUILLEL. DE IANVILLA LIV. ARCHIEP. *An.* 1220.

pultus eſt Frater Henricus Blandin Doctor, & ſacræ Fidei Inquiſitor; quondam Prior hujus Conventus, qui vocatus à Deo obijt anno 1544. octavo Aprilis.

Per id quoque tempus B. Franciſci ſodales, annitente Guillelmo Remis hoſpitium habuêre, ut horum ſtudio plebs ad virtutem magis ac magis excoleretur. Noverat ſiquidem digniſſimus Antiſtes, quàm acriter & ſtrenuè cùm Dominicanis in Albigenſes decertâſſent, unde quoſdam ex illis in Urbem accerſivit ante obitum ſancti Patriarchæ, commodiúſque collocâſſet, ſi ſoſpes ex iterata peregrinatione in Gothiam rediiſſet. Igitur ipſo adhuc regente, parvulo hoſpitio excepti juxta portam Martis cellulas ibi cum oratorio erigere cœperunt, quarum major pars everſa eſt eo tumultu, quem infra exarſiſſe dicemus inter cives, & miniſtros Archiepiſcopi, anno 1235. Cúmque indefeſſis laboribus, & obſequiis erga omnes inclareſcerent, Remenſis populus lubens ſumtus neceſſarios ſuppeditavit ad novam domum conſtruendam, quæ ſtat adhuc inter collegiatam Eccleſiam ſancti Simphoriani & muros civitatis. Ivellus Archiepiſcopus hos pariter fovit, & ſuis juvit opibus, ſancti Ludovici Regis exemplo, qui haud ita pridem prædictos Patres Lauduni inſtituerat, ob Cleri operam nuper ſibi exhibitam in negotio Belvacenſis Epiſcopi. Exſtat reſcriptum Innocentij IV. datum Lugduni ſeptimo ſui Pontificatûs, quo Remenſis Archiepiſcopus rogatur litem inter Decanum & Canonicos ſancti Simphoriani, & Franciſcanos motam pro juribus parochialibus, quæ multos annos lapis offenſionis, & petra ſcandali extiterunt, amicè componere.

B. Franciſcus Alberico Remen. Archiep. notus fuit an. 1215. cùm ad Concil. Lateran. proficiſceretur.

O quàm ardentes fuerût primo ſui Ordinis ſæculo! *Crantz.*

De primis concionibus eorum per diœceſim nihil peculiare habeo quod dicam; ſed ſi Ordinis Minorum Annales conſulamus, mirum eſt quot regiones peragrârunt pro religione Chriſti propaganda. *Volabant Fratres de provincia in provinciam, nec quieſcebant, & erat eis expeditum iter,* inquit Crantzius in ſua Metropoli: unde ferventiores B. Franciſci diſcipulos nudis pedibus inceſſiſſe, aut ſine calceis, facilè non crediderim. Vidi figuram Franciſcani ante ducentos & amplius annos delineatam induti eodem prorſus modo, quo Franciſcani Remenſes noſtro ſæculo calceati, ut expeditiores eſſent ad verbum divinum per urbes & vicos diſſeminandum, & ſine palliolo, quo à paucis annis utuntur, ne ad iter agendum eſſet impedimento.

Tradunt integrum ferè Conventum cum bibliotheca flammis voracibus abſumptum anno 1450. unde nihil ab illis, ob ejuſmodi cladem, expiſcari licuit quod in annales referretur, cùm vetuſtiores chartæ in favillas abierint, quibus prædictæ domûs benefactores innoteſcerent; quin & celebrium Doctorum nomina oblivioni tradita ſunt, inter quos elucet Richardus quidam, quem Trithemius retulit inter Scriptores eccleſiaſticos ad annum 1270. putátque Remenſem Archiepiſcopum fuiſſe: at rectiùs Robertus *in* Gall. Chriſtian. Suffraganeum & Propontificem diœceſis ſuſpicatur, *licèt* in nomine diſſentiat, ac Bernardum vocet. Dolendum igitur quod archivum nihil miniſtret, quo tot viris de Repub. Chriſtiana bene meritis debitus honor exhibeatur. Ex incendio an. 1450. quædam teſtant epitaphia veteris ſtructuræ indices, quorum antiquius eſt Clementis cujuſdam viduæ, quæ obijt menſe Ianuario anno 1270, ac Sibillæ filiæ juxta eam tumulatæ an. 1280. Tumuli item viſuntur Alardi de Rouveroy Equitis domini de Novavilla in Lauduneſio, ſublati anno 1277. Renaldi de Vaudiere domini de Gothis an. 1339. Alienordæ relictæ domini Guillelmi de Caſtilloneo an. 1455. Et in angulo clauſtri verſus Eccleſiam in lapide id depictum legitur: *L'an 1451. les Cordeliers doivent dire baſſe Meſſe pour la reparatrice de l'Egliſe qui fut bruſlée l'année precedente.* Quibus verbis patet Conventum ſumptibus nobilis cujuſpiam feminæ reſtructum, cùm reparatricis titulo, ſuppreſſo nomine, decoretur.

Ceterùm

Ceterùm Remenſis hic Minorum conventus in hoc ceteros Campaniæ antecellit, quòd Cuſtodiam ſingularem efficiat ex quinque, quibus provincia coaleſcit, & quæ hoc ordine referuntur. GUILLEL. DE IOINVILLA LIV. ARCHIEP. An. 1220.

Normannica. Pariſienſis. Remenſis Picardica. Campanica.

Remenſis Cuſtodia quinque domus ſub ſe habet. Remenſem. Cathalaunenſem. Sueſſionenſem. Laudunenſem. Compendienſem.

Hinc colligi poteſt prædictam domum Remenſem ſummo in pretio apud veteres Franciſcanos habitam fuiſſe, ubi Capitula provincialia ſæpius ab illis coacta ſunt, de quibus concluſiones capitulares majoris Eccleſiæ multis in locis. Poſtremo quod noſtris temporibus celebratum eſt, reverendiſſimus Mart. Meurice Madaurenſis Epiſcopus Metenſis Suffraganeus, ac prædicti Ordinis profeſſus, vir eximiæ litteraturæ & ex inſignioribus Doctoribus totius Galliæ, interfuit cum multis aliis ſelectis Theologis, qui ſuis concionibus per vices habitis, theſibus publicè propoſitis, eam doctrinæ famam, quam dudum apud omnes de ſe concitaverant, mirum in modum confirmârunt.

Initia Clariſſarum in urbe Remenſi.

Franciſcanus Ordo in caritate fundatus & radicatus, variis inſtar cedri Libani turgeſcens frondibus, novo adhuc ſurculo, veluti ſobole adauctus eſt ſtudio beatæ Claræ, ejuſdem Ordinis lectiſſimi floris, cujus rami pullulare cœperunt ante obitum S. Patris. Hic enim tanto ardore flagrabat in excolenda paupertate evangelica, ut infinitos propemodum brevi ad ſe traxerit imitatores, inter quos meritò excellit beata Clara Aſſiſij, quæ ſub ejuſdem legibus Chriſto militare decrevit, re enim cum eo ſæpius tractata, habitum Religionis ſuſcepit in Eccleſia beatæ Mariæ Angelorum apud Aſſiſium die Dominica Palmarum anno 1212. Beatus Franciſcus dona Dei in ea non obſcurè cognoſcens, eo quòd ipſius ductu, præceptis, & exemplo plures velatæ Virgines ad Regem ſponſum eſſent ducendæ, regulam edidit pro Monialibus, omnino conformem ei, quam nuper viris præbuerat, qua ſeriò illis paupertas præſcribitur, ut ex eleemoſynis ſcilicet vivant, nihilque poſſideant in communi. Fama aſtrictioris vitæ Monialium, quas beata Clara incredibili ſtudio educabat longè, latéque ſeſe diffundente, Guillelmus Archipræſul ſtatuit, adſtipulantibus Clero & populo, domum eis Remis procurare, quæ piorum mox largitionibus ſtabilita, ad nos uſque cum odore virtutis perſeveravit. Habent MSS. codices Alberieum Archiepiſcopum (cui ſanctus Franciſcus notus fuit, cùm ad Concilium Lateranenſe proficiſceretur) de mittendis ejuſmodi Monialibus cum eo habuiſſe ſermonem, eóque lubentius beatam Claram aliquas ſub directione Mariæ de Broye Remos ablegâſſe, quòd prius de hoc negotio rogata fuerat, ipſiſque in pignus amoris dediſſe regulam, cingulum, corporale manu ſua textum, cum velo, quæ omnia adhuc religioſè in Conventu adſervantur.

Abbas & Canonici regulares ſancti Dionyſij Remenſis, harum veluti primitias promovere cupientes, cœmeterium eis conceſſerunt extra ambitum Civitatis, ubi Eccleſiam, & cellulas conſtruxêre. Guillelmus de Janivilla ſe etiam munificum erga eas præbuit, curavítque ut Curatus S. Eligij harum exciperet confeſſiones, & ſacramenta miniſtraret, quod ex ſepulcrali inſcriptione colligitur, quæ Gallico idiomate tumulo ejus exarata ſic ſe habet.

CI GIST MESSIRE ESTIENNE,
Qui à ſervi en ce Monaſtere de premier Confeſſeur par l'ordre de Monſeigneur de Joinville, & trepaſſa le dernier Octobre 1232.

Ceterùm

GUILLEL. DE LANIVILLA LIV. ARCHIEP. An. 1220.

Ceterùm quot Moniales beata Clara hortatu ſancti Franciſci Remos miſerit, adhuc latet, ductricis ſolum nomen, genus, & merita ex verbis partim obliteratis quæ leguntur in lapide innoteſcunt, cui inſculpta effigies Monialis juxta capitulum.

V. G. I. NOR. ET NEP. fu de Lombardie de haute chevalerie file Monſeigneur Ocier de Braie, mais, an mor de Iehu q'elle ot au cuer, fil die li fit la mŏr, & mora ſainte an une riche maiſon Ianes ſur mer eſt ..... puis fu en noſtre Monaſtere premiere Vicaire venerable, & donna la Regle du vie de ceans L. de M l an de l'Incarnation de Ieſu Diex mil cc. trente.

Cy giſt vener. Religieuſe Sœur Marie de Braye de vertueuſe & generеuſe nobleſſe, née fut de Lombardie de haute Chevallerie fille de Monſeigneur Ocier de Braye, mais l'amour de Ieſus qu'elle eut au cœur luy fit embraſſer une ſainte vie en Religion, & mepriſa la riche maiſon de Ieanes ſur mer qu'elle quitta, puis fut en noſtre Monaſtere la premiere Vicaire vener qui donna la forme & regle de vie ceans, & deceda l'an de l'Incarnation de Ieſus Dieu mil deux cent trente.

Mariâ de Braye è vivis ſublatâ, Moniales Remenſes ſcribunt ad beatam Claram pro ſuperiore obtinenda, hæc remittit eas ad Ordinis Generalem, dátque eis mnemoſyni loco fragmentum lintei quo vulnera B. Franciſci impreſſa in monte Alverno die Exaltationis ſanctæ Crucis anno 1224. exterſa fuerant. Aſſenſu igitur Generalis eligitur Ægidia de Porta Valeſia, cui nomen Abbatiſſæ ab eodem inditum eſt, miſſúmque ei ſigillum in quo cernitur imago Virginis ſedentis ſub arcu cœleſti. Henricus de Brana rogatus à prædicta Abbatiſſa Eccleſiolam conſecravit xx. Novembris anno 1237. ſub titulo ſanctæ Elizabethæ Andreæ Regis Hungariæ filiæ, quæ animam egerat anno 1231. ob id Monaſterium antiquitus dictum eſt ſanctæ Elizabethæ Ordinis ſancti Damiani.

Abbatiſſa Sororum S. Damiani ſit mentio in litteris M. Pontij de Sparnaco Officialis D Ortebonis Cardin. an. 1258.

Ægidia de porta Valeſia, & ſucceſſores tanto ſtudio filias curæ ſibi commiſſas ad virtutem excoluerunt, ut (teſtimonium eis præbente tota vicinia) ſanctus Ludovicus quaſdam ex eis accerſiverit pro inſtituendo regali Monaſterio de Longo-campo prope Pariſios, quod Iſabella ejuſdem Regis ſoror recenter exſtruxerat: ex quo colligere eſt paucas admodum hujus inſtituti fuiſſe in Gallia. Fertur reſcripto Urbani IV. ad Provincialem Ordinis Minorum primo Pontificatûs, Iſabellæ de Venetiis, Odonæ de Remis, Stephanæ de Remis, Ægidiæ quoque de Remis hoc onus impoſitum eſſe, cui collum humiliter ſubmiſerunt, anno trigeſimo quinto poſt eorum introductionem. Anno 1260. ſanctus Ludovicus memor præſtiti à quatuor hiſce Monialibus officij, quindecim libras Turonenſes Sororibus ſancti Damiani Remenſis reliquit in ſuo teſtamento. Cúmque prima Regula ad paupertatem ſtrictè obſervandam prædictas obligaret, quæ nimiùm aſpera perpetuæ clauſuræ adſtrictis videbatur. Veſtales religioſæ de Longo-campo modificationem primùm obtinuêre ab Urbano IV. (quæ ob id Urbaniſtæ vocatæ ſunt à Generali Franciſco de Gonzagues) aliis in primæva obſervatione manentibus, tum verò inclinatis moribus, ut ſunt res humanæ, prædicta moderatio, quæ Monialibus de Longo-campo à D. Bonaventura, ut fuerunt, inducta fuerat, Remis tandem recepta eſt ex diſpenſatione Julij 2. Sic ex rigore primordialis regulæ egreſſæ Remenſes, quæ ad paupertatem profitendam ſe aſtrinxerant, ſecundam amplexatæ ſunt anno circiter 1507. ſub qua poſtmodum quotquot ſacro velari flammeo cupiunt, votum emittere tenentur. Forma profitendi antiquitus hæc erat, *Ego Soror. N. promitto Deo omnipotenti me obſervaturam, quamdiu ſuperſtes ero, Regulam pauperum Sororum ſancti Damiani, &c.* Hoc ſiquidem nomine deſignabatur quod B. Clara votum emiſiſſet primò in Monaſterio ſancti Damiani, à beato Franciſco in diœceſi Spoletana fundato anno 1212. unde majus ſigillum Monaſterij Remenſis in quo eſt expreſſa imago Virginis hac habet: *Sigillum Abbatiæ Sororum pauperum S. Damiani Remenſis.*

Antigraphum ſecundæ Regulæ in pergameno viſitur apud Clariſſas Rem.

Nunc

Nunc ſigillum pro inſigni præ ſe fert ſanctam Claram dextrâ ſanctiſſimum Sacramentum tenentem, ſiniſtra verò pedum paſtorale. GUILLEL. DE IANIVILLA LIV. ARCHIEP. *An.* 1220.

Eccleſia ſumtibus præſertim civium Remenſium exſtructa ſub inclitæ fundatricis alumnis, flammis fortuitò exuſta eſt cum locis regularibus an. 1400. & iterum Cleri ac civium eleemoſynis reſtaurata conſecratur die S. Barnabæ an. 1404. per Guidonem de Roya ſub invocatione beatæ Virginis Mariæ & ſanctæ Claræ, prioris titularis relicto nomine, & non celebritate, feſtum enim B. Elizabethæ ſingulis annis ritu ſollemni celebratur, quòd ſub ipſius auſpiciis vetus Eccleſia dedicata fuiſſet.

Porro Superiores hoc ordine referuntur.

Maria de Brayo electa pro inſtituendo Remis Conventu à ſanctiſſima fundatrice, variis virtutum donis effulſit, ex epitaphio, ubi ad Superos exceſſiſſe refertur anno 1230.

Ægidia de porta Valeſia confirmatur à Generali Minorum, qui Abbatiſſæ nomen ei indidit, ſancítque ut Minores deinceps Monialibus ſacramenta adminiſtrent, egit animam an. 1242. poſt quindecim annos regiminis.

Margareta aſſenſu Provincialis electa, rexit eo tempore quo beata Clara deſiit ab humanis, tantóque virtutis odore flagrabat Clariſſarum familia, ut B. Ludovicus ab ea quatuor Veſtales evocârit pro erigendo novo Conventu apud Longum-campum, migrat Margareta anno 1262.

Maria de Marbant Guillelmi de Brayo Cardinalis & Archidiaconi Remenſis rogatu obtinet bullam à ſummo Pontifice, qua Fratres Minores confirmantur in officio miniſtrandi ſacramenta Monialibus Clariſſis, obiit anno 1279. *Bulla hæc ad miniſtrũ Frãcia Cuſtodem, & Guardianum Remenſem dirigitur.*

Emelina Morel legitur in pacto pro jure ſepulturæ, & oblationum inito cum Abbate & convêntu S. Dionyſij Remenſis anno 1290. exempta anno 1297. ſub ea multi ſepulturam apud Clariſſas eligunt.

Maria de Pelleſſe legitur in Necrologio 16 Januarij anno. 1321.

Iſabella de Couci recepit faciem Salvatoris à conſanguineo, qui Romæ apud ſummum Pontificem gratiâ pollebat, deceſſit 20. Martij anno 1336.

Helindis ceſſit 12 Maij anno 1357.

Roſa de Vaulx, dicta de Vallibus, obtinet fruſtum vitalis ligni è ſacrario ſanctæ Capellæ Pariſienſis cum particula lintei, quo vulnera Salvatoris exterſa ſunt, & quibuſdam aliis pignoribus, ſublata 20. Auguſti anno 1376.

Erembergis fatalem obiit diem quintâ Septem. an. 1382. Ea regente reliquiis S. Antonij de Padua Clariſſarum Eccleſia nobilitatur.

Ludovica de Paſcuada cingulum ſanctæ Elizabethæ, pretioſáſque alias gazas recipit, occidit 26. Junij anno 1387.

Bertha Eremitica pluribus etiam reliquiis ditato ſuâ curâ Conventu mortalitatem explevit anno 1391.

Roſa de Buiron Eccleſiæ vidit excidium, ac reparationem ſub auſpiciis ſanctæ Claræ, cui dedicata eſt à Guidone de Roya, ob idque Moniales peculiariter Clariſſæ dictæ, cùm ſancti Damiani Sorores prius nominarentur. Roſa conſtructo altari ſancti Petri in choro interiori, ac ſubtus ſepulcro ſex imaginibus quæ Salvatorem ambiunt decorato, defungitur 15. Junij anno 1420.

Margareta Sauvage tres annos rexit, ſublata anno 1423.

Anna de Conflans anno 1436.

Maria de Boutelliere an. 1468.

Maria de Beſanne anno 1499.

Pontia de Beaufort, ea ſedente regimen ſpirituale, quoad directionem externam, mutatum eſt, exactis ſiquidem conventualibus Franciſcanis è Conventu Remenſi, & Patribus de obſervantia in eorum locum ſubrogatis

GUILLEL. DE IANIVILLA LIV. ARCHIEP. An. 1220.

juſſu Julij II. & ſatagente Claudio Chambron Doctore Theologo ac Provinciali Franciæ anno 1507. Moniales Regulam à S. Bonaventura modificatam receperunt, quâ permiſſum eſt habere annuos reditus in communi: ſic mendicare ceſſarunt per Urbem, additáque ſtrictior clauſura. Pontia poſt duos & viginti annos regiminis diem clauſit 20. Julij anno 1521.

Catherina de Gruieres ex Conventu Nogenti-Artaldi lecta ad praxim novæ Regulæ promovendam, vitam finiit 23. Februarij anno 1527.

Johanna de Verriere abdicat ante obitum anno 1540.

Antonia de Ville mortalitatem explet 2. Decembris an. 1573. tumba ejus viſitur juxta clathrum ferreum.

Henrieta Soran obiit ultimâ Aprilis anno 1575. poſt ſexdecim menſes præfecturæ, jacet in capitulo ſub tumba alba.

Claudia Itam abdicat in manus Provincialis poſt tres annos regiminis, defungitur IV. Julij an. 1604. jacet in capitulo.

Maria Petit electa anno 1578. deſinit ſextâ decimâ Junij anno 1580.

Maria Pioche ſextadecima Februarij anno 1595.

Claudia de Condè ſeptimadecima Aprilis anno 1610.

Johanna Danois deceſſit vigiliâ Nativitatis Domini anno 1624. ea ſedente dilatatum Cœnobium, hortorum contiguorum emptione.

Claudia le Vergeur utiliter præfuit multa ædificando, & cimeliarchium pretioſis ditando reliquiis, quin & eadem conſulente ſtatutum, ut Abbatiſſæ pro triennio deinceps eligerentur, è vivis ſublata 18 April. an 1647.

Anna le Dieu triennij præfecturam obtinet quo majus altare exſtructum eleganti ſchemate, conceſſiſimque à Summo Pontifice altare privilegiatum: Eccleſia quoque haud ita poſt aucta novo ſacello Francorum Apoſtolo ſacro, & ſacriſtiâ, expenſis domini Guinart Canonici Sanctæ Nutricis.

Reliquiæ quæ apud Clariſſas coluntur.

Clariſſarum Eccleſia, illuſtrium virorum dono, ſequentibus reliquiis ſenſim locuples evaſit, imprimis rara vitalis ligni parte à regali Capella Pariſienſi obtenta, auro, argentóque pereleganter ornata cum particulis duabus ſeparatim.

Spinis duabus Coronæ Domini.

Fragmētis. { De linteo quod plagas Chriſti exterſit. / De præſepio in quo Salvator pro nobis natus reclinatus eſt. / De columna in qua Chriſtus alligatus quinque millia virgarum ictus ſuſcepit. / De ſepulcro.

Capillis B. Mariæ, & zona ex goſſipio diverſi coloris.

Præcedentes reliquiæ tribus ciſtulis eburneis ſeparatæ, & in capſa incluſæ multis præſentibus viſitatæ fuerunt annis præſertim 1535. 1583. & 1647. ut probant acta quæ in Tabulario Conventûs adſervantur.

Habet præterea de capillis, velo, camiſia, & calceo, vel ſotulari Virginis Deiparæ, dono acceptis à Veſtalibus religioſis urbis Sueſſionenſis.

Linteola ſanguine B. Franciſci tincta, quæ primæ Moniales à B. Clara receperunt cùm Remos venirent.

Fuerat Elizabetha Ludovici Comitis Thuringiæ uxor. Meyer ad an. 1227.

Fragmentum veſtis Patris Seraphici.

Oſſa quædam, cingulum, ac partem veli ſanctæ Elizabethæ Lantgraviæ, filiæ Andreæ Regis Hungariæ, cui primùm dicata eſt Eccleſia.

Velum album, quod in pignus amoris B. Clara primis Monialibus dedit, cùm Remos pergerent, corporale item manu ſua textum, particulam cilicij ex crine, & zonam ex filo cannabino, cujus una pars (eſt enim bipartita) venerationi Fidelium exponitur, éſtque prægnantibus ſingulare remedium, ad quas plerúmque defertur, lotióque fit extremitate ejuſdem in aquam demiſſa, pro iis quibus dolent oculi.

Os

Digitized by Google

Os capitis ſanctæ Claræ, obtentum ab Eccleſia parochiali de Erpi Remenſis diœceſis, procurante R. P. Guillelmo Giffordio Remenſi Archiepiſcopo anno 1614. GUILLEL. DE IANIVILLA LIV. ARCHIEP. An. 1220.

Partem oſſis ſat notabilem ſanctæ Concordiæ Virginis, Fratrum Prædicatorum Remenſium liberalitate, quod à Margareta Flandrenſi Comitiſſa dono acceperant anno 1272.

Oſſa duo ſancti Mauri Martyris, à Canonicis Sanctæ-nutricis impertita anno 1630.

Os magnum ſemipedale brachij unius è ſodalibus ſancti Timothei Martyris, à Canonicis pariter prædicti S. Timothei obtentum anno 1642.

Caput unius è ſodalibus ſanctæ Urſulæ.

Os humeri ſeu ſcapulæ ſancti Gerardi Confeſſoris à Sanvincentianis Laudunenſibus conceſſum anno 1630.

Duo oſſa ſancti Sebaſtiani cum ſagittarum cuſpidibus quibus tranſfixus eſt.

Dentem. { Sancti Fiacrij. / Sancti Laurentij. / Sanctæ Urſulæ.

Coſtam S. Mauritij Martyris, & aliquot oſſa ſancti Laurentij Martyris.

Duo oſſa ſanctæ Chriſtinæ Virginis & Martyris, & duas particulas oſſium S. Antonij de Padua, cum fruſto veſtis ejuſdem.

Plurimas item minutas particulas Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum variis in lipſanothecis poſſidet eadem Eccleſia, & religioſè conſervat, quas longum eſſet nimis hîc per ordinem recenſere.

Guillelmus ſit Legatus apoſtolicus, celebrat exſequias Philippi Auguſti, Ludovicum VIII. inungit, crucem ſumit adversùs Albigenſes, defungitur.

CAPUT XXVIII.

REBUS non ita proſpere ſuccedentibus in Albigenſes poſt obitum Guidonis Comitis Bigorræ, Guillelmus de Janivilla S. R. E. Legatus creatur ab Honorio III. ob egregiè navatam operam adversùs hæreticos, & ut deinceps converſioni eorum incumberet. Ex chartis Hoſpitalis Remenſis patet hac dignitate inſignitum anno 1221. menſe Martio, & in conventione Everardi Radulfi domini de Mortagne Tornacenſis Caſtellani facta coram Johanna Comitiſſa Flandrenſi & Hannonienſi anno 1222. Guillelmus eodem fulget titulo apud Cognatum in Hiſtoria Tornacenſi. *An. 1222.* *Guillelmus ſit Legatus apoſtolicus.*

Guillelmus igitur (ut ſanctæ Sedis Legatus) Epiſcopos Pariſiis convocat auctoritate ſummi Pontificis, pro ſacra militia in Albigenſes acriùs reſumenda. Accidit ut Epiſcopi, qui ex diverſis provinciis convenerant, ſuam præſentiam, & miniſterium Deo volente præbuerint exſequiis Philippi Auguſti, quem exceſſiſſe Auctores referunt duodecima Junij an. 1223. Rigordus, qui horum meminit, nominat præ ceteris Guillelmum Remenſem Archiep. Galterum Senonenſem, Coraldum Portuenſem Cardinalem Legatum adversùs Albigenſes, Pandulfum & plures alios hoc ordine. *An. 1223.*

GUILLEL. DE IANIVILLA LIV. ARCHIEP. An. 1223.

De Romana Curia Coraldus Portuensis Episcopus Cardinalis & Sedis apostolicæ in terram Albigensium Legatus. De Anglia Pandulfus Norvicensis Episcopus.

De Remensi provincia, Cathalaunensis Guillelmus, Belvacensis Milo, Noviomensis Girardus, Laudunensis Anselius, Suessionensis Jacobus, Silvanectensis Garinus, Atrebatensis Pontius, Ambianensis Gaufridus.

Ex Rigordo in gestis Philippi Aug. sub finem.

De provincia Senonensi, Carnotensis Galterus, Autissiodorensis Henricus, Parisiensis Vvillelmus, Aurelianensis Philippus, Meldensis Petrus, Nivernensis Rogerus.

Quis Concilium convocavit non liquet ex Rigor. verisimile est legatos Portuēsem & Remensem præsidisse auctoritate apostolica.

De provincia Rotomagensi, Bajocensis Robertus, Constantiensis Hugo, Abricensis Vvillelmus, Lexoviensis Vvillelmus. De provincia Narbonensi, Fulco Tholosanus.

Exsequiæ Philippi Augusti.

Qui Prælati de mandato domini Papæ, imo de ipsa potius, ut credibile est, ordinatione divina, pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisius congregati. Missam autem exsequialem celebrârunt simul Portuensis Episcopus, & Remensis Archiepiscopus, una voce ad duo altaria propinqua: ceteris Episcopis cum Clericis & Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus & eis respondentibus, sicut uni. Inter quos adfuit & Johannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat, pro negotiis & necessitatibus Sanctæ-terræ. Præsentibus ad hoc inclitis prædicti Regis filiis, Ludovico primogenito & Philippo.

De hac pompa funebri Brito verba faciens Guillelmum Remensem cum Galtero Senonensi ob natales, & auctoritatem, quâ pollebant in aula, conjungit his verbis.

Philippidos lib. 12.

Nec minus Archipater Remorum, cum Senonensi
Galtero Guillelmus adest, qui Regis in aula
Præcipui, clarum genus alto sanguine ducunt .....
Gratia, tantus honor insignes reddit, ut alter
Lingonica de sede, sit ad Remense vocatus,
Ex insperatò, regimen mereatur, ut idem
Bis senis sibi subjectis gaudere cathedris.

Expletis exsequiis Remos statim Guillelmus regreditur, novum Regem exspectaturus, qui propediem inungi petierat: dispositis igitur omnibus, quæ ad futuram inaugurationem erant necessaria, Ludovicus insigni Procerum stipatus comitatu in Urbem splendidè receptus, coronatur an. ætatis tricesimo sexto, cum Blancha Castillensi uxore, VIII. Idus Augusti die Transfigurationis dominicæ anno 1223. Quàm verò splendidè Regem, Regnique Megistanes Guillelmus exceperit, certiùs probari non potest, quàm ex litteris Ludovici ad Scabinos & cives Remenses, quibus injunctum est ut partem expensarum perferant, quas alioquin Remensis Archiepiscopus, ob tenues reditus, solvere non poterat, sunt autem ejusmodi.

An. 1223.

Cives Remenses coguntur rescripto Regis aliquid cōferre pro expensis inaugurationum.

Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex dilectis suis Scabinis & civibus Remensibus in banno Archiepiscopi Remensis commorantibus salutem. Cùm dilectus, & fidelis noster Guillelmus Remensis Archiepiscopus magnas, & graves in coronamento nostro fecerit expensas, nec sine vestro & aliorum de terra sua auxilio sufficiat ad solvendum. Mandamus vobis quatenus tale auxilium in solvenda pecunia illa faciatis eidem, quòd non solùm ipse, sed etiam nos ipsi vos in facto ipso debeamus commendare; ne difficultatem aliquam prætendatis, scientes quòd si Archiepiscopus etiam vellet vos à missione ipsa absolvi, nequaquam sustineremus,

Digitized by Google

neremus, cùm vobis datum sit intelligi, quod non id facere debetis. Actum Senonis annò Domini 1223. mense Augusti. « GUILLEL. « DE IANVILLA LIV. ARCHIEP.

Sunt qui putant chartam hanc primam esse, quæ expensarum coronationis faciat mentionem, fieríque potest ut cunctandi, seu etiam conquerendi sumserint cives Remenses occasionem, quòd solitò graviores essent, excederèntque tributum illud, quod pro ejusmodi epulo priùs exigebatur. Tilletius, qui de his nonnihil attigit, censet cœnam prædictam Regi antiquitus, vel quamcumque aliam procurationem ab Archiepiscopis exhibitam, postmodum vectigali impositio, super cives in banno Archiepiscopali commorantes, compensari consuevisse, quod sollemne tunc erat, & receptum apud dominos temporales, quibus, ob præstitum Regi in bello obsequium, vasalli auxilio esse debebant. Cùm enim dominium per id temporis domui regiæ sustinendæ destinatum esset, necesse erat, ut emergente bello in exteros, quotquot feudis potiebantur, Regi subsidio essent, modo supra explicato. Imo Rege per provincias equitante, sumtus procurationis, quæ Regi exhibebatur ab Episcopis, Abbatibus, & Abbatissis, vasalli rependebant. Hinc orta (ut quidam suspicantur) obligatio quâ tenentur adhuc cives ad prandium die inaugurationis persolvendum. Olim Archiepiscopi præ manu pecuniam dabant, at cùm in erogando paullò liberiores essent, civésque ob id ab eo onere eximi niterentur, per arresta Curiæ Parium (ut vocant) super hac re provisum est, quæ citantur à Tilletio, & aliis. *An. 1223.* *An. 1223.*

Rex Parisios reversus Placitum habuit Episcoporum & Procerum Regni, ubi actum de bello Anglis inferendo in Aquitania, quòd Henricus Rex Angliæ Regni beneficiarius unctioni de more non interfuisset. Conscripto igitur milite Aquitaniam invadit Ludovicus, totámque facilè subjugâsset, nisi mox bellum convertisset in Albigenses, hortatu Honorij III. ad quod eò lubentius inclinavit, quod Amalricus Simonis Monfortij filius resignaverat illi ditiones à Philippo Augusto ei impertitas in provincijs Narbonensi, & Aquitanicis cum Comitatu Tolosano. Ut igitur prædictam expeditionem citiùs Rex aggrederetur à Papa summopere concupitam, Romanus Sancti-Angeli Cardinalis ac Legatus in Gallia Synodum coegit Biturigis omnium Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni anno 1226. quo Rex crucem suscepit de manu Legati, statimque profectus cum eo, & Guillelmo Remensi, Avenionem, quòd transitum negâsset, post molestam obsidionem muris exuit, aliáque oppida vi cepit: at grassante peste, quæ de reditu cogitare coegerat, die Jovis antè festum Omnium-Sanctorum infirmitas mortalis eum invasit, & die Dominica sequenti Montispessulani moritur anno 1226. Martyris titulo decoratus à Gregorio IX. epistolâ ad Ludovicum IX. quòd cruce-signatus objisset bellum inferens hæreticis. *An. 1226.*

Refert Tilletius Episcopos Noviomensem, Belvacensem, Silvanectensem, & quosdam alios Sacramento se obstrinxisse, quòd si Rex ex hoc morbo mori contingeret, se ituros ad filium pro fidelitate præstanda, daturósque operam ut quamprimùm coronam Regni susciperet more Majorum. Guillelmus Remensis Archiepiscopus eodem ferè tempore ob aëris intemperiem febre correptus, statuerat citissimè Remos deferri, at morbo invalescente, hominem exuit apud Sanctum-Florum, ex Alberico, indéque delatus ad Claramvallem, ubi tumulatur juxta Godefridum atavum suum, & Simonem fratrem, qui ibidem pariter sepulturam elegerant. Vir inter illustres spectabilis, cujus prudentia, virtus, morúmque suavitas apud Pontificem, Reges, & Proceres summo semper in pretio fuerunt: unde ob studium in promovenda religione S. R. E. Legati titulo insigniri meruit, & inter sacræ militiæ Duces connumerari.

Liberalitatem

GUILLEL. DE IANVILLA LIV. ARCHIEP. *An.* 1226.

Liberalitatem ejus in Eccleſiam Remenſem pandit Necrologium vetus ſequentibus verbis, quæ epitaphij inſtar erunt, æternúmque apud poſteros monumentum adſtruent.

Octavo Idus Novembris deceſſit bonæ memoriæ
GUILLELMUS de JOINVILLA
Remenſis quondam Archiepiſcopus.

Qui Caſtellaniam de Moſomo melioravit & ibidem Archiepiſcopales reditus amplificavit, dedit etiam nobis duas cappas, & quatuor calices, duas tunicas ſericas, mitram gemmis ornatam, Hoſpitali dedit CC. libras, nobis CCC. & L. pro anniverſario, ſingulis annis diſtribuuntur XV. libræ ex trecenſu Vallis-Rodiginis, &c.

Locus ſepulturæ adhuc viſitur in cœmeterio Claræ-vallenſi, tumulo lapideo tectus, cui innituntur quatuor columnæ quæ tegumentum ſuſtinent, quo undique operitur, inſculptáque ſunt verba ſequentia lapidi pro epitaphio.

HIC JACET D. GUILLELMUS LINGONENSIS EPISCOPUS, POSTEA REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Hugo Leodienſis Archiepiſcopatum ſuſcipere recuſat. Ludovicus IX. Remis inungitur. Robertus fit Atrebateſij Comes. Bertrandus impoſtor à Flandris exploditur.

CAPUT XXIX.

SEDES VACAT *An.* 1226.

FAMA exceſſûs Guillelmi Remos perlata, Clerum & populum maximo mœrore complevit ob raram viri indolem, quæ ſibi omnium animos obſequentes, & addictiſſimos fecerat. At cùm Eccleſia Dei Paſtore ſuo viduata multis modis in mari naufragoſo periclitetur, orbitáſque hæc eclipſi haud abſimilis ſit, quæ interdum nonnihil infauſti portendit, Capitulum Remenſe meritò hoc pertimeſcens, eo præſertim tempore quo necdum Rex inauguratus, dedit operam ut quamprimùm Remenſi Eccleſiæ provideretur. Electores inter ſe ſciſſi rem in dies protrahunt, donec tandem in unum coacti, eligunt Hugonem de Pierrepont Leodienſem Epiſcopum, filium fratris Roberti de Pierrepont, nepotem verò Clementis Agathæ filiæ Manaſſis Comitis de Regiteſte ex familia Namurcenſi, qui diu, ut putabatur, ad Archiepiſcopatum provehi cupiebat. Hæſit aliquot dies Hugo incertus quid conſilij caperet, ſed ne temerè quidpiam aggrederetur, Abbatem magnæ ſanctitatis conſulit, rogátque ut negotium obnixius Deo commendet, quò ſibi utilius revelaretur; Deus ei per Abbatem ſuggeſſit ut in prima perſiſteret vocatione, quod & apud ſe firmiter ſtatuit, deputátis Cleri Remenſis nequicquam interpellantibus, ut electioni ob id vel maximè acquieſceret, quòd parentes ejus in diœceſi traxiſſent originem. Igitur Deo ſatisfacere ſatius ducens, quàm propriæ cupiditati, ſe per Hugonem de Vitriaco Acconenſem Epiſcopum de ſuſcipiendo Remenſi Præſulatu excuſavit, inquit Albericus, quem nullus ante ipſum nec modernis, nec antiquis temporibus recuſâſſe legitur.

Ivo Carnot. epiſt. 22.

Hugo Leodienſis in Archiepiſcopũ nominatur, ſed Sedem illam inventus eſt recuſâſſe, quam nullus ante ipſum nec modernis, nec antiquis temporibus recuſavit *Chro. Albertici.*

Inter moras Blancha Regina, voluntatem Regis nuper defuncti exſequi cupiens, quâ ei diſtrictius erat injunctum, ut ſine cunctatione filium

Matthæus Paris lib. 3.

inungi

inungi curaret, Remos eum deduxit duodecim annos natum, ubi magnifico apparatu Diadema Regni ſuſcepit per manus non Galtheri Senonenſis Archiepiſcopi (ut oſcitanter Robertus ſcripſit in Gallia Chriſtiana, cui haud dubiè Remenſis Eccleſia obſtitiſſet) ſed Iacobi de Baſochijs Epiſcopi Sueſſionenſis, ac provinciæ Decani, primâ Dominicâ Adventûs 29. Novemb. anno 1226. juxta Nangium Auctorem Synchronum. Ex Gallica Poeſi Philippi de Monhx, apud Andream du Cheſne, habemus Henricum Brennenſem adhuc Theſaurarium Belvacenſem inaugurationi interfuiſſe, ex quo ſequitur necdum Archiepiſcopum electum. SEDES VACAT. *An.* 1226.

Anno ſequenti Ludovicus Rex, cujus poſtea conſecrata eſt memoria, Comitijs Pariſijs habitis, notum fecit Ludovicum patrem ſuum teſtamentali pagina Roberto ſecundo natu filio Atrebateſium, Fanum-Audomari, & Ariam pro ſorte aſſignâſſe, item Hedinum, aliaſque ditiones quaſdam poſt exceſſum matris, ex ijs in unum junctis (de quibus Regi hominium fecit) conflatum Atrebatenſem Comitatum refert Meyerus ad annum 1236. *An.* 1227. *Meyerus ad an.* 1236.

Meminimus ſupra electionis Balduini Comitis Flandrenſis ad Imperium Conſtantinopolitanum, Græci (quibus latinis ſubiici grave ſemper fuit) jugum ipſius detrectantes Andrinopolim clam ſe recipiunt, accitáque in auxilium Valachorum gente, tenere Urbem contra Gallos obſtinatiſſimis perſeverabuat animis. Eam Civitatem Balduinus dum obſidet, commiſſo prælio interceptus, nuſquam poſt hac eſt inventus : paucos poſt annos prodiit quidam nebulo peregrino habitu, & promiſſâ barbâ, qui ſe auſus mentiri Balduinum Johannæ Comitiſſæ patrem apud imperitum vulgus, eo quod ſtaturâ corporis, & lineamentis haud admodum malè Balduinum referret. Confluente ad eum tumultuaria manu, Johannam Principem diu exoſam, ſed hiſce novitati fortiter obſiſtentem fugavit, nihílque propius fuit, quàm ut Querceti eam ceperit, Caſtrilocum fugere coacta, Ludovici Regis imploravit opem. Vocatus nebulo, publica fide ivit Compendium, togâ veſtitus rubrâ, albámque dextrâ gerens virgam : eo loci ab Epiſcopo Silvanectenſi publicè interrogatus, primò, quo loco in verba juraſſet Philippi Regis, à quo, baltheo inſignitus, quo die celebrâſſet ſponſalia cum Maria Campana. Hærens primùm obmutuit, dein tridui petiit ſpatium, Rex excandeſcens eum infra tertium diem de Regno jubet egredi : ob id pro impoſtore habitus, ſide qua venerat, ab Rege dimiſſus, rediit Valentianas, deſertúſque à ſuis clam fugit in Burgundiam, captúſque fatetur ſuam audaciam, ac Bertrandum ſe vocari dixit, cognomento de Rains vel Rais. Traduxit autem eum Johanna per oppida Flandriæ, cauſáque ejus Inſulæ in judicio cognitâ, patibulo ſuſpendit, ita dignas tanta temeritate luit pœnas.

Henricus de Brana LV. Archiepiſcopus viſitat diœceſim & provinciam, honores exiberi ſolitos Metropolitis Remenſibus exigit à Flandrenſi Comite, Concilium apud Sanctum-Quintinum convocat.

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. *An.* 1227.

CAPUT XXX.

HUGONE in propoſito perſiſtente, Canonici denuo convocati in Capitulum poſt Purificationem, eligunt Henricum Drocenſem, vulgo de Brana, Roberti II. Comitis Drocenſis & Branæ, ſtirpis regiæ

DREUX. Echiqueté d'Or & d'Azur a la bordure degueules.

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. *An.* 1227.

regiæ Principis, & Jolandis de Couciaco filium, quorum genealogiam Andreas du Cheſne & Sammarthani accuratè proſecuti ſunt. Roberto Henrici patri, qui ex alio Roberto Ludovici VII. Regis fratre genus duxit, erant quatuor filij & quinque filiæ; major natu (qui & Robertus vocabatur) Comitatui Drocenſi ſucceſſit; Petrus cognomento Malus-Clericus, fit Comitatûs Britanici heres ex parte uxoris; Henricus Eccleſiæ deſtinatur; quartus, cujus nomen latet, Comitiſſam Matiſconenſem conjugio ſibi copulavit.

Conſecratur 15. April. ex Alberico.

Henricus igitur ob inſignem proſapiam, excultámque virtutibus juventam, quibus apud omnes magnam de ſe opinionem concitaverat, mox beneficia eccleſiaſtica conſecutus eſt, Theſaurariâ primùm donatur in Eccleſia Belvacenſi, illuſtrium per id tempus Præſulum nutrice, juxta Chartularium S. Germani à Pratis, tum Archidiaconatu Remenſi, ex Alberico, & chartis Hoſpitalis Remenſis, quibus hoc titulo ſubſcripſit anno 1226. at Epiſcopatum Cathalaunenſem ſibi delatum eodem anno recuſat, quòd ei ſpes eſſet ad Remenſem. Fidei ejus, ac cuſtodiæ, ut & aliorum ex Primoribus Regni, Jolanda Petri Comitis Britanniæ filia commiſſa eſt à Blancha Regina, donec Johannes Regis filius (cui promiſſa erat) quatuordecim eſſet annorum: pollicitus quoque eſt idem Henricus cum Philippo Bononienſi, Roberto Drocenſi, & Matthæo de Montemorenciaco, ſe eam non redditurum, niſi ex parte Britanniæ Comitis ſponſor & obſes daretur, quód Angliæ Regi, vel filio ejus nuſquam nuptum locaret.

Habet Chartularium Remenſe Henricum electum menſe Februario, ac conſecratum in Octavis Paſchæ ab Epiſcopo Sueſſionenſi anno 1227. Remos ſollemniter ingreſſum, ubi vaſallorum hominia recepit, Danielis ſcilicet de Dampetra pro Ponte-fabricato, Thomæ de Couci pro ..... Henrici Comitis Barrenſis pro terra Sancti-Moreti, necnon Blanchæ Reginæ Comitiſſæ Campaniæ Palatinæ, ac Theobaldi filij ejus pro feodis ab Archiepiſcopatu dependentibus.

Hominium ab his in palatio archiepiſcopali præſtitum ſic ſe habet.

Ego Blancha Comitiſſa Campanie palatina, & ego Theobaldus Campanie & Brie Comes Palatinus. Notum facimus præſentibus & futuris quòd nos juravimus ſollemniter ſuper Sancta reverendo Patri, & cariſſimo domino, & conſanguineo noſtro Henrico Archiepiſcopo Remenſi. Iuvavimus etiam, quòd nos juuabimus ipſum Archiepiſcopum contra omnem creaturam qua poſſit vivere & mori, ſalva fidelitate domini Regis, & domine Regine, & aliorum, qui melius ſunt Domini noſtri quam dominus Archiepiſcopus.

An. 1228.

Vix Henricus poſſeſſionem inierat, cùm diſcordia exarſit inter eum & Capitulum Remenſe pro forisfactis quibuſdam à civibus banni archiepiſcopalis commiſſis, cúmque diſtuliſſet Archiepiſcopus eos ad jus vocare, Capitulum jubet Officium divinum ceſſare per omnes urbis Eccleſias, donec partium conſenſu compromiſſum in manibus Milonis Belvacenſis Epiſcopi, qui litem diremit arbitrali ſententia, cujus autographum fertur in Archivo Remenſi adſervari. Primis hiſce litibus ſubſequentium ſegete compoſitis, & Henrico Eccleſias Urbis viſitante, Simon Abbas ſancti Nicaſij conceptam diu Eccleſiæ ſuæ reſtaurationem feliciter aggreſſus eſt, quòd vetus, Gervaſij ſtudio & ſumtibus reſtructa, ingentem populorum multitudinem, qui ad tumulum S. Nicaſij diebus feſtis convolabant, capere non poſſet: novæ fabricæ Henricus Archiepiſcopus rogatus ab Abbate, primarium lapidem poſuit feriâ ſecundâ poſt Paſcha, an. 1229. ut alibi diximus.

Solitos fuiſſe eccleſiaſticos viros à precibus horarijs & à divino Officio feriari, donec bona direpta reſtituerentur, indigitat Ivo Carnot. epiſt. 121.

Legitur alibi feriâ tertiâ infra Paſcha an 1231. ſed malè.

Canonici S. Timothei Remenſis, nacti pariter occaſionem viſitationis archiepiſcopalis, rogant prædictum Henricum ut reliquias patroni tutelaris, ac ſociorum in novam capſam transferret, quod ipſe præſtitit 15. Maij eodem anno: indulſit quoque quadraginta dies Indulgentiarum iis omnibus, qui die anniverſaria prædictæ tranſlationis ad Eccleſiam ſancti Timothei

preces

Digitized by Google

preces Deo fusuri accessissent, juxta bullam, cui affixum sigillum ex cera habens figuram Archiepiscopi, dextrâ baculum pastoralem, sinistrâ verò lilium sustinentis, quò se regali stemmate ortum indigitet, & quæ sic incipit. HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP.

HEnricus Dei gratiâ Remensis Archiepiscopus, universis præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Cùm nos, prout pastorale decet officium, in crastino Nativitatis dominicæ, beatorum Martyrum Timothei & Apollinaris & aliorum plurimorum Sanctorum corpora transtulerimus sollemniter in Ecclesia præfati glorioſi Martyris, & eamdem translationem, exigentibus aliorum Sanctorum sollemnitatibus proximis, in crastino B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi singulis annis in perpetuum statuerimus, celebrandam: nos de omnipotentis Dei misericordia, & B. Virginis & aliorum Sanctorum meritis confidentes, omnibus illis, qui ad eamdem Ecclesiam in die translationis memoratæ, causâ peregrinationis cum devotione, ac piis eleemosynarum muneribus accesserint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis, divina dispensatione misericorditer relaxamus. Indulgentia hæc in perpetuum duratura. Datum 29 mensis Martij an. 1229. *An.* 1229.

Lustrata diœcesi Henricus invisit urbes, & oppida suæ provinciæ, recepturus jura, quæ sibi, tamquam Metropolitano debebantur. Tornaci Johannem II. Leodiensi Ecclesiæ suffectum (post obitum Hugonis de quo supra) à Vvaltero Tornacensi ad sacrum Presbyteratûs ordinem promotum Sabbato quo cantatur, *Sitientes.* die sequenti consecravit Episcopum, à quo hominium requisivit pro Bullionensi Castellania. Inde Insulam pergens à Clericis jus procurationis & gisti exigit; ipsis sese ad illud teneri negantibus absque charta immunitatis, viâ juris in eos agit, obligátque ut & burgenses, ad satisfactionem.

Anno sequenti cùm Ferrandus Flandriæ & Hannoniæ Comes quoddam vectigal, seu servitutem, quod Optimum caput nominatur, tam Clericis quàm laïcis imposuisset, obstitit Henricus Remorum Antistes, dictitans id ipso inconsulto imponi non posse, coactúsque est Princeps se judicio compromissarij submittere, ut ex authentico clariùs constabit. *An.* 1230.

NOs Flandrensis & Hannonensis Comes. Notum facimus omnibus præsentem paginam inspecturis, quòd cùm discordia esset inter venerabilem Patrem Archiepiscopum Remensem ex una parte, & nos ex altera, super assisia quadam facta apud Duacum, quæ vocatur Malatota, tandem ab ipso venerabili Patre, & à nobis compromissum est super hoc in Magistrum Petrum de Collemedio Præpositum sancti Audomari, super pœna mille librarum Parisiensium sub tali forma, quòd nos rogabit idem Magister Petrus, ut assisiam ipsam revocemus quantùm ad Clericos, & personas ecclesiasticas; & quantùm ad laïcos apud Duacum, & nos rogatui Magistri Petri debemus obtemperare in hac parte. In aliis verò villis nostris hoc eidem faciemus ad rogatum ipsius Magistri Petri, si possumus per preces sine aliqua violentia, & si per preces non possumus hoc facere, ut dictum est, sæpedictus Magister protelabit assisiam ipsam usque ad festum B. Johannis Baptistæ, ita tamen quòd postea cassetur quantum ad omnes.

Vulgo Maltote *id est* Malatollitio.

Hu concessit Meyerus ad an 1232. Ferdinandus & Johanna Comites remiserunt habitatoribus agri Brugensis quoddam vectigal, quod Optimum caput nominabant.

Exstat etiam alia charta, qua idem Comes agnoscit Archiepiscopo Remensi, statim post suam consecrationem Insulas ingredienti, honorem exhibendum esse vel per se, vel per aliam delegatam personam, revocandos quoque bannitos in gratiam jucundissimi sui adventûs, modò banniti non sint ob enorme crimen quod inducat decapitationem.

NOs Flandriæ & Hannoniæ Comes. Notum facimus omnibus, &c. de bannitis siquidem Insulæ ita factum est, & ordinatum inter nos, quòd cùm primò venerit prædictus Venerabilis Pater apud Insulam, dum tamen

HENRIC. DE BRANA L V. ARCHIEP. An. 1230.

„ adventum ſuum nobis ſignificaverit competenter, nos vel aliquis ex parte
„ noſtra eidem occurret, & bannitos ejuſdem villæ qui non ſunt banniti pro
„ meurtro, raptu, vel homicidio, furto, treuga infracta, vel pro alio enormi
„ delicto, propter quod lex villæ Inſulenſis inducat decapitationem, vel
„ etiam membri mutilationem, in eamdem villam propter amorem venera-
„ bilis Patris memorati reponemus, nonobſtante proteſtatione ipſius, ſi quam
„ fecerit ſuper iſta re pro jure ſuo conſervando: hoc ſiquidem nihilominus
„ faciemus, ſalvo jure utriuſque partis. Datum apud Cortracum in craſtino
„ octavarum B. Dionyſij anno Domini 1230.

Utrum ſit eadem charta vel ei ſimilis quam ſupra retuli anno 1220. non ſatis conſtat.

Claruit per id tempus vir quidam doctrina, & dexteritate inſignis in Eccleſia Laudunenſi Jacobus Pantaleon, ſeu de Curtopalatio, aliàs de Trecis, quòd ex urbe Trecenſi in Campania natus eſſet, quique ad ſummum Pontificatum aſſumptus, Urbanus ejus nominis quartus dictus eſt. Hic cùm ſutoris eſſet filius, adhuc puer choro Laudunenſis Eccleſiæ mancipatus ut horarias preces perſolveret, poſtmodum labore improbo ad eccleſiaſticas dignitates gradatim pervenit. Refert Vaſſeburgus cuidam vilem proſapiam poſt adeptum Virdunenſem Epiſcopatum exprobranti ſapienter reſpondiſſe: nobilitatem naſci ex virtute, ſe verò quod natalibus ſuis deeſſet, ſtudio comparâſſe. Anſelmus Laudunenſis Epiſcopus, ex indole futuræ magnitudinis indicia præſagiens, Canonicatum ipſi adhuc juveni contulit eo tempore, quo Laudunenſe Capitulum viris ut ſanguine, ſic eruditione, & moribus ſpectatiſſimis abundabat. Veri igitur Canonici per aliquot annos perfunctus munere, licentiam obtinet eundi Pariſios pro curſu ſtudiorum incohando, cui ſic feliciter incubuit, ut in Jure canonico & Theologia lauream brevi retulerit, in his enim præſertim Jacobum excelluiſſe tradunt MSs. codices. Laudunum reverſus cathedralis Eccleſiæ obſequio, cujus lac ab infantia ſuxerat, totum ſe contulit; cúmque in tractandis negotiis ſollers ingenio eſſet, & acutus, Chartularium in meliorem ordinem à ſe digeſtum notis marginalibus propria manu illuſtravit, quæ viſuntur adhuc. Exſtat bulla Gregorij IX. ad eum, ut & ad alios directa pro componenda lite inter Laudunenſe Capitulum & Ingelramnum de Couciaco cujus hîc initium.

Prologuſtic incipit Viris venerabilibus & dominis venerandis Capitulo Laudunenſi Iacobus de Trecis Cunctis Fratribus ſuis minor, gratiam in præſenti & gloriam in futuro.

Gregorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabili Epiſcopo Silvanectenſi, & dilectis Filijs Abbati Compendienſi, Archidiacono de Latiniaco Pariſienſi, Iacobo de Trecis Eccleſiæ Laudunenſis Canonico &c. In margine hæc habentur. *Nota de iſto Iacobo ipſe eſt enim qui librum iſtum compilavit, ut in prologo legitur, qui pro defenſione privilegiorum Eccleſiæ Laudunenſis ad Romanam Curiam perſonaliter laboravit contra dictum Ingelramnum, ut hic apparet, qui pro tanto labore centum libras Pariſienſes, quas ei voluit dare Capitulum, recuſavit, nec aliud ſalarium voluit, niſi ſolùm ut ejus anniverſarium fieret in Eccleſia Laudun. cui Capitulum hoc conceſſit.* Et paullo poſt: *Hic Capellaniam in ade ſua Clauſtrali exſtruxit & fundavit, cujus conferendæ jus ad Decanum, ſive ad eum qui divina Officia celebrat, Hebdomadarium vulgo vocitatum, attinet; factúſque exſecutor teſtamenti venerabilis Stephani Laudunenſis Decani, duo thuribula fabricari curavit ad ſanctiſſimum Sacramentum turificandum Sanxit quoque ut tredecim cereî feſtis ſollemnioribus accenderentur in Eccleſia ex bonis Itherij Theſaurarij, cujus pariter exſecutor fuit, procuravit etiam fieri capſam argenteam pro ſacris pignoribus recondendis, in cujus faſtigio verſus ſequentes exarati produnt annum & nomen opificis.*

M, bis C, quater V, ſeptem currentibus annis,
Sub Iacobi, Simoniſque manu nitet arte Iohannis
Hoc opus.

Ex

Ex prædictis teſtamentis, aliiſque piis operibus, quæ defunctorum voluntati ſatisfaciens Jacobus fideliter explevit, patet Canonicos Laudunenſes eum ob integritatem magni feciſſe. Fert quædam concluſio eo conſulente feſtum Ss. Sacramenti inſtitutum cum ſelectiſſimis his ritibus, ac ceremoniis, quæ vigent adhuc, Canonicóſque decorandis altaribus ſtuduiſſe. Anſelmo Epiſcopo vivis exempto anno 1228. Garnerus, qui ei ſuffectus eſt, Archidiaconatum, quo potiebatur, eidem Jacobo contulit, cóque nomine Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. interfuit, ubi de rebus in eo tractatis aptè, & ſubtiliter diſſerens ſic ſe mirabilem exhibuit, ut ſummus Pontifex cœtu dimiſſo ſecum Romam deducere decreverit, cujus operâ poſtmodum uſus eſt in rebus magni momenti, & quæ ſtatum Eccleſiæ ſpectabant. S. R. E. Legatum creavit pro ea expeditione adversùs infideles, quam ſanctus Ludovicus ex voto ſuſcepit anno 1248. at peſte exercitum Francorum invadente, & ferè omnibus ad internecionem cæſis, captus ipſe eſt cum S. Ludovico, & in vincula conjectus, ſoluto pretio pro redemptione in Italiam rediit, donatúſque eſt Virdunenſi Epiſcopatu anno 1253. Patriarchatu item Hieroſolymitano anno 1254. vel 1256. ex Vaſſeb. Tum Peruſij exiſtens cùm Alexander IV. obiit, diſſentientibus inter ſe Cardinalibus pro ſufficiendo ſucceſſore, præter ſpem eligitur 29. Auguſti anno 1161. quamvis ex Cardinalium Collegio non eſſet, dictúſque eſt Urbanus & hujus nominis IV. Quibus autem privilegiis Laudunenſe Capitulum, cujus alumnus fuerat, nobilitaverit, dicemus poſtea.

An. 1231.

Feſtum Ss. Sacram. Laudani inſtitutum.

Henricus ſolium Remenſis provinciæ adeptus eo tempore, quo fermè apud laïcos eccleſiaſticæ dignitates, & privilegia nullius erant pretij, ſe velut murum æneum pro domo Dei propoſuit: cúmque inſignis metropolitanæ caput eſſet, ac natalium ſplendore illuſtris, nihil ſatius eſſe duxit ad infringendam horum audaciam Concilio provinciali, quo veteres ſæpius uſos fuiſſe produnt hiſtoriæ in ſimili caſu. Primum quod occurrit ipſius auctoritate coactum, eſt Sanquintinianum in Viromandia menſe Auguſto anno 1231. Suffraganeorum frequentiâ celebre, quamvis horum nomina in ſcedulis deſiderentur. Orſus præfationem ab his Scripturæ verbis Archiepiſcopus, ***Frater Fratrem adjuvans ambo in benedictione erunt.*** Oſtendit quanta animi contentione enitendum ſit ad jura eccleſiaſtica in integrum reſtituenda. Acta prædicti Concilij periêre, fuitque, ut opinor, alterius præludium quod Lauduni anno ſequenti convocavit.

Concilia Sanquintianæ & Laudun.

Prov. 18 v. 19.

Interim Rege Belvacum profecto, ut pœnas ſumeret de ſeditioſis quibuſdam, qui emergente tumultu civem Crellienſem ex invidia peremerant, quòd à Rege Major Urbi conſtitutus eſſet, cum viginti Juratis qui ei auxilio eſſe debebant. Milo de Nantolio Belvacenſis Epiſcopus ſupplex ab eo petiit, ut pœna ab Officiariis ſuis exigeretur, quò jus epiſcopale illæſum & illibatum permaneret: Rex ſuprema utens poteſtate precibus flecti nequit, imo cùm Belvaci per quinque dies moram feciſſet, viginti libras Pariſienſes pro giſto poſtulavit ab Epiſcopo, & eo cunctante ſupellex Epiſcopatûs ſubhaſtata eſt. Milo ſe in his injuſtè oppreſſum exiſtimans, pergit Laudunum, ubi Remenſis provinciæ Epiſcopi convenerant, ac de prædictis vexationibus, aliiſque ſibi illatis, apud Patres conqueritur: hi Laudunenſem, Cameracenſem, & Atrebatenſem Epiſcopos ad Regem mittunt pro damnorum reparatione, ut ex ſupplici libello monitionem continente amplius conſtabit.

GArnerus Dei gratiâ Laudunenſis, B. Cameracenſis, A. Atrebatenſis Epiſcopi univerſis præſentes litteras inſpecturis: ſalutem in Domino. A venerabili Patre Henrico Dei gratiâ Remenſi Archiepiſcopo,

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. *An.* 1232.

„ piſcopo, totóque Concilio apud Laudunum congregato ad dominum „ Regem miſſi, ut ipſum pro domino Epiſcopo Belvacenſi, ejúſque Ec„ cleſiâ, ipſius auctoritate Concilij ſuper certis articulis moneremus eum „ coram probis viris, hunc monuimus ſub hac forma. Vobis domine „ Rex ſupplicamus, requirimus, & totius Concilij auctoritate mone„ mus, quatenus cum dominum Blevacenſem diſſaiſiveritis in pluribus „ de Juſtitia Belvacenſi quam habet in ſingulos, & communes, & quâ „ uſus eſt in ſingulos & Communiam communiter & apertè, ipſum in „ Juſtitiam reſtituatis eamdem. Item cùm res damnatorum, & eorum „ qui deficiunt de veniendo ad jus coram eo ſint Epiſcopi memorati: „ monemus vos auctoritate prædictâ, ut damna quæ habuit in deſtruc„ tione domorum, & caſtellorum quæ erant in domibus, eidem reſti„ tui faciatis, bannitos etiam quos exbanniviſtis, auctoritate noſtra revo„ cetis, & revocari faciatis. Monemus etiam eadem auctoritate, ut homines „ Belvacenſes, quos capi feciſtis, ſibi reſtituatis, & ut Regalia quæ tenetis, „ & quibus ipſum diſſaiviſitis, reſtituatis eidem. In quárum monitionum „ teſtimonium præſentem paginam ſigillis noſtris fecimus communiri. „ Datum Poiſſiaci anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecun„ do, Dominica in Paſſione.

Quid præterea in hoc Concilio actum fuit MSS non indicant. Fertur prohibitum Monachis vagari ſine habitu, & cum armis vetitis hoc Canone.

„ Quia intelleximus quòd quidam Monachi, Religionis & honeſtatis & „ regulari habitu derelicto, armati & in habitu ſæculari impudenter ince„ dunt per mundum inſolenter & temerè; taliter vagantes ſtatuimus ut „ quoſcumque Epiſcopus Monachos, vel alios Religioſos in habitu præ„ dicto arma prohibita portantes abſque ſui diœceſani aut Abbatis, ſeu Su„ perioris ..... (ſi Abbatem non habeant) aut in ſua diœceſi inve„ niantur, prædictos capi, detineri & arreſtari, & ad diœceſanum, Abbatem „ ſuum, aut Priorem perduci abſque difficultate faciat, quando ſuper „ hoc modo fuerit requiſitus.

An. 1233. Epiſcopi Provinciæ Remenſis apud Sanctum-Quintinum convenientes anno ſequenti decernunt vel perſonaliter Romam eundum aſſenſu Archiepiſcopi, vel mittendum aliquem, niſi ipſemet ire voluerit, expenſis provinciæ pro communibus privilegijs, & libertatibus generoſè tuendis. Concluſioni huic die Sabbati ante Nativitatem B. Mariæ anno 1233. editæ ſubſcripſit Epiſcopus Sueſſionenſis nomine omnium his verbis.

„ Jacobus Dei gratiâ Sueſſionenſis Epiſcopus, ceteríque Remenſis Ec„ cleſiæ Suffraganei in Concilio apud Sanctum-Quintinum congregato, „ omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Noveritis quòd dominus „ Archiepiſcopus Remenſis ad preces noſtras tenetur mittere nuntios ſol„ lemnes ad Curiam Romanam, pro noſtrarum Eccleſiarum libertatibus „ conſervandis: nos autem ſolvemus expenſas, & ſumtus eorumdem nun„ tiorum, ſecúndùm quod ab ipſo bona fide fuerit ordinatum; & ut ad „ ſolvendam ſummam nobis impoſitam nos poſſit compellere, eidem con„ ceſſimus poteſtatem. Actum anno Domini 1233.

Sabbato poſt Nativitatem eodem anno ad illud iter ſeſe obſtringunt Epiſcopi alia concluſione, quæ ſic incipit.

An. 1233. „ Henricus Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, ceteríque Suffraganei „ Remenſis provinciæ in Concilio apud Sanctum-Quintinum congregati, „ omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Noveritis nos adinvicem „ obligâſſe pro honore Dei, & Eccleſiarum libertatibus conſervandis ad „ hoc, quod nos ibimus omnes Romam propríjs perſonis, ſi domino Ar„ chiepiſcopo videbitur expedire, vel illi quos eliget ſecum ibunt, nec

poterunt

poterunt refutare. Nos autem, vel illi Episcopi qui erunt ad Curiam Romanam expensas faciemus de communi omnium Episcoporum, secundum quod à nobis fuerit ordinatum. « HENRIC. DE « BRANÅ LV. ARCHIEP. An. 1233.

Rege ab Episcopis monito ex parte Concilij satisfactionem nullam exhibente (ut revera non debebat) tota provincia interdicto supponitur, injunctúmque Capitulis cathedralibus, ut illud sollicitè observent, quod & fecerunt, excepto Laudunensi, quamvis de eo observando Henricus rescripserit mense Novembri eodem anno : unde Rex ob id gratias rependit Canonicis sequenti epistolâ, quâ etiam indicat se Romam misisse, ut præveniat scandalum quod inde posset oriri.

Sancti Ludovici Regis ad Decanum & Capitulum Laudunensis Ecclesiæ epistola.

LUdovicus Dei gratiâ Francorum Rex, dilectis suis Decano, & Capitulo Laudunensi salutem, & dilectionem. Quòd Episcopus Belvacensis in Baronia, & in feodum homagij ligij de nobis teneat quod habet apud Belvacenses, & quòd Par sit ex eo Franciæ, vos credimus non latere, vel pauciſſimos ignorare; circa factum illud siquidem Belvacense, ubi diabolica rabies in stragem hominum ita horribiliter ebullivit, & horribilius & in damnum villæ, & personarum detestabilius, ac inestimabilè ebullisset, nisi providente Domino regale apposuissemus remedium, qualiter sit processum, & quomodo de facto illo, de quo si ipse Episcopus inculpatus est, Deus novit, erga ipsum nos habuerimus, & qualiter in principio, & postea frequentissimè in Curia nostra jus obtulerimus eidem, prout debuissemus, & per quos debuissemus, sine omni subterfugio faciendum, vellemus vos universos & singulos seriatim per singula totum scire. Unde quàm plurimum admiramur quod Suffraganei Remensis provinciæ, nobis à nullo jure deficientibus, tantæ contra nos malitiæ acquieverint aliquorum, quòd in nostrum, & Regni præjudicium, interdicti sui præcipitantes sententiam, ita contra nos, & jus nostrum perperam processerunt. Et utinam quanto zelo, quanta affectione moveantur eorum aliqui in hoc facto, bene attendentis singuli atque omnes. In quo tamen vos, qui saniore ducti estis consilio, jura nostra opprimere non duxistis, sed juri regio favorabiles, & eorum injuriis contrarios vos gessistis, ex quo vobis & Ecclesijs vestris regalem gratiam meritò obtinuisse debetis. Rogamus igitur universitatem vestram, & in amore quo nobis, & Regno tenemini exhortamur, ut viam istam conservandi jura regia, quâ incedere cœpistis, constanter atque viriliter teneatis, juris nostri observationi totaliter, & tantâ sollicitudine insistentes, quod in hoc & in alijs vos & vestra diligere, & jura vestra servare integra meritò debeamus : scientes quòd nos pro facto isto paramus nuntios providos & discretos incunctanter per hoc ad Romanam Curiam destinandos, ne procedat in tantum Regni nostri detrimentum ista malitia, prout aliqui contra nos conceperunt. Actum apud Compendium anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio, mense Decembri. « An. 1233. « Grates refert Ludovic⁹ Rex Capit. Laud. quòd non adhæserit sententiæ interdicti, quâ archiep. Remensis & ejus Suffrag. tulerunt in Remēsem provinciam contra ipsum.

Cathedralium Ecclesiarum Canonici opportunum reputantes sibi adesse tempus jus suum tuendi adversùs Episcopos, strenuè denuntiant absentibus suis deputatis in Concilio provinciali nihil posse concludi. Unde synodalia hæc decreta ob id irrita fuisse putat nuperus quidam Scriptor, quod mirum esse posset ijs, qui veterum Conciliorum acta pervolvunt, si aliunde non constaret prædictos Conventus, Capitulorum provincialium potius nomen mereri, quàm Conciliorum : actum enim in ijs potiſſimum

hoc rumore per Urbem ſparſo, cives in furorem verſi domos Canonicorum diruere, eoſdem injuriis laceſſere, omnes extra Urbem pellere, quorum altera pars Pontem-fabricatum, altera & potior Culmiſiacum conceſſit, concluditque nuſquam in Urbem redeundum, donec de injuriis cumulatè ſibi ſatisfiat. His non contenti cives, ira enim ultra quàm dici poteſt efferbuerat, quòd Clerici Judices naturales Communiâ antiquiores abolere ſtuderent, Archiepiſcopum pariter expellunt, reditus temporales invadunt, caſtrum portæ Martis expugnant, quoſdam è domeſticis interimunt, pro quibus anathemate feriuntur ab Archiepiſcopo. Præſtat hîc inſerere reſcriptum Pontificis ad Archidiaconum Barrenſem alicubi Pariſienſem, & Ferricum Lingonenſem Canonicum, quo damna ab iratis civibus illata ſingulatim deſcribuntur.

HERNIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. *An.* 1235. Pontfavergé. Cormicy.

GRegorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Decano Archidiacono Barrenſi, & Magiſtro Ferrico Canonico Lingonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Non minus pro illorum peccato qui faciunt, quàm pro eorum qui ſuſtinent detrimenta dolemus, & graviter conturbamur, quòd ſicut ad nos gravis, & ſtupenda querela pervenit. Cùm venerabilis Frater noſter Remenſis Archiepiſcopus ſit dominus temporalis, & ipſius cives, ejus fideles & Filij eſſe debeant ſpirituales, ipſi, quod non abſque amaritudine cordis referimus, degenerantes, ex filiis, calcatâ divinâ reverentiâ, ut hoſtes non erubuerunt inſurgere in parentes, in Patrem exitium, & in matrem excidium, ac detrimentum ſalutis propriæ nequiter operati, conculcando damnabiliter Remenſem Eccleſiam Matrem ſuam, & ejecto Patre, ipſius hereditatem ſibi velut propriam vendicando, in quo excedunt tyrannidem viperarum, quæ alterius tantum dicuntur perniciem operari, in alterum nihil penitus machinantes. Iidem enim contra dictum Archiepiſcopum calcaneum erigentes, ab Eccleſiis civitatis ipſius..... auſu ſacrilego violatis, quibuſdam machinis, quæ petrariæ & manguenelli dicuntur, violenter extractis, cum eis quamdam domum ſuam, quæ dicitur porta Martis, armata manu hoſtiliter impugnando, in familiam ejus exiſtentem ibidem immiſſis ſagittis, & quibuſdam ex eis lethaliter vulneratis, Mareſchallum ipſius auſu diabolico ipſi occiderunt. Et ut domum eamdem fortiùs impugnarent, non ſolùm muros exſtruxerunt in via publica contra eam, ſed etiam domum Fratrum Minorum, quam iidem Fratres habebant ibidem, per violentiam occupantes, in ea propugnacula exſtruxerunt.

Præterea dicti cives, & quidam alij ſub banno beati Remigij conſtituti, præter aſſenſum ejus, adversùs præfatum Archiepiſcopum Civitatem munientes eamdem, ac ſupra foſſata ipſius muros in ejus circuitu extollentes, aſſumpſerunt pro munitione ſuarum materiarum, publicarum pavimenta viarum, tumbas cœmeteriorum, & lapides ad fabricam majoris Eccleſiæ deputatos, ac deſtructis quibuſdam domibus ipſius Archiepiſcopi, quæ halæ, juxta vocabulum terræ dicuntur. Alia ſibi, & eidem Eccleſiæ tot damna & tam graves injurias intulerunt, quæ non ſolùm longum, ſed etiam tædioſum eſt ea per ſingula referre: quare idem Archiepiſcopus attendens quòd hujuſmodi exceſſus, tam notabiles & enormes, adeo erant notorij, quòd nulla poterant tergiverſatione celari; tam in cives eoſdem, quàm in hoc participantes eiſdem, excommunicationis ſententiam promulgavit. Sed ipſi malleum velut ſtipulam reputantes, nec ad pœnitentiam curant cum humilitate redire, nec agunt pœnitentiam de commiſſis: quin potiùs majoris exinde audaciam præſumptionis aſſumunt, unde memoratus Archiepiſcopus nobis humiliter ſupplicavit, ut in tot anguſtiis & anxietatibus, paterno ſibi compatientes affectu, ſalubre conſilium, & congruum remedium

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. An. 1235.

» dium apponere dignaremur. Ne igitur, si diutius omnem prædictorum
» malitiam non tam in confusionem ipsorum, quàm Gallicanam, imo uni-
» versalis Ecclesiæ detrimenta duxerimus sustinendam, tantæ perversitatis
» exemplum ad alios prorogetur. Nolentes eos tantorum excessuum impuni-
» tate gaudere, imo illos tali castigatione compescere, discretioni vestræ per
» apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præmissam excommu-
» nicationis sententiam rationabiliter promulgatam singulis diebus Domini-
» cis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis sollemniter publicetis,
» & faciatis per Remensem & vicinas diœceses, ac alia loca, ubi expedire
» videritis publicari. Quod si nec sic ad mandatum ipsius Archiepiscopi cu-
» raverint prona mente redire, faciatis reditus ac debita, & alia bona ipso-
» rum in nundinis, & ubicumque reperta fuerint, quamdiu in excommuni-
» catione perstiterint, detineri, juramento se de interpositione fidei, si qua
» fortè debitores pro debitis solvendis tenentur aliquatenus non obstante,
» invocantes ad eorum pertinaciam reprimendam (si opus fuerit) auxilium
» brachij sæcularis, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram
» ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes
» iis exsequendis potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exsequantur
» Datum V. Idus Octobris, Pontificatûs nostri anno nono.

Quid deputati à summo Pontifice super hac re decreverint, haud satis compertum. Acta Concilij apud Sanctum-Quintinum convocati eodem anno probant seriò ventilatam inter Episcopos, dictúmque libertatem ecclesiasticam in multis violatam à civibus, Regémque teneri subsidio esse Remensi Archiepiscopo, quò via juris ad satisfaciendum constringantur.

Decretum Concilij provincialis apud Sanctum-Quintinum pro multiplici læsione Remensis Ecclesiæ.

» ANno Domini millesimo ducentesimo quinto, in crastino beatæ Ma-
» riæ Magdalenæ, continuatio à die præcedente, ad quam fueratCon-
» cilium convocatum apud Sanctum-Quintinum, præsentibus domino Re-
» mensi, Suessionensi, Laudunensi, Cathalaunensi, Noviomensi, Silvanec-
» tensi, & Morinensi Episcopis, præsentibus etiam procuratoribus Ambia-
» nensis, Atrebatensis, Tornacensis, & Cameracensis Episcoporum, missis
» ad consentiendum iis, quæ in dicto Concilio contingeret ordinari, præ-
» sentibus etiam procuratoribus omnium Capitulorum cathedralium Remen-
» sis provinciæ. Consensit totum Concilium quòd in his lædebantur Eccle-
» siæ, & ecclesiasticæ libertates provinciæ Remensis.

» 1. Videlicet in bannitione Thomæ de Bello-meso Canonico Remensi.

» 2. In saisitione bonorum Capituli Suessionensis facta per dominum
» Regem.

» 3. Et in eo quòd denegavit Regalia Electæ B. Mariæ Suessionensis
» confirmatæ ab Episcopo Suessionensi.

» 4. Et in eo quòd inhibuit Episcopo Suessionensi, ne eam benediceret,
» nisi prius receptis ab ipso Regalibus.

» 5. Et de inhibitione facta Capitulo, ne eam reciperet benedicendam in
» Ecclesia sua.

» 6. Et in eo quòd reliquias, & alia sacra ejusdem Monasterij per Balli-
» vium suum laïcum fecit asportari.

» 7. Item in hoc quòd vult quòd in Curia sæculari cum excommunicatis
» agentibus litigetur.

» 8. Item in eo quòd vult quòd personæ Ecclesiasticæ probent per duel-

lum

lum in Curia ſæculari homines de corpore ſuo eſſe. " HENRIC.

9. Item conſenſit Concilium de negotio Remenſis Eccleſiæ, quòd do- " DE
minus Rex debet credere domino Remenſi ſuper ſententijs latis in ci- " BRANA
ves Remenſes auctoritate apoſtolica, nec de ijs, pro quibus excommuni- " L V.
catos eos dicit, Rex debet facere aliquam inquiſitionem. " ARCHIEP.

10 Item in hoc conſenſit Concilium, quòd ſi dominus Remenſis requi- " An. 1235.
ſierit Regem ut ei præſtet auxilium in emendandis exceſſibus civium Re- "
menſium, pro quibus ſunt excommunicati, præſtare tenetur eidem auxi- "
lium, nec ſuper hoc aliquam debet facere inquiſitionem. "

11. Item in hoc conſenſit quòd dominus Remenſis non tenetur reſpon- "
dere ſuper homicidio, aut alio crimine tangente ſuam perſonam civibus "
Remenſibus in Curia domini Regis juſtitiarijs & fidelibus ſuis, nec etiam "
ſuper alio, niſi fuerit in defectu, ſi non collegit diem coram domino Rege "
contra, maximè cùm ipſi eſſent excommunicati. "

12. Item in hoc conſenſit Concilium quòd dicti Epiſcopi perſonaliter "
accedant ad dominum Regem, & nuntij Capitulorum, ita quòd præſentes "
ſint hac inſtanti die Sabbati, ubi dominus Rex erit, ad ſupplicandum do- "
mino Regi ex parte Concilij humiliter ſuper præmiſſis, antequam recedant "
à Curia domini Regis. Aſſignata eſt etiam dies Dominica poſt feſtum B. "
Petri ad Vincula apud Compendium de communi conſenſu totius Concilij, "
ad celebrandum Concilium ſuper præmiſſis, & injunctum procuratoribus "
Capitulorum quòd ad eumdem diem invitent Capitula, & procuratores "
ad Concilium ſine alia dilatione, ad conſentiendum iis quæ dicto Conci- "
lio contigerit communiter ordinari. "

Juxta concluſionem præcedentis Concilij Henricus Remenſis Archiepiſcopus cum Suffraganeis Remenſis Eccleſiæ, Sueſſionenſi ſcilicet, Laudunenſi, Cathalaunenſi, Noviomenſi, Silvanectenſi & Morinenſi Epiſcopis, cum nuntijs Capitulorum cathedralium Remenſis provinciæ, in octavis B. Mariæ Magdalenæ Regem apud Melodunum conveniunt, oblatáque expoſtulatione ex parte Concilij, humiliter ſupplicant ut auxilio eſſe velit Remenſi Archiepiſcopo adversùs C. R. &c. Rex ſuper his ſe cum conſilio maturè deliberaturum reſpondet, remittítque eos poſt feſtum Aſſumptionis B. Mariæ.

Quàm impensè Clericorum libertatibus conſervandis ſtuderent Epiſcopi, probant frequentes Synodi intra ſex menſes convocatæ, vix enim dies illuxerat in quam dilatum fuit Concilium, cum ecce Compendium convolant, ſanciúntque nominandos eſſe aliquos, qui iterum auctoritate Concilij Regi denuntient, ut expoſtulationi querimoniæ reſpondeat circa oppreſſionem Eccleſiæ Remenſis, & exſilium ſeu bannitionem Thomæ de Bello-meſo, hæc enim imprimis Epiſcopos angebat; unde de ea vehementius iterum, atque iterum conqueſti ſunt.

Acta Concilij provincialis Compendij habiti anno M. CC. XXXV.

HEnricus Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, totùmque Concilium " Remenſis provinciæ, die Dominica poſt feſtum ſancti Petri ad Vin- "
cula apud Compendium congregatum, dilectis in Chriſto Filiis ſancti Criſ- "
pini-majoris Sueſſionenſis, ſancti Dionyſij Remenſis, & de Eſſona Sueſſio- "
nenſis diœceſis Abbatibus ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Au- "
ctoritate noſtra vobis in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo manda- "
mus, quatinus ad dominum Regem perſonaliter accedatis; ita quòd feriâ "
ſecundâ poſt Exaltationem ſanctæ Crucis, ubi fuerit interſitis, ipſum mo- "

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. An. 1235.

„ nentes ex parte noſtra ſuper negotio Eccleſiæ & Archiepiſcopi Remenſis,
„ & ſuper bannitione Thomæ de Bello-meſo Canonici Remenſis, ſuper qui-
„ bus idem dominus Rex aliàs fuit monitus ex parte Concilij, ſicut ex litteris
„ ſuper hoc confectis, & ſigillatis pleniùs continetur. Quòd ſi non omnes
„ iis exſequendis interfueritis, unus veſtrum ea nihilominus exſequatur.
„ Datum apud Compendium anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo
„ quinto, menſe Auguſto Dominicâ ſupradictâ.

Item eodem anno menſe Septembri.

„ ANno Domini 1235. Sabbato ante Nativitatem beatæ Mariæ, præſen-
„ tibus domino Remenſi, Sueſſionenſi, Laudunenſi, Cathalaunenſi,
„ Noviomenſi, Tornacenſi, Silvanectenſi Epiſcopis, præſentibus etiam pro-
„ curatoribus Ambianenſis, Atrebatenſis, Morinenſis Epiſcoporum, necnon
„ præſentibus procuratoribus omnium Capitulorum Remenſis provinciæ,
„ abſente Epiſcopo Belvacenſi, qui ad Romanam Curiam profectus erat, &
„ abſente Cameracenſi Epiſcopo, qui ad Imperatorem iverat; fuit monitus
„ dominus Rex apud Sanctum-Dionyſium de negotio Remenſis Eccleſiæ &
„ Archiepiſcopi, & de bannitione Thomæ de Bellomeſo Canonico Remenſi,
„ & hæc fuit ſecunda monitio facta ex parte Concilij Remenſis provinciæ.

Concilio apud Silvanectum tranſlato, dominium Regis in provincia Remenſi ſitum ab Epiſcopis interdicitur.

„ ACta anno Domini 1235. feriâ quartâ poſt feſtum ſancti Martini
„ hyemalis, continuata de die in diem à feria tertia præcedente di-
„ ctum feſtum, ad quam feriam tertiam dies erat aſſignata ad Concilium
„ celebrandum apud Silvanectum, ut pœna bona, & competens ſine dila-
„ tione ordinaretur & ſtatueretur contra dominum Regem, ſi non pareret
„ monitionibus ſibi factis ſuper negotio Archiepiſcopi & Eccleſiæ Remenſis.
„ Igitur quartâ feriâ prædictâ præſentibus domino Remenſi, Sueſſionenſi,
„ Laudunenſi, Cathalaunenſi, Noviomenſi, Ambianenſi, Silvanectenſi, Ca-
„ meracenſi & Morinenſi Epiſcopis, præſentibus etiam procuratoribus Ca-
„ pitulorum cathedralium Remenſis provinciæ, abſente, & excuſato Torna-
„ cenſi Epiſcopo, propter propriam corporis infirmitatem, & abſente Epiſ-
„ copo Belvacenſi qui ad Romanam Curiam profectus erat. Cùm dominus
„ Remenſis cum dictis Coepiſcopis ſuis feriâ tertiâ proximâ ante dictam fe-
„ riam quartam de dicta pœna tractâſſet, & dicti Laudunenſis, Noviomenſis,
„ Ambianenſis, Atrebatenſis, & Silvanectenſis Epiſcopi, unà cum procura-
„ toribus dictorum Capitulorum, exceptis Remenſi, & Belvacenſi, concor-
„ diter reſpondiſſent, quòd pœna erat competens, & bona, ut in cathedra-
„ libus Eccleſiis, & capellis Epiſcoporum ſubmiſſa voce cantaretur. Nos
„ Archiepiſcopus unà cum reliquis Epiſcopis, videlicet Sueſſionenſi, Catha-
„ launenſi, Cameracenſi, & Morinenſi, attendentes quòd dicti Epiſcopi non
„ faciebant quod promiſerant, & debebant; ordinavimus & ſtatuimus pœ-
„ nam iſtam. Cùm dominus Rex non paruerit monitionibus ſibi factis, nos
„ interdicimus totum dominium ejus ſitum in provincia Remenſi; ita tamen
„ quòd exhibeantur ibidem Viaticum, & Baptiſma, & extunc excommuni-
„ camus omnes Epiſcopos, qui pœnam hanc non obſervaverint, & in ſuis
„ diœceſibus obſervari non fecerint, publicaverint, & publicari fecerint in
„ craſtino B. Andreæ, quod præfigimus ad dictam pœnam publicandam.
„ Alios autem omnes extunc ſuſpendimus, qui dictam pœnam non obſerva-
„ verint à dicto termino publicationi præfixo.
„

Conſenſus

Digitized by Google

Conſenſus Epiſcoporum.

ANno 1235. in Concilio apud Silvanectum celebrato feriâ quartâ poſt feſtum B. Martini hyemalis, conſenſerunt Epiſcopi quòd dominus Archiep. faciat publicare ſententias in prædicto Concilio latas in rebelles, eos puniat ſecundum quod videbitur expedire, & abſolvat in forma Eccleſiæ eos, qui in dictas ſententias inciderint, ſi petant abſolutionem. Conſentiunt etiam ut ipſe poſſit vices ſuas alij, juxta ſuum beneplacitum, concedere.

Beatus Ludovicus animos ad concordiam revocare ſtudet. Quidam hæretici pœnas luunt apud Montem-cornutum.

REx ut erat probæ indolis, pacis ſtudioſus, ac Præſulum cultor, timens ne ex hujuſmodi ſcintilla gravior flamma exſurgeret, præſertim cum Epiſcopi varias in partes ſcinderentur, ſtatuit ſciſſuræ, & ſcandalo citius obviandum. Albericus, qui tunc vivebat, refert in Chronico B. Ludovicum ob ejuſmodi rumores ſopiendos ſæpius in Campaniam perrexiſſe, quod & litteris regiis in Scabinorum Tabulario conſervatis adhuc colligitur, quibus, auditis utrimque litigantium rationibus, ſancitum ab eo de propugnaculis recèns à civibus exſtructis inconſulto Archiepiſcopo evertendis, de caſtelli portæ Martis reparatione, de litibus quas burgenſes agere debebant in eodem caſtello, ut prius in palatio archiepiſcopali, de cenſibus non oppignerandis ſine aſſenſu Archiepiſcopi, cui & ſumma exigenda à prædictis civibus indicanda erat, de ſatisfactione burgenſium erga eumdem facienda in forma Eccleſiæ &c. Et hæc quidem Archiepiſcopi jura à Rege approbata videntur decreto Pariſiis dato, menſe Januario anni 1235. quæ tamen inquiſitioni Abbatis Sancti Dionyſij Pariſienſis, & Petri de Collemedio Sancti Audomari Præpoſiti, à ſe delegatis remittit, quibus dat negotium, ut lite compoſita, ſi quid detrimenti Remenſis Archiepiſcopus, vel Eccleſia, ſeu Capitulum à civibus acceperint, arbitrali ſententia emendare procurent, cui partes libentiſſimè ſeſe ſubmiſerunt, ut ſequenti reſcripto patebit, quod lucis multùm adferet urbicæ diſceptationis notitiam habere cupienti.

OMnibus præſentes litteras inſpecturis O. Dei gratiâ beati Dionyſij Abbas, & P. de Collemedio ſancti Audomari Præpoſitus, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd cùm nos de mandato domini Regis Remis venerimus, pro emendis domino Archiepiſcopo faciendis, per conſilium noſtrum ſuper injuriis, excommunicationibus, & forisfactis omnibus, quæ inter cives Remenſes, & dominum Archiepiſcopum acciderant à tempore diſcordiæ inter ipſos, & pro damnis apertis & occultis, cùm probata eſſent, reſtituendis domino Archiepiſcopo à civibus memoratis, & vellemus cum dicto Archiepiſcopo juxta formam litterarum domini Regis procedere, ordine judiciario ſuper præmiſſis ſervato. Placuit domino Archiepiſcopo, & civibus Remenſibus ſupponere ſe altæ, & baſſæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ ſuper prædicta; & ſinguli cives juraverunt ſervare, & tenere à nobis ordinata, tam in pecunia, quam in alia ſatisfactione. Prædicto Archiepiſcopo ſimiliter promittente noſtram ordinationem, vel diſpoſitionem ſervare inviolabiliter, & tenere: nos autem propter rancores, & odia, quæ ſuſcitari poterant inter Archiepiſcopum, & burgenſes, qui eſt dominus eorumdem, ex perpetratione injuriarum, quæ dicebantur illatæ, & excommunicationum factarum; & quia

Iſte Petrus de Collemedio natione Italus, qui legatione ſuſceptâ in Albigenſes egregiam operam navavit, ſibique proinde promeruit Pontificatum.

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. An. 1235.

„ quia prædictorum ſtricta cognitio poterat multùm partes gravare, ipſo-
„ rum conſenſimus voluntati, in nos recipiendo ordinationem omnium
„ prædictorum.

„ Inter partes itaque diligenter tractantes, de conſenſu burgenſium, qui
„ nobiſcum pro civibus de villa tractabant, præcipimus Scabinis, & bur-
„ genſibus univerſis, quòd emendarent domino Archiepiſcopo, & Eccleſiæ
„ ſuæ, & pro emendis injuriarum omnium Archiepiſcopo, occaſione de-
„ fenſionis illatarum, & emendis, forisfactis, omnibus occaſione diſcor-
„ diæ ortis, ſolvent ipſi Archiepiſcopo decem millia librarum Pariſien-
„ ſium, quatuor millia in proximis ſcilicet nundinis ſancti Aigulfi de Pru-
„ vino apud Pruvinum per unum diem, antequam clametur : *Hora Hora.*
„ Et reliquum totum à feſto ſancti Remigij proprio venturo, uſque ad
„ tres annos ſubſequentes, quolibet anno duo millia librarum in præ-
„ dicto feſto ſancti Remigij apud Remis. Ita quòd pagamentum de tota
„ pecunia ipſi Archiepiſcopo, vel ejus ſucceſſoribus, ſi ipſe de eadem pe-
„ cunia non diſpoſuerit, infra dictum terminum integre ſit completum.
„ Præcipimus etiam quòd pro honore Eccleſiæ faciant tot omnes, quot,
„ & quos in litteris noſtris viderint contineri, tot proceſſiones, quot in
„ eiſdem litteris mandabuntur. Præcipimus etiam quòd ipſi reficiant domum
„ portæ Martis, calceias, domum Fratrum Minorum, & Prædicatorum, &
„ halas, & ſepulturas ad cœmeteria reportent, quas dicebantur aſportaſſe
„ cives prædicti. De ſumma prædicta deducetur id quod reſtituetur per arbi-
„ trium electorum N. Jacobi Buiron, Druardi de Villa-domange, & VV.
„ Craſſi, hominibus illis quorum domus deſtructæ ſunt occaſione fortallitiæ
„ portæ Martis, & prædictorum : & præcipimus quod prædicta infra mediam
„ Quadrageſimam, & ante faciant, ſi poſſunt, reædificari & reſtaurari.

„ Per hæc autem dictos burgenſes quittamus ab injuriis omnibus, & fo-
„ risfactis, damnis apertis, & occultis, emendis excommunicationum,
„ talliarum, & collectarum factarum in illa diſcordia, & omnibus forisfa-
„ ctis uſque ad hanc diem, qua burgenſes forisfecerunt occaſione diſcordiæ
„ inter Archiepiſcopum, & ipſos ortæ. Omnes univerſi, & ſinguli, qui
„ non ſunt in banno domini Archiepiſcopi tenentur ad ſummam prædi-
„ dictam, & ſi ipſi morerentur, heredes eorum tenebuntur, exceptis
„ viduis, & bonis mulieribus, ac aliis, qui in illa diſcordia è civitate
„ diſceſſerunt. Clericos remanentes in villa, & abſentes excommunicatos
„ burgenſes, & excommunicatos propter mercimonia cum burgenſibus
„ tempore excommunicationis contracta, & excommunicatos, qui ipſos
„ in ſuis hoſpitiis receperunt, operarios ipſorum, & eos qui habuerunt
„ res ipſorum ad medietariam, abſolvi præcipimus in forma Eccleſiæ, jura-
„ mento præſtito quod alij præſtiterunt, nec ab ipſis aliqua levetur emenda.
„ Eos etiam, qui in eorum auxilio fuerunt, abſolvi præcipimus in forma
„ Eccleſiæ : ita quòd ab ipſis ſimiliter nulla pecuniaria levetur emenda.
„ Illos etiam abſolvi præcipimus, qui burgenſibus Remenſibus ſolvent
„ debita poſt excommunicationem ; dum tamen Sacerdotibus propriis con-
„ fiteantur, quibus à domino Remenſi conceſſa eſt poteſtas ipſos excom-
„ municatione hujuſmodi abſolvendi.

„ Præcipimus etiam publicationem excommunicationis, & aliarum
„ pœnarum Lingon. judicium procurante domino Remenſi revo-
„ cari, mortuos autem qui ante mortem juraverunt ſtare mandatis Ec-
„ cleſiæ, & eos in quibus ſigna pœnitentiæ legitimè apparuerunt, &
„ parvulos omnes infra duodecimum annum conſtitutos, in cœmeterio
„ præcipimus reportari. Præcipimus etiam quòd burgenſes quittent do-
„ minum Archiepiſcopum, & eos qui fuerunt in auxilio ſuo ab om-
„ nibus damnis & expenſis, injuriis, quæ occaſione dictæ diſcordiæ poſ-
ſent

Digitized by Google

ſent ab ipſo, & ſuis petere. Hæc autem omnia univerſa, & ſingula præcipimus firmiter à partibus obſervari in virtute præſcripti juramenti. De ſigillo autem, cùm vacare poterimus, vocatis partibus cognoſcemus. In cujus rei teſtimonium has litteras prædictis Archiepiſcopo, & burgenſibus Remenſibus conceſſimus ſigillorum noſtrorum munimine roboratas. « Henric. « de « Brana « lv. « Archiep. « An. 1235.

Actum Remis in palatio domini Archiepiſcopi die Jovis proxima poſt Purificationem beatæ Mariæ Virginis anno Domini 1235.

Utrum Burgenſes judicio ſententiæ obtemperaverint poſtea videbimus. Interim cùm banni Sancti Remigij incolæ muros ſuper foſſata exſtruxiſſent adversùs Archiepiſcopum (licet de mandato Regis) ex Bulla Gregorij ſupra citata, Rex omnem cupiens diſcordiæ ſegetem radicitus exſtirpare, jubet eos ſolo æquari hac epiſtola. *Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex dilecto ſuo Abbati Sancti Remigij Remenſis ſalutem, & dilectionem. Mandamus vobis quatenus muros, quos in terra veſtra Remenſi de mandato noſtro fieri feciſtis, ſine dilatione dirui faciatis. Actum Pariſijs anno Dom. 1235. menſe Januario*

Rebus ſic compoſitis, Archiepiſcopus omnem curam impendit ad pacem inter Canonicos & Cives conciliandam, qui necdum in Urbem regreſſi, de injurijs ſibi illatis ſatisfactionem exſpectabant. Fertur hos interpoſita hac honoraria ſatisfactione ſic concordâſſe, ut die reditûs prædictorum Canonicorum in Urbem, ſexaginta cives ſelecti ab Archiepiſcopo tenerentur eis juxta Arenas occurrere in camiſia, nudis brachijs & pedibus, & ſic Capitulo emendare his verbis: *Capitulum Remenſe conquerebatur de nobis, & alijs qui ſunt in banno domini noſtri Remenſis Archiepiſcopi, quòd injurias ipſis, & ſuis damna intuleramus, ita Capitulo emendamus.* An ejuſmodi ſatisfactio ita revera ſit exhibita, nolim aſſerere, imo non ſatis mihi conſtat Canonicos à civibus violenter extra Urbem ejectos, cùm authentica ſcripta, vel authographum ſententiæ non viderim, quæ alias etiam circumſtantias continere dicitur; cùm Epiſcopi provinciales de bannitione Thomæ de Bello-meſo tantopere fuerint ſolliciti, & de expulſione Canonicorum ne verbum quidem habeatur in Concilijs præteritis, nec in reſcripto Gregorij, aut litteris regijs. Adde quód ex Bulla Gregorij IX. decimo ſui Pontificatûs anno facultas data eſt Epiſcopo Silvanectenſi, & Cathalaunenſi Archidiacono Scabinos & cives Remenſes abſolvendi à cenſuris, quas incurrerant, & hoc ad petitionem Capituli, ut poſtea dicemus.

Hoc anno Henricus Archiepiſcopus majorem Eccleſiam Monaſterij de Vaucelle Ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Cameracenſis conſecrat, ex Alberico, ſitque fidejuſſor erga Regem Navarræ Theobaldum pro Blancha Johannis filij Comitis Britanniæ uxore, ſi prædictus Johannes decederet ſine liberis hoc reſcripto, *Henricus Dei gratiâ Archiepiſcopus Remenſis Noveritis quòd nos ſumus plegij erga dominum Regem Navarræ reddendi Blancham filiam ſuam uxorem nepotis noſtri Iohannis, filij Comitis Britanniæ cariſſimi fratris noſtri, ſi dictus Iohannes decedat ſine herede, menſe Martio anno 1235.*

Per id tempus hæretici quidam ab Inquiſitoribus convicti (Albigenſes fuiſſe putat Meyerus) cùm in putido errore obſtinatiſſimè perſeverarent, Duaci publicè combuſti ſunt, Dominica tertia menſis Martij, ut artifices viſo ſupplicio ab eorum ſtultitia deterrerentur. Addit vetus Chronicon (quod mirum videri poſſet) Remenſem Archiepiſcopum, Atrebatenſem, Tornacenſem, & Cameracenſem Epiſcopos cùm Inquiſitore Fidei Dominicano, Johanna Principe, ac tota Nobilitate, teſtes ac ſpectatores prædicti ſupplicij intereſſe voluiſſe. Aliud longè inauditum ſpectaculum refert Albericus ad annum 1239. cui pariter idem Archiepiſcopus cum ſuis

Suffraganeis

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. *An.* 1239.

Suffraganeis interfuit apud Montem-Cornutum in Arduenna Remensis
» diœcesis. Hoc anno, inquit, hebdomada ante Pentecosten feriâ sextâ
» factum est magnum holocaustum, & placabile Domino in combustione
» centum octoginta trium Bulgarorum in præsentia Regis Navarræ, & Ba-
» ronum Campaniæ apud Mont-Vvimer, qui ab antiquo Mons-Vvadamari
» dicitur, ubi adfuerunt Henricus Remensis, Jacobus Suessionensis, Gal-
» terus Tornacensis, M. Guiardus Cameracensis, Azo Atrebatensis, Pe-
» trus Morinensis, Nicolaus Noviomensis, Garnerus Laudunensis, Adam
» Silvanectensis, Robertus Electus Belvacensis, Gaufridus Electus Catha-
» launensis, Petrus Comes de Grandi-prato, & alij Episcopi & Abbates,
» quo per hebdomadam, quâ eorum examen factum est, confluxerant usque
» ad septies centum millia hominum omnis sexûs, ætatis, & conditio-
» nis. Eorum præfectus Bulgarorum dicebatur Archiepiscopus de Moranis,
» animabat eos in supplicio, asserens eo quod ab eo absoluti essent, sal-
» vandos reipsa. Vetulæ cuidam nomen Ecclesiæ, seu Legis Romanæ
» imposuerant, & cùm interrogarentur quid crederent, respondebant,
» quicquid sancta Ecclesia, intentionem referentes ad vetulam.

Albericus putat se furta fuisse Manichæorum vetulamina.

Remis ob collectam tumultuatur. Henricus litem componit inter Episcopum, & Scabinos Laudunenses. Thomas de Bello-meso à dominis de Ruminiaco in vincula conjicitur.

An. 1237. 1238.

CAPUT XXXII.

Extat charta in Tabulario Scabinorum, qua patet Cives Rem. Archiepiscopo solvisse IV. millia librarum pro primo termino summæ decem mill. librar ad quam condemnati erât apud Pruvinum sexto Decemb. 1236.

SCABINI Remenses regiorum deputatorum ope cum Archiepiscopo in gratiam redierant, pacatáque erant omnia, cùm Officiarijs pecuniæ summam paullo severius, quàm par erat, exigentibus, ad quam cives pro damnis resarciendis condemnatos vidimus, rursum novi tumultus oriuntur in Urbe, parúmque abfuit quin tumultuantium turba Ballivo vim inferret, pecuniarúmque collectoribus.

Henricus iteratæ commotionis, minarúmque in ministros suos certior factus excanduit, petitáque à Scabinis satisfactione, & non obtenta, subinde multorum Nobilium ac militum stipatus cohorte Urbem ingreditur, portas observare jubet, in Scabinos, Urbísque primores manus injicere, quorum nonnulli in exsilium missi, alij in vincula conjecti, quorumdam domus eversæ, & ut à simili tumultu deinceps abstinerent, loca sacra interdicto supponit, plebémque à piorum communione secludit.

Dum Remis hæc fiunt, discordia haud minor exarsit (malum hoc veluti quædam contagio per vicinas Urbes serpebat) inter Garnerum Episcopum, & cives Laudunenses, cujus Henricus Remensis Archiep. fuit Judex. Garnerus recèns electus cupiens jura Episcopij sarta tecta, petit à Majore & Scabinis, ut fidelitatem & obsequia à prædecessoribus, præcedentibus Episcopis fieri solita, sibi exhiberent, pollicerentúrque, scilicet sollemni sacramento se conservaturos personam ejus, honorem, & vitam, statim post suam consecrationem, comitaturósque eum bona fide ubicumque proficisci vellet, modò in domum suam eodem die redire possent. Scabini, qui ad hoc se teneri negare non audebant, regerunt Episcopum vice versa juramento etiam obligari ad observationem regiorum indultorum, & unionis Communiæ Laudunensis. Sic partes reciprocis petitionibus oppositæ compromittunt in manus Archiepiscopi Remensis, spondéntque

Digitized by Google

HENRICI DE BRANA LV. ARCHIEP.

déntque ſe obſervaturos quod æquitati conſentaneum judicaret, ſub pœna trecentarum librarum. Archiepiſcopus expenſis utriuſque partis juribus, ſanxit ut Major & Scabini comitante populo exhibeant ſeſe in curia Epiſcopi die Dominica poſt octavam ſancti Petri, illícque pulſatâ campanâ, & coram eo flexis poplitibus profiteantur ſuam fidelitatem in hæc verba: *Ego juro vobis Garnere Laudunenſis Epiſcope, quòd ego ſervabo vitam veſtram, membra veſtra, & honorem veſtrum terrenum, bona fide, ſalva fidelitate domini Regis*: iiſque hæc proferentibus quiſque manum attolleret versùs Eccleſiam. Mox cunctis ſilentibus, quidam ex parte Epiſcopi hæc adderet: *Et ut vos omnes promittitis ſervaturos perſonam, honorem, & vitam domini Epiſcopi, ſalva Regis fidelitate, ſic quoque quicumque hic adſunt debent promittere ſe comitaturos bona fide dominum Epiſcopum quocumque perrexerit, modò eodem die in domum ſuam redire poſſint more ſolito.* His dictis dominus Epiſcopus Major, & Scabinis vicißim ſic promittere tenebatur: *Ego Garnerus Epiſcopus in virtute conſecrationis, quam Remis accepi, ego ſervabo vos, honorem veſtrum, & pacem veſtram, de qua habetis chartam domini Regis in eo puncto, in quo predeceſſores noſtri fecerunt.*

Robertus Regis frater Mathildem Brabantiæ Ducis filiam duxit uxorem, habuitque pro appanagio Atrebat. Comitatum.

Arbitralis hæc ſententia, tam ex parte Epiſcopi, quàm Majoris & Scabinorum deinceps obſervata eſt, quam Philippus Valeſius ſuo diplomate, vel arreſto confirmavit anno 1331. ubi etiam refertur Epiſcopum poſt ſuam conſecrationem jus habere revocandi bannitos. At cùm ex prædicta ſervitute rixæ, ac diſſidia pullularent inter Clerum, & populum, partium conſenſu antiquata fuit ſub Godefrido le Meingre fratre Mareſcalli de Boucicaut, qui Majorem & Scabinos à juramento abſolvit, mediante ſumma duarum mille librarum, quam ipſi perſolverunt intra terminum quinque annorum, cui pacto conſenſit Capitulum die ſecunda Maij, 1365.

Henricus liti componendæ incumbebat, cùm novum ecce ſuboritur ſcandalum, quo tota provincia concuſſa eſt. Nicolaus de Ruminiaco, Colardus de Ruminiaco & Hugo de Griſondel, cauſam reticet hiſtoria, Thomam de Bellomeſo Præpoſitum Eccleſiæ Remenſis, quem ſupra ab Urbe ejectum vidimus, alicubi interceptum in vincula conjiciunt, nulla habita ratione natalium, & caracteris: hac audacia commoti Epiſcopi apud Sanctum-Quintinum menſe Novembri an. 1239. ſanciente Archiepiſcopo conveniunt, ubi actum de libertate Clericorum, refrænandáque licentia quorumcumque, qui eam temere auderent perturbare. Senſent quoque Epiſcopi monendos eſſe prædictos Nobiles auctoritate Concilij, ut Thomæ in libertatem prius reſtituto, pro irrogata injuria ſatisfaciant; quòd ſi audire neglexerint, denuntietur eos eſſe excommunicatos. Juvat hîc referre ipſiſſima Concilij acta, quò prædictis planior fides adhibeatur.

An. 1239.

Acta Concilij provincialis habiti apud Sanctum-Quintinum anno M. CC. XXXIX.

CUm notorium ſit apud omnes venerabilem virum Thomam de Bello-“
meſo Præpoſitum Eccleſiæ Remenſis, per nobiles viros Nicolaum de “
Ruminiaco, Colardum filium ejus, & Hugonem de Griſondel, captum “
violenter, & carceri mancipatum fuiſſe, quem adhuc timore poſtpoſito “
publicè detinere præſumunt in opprobrium, & verecundiam totius Or-“
dinis clericalis. Ordinavit præſens ſanctum Concilium, quòd prædicti No-“
biles auctoritate præſentis Concilij legitimè moneantur, quòd dictum “
Præpoſitum prorſus è carcere liberent, & ejuſmodi captionem, & deten-“
tionem dicto Præpoſito, & Eccleſiis, quarum eſt Canonicus, quibus ex “
hujuſmodi captione eſt illata injuria, competenter emendent; quòd ſi “

monitioni

HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. Ann. 1239.

„ monitioni legitimæ prædictæ non fecerint satis, denuntientur auctoritate „ domini Papæ excommunicationis sententiæ subjacere. Et nihilominus „ pro injuriis dicto Præposito, & Ecclesiis, quarum est Canonicus, ex di„ cta captione illatis, si excommunicationis sententiam per XV. dies susti„ nuerint, terræ quas habent in Remensi provincia ecclesiastico suppo„ nantur interdicto, quod tamdiu præcipimus observari, donec dictum „ Præpositum reddiderint, & prædictos excessus emendârint competenter. „ Quod si nec sic ad liberationem dicti Præpositi, & satisfactionem debitam „ venire curaverint, statuimus quòd elapsis quindecim diebus à tempore „ quo prædictum interdictum proferri contigerit, filij dictorum Nobilium „ in Ecclesiis, quarum dictus Præpositus est Canonicus, ad dignitatem, „ vel ad beneficium aliquod nullo tempore assumantur, vel aliquatenus „ admittantur, nec in aliis Ecclesiis totius provinciæ, sive fuerit cathedralis „ sive non, usque ad viginti annos; nisi cum eorum filiis causâ cognitâ de „ vacanti Beneficio vacaturo fuerit per superiorem, vel provinciale Ca„ pitulum dispensatum.

„ Ceterùm si nec ad emendationem debitam, & unitatem Ecclesiæ dicti „ Nobiles redire curaverint, statuimus quòd ad eorum pertinaciam repri„ mendam invocetur auxilium dominorum sæcularium, à quibus temporalia „ tenent Nobiles memorati. Qui si legitimè moniti eos redire ad unitatem „ Ecclesiæ cogere postposuerint, nec hæc infra terminum ipsis præfigendum „ Nobilibus, ab ipsis quibus super exsecutione prædictorum eorum, quæ ad „ hoc pertinent, committimus vices nostras facere prout ad eos pertinet, „ curaverint; volumus & ordinamus quòd ex tunc in dictos dominos ex„ communicationis sententia proferatur auctoritate Concilij, & post, elapsis „ quindecim diebus, eorum terræ supponantur ecclesiastico interdicto, do„ nec dictus Præpositus fuerit liberatus, & de dictis injuriis competenter „ fuerit satisfactum, ut ad eorum malitiam compescendam ex tunc ex parte „ Concilij, summo & supremo sæculari domino supplicetur, quod in his tale „ consilium, & auxilium adhibeat, quod ipsius interveniente potentia di„ ctus Præpositus liberetur, & jus suum Ecclesiæ Dei super præmissis libere „ consequantur. Super his autem omnibus exsecutioni mandandis, vestris „ Fratribus, Suessionensi, & Laudunensi Episcopis, vel eorum alteri, si „ ambo interesse non possint, committimus vices nostras, excepta dispen„ satione super beneficiis filiorum prædictorum Nobilium, quam nobis du„ ximus retinendam.

„ Actum in provinciali Concilio apud Sanctum-Quintinum consentien„ tibus nobis Episcopis, & approbantibus quorum sigilla præsentibus sunt „ appensa: interveniente etiam consensu omnium procuratorum Capitu„ lorum Ecclesiarum cathedralium provinciæ nostræ. Anno domini 1239. die „ Lunæ ante festum beati Andreæ Apostoli.

Sancita quoque pœna in eos qui Ecclesiarum cathedralium Canonicos capere, vel quocumque prætextu in carcerem conjicere, ac retinere auderent, hoc decreto.

„ SAlva in omnibus ordinatione, quam fecimus de Canonicis Ecclesia„ rum cathedralium Remensis provinciæ, si eos ab aliquibus capi, vel in „ carcere detineri contigerit, ceteris membris Ecclesiæ pio compatientes „ affectu, statuimus ut si quis ausu temerario Canonicum Ecclesiæ cathe„ dralis ceperit, vel in carcere præsumserit detinere, actio hujusmodi ad „ Ordinarium perlata fuerit, Ordinarius loci captores, & detentores mo„ neat diligenter, necnon illos quorum auctoritate, consilio vel auxilio „ prædicta perpetrata sunt, quòd Canonicum sic captum liberent, & injuriam tantam Canonico & Ecclesiæ, cujus est Canonicus, competenter „ emendent. Quod si emendare, & Canonicum reddere noluerint, mo-

nitione

nitione præmissa denuntiet, & denuntiari faciat publicè excommunicationis sententiæ auctoritate Canonis domini Papæ subjacere, & ipsos malefactores nihilominus pro tanta offensa, auctoritate Concilij præsentis sententiæ excommunicationis supponat. Quam si per quindecim dies sustinuerint, ex tunc terræ eorum, siquas habent in provincia, supponantur ecclesiastico interdicto: & nihilominus statim à tempore captionis cessetur à Divinis in illa Parochia in qua eum contigerit detineri. Statuimus etiam quòd si hujusmodi sententias excommunicationis & interdicti per quadraginta dies sustinuerint malefactores prædicti, quòd ex tunc eorum filij in Ecclesia, cujus Clericus captus erat Canonicus, nullo tempore ad dignitatem, vel beneficium aliquod admittantur, vel aliquatenus promoveantur ibidem; ut sic patres se puniri videntes in filiis, ab hujusmodi insolentijs se abstineant.

"HENRIC. DE BRANA LV. ARCHIEP. *An.* 1240.

Ita passim se gerebat Henricus, libertatis ecclesiasticæ vindex acerrimus, asper in rebelles & impavidus, & cui illud Horatij haud ineptè aptari potest. "*Horat. lib 3. Ode 3.*

Justum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium
Non vultus instantis Tyranni,
Mente quatit solida, neque Auster, &c.

Refert Nangius Gregorium IX. hoc anno Jacobum Cardin Prænestinum olim Cistercien. Monachum, ac Trium-fontium Abbatem cis Alpes ablegâsse pro sententia excommunicationis in Fridericum Imperatorem promulganda, duásque Synodos convocâsse statim ac in Franciam appulit: primam Meloduni, ubi injunctum Episcopis & Abbatibus interesse Concilio generali à Pontifice brevi Romæ celebrando; alteram Silvanecti omnium provinciæ Remensis Episcoporum pro vigesima parte redituum ecclesiasticorum obtinenda ad auxilium summi Pontificis, qui bellum Friderico indixerat.

Matthæus Paris addit prædictum Cardinalem per omnes Regni provincias Regis assensu Synodos ob id pariter coegisse, at ruptis induciis, à Pontifice obtentis pro celebratione Concilij, Rex collectam pecuniam studio Legati retinuit, donec dissidij exitum cognosceret.

Henricus in tanta mole curarum, quibus se anxius implicuerat, valetudine adversa correptus vitam cum morte commutavit in castello de Curvilla sex leucis à Durocortoro, pridie Nonas Julij an. 1240. post tredecim annos, & quatuor menses præfecturæ, funeratus in Eccl. Cœnob. Valcellensis diœcesis Cameracensis, quam dedicaverat anno 1235. ubi tumulus è regione summi altaris visitur ad sinistram, sub fornice quatuor Episcoporum statuis ornatus in angulis cum tessera familiæ Drocensis, & epitaphio Gallico; quod antiquitatem non redolet. Præsul regiæ stirpis strenuitatem præferens, ac inter illustriores meritò collocandus, si feliciorem suæ celsitudini campum nactus fuisset: at præfervidi ipsius ingenij celer concitatio in S. Ludovicum magnæ virtutis Principem, de laude actionum suarum haud parum detrahit; quamvis & inter graves discordias & jurgia, religiosi Præsulis, ac de Ecclesia bene meriti famam retinuerit. Legitur ad calcem Martyrologij duas Capellanias instituisse in Ecclesia Remensi cum dote quindecim librarum pro singulis, ut Missa quotidie celebraretur pro salute patris & matris, patrui quoque sui Philippi Episcopi Belvacensis, & parentum suorum, oppigneravitque pro anniversario centum libras super pedagio de Noviant, de la Fere, & de Marcoucy, quotannis percipiendas Constituit etiam ut festum B. Mariæ Ægiptiacæ in eadem Ecclesia celebraretur cum IX. cereis, celebris quoque est ejus memoria in Ecclesia S. Evodij de Brana 8. Julij. Et 3. Septemb. apud Victorianos Parisienses.

Male situs dicitur a Calven. in Eccl. cathed.

Alibi legitur 24. libras pro anniversario legasse Robertum Drocensem executorem fuisse ejus testam.

SEDES VACAT. An. 1240.

Absolvuntur Remenses ab excommunicatione. Prioratus Vallis-Scholarium fundatur. Multi Archiepiscopatum ambiunt. Innocentius IV. Monasterio sancti Theoderici privilegium indulget.

CAPUT XXXIII.

CIVES Remenses ab Henrico anathemate percussi, quòd arbitrorum sententiæ non stetissent, audita ipsius morte absolvi petunt à Capitulo, submittúntque se judicio Adami Silvanectensis Episcopi, & Scholarchæ Remensis, qui hanc ipsis injungunt pœnitentiam, videlicet ut per tres Dominicas subsequentes supplicationibus interfint in camisia, nudis pedibus, cereósque præ manibus habentes, ac in fine supplicationum flagris cædi se patiantur ab Hebdomadario. Præter hæc quidam ex illis ad Ecclesias cathedrales provinciæ amandantur, quæ numero sunt undecim præter Remensem, ut præsentes se sistant supplicationibus, quæ singulis Dominicis fiunt ante Tertiam, ibique palam pronuntient se missos sententiâ Episcopi Silvanectensis ob injurias Remensi Ecclesiæ irrogatas.

Hæc de vili plebecula intellexerim, quæ in urbicis tumultibus, à prudentioribus improbatis, plerumque exorbitant, non verò de Scabinis, & primoribus, quorum tunc auctoritas mirè splendebat per Belgium. Vix enim quis capiat quomodo favore Capituli (nuper ab Urbe expulsi, ut fertur) pro inaudita, & stupenda absolutione Scabini indiguerint, qui pro juribus levioris momenti tam acriter, & usque ad sanguinem decertabant: eò vel maximè quòd de pœnitentia non tam agebatur, quàm de relaxatione ab ingenti ea pecuniæ summa ad quam erant condemnati adversùs Archiepiscopum, à qua Capitulum de facto eos absolvit Interpontificij tempore. Unde Ivellus, qui Henrico successit, de Capitulo ob id graviter conquestus est apud summum Pontificem, qui jus ei concessit præcepto apostolico repetendi quod indebitè Capitulum remiserat, ubi de supplicationibus, disciplina, aliisque ridiculis circumstantiis mentio nulla, historiâ indignis, & æterna oblivione sepeliendis. Domus Vallis-scholarium exstructio longè clarior est, firmioribúsque stat principiis, maximè si ordinem spectes, cujus caput est in Campania superiori juxta Calvummontem in Bassineyo. Is sub regula Augustiniana claruisse dicitur, & statutis à Guillelmo de Janivilla Lingonensi Episcopo, ac postmodum Archiepiscopo Remensi confirmatis anno 1215. inde enim egressi sodales, qui prædictum Ordinem per Franciam & Belgium propagârunt, tanto studio Fidelium saluti dabant operam, ut horum doctrinæ, strictioríque instituti famâ pellecti venerabiles Nicolaus de Sailly Decanus, & Theodoricus Cantor Ecclesiæ Remensis facultates libere suppeditârint pro instituendo Prioratu, qui Remis hoc modo stabiliretur.

Vide Genebr. lib. 4. Chronol.

Dominicanis è priori sede in aliam migrare cupientibus, ut cathedrali Ecclesiæ viciniores essent, prædicti DD. de Sailly fratres domum quam hactenus incoluerant in Novo-vico emunt ab ipsis, Ecclesiámque in ea Ss. Apostolis Petro & Paulo dicatam suis bonis affatim ditant, ubi & tumulantur sub lapide laminâ æneâ cooperto, in qua sequentes versus exarati.

Doctor Adonai miserere pÿ Nicolai,
Vtilis, urbani, docti, Remicíque Decani,

Anno

SEDES VACAT. An. 1241.

Anno milleno, decimo ter, cùmque noveno,
Cum centeno bis, ſua contulit omnia nobis,
Et Concanonici memor eſto Theodorici,
Qui non more ſenis, ſua vivens ſparſit egenis
Hi fratres bini, quos fecerunt Iacobini
Hos emere lares, & nos ſtatuêre ſcholares.

Ceterùm in hoc Remenſi Prioratu, quem ex majori Valle propagatum puto, ducenti & amplius Religioſi ad noſtram hanc ætatem vota Deo laudabiliter exhibuerunt ſub auſpiciis, & regimine decem & octo Priorum regularium, quorum primus Drogo nomine, vir fuit raræ pietatis, & doctrinæ, ex veteribus ſchedis, cui Galterus de Magnoloco ſucceſſit per quadraginta annos integerrimæ, ac laudatiſſimæ vitæ. Sextus Hugo de Niſt rexit etiam annos quadraginta, habuitque ſub ſe Subpriorem Johannem le Graveur eximiæ virtutis virum & admirandæ converſationis: unde per id tempus auditæ voces, & concentus angelici in prædicta Eccleſia cui frequentius inhærebat Ermina quædam mulier, ut variis apparitionibus ſibi factis, ſic humilitate, & patientia celebris, cujus hiſtoriam texuit Johannes S. Dionyſij Remenſis Prior, & Pœnitentiarius Archiepiſcopi, quam Gerſonius Cancellarius Pariſienſis approbavit. Remigius de Louvain IX. Prior Eccleſiam auxit ea parte ſuperiori quæ cingit majus altare, vitreiſque feneſtris depictis ac pellucidis decoravit. At anno 1617. Prioratus hic viris deſtinatus, velatis ceſſit Virginibus Ordinis ſancti Auguſtini, permutatione facta earumdem Monaſterij haud procul à Sueſſione ſiti (quod S. Stephani dicebatur) cum eo, Remos tranſlatæ vetus nomen S. Stephani retinuerunt, domúmque, exceptis Eccleſia & Clauſtro, eleganti ſtructura inſtaurârunt. Religioſi verò paucis annis Sueſſionenſi Monaſterio potiti, aliis Monialibus adhuc illud in perpetuum conſenſu Generalis alienârunt.

An. 1242. 1243.

Dum hæc gererentur, Capitulum, cui cura regiminis tempore vacationis, ſæpius cogitur pro electione Archiepiſcopi; at illuſtrium virorum ambitu, qui ad hanc dignitatem aſpirabant, electorum animi in tot partes ſcindebantur, ut quatuor ferè annos diviſi manſerint. Robertus Leodienſis Epiſcopus incredibili æſtuabat deſiderio Archiepiſcopatum adipiſcendi, ſi Ægidio Aureævallis Monacho credatur: hic enim præter amicos & parentes, cui ingens numerus, magnam vim auri & argenti, non modò; ſed & proprij dominij prædia pro captandis ſuffragiis abſumpſit: hæc erat ſæculi labes, à qua nec Cardinalium cœtus poſt exceſſum Cæleſtini IV. fuit immunis. Anno Interpontificij ſecundo (ut habet Chronicon Sannicaſianum) in vigilia B. Mariæ intravit Capitulum Remenſe chorum ſuum novum, unde ſupra collegimus tempus inſumtum ad inſignis hujus fabricæ perfectionem. Narrat idem Chronicon Simonem de Marmoutier electum Abbatem S. Nicaſij die ſancti Thomæ Cantuarienſis, ut & paullo poſt Abbates Moſomi & S. Baſoli (poſtquam ſeſe Capitulo Rem. obtuliſſent) à Sueſſionenſi Epiſcopo benedictionis munus accepiſſe, hæc enim & ſimilia Sede vacante ad eum veluti provinciæ Decanum ſæpius remiſſa eſſe reperio, juxta diſpoſitionem Juris. Adhuc anno ſequenti durat Interpontificium, nemine ad concordiam electores revocante, donec Innocentius IV. ſummum Pontificatum adeptus, ſuprema auctoritate, & tamen Regis aſſenſu, nominat Ivellum de Sancto-Martino anno 1244. juxta Chronicon Nangij.

An. 1241. An. 1242. An. 1243.

Hic idem Innocentius ſtatim ac Petri ſolium conſcendit rogatus ab Abbate & conventu S. Theoderici prope Remos, res Monaſterij novo privilegio communire, quò liberiùs Deo vacare poſſent, ſequens eis indulſit, quod ex Tabulario extractum hîc exponimus.

An. 1244. Nota.

SEDES VACAT. *An.* 1244. „ INnocentius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis Filiis Abbati „ Monasterij de S. Theoderico, ejúsque Fratribus tam præsentibus, „ quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vi- „ tam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cu- „ jusllibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, „ quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino „ Filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monaste- „ rium S. Theoderici Remensis diœcesis, in quo divino mancipati estis „ obsequio, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis „ scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ORDO

Nota. „ MONASTICUS, qui secundùm Deum & B. Benedicti Regulam „ in eodem loco institutus esse dignoscitur, PERPETUIS IBIDEM „ TEMPORIBUS INVIOLABILITER OBSERVETUR. Præterea quas- „ cumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium impræsen- „ tiarum justè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pon- „ tificum, largitione Regum, &c. poterit adipisci, firma vobis, vestris- „ que successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis du- „ximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Mona- „ sterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, necnon possessiones „ vestras cum pratis, vineis, nemoribus, vinagiis, & pascuis, in bosco „ & plano, in aquis, & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis „ libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum, quæ „ propriis manibus, aut sumtibus colitis, de quibus aliquis hactenus „ non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vo- „ bis decimas exigere audeat: liceat quoque vobis Clericos, & laïcos „ liberos & absolutos à sæculo fugientes ad conversionem recipere. ..... „ Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in Mo- „ nasterio vestro professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia, nisi arctio- „ ris Religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem verò, absque „ communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

„ Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis „ januis, excommunicatis exclusis & interdictis, non pulsatis campanis, „ suppressa voce divina Officia celebrare, dummodo causam non dederitis „ interdicto. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu „ Basilicarum, ordinationes Clericorum qui ad ordines fuerint promovendi, „ à diœcesano suscipietis Episcopo; siquidem Catholicus fuerit. Prohi- „ bemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœ- „ cesani Episcopi, & vestro, capellam, seu oratorium de novo con- „ struere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum.

„ Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, „ Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, sæculari- „ búsve personis, à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque „ ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ „ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommuni- „ cati, vel interdicti sint, aut publicè usurarij, nullus obsistat, salvâ „ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assu- „ muntur. .....

„ Obeunte verò te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet „ successorum, nullus ibi quâlibet surreptionis astutiâ, seu violentiâ præ- „ ponatur, nisi QUEM FRATRES communi consensu, vel Fratrum ma- „ jor pars consilij sanioris secundùm Deum & B. BENEDICTI REGU- „ LAM PROVIDERINT ELIGENDUM. Præterea omnes libertates, & „ immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio „ vestro concessas, necnon exemptiones sæcularium exactionum à Regi-

bus

bus, & Principibus, vel alijs Fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apoſtolica confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, &c. "SEDES TACAT. "An. 1244.

† Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

† Ego Stephanus S. Mariæ Trans-Tiberim tituli S. Praxedis Preſbyter Cardinalis.

† Ego Raynaldus Oſtienſis & Veliterrenſis Epiſcopus.

† Ego Frater Jacobus Prænestinus Epiſcopus.

† Ego Rainerius S. Mariæ in Coſmidin Diaconus Cardinalis.

† Ego Ægidius Ss. Coſmæ & Damiani Diac. Cardin.

† Ego Otto S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

† Ego Richardus Sancti-Angeli Diaconus Cardinalis.

Datum Laterani per manum Fratris Jacobi de Ordine Fratrum Prædicatorum, S. R. Eccleſiæ Vicecancellarij X. Calendas Apr. Indic. II. Incarn. Dom anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto. Pontificatûs verò domini Innocentij Papæ IV. anno primo.

Nota.

Illud in hoc reſcripto præ ceteris notatu dignum puto, quod in fine additur. *Obeunte te nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum* NULLUS IBI QUALIBET SURREPTIONIS ASTUTIA, SEU VIOLENTIA PRÆPONATUR, NISI QUEM FRATRES COMMUNI CONSENSU, VEL FRATRUM MAJOR PARS CONSILIJ SANIORIS SECUNDUM DEUM, ET S. BENEDICTI REGULAM PROVIDERINT ELIGENDUM.

Notent hæc Commendatarij & fautores eorum, paucissima enim reperient Monaſteria, quæ ſimile vel à ſummis Pontificib vel à Chriſtian Regibus non acceperint privilegium.

Quamvis pluribus alijs Abbatijs hæc eligendi Abbatem licentia conceſſa ſit, obſervandum tamen hîc putavi, quòd in illoipſo pacto inter Leonem X. & Franciſcum I. inito, quod CONCORDATA vocant, ubi agitur de COMMENDATARIORUM ſubſtitutione ad placitum Regis, excipiantur cujuſcumque Ordinis Monaſteria, quæ eligendi Prælatum habebant facultatem. Idem Pontifex ad petitionem Abbatis S. Remigij renovât privilegium Johannis Papæ de immunitate rerum ſui Monaſterij (quo nomen ARCHIMONASTERIJ tertiò repetit) ob vetuſtatem, &c. Bulla ſic incipit: *Innocentius, &c. Cùm à nobis petitur quod juſtum eſt, & honneſtum. Vigor, &c Datum Laterani V. Idus Ianuarij, Pontificatus anno primo.*

Ivellus ex Turonenſi factus Archiepiſcopus Remenſis modum vivendi Bonorum-puerorum Collegio præſcribit, intereſt Concilio Lugdunenſi, privilegium obtinet adversùs delegatos, Cancellariatûs Remenſis officium extinguit.

CAPUT XXXIV.

D'Azur à ſix écuſſons d'Or 3. 2. 1.

IVELLUS de Sancto-Martino ex Turonenſi Archiepiſcopatu, quem plures annos ſapienter rexit, ad Remenſem provectus, genus duxit à familia de Mathefelone, ut quidam volunt, cujus aliquot Heroas Souchetus retulit in notis ad vitam S. Bernardi Tironenſis Abbatis. At Quercetanus Ivhellum vocat de Meduana in hiſtoria Drocenſi, quæ ducatûs titulo nunc inſignita ad Principes Guiſianos pertinet, habétque ſex ſcuta aurea in campo ceruleo pro inſignibus, quamvis Ivellus in proprio ſigillo pluviali indutus flexo poplite coram Virgine Deipara tantùm appareat, cùm hoc inſcripto: *Fac mecum ſignum in bonum.*

Ivhellus etiã nominatur à Nangio.

Adepta

IVELLUS LVI. ARCHIEP. *An.* 1244.

Adepta poſſeſſione, vaſſallorum hominia excipit, luſtrat Eccleſias Urbis ac diœceſis, dátque operam Remis, ut pauperes Scholaſtici, qui Boni-pueri dicebantur, è quorum recta educatione maxima utilitas in publicum promanabat, novis conſtitutionibus, ſeu ſtatutis continerentur ſub directione Scholaſtici Remenſis, è cujus præſertim nutu Collegij moderationem pendere voluit, juxta ſequens reſcriptum, cui prædictæ conſtitutiones per diſtinctos articulos adjectæ ſunt.

An. 1245. „ IVellus Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus univerſis præſentes litteras
„ inſpecturis in Domino ſalutem. Cùm ſicut ex virorum bonorum rela-
„ tione intelleximus, ex congregatione pauperum Scholarium Remis moran-
„ tium, qui Boni-pueri nuncupantur, fructus bonus dinoſcatur in Eccleſia
„ Dei provenire, & nos fructum dictorum Scholarium, & totius Eccleſiæ
„ Dei, ſecundùm quod exigit paſtorale officium, adaugere, & conſervare
„ teneamur, volentes eiſdem in poſterum providere, ſtatuimus ut Scho-
„ laſticus Remenſis Eccleſiæ, quicumque fuerit, poteſtatem habeat de ce-
„ tero in domo dictorum Scholarium ponendi Scholares pauperes, vel
„ etiam amovendi, quando viderit expedire, qui etiam Scholaſticus præfi-
„ ciendi eis Procuratorem habeat poteſtatem; necnon etiam & Doctorem.
„ Et quia non decet congregatos in nomine Domini ſine aliqua certa forma
„ vitam ducere, ſtatuimus ut in dicta congregatione Scholarium de cetero
„ obſerventur conſtitutiones inferiùs annotatæ.

„ 1. Omnes dicti ſcholares in communi & de communi vivant.

„ 2. Horas beatæ Virginis ſimul dicant.

„ 3. In diebus Dominicis, & feſtivis ſimul ad Eccleſiam vadant, & ad
„ Sermones.

„ 4. Confeſſionem ad minus ſemel in menſe faciant.

„ 5. Ante cœnam & prandium benedictionem, poſt prandium & cœnam
„ gratias agant.

„ 6. In ſilentio comedant, & cum lectione.

„ 7. Poſt Completorium pro benefactoribus *Ad te levavi* & *De profundis*
„ dicant.

„ 8. Per noctem ſilentium, niſi ex cauſa rationabili, teneant.

„ 9. Extra domum ſine licentia Magiſtri non exeant, & cùm exierint
„ ſecum quem Magiſter eorum eis aſſignaverit accipiant.

„ 10. Si neceſſitas compulerit, illi quos Magiſter elegerit, panem querant.

„ 11. Si ſe invicem percuſſerint, ita quòd in Canonem *latæ ſententiæ* inci-
„ derint, donec fuerint abſoluti, expellantur.

„ 12. Soli jaceant.

„ 13. Capas griſias omnes habeant, ceteras veſtes non habeant coloratas.

„ 14. Nullus recipiatur qui habeat unde aliàs ſuſtentetur, niſi ea quæ
„ habuerit velit aliis communicare.

„ 15. Nullus extra ſexdecim annos, vel citra novem recipiatur.

„ 16. Mores ejus qui receptus fuerit prius per menſem probentur.

„ 17. Qui recipiendus fuerit habeat habitum, & lectum.

„ 18. Nullus ſine licentia Scholaſtici Remenſis recipiatur.

„ 19. Semel eis in ſeptimana à Magiſtro ſuo, vel aliquo Religioſo Capi-
„ tulum teneatur.

„ 20. Omnes diligenter ſtudeant, & lectiones corde tenus reddant.

„ 21. Verbis latinis in domo loquantur.

„ 22. Scholaſtico Remenſi & Magiſtro ſuo in prædictis conſtitutionibus
„ ſine voto obediant, incorrigibiles verò expellantur.

„ 23. Nullus accuſet alium in Capitulo ex libidine vindictæ, ſed ex fra-
„ terna correctione.

24. Singulis

Digitized by Google

24. Singulis noctibus disciplinas accipiant. "IVELLUS
25. Mulieres domum eorum non ingrediantur, nisi ex causa rationali, & " LVI.
quæ fuerint non suspectæ. " ARCHIEP.
26. Per singula Sabbata legantur hæ constitutiones, super quibus poterit " An. 1245.
Scholasticus dispensationem facere prout viderit expedire. Ut autem "
omnia prædicta firma, & rata habeantur, præsentem paginam sigilli nostri "
munimine duximus roborandam. Datum anno Domini millesimo ducen- "
tesimo quadragesimo quinto, mense Maïo. "

Innocentius Papa sibi metuens ab Imperatore Friderico Ecclesiæ bellum inferente, primò Genuam, inde felici navigio unà cum Cardinalibus Galliam appulit, indictóque Lugduni generali Concilio, ad quod Metropolitani Galliæ & Angliæ præsertim, cum Suffraganeis convocati, mense Junio an. 1245. diem dicit Friderico ut adsit, de sibi objectis criminibus responsurus: detractanti præsens adesse, jus Imperij est abrogatum, vacavitque Imperij sedes duo de triginta per annos, quamquam eodem anno Henricus Thuringus, ac dehinc Guillelmus Hollandus contra Fridericum eligerentur. Actum præterea de bello sacro, cujus dux à Patribus constitutus est Ludovicus Rex Francorum; *qui nisi consilio dignitatem, robúrque præstitisset*, ait Æmilius, *periculum erat, ne illud turbâsset Fridericus.* Discordia dudum agitata inter Archiepiscopum Remensem & Suffraganeos circa appellationes, arbitrio Papæ consentientibus animis, ex utraque parte relicta est, qui se maturiùs considerata pronuntiat Suffraganeorum Remensis Ecclesiæ, suorúmque Officialium unum & idem Consistorium esse censendum; ab ipsísque Officialibus, non ad dictos Suffraganeos, ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur, sed de jure ad Remensem esse Curiam appellandum.

Vide sextum Decretalium lib. 2. tit. 15. de appell. ità & de Officio Vicar.

Ab Archidiaconis verò, aliisque inferioribus Prælatis, Suffraganeis subjectis, eisdem & eorum Officialibus ad Suffraganeos ipsos debet, & non ad eamdem Curiam, omissis dictis Suffraganeis, appellari, nisi aliud Remensi Ecclesiæ de consuetudine competat in hac parte &c. Cúmque omnino lis inter eos non esset sopita, Simon Episcopus Albanensis Legatus apostolicus Judex compromissus assensu partium eligitur, sententiámque omnium controversiarum Lugduni protulit 28. Januarij an. 1247. quam Innocentius IV. Juris Pater nominatus confirmavit. Ceterùm cùm delegatorum & subdelegatorum judicium, de quibus Can IV. præsentis Concilij, mirum in modum auctoritas crescceret, interdúmque ex simplici commissione ad eos lata, diœceses, urbes & oppida interdicto submitterent; obtinet Ivellus à Summo Pontifice, ut quidquid in seipso auderent, irritum esset; absque speciali mandato, Bullâ Lugduni concessâ, quæ sic se habet.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto Filio Decano " Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ Sedis " benignitas sincerè, &c. Ut ex speciali devotione, quam venerabilis Fra- " ter noster Archiepisc. Remensis ad nos, & Romanam Ecclesiam habere " dignoscitur, favorem apostolicum sibi sentiat accrevisse, dicto Archie- " piscopo duximus indulgendum, ut nullus delegatus, vel subdelegatus, " exsecutor, aut etiam conservator auctoritate Sedis apostolicæ, vel Legato- " rum ipsius, in personam ejus excommunicationis, suspensionis, aut inter- " dicti sententias promulgare, aut interdicere sibi ingressum Ecclesiæ va- " leant, absque speciali mandato Sedis ejusdem, faciente plenam de ipsa " indulgentia mentionem. Ideóque discretioni tuæ per apostolica scripta " mandamus, quatenus eumdem Archiepiscopum super his contra concessio- " nis nostræ tenorem non permittas ab aliquibus indebitè molestari; mole- "

statores

IVELLUS LVI. ARCHIEP. An. 1246.

„ ſtatores hujuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita „ compeſcendo, nonobſtante conſtitutione *De duabus datis*, edita in Concilio generali, dummodo ultra quartam, vel quintam aliquis auctoritate præſentium extra ſuam diœceſim ad judicium non trahatur. Datum Lugduni v. Calen. Aprilis Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Præſentreſcriptum Decano Pariſienſi trâſmiſſum legitur.

Summus Pontifex vice verſâ Ottobonum Cardinalem fratris ſui filium, ac Remenſis Eccleſiæ Cancellarium Ivello commendavit, qui, ut grati animi ſpecimen exhiberet, prædicto Ottobono majorem Archidiaconatum contulit, ſtatim ac Reginaldus de Corbolio Epiſcopatum Pariſienſem eſt adeptus: ſic ipſa promotione vacavit Cancellaria Remenſis, quæ cùm inutilis eſſet Eccleſiæ, ac toti provinciæ oneroſa, tractavit Archiepiſcopus de ea penitus extinguenda, jura ipſius ad ſe revocando, ſub conditionibus in charta appoſitis, quæ venerabilis Capituli conſenſum præ ſe fert his verbis.

An. 1250.

„ H. Præpoſitus, J. Decanus, P. Cantor, ceterique Remenſis Eccleſiæ „ Fratres univerſis præſentes litteras inſpecturis in Domino ſalutem. „ Noverint univerſi quòd reverendus Pater J. Dei gratiâ Remenſis Archie„ piſcopus de mandato, & voluntate ſanctiſſimi Patris Dei gratiâ Innocen„ tij ſummi Pontificis, qui eidem domino Remenſi Archiepiſcopo ſuper „ hoc auctoritatem contulit de Cancellaria Remenſi, accedente conſenſu „ Capituli noſtri Remenſis, ordinavit quòd dicta Cancellaria, quæ non „ tantùm Remenſi Eccleſiæ, ſed etiam toti Remenſi provinciæ hactenus in „ multis operoſa exſtitit, & damnoſa, ad jus & proprietatem Archiepiſcopalis „ Rem. menſæ dicti Archiepiſcopi redeat, cùm eadem ab ea dicatur aſſumta „ antiquitus, & detracta. Hoc tamen ſalvo quòd dictus Remenſis Archie„ piſcopus, & ſucceſſores ejus in perpetuum tenebuntur obligati, quòd „ ijdem per Vicarium ſuum Canonicum Remenſem, ad hoc ab eiſdem ſpe„ cialiter deputandum ad Breve, & Tabulam Capituli noſtri facienda, & „ alia prout ratione dictæ Cancellariæ hactenus in dicta noſtra Eccleſia ex„ ſtitit conſuetum. Hoc etiam ſalvo Eccleſiæ noſtræ Remenſis, quòd va„ cante Sede Remenſi, & jurisdictionis Sede vacante ad Capitulum devo„ luta, nos utamur ſigillo noſtro antiquo, quo uti conſuevimus in Sedis „ Remenſis vacatione, tàm in diœceſi, quàm in provincia, & emolumen„ tum illius, quamdiu dicta Sedes vacaverit, percipiat integraliter Capitu„ lum noſtrum, & faciat fructus ſuos. In cujus rei teſtimonium præſentes lit„ teras ſigilli noſtri munimine duximus roborandas. Actum anno Domini „ 1250. menſe Junio.

Inde infertur Vicarium generalem D. Archiepiſcopi debere eſſe Canonicum.

Sic igitur Cancellariæ dignitas, ſeu officium deſivit in Eccleſia Remenſi, & quidem anno 1247. ſi verum ſit quod tradit Robertus in Gal. Chriſtia. S. Ludovicum in Terram-Sanctam proficiſcentem baculo peregrini donatum à Reginaldo de Corbolio anno 1248. nam conventum erat ut Cardinalis Ottobonus beneficium Cancellariæ abdicaret, illúdque fieret dominio Archiepiſcopali obnoxium, cùm primùm majori Archidiaconatu potiretur, quod mox contigit promotione Reginaldi ad Epiſcopatum Pariſienſem. Charta ſuppreſſionis habet Archiepiſcopum penſionem centum librarum reſervâſſe in favorem Johannis de Blois Officialis Remenſis, ex conſenſu Papæ, quòd ipſe Reginaldo in Archidiaconatu ſuccedere deberet.

Porro nomina eorum qui Cancellariam exercuerunt ſub Archiepiſcopis ab anno præſertim D C C C. XL. hæc ſunt.

Maccolus Secretarius B. Remigij legitur ad calcem epiſtolæ prædicti Pontificis ad Clodovęum anno 504.

Hairoaldus Cancellarij titulo inſignitur in notitia *De mancipijs ſancti Remigij*

Digitized by Google

Remigij per judicium Scabinorum emendicatis in placito Missorum Hincmari Archiepiscopi anno 847. IVELLUS LVI. ARCHIEP. An. 1233.

Harduinus subscripsit donationi altaris sancti Stephani Remensis factæ Monasterio Monialium sancti Petri Rem. sub Vvidone anno 1036.

Hardulphus memoratur in Chartulario prædicti Monasterij pro jure Præposituræ ejusdem anno 1048.

Odericus vel Oldaricus subscripsit fundationi Monasterij sancti Dionysij Remensis sub Gervasio anno 1067. & chartæ restitutionis Ecclesiæ de Morimonte anno 1074.

S. Bruno Carthusianorum Patriarcha pluribus chartis Cancellarij nomine subscripsit, ut supra vidimus anno 1076.

Godefridus interfuit Concilio Suessionensi an. 1078. legitúrque in bulla restituti Ordinis in Monasterio S. Nicasij sub Raynaldo, & in Chartophilacio sancti Theoderici anno 1093.

Fulcradus vixit sub Rodulfo Viridi, & Manasse II. nominque ejus reperitur in pluribus chartis, annis 1100. 1101. 1102. 1115. 1119. 1124.

Drogo exercuit Cancellariam sub Raynaldo II. annis 1128. 1130. 1134. & 1147. sub Samsone.

Robertus legitur in Tabulario Monasterij Boni-fontis sub Samsone annis 1153. 1160.

Johannes Romam profectus cum Henrico Archiepiscopo, ad eum Petrus S. Remigij Abbas septimam epistolam libri sexti direxit, adhucque legitur in pacto inter Abbates S. Nicasij & Signiaci inito anno 1172. Idem, aut fortè alius ejusdem nominis legitur in historia Noviomensi fol. 967.

Alexander Cancellariâ potiebatur sub Vvillelmo Cardinale annis 1178. & 1182.

Lambinus vel Lambertus sub eodem Archiepiscopo ad Episcopatum Tarvanensem evehitur anno 1188.

Unde vacabat Cancellaria anno 1192 ex charta Dionysiana.

Matthæus in Chartulario Sannicasiano annis 1194. 1199? & 1200.

Hugo de Sparnaco claruit sub Alberico annis 1214. & 1217. & sub Guillelmo de Janivilla annis 1223. & 1226 postea Igniacensis Monachus, ex Obituario Remensi. IV. Nonas Decembris.

Guillelmus sub Henrico de Brana. anno 1230.

Ottobonus Cardinalis, nepos & Capellanus Innocentij IV. ultimus Cancellariam tenuit, ut supra dictum.

Innocentius Lugduni degens formam visitandi Suffraganeorum diœceses Metropolitanis præscribit, & Abbatibus indulget privilegia.

CAPUT XXXV.

METROPOLITANI auctoritas illa ætate in lustranda provincia, visitándisque Suffraganeis potissimum viguit: olim id muneris statis temporibus rarò exsequebantur, nisi cùm res majoris momenti occurreret, ut elevatio corporis cujusdam Sancti ab Ecclesia vindicati, Translationes reliquiarum patroni tutelaris, Ecclesiæ dedicatio, nova Monasterij erectio, &c. quò sollemnitas celebrior esset, & Metropolitani præsentiâ, velut provinciæ Principis, confirmaretur: nihil enim

IVELLUS LVI. ARCHIEP. illuſtro eo ineonſulto fiebat; unde in chartis fundationum, præter annum Regni Principis, annus etiam Pontificatûs Metropolitani, honoris gratiâ inſcribebatur.

An. 1246. At cùm per Decretales Metropolitanis permiſſum fuit de triennio in triennium viſitare ſuffraganeas diœceſes, forma mox præſcribenda fuit, ne Metropolitani modum excederent, aut Epiſcopis conquerendi præberent occaſionem. Ex prolixiori reſcripto Lugduni dato ad Remenſem Archiepiſcopum, id quod ſequitur tantùm exſcripſi, ut chartæ parcerem & Lectoris faſtidio.

Extat in primo volumine Chartarũ Archiepiſcopatus Remenſis folio 35 & 36.

„ STatuimus ut quilibet Archiepiſcopus ſuam volens viſitare provinciam
„ prius Eccleſiæ ſuæ Capitulum, ac civitatem, & diœceſim propriam
„ plenè viſitare procuret, nec ſic ſolùm erga majorum, ſed etiam minorum
„ Eccleſiarum, nec circa Clericorum tantùm, ſed & populorum viſitationem
„ intentus, & ſi commodè, vel abſque difficultate accedere ad unamquam-
„ que non poterit, de pluribus locis ad unum congruum Clericos, & alios
„ ſtudeat convocare, ne in illis viſitatio poſtponatur. Deinde liceat ei per
„ totam provinciam, vel ejus partem viſitationis officium exercere, civitates,
„ & diœceſis Suffraganeos, & eorum ſubditos, Cathedralium & aliarum
„ Eccleſiarum Capitula, Monaſteria, Eccleſias, & alia religioſa, & pia loca,
„ Cleros, & populos libere viſitando, ac procurationes à locis tantùm reci-
„ pere uſitatis. Ex quo aliquam de ipſis diœceſibus viſitare cœperit, num-
„ quam poſtea ſive totam, ſive partem ejus viſitaverit, revertatur causâ viſi-
„ tationis ad illam, priuſquam reliquæ omnes ipſius provinciæ diœceſes *in*
„ toto, vel in parte, quas ſecurè viſitare poterit, & ſua denuo ab eo denuo
„ fuerint viſitatæ. Quòd ſi forſan eadem diœceſis, vel aliqua ibi Eccleſia
„ plus aliis indiguerit, tunc ab eorum viſitatione intermiſſa, redeat ad eam-
„ dem, ſi à loci diœceſano requiſitus exſtiterit, vel de omnium, aut majoris
„ partis Epiſcoporum ejuſdem provinciæ conceſſerit conſilio & aſſenſu, ad
„ quod iidem ſe pronos exhibeant, ne animarum profectus aliquatenus ne-
„ gligatur. Si verò malitiosè in his difficultatem adhibuerint, Archiepiſcopus
„ ſuper hoc licentiam à Sede apoſtolica poſtulet confidenter; poſtquam
„ autem ſemel omnes provinciæ ſuæ diœceſes viſitaverit, licitum ſit ei po-
„ ſtea, priùs tamen Suffraganeorum ſuorum requiſito conſilio, & ipſius diffi-
„ nitione ſuperhabita coram eis, quæ in ſcriptis redigi volumus, ut poſſint
„ aliis eſſe nota, viſitationem per eamdem reïterare provinciam, juxta mo-
„ dum ſuperius annotatum, etiamſi non interveniat in hoc Suffraganeorum
„ ipſorum aſſenſus; illam ſemper prudentiam adhibendo, ut in poſterio-
„ ribus viſitationibus illas Eccleſias, illóſque Cleros, & populos priùs viſitet,
„ qui non fuerant ab eo in prioribus viſitati, niſi magis ſit aliis viſitationis
„ officium opportunum. Sanè hujuſmodi impenſurus officium propoſito ver-
„ bo, de Dei gratia, de vita & converſatione miniſtrantium in Eccleſiis, &
„ locis aliis divino cultui deputatis, ac ceteris quæ ad officium ipſum ſpec-
„ tant, abſque coactione & exactione qualibet juramenti ad ipſorum emen-
„ dationem per ſalubria monita, nunc levia, nunc aſpera, juxta datam ſibi
„ à Deo prudentiam, diligenter intendens: quòd ſi de aliquibus orta fuerit
„ infamia contra eos, Ordinariis ipſorum, ut ſuper iis ſollemniter inquirant,
„ denuntiet, ſi viderit expedire. Notoria verò crimina, quæ examinatione
„ non egeant, cùm ſuper his meritò notari poſſit ordinatior negligentia eo-
„ rumdem, libere corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo. Procura-
„ tiones autem recipiat ſecundùm quod eſt in Canonibus conſtitutum,
„ nullam tamen pecuniam ipſe, vel aliquis de ſua familia, occaſione
„ ejus officij, aut conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo earum nomine, ſed *in*
„ victualibus tantùm recipiat moderatas. Caveat inſuper ne ipſe, vel quiſ-
quam

quam ſuorum aliquod munus quodcumque ſit, & qualitercumque offe- « IVELLUS
ratur, præſumat recipere, ut non quæ ſua ſunt videatur quærere, ſed « LVI.
quæ Jeſu Chriſti. Quòd ſi fuerit contra præſumtum, recipiens male- « ARCHIEP.
dictionem incurrat, à qua numquam, niſi duplum reſtituat, liberetur: « An. 1247.
volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari. Hanc autem «
viſitandi formam, ab univerſis etiam Epiſcopis, aliiſque Prælatis ordina- «
rio jure ſuos ſubditos viſitantibus plenè obſervari præcipimus, ſaluis ſuper «
hoc rationabilibus, & approbatis Religioſorum conſuetudinibus & regu- «
laribus inſtitutis. Ceterùm ut illis, qui prædictum Archiepiſcopum ad «
viſitationem admittere, ac procurationes exhibere ſibi debitas denegâ- «
rint, pœna omnino non deſit, cùm inhumaniter in hoc ſe geſſerint erga «
eum: præcipimus benignè cum ipſis agendo, ut ipſum ad eorum acce- «
dentem Eccleſias proceſſionaliter, & aliàs honorificè recipiant ac decen- «
ter; quódque nonniſi ad mandatum ſuum aperiantur, vel claudantur «
Eccleſiarum & domorum oſtia ea vice, ac de expenſis tunc factis ab ipſo, «
juxta ſui extimationem Camerarij, ſibi ſatisfaciant, ei nihilominus pro- «
curando. Nolumus autem per hoc in poſterum eidem Archiepiſcopo jus «
novum acquiri, aut illis præjudicium aliquod generari. Datum Lugduni «
XVI. Kal. Aprilis Pontificatûs noſtri anno tertio. «

Eodem Innocentio Lugduni moram faciente ob minas Friderici Imperatoris, multi Abbates diœceſis ac provinciæ Remenſis ad eum convolant, privilegia pro ſe, ſuiſque Monachis petituri, quorum votis annuiſſe patet, ex ingenti bullarum congerie, quibus horum Tabularia onerantur, quæ cùm nulli nunc ſint uſui, aliqua breviter indicare ſufficiet. Remenſi Archiepiſcopo, & omnibus ferè Abbatibus diœceſis, ut quietiùs ſuo muneri vacent, Pontifex indulſit, ut nullus delegatus, vel ſubdelegatus, exſecutor, aut conſervator auctoritate Sedis apoſtolicæ, vel Legatorum ejus, in eos excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam valeat promulgare, abſque ſpeciali mandato Sedis apoſtolicæ. Pontificatûs anno ſecundo.

Remigiano Abbati benedicendi pallas altaris, & alia ornamenta ſacerdotalia impertiit facultatem. Pontificatûs anno ſecundo.

Omnibus etiam Monaſteriis, & Capitulis ad eum recurrentibus conceſſit, ut cùm generale interdictum fuerit, liceat illis clauſis januis, & excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina Officia celebrare, & non excommunicatis ſepulturam exhibere. Pontificatûs anno quarto.

Iiſdem Pontificatûs anno ſecundo, ut majoris excommunicationis laqueo ligari non poſſint, etiamſi Judices delegati prohibuerint, modò criminis non fuerint participes.

Nicaſianis Indulgentias impertiit pro ijs, qui ad incœpti operis perfectionem eorum Eccleſiæ aliquid erogaverint, quam B. Nicaſij miracula mirum in modum illuſtrabant. Pontificatûs anno ſexto.

Abbatibus & Religioſis ſancti Remigij, ſancti Theoderici, & aliis facultatem impertit deferendi pileos ſuo Ordini congruentes, Lugduni.

Soluto Lugdunenſi Concilio Rex ſollemne Placitum Pariſius infra octavas ſancti Dionyſij convocat, cui Magiſter Odo de Caſtro-Radulfi S. R. E. Legatus interfuit cum multis Epiſcopis & Comitibus, ipſóque hortante Nobiles ad ſacrum bellum in infideles ſuſcipiendum, Ivellus Remenſis Archiepiſcopus, Philippus Bituricenſis Archiepiſcopus, Rabertus Belvacenſis, Garnerus Laudunenſis, Guillelmus Aurelianenſis Epiſcopi, D. Robertus frater Regis Franciæ Comes Atrebatenſis, Hugo de Caſtellione, Galcherus nepos ejus, Radulfus de Couciaco militiæ teſſeram aſſumſerunt. Quidam Ivellum Præfectum belli ſacri vocant

IVELLUS LVI. ARCHIEP. *An.* 1248.

ob animi præſtantiam, & quòd in eo promovendo ſe ſtrenuum præbuiſſet; quamvis non deſint qui dubitent an ultra mare uſque in Ægiptum profectus ſit: pleróſque verò provinciæ Remenſis Nobiles nomina dediſſe ſub vexillis Roberti Atrebatenſis, præter id quod in Chronicis Nangij habetur, probat vetus pictura, quæ viſitur ad ſiniſtram principis altaris S. Vincentij Laudunenſis, ubi Epiſcopo pontificalibus induto, ac in throno ſedenti, Comes Atrebatenſis, ut ex veſte violacea, & inſignibus Comitatûs colligitur, tres Nobiles præſentat, ut iis benedictionem ad bellum ſe accingentibus impertiatur, quos quidam putant eſſe Johannem de Monteacuto, Johannem d'Eppe, & N. ex Lauduneſio, ortos ab Equitibus B. Mariæ de Lætitia.

Rex flagrans deſiderio viſendi ſummum Pontificem, convocata multitudine haud modica Procerum Regni ſui, Lugdunum perrexit, perceptáque benedictione, ei humiliter Vale dicto in Franciam rediens Blanchæ matri plenariam dat poteſtatem Regni adminiſtrandi in abſentia, dignitates, & beneficia eccleſiaſtica conferendi, fidelitates Epiſcoporum, & Abbatum recipiendi, licentiam quoque Capitulis & Conventibus eligendi, diplomate dato apud Hoſpitale juxta Corbolium anno 1248. menſe Junio. Palam quoque edixit paratum ſe eſſe ex ærario ſatisfacere ijs, qui ſe injuſtè læſos eſſe probarent, tum 25. Auguſti an. 1248 cum Præfectis ſacræ militiæ, & Epiſcopis, qui ſe ad eam voverant, iter aggreditur. Cyprum appellit, ibíque hibernat hoc anno, proximo vere, magno cum exercitu tranſmiſſurus in Ægiptum, ubi ſtatim ac ingreſſus eſt, Damiatam expugnat, & capit, Saracenis ab eo ſemel atque iterum devictis, ac proſtratis: at mox peſte exercitum invadente, circumdatus Rex ipſe à Saracenis, & peſte ictus, captus eſt cum duobus fratribus, & reliqui ferè omnes ad internecionem cæſi. Ex Epiſcopis qui Regem comitati fuerant ad milites cohortandos plures occubuêre; quidam Martyrij laureâ cupidi in Fidei hoſtes ingenita animi ſtrenuitate fortiter irruperunt, ex Joinvilleo, qui & de Sueſſionenſi Epiſcopo hæc habet: *Il y avoit un moult vaillant homme en noſtre oſt, qui avoit nom Meſſire Iacques du Chaſtel Eveque de Soiſſons, lequel quand vit que nous en revenions vers Damiete, & que chacun s'en vouloit revenir en France: il aima mieu demeurer avec Dieu, que de s'en retourner au lieu d'ou il eſtoit né. Il s'en alla lancer luy ſeulet dedans les Turcs, comme ſil les ut voulu combatre tout ſeul, mais tantoſt l'envoyerent à Dieu, & le mirent en la compagnie des Martyrs, car ils le tuerent en peu d'heure.*

Epiſcopi Regi aſſiſtentes in bello irregularitatem non incurrit etiam ſi homicidia committant. *Catellus fol.* 206.

Ivellus Remos reverſus, de Leodienſi Epiſcopo apud ſummum Pontificem conqueſtus eſt, quòd hominium pro feodis caſtelli Bullionenſis more ſolito non præſtaret; jubet Pontifex ut quamprimum ſatisfaciat, eo autem cunctante, Ivellus bellum ei indixit, graviſque inde ſimultas exorta eſt inter eum, & Henricum Leodienſem. Cumque militum incurſionibus utriuſque Eccleſiæ prædia vaſtarentur, Innocentius Guidoni Cameracenſi dat negotium, ut utrique injungat abſtinere ab ejuſmodi graſſationibus: Henrico verò Leodienſi, ut debitam fidelitatem Eccleſiæ Remenſi voveat, quod & præſtitit, ex Chron. Ægidij Aureævallis. Litem quoque habuit Ivellus cum Suffraganeis, quòd ſtatutis Concilij generalis, circa appellationes, non obtemperarent, & cum Capitulo Remenſi; at illud ſe gravari exiſtimans ceſſationem à Divinis indicit, uſitatiſſimum hac ætate remedium ad quoſlibet adverſarios compeſcendos. Johannes Regiteſtenſis Comes Eccleſiæ Remenſis beneficiarius ob villas de Chemeri & de Vendreſſe, faſſus eſt ſe teneri ad ſolvendum cereum pondere triginta librarum die Purificationis,

Digitized by Google

Purificationis, oppignerato ad id ſtellagio Retellenſi anno 1249.

IVELLUS LVI. ARCHIEP. *An.* 1248.

Ivellus ſe ære alieno oppreſſum ſentiens ob expenſas in bello adversús Leodienſem ab eo factas, reſcriptum obtinet à ſummo Pontifice ad provinciales Eccleſias, ut ſibi tamquam Metropolitano ſuppetias ferant, ex quibus clariſſimè conſtat, ex Inſula Cypri, vel etiam ex Ægipto rediiſſe, quamvis Sammarthani tomo 2. fol. 491. aſſerant poſt Colveneriúm, obijſſe Damiatæ, quod falſi adhuc argui poteſt ex charta Hoſpitalis Remenſis, cui ſubſcripſit menſe Junio an. 1249. quo & mortuus eſt, juxta Andream du Cheſne in hiſtoria Drocenſi, ubi obiiſſe ſcribitur XV. Cal. Janu. & ex immunitate à giſtis & procurationibus Sannicaſianis conceſſa eodem anno, quam alibi retulimus; at nihil ad rem refert, *quo loco deſinas*, inquit Seneca, *tantùm bonam clauſulam imponas.*

Thomas de Beaumets LVII. Archiepiſcopus à Laudunenſi Epiſcopo conſecratur, huic Leodienſis Epiſcopus hominium facit. Rex cæcis Hoſpitale exſtruit, & intereſt tranſlationi Reliquiarum ſancti Quintini.

CAPUT XXXVI.

LUDOVICI Regis peregrinatio in Palæſtinam, eo tempore quo Ivellus receſſit ab humanis, haud parum favit Thomæ de Bellomeſo ad obtinendum Archiepiſcopatum, quem jure ipſi deberi ambigebat nemo, ob teſtatam ſuperioribus annis in tuendis Clericorum juribus fidelitatem. Refert Locrius Canonicatu primùm Atrebatenſi donatum fuiſſe, unde & Atrebati ortum putat, quòd ex cognominis variatione conjectari licet, nam quidam eum vocant de Beaumeix, alij de Beaumets, nonnulli verò de Beaumont, & de Beaumanoir. Andreas du Cheſne in hiſtoria Drocenſi genealogiam ejus texuit accuratiſſimè, aſtque patrem habuiſſe Ægidium Bapalmenſem Caſtellanum dominum de Beaumets, matrem verò Agnetem de Couciaco, Radulfi de Couciaco & Ælidis Drocenſis filiam. Radulfus I. dominus de Couciaco nuptiale fœdus iniit cum Ælide Drocenſi Roberti Franciæ filiæ & Agnetis majoris natu Theobaldi Comitis Campaniæ Branenſis dominæ, ex qua ſuſcepit filios quatuor, & unicam filiam Agnetem nomine, quæ Ægidio Caſtellaneo Bapalmenſi ſociata reliquit Ægidium, Radulfum, & Thomam Remenſem Archiepiſcopum. Sic Thomas conſanguineus erat Henrici de Brana Archiepiſcopi, & Comitis Barrenſis, ex charta, quam in margine citavimus.

De gueules à la Croix dentelée d'Or.

Canonicatus Atrebatenſis, quo Thomas à pueris donatus fuit, ei aditum fecit ad alias dignitates, Henricus de Brana, cui nota erat ejus ſtrenuitas & animi præſtantia, Præpoſituram Eccleſiæ Remenſis cum Canonicatu ei primùm contulit; at ipſe eâ diſcordiâ, quæ exarſit inter Regem & Epiſcopum Belvacenſem, metas prætergreſſus, Regis mandato expellitur ab Urbe: poſtmodum verò captus à dominis de Rumiliaco in vincula conjicitur (ut ſupra ex actis Concilij Sanquintiniani oſtendimus) ſic ex laboribus pro libertate eccleſiaſtica fortiter ſuſceptis cùm ſibi famam comparâſſet, omnium votis Ivello ſuffectus eſt. Sigillum ejus ex una parte præ ſe fert figuram Archiepiſcopi pontificalibus

THOMAS DE BELLOMESO LVII. ARCHIEP.

tificalibus ornamentis induti, ex alia imaginem Virginis Deiparæ cum hoc lemmate : *Mater Dei memento mei.*

An. 1250. Innocentius IV. Lugduni degens bullam ei direxit ſtatim ac electus eſt, quâ declarat quòd cùm Epiſcopus Sueſſionenſis Remenſium Suffraganeorum prior conſecrationi ſuæ adeſſe non poſſit, ob ipſius profectionem extra Regnum, manuum impoſitionem recipere poſſe ab Epiſcopo Laudunenſi, qui eum immediatè ſequitur ; nulla habita ratione cujuſcumque privilegij, quod in contrarium poſſit opponi. Bulla hæc menſe Aprili data eſt, & ſic incipit.

„ Innocentius Servus ſervorum Dei, dilecto Filio Electo Remenſi, „ ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Cùm venerabilis Frater noſter Epiſcopus Sueſſionenſis, qui prior eſt inter Suffraganeos Remenſis provinciæ, moretur ad præſens in partibus tranſmarinis, quia poſt eum venerabilis Frater noſter Epiſcopus Laudunenſis inter alios Suffraganeos dicitur eſſe prior: nos volentes ut ei honor debitus impendatur, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſecrationis munus recipias ab eodem Epiſcopo Laudunenſi, non obſtantibus litteris, quas ſuper eodem recipiendo munere, ab apoſtolica Sede noſceris impetrâſſe. Datum Lugduni VI. Cal. Apr. Pontificatûs noſtri anno octavo.

Hoc anno oppreſſi paſtoralis, perditorum erat manus, qui ad famam capti Regis ſpecie ſacra militia in alienas graſſabantur fortunas.

An. 1251. Patet hoc reſcripto Thomam charactere epiſcopali inſignitum circiter menſem Maium, pactúmque ſtatim iniiſſe cum Capitulo Remenſi pro ſuppreſſione Cancellariæ, poſt Ottoboni Cardinalis promotionem ad Archidiaconatum, quod ab Innocentio IV. quinto Idus Febr. confirmatur anno Pontificatûs octavo. Bellum olim inchoatum recruduit inter Moſomenſes, & caſtri Bullionei accolas, pro munitione juxta fines utriuſque dominij pridem erecta. Thomas ut huic malo occurreret, compellit Henricum Leodienſem ad fidelitatem præſtandam pro feodis ab Archiepiſcopatu Remenſi dependentibus: cùmque de forma præſtationis inter ſe non convenirent, Thoma aſſerente præſtari debere per quatuor Officiarios, Leodienſi verò per duos, conventum tandem hac vice ut per tres tantùm exhiberetur, de cetero ſubmittentes ſe judicio Arnulfi Comitis de Loſene, qui inquiſitor, & arbiter eſſe debebat, ut ex ſequenti pagina amplius conſtabit.

Quod Epiſcopum Leodien. debeat Rem. Archiep. fidelitatem exhibere per octo Barones, vide pontificiũ diploma Innocentij ad an. 1205.

An. 1252. „ HEnricus Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis quòd cùm quæſtio verteretur inter reverendum Patrem Thomam Remenſem Archiepiſcopum, & nos ſuper homagio eidem à nobis faciendo, prædicto Archiepiſcopo dicente quatenus illud eidem per quatuor homines, nobis verò è contrario aſſerentibus quòd non niſi per duos debebat fieri. Tandem „ ad inſtantiam bonorum virorum, pro bono pacis eidem Archiepiſcopo „ homagium per tres homines fecimus, & de quarto homine, per quem „ dixit eidem debere fieri homagium nomine noſtro, prædictus Archiepiſcopus & nos in fidelem noſtrum Arnulfum Comitem Loſene compromiſimus, qui debet inquirere utrum dictum homagium ei debet fieri „ per quatuor homines, & ſi invenerit quòd per quatuor debet fieri, nos „ ei faciemus homagium per quartum : & ſi invenerit quod non debet „ fieri per quatuor, ipſe homagio ei facto per tres à nobis, ut dictum eſt, „ contentus erit, & hoc idem Comes debet terminare infra inſtans feſtum „ Pentecoſtes. Datum Francheval. anno Domini 1252. in feſto Cathedræ „ ſancti Petri.

Innocentius IV. exacto pænè ſeptennio Lugduni, jam ſe tutius in *Italia* poſt mortem Friderici vivere poſſe exiſtimans, eò rediit, & Peruſij ſubſtitit :

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP.

subſtitit, fertur enim cognita Benedictini Ordinis in deterius inclinatione per Gallias, & quòd in multis Monaſteriis à carnibus abſtinentia exoleverat, reformationi ejus intendiſſe; unde reſcripto ad Remenſem Archiepiſcopum ſpecialiter miſſo, hortatur ut ad id ſtudium per ſuam diœceſim ſollerter impendat. Haud minor ei cura fuit de cathedralium Eccleſiarum Canonicis, cùm enim hoc tempore, choro frequentes non adeſſent, ſanxit ut ſingulis Horis denarius pro ſtipendio daretur præſentibus. Idem Pontifex, Conrado Friderici filio, & odij in Romanam Eccleſiam herede, Neapolitanum Regnum, ſpecie illud tuendi, ſacrilegè devaſtante, Siciliam unà cum prædicto Neapolitano Regno Richardo fratri Henrici Regis Angliæ obtulit, memórque exhibiti obſequij à Rege Chriſtianiſſimo, qui tunc in Palæſtina Eccleſias & Xenodochia pro peregrinis inſtaurabat, Indulgentiam decem dierum iis, qui pro eo preces funderent, conceſſit.

An. 1252.

Ex diplomate quo deprecatur Regem ut Talmud Judæorum flammis conſeceret.

Harum Indulgentiarũ meminit B. Thomas in IV. diſtinct. xx. Quæſt. I Art. 3. quæ in annum unum extendit.

Beatus Ludovicus Rex audito piiſſimæ matris obitu domum redire cogitavit, ne ob ſui abſentiam, in Regnum (optima rectrice deſtitutum) Angli & Germani quidquam molirentur: itaque diſciſſis urbibus à barbaris in Syria, reſtitutis, relictiſque paſſim ſuæ liberalitatis & ſanctimoniæ monimentis, conſcenſo navigio Provinciam appellit die Tranſlationis S. Benedicti, poſt ſex annos à ſua profectione. Statim ac à ſuis exceptus eſt, ſeſe munificum exhibuit erga Eccleſiaſticos, quòd horum precibus ſoſpes (maxima licèt exercitûs parte amiſſa) de variis periculis terra, marique evaſiſſet. Inter ſacra loca regaliter ab eo exſtructa & dotata, celebre eſt Xenodochium illud, quod Pariſiis pro excæcatis inſtituit. Tradit Volaterranus præter depactam & numeratam pro redemtione pecuniam, compulſum fuiſſe Ludovicum obſides trecentos ex Nobilibus in Ægypto relinquere, à quibus cùm immani crudelitate Saraceni avulſiſſent oculos, Regem poſtmodum pro iis ſoluto pretio, in Galliam reducendos curâſſe, aluiſſéque ea in domo, quæ cæcis deſtinata eſt, exſtátque adhuc Pariſiis in vico Sancti-Honorij B. Remigio Francorum Apoſtolo ſacra, ut ex charta fundationem confirmante, ſexto Pontificatûs Alexandri IV. anno data, quæ ſic incipit. ***Cùm ſicut ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, te quamdam domum ad opus cæcorum Pariſiis, & in ea Eccleſiam in honorem S. Remigij de novo duxeris conſtruendam, &c.*** Sic igitur licèt prædictum Hoſpitale Ludovici fundatoris nomine, ut plurimùm decoretur, patet evidenter ex bulla Pontificis beato Remigio Regum patrono, & tutelari dicatum fuiſſe. Addit Brulius hunc præ ceteris ſelectum à Ludovico, quòd Æmilius & Cilinia parentes S. Remigij cùm ambo ſenès eſſent, à Mohtano cæco moniti fuerint ſe filium habituros nomine Remigium, cui ſalvandus foret populus committendus, vel quòd idem Pontifex cæcum ſanâſſet, qui ab eo petebat eleemoſynam, ut eſt apud Flodoardum, vel certè quòd Clodovæus Rex Protochriſtianus in Baptiſmo ejus operâ illuminatus fuiſſet.

An. 1254.

Thomas de Beaumets provinciam luſtrabat eo tempore, quo funeſtis diſſidiorum furiis in Flandria miſere cuncta miſcebantur, ob non præſtitam à Margareta Comite Cæſari pro terris imperialibus fidelitatem; cúmque in Prioratu de Fivia prope Inſulam à Monachis ſplendidè excepta fuiſſet, ſcripto declaravit prædictum Prioratum, Monaſterio S. Nicaſij pridem unitum, à giſtis & procurationibus immunem eſſe, quod in novo Chartulario adſervatur.

An. 1255. *Ex Chartul. S. Dion. Rem.*

Anno ſequenti petentibus Sandionyſianis Remenſibus univit Eccleſiam de Layrio, cum Parochia de Lagerio, quòd prioris Eccleſiæ reditus tenuiores eſſent: ***Nos***, inquit, ***bonorum virorum ducti conſilio, Eccleſiam de Layerio dicta Eccleſia de Lagerio ex officio noſtro duximus uniendam an. 1256.*** Unde patet ejuſmodi uniones ſitas eſſe in poteſtate Ordinarij.

Per id quoque tempus (forſan diœceſium provinciæ viſitationem repetens

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP. An. 1257.

tens Thomas Archiepiſcopus) rogatur à Capitulo Sanquintiniano Reliquias incliti Martyris Quintini è veteri theca in novam elegantiorem transferre, quod ſollemni ritu & apparatu præſtitit, adſiſtentibus ſibi ſuffraganeis Epiſcopis Itherio Laudunenſi, Petro Cathalaunenſi, Vermondo Noviomenſi, Gerardo Antbianenſi, Guillelmo Belvacenſi, Jacobo Atrebatenſi, Galtero Tornacenſi, Radulfo Morinenſi, ad prædictam ſollemnitatem ſpecialiter vocatis, cui Ludovicus Rex pariter intereſſe voluit, habens in ſuo comitatu Ludovicum primogenitum, Philippum natu ſecundum, Johannem Comitem Sueſſionenſem, Simonem Nigellanum, Ægidium le Bruh Franciæ Conſtabulum, alioſque permultos utriuſque ordinis & præfecturæ viros prædictæ Tranſlationi, quæ ſecundâ Septem. an. 1257. contigit, omniumque celebrior, quæ antea exſtiterant. Alexander IV. illuſtriorem reddere cupiens, omnibus qui intereſſent centum quadraginta dies Indulgentiarum conceſſit, & quadraginta in anniverſario, Rexque Ludovicus ſui cultûs, & obſervantiæ pignus erga Viromanduorum, ac provinciæ Remenſis tutelarem patronum teſtaturus, ſuo diplomate Epiſcoporum ſigillis munito, hujuſce Tranſlationis feſtum omnibus Francis commendavit.

Sanctus Ludovicus Remis exſiſtens Archiepiſcopum cum Scabinis conciliat, partem Reliquiarum ſancti Nicaſij obtinet, cujus feſtum per provinciam decreto apoſtolico commendatur. De ceſſatione à Divinis, & fœdere cum Leodienſi pro Duziaco.

CAPUT XXXVII.

THOMAS Archiepiſcopus, poſt exhibitum ſollemni Tranſlatione Viromanduorum Apoſtolo tutelari obſequium, Regem enixè precatur, ut Remos accedere velit pro juribus explicandis, quæ dudum inter ſe, & burgenſes agitata, diſcordiarum ſegetem ſubinde miniſtrabant. Rex ut erat pacis ſtudioſus aliquot menſes huic rei impendit, perpenſisque rationibus ab utraque parte allegatis, harum jura certis iterum diſtinxit capitibus, quæ cùm regio dipomate ſigillatim referantur, hoc evulgare profuturum judicavi.

Ex archetypis tabulis deprom.

„ Ludovicus Dei gratiâ Franc. Rex. Noverint univerſi præſentes pariter & „ futuri, quòd cùm dilectus & fidelis noſter Thomas Archiepiſc. quæſtio„ nes haberet diverſas contra cives Remenſes, & dicti cives contra eumdem „ Archiepiſcopum, tandem Remis acceſſimus de pace, quæ per gentem „ noſtram tractari fecimus, quæ fuit inter eos reformata, & recitata coram „ nobis ſub hac forma. Super eo quod dicti dicebant quòd Archiepiſcopus „ eos deſeſiverat de clavibus portarum civitatis Remenſis, quas cuſtodie„ bant ab antiquo, & eis traditæ fuerant à bonæ memoriæ Philippo Rege „ Franc. avo noſtro, ut dicebant, & petebant ſaiſivam clavium ſibi reſtitui; „ ſic fuit ordinatum, & à civibus conceſſum, quòd de dictis clavibus no„ ſtram faceremus voluntatem. Nos verò attendentes ex tenore quarum„ dam litterarum prædicti avi noſtri, quòd idem avus noſter per eaſdem „ mandaverat, & præceperat eiſdem civibus, ut redderent eaſdem claves „ Alberico olim Remenſi Archiepiſcopo; veſtigia ipſius prædeceſſoris „ noſtri ſequentes, ordinavimus quòd dictæ claves, quæ ad Archiepiſcopum pertinent,

Digitized by Google

pertinent, penes eum remanerent. Item ſuper eo quod Remenſes dicebant Archiepiſcopum bannos &c. " THOMAS DE BELLOM. L VII. ARCHIEP. An. 1257.

Tradit Joinvillæus, quamdiu Rex his litibus dirimendis Remis commoratus eſt, placita perſonaliter tenuiſſe, óbque ſummam in judicando æquitatem tanto in pretio habitum apud exteros, Burgundiones præſertim, & Lotharingos, ut plures ex iis eò diſceptaturi venirent, eique diſcordias eorum componenti morem gererent. Res quoque Monaſteriorum à prædeceſſoribus collatas, poſt authographum ſibi exhibitum, confirmâſſe probant imprimis litteræ pro villa de Hundiliacacurte Remis ſubſignatæ, menſe Martio anno 1257. & aliæ quædam in Archivis Monaſteriorum adſervatæ. Contigit eo apud nos moram faciente, B. Nicaſij nomen innumeris miraculis inclareſcere per ſacras Reliquias, quæ ab Eccleſiaſticis circumferebantur ad pecuniam corrogandam: Rex qui ſacram ſui palatij Capellam ex pretioſioribus Orientis gazis nuper ditârat, quamdam incliti Martyris partem ab Eccleſia Remenſi, antequam Urbe excederet, poſtulavit, quæ haud ita poſt ejus diſceſſum (thecâ ſollemniter apertâ) ad eum miſſa eſt, ut ſubjectæ teſtantur litteræ, quas ex Tabulario prædictæ regiæ Capellæ excerpſimus.

Excellentiſſimo domino ſuo Ludovico Dei gratiâ illuſtri Francorum " Regi, Thomas ejuſdem miſeratione Remenſis Archiepiſcopus, H. Præ- " poſitus, H. Decanus, P. Cantor, ceteríque Remenſis Eccleſiæ FRATRES " ſalutem in Domino. Excellentiæ veſtræ volumus eſſe notum, quòd nos " anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo, in die " ſancti Laurentij Martyris poſt Matutinas chori noſtri, feretrum reveren- " tiſſimi Martyris S. Nicaſij cum magna veneratione ibidem quieſcentis, " cum magna difficultate ad preces veſtras aperuimus, & exinde unam de " coſtis ipſius pretioſiſſimi Martyris inde cepimus, quam vobis ſub noſtro- " rum ſigillorum teſtimonio mittimus. "

Actum anno, & die prædictis. "

Quanta verò pietate, & reverentia pretioſiſſimum hoc pignus Rex & Canonici exceperint, certius à nobis evulgari non poteſt, quàm ex laudabili conſuetudine, quæ inde emanavit, celebrandi feſtum S. Nicaſij in prædicta regia Capella XIV. Decemb. quod tunc Regis juſſu in Calendario ſub nota Duplici inſcriptum fuiſſe arbitramur.

Ceterùm beatiſſimi Nicaſij nomen, virtutémque per diœceſim, provinciámque Remenſem mirum in modum inclaruiſſe reperio hoc præſertim tempore, quo ad inſignis fabricæ perfectionem Fideles ſubſidium conferebant; hujuſce probationis inſtar mihi erunt litteræ apoſtolicæ, quas hîc ut teſtimonium omni exceptione majus proferemus.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Con " ventui Monaſterij S. Nicaſij Remenſis Ordinis ſancti Benedicti ſalutem & " apoſtolicam benedictionem. Licèt is de cujus munere venit, ut ſibi à Fi- " delibus ſuis dignè & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis &c. " Cupientes igitur ut Eccleſia veſtra, ad quam ob miracula quæ propter " merita S. Nicaſij ibidem Dominus operatur, peregrinorum & aliorum " innumera confluit multitudo, congruis honoribus frequentetur, omnibus " verè pœnitentibus, & confeſſis qui ad Eccleſiam ipſam causâ devotionis " acceſſerint, ſingulis diebus de omnipotentis Dei miſericordia & BB. Petri " & Pauli Apoſtolor. ejus auctoritate confiſi centum dies de injuncta ſibi " pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Viterbij XV. Cal. Auguſt. " Pontificatûs noſtri anno tertio. "

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis Filiis Abbati & "

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP. *An.* 1257.

„ Conventui Monasterij S. Nicasij Rem. salutem & apostolicam benedictionem. Licèt is de cujus munere venit, &c. Cupientes ut Ecclesia „ vestra, cùm propter miracula quæ ob merita ipsius Sancti ibidem Dominus operatur, &c. Omnibus verè pœnitentibus, & confessis qui Ecclesiam ipsam in festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis Matris Domini, „ ac Nativitatis necnon Resurrectionis dominicæ, Pentecostes, Omnium-Sanctorum, beati Lucæ Evangelistæ, necnon ipsius sancti Nicasij, ac per „ octo dies festivitates ipsas sequentes immediatè, singulis annis veneraбiliter visitârint, de omnipotentis Dei misericordia & sanctorum Petri & „ Pauli annum unum de injuncta ipsis pœnitentia misericorditer relaxamus. „ Datum Viterbij XVIII. Cal. Octob. Pontificatûs nostri anno tertio.

Alias item Indulgentias impertit idem Pontifex, qui prædictam Ecclesiam ob miracula & peregrinorum multitudinem visitaverint in singulis festivitatibus Apostolorum, Ascensionis Domini, B. Johannis Baptistæ, ac beati Remigij Confessoris, per octo dies festivitates ipsas immediatè sequentes annis singulis venerabiliter visitaverint. Datum Viterbij VI. Calen. Octob. Pontificatus anno tertio.

„ ALexander Episcopus Servus servorum Dei, universis Christi Fide-„ libus per Remensem, Senonensem, Rotomagensem, & Trevirensem „ Civitates, & diœceses constitutis, salutem & apostolicam benedictio-„ nem. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi „ &c. Cùm igitur dilecti Filij Abbas & Conventus Monasterij sancti Ni-„ casij Remensis, Ordinis S. Benedicti nobis insinuare curârunt Ecclesiam „ ipsius Monasterij, in qua mirabilis in Sanctis suis Dominus multa miracula „ propter ipsius sancti Nicasij merita glorioſa operatur, ædificare cœperunt „ opere plurimùm sumptuoso, & ad hoc eis propriæ non suppetant facul-„ tates, universitatem vestram rogamus, & hortamur in Domino, in remis-„ sione vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis à Deo vobis col-„ latis pias eleemosynas, & grata Deo caritatis subsidia erogetis, ut per sub-„ ventionem vestram dictum opus valeat consummari, & vos per hæc, &

Indulgentia conceditur ab Alex. omnibus qui aliquid impertierint ad fabricæ opus B. Nicasij explendum, intuitu præsertim miraculorum quæ continuò ibidem fiebant per ejusdem Sancti merita.

„ alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æternæ possitis felicitatis „ gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & beator. „ Apostolor. Petri & Pauli omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui eis „ ad hoc manum porrexerint adjutricem, ac iis qui ad dictum Monasterium „ causâ devotionis & peregrinationis accesserint, centum dies de injuncta „ ipsis pœnitentia misericorditer relaxamus, præsentibus post quinquen-„ nium minimè valituris. Datum Viterbij VII. Idus Octob. Pontificatûs „ nostri anno tertio.

Alia item bulla ejusdem Pontificis Alexandri qua festum sancti Nicasij per provinciam Remensem, tam à Clero quàm à populo præcipitur custodiri.

„ ALexander Episcopus Servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus „ Archiepiscopo Remensi, & ejus Suffraganeis, salutem & apostoli-„ licam benedictionem. Omnibus Christianis populis meritorium est San-

Festum B. Nicasij per provinciam Remensem Alexander jubet custodiri.

„ ctorum sollemnia celebrare; sed hoc ab illis speciali ratione requiritur, „ quorum regio pretioſi corporis alicujus Sancti præsentiâ decoratur, & „ ibi præcipuè, ubi virtus altissimi per clara miracula dignatur illius me-„ rita demonstrare Sanè dilectorum Filiorum Abbatis & Conventus „ Monasterij sancti Nicasij Remensis, Ordinis sancti Benedicti fideli rela-„ tione percepimus suavis famæ testimoniis comprobatâ, quòd Dominus

virtutum

Digitized by Google

virtutum ejūſdem ſancti glorioſi ſui Martyris Nicaſij merita ſuis volens declarare Fidelibus, & eos ad venerationem illius in ſpe præmiorum ſpiritualium excitare, in ipſo Monaſterio ubi corpus ejuſdem Martyris (ut dicitur) requieſcit, & in cujus honore ipſum Monaſterium eſt conſtructum, per eum multa miracula jugiter operatur. Quare ipſi Fideles conſiſtentes etiam in remotis, ejuſdem Sancti limina dicuntur in peregrinationis labore, & devotione ſedula, quaſi conitinuè frequentare: his incitatorijs virtutum exemplis ceteros, & ſectatores præcipuè pietatis, perſonas videlicet eccleſiaſticas, ad reverendum ſollemnitatibus debitis ipſum Martyrem ammonendo. Hinc eſt igitur quòd Fraternitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attentè per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus conſtituentes vobis ipſis, & ſubjectis vobis populis prædictum Martyrem apud Deum, propitium Advocatum, anniverſarium diem feſti ſui ſollemniter celebretis, veſtrúmque ſinguli ſimiliter à Clero ſuæ civitatis & diœceſis celebrari faciant, & à laïcis venerabiliter cuſtodiri: ut qui ejuſdem natalitia Martyris condignâ veneratione coluerint, illius in cælis efficacis interceſſionis juvamina ſentiant apud Deum. Datum Anagniæ Id. Febr. Pontificatûs noſtri anno quinto.

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP. *An.* 1258.

Litibus compreſſis, quæ ſubinde renaſci ſolebant inter Archiepiſcopum & Scabinos Remenſes, ſtudio & auctoritate Ludovici Regis, Thomas de Bellomeſo omnem in poſterum amputare cupiens diſcordiarum ſegetem, ac ea reſarcire in quibus burgenſium jura læſa fuiſſe videbantur, ſequens ſcriptum eis tradidit per modum pacti, ſeu tranſactionis, quod à Scabinis nuper evulgatum eſt, & ſic incipit.

THomas Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis in Domino ſalutem. Noveritis quòd cùm plures de civibus noſtris Remenſibus peterent à nobis ſibi fieri reſaiſinas, ad quas (ut ipſi cives dicebant) tenebamur ſecundùm compoſitionem, & pacem habitam inter nos ex una parte, & cives Remenſes ex altera, ſecundùm quod in litteris ſemper illuſtris Regis Franciæ Ludovici continetur. Nos de virorum bonorum conſilio Scabinis Remenſibus dedimus centum libras Pariſienſes, ea conditione & pacto, quòd ipſi Scabini debent nos quictos facere, & procurare ut quicti ſimus de omnibus ſaiſinis, ſive reſaiſinis, quas cives ſuperiùs nominati Remenſes à nobis petebant, &c. Datum anno Domini 1258 in craſtino octabarum Nativit. Beatæ Mariæ Virginis. *An.* 1258.

Idem Archiepiſcopus, cui Capitulum Remenſe ob neſcio quid prætenſæ juriſdictionis litigandi occaſionem haud multo ante præbuerat, ægre admodum tulit, quòd ceſſationem à Divinis propria auctoritate per omnes Urbis ac ſuburbij Eccleſias ſanxiſſet. Hæc mœſtitiæ ſigna, quibus ad iura tuenda paſſim utebantur Canonici, mirum in modum diſplicebant Epiſcopis, unde graviter apud ſummum Pontificem ob id de Capitulis per id tempus conqueſti ſunt, quaſi munus Epiſcopale ſibi vendicarent. Thomas nihilominus ut ſe pacis ſtudioſum, nihilque ſibi gratius eſſe, quàm amicitiam cum Capitulo conſervare, patefaceret, ſcripto recognovit prædictum Capitulum jus habere præcipiendi omnibus Preſbyteris, ac conventualibus Eccleſijs urbis Remorum ac ſuburbij (exceptâ S. Remigij Eccleſiâ) ceſſationem à Divinis, ac eiſdem imperandi ut organa reſumerent.

Noviomenſis Epiſcopus Nicolaum de Roye eandem prorſus diſcordiâ habuit cum Capitulo Noviomenſi Vaſſorum refert fol. 248.

THomas Dei gratiâ Remenſis Archiepiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Notum facimus quòd cùm diſcordia verteretur inter nos ex una parte, & dilectos Filios Decanum & Capitulum Remenſe ex altera, ſuper eo quòd cùm ipſi eſſent in poſſeſſione vel quaſi mandandi Preſbyteris & Eccleſijs conventualibus Civi- *An.* 1258.

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP. *An.* 1258.

„tatis & ſuburbiorum Rem. quòd ipſi ceſſarent ad mandatum dicti Ca-
„pituli, dicto Capitulo ceſſante, EXCERPTA ECCLESIA B. REMIGII,
„& ipſi Preſbyteri, & aliæ Eccleſiæ ceſſarent dicto Capitulo ceſſante, &
„organa reſumerentur ad mandatum dicti Capituli in hoc obedirent, nec
„obedierunt in hoc dicto Capitulo; propter quod dictum Capitulum à
„nobis erat ſpoliatum. Tandem de bonorum conſilio prædictam inhibi-
„tionem revocavimus & revocamus, & prædictos Decanum & Capitu-
„lum reſtituimus ad poſſeſſionem, vel quaſi prædictam, conſenſientes
„quòd prædicti Preſbyteri & Eccleſiæ cèſſent ad mandatum dicti Capituli
Exſtat etiam reſcriptũ Capituli de eadem re ejſdem ferè verbis conceptum pro indemnitate Archiepiſcopi.
„dicto Capitulo ceſſante, & reſumant organa ad mandatum ejuſdem dicto
„Capitulo reſumente. Volumus etiam, & expreſsè conſentimus, quòd
„non poſſit occaſione prædictorum aliquid peti à dicto Capitulo ratione
„damnorum, ſeu expenſarum. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras
„ſigillo noſtro fecimus communiri. Actum anno Domini 1258. die Sabbati
„ante Nativitatem.

Hoc eòdem anno S. Ludovicus Rex ſentiens ſe ære alieno oppreſſum ob expenſas belli ſacri, ſolutioniſque pretij pro redemptione, ſubſidium à ſubditis petere cogitur; cúmque ſui predeceſſores à Burgenſibus Remenſibus vectigal, ſeu talliam nuſquam exegiſſent, quòd Urbis dominium ad Archiepiſcopum ſpectaret; indemnitatem Thomæ tradidit menſe Septembri, faſsúsque eſt præſentem imponi aſſenſu prædicti Archiepiſcopi, & ſine præjudicio ſucceſſorum.

An. 1258. „ Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex, univerſis præſentes litteras in-
„ſpecturis ſalutem. Dilectus & fidelis noſter Thomas Remenſis Archie-
„piſcopus ad inſtantiam noſtram voluit, & nobis conceſſit ut Burgenſes
„Remenſes rogaremus, ut ſubſidium nobis facere velint; nos autem jus
„ejuſdem Archiepiſcopi conſervari volentes illæſum, nolumus ut iſtud
„factum trahatur in conſequentiam, vel quòd per hujuſmodi preces no-
„ſtras de aſſenſu prædicti Archiepiſcopi eiſdem Burgenſibus factas, præfato
„Archiepiſcopo, aut ſuis ſucceſſoribus in poſterum aliquod prejudicium
„generetur. Actum Pariſiis anno Domini 1258. menſe Septembri.

Tradit Chronicon Moſomenſe ortam anno ſequenti Remenſem Archiepiſcopum inter, & Epiſcopum Leodienſem diſcordiam pro villa Duziaco aliquot Synodorum in ea convocationibus celebri: Archiepiſcopus ſiquidem muris hanc cingere aggredienti, obſtitit illico Leodienſis, cum quo lites præteritæ necdum penitus erant compoſitæ; ſatagentibus tamen imprimis Pagi Nobilibus conveniunt ambo pro bono pacis ſub conditionibus ſequenti pagina relatis, quam hîc ut major habeatur fides verbo tenus refero.

Concordia inter Remenſem Archiepiſcopum, & Epiſcopum Leodienſem pro firmitate de Duziaco.

An. 1259. „ HEnricus Dei gratiâ Leodienſis Electus, univerſis præſentes litteras
„inſpecturis ſalutem in Domino. Noverint univerſi quòd cùm diſ-
„cordia verteretur inter nos ex una parte, & venerabilem Patrem Tho-
„mam Dei gratiâ Remenſem Archiepiſcopum ſuper firmitatem de Dou-
„zeio ex altera, tandem de noſtro, & præfati Archiepiſcopi conſilio, pro
„bono pacis, & pace ac tranquillitate tàm Leodienſis, quàm Remenſis
„Eccleſiarum, ac hominum & villarum earumdem, & pro augmenta-
„tione bonorum ac reddituum prædictarum Eccleſiarum, ſuper dicta diſ-
„cordia ordinatum eſt, & compoſitum in hunc modum. Videlicet quòd
„villæ tàm noſtræ, quàm dicti Archiepiſcopi, ſcilicet Sanctus-Memmius,
„Floin, Flaignoel, Ylly, Givonne, Villiers-Sernay, Daagny, la Moin-
tele,

Digitized by Google

tele, Rubecort, Lamercort, Baſeilles, Balans, Poirus, Om pres le Bos, Poirus Mont-Saint-Remy, Sedans, Encombre, Douzei, & Francheval quæ jam ſunt, & aliæ in poſterum erunt communes inter nos, & dictum Archiepiſcopum, in omnibus Juſtitijs, juribus, commodis, utilitatibus, redditibus, dominijs, ſalvamentis, & alijs in quibuſcumque rebus conſiſtant: ita quòd homines dictarum villarum nobis, & dicto Archiepiſcopo facient fidelitatem, & nulla dictarum villarum nos contra Archiepiſcopum, vel Archiepiſcopum contra nos juvabit; ſed quemlibet noſtrûm juvabunt contra quemcumque alium, quando ex parte noſtra erunt requiſitæ: neuter verò noſtrûm conditionem dictarum villarum præſentium, vel futurarum inter dicta loca poterit facere deteriorem. In villis autem quæ non ſunt propriè noſtræ, in quibus tamen habemus ſalvamenta, & chevachias, habebit idem Archiepiſcopus medietatem ſalvamenti & omnium reddituum, proventuum, & obventionum, ſi quam talliam habeat in eiſdem & percipiet, exceptâ chevachiâ, niſi de noſtra voluntate procedat quòd eam idem Archiepiſcopus habeat.

Item conditum eſt inter nos, & dictum Archiepiſcopum, quòd unus noſtrorum malefactorum, ſeu malefactores alterius, aut terrarum ſuarum, qui nec ad diem, nec ad Jus venire voluerint, in terra ſua non receptabit, nec receptari permittet; imò ſi poſſit eum, vel eos commodè capere, & detinere, capiet & detinebit, & capi, & detineri faciet per ſuos Præpoſitos & Ballivos, aut ſervientes, tradendum vel tradendos illi domino contra quem, vel contra cujus terram forefecerit, vel forefecerant. Item nemora proprij dominij noſtri ſita inter aquam & nemus prædicta, noſtra erunt, & noſtra propria remanebunt: ſed ſi continget proceſſu temporis quòd nos faceremus in dictis nemoribus villam, vel villas, vel ſartagia, de quibus proveniret nobis aliquid incrementum, tàm villa, ſeu villæ, quàm incrementum hujuſmodi nobis & dicto Archiepiſcopo communia erunt. Item ille noſtrûm qui prior ſubmovebit homines dictarum villarum communium ad expeditionem, ſeu exercitum ejus, ſubmonitio tenebit & prævalebit; nec per ſubſequentem ſubmonitionem alterius illa vice poterit impediri. Item conventum eſt inter nos quòd forefacta emergentia in villis prædictis communibus ab altero noſtrûm quitari non poterunt antequam indicentur, ſed poſt redditum judicium, alter noſtrûm partem ſuam poterit quitare, & non alterius ſine illius voluntate. Item in villis communibus antedictis, in quibus Major & Juſtitia debent poni per dominum, ſeu dominos dictarum villarum, ponentur Major & Juſtitia de communi aſſenſu noſtro, & dicti Archiepiſcopi. Item receptores reddituum, & aliorum proventuum dictarum villarum communium quolibet anno jurabunt coram mandato noſtro & dicti Archiepiſcopi, quòd ipſi pro utroque noſtrûm portionem reddituum, & aliorum proventuum villarum, in quibus erunt receptores, fideliter levabunt, reſervabunt, & reſtituent utrique noſtrûm, vel mandato noſtro.

Ceterùm uterque noſtrûm promittimus quòd bonâ fide procurabimus erga Capitula Eccleſiarum noſtrarum, quòd prædictæ ordinationi & compoſitioni ſuum præbeant aſſenſum. Promittimus etiam & juramus tactis ſacro-ſanctis Evangeliis, & ad hoc nos per præſentes litteras obligamus quòd contra præmiſſa non veniemus in futurum, & quòd ea obſervabimus bonâ fide. Item conſenſum eſt inter nos, quòd ſi aliqua obſcuritas, vel aliqua verba obſcura contineantur in litteris noſtris, vel dicti Archiepiſcopi, ſuper ordinatione, & compoſitione prædictis conſtitutis, ſtabimus declarationi quam viri venerabiles Magiſtri G. Archidiaconus Leodienſis, & G. Archidiaconus Remenſis Eccleſiæ ſuper obſcuritate hujuſmodi duxerint faciendùm: & ſi dictos Archidiaconos, vel horum alterum decedere contigerit,

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP. *An.* 1259.

Thomas inter fuit collegio Parisium ubi actum de Comitatu Claromontano inter Ludovicum Regem & Comites Pictaviæ & Andegavenſem.

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP. *An.* 1259.

„ contigerit, nos loco Archidiaconi Leodienſis alium, & dominus Archie-
„ piſcopus Remenſis loco dicti Magiſtri G. Archidiaconi Remenſis alium
„ ſubrogabimus, quorum ſubrogatorum declarationi, nos, & dictus Archie-
„ piſcopus ſtabimus, prout de Archidiaconis prædictis ſuperiùs eſt expreſſum.
„ His interfuerunt Magiſter de Brayo Remenſis Eccleſiæ Archidiaconus,
„ Radulfus dictus Flamens dominus de Cauni, Johannes dominus de Car-
„ taigne, Balduinus dominus de Aſmoſes, Ludemarus dominus de Firmi-
„ tate, Jacobus dictus Li Ermite Caſtellanus de Moſon Milites. Vvalterus
„ Canonicus & Pœnitentiarius Morinenſis, Magiſter G. Leodienſis Archi-
„ diaconus, E. Scholaſticus Leodienſis, G. de Marcha Præpoſitus B. Mariæ
„ Trajectenſis, B. Canonicus & Officialis Leodienſis. Nobiles viri Ar. Comes
„ de Lor & de Chinei, G. de Lutelenborch dominus de Durbui, H. do-
„ minus de Mirvant, H. dominus de Hulfalina, & Ægidius dominus de
„ Hirge Caſtellanus de Boüillon Milites. In cujus rei teſtimonium, & per-
„ petuam memoriam nos, & dictus Archiepiſcopus præſentibus litteris ſigilla
„ noſtra duximus apponenda.
„ Actum & datum apud Francheval anno Domini 1259. in octavis Pentec.

Hoc anno B. Ludovic⁹ Anglo reddidit Normanniam & Aquitaniâ ſub clientela Regũ Francia.

Laudunenſis Eccleſiæ nobile privilegium, ab Urbano IV. conceſſum Fratres Pœnitentiæ de Sacco Remis ſtabiliuntur. Thomæ Archiepiſcopi obitus & ſepultura.

CAPUT XXXVIII.

An. 1260.

Vide ſupra pag. 514. *&* 515.

JACOBUS Pantaleo aliàs de Curto-palatio Trecis oriundus, ut dixi, negotia Chriſtianorum Terræ ſanctæ, ut Patriarcha Hieroſolymitanus Romæ curabat, cùm ſummus Pontifex præter ſpem eligitur: ſtatim ac renuntiatus eſt, ſcripſit ad Ludovicum Regem primò, quem ſuæ promotionis certiorem reddit, tum ad Remenſem Archiepiſcopum, ejuſque Suffraganeos, preces ad Deum pro ſuſcepto onere efflagitans. Dolendum quòd tanti Pontificis litteræ perierint, quibus Thomæ Pontificis familiaritas cum eo innoteſceret: illud tamen memoriâ dignum, quòd vix inſignia Pontificatûs acceperat, cùm ſe beneficum erga Laudunenſes, apud quos à pueris nutritus fuerat, hoc ſpeciali privilegio exhibuit, ubi ſic loquitur.

„ URbanus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis Filiis Decano & Ca-
„ pitulo Eccleſiæ Laudunenſis: ſalutem & apoſtolicam benedictionem.
„ Laudabile reputantes non ſolùm efferre laudibus Laudunenſem Eccleſiam,
„ in qua diu laudavimus (dum in minoribus ageremus) Regem cælorum
„ & Dominum, ſibíque devotam impendimus ſervitutem; ſed ſpecialibus
„ eam beneficiis, & gratiis laudabiliter exaltare. Ad id inter alia vertimus
„ noſtræ conſiderationis intuitum & apoſtolicæ diligentiæ ſtudium adhi-
„ bemus, ut multimodis & magnis ipſam attollamus favoribus, & honora-
„ bilibus ac præcipuis privilegiis muniamus: in hoc enim grato Dei habita-
„ culo longa percurrimus tempora, & ibi eccleſiaſticis Officiis, obſequiiſque
„ divinis noſtram mancipavimus ſervitutem.

Vrbanus IV. ea Eccleſia Laudunenſi enutritus.

„ Hæc inquam Eccleſia nos olim per noſtræ ſucceſſus ætatis fovit ut
„ mater, pavit ut nutrix, protexit ut tutrix, edocuit ut magiſtra, & ſicut
„ benefica honoravit. Hæc ſtatim noſtrum primulum primo Canonicatûs,
„ præbendæque beneficio, & poſtea Archidiaconatûs officio adauxit: ibi

noſtra

noſtra ſtudia ſuos primos habuêre profectus, ibi ſuſcepimus noſtrorum honorum primitias, indeque ad alias Eccleſias proceſſimus gradatim aſcendendo, ſemper per proceſſum hujuſmodi provehente Deo Cathedram altiorem. « THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP.

Suavis quidem eſt nobis ipſius Eccleſiæ memoria, & nimia ſui dulcedine reficit, & exhilarat mentem noſtram; ſed ecce nobis ad apicem ſummi Pontificatûs divina operatione promotis, ipſa eadem Eccleſia, quæ nobis Mater exſtiterat, noſtra Filia eſt effecta, ſumúſque noſtræ Nutricis conſtituti Paſtores, & ipſa quæ nos olim multipliciter honoraverat, nunc grandes honores de noſtra munificentia præſtolatur. Unde cùm ad eam benevolentiâ paternâ reſpicimus, mox in nobis illi filialis antiquus, quem gerebamus ad ipſam, reſultat affectus, ſícque ſimul eamdem, & Filiam, & Matrem agnoſcimus, modò Filiam, dudum Matrem. Si ergo ei ſicut Filiæ beneficentiæ dextram aperimus, paternam tantùm affectionem exſequimur; & ſi ei ſpiritualia procuramus commoda, velut Matri filialiter, ſinceritatis ſolummodo debitum adimplemus. *An.* 1260. *Ex Matre ſit Filia Urbani Laudunenſis Eccleſia.*

Ut igitur ipſi Eccleſiæ ſecundùm utrumque affectum plenariè ſatisfiat, convenit ut nos ſibi juxta geminam caritatem in abundantia beneficiorum ſentiat gratioſos. Dignè itaque dictam Eccleſiam ſecundùm dilectionis affluentiam, qua ipſam complectimur, favoris multitudine proſequentes, & volentes eamdem nobili privilegio inſignire, univerſitati veſtræ auctoritate apoſtolica indulgemus, ut in omnes, qui ejuſdem Eccleſiæ bona, ſive quæ ad vos communiter, ſive quæ ad aliquem, ſeu ad aliquos veſtrûm, aut ad Capellanos, ſive Clericos, vel homines de corpore Eccleſiæ, aut quoſcumque alios ..... ipſius Eccleſiæ pertinens invaſerint, vel occupaverint, aut rapuerint, ſeu prædati fuerint, vel vos, aut Capellanos, ſeu Clericos, vel homines, ſive alios prædictos, aut aliquem ex vobis, vel ipſius ſuper hujuſmodi bonis moleſtare, ſeu vobis, aut eis injuriari præſumpſerint, poſtquam de iis, vel per confeſſionem ipſorum, vel aliquem legitimè, vobis, quibus cognoſcendi auctoritatem in hac parte concedimus, conſtiterit, niſi canonicè à vobis commoniti ſatisfactionem de his exhibuerint competentem, poſſitis libere, ſive Clerici fuerint, ſive laïci, appellatione remota, cenſuram eccleſiaſticam proferre, nonobſtante quacumque apoſtolica indulgentia quibuſcumque conceſſa, quibus interdici aut excommunicari nequeant vel ſuſpendi. At ſi ſano uſi conſilio ſatisfactionem impenderint, prolatas propter hoc à vobis in ipſos ſententias, juxta formam Eccleſiæ relaxare, necnon uni, vel duobus, vel tribus ex vobis, quoties expedire videritis in his committere vices veſtras &c. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Hic habet ex privilegio ſuos malefactores excommunicare, & eoſdē relaxare.*

Datum Viterbij quinto Cal. Junij, Pontificatûs noſtri anno quinto.

Ex ſuperiori diplomate patet evidenter quanta nominis, ac privilegiorum acceſſio fiat Capitulis ex inſignium virorum famâ, eruditioníſque claritudine, quos pridem velut ſodales aluerunt, in quo Laudunenſe palmam alijs hoc ſæculo præripuiſſe videtur; cùm Urbani non modò præſentiâ illuſtre fuerit, ſed & Guillelmi Cardinalis A. tituli ſanctæ Praxedis, qui ei in hac dignitate ſuffectus dicitur, Johannis item Decani in Pariſienſi Academia Theologiæ Profeſſoris, Guillelmi de Matiſerve, & Johannis Caetani ejuſdem Eccleſiæ Canonici paullo poſt ad ſummum Pontificatum aſſumpti, cujus exſtat diploma in Archivis Laudunenſibus, quo abſolvit Stephanum Decanum, quòd contra præſtitum ſacramentum, amplius quàm tres menſes ab Urbe abfuiſſet.

Thomas,

Digitized by Google

THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP. *An.* 1261.

Thomas, cui cum tot insignibus viris arcta fuerat necessitudo, regendæ suæ Ecclesiæ interim dabat operam, successivis horis lectioni vacans, ac meditationi, quò se ad ultimum diem præpararet. Narrat Colvenerius scripsisse eum de statu Ecclesiæ Gallicanæ ad Alexandrum IV. sanè vivacioris animi fuisse ante adeptum Præsulatum probant ea, quæ de eo superiùs relata sunt; at paullo post temperatiorem effectum constat, ex propensione ipsius ad lites componendas tam cum Capitulo, quàm cum Scabinis, civibúsque Remensibus, pace nihil carius reputans, cui imprimis studebat præcepto Apostoli. Unde eodem anno compromissum approbat assensu Capituli pro custodia Abbatiæ S. Remigij, cujus hîc appendicem damus è regio Franciæ Tabulario.

An. 1261. » THomas Dei gratiâ Remensis Archiepiscopus, H. Præpositus, H. Decanus, P. Cantor, ceteríque Remensis Ecclesiæ FRATRES » salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quód super quæstione » mota, quæ est inter excellentissimum dominum Ludovicum Dei gratiâ » Regem Francorum illustrem ex una parte, & nos Rem. Archiepisc. ex » altera, super custodia, sive gardia S. Remigij Remensis, de eorum assensu » dicti Regis, & nostro, consentiente Capitulo Remensi ordinatum est inter » dictum Regem, & nos, quòd Johannes de Trecis Archidiaconus, & Philippus Scholasticus Ecclesiæ Bajocensis audiant rationes Regis, & nostras, » & inquirant bona fide de possessione, & proprietate dictæ custodiæ ad » quem pertineat, tam per testes, quàm per instrumenta; & si per legitimam inquisitionem liqueat eis de proprietate, illi adjudicabunt proprietatem, ad quem pertinebit &c. De consensu Regis, & nostro, ac Capituli » electus est mediator Odo Rotomagensis Archiepiscopus &c. Datum » anno 1261. feriâ secundâ post Dominicam quâ cantatur *Reminiscere.*

Fratres Ordinis Pœnitentiæ-de-Sacco vulgariter dictos aliqua tunc fulsisse probitatis opinione per Galliam probabile est, cùm Thomas Archiepiscopus non tam ab iis rogatus, quàm proprio motu, & innata liberalitate locum eis concesserit in banno suo ad Conventum exstruendum, quibus haud multo post succesſêre Augustiniani. At cùm ex privilegiis Minoribus & Dominicanis à sancta Sede apostolica nuper indultis, & graves, & nusquam sopiendæ (ut creditur) emergerent contentiones inter prædictos Religiosos, & Urbium Parochos, ne simile quid Remis accederet, ultro præcavendum statuit articulis quibusdam in concessione insertis, quam hîc ex Tabulario archiepiscopali evulgamus.

An. 1261. » UNiversis præsentes litteras inspecturis, Thomas Dei gratiâ Remensis » Archiepiscopus salutem, & sinceram in Domino caritatem. Noverint » universi quòd cùm Fratribus Ordinis Pœnitentiæ Jesu Christi, qui de » Saccorum Ordine vulgariter nuncupantur, pietatis intuitu dedimus, & » concessimus locum unum in civitate Remensi in banno nostro ad faciendum ædificium, & construendum Monasterium dictorum Fratrum, & » mansionem ipsorum, videlicet locum qui dicitur *aux Anches*, situm in » exitu portæ, quæ dicitur porta *Basel*, versùs portam, quæ dicitur Nova, » cum propriſio, & appenditiis dicti loci, qui dicitur *aux Anches*, certis » metis, & finibus contentum inter duos palos, quorum unus est fixus versùs » portam Novam, & alius fixus est versùs muretos domorum sitarum in » Barbastro, pro ut ibi locus, seu terra arabilis Archiepiscopi prædicti » protenditur versùs sanctum Nicasium, sub annuo censu duodecim denariorum Remensium à dictis Fratribus pro dicto loco nobis, & successoribus nostris in palatio Remensi, vel in porta Martis singulis annis *in* » Nativitate Domini persolvendo. Tali conditione appositâ à nobis, & à dictis

dictis Fratribus recepta, quòd ipsi Fratres nullam exemptionem, aut aliquid aliud quod sapiat aliquam speciem exemptionis à domino Papa, vel ab aliquo alio, aliquo tempore impetrabunt contra nos vel successores nostros. THOMAS DE BELLOM. LVII. ARCHIEP.

Item quòd nec aliquod aliud privilegium in præjudicium jurisdictionis nostræ, vel successorum nostrorum, aut Ecclesiæ Remensis impetrabunt. Tali etiam conditione apposita, & recepta, quòd parebunt mandatis & sententiis nostris & Officialium nostrorum, & ea, ac eas tenebunt, & observabunt. Item quòd salvum erit jus Ecclesiarum parochialium, & quòd ipsi Fratres de juribus Parochorum nihil sibi penitus poterunt vendicare, nec etiam vendicabunt. Item quòd dicti Fratres sine licentia Presbyterorum parochialium cœmeterio suo nullam personam, nisi de suo Ordine fuerit, tradere poterunt ecclesiasticæ sepulturæ. Item quòd prædicti Fratres de prædicto loco ad aliquem alium locum in banno nostro existentem, vel successorum nostrorum, non poterunt se perpetuò transferre, nec postulare, seu procurare transferri. Item quòd nec poterunt dicti Fratres à domino Papa, vel à quocumque alio aliquid impetrare in derogationem, & præjudicium præmissorum, aut alicujus eorum; & si impetraverint, aut quoquo modo fuerit concessum, ipso jure non valebit, nec impetrato, seu indulto, seu concesso aliquatenus utentur. *An.* 1261.

Nos concessionem sub modis, & conditionibus prædictis, & renuntiationes factas dictorum Fratrum privilegiis sibi, aut Ordini eorum concessis, & concedendis, & vallationem præstiti juramenti à dictis Fratribus, & qui in dicto loco sub conditione eorum fuerint pro tempore præstandi de tenendis & observandis modis, & conditionibus prædictis gratas habentes, & firmas habituras promittentes, eas ad perpetuam rei memoriam roboramus, & in testimonium præmissorum his præsentibus litteris sigillum nostrum apposuimus.

Datum anno Domini 1261. mense Augusto.

Thomas post duodecim annos regiminis à consecratione, ex vitæ hujus molestiis ad æternam migrat quietem XVII. Febr. an. 1261. quo anniversarium ejus celebratur in Ecclesia Atrebatensi, cujus pridem fuerat Canonicus. Obituarium Monasterij Vallisscellensis habet Thomam Tolosæ obiisse, indéque corpus delatum, ut jusserat, apud Vallisscellam tumulandum juxta Henricum de Drocis consanguineum suum ac prædecessorem. Fertur Capellaniam dotâsse in Ecclesia Remensi, debita ad quæ Ivellus tenebatur erga Comitem Barrensem persolvisse, ac propriis sumtibus emisse partem seneschalliæ Remensis, nemora de Nivellet, & alia quædam prope Mosomum, cum villa Sancti-Clementis. *An.* 1262.

Necrologium quoque Remense de eo XV. Cal. Martij hæc habet: *Obiit Dom.* THOMAS DE BELLOMESO *Remensis Archiepiscopus, qui dedit nobis molendinum de Preia in potestatibus, & unum furnum apud Bitigniacamvillam, quorum proventus omnes in ipsius anniversario distribuuntur, & centum solidos, quos reddit annuatim Abbatissa de Origny ad petram sitam in medio pratelli claustri in festo S. Martini.*

SEDES VACAT. *An.* 1262.

Lis oritur inter Capitulum Remense, & Ottobonum Archidiaconum Cardinalem pro jure convocandi Synodum Sede vacante. Guillelmo de Tria Decanatum Laudunensem abdicanti alius Cardinalis subrogatur. Festivitatis Corporis Christi initium, bellorúmque Siciliæ sub Carolo Andegavensi.

CAPUT XXXIX.

VIX contigit cathedrales Ecclesias Pastore destitui, quin subinde contentiones emerserint pro jure Vicariatûs, necdum per Canones firmiter stabilito, ut de Remensi aliàs, & clariùs adhúc constabit ex bulla Urbani IV. quæ rixas inter Capitulum, & Ottobonum Archidiaconum & Cardinalem obortas, strictim quidem, sed nervosè aperit. Discordia inde nata, quòd ministri Cardinalis à Canonicorum domesticis audacioribus verbis lacessiti, querelam apud Officialem prædicti Archidiaconi deposuerint: hic auditis testibus, & aliunde certior factus quòd auctoritate Capituli jurgium accepisset, dominium ejus interdicto supponit. Capitulum ad summum Pontificem supplex recurrit, qui dissensionis radicem amputare cupiens, interveniente præsertim ac injuriam remittente Cardin. Ottobono, sententiam abrogat. At licèt generosi animi specimen erga Canonicos exhibuisse videretur, iracundiam comitate detergendo, tantùm abest ut se tanti beneficij memores præbuerint, quin Ottobono jure Archidiaconatûs, ut credebat, Synodum post Pascha convocante per Officialem, ad quam Curati diœceseos die condicto sese præsentes sistere debebant, acriùs in eum invehi cœperunt, denuntiantes per deputatos, Sede vacante jurisdictionem ad Capitulum esse devolutam. Cùmque nihilominus Synodus fieret; hi primùm per deputatos intercedunt, Ottobonum & complices minantur se excommunicationis mucrone percussuros, tum demum excommunicationem promulgant, eósque cum Curatis, qui Officialis mandato convenerant, ab Ecclesia exire compellunt. Doluit vehementer ea re summus Pontifex, & ut se in Cardinalis persona graviter læsum ostendat, auctores scandali sequenti rescripto amarioribus verbis perstringit, inflictámque excommunicationem invalidam esse, probrosam, ac nullam declarat.

Ottobonus Cardinalis Archidiaconus Remensis subjicit interdicto terram Capituli Remensis, Capitulum verò Remense Sede vacante excommunicat eumdem Cardinalem & totam ejus familiam.

Ex veteri MS. Codice bibliotheca Thuana.

„ URbanus Episcopus Servus servorum Dei..... Ind..... Capituli
„ Remensis nova, & inaudita præsumtio, si consonent facta relati-
„ bus, ostendit nobis in experientiæ libro quod legitur: impunitas ausum
„ parit, ausus excessum. De percepta namque à nobis, & dilecto Filio
„ nostro Ottobono sancti Adriani Diacono Cardinali Archidiacono Re-
„ mensi benignitate, idem Capitulum superbiæ concepisse videtur audaciam,
„ & iniquitatem de sibi exhibita mansuetudine parturivit: in eo se nota-
„ bili⁹ exhibens, quòd ingratitudinis vitio, cum ignorantiæ multæ notâ, in-

solentiæ

ſolentiæ temeritatem adjecit. Nuper ſiquidem cùm dilectus Filius Cardinalis, ipſius Officialis in Archidiaconatu Remenſi, propter graves, ut dicebatur, & enormes exceſſus in familiares, & ſubditos ejuſdem Cardinalis, de dicti Capituli mandato commiſſos, in terram dicti Capituli interdicti ſententiam ſe diceret, juſtitia exigente, tuliſſe: nuntijs ejuſdem Capituli propter hoc ad nos, & ipſum Cardinalem recurſum habentibus, idem Cardinalis innatæ ſibi benevolentiæ, ac ſinceræ dilectionis, quam ad dictum Capitulum & Remenſem gerit Eccleſiam profecutor, injurias & exceſſus hujuſmodi quamquam graves, quamquam amaros, quaſi omnino ipſius memoriam exceſſiſſent, benigna remiſſione præteriens, præfatam interdicti ſententiam ad noſtram requiſitionem cum multa benignitatis promptitudine fecit relaxari. Certè ſi dictum Capitulum liberalem exhibitionem hujuſmodi gratiæ, quod debuit, libramine penſaviſſet, ſtudere debuerat ut ipſam erga memoratum Cardinalem, & ſuos, repenſurâ devotionis & gratitudinis compenſaret, & non ſolùm ad perſonam ipſius ſe devotum oſtenderet, ſèd ad jura non injurioſum; imo ad conſervationem ipſorum, quantùm in eo eſſet, conſervatorem favorabilem exhiberet. Verùm idem Capitulum hujuſmodi gratiæ immemor, & ad illam ſe omnino reddens ingratum, immerita compenſatione proſequitur, & injuſta proeul dubio perſecutione; imo iniqua perſecutione potius, ſicut per eumdem Cardinalem intelleximus, recompenſat eidem Cardinali, tàm in ſe, quàm in ſuis injurias pro injuriarum remiſſione retribuens, & pro eo quòd ipſe Cardinalis à ſui juris profecutione deſtitit, ei multiplicia detrimenta in ſuorum jurium exſecutione rependens.

SEDES VACAT. *An.* 1262.

Cùm enim Cardinalis idem, ſicut eo referente didicimus, in plena ſit & pacifica pace convocandi, & tenendi Synodum in civitate Remenſi (prout ad eum ratione Archidiaconatûs prædicti de antiqua, & approbata, & hactenus pacificè obſervata conſuetudine, Remenſi Sede vacante, dicitur pertinere) at dictus Officialis, & quidam familiares ſui, Sede ipſa ſicut adhuc eſt deſtituta Paſtore, auctoritati ipſius Synodum convocâſſent, memoratum Capitulum Archiepiſcopalis juriſdictionis exercitium ad ſe ſpectare, & eam exercere ſe aſſerens, Cardinali prædicto, imo nobis, & Eccleſiæ Romanæ, in ipſo tanto, & tàm nobili Eccleſiæ membro non deferens, Officiali præfato inhibitione facta ne Synodum ipſam tenere, vel de cetero convocare præſumeret, in Cardinalem ipſum, quod etiam auditu eſt horrendum, Officialem & familiares eoſdem, ſi ſemel fieret, excommunicationis ſententiam præſumptione damnabili fulminare præſumſit. Faciens nihilominus Officialem & familiares prædictos excommunicari publicè, ac tamquam excommunicatos de Choro Remenſis Eccleſiæ prædictæ per Gualtherum de Brecis ipſius Eccleſiæ Canonicum ignominiosè repelli; necnon & illos, qui ad Synodum prædictam convenerant, equis, & rebus alijs nequiter ſpoliari: eis qui contra ipſos procederent durius diverſis comminando terroribus, ac eos varijs comminationibus deterrendo. Porro ſolebat hactenus prædicta nobilis Remenſis Eccleſia diſcretis remigare per hujus mundi fluctuoſa remigibus, ſolebat diſcretione gubernari magiſtra, dirigi miniſterio rationis; ſolebat, & adhuc creditur, viros habere ſcientiâ præditos, conſilij maturitate conſpicuos, & morum gravitate maturos. Sed in his, ſi fulcimur veritate narrata, impetus rationem abſorbuit, ſapientiam ipſius ſuperbiæ ventus abſtuliſſe videtur, & præfatum Capitulum in conſiliorum ſuorum multitudine defeciſſe. Subit igitur de his nec immerito nobis, & cunctis audientibus multæ admirationis occaſio. Quis enim non miretur viros providos, viros ſolidos circumſpectione pollere, ſic incircumſpectè, ſic impavidè proceſſiſſe? Quis non miretur tale collegium in tantam inſolentiam conveniſſe, & in Cardinalem auctori-

Ex charta Inno. IV qua majori Archiatrae. prærogativa reſervantur, diſcimus jus habuiſſe convocandi Synodos Sede vacante, eo quòd Archiepiſcopi Vicarium natum eſſet juxta Decretales.

SEDES VACAT. *An.* 1262.

„ tate, imo temeritate propria ſententiam fulminare, nec miniſterio defe-
„ rens, nec miniſtro, & ad ſuæ confuſionis cumulum, non attendens quòd
„ ſi etiam in ipſum juriſdictionem haberet, juris tamen cenſura non pati-
„ tur, propter alterius procuratoris etiam delictum, vel contumaciam, in
„ alterum ferri ſententiam, vel pœnam infligi, per quam à Sacramento-
„ rum communione inſons, ac inſcius excludatur.

„ Nec in prædictis excuſat, ſed accuſat potiùs quòd juriſdictione Archie-
„ piſcopali ſe uti aſſerit, vacationis ejuſdem Remenſis Eccleſiæ tempore,
„ memoratum Capitulum; cùm ſicut idem Capitulum non ignorare dicitur,
„ dum inter bonæ memoriæ Thomam Remenſem Archiepiſcopum, & præ-
„ fatum Cardinalem ſuper certis invicem contendentes articulis exſtiterit
„ per Sedem apoſt. ordinatum, quòd alter in alterius familiam juriſdictionem
„ aliquam non haberet, & ordinatione hujuſmodi non obſtante, quòd in ea
„ præfati Capituli non intervenit aſſenſus, auctoritate ejuſdem Sedis confir-
„ mata, & prorogata fuerit ad utriuſque ipſorum Cardinalis, & Archiepiſcopi
„ ſucceſſores, ſicut in litteris apoſtolicis ſuper hujuſmodi ordinatione con-
„ fectis, inter cetera perſpeximus contineri. Propter quod præmiſſum Ca-
„ pitulum, imo exceſſum prædicti Capituli attendentes omni carere ro-
„ bore firmitatis, illius necnon prædictam ſententiam contra Cardinalem,
„ Officialem & familiares prædictos latam, irritam decernimus, & inanem;
„ & nihilominus eoſdem proceſſum & ſententiam, ac quicquid ex eis ſe-
„ cuturum eſt, quatenus de facto proceſſerunt, penitus revocamus. Ita-
„ que quatenus ſententiam, & proceſſus hujuſmodi, ubi & quando expe-
„ dire videris per te, vel per alium, ſeu alios denuntians penitus eſſe nul-
„ lam, ac revocatos, qui propterea præceſſêre de facto; præfato Capitulo
„ nihilominus diſtinctè præcipias, ut abſque difficultate revocet per ſeip-
„ ſum quidquid in præmiſſis dignoſcitur attentâſſe, inhibendo ſibi diſtric-
„ tiùs, ne in injuriam Cardinalis, Officialis, & familiarum prædictorum
„ ſimilia de cetero attentare præſumat, contradictione non obſtante, ſi Ca-
„ pitulo ſupradicto communiter, vel aliquibus, ſeu alicui eorum ſpecialiter
„ à Sede apoſtolica ſit indultum, quòd ex ſuo, vel inter, aut extra certa
„ loca, ſeu fines, ad judicium evocari non poſſint per litteras apoſto-
„ licas, &c.

„ Ceterùm quia cordi nobis, ſicut & noſtri debitum expoſcit officij, ſub-
„ ditorum errores doctrinâ corrigere, ac exceſſus diſciplinâ debitâ
„ caſtigare, ut tanto exceſſui Capituli memorati condignæ caſtigationis
„ virga non deſit; tàm ipſum Capitulum, quàm memoratum
„ Gualterum, necnon & quatuor de Canonicis Remenſibus, quos
„ magis in præmiſſis intellexeris eſſe culpabiles, peremptoriè per te,
„ vel per alium citare procures, ut infra ſex hebdomadas poſt cita-
„ tionem tuam, dictum Capitulum & idoneum procuratorem, plenum
„ mandatum & ſpecialiter de parendo noſtris beneplacitis ſuper præmiſſis
„ habentem mittat: alii verò perſonaliter compareant coram nobis, re-
„ cepturi pro meritis, & mandatis apoſtolicis parituri. Die autem cita-
„ tionis, &c.

Idem Pontifex Guillelmo de Tria Decanatum Laudunenſem abdicante, quòd perſonaliter reſidere non poſſet ob Cardinalatûs dignitatem nuper ſibi collatam, & alia munia, quæ mentem ejus aliò avocabant, A. Sanctæ Praxedis Cardinalis ei ſubrogatur (omiſſus in Decanorum Laudunenſium catalogo, & varijs ſchedis à D. Luca Dacherio evulgatis) cum onere perpetuam reſidentiam in dicta Eccleſia faciendi, & privilegio percipiendi redditus cujuſcumque Beneficij, quæ tàm ipſe, quàm ſucceſſores in alijs Eccleſijs habere contigerit, hoc reſcripto, quod bibliothecæ Thuanæ debemus.

Urbanus

URbanus Episcopus Servus servorum Dei, Decano Laudunensi. Memores uberum Laudunensis Ecclesiæ quæ nos olim educavit ut filium, & antiqua ejus beneficia, quibus per status varios nos multipliciter honoravit, recenti memoria recensentes, non solum in filialem erga ipsam quem extunc concepimus, & excitamus affectum; verumetiam nobis per Apostolatûs officium, &c. Sanè ad regimen Capituli Laudunensis, cultúmque divinum in eadem Ecclesia culturâ debitâ excolendum, Decani præsentiam perutilem novimus, & necessariam proculdubio reputamus. Propter quod dilecti Filij Guillelmi tituli sancti Marci Presbyteri Cardinalis, per datam sibi à Deo prudentiam, & suæ præeminentiam dignitatis (cùm sint longæ manus potentibus) absens in ipsa Ecclesia præsentiam redoleret: nos cum decens arbitrantes & utile, ut sint in sua quaque regione Pastores, super commissos sibi grèges noctis vigilias observantes instanter, dedimus operam, & instituimus operosè, ut idem Cardinalis Decanatum, quem obtinebat in præfata Ecclesia, resignaret. Ad quod nostris pro eo maximè concurrentibus votis ejus, quòd ipse propriæ salutis avidus, suæque conscientiæ consulens, ab isto onere, de quo vix suæ mentis desiderium curare non poterat, se libenter exonerare curavit.

"SEDES VACAT. An. 1263.

Decani præsentia Ecclesiæ pernecessaria.

Nos ab ipso Cardinali liberâ Decanatûs ejusdem resignatione receptâ, ut deliberatione habita disponeremus de ipso Decanatu consultius, collationem ipsius donationi Sedis apostolicæ reservantes, decrevimus irritum, & inane, si secus de ipsa nostra, vel alia quavis auctoritate contigerit attentari. Porro personam insignem sollicitudinis attentione quærentes &.... Ad te virum famâ præclarum, virum utique tuis claris exigentibus meritis nobis gratum, & in conspectu Sedis Apostolicæ gratiosum virum, sicut à fide dignis hominibus, probatæ virtutis, & probitatis expertæ, convertentes intuitum, te in eadem Ecclesia decrevimus honorandum. Et sperantes quòd actus tuos, illo dirigente qui novit, & semitas rectas eo faciente qui potest, tu in illa fructus honestatis proferens, & honoris, Decanatum eumdem cum omnibus juribus, & & pertinentijs suis, ac nihilominus Canonicatum ipsius Ecclesiæ, cum plenitudine Juris canonici, & præbendam, quos dilectus Filius M. in ea promotionis suæ tempore obtinebat, vacantes ibidem per resignationem liberam discreti Filij Petri de Belica olim ipsius Ecclesiæ Canonici, & Capellani nostri, cui eos post hujusmodi promotionem dicti Electi contulimus, apostolica tibi auctoritate duximus conferendos, dilectum Filium P. A. tituli S. Praxedis Presbyterum Cardinalem investientes tuo nomine præsentialiter de eisdem.

Debet Decanus Laudunensis perpetuam residentiam.

Cetèrum te, ac successores tuos Decanos Laudunenses, qui pro tempore fuerint, teneri volumus, & præsentium auctoritate decernimus ad continuam residentiam faciendam in præfata Ecclesia Laudunensi, & ne de cetero ad quem spectet cura Capituli, ac Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, dubium oriatur, tenore præsentium declaramus, atque statuimus ad te, ac successores ipsos curam hujusmodi pertinere, illámque tibi committimus, decernentes eam prædictis successoribus per Laudunenses Episcopos, qui pro tempore fuerint, cùm per electionem de successoribus ipsis factam confirmari contigerit, committendam. Ut autem residentiæ prædictæ onus levius sub commodi compensatione portetur, tibi, & eisdem successoribus tuis Decanis Laudunensibus eadem auctoritate concedimus, ut in prædicta Ecclesia residentes, rationes, redditus, proventus Beneficiorum ecclesiasticorum, quos tu habes ad præsens, vel tu, aut ipsi successores in Ecclesijs quibuscumque habueritis in futurum, cum ea integritate percipere valeatis, quotidianis distributionibus dumtaxat

SEDES VACAT. *An.* 1264.

„taxat exceptis. Addimus insuper, & auctoritate prædicta statuimus, quòd „tu, & dicti successores tui distributionem eorumdem præfatæ Ecclesiæ „Laudunensis duplicem percipiatis perpetuò portionem, quódque evolutis „duobus mensibus, singulis annis liceat vobis extra Laudunensem Eccle- „siam ad prosecutionem vestrorum negotiorum moram facere, ac fructus „omnium Beneficiorum hujusmodi providè percipere, ac si faceretis in- „terim in Laudunensi ..... & aliis Ecclesiis, in quibus Beneficia ipsa „fuerint constituta, nonobstantibus quibuscumque contrariis sæpefatæ „Laudunensis Ecclesiæ consuetudinibus, vel statutis juramento confir- „matis &c.

Recipit duplicem distributionem.

Graves incidisse per id temporis discordias inter Cives Remenses, & Virdunenses, produnt chartæ Scabinatûs Remensis, ob quas libera commeandi facultas subtracta, vicinioréſque pagi utriusque civitatis, rapinis, & incursionibus fœdè vexati. Causam dissidij omnino reticent, quam veteri odio adscribere possem, quod statim erupit, vel Ecclesiæ Remensis orbitati: nisi quis dicat communem totius oræ, seu regionis fuisse hanc labem, cùm ob schisma Imperij, post Guillelmi Hollandi exitum, digladiantibus inter se Richardo Anglo, & Arragonensi, nec lex, nec timor, nec supplicij pœna populos à latrociniis revocaret, sed cujusque libidini paterent omnia. Tunc enim Alemanni, quò receptas sub Philippo Augusto à Francis injurias vindicarent, hos fines hostiliter depopulabantur; inter hos Lotharingos eò infestiores fuisse puto, quòd sanctus Ludovicus staret à partibus Arragonensis. Quidquid sit, ex litteris Scabinorum Virdunensium Lotharingo idiomate scriptis, patet inducias cum Remensibus factas usque ad mensem Augustum an. 1264. quibus per aliquot adhuc menses protractis, compositæ res, dextræque intermixtæ, & non modò fœdus novum, sed & affinitas contracta.

Urbano IV. adhuc superstite, & auctoritate apostolica decernente, festum Corporis Christi sollemni ritu per totam Ecclesiam feriâ quintâ post Trinitatis Dominicam celebrari cœptum est, cujus initium quidam contigisse scribunt, quòd Presbyteri Italici nutante Fide, sanguis visibiliter effluxerit ex Hostia consecrata, quò pertinax ejus incredulitas convinceretur. Addunt Galliæ Belgicæ Auctores sollemnitatem multò ante Leodij receptam fuisse, revelatione facta B. Julianæ Cong. Cistercienſis Moniali, prædictúmque miraculum induxisse Pontificem ad eorum cultum alacriùs confirmandum, quem deinceps majori apparatu Leodienses peregerunt, Presbyteri cujusdam Cathalaunensis studio, qui ad id bona paterna Ecclesiæ testamento liberaliter erogavit. Sic promovente Presbytero Campano, Urbanus ex Campania Francica ortus, quíque Lauduni adhuc Canonicus exsistens nascentem hanc pietatem obstetricatus fuerat, ad solium Petri evectus decreto corroboravit, quod apud Viennam postea sub Clemente V. lectum, & approbatum est, adstantibus Galliæ & Angliæ Regibus anno 1311. qui per omnes sibi subjectas provincias incredibili Fidelium applausu recipi curârunt: unde quidam MS. codex S. Remigij prædictam refert festivitatem Remis primùm cum pompa, & sollemni apparatu celebratam x. Cal. Julij anno 1318. sub Guillelmo de Tria Archiepiscopo Remensi.

Vide Chapeavillum Hist. Leod. tomo 3. pag 641.

An. 1265. Manfredo Tarenti Principe Friderici Augusti ex pellice filio tyrannidem per Regna Apuliæ, & Siciliæ exercente, Urbanus IV. Carolum divi Regis fratrem Andegavensis, Phocensísque provinciæ Ducem in Italiam accersivit ad capescendum Regnum Siciliæ, illúdque à Manfredo, qui cum Saracenis fœdus inierat, vindicandum. Hic anno 1265 Romam cum insigni comitatu profectus, ab Clemente IV. Urbani successore Regno Siciliæ est inauguratus, ea lege ut in annos singulos quadraginta millia

nummorum

nummorum apoſtolicæ Sedi penderet, Manfredúmque Eccleſiæ hoſtem armis ſubverteret. Ad hanc expeditionem pecuniâ opus erat, quæ belli nervus dicitur, & ſine qua inſigniores apparatus evaneſcunt. Clemens ut in neceſſariis non deeſſet, quod ſitum erat in ſua poteſtate lubens ſuppeditavit, de cetero Rege annuente, decimam partem reddituum eccleſiaſticorum per totam Franciam Carolo attribuit. Capitula cathedralium eccleſiarum (tacentibus forſan Epiſcopis) audito hoc nuntio, & quòd Rex Ludovicus decimam pariter in ſubſidium Terræ-Sanctæ à Pontifice obtinuerat, enciclycis litteris ſe invicem cohortantur ut afflictæ Eccleſiæ ſubveniant, indictóque Pariſiis Conventu tres imprimis provinciæ Remenſis, Senonenſis, & Rotomagenſis Romam ſolemnes procuratores ablegandos decernunt, cum ſupplici hoc libello, quem Quercetanus in Chronicis Normanniæ publici juris fecit.

SEDES VACAT. *An.* 1266.

Iam petierat D. Ludovicus Rex a Prælatis ſuis ſumptus adversus Albigenſes & Raymundum Comitem Toloſanum in Conventu facto Pariſiis an. 1242. & obtinuerat vigeſimam partem reddituum. Item ad impenſas expeditionis Terræ-Sanctæ exegit decimas ſingulorum proventuum univerſæ Eccleſiæ Regni ſui præter vigeſimam decretam in Concil. Lugd. 1ta Matth. Paris ad Henric. III. Angl. Regem pag. 575. & 688

SAnctiſſimo Patri in Chriſto ac domino Clementi divinâ providentiâ « ſacro-ſanctæ, ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Decanus & « Capitulum Remenſe cum ceteris cathedralibus Eccleſiis provinciæ noſtræ « devota pedum oſcula beatorum. Domus Dei, quæ in lapide adjutorij ſu- « per fundamentum Apoſtolorum ſtabilita eſt à Petro, & ejus ſucceſſoribus, « formam ſemper conditionis, & ſtatum incolumitatis accepit; quod enim « ſtipiti rami, quod capiti membra, quod fonti rivuli, hoc apoſtolicæ Sedis « eminenti debent omnes Eccleſiæ, quas ubicumque terrarum religio Chri- « ſtiana fundavit. «

Et quia de manibus cujuſcumque Rectoris & Ducis, totius ſibi populi « commiſſi pendeat ſalus, eo quòd univerſa membrorum compago ex « diſpoſitione capitis informatur, clamat ad veſtram clementiam talis « providentia ſumtibus intolerabilibus exhauſta, plenam reportans de « veſtra Sanctitate fiduciam, poſtulans ut veſtræ poteſtatis conſolatione « reſpiret in his, in quibus deſolatam ſe ſentit & mœrore afflictam. Sanè « novit veſtra ſanctiſſima Paternitas, & in fines orbis terræ credimus « exiviſſe, quantis perturbationibus & preſſuris univerſalis Eccleſia, potiſſi- « mè Gallicana ſit turbata; nunc decimam, nunc duodecimam præſtando, « nunc centeſimam, nunc multarum aliarum exactionum gravamina ſuſtinen- « do, in quibus niſi à Sede apoſtolica plenam poſſit aſſequi libertatem, peſtis « iſta latiſſimè ſe diffundet, & in communi totius Cleri diſpendium « redundabit: præſertim cùm interrogante noſtro Salvatore ſeniorem « Petrum prædeceſſorem veſtrum: ***Reges***, inquit, ***terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, vel ab alienis***? Reſpondit Pe- « trus: ***Ab alienis***. Et exinde intulit Dei filius cujus vices geritis in « terris: ***Ergo liberi ſunt filij***. Ubi Gloſſa HRabani ait: ***Antequam Petrus « ſuggereret, Dominus interrogat, ne ſcandalizentur Diſcipuli ad poſtula- « tionem tributi.*** Quod quidem ſcandalum hodie proh dolor! longè, « latéque diffunditur in Filios totius Eccleſiæ Gallicanæ. Nec mirum, « cùm legatur in ſacro & antiquo Canone, quòd Eſdras Sacerdotibus « & Levitis, & ſanctis Cantoribus templi nullum tributum impoſuerit: « ſed & in libris Regum legitur de ſapientiſſimo Salomone, quòd uni- « verſum populum, qui remanſerat de Amorrhæis, & Hethæis, & Jebuſæis « tributarios fecit, de filijs autem Iſraël non conſtituit Salomon ſervire « quemquam cum tributo. «

Matth. 17 D. 25.

1. Eſd. 7. D. 24.

3. Reg. 9. D. 20.

Tandem quantùm jugum ſervitutis hujus Dei Filio diſplicuerit, fide « oculata, & miſerabili experientia nuper demonſtravit, unde ſpoliati « ſunt

SEDES VACAT. *An.* 1266.

„ſunt veri Hebræi, ad litteram dilati ſunt Ægiptij, & Iſrael anathe-
„mate pollutus coram hoſtibus, licèt inimicis crucis Chriſti, in prælio
„ſtare non potuit, quia anathema decimæ, & duodecimæ per duode-
„cim annos, inventum erat in medio ſui. Ceterùm quòd propter ejuſ-
„modi exactiones orientalis Eccleſia ab obedientia Romanæ Eccleſiæ
„receſſerit, patet cunctis: quòd denique Sacerdotes, Clerici, & Mo-
„nachi per univerſalem Eccleſiam Gallicanam, occaſione hujus decimæ
„minus plenè ſolutæ ſunt ſuſpenſi, excommunicati, & irregulares fa-
„cti, & quàm crudeliter ſint exactæ, turpe eſt oſtendere, impoſſibile
„numerare. Inſuper, clementiſſime Pater, pariter ad memoriam revo-
„cate, qualiter in ſupradictis exactionibus humilis obedientia remune-
„ratur Eccleſiæ Gallicanæ, quia afflictæ afflictio ſuperadditur, miſeræ
„non miſeretur, vulnus ſuper vulnus inducitur, quia princeps provin-
„ciarum facta eſt ſub tributo, cùm ceteris Regnis mundi tantæ ſervi-
„tutis jugum nuſquam imponatur, imo revera jam vulgariter ignomi-
„nioſum proverbium in noſtro Regno vertitur, quòd plus ſunt ſervi
„hodie Clerici, quàm laïci, ut petitâ licentiâ vera loquamur. Cùm
„ergo intellexerimus quòd dominus Ludovicus Rex illuſtris Franco-
„rum veſtræ Sanctitati ſupplicârit, ut decimam, vel aliam quotam
„in univerſa Eccleſia Gallicana veſtra Sanctitas concedere dignaretur ei-
„dem, & per talem conceſſionem ſupponeretur ſancta mater Eccleſia jugo
„perpetuæ, & intolerabilis ſervitutis; idcirco ad pedes veſtræ præcelſæ San-
„ctitatis flexis genibus cordis, & compoſitis manibus cum filijs Iſraël com-
„pulſi ſervitute, cum deploratione provoluti, humiliter & ferventer ſuppli-
„camus, quatenus in iſta ſupplicatione taliter ſe habeat veſtra Sancti-
„tas, quòd ſancta mater Eccleſia temporibus noſtris è varijs oppreſſio-
„nibus reſpiret ad pacem, & de tantis tempeſtatibus ad tranquillita-
„tem reſurgat. Conſervet vos Deus ad ſervandam debitam Eccleſiæ
„Gallicanæ libertatem, & quaſi lux ſplendens, & præfulgens creſ-
„cat uſque in perfectum diem. Amen.

Ex Matth. Paris.

Rex ex ejuſmodi legatione graviter commotus ad ſummum Pontificem de Eccleſiaſticis (priuſquam procuratores Romam perveniſſent) conqueſtus eſt, unde Pontifex hos admodum frigidè ſuſcepit, duriùs eis locutus eſt, ac ſine honore remiſit, decimâque per triennium, ut conditum erat, confirmatâ, minacibus verbis rebelles compeſcuit.

Carolus igitur exercitu conſcripto ex Franciæ Nobilibus, urbiúmque Communijs, Manfredum, ſub quo Saraceni mercede conducti, Italiæque merebant exules, haud procul à Benevento aſſecutus, tres inſtruxit acies, quarum ipſe primam, alteram Richardus Vindocinenſis, tertiam Flandrenſis accepit regendam.... Juvat hîc referre quod habetur in codice MS. bibliothecæ regiæ apud Quercetanum: *Tertiam quoque aciem noſtram perſonæ nobiliſſimorum & robuſtiſſimorum virorum D. Roberti primogeniti Comitis Flandriæ, & D. Iohannis primogeniti Comitis Sueſſionenſis, cum Bellovacenſibus, Viromandenſibus & Remenſibus, tamquam fulgura & coruſcationes terribiles, reddebant ſe hoſtibus tremebundos.* Hinc patet urbium Communias, agentibus Majoribus & Scabinis mandato Regis, ut aliàs in pugna Bovinenſi, Carolo ſuppetias veniſſe, quo ſe Regi gratiores, & obſequentiores redderent. Prælio acriter inito victor evaſit Carolus, inventúſque eſt Manfredus, in acie ex Flandris & Remenſibus inſtructa fortiter decertans, interfectus.

Tomo v. fol. 843.

Johannes

Digitized by Google

JOHAN. DE COURTENAY LVIII. ARCHEPI. An. 1266.

Johannes de Courtenay ex Pariſienſi Archidiacono ſit LVIII. Archiepiſcopus, ſub eo Canonicatus Principes ambiebant. Concilium Compendienſe, Johannis profectio ad bellum ſacrum cum divo Ludovico.

CAPUT XL.

INTERPONTIFICIUM tres circiter annos in Eccleſia Remenſi perſeverâſſe probant litteræ Officialium Remenſium in Tabulariis Monaſteriorum, ſancti Nicaſij præſertim, & ſancti Theoderici adſervatæ, quibus patet menſe Aprili an. 1266. necdum Archiepiſcopum renuntiatum. Quæ autem tantæ moræ cauſa fuerit? an diſſidium quod contigiſſe vidimus Canonicos inter, & Cardinalem Ottobonum; vel potius electorum in ferendis ſententiis diſcors ſententia, haud facilè dixerim: mox tamen patebit inter Johannem de Courtenay & G. Cardinalem S. Marci jurgium exſtitiſſe pro Archiepiſcopatu, quod Urbani auctoritate compoſitum eſt, Johanne ex Canonico Carnotenſi ad ſedem Remenſem promoto: hunc pariter inter Remenſes Canonicos allectum, ut eligi poſſet, teſtatur Clementis Papæ reſcriptum, quo revocat Præbendæ collationem à G. ſancti Marci Cardinale Johanni de Villargio factam per promotionem Curtenaij ad Archiepiſcopatum, vetatque ne in poſterum hujuſmodi collatio Regi præjudicium faceret pro Præbendis Regalium jure vacantibus in Eccleſia, datum Viterbij Idib. Septemb. Pontificatûs anno tertio.

COURTENAY. d'or a trois tourteaux de gueules.

Johannes tamen competitorem habuit prædictum Cardinalem ſancti Marci; at partitis, aut quòd in ferendis ſuffragiis, forſan aliquid non Canonicum incidiſſet, Alfonſus Pictavienſis Comes reſcripſit ad Urbanum IV. in gratiam Johannis conſanguinei, ex charta originali quam hîc ſubjicimus.

Alfonſi Pictavienſis Comit. ad Papam reſcriptum pro Curteneis.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac domino Urbano Dei gratiâ ſummo Pontifici, Alfonſus filius Regis Franciæ Comes Pictavienſis & Toloſæ, ſalutem & cum debita reverentia pedum oſcula beatorum. Cùm in Remenſi Eccleſia tamdiu Paſtoris ſolatio deſtituta, Venerabilis Pater, G. tituli S. Marci Preſbyter Cardinalis ex una parte, & dilectus conſanguineus noſter Johannes de Curtiniaco, pro quo aliàs Sanctitati veſtræ preces porreximus, ex parte alia, ſint electi: nos deſolationi ejuſdem Eccleſiæ, ac vexationi dicti conſanguinei noſtri, qui in eadem electione à multis fide dignis creditur jus habere, compatientes ex animo, Sanctitatem veſtram duximus exorandam, quatenus negotium electionis ipſius, fruſtratoriis dilationibus amputatis, celeriter velitis, ſi placet, concludere, &c.

Ex qua verò ſtirpe prodierit Johannes, quibus parentibus, Auctor genealogiæ Principum de Courtenay nuper editæ copioſè retulit, à quo ea delibavimus, quæ ſubjectæ hiſtoriæ prodeſſe poſſunt.

Ludovicus VI. Rex Francorum, à quo ducunt originem, ex Alice de Sabaudia ſex filios & unicam filiam ſuſcepit, Philippum qui obiit vivente patre, Ludovicum Juniorem, Henricum Archiepiſcopum Remenſem, Robertum Drocenſem, Petrum, & Philippum.

Petrus hic, qui quintus nominatur, uxorem duxit ex familia Curtenenſi magni tunc nominis, etiam apud exteras nationes, ob illuſtres ex ea viros qui bello ſacro interfuerunt. Meminit enim Guillelmus Tyrius Joſlandi

JOHAN. DE COURT. LVIII. ARCHIEP. *An.* 1266.

hujus nominis ſecundi, qui Edeſſam civitatem obſedit, cujus & inſignia refert, omnino iis ſimilia quæ viſuntur in Eccleſia Remenſi. Joſlandus hic fratrem habuit Milonem de Courtenay, qui Comitis Nivernenſis ſororem duxit, ex qua ortus Rinaldus de Courtenay pater Iſabellæ, quæ Petro Ludovici Regis filio jugata, pro ſe, marito, & poſteritate, nomen & inſignia domûs de Courtenay retinuit. Ex prædicto Petro & Iſabella nati quatuor filij & unica filia, Petrus de Courtenay Comes Autiſſiodorenſis ac Imperator Conſtantinopolitanus, qui Joſlandam Flandrenſem Elizabethæ uxoris Philippi Auguſti ſororem duxit; Robertus de Courtenay magnus Franciæ Camerarius, avus Johannis Archiepiſcopi Remenſis; Johannes, & Guillelmus de Tanlay abſque liberis exempti; filia nomine Alix Aimaro Comiti Engoliſmenſi nupſit.

Cambellanus

Robertus de Courtenay natu ſecundus Petri Franciæ filius duxit Mathildem de Meun-ſur-Jeure vel Magduno, ex qua ſex filios ſuſcepit, & unicam filiam Iſabellam nomine, quæ Johanni Comiti Palatino de Burgundia conjuncta eſt; filij ſunt, Petrus, Philippus, Radulfus, Johannes Archiepiſcopus Remenſis, Robertus Epiſcopus Aurelianenſis, & Guillelmus dominus de Champignelle, ac Feritatis-ſupra-Luparam.

Ultimus hic bis nuptui traditus uxorem primùm habuit Margaretam dominam de Veniſſy, tum Agnetem de Charanton, ex qua egreſſi tres filij & totidem filiæ, Petrus de Courtenay ſublatus ſine prole, Robertus Archiepiſcopus Remenſis, & Johannes de Courtenay qui Johannam de Sancerra dominam de Sancto-Briſonio ſuper Ligerim ſibi copulavit. Horum poſteros omitto, quos idem Auctor fuſiùs proſequitur, ſufficit radicem detexiſſe ex qua Imperatores, Reges, ac potentiſſimi Dynaſtæ prodierunt, imprimis verò duo Remenſes Archiepiſcopi, de quibus poſtmodum acturi ſumus.

Nota.

Novus quidam Scriptor habet ad annum 1262. Principes hoc ævo Canonicatus in Eccleſiis cathedralibus haud abnuiſſe, quòd hæ moribus ad praxim Canonum informandis ſeminaria ſint ab Eccleſiæ cunabulis inſtituta, ubi juniores in grege paſcendo tirocinium ponunt. E contra verò Juris-canonici ſtudium Monachis vetitum eſſe, quòd curæ paſtorali ſeſe immiſcere non debeant. Hæc ille. Fateor quidem Principum nominibus Eccleſiarum cathedralium matriculas per id tempus ſplenduiſſe, & in iis, ſi velit, viguiſſe ſcientiam & praxim Canonum.

At cuilibet hiſtoriam curioſiùs perlegenti obvium eſt, à prædictis Nobilibus non ob id potiſſimùm Canonicatus quæſitos, & quidem plures in diverſis cathedralibus Eccleſiis, ſed quòd Sanctione pragmatica cautum eſſet, ut electiones fierent juxta diſpoſitionem Juris, ſcilicet ut ex gremio cujuſque Capituli, quantùm fieri poterat, eligerentur Epiſcopi.

Nunc verò cur ſugillet Monachos, quaſi Canonum ſcientia ſit *illis* interdicta, non video, ſi de Monachis choro mancipatis, aut ad Clericatum promotis loquatur: id quod ſugillando obiicit æquè à vero aberrat, ac illud quod pro ratione ſubjungit, quæ enim vis illa eſt: Regimen Eccleſiarum ad Monachos non ſpectat, ergo Juri-canonico dare operam non debent. Lubens quærerem ab eo, cujuſnam profeſſionis putat eos fuiſſe qui collectioni Canonum tam feliciter inſudarunt? Dionyſium Exiguum intelligo, Anſegiſum, Burchardum, Gratianum, ſex centos alios apud Scriptores recenſitos; ultimus hic tanta laude excelluit, ut quamvis multi alij in hoc genere ſcriptionis laboraverint (inquit Belarminus) ipſe tamen ſolus obtinuit ut publicè in Gymnaſiis prælegeretur. Sed unde habet Monachis interdictam Canonum notitiam? an ex ipſis Canonibus, vel ex Regula Benedictina? imo præceptam illis reperio in Conſtitutionibus Benedicti XI. aliàs XII. Cap. *de Monachis mittendis ad generalia ſtudia.*

Meminiſſe

Meminiſſe debuerat gravis hic Auctor, Hincmarum Remenſem Juris canonici haud ignarum fuiſſe ante adeptum Archiepiſcopatum, ad quem è Clauſtro aſſumptus eſt, paſſimque in Conciliis, ſummorúmque Pontificum Decretalibus præſcribi quonam modo Monachi gerere ſi debeant in electionibus Abbatum, Beneficiorum præſentatione, aliiſque rebus quæ ad praxim pertinent. Taceo quod multa per omnes provincias ſunt Monaſteria, quæ habent Clerum & populum, in quibus Monachi Officialis, Promotoris, & Archidiaconi munere perfunguntur. An ne hoc à regimine Eccleſiæ multum abhorret?

JOHAN. DE COURT. LVIII. ARCHIEP. An. 1266.

Sed hæc ***** dicta ſint, ad Johannem redeo.

Hic canonicè electus menſe Octobri anno 1266. manſit veluti ſtella propriæ diœceſi ac provinciæ affixa, de rebus ſæculi parum omnino, de Cultu divino, ac diſciplina eccleſiaſtica multùm ſollicitus. Fertur obtinuiſſe à ſancta Sede privilegia adversùs Gratias exſpectativas, Reſervationes, & Penſiones ſuper Beneficiis impoſitas, hac ætate & ſequenti admodum frequentes, completáque Eccleſiarum Urbis, ac ſuburbij viſitatione, diœceſim ac provinciam perluſtravit, incipiens à Cathalaunenſi. Exſtat declaratio ab eo ſubſcripta qua fatetur Præpoſitum de Courtizol, qui ſplendidè eum exceperat, immunem eſſe ab obligatione giſtum perſolvendi, quæ ſic incipit: *Iohannes permiſſione divina Remenſis Archiepiſcopus dilecto filio Matthæo Monacho S. Remigij Remenſis Præpoſito de Curteanſorum Cathalaunenſis diœceſis. Licèt Cathalaunenſem diœceſim viſitantes ad Domum tibi commiſſam diverterimus &c. Datum menſe Decembri an. 1267.* An. 1267.

Peragratis deinde Atrebati & Cameraci diœceſibus, per Luxemburgum rediit, recepturus hominium Leodienſis Epiſcopi, pro Caſtellania Bullonij à tribus Equitibus præſtitum in planitie Duziacenſi anno 1269. An. 1269.

Chartæ Cœnobij S. Theoderici prope Remos referunt Johannem Comitem de Roceio quòd Johannis Archiepiſcopi Præpoſitum miſſum ab eo, ad inquirendum de injuriis illatis Eccleſiæ S. Theoderici, per miniſtros ſuos incarcerâſſet, compulſum fuiſſe cum conſortibus in caſtrum de porta Martis ſe recipere, Balliviúmque ſuum, ſeu Præpoſitum hanc ignominiæ notam pro eo, judicio eccleſiaſtico ſubiiſſe, cujus aliquot verba, quæ morem ſæculi ſapiunt hîc patriâ linguâ ſubiicimus.

Et ſi volons que ils Prevoſts de Rouçy qui fut audit outrage, faire le Dimanche des oitives de Noel de porte Mars en cors, ſains coifes treſque juſques en noſtre palais, ou à la pouceſſion de l'Egliſe de Rains ce lon y chante au jour de lors, porte un fuſt ſor ſon col convenable à porter, tel que nos gens ly bailleront, & ouvec ly ſeront dou de ces ſerjans en cors, & ly uns ſera lees de cheveſtre parmy le pis, & en remembrance de ce nous avons &c. l'an 1267.

Interim Bandodachar Sultanus Ægypti Chriſtiani nominis reliquias inteſtinis malis admodum acciſas non modò è Syria expellit, ſed & Tartaros jam pios factos, ac ſuppetias noſtris ferentes vincit, Antiochiámque præſidio vacuam, cum aliis Syriæ civitatibus in poteſtatem redigit. Galli, Angliſque de ferendo afflictis ſubſidio conſilium ineunt, pacéque inter eos compoſita, Angli in Syriam, Ludovicus verò Rex cum filiis Philippo, Johanne, Petro, Guidone Flandrenſi, ceteráque prope Galliæ dignitate in Africam navigare diſponit: ex horum numero Johannem Archiepiſcopum Remenſem fuiſſe prodit vetus quædam nomenclatura, quæ exſtat adhuc in Camera Computorum Pariſiis, ubi hæc verba leguntur:

JOHAN. DE COURT. LVIII. ARCHIEP. *An.* 1270.

Archiepiſcopo Remenſi quatuor millia librarum
Epiſcopo Lingonenſi tria millia librarum
Pro his duobus, triginta equites } *Et his dabitur navis inſtructa.*
Dom. Guillelmo de Courtenay duo millia & ducenta libra.
Habet is decem equites
Et hi in hoſpitio Regis comedent.

Ludovico expeditionis apparatum faciente, Johannes de Courtenay convocat Suffraganeos apud Compendium, Clericos ab oppreſſione Præpoſitorum, ſeu Balliviorum dominorum temporalium vindicaturus, qui nullo diſcrimine bona horum mobilia, equos, ſupellectilem, ſeu pignora auferebant contra libertates eccleſiaſticas. Synodus die Lunæ ante Aſcenſionem cogitur anno 1270. cui ſeſe præſentes exhibuerunt.

Johannes Archiepiſcopus.

An. 1270.

Milo de Bazochiis Sueſſion. Epiſ.	Guillelmus Laudunenſis Epiſcopus.
Varmundus Noviomenſis Epiſcop.	Raynaldus Bellovacenſis Epiſcopus.
Bernardus Ambianenſis Epiſcopus.	Johannes Tarvannenſis Epiſcopus.
Robertus Silvanectenſis Epiſcopus	

Ceteri Epiſcopi interfuerunt per procuratores cum deputatis Eccleſiarum cathedralium : hi omnes parati ad refrænandam malevolorum audaciam, ſanciunt anathemate feriendos invaſores bonorum Eccleſiæ, ac eos præſertim, qui ſpecie Balliviatûs, ac Præpoſituræ, quam tenerent à dominis temporalibus, ſupellectilem Clericorum vi auferre tentarent, modò nota ſit eorum violentia, & admoniti à diœceſanis, ſatisfacere recuſarent. Ex frequenti Synodorum convocatione ob ejuſmodi querelas, patet hoc ævo laicos invidiſſe Clericorum immunitati, cùm hi tanto conatu obniti curarent, referátque Tornacenſis hiſtoria Johannem Epiſcopum, proprium patrem à Piorum conſortio ſegregâſſe anno 1260. quòd eccleſiaſticam libertatem temere violâſſet.

Rex igitur in Africam appulſus, magnis laboribus Carthaginem expugnavit, inde Tunetum clariſſimam urbem obſedit, quam ubi jam ad deditionem propemodum coegiſſet, correptus ventris profluvio mortem obiit ad octavum Cal. Septem. Periêre peſtilentiæ lue præter Regem hac expeditione nobilia capita permulta, in quibus Johannes divi Regis filius, Theobaldus Rex Navarræ Campaniæ Comes : at Carolus Rex Siciliæ, Philippúſque novus Rex Galliæ, Africanæ Barbariæ impoſito tributo in Siciliam ſe receperunt. Ludovicus Rex teſtamento reliquit quindecim libras velatis Virginibus ſancti Damiani urbis Remenſis, & centum libras omnibus Monaſteriis Vallis-Scholarium.

In Regno Navarræ, Briæ & Campaniæ Comitatibus ſucceſſit Theobaldo Henricus frater ejus. *Ex Nangio.*

Utrum Johannes de Courtenay Regem re vera ſecutus ſit in Ægyptum, ibíque, vel in itinere redeundo obierit, incertum mihi eſt : dies obitûs ejus refertur vigeſimâ Auguſti in Obituario Remenſi, in aliis verò vigeſimâ tertiâ, 1270. cùm Sedes hoc anno vacaret menſe Februario, juxta computum Gallicum, quo annus incipiebat à Paſchate. Corpus ejus Remos delatum ſepulturæ traditur prope columnam magni altaris ex parte Evangelij ſub tumba nigri coloris liliis exornata, in qua effigies Archiepiſcopi laminæ cupreæ dudum exarata, quæ nunc ablata eſt cum margine, cui pariter inſcriptum epitaphium. Inſignia domûs de Courtenay videntur adhuc in ciborij pegmate ſuper majus altare ſuſpenſi, & in velo quadrageſimali, quamvis dubium ſit an hæc à Johanne, vel Roberto de Courtenay data ſint.

Philippus

Digitized by Google

SEDES VACAT. An. 1270.

Philippus Audax Remis inungitur à Sueſſionenſi Epiſcopo Sede vacante, an ex mandato Capituli, lites pro expenſis coronamenti exoriuntur.

CAPUT XLI.

JOHANNIS obitum excepit interpontificium trium annorum, quo archiepiſcopali juriſdictione ad Capitulum juxta Canones devoluta, contigit Philippi Audacis inauguratio Remis fieri hoc modo, Philippus Ludovici primigenius, qui patrem in Ægyptum ſecutus fuerat, ſtatim (eo ſublato) Rex ſalutatus eſt ab exercitu, & in Franciamreverſus, primùm cariſſimo parenti juſta exſequiarum celebrari juſſit in Eccleſia Pariſienſi, tum de ſacratiſſima unctione Remis recipiendâ more majorum apud ſe cogitavit. Epiſcopis è curia (qui novello Regi cariores erant) promtum tunc fuit coronationis prærogativam ab eo extorquere; at ne Remenſis Eccleſiæ privilegio vis fieret, Epiſcopo Sueſſionenſi reſervata eſt, quòd prior ſeu Decanus eſſet Suffraganeorum provinciæ Remenſis, ad quem alia munia epiſcopalia à venerabili Capitulo ſæpius remiſſa vidimus. Sic igitur Paribus, aliſque Regni Proceribus Remis exiſtentibus, ut ſollemnitati intereſſent, Milo de Baſochiis Regem inunxit, ac coronavit die Aſſumptionis beatæ Mariæ, juxta Nangium anno 1271. Peracta inauguratione Rex in craſtinum, Baronibus & Prælatis licentiatis, Vermendenſe territorium viſitavit, ubi à Roberto Comite, qui gladium ſeu ſpatham die coronationis detulerat, rogatur Atrebatum venire, unde poſt feſtivam receptionem in Franciam reverſus eſt feſto Decollationis S. Johannis Baptiſtæ. An. 1271.

Sueſſionenſis Epiſcopus, qui vices Archiepiſcopi Remenſis explevera in Philippi inauguratione, Synodum eodem anno apud Sanctum-Quintinum indixit, ubi actum præſertim de bonis eccleſiaſticis, pridem à laïcis occupatis, ſi veteri rerum Remenſium collectioni credatur. At Chronicon de Cocquault refert impeditam Synodum à Capitulo (forſan quòd eo inconſulto convocata fuiſſet) intimatúmque Suffraganeis ab eodem Capitulo ne intereſſent. Addit præterea diſſidium emerſiſſe inter Milonem & Capitulum pridie coronationis pro jure eam faciendi, Capitulo aſſerente quòd cùm tota juriſdictio ad illud eſſet devoluta, jus quoque nominandi Præſulem ab eo pendere, coactúmque tandem Milonem revera ita eſſe ſcripto recognoſcere, quod in Archivis adſervatur: nos capitulares concluſiones hujus temporis tantùm vidimus, quæ de Diacono & Subdiacono mentionem faciunt, qui Miſſæ ſacrificio miniſtrare debent, quorum nominatio penes Capitulum manet.

Quidquid ſit de prærogativæ hujus jure vel conſuetudine; certum eſt quomodocumque fiat, ceremoniam in Eccleſia Rem. ab Epiſcopo extraneo fieri non poſſe abſque aſſenſu Capituli, quod illuſtriſſimus Simon le Gras lubens faſſus eſt, etiam aliquot diebus ante coronationem Ludovici XIV. hoc Gallico reſcripto.

Aujourd'huy

Digitized by Google

SEDES VACAT. An. 1271.

An. M. DC. LIV.

AVjourd'huy cinquiéme jour de Juin mil ſix cent cinquante quatre avant midy, eſt comparu pardevant nous Notaires Gardenottes du Roy nôtre Sire, hereditaires au Baillage de Vermandois à Reims, ſous-ſignés, illuſtriſſime & reverendiſſime Meſſire Simon le Gras Eveſque de Soiſſons, Conſeiller du Roy en ſes Conſeils d'Eſtat & privé, Abbé des Abbayes ſaint Corneille, de Compiegne & de Chartreuve, eſtant à Reims, lequel a dit & declaré, reconnu & confeſſé que le Siege archiepiſcopal vacant, il ne peut faire Office, uy aucune fonction en l'Egliſe noſtre-Dame de Reims au Sacre & Couronnement des Roys, QVE SOUS L'AUTORITE' ET PERMISSION DE MESSIEURS DU CHAPITRE DE LADITE EGLISE. Meſme que les offrandes, & oblations qui ſe font audit jour du Sacre & Couronnement des Roys en icelle Egliſe, appartiennent à la fabrique d'icelle, & que le Sacre qu'il fera Dimanche ſeptiéme du preſent mois EST AVEC LA PERMISSION DESDITS SIEURS DU CHAPITRE DE LADITE EGLISE. Dont, & de ce que deſſus, venerables & diſcretes perſonnes M. Nicolas Bernard Docteur en Droit, Grand-Archidiacre, Jean le Gentil auſſi Docteur en Droit, Vidame, Senéchaux, Preſtres & Chanoines de ladite Egliſe, ayans charge & pouvoir deſdits Sieurs du Chapitre, ont requis le preſent Acte a eux octroyé, pour ſervir & valoir ce que de raiſon, & ont leſdits Seigneur Eveſque, & Sieurs Senechaux ſigné la minute.

Ainſi ſigné Rogier & Leleu.

An. 1272. Ex veteri pariter ſchedula diſcitur Remenſes Canonicos ſæpius in Capitulum convocatos pro electione Archiepiſcopi, diúque inter eos luctatum ob ſuffragiorum diverſitatem, ambitúmque plurimorum, adeo difficilè erat dare diœceſi & provinciæ caput. Unde ex chartis Hoſpitalis Remenſis reperio adhuc Sedem vacâſſe feriâ 2. poſt Dominicam *Quaſi modo* an. 1273. Rex interim, qui Lingonenſem Epiſcopum ad Sedem Remenſem provehi cupiebat, quòd ſecum in bellum ſacrum profectus eſſet, uſus eſt operâ Dunenſis Archidiaconi diœceſis Carnotenſis ad captanda ſuffragia; at hic latenter & callidè vota ad ſe attrahere nitebatur, réſque optimè ſuccedebat, niſi Pontius quidam interceſſiſſet, quòd ſcientia in eo deſideraretur quæ tantæ moli par eſſet, vel etiam ob alios defectus, aut nullitates, ut vocant, in veteri regiſtro contentas; ſic electio irrita fuit hac vice, & in alium diem protracta, Quo nomine Dunenſis hic Archidiaconus vocaretur, prædictus codex non aperit: probabile eſt, ſi conjecturæ valent, alium

alium non fuiſſe præter Petrum Barbet, qui ſolita ſua dexteritate diſſidentes animos ſic pellexit, ut negotium illud pro ſeipſo ad optatum finem feliciter perduxerit. SEDES VACAT. An. 1272.

Ceterùm ex MS. codice jura Scabinatûs Remenſis exponente habetur ſub Philippo Audaci, cùm Archiepiſcopatus vacaret, tum primùm Cives Remenſes coactos fuiſſe ad aliquid ſuppeditandum pro expenſis Coronamenti Regis, hóceque onus omnino ſpectare ad Archiepiſcopum, qui juxta uſitatum ſæculi morem, pecuniam in id impenſam repetebat à Caſtellaniis, aliiſque villis à dominio archiepiſcopali dependentibus. Et quamvis ex donatione Ludovici IV. Remenſis Comitatus prædicto dominio acceſſerit, contendit tamen cives Banni archiepiſcopalis nuſquam aliquid contuliſſe, eo quod immunes & liberi eſſent ab omni ſervitute à tempore Clodovæi Regis, imo ab invaſione Galliarum per Romanos, quibus, necdum ad eos admoto ariete, ſeſe ſubdidiſſent. Verum quidem eſt, & ultro fateor Epiſcopos olim ſolitos fuiſſe ex bonis Epiſcopij Regibus procurationem exhibere, id patet ex epiſtola Hincmari ad Adrianum Papam, chartas item probare in Tabularijs Monaſteriorum adſervatas, ſumtus à dominijs temporalibus ad id expenſos, vel ad ſervitium Regi exhibendum quædam aſſiſia, ut vocant, ſuper ſubditos repeti ſolere. At cùm Remenſis Comitatus pars ſit nobilior dominij Archiepiſcoporum, Caſtellaniæ enim, in quas hanc farcinam rejicit, non ſunt admodum antiquæ; Attiniacum ſcilicet ſub Rodulfo, Septem-Salices ſub Henrico Archiepiſcopis venerunt, Calmiſiacum, & Culmiſiacum ex veteri dominio dependent, & non à Comitatu. Nec ſatis concipi poteſt cur non æquè à Remenſibus, ac alijs ſubditis ejuſmodi ſumtus repeti non poſſint, maximè cùm Auctor codicis probabile putet ad prædictas expenſas teneri Archiepiſcopum ob ſibi collatum Comitatum; alioquin ſi omnino incolæ banni Archiepiſcopi immunes eſſent, onus ſine beneficio Rex ei contuliſſet, & titulum ſine re, quod alienum eſt à regia munificentia. Unde diſcuſſis hinc inde rationibus, ſententiâ Ballivi Viromandenſis dictum eſt Scabinos pro civibus non ſatis probâſſe eos á tali onere eſſe liberos, anno 1272. quod Reges poſtmodum Philippus Audax, & Philippus Pulcer litteris ſuis confirmârunt annis 1274. & 1287.

Probabilius dici poteſt & Archiepiſcopũ ob decimas, & cives ob vectigalia, ad verum hoc onus amplius non teneri.

Petrus Barbet LIX. Archiepiſcopus, intereſt Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. à quo privilegium generale obtinet, Mariam Philippi Regis uxorem inungit.

CAPUT XLII.

IN unum igitur denuo convocatis electoribus, major pars in Petrum Barbeſium, vel de Barbet oculos iterum convertit, eum è multis ambientibus poſt longum Interpontificium ad ſolium evexit. An is è gremio Canonicorum, vel aliunde expetitus, difficile dictu eſt: ſanè per plures annos, admodum paucos è Remenſi ſodalitio, viris alioquin generis nobilitate illuſtribus referto, ad Archiepiſcopatum promotos reperio: quò fit ut ob diſcordias ubique paſſim, cùm de eligendis Præſulibus ageretur, emergentes, jus per Pragmaticam ſanctionem confirmatum ſenſim deſierit. PETRUS BARBET LIX. ARCHIEP. An. 1273.

Cujas verò Barbeſius fuerit, quáve domo oriundus nondum comperi, præter Archidiaconatum Dunenſem in diœceſi Carnotenſi, Canonicatum præterea

PETRUS BARBET LIX. ARCHIEP. *An.* 1274

præterea Noviomenſem tenuiſſe Vaſſorius aſſerit ; chartam deinde proferunt Sammarthani, qua Petrus Barbet Cancellarius Franciæ nominatur an. 1271. an noſter is fuerit, alijs ſit judicium. Electus autem dicitur menſe Januario & aliquot poſt menſes conſecratus anno 1273. Recepto Pallio à Gregorio X. quondam Leodienſi Archidiacono luſtravit diœceſim, & provinciam, ac paullo poſt vocatus ad Concilium Lugdunenſe anno præcedenti indictum, eo profectus eſt cum tribus Suffraganeis menſe Maïo an. 1274. Ubi actum de Terra-ſancta, de Primatu Eccleſiæ Romanæ, & de Græcorum erroribus, decreta quoque decima pars reddituum eccleſiaſticorum in uſum ſacri belli ad ſexcennium, ac leges conditæ de forma electionis ſummi Pontificis, ne deinceps Sedes tanto tempore vacaret. Hoc in Concilio Petrus obtinuit confirmationem omnium jurium ac bonorum Eccleſiæ Remenſis generali privilegio, ſimili omnino ei quod ſupra conceſſum eſt ab Alexandro III. & Innocentio III. ſicque incipit.

Actum etiam eſt contra diſpendioſas vacationes Sedium can. 3.

An. 1274. » GRegorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Remenſi ejúſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in » perpetuum. Injunctum nobis à Deo Apoſtolatûs officium, & eccleſiaſticæ » utilitatis conſideratio nos admonent, & hortantur, Fratres noſtros Epiſcopos, quos honeſtate, ac religione pollere agnoſcimus, ampliori cari» tate diligere, majorémque illis honorem jugiter, & gloriam exhibere. » Eapropter, venerabilis in Chriſto Frater Archiepiſcope, tuis juſtis poſtula» tionibus clementer annuimus, & Remenſem Eccleſiam, cui Deo auctore » præeſſe dignoſceris, ad exemplar felicis recordationis Alexandri & Inno» centij III. prædeceſſorum noſtrorum Rom. Pontif. ſub B. Petri, & no» ſtra protectione ſuſcipimus, &c.

» Datum Lugduni per manum Magiſtri Lancfranci Archidiaconi Per» genſis S. R. E. Vicecancellarij. Tertio Cal. Septem. Indic. ſecunda, » Incarnationis Dom. an. 1274. Pontificatûs verò D. Gregorij Papæ X. » anno tertio.

Petrum Barbet notum Pontifici Gregorio fuiſſe, ac impensè ab eo dilectum probat aliud privilegium, quo eum diſpenſat ab obligatione viſitandi limina Apoſtolorum, niſi de triennio in triennium.

» Gregorius Epiſcopus, &c. Quos ſinceritatis devotio reddit non imme» ritò gratioſos, gratiâ nos decet proſequi ſpeciali, & ut per devotionis » augmentum magis grati reddantur, uberioris benignitatis debent ſentire » favorem, veluti Sedis apoſtolicæ gratiores. Cùm igitur exigentibus ſin» ceræ devotionis tuæ meritis ſpeciali te diligamus affectu, perſonam tuam » gerentes in viſceribus Jeſu-Chriſti, Fraternitati tuæ auctoritate præſen» tium de ſpeciali gratia indulgemus, ut nonobſtante quod de biennio in » biennium Sedem apoſtolicam juramento præſtito viſitare debeas, nonniſi » de triennio in triennium hoc facere tenearis. Datum Romæ in Nonis » Decemb. Pontificatûs noſtri anno quinto.

Elizabethâ Jacobi Regis Aragonenſis filiâ & Philippi Audacis primâ uxore è vivis ſublatâ in Sicilia anno 1270. Rex Mariam Brabantiæ Ducis ſororem duxit apud Vicenas, quam anno 1275. in feſto S. Johannis Baptiſtæ Pariſijs fecit per manum Petri Archiep. Remenſis ſollemniter inungi, ac in Reginam coronari. Gilo Senonenſis Archiepiſcopus, qui ſibi tamquam Pariſienſi Metropolitano prædictum honorem deberi arbitrabatur, coram Romanæ Curiæ Legato Simone ſanctæ Ceciliæ Preſbytero Cardinali graviter conqueſtus eſt, quòd in Eccleſiæ ſuæ præjudicium Regina Pariſijs à Remenſi Archiepiſcopo coronaretur, cùm ex epiſtola Ivonis conſtaret ad Epiſcopum Sedis Belgicæ, quæ eſt Remis, non pertinere extra provinciam ſuam inunctio Regum, vel etiam Reginarum : *Sed*

ex

Digitized by Google

ex parte Regis allegatum fuit, inquit Nangius, *quòd non erat unde posset conqueri Senonensis Archiepiscopus, quoniam Capella Regis Parisius exemta erat, & ideo ratione loci ad ipsum inunctio non spectabat.*

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1275.

Petrus, qui in aula Regis tamquam specialis Conciliarius, & Minister sæpius versabatur, certior factus miraculorum, quæ Deus operabatur per merita sanctissimi Regis Ludovici, cujus memoria, laus, sanctitas in ore omnium, maximè verò Philippi filij ejus, recens & cara erat, suos consulit Suffraganeos utrum Romæ scribendum esset pro ipsius Canonizatione: re apud eos seriò tractata, simul decernunt mittendam sequentem epistolam ad Gregorium X. mense Junio an. 1275. quæ prædicti Regis encomia breviter quidem, sed fideliter & ingenuè exprimit.

Archiepiscopus Remensis & ejus Suffraganei rogant Gregorium X. summum Pontificem, ut Ludovicum IX. Galliæ Regem in album Sanctorum referat.

SAnctissimo Patri ac domino Gregorio Dei gratiâ Summo Pontifici, « *An.* 1275.
Petrus ejusdem miseratione Remensis Archiepiscopus, ejúsque Suf- «
fraganei M. Suessionensis, R. Belvacensis, G. Noviomensis, P. Torna- «
censis, Cathalaunensis, Ambianensis, P. Atrebatensis & R. Silvanectensis « ejusdem gratiâ Episcopi, devota pedum oscula beatorum. Summus Altor « & Pater luminum temporibus his novissimis regionem occidentalem poten- « ter, mirabiliter, & patenter illustrare disposuit, magnum quoddam, & « præclarum lumen ardens simul & lucens, velut solem alterum producens in « medium, ut sui luminis radios diffunderet circumquaque, nec esset qui se à « calore ejus absconderet, & fervore. Sanè lumen hoc solare cælitus nobis « datum accipere possumus solem Regum, lucernam Principum, sanctæ vide- « licet recordationis Regem nostrum clementissimum Ludovicum, cujus vita « per orbem refulget, cujus fama celebris ubique terrarum resonat, cujus me- « moria suaviter redolet, cujus exempla, non solùm apud vicinas aut finitimas « regiones, sed & apud remotas & extraneas nationes suaviter referuntur. «

Quàm laudabilis siquidem, & admirabilis vitæ suæ cursus exstiterit, « quàm commendabilis exitus, quàm intentus divinis semper obsequijs, « quàm devotus ad Deum, quàm fidelis & pius ad subjectum sibi populum, « quàm austerus etiam fuerit ad seipsum, vestram non ignorare credimus « Sanctitatem. Quantùm verò pacificè, quàm honorificè tam populosum « Regnum Deo auctore tamdiu rexerit, qualiter Regnum ipsum præ ceteris « sub eo floruerit, universis regnicolis non solùm glorioſum est recolere, « sed & referre jucundum. Quantus denique zelator propagandæ Fidei, « & Christiani nominis dilatandi fuerit, evidenter ostendit, cùm propriam « hereditatem derelinquens, & patriam, longè geminato peregrinationis « itinere, ut Christi nomen apud infideles, & barbaros dilataret, sua om- « nia cum fratribus & filijs, ac Proceribus inclitis, pro negotio Crucis & Fi- « dei totaliter exponere non expavit. Seipsum tandem in sacrificium offe- « rens, ut Rex ipse vicem redderet summo Regi, qui pro nostra salute se- « metipsum hostiam acceptabilem in ara Crucis obtulit Deo patri, sicque « glorioſus hic Athleta Christi, & Crucis Agonista fidelis in agone prose- « cutionis dicti negotij mortem suscipiens glorioſè, palmam martyrij, cujus « causa non defuit, sicut pia corda sentiunt, non creditur amisisse. «

Hæc quidem, Pater sanctissime vestræ beatitudini præsentibus litteris « fideliter insinuanda duximus, quæ præsentes, si facultas adesset, viva voce « potiùs intimare vellemus, quæ etiam aliis publicantibus non deceret nos, « qui speculatores aliorum, & rectores animarum, licèt insufficientes exsi- « stimus, sub silentio tegere, præsertim cùm post ejus felicem obitum Rex «

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. An. 1275.

„ virtutum, & gloriæ mirificâſſe credatur ſignis & prodigiis Sanctum ſuum, „ ut à multis aſſeritur fide dignis, tam apud ſepulcrum ejus, quàm alias miras „ ſanitatum, & virtutum gratias ipſius opem invocantibus operando miſe- „ ricorditer, ut decebat per ipſum, qui totus, dum viveret, miſericordiæ, & „ pietatis viſceribus affluebat. Ad decus igitur, & honorem divini nominis, „ & Eccleſiæ commodum generalis, ſupplicamus veſtræ Beatitudini tam hu- „ militer, quàm unanimiter flexis genibus cordium univerſi, quatinus in „ multorum bonorum detrimentum non patiatur ulteriùs apoſtolica circum- „ ſpectio tantum lumen abſcondi, cujus elucidatio, ſeu manifeſtatio jamdiu „ deſiderata provenire ſperatur ad augmentum divinæ laudis, & gloriæ, ad „ mundanæ detectionem ſuperbiæ, ad ædificationem Regum & Principum, „ ad communis devotionis fructum, & ad novam ſpiritualium gratiam gau- „ diorum. Conſervet vos Dominus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora „ longiora.

„ Datum anno 1275. menſe Junio.

Idem præſtiterunt Senonenſis Archiepiſcopus & Suffraganei ejus, epiſtolâ ad eminentiſſimos Cardinales pro eadem eccleſiaſtica vindicatione obtinenda, menſe Julio eodem anno, & Gallici Prædicatores menſe Septembri : unde patet Epiſcopos provinciæ Remenſis primos fuiſſe qui Romæ ſupplicârunt pro canoniſmo pontificio ſancti Ludovici. At Papa Gregorius adverſa valetudine correptus juſtæ horum poſtulationi ſatisfacere non potuit : huic autem è vivis exempto Innocentius V. ſucceſſit per quinque menſes, & poſt eum Cardinalis Ottobonus Remenſis Archidiaconus, declaratur an. 1276. nomen aſſumens Adriani V.

An. 1276.

Petrus Synodum Compendienſem cogit ob frequentiores ceſſationes à Divinis, impetitur à Scabinis quòd eorum libertates violaret.

CAPUT XLIII.

NUSQUAM acriùs diſceptatum inter Epiſcopos & Capitula pro juriſdictione, quàm hoc ſæculo, tot ceſſationibus à Divinis, interdictis, & probroſis reparationibus feraci ; ut nihil frequentius in hiſtoriis occurrat, Capitulis pœnas ejuſmodi in libertatum ſuarum violatores decernendi jus habere contendentibus. Tradunt veteres ſchedæ Præpoſitum Archiepiſcopatûs, & aliquot ſatellites, ob injuriam Capitulo irrogatam ad hoc condemnatos, ut nudis pedibus, & capitibus, ſupplicationi, quæ fiebat ad S. Timotheum, cum feneſtris ad collum appenſis intereſſent, Urbémque poſtmodum (quod mirum dictu) interdicto ſuppoſitam, donec Archiepiſcopus pro iis plenius ſatisfaceret. Hiſtoria Noviomenſis è contra refert Guidonem Pratenſem ejuſdem urbis Epiſcopum, Capituli privilegia flocci facientem, ſervientes Canonicorum in vincula conjeciſſe, declarâſſéque è ſuggeſtu ceſſationem ab iis imperatam nullius eſſe valoris : ſic diſſentientibus animis confuſa erant omnia ; Epiſcopi in Capitula lites intentabant, hæc adversùs miniſtros Epiſcoporum.

Scabini verò in Epiſcopos & Capitula, regali conſiſtorio necdum ejuſmodi diſſidia compeſcente, in urbibus præſertim quæ erant dominij eccleſiaſtici, niſi viâ appellationis tunc admodum infrequentis, ut Rex ipſe agnovit, cùm diſcordiam componeret inter burgenſes Remenſis Archiepiſcopi, & banni Capituli accolas, pro ſumtibus inaugurationis, declarans

id

id feciſſe abſque præjudicio juriſdictionis, qua utraque pars in ſuo banno potiebatur.

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1277.

Petrus Barbeſius ſciens quantum ſcandali ex prædictis ceſſationibus, & frequentioribus interdictis oriretur apud populum, huic prudenter occurrendum ſtatuit, & ut quod mente agitabat, canonicè fieret, Compendij provincialem Synodum indicit die Jovis Palmarum anno 1277. cui adfuerunt præter Archiepiſcopum Concilij Præſidem.

Milo Epiſcopus Sueſſionenſis.
Guido Epiſcopus Noviomenſis.
Philippus Epiſcopus Tornacenſis.
Galterus Epiſcopus Silvanectenſis.
Reginaldus Epiſcopus Belvacenſis.
Boſo Epiſcopus Cathalaunenſis.
Henricus Epiſcopus Tarvanenſis.

Hi, auditis quæ ab Archiepiſcopo pro communi omnium ſecuritate proponebantur, ſanciunt fœdus inter ſe ineundum, ſumtùſque ſuppeditandos pro ſuſtinenda lite quæ deinceps oriretur inter quempiam Epiſcopum, & Capitula; útque immunes eſſent ab omni ſimultatis ſuſpicione, ſpondent ſe præſto adfuturos Pariſiis ſingulis annis poſt Pentecoſten, ut his ſuſcipienda maturè, & cum conſilio expenderetur. Dici non poteſt quanto ſtudio his rebus Epiſcopi provinciales incubuerint, quò pontificalis dignitas à Capitulorum privilegiis ſalva eſſet, nec in aliquo labefactaretur: quibus eò vehementiùs laborandum fuit, quòd Legati apoſtolici per Gallias è Collegio Canonicorum, ut plurimùm aſſumti, propenſiores eſſent ad jura eorum ſententiis arbitralibus propugnanda. Inter hos famoſus quidam exſtitit Simon de Bria S. Cæciliæ Cardinalis, Canonicus ac Theſaurarius Turonenſis, qui cùm Judex lectus eſſet oborti litigij inter Petrum Barbet, & Capitulum Remenſe, illud celebri fœdere compoſuit, Simonia Canonicorum, à pleriſque nuncupato, quòd illis omnino faveret.

Legatus hic idem præſtitit Novioduni, ſanxitque Decanum & Capitulum jus habere ex privilegio, malefactores ſuos excommunicandi, *ſine clamore perlato ad Epiſcopum, eòque irrequiſito, & illos abſolvendi ſine aſſenſu Epiſcopi.* Nomine malefactorum intelliguntur ij, inquit, *qui res tam corporales rapiunt, auferunt, occupant, vel invadunt; quàm qui res incorporales, utpote Eccleſiæ juriſdictionem, jura, libertates, immunitates, conſuetudines rationabiles, antiquas, approbatas &c.* Item Capitulum poſſe cathedralem, & alias Urbis Eccleſias interdicto ſupponere, ceſſare à Divinis pro injuria evidenti, lata, tam ex parte Epiſcopi, quàm Caſtellani, & non emendata.

Nominatiſſimus hic ſanctæ Cæciliæ Cardinalis litem pariter diremit inter Nicolaum III. & Philippum Audacem pro Canonicatu Laudunenſi, quo prædictus Nicolaus potiebatur ante adeptum ſummum Pontificatum; cùm enim ſe in clariori fortuna conſpiceret, Legato Cardinali ſcripſit ut prædictum Canonicatum alteri conferret, cui Philippus interceſſit, dictitans Beneficia quæ in curia Romana vacare contingerent, Laudunenſi Eccleſia ſine benedictione exiſtente, ad ſuam collationem pertinere. Exſtant litteræ Nicolai ad Regem, & ad Legatum, quibus patet quanto in pretio tunc prædictæ Urbis Canonicatus apud omnes haberentur.

Nicolaus hic in minori fortuna exſiſtens Canonicus Laudunenſis, Sueſſionenſis & Eboracenſis, rogatu Gregorij X. obtinuerat à Laudunenſi Capitulo, ut quamvis in Subdiaconatûs ordine non eſſet, nec reſidentiam actualem in prædicta Eccleſia faceret, Præbendæ tamen ſuæ proventum reciperet. *Mandamus*, inquit, *vobis quatenus dilecto Filio Iohanni nato nobilis viri Matthæi Rubei civis Romani Concanonicus veſter, non obſtante conſuetudine juramento firmata &c.* Poſtmodum in Petri ſolium evectus, Rege reluctante prædictum Canonicatum alteri contulit, ex litteris quas penes

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1278.

me habeo. Durandus Speculator hujuſce contentionis meminit De Legato §. *Nunc tractemus.*

Vix Petrus cum Capitulo pacificaverat, cùm impetitur à Scabinis, ob violatas ab eo conſuetudines, à Vvillelmo Campanienſi prædeceſſore confirmatas; conquerebantur ſcilicet burgenſes duos à miniſtris Archiepiſcopi captos, ac tormentis expoſitos, quamvis horum criminum rei non eſſent, quæ juxta chartam Ballivio reſervantur, vadémque obtuliſſent ſe ſtaturos in Curia Archiepiſcopi pro Scabinorum judicio ſubeundo. At cùm libertatem obtinere non potuiſſent, à Scabinis tamquam Communiæ protectoribus interventum eſt, iiſque agentibus, ad Parlamentum cauſa devolvitur. Miſſi ab Archiepiſcopo Scabinorum procurationem, ac ſigillum impugnant, dicúntque nec jus Communiæ habere nec ſigillum: Scabini è contra, cùm Remorum civitas inclita ſit, & admodum celebris in Regno Franciæ, eam adinſtar aliarum Scabinatum habere, ac leges antiquas, pro iis præſertim qui bannum Archiepiſcopi incolunt, à tempore quo ei conceſſa privilegia, ac conſuetudines reſtitutæ, ſigillóque uſam conniventibus Archiepiſcopis, quod ex publicis actibus Regi dudum oblatis, ac Ballivio Viromandenſi, facilè probari poſſet. His omiſſis replicant pro Archiepiſcopo, Scabinos & burgenſes uti vaſallos, ac ex dominio eccleſiaſtico pendentes teneri ſe ſiſtere judicio in Curia ſua; aliis id denegantibus, quòd tunc ageretur de violatione privilegii à Rege confirmati. Judicatum die Mercurij poſt octavas Epiphaniæ anno 1279. æquum non eſſe ut res diſceptetur in prædicta Curia, teneríque Archiepiſcopum poſtulationi Scabinorum reſpondere. Huic judicio interfuerunt tamquam Judices Epiſcopus Ambianenſis, Abbas S. Dionyſij, M. Henricus de Verſelay Cancellarius Regis, M. Guillelmus de Micuite Archidiaconus Carnotenſis, Dom. Galterus de Chambly Archidiaconus Conſtantienſis, Dom. Theobaldus de Poucy Decanus Bajocenſis, Decanus item S. Martini Turonenſis, Dux Burgundiæ, Dom. Nivellenſis, Mareſchallus Campaniæ &c.

An. 1279.

Abbas S. Dionyſij, & Ballivius Rotomagenſis rogant Scabinos negotio ſuperſedere uſque ad ſequens Parlamentum; Archiepiſcopus quoque iiſdem intervenientibus, pollicetur ſe emendaturum quidquid Officiarij contra tenorem chartæ, & conſuetudines egiſſent, neque permiſſurum ut deinceps quidquam in contrarium agatur: Scabini verò, ut ſe gratos erga Curiam exhiberent, conſentiunt ut res in eodem ſtatu permaneant uſque ad ſequens Parlamentum in die Baronum.

Ex his patet Scabinorum privilegia, & conſuetudines alio non niti fundamento, quàm chartâ Vvillelmi Campanienſis, júſque Communiæ tunc illis adhuc denegari, quod tamen obtinuiſſe ſub Samſone Archiepiſcopo ſupra vidimus. Chronicon de Cocquault refert Archiepiſcopum per id tempus Scabinos coegiſſe ad reddendam rationem (forſan receptorum) cúmque denegarent, detrectarentque ſtare judicio hominum feodalium Archiepiſcopatûs (alibi Pares vocantur) latâ in eos ſententiâ à prædictis hominibus condemnatos fuiſſe ad repulſam, ſeu recuſationem emendandam.

Petrus Archiepiſcopus domeſticis his expeditus curis viſitat diœceſes provinciæ ſuæ, incipítque ab Atrebatenſi, ubi conſecrat Monaſterium Flinienſe quinto Cal. Junij an. 1279. Sacríſque operatur præſente Philippo Tornacenſi Epiſcopo, Margareta Guillelmi Dampetræ filia prædicti Monaſterij fundatrice, Guidone filio Comite Flandrenſi, & pluribus Abbatibus relatis à Buzelino in Flandro-Gallica. Inde Ciſonium veniens in diœceſi Tornacenſi die Mercurij ante Paſcha, corpus

Digitized by Google

corpus divi Everardi transfert ex veteri theca in novum feretrum præsentibus Johanne Abba divi Theoderici Remensis, Johanne Abba Seniore Cisonienſi, Roberto Abba Cisonienſi electo, & Adam Celliacensi Sacellano Archiepiscopi. Porro Gilla uxor Everardi, filia erat, ut tradunt, Ludovici Pij Augusti & Judithæ Augustæ, & soror Caroli Regis Francorum. PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. An. 1280.

Currente anno 1280. Abbas & Monachi S. Nicasij Remensis, rogatu Mariæ Francorum Reginæ ac Philippi Audacis uxoris, obtinent licentiam ab Archiepiscopo spatium murorum, quod interjacet à vico de Saubourg ad vicum S. Nicasij, claudendi ac propriis usibus applicandi, prout in charta sequenti exprimitur, quam ex Chartulario exhibemus.

UNiversis præsentes litteras inspecturis, Petrus miseratione divina Remensis Archiepiscopus, æternam in Domino salutem. Decet domum Domini sanctitudo, decet etiam ut in sanctis Ecclesiis, & locis ecclesiasticis conversatio sit habitantibus Deo grata, inspicientibus placida, & frequentantibus locum illum sit & videatur honesta, quæ non solum residentes instruat & reficiat; sed & convenientibus ibidem proficiat ad salutem. Attendentes itaque quòd prope Monasterium & Ecclesiam glorioſissimi B. Martyris Nicasij Remensis locus est quidam respectu Ecclesiæ altitudinis eminentis, super fossata videlicet villæ nostræ Remensis, ex quo infra præscripta septa Monasterij per eumdem locum transeuntibus patet aspectus, multáque, sicut intelleximus, quæ referre non expedit, committantur ibidem turpia, & alia inhonesta, præter immunditias ex fœtoribus circumquaque provenientibus, quæ non competunt loco tantæ sanctitatis & nominis honestati. Idcóque propter præmissa, & ob reverentiam Martyris antedicti, ac ipsorum Religiosorum obtentu, & ad preces excellentissimæ dominæ Mariæ Dei gratiâ Reginæ Francorum illustris, quæ locum & inhabitantes eumdem dilectione prosequitur speciali, Abbati & Conventui ejusdem loci concedimus ut ipsi prædictum locum, prout protenditur à vico de Saubourg usque ad vicum S. Nicasij juxta portam, & ab ædificiis ipsius Monasterij, usque ad murum antiquum, qui est supra dicta fossata in latitudine (dummodo super dicta fossata ædificare non possint, nec aliud facere per quod diminui possint ipsa fossata) claudere valeant, & propriis usibus applicare. In cujus rei testimonium & notitiam pleniorem sigillum nostrum præsentibus litteris est appensum.

Petrus imperitit Nicasianis facultatem extruendi murum juxta Vrbis aggerem.

Datum anno Domini 1280. mense Aprili.

Hæc à Philippo Rege confirmantur iisdem ferè verbis anno 1282. Et iterum cùm cives dictam clausuram evertissent pro fortalitiis villæ Remensis faciendis, Philippus Pulcer iteratò concessit prædictis Religiosis ut dictam clausuram reædificare possent; modò permittant ut portæ ab utráque parte exstruantur, per quas transiri possit cum curribus & quadrigis ad murorum ædificationem (quia cives murorum opus resumserant) & opere consummato, portæ lapidibus obturarentur; dans etiam Ballivio Viromandensi in mandatis, ut dictos Religiosos foveat, anno 1296.

Eodem Archiepiscopo diœcesim Cathalaunensem visitante, discordia oritur inter eum, & Canonicos S. Iohannis de Virtuto pro jure procurationis & gisti; Canonicis negantibus se ad id teneri, tum propter tenuiores reditus Capituli, tum etiam quòd nusquam prædecessoribus Archiepiscopis illud solverant: post multas rationes hinc inde propositas, tandem auditis senioribus, eo tenore inter eos depactum est.

Universis

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1280.

» UNiversis præsentes litteras inspecturis, Decanus & Capitulum
» S. Iohannis de Virtuto Cathalaunensis diœcesis salutem in Domino.
» Noverit universitas vestra, quòd cùm discordia verteretur inter veneran-
» dum Patrem & dominum nostrum dominum Archiepiscopum Remensem
» ex una parte, & nos ex altera, super eo quòd idem dominus petebat à no-
Petrum concordat cum Canonicis de Virtuto pro jure procurationis.
» bis procurationem ratione visitationis, nobis in contrarium asserentibus, &
» dicentibus ad defensionem nostram, nos ad eamdem procurationem ratione
» visitationis suæ minimè teneri, tum propter paupertatem, tum quia eam-
» dem procurationem aliàs non solveramus prædecessoribus Archiepiscopi
» memorati, & etiam quia solvebamus ratione curæ Abbati B. Mariæ de
» Virtute. Tandem post multas altercationes super hoc habitas, juxta quo-
» rumdam consilium Concanonicorum nostrorum, qui ab antiquo unum
» denarium auri quolibet anno solvi à nobis Remensibus Archiepiscopis
» procurationis nomine didicerunt, interveniente bonorum consilio, præ-
» dicto domino Archiepiscopo, pro se & successoribus suis hanc composi-
» tionem recipiente pro nobis, & nostris successoribus composuimus in hunc
» modum: videlicet quod nos annis singulis in festo B. Remigij in capite
» Octobris tenemur & confitemur nos teneri ipsi domino Remensi & suc-
» cessoribus in viginti-quinque solidos Turonenses, ratione procurationis
» Remis solvendos eidem, vel sigillifero suæ Curiæ loco sui, quibus so-
» lutis annis singulis, ut est dictum, idem dominus Remensis nihil aliud
» à nobis procurationis nomine poterit petere, vel etiam reclamare, visi-
» tatione sua succedente tempore nihilominus semper salva. In cujus rei
» testimonium sigillo nostro, quo communiter uti solemus in nostris
» agendis, præsentes litteras fecimus communiri.
» Datum anno Domini 1280. die Lunæ ante Pentecosten.

Post decessum Godefridi de Malamonte Episcopi Laudunensis, contigit cum Episcopatu vacare etiam Decanatum Laudunensem, quo potiebatur Iohannes Raynaldus, cujus dispositio vacante prædicta Ecclesia ad Archiepiscopum Remensem spectabat. Invocatâ nihilominus Spiritus-sancti gratiâ Archidiaconus & Capitulum eligunt Stephanum de Villa-Mauri quem Metropolitano præsentant. Cùm autem hujusmodi forma inspirationis apud omnes recepta non esset, postulat idem Stephanus à Nicolao Pontifice ut defectum suæ electionis, si quis intervenisset, apostolica auctoritate suppleret, quod & fecit sequenti rescripto.

Ex Codice MS. bibl. Thuana.

» NIcolaus Episcopus Servus servorum Dei, dilecto filio Magistro Ste-
» phano Decano Laudunensis Ecclesiæ. In nostra propositi præsentia
» constitutus quòd olim Decanatu Ecclesiæ Laudunensis, tunc Pastore
» destituto, vacante, dilectus Filius Archidiaconus, & Capitulum ejusdem
» Ecclesiæ, prout moris est, convenientes in unum Spiritus-sancti gratiâ in-
» vocatâ, te, qui tunc tantùm Canonicus ipsius Ecclesiæ exsistebas, in
» Decanum ejusdem Ecclesiæ, quasi per inspirationem, prout spectabat
» ad ipsos, unanimiter elegerunt, & postmodum venerabilis Frater no-
» ster Archiepiscopus Remensis, ad quem id vacante dicta Ecclesia
» pertinebat, præsentatam sibi electionem hujus, cui se nullus umquam
» manifestè opposuit, vel opponit, auctoritate metropolitica confirmavit,
» túque Decanatum eumdem possedisti ex tunc, & adhuc possides paci-
» ficè, & quietè. Quia nobis humiliter supplicâsti ut cùm forma inspira-
» tionis prædicta in electionibus, sicut asseris, apud omnes non omnino
» sit certa, super hoc tuæ conscientiæ providere paternâ benevolentiâ
» curaremus. Nos itáque ejus supplicationibus annuentes, quod super
» præmissis factum est, ratum, & gratum habentes, ac supplentes de-
» fectum, si quis in his exstitit, ex eo quòd nec dicta forma inspirationis

forsan

forsan ad plenum, nec aliqua ex duabus alijs, ex præmissis in constitutione generalis Concilij super hoc edita fuit in electione hujus observatâ; de apostolicæ plenitudine potestatis illud auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinijs &c. Nulli ergo, &c.

Datum Viterbij IV. Idus August.

PETRUS BARBET LIX. ARCHIEP. An. 1285.

Cùm provinciæ Remensis vastitas, negotiáque subinde emergentia Petrum Archiepiscopum visitationem sæpius intermittere coëgissent, ad summum Pontificem Honorium, qui Nicolao successerat, recurrit pro obtinenda licentia resumendi, seu etiam continuandi prædictam visitationem, ubi ob legitimam causam priùs ipse desijsset, ut videre est ex directo ad eum rescripto, quod subjicimus.

Idem Nicolaus III. prædictum Stephanum absolvit, quòd perectomenses in Curia Rom. Regis negotia curâs ab Ecclesia Laudun. abfuisset contra præstitum juramentum, quo juxta Vib. IV. decretùm duos menses tantùm singulis annis eo abesse posse ad propria negotia prosequenda spopondérat *ex bibl. Thuana.*

HOnorius Episcopus Servus servorum Dei, venerabili Fratri Petro Archiepiscopo Remensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad personam tuam nobis, & apostolicæ Sedi devotam sinceræ caritatis gerentes affectum, quæ postulat aure benigna suscipimus, eáque, quantùm cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Hinc est quòd nos tuis supplicationibus annuentes, ut si Remensem provinciam (prout commissum tuæ sollicitudini officium exigit) visitantem aliquam ipsius provinciæ diœcesim, postquam illam visitare incœperis, eâ non plenè visitatâ, ex aliqua rationabili causa exire contingat ad loca non visitata in ipsa diœcesi visitanda, iteratò redire valeas, quamvis consuetudine, seu constitutione contraria non obstante, auctoritate præsentium indulgemus, præsentibus post triennium non valituris. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud sanctam Sabinam XII. Calend. Febr. Pontificatûs nostri anno primo.

Philippus Pulcer Comes Campaniæ ex parte uxoris Petro Archiepiscopo hominium facit. Pro custodia Monasteriorum Urbis lis oritur. An Rex pecuniam exigere soleret à burgensibus banni archiepiscopalis. Hospitium Remense Parisijs exstruitur.

CAPUT XLIV.

BLANCHA Roberti Comitis Atrebatensis, S. Ludovici fratris filia & Henrici Navarræi Comitis Campaniæ uxor in curiam Franciæ post mariti excessum cum Johanna filia concessit, ut Regum Aragoniæ & Castellæ tyrannidem declinaret, qui ex tunc in Regnum Navarræ inhiabant. Hæc quamdiu superstes fuit, Ecclesijs dotandis, Xenodochijs exstruendis, exornandísque altaribus studium & curam impendit. Tradit Chronicon MS. quinque marcas auri Ecclesiæ Remensi tradidisse pro imagine B. Virginis fabricanda, in qua ea pars sancti lactis inclusa, quam Adrianus V. eidem Ecclesiæ mnemosyni loco miserat statim ac in summum Pontificem electus est.

Ottobon⁹ major Archidiac. Rem. eligitur sum. Pontifex an. 1276.

Johanna Blanchæ filia ac Regni Navarræi, Comitatúsque Campaniæ heres Philippo Pulcro Franciæ primogenito nupsit, qui uxoris nomine inijt possessionem Regni Navarræi, ac prædicti Comitatûs anno 1284. Nangius refert connubium illud ad annum 1285. post obitum Caroli Siciliæ Regis

PETRUS BARBET LIX. ARCHIEP. An. 1285.

liæ Regis: at ex præſtito hominio, pro feodis ab eodem Comitatu dependentibus, patet Philippum heredem Comitatûs Campaniæ anno præcedenti duxiſſe uxorem, ubi Philippus declarat quòd cùm hominium Remis fieri deberet in palatio archiepiſcopali, ex conſenſu tamen Petri Archiepiſcopi Pariſiis præſtitiſſe.

„ Philippus Regis Franciæ primogenitus, Dei gratia Rex Navarræ, Cam-
„ paniæ, Briæque Comes Palatinus univerſis præſentes litteras inſpecturis
„ ſalutem in Domino. Notum facimus quòd cùm venerabilis Pater Petrus
„ Archiepiſcopus Remenſis pro rebus, pro quibus ratione Johannæ conſortis
„ noſtræ tenemur homagium facere Archiepiſcopo Remenſi, illud homagium
„ Pariſiis ad preces noſtras receperit, licèt, ut dicebat, illud in ſuo Remenſi
„ palatio facere teneamur. Nolumus quòd per hoc ſibi, aut ſucceſſoribus
„ ſuis, vel Remenſi Eccleſiæ in poſterum præjudicium fiat. Datum Pariſiis
„ anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo quarto, die Lunæ poſt
„ feſtum *Latare Hieruſalem.*

Haud levis mota contentio eſt his diebus pro cuſtodia Monaſteriorum diœceſis Remenſis poſt obitum Abbatum, Monachis, Archiepiſcopi juriſdictione poſthabita, Regis cuſtodiam ambientibus; & quidem aliis Remigianos exemplo præluxiſſe video, qui cùm aliàs de prædicta cuſtodia cum Archiepiſcopo diſceptâſſent, in Curia Regis iterum decertârunt anno 1285. Regem in poſſeſſione, ſeu ſaiſiva cuſtodia Monaſterij S. Remigij eſſe cum pertinentiis, infra banleucam Remorum conſtitutis, in qua judicio Curiæ, viſis inſtrumentis ex utraque parte productis, conſervati ſunt. Cùm verò lis recruduiſſet inter Procuratorem regium prædictóſque Religioſos ex una parte, & Archiepiſcopum ſub Philippo Pulcro, facta inquiſitione, pro votis areſtum retulerunt.

Nicaſianis res non ita proſpere ceſſit, Johanne ſiquidem Abbate vivis ſublato, eo tempore quo vacabat Eccleſia Remenſis poſt deceſſum Johannis de Courtenay, Procurator Monaſterij Ballivium Viromandenſem evocavit, ut cuſtodiam bonorum prædicti Monaſterij ſuſciperet, eorum præſertim quæ infra limites juriſdictionis epiſcopalis continebantur. Petrus Barbet ſtatim ac renuntiatus eſt, & Archiepiſcopatûs poſſeſſionem *iniit*, prædictos Religioſos ad jus vocavit, dicens cuſtodiam Monaſterij ad ſe pertinere poſt exceſſum Abbatis; cúmque Religioſi id acriter, & ſtrenuè denegarent, Curia Pariſienſis reſcribit ad Gobertum de Lully Equitem, & Galterum Bardin Ballivium Viromandenſem, ut inquirant de veritate, auditíſque teſtibus, & veteribus monumentis perlectis, Matthæus Abbas S. Dionyſij Pariſienſis, & Simon Nigellenſis à Rege deputati cuſtodiam Monaſterij Archiepiſcopo adjudicarunt, menſe Julio anno 1285. ut ex Philippi Pulcri litteris latiùs patebit, deputatorum inquiſitionem verbatim referentibus hoc pacto.

An. 1285.

Philippi Pulcri patentes litteræ pro cuſtodia bonorum Monaſterij ſancti Nicaſij poſt deceſſum Abbatis.

„ PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, univerſis præſentes litteras in-
„ ſpecturis ſalutem. Notum facimus quòd nos litteras dilectorum, &
„ fidelium noſtrorum Matthæi quondam Abbatis S. Dionyſij in Francia, &
„ Simonis quondam domini Nigellæ, tenentium locum cariſſimi domini & ge-
„ nitoris noſtri Philippi quondam Regis Franc. illuſtris vidimus in hæc verba.
„ MAtthæus miſeratione divina Eccleſiæ B. Dionyſij in Francia Abbas
„ humilis, & Simon dominus Nigellæ locum tenentes domini Regis
„ Francorum, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Notum
facimus

facimus quòd cùm in Curia domini Regis contentio verteretur inter dilectum & fidelem domini Regis Archiepiſcopum Remenſem ex una parte, & Abbatem & Conventum S. Nicaſij Remenſis ex altera, ſuper eo videlicet quòd dictus Archiepiſcopus dicebat ſe, & prædeceſſores ſuos Archiepiſcopos Remenſes eſſe ac fuiſſe in poſſeſſione cuſtodiæ, ſive gardiæ Monaſterij ſancti Nicaſij, & bonorum ejuſdem in civitate & bailleuca Remenſi, prædictis Religioſis præmiſſa negantibus, & aſſerentibus dominum Regem eſſe & fuiſſe in poſſeſſione cuſtodiæ, ſive gardiæ Monaſterij ſancti Nicaſij & bonorum ejuſdem. Ad requiſitionem dictorum Religioſorum, à Curia domini Regis datum fuit in mandatis Goberto de Luliaco Militi, & Galtero Bardin Ballivo Viromandiæ, quatenus ſuper præmiſſis ſe informarent, receptis teſtibus quos partes prædictæ ſuper præmiſſis producendos ducerent; viſa informatione prædicta, auditis rationibus hinc inde, ſaiſiva, cuſtodia ſeu gardia Monaſterij ſupradicti & bonorum ejuſdem in civitate, & bailleuca Remenſi fuit adjudicata & reddita Archiepiſcopo ſupradicto. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo regio, quo utimur, fecimus ſigillari. Actum Pariſiis anno Domini 1285. menſe Julio.

ET nos in hujus viſionis teſtimonium, præſentibus litteris noſtrum fecimus ſigillum apponere.

Actum Pariſiis anno Domini 1289. menſe Auguſto.

Petrus hoc munitus areſto Guibertum S. Nicaſij Abbatem, qui Johanni ſucceſſerat, cogit ut viva voce jura archiepiſcopalia in palatio ſuo coram teſtibus agnoſcat: Abbas, ut erat pacis amantiſſimus, cum quibuſdam Monachis ad palatium acceſſit, culpáque in Procuratorem Conventûs rejectâ, ut pote conſuetudinis ignarum, declarat indebitè & injuſtè ab eo regios Judices convocatos, aut in Curia Regis pro ejuſmodi bonorum tutela diſceptatum, quæ in civitate Remenſi, & infra bailleucam continentur, cùm D. Archiepiſcopus, non Rex, ſit immediatus ſuperior in temporalibus, ubi hæc ſita ſunt, paratúmque ſe eſſe ſatisfacere pro eo qui peccaverat. Petrus, ut ſe in ſuſcepta lite nihil præter jurium deffenſionem intendiſſe ſignificaret, totum negotium remittit judicio Simonis Malifardi majoris Archidiaconi, & Rufini Canonici & Officialis, ſpondétque ſe gratum habiturum quidquid ſanxiſſent: Abbas quoque & Religioſi promittunt ſe obſervaturos bona fide, ſub pœna mille marcarum argenti, quidquid occaſione prædictæ litis duxerint injungendum.

Hi igitur Archidiaconus & Officialis pronuntiant primò 1. quia cùm muri cum crenellis de conſuetudine patriæ viderentur deſignare fortalitium, & immediatam ſubjectionem regiæ dignitati; quòd omnes crenelli, qui de novo facti ſunt in clauſura murorum dicti Monaſterij, intra feſtum Omnium-Sanctorum cadant, & diruantur omnino, ita quòd ibidem de cetero, ſine aſſenſu Archiepiſcopi, crenelli non fiant, ſicut nec alibi Remis poſſunt, niſi in domo domini Archiepiſcopi. Statuunt item quod ſuper tectum novæ capellæ, quæ eſt in porta dicti Monaſterij, ubi ſunt lilia in ſignum armorum regalium, ponatur in medio liliorum una crux alba in ſignum armorum Archiepiſcopi, ut per hæc appareat, quòd dicta Abbatia debet in gardia domini Archiepiſcopi remanere &c.

Actum anno 1285. feria VI. poſt feſtum S. Remigij, præſentibus Renaudo S. Dionyſij, Johanne S. Theoderici, & Stephano S. Baſoli Abbatibus, & pluribus aliis.

Ex his videre eſt quo an. ad Judices regios ſit ptovocatum, contra veterem, & conſuetum morem, cum quibus erit deinceps Archiepiſcopis acriùs laborandum.

Exardeſcente bello inter Gallos & Aragonenſes, Philippus, qui conſcripto exercitu hoc acriter invadere decreverat, coactus eſt pro belli

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1286.

Lis etiam mota pro cuſtodia bonorum S. Theoderici ſub Carolo V. ut ibi videbimus.

Sic Blanchâ Comitiſſa Campaniæ cèdebat Galtero de Nantolio ut muros reficere poſſet apud S. Johannem, & crenellos facere an. 1218. in hiſtor. Bethun.

An. 1285.

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1286.

apparatu pecunias ab Urbibus expetere; cúmque Remenſis facta partitione collectionis quadringentas libras Turonenſes ſuppeditare deberet, nec à burgenſibus banni Archiepiſcopi conſuetum eſſet quidquam exigi ab aliis Regibus, peculiari reſcripto ingenuè faſſus eſt, hanc ſummam mera liberalitate ſibi fuiſſe conceſſam, Pariſiis die Lunæ poſt feſtum Purificationis B. Mariæ anno 1285. Bellum à Philippo ſuſceptum optimè ſucceſſit in initio, Petrúſque Aragonenſis victus, profligatuſque eſt, at lue exercitum depaſcente, Rex ipſe morbo correptus Perpeniani decedit menſe Octobri.

An. 1286. Philippus Pulcer ei ſucceſſit, Remíſque inungitur cum Johanna Navarræa uxore per manus Petri Archiepiſcopi, ſexta Januarij an. 1286. qui & expenſas epuli ſuppeditavit regiæ unctionis, à burgenſibus poſtmodum repetiturus: at lis ſtatim exoritur inter prædictum Archiepiſcopum, & Canonicos Remenſes, quòd ipſe Clericos non modò & Religioſos; ſed & burgenſes Canonicorum ad aliquid erogandum conſtringeret. Iis igitur conquerentibus, duo Cardinales auctoritate ſummi Pontificis inquirunt de uſu & conſuetudine, compertóque ad id non teneri, Atrebatenſi Epiſcopo dat negotium, ut bona à burgenſibus liberis ablata reſtitui curet, anno 1291. Exſtat ejuſmodi proceſſus ad calcem libri Juramentorum; ut & inquiſitio Regis auctoritate facta, in Archivis S. Dionyſij Remenſis, an Clerici, Laïci, & Religioſi quidquam contuliſſent pro expenſis ſub Philippo Audaci, maximè verò ob eorum bona mobilia, vel immobilia in banno archiepiſcopali ſita: viſa diligenti inquiſitione, dictum eſt nec Regem, nec Archiepiſcopum eſſe in poſſeſſione quidquam imponendi ſuper bona immobilia Clericorum, aut Religioſorum pro ſumtibus Unctionis, anno 1290.

An. 1290. Petrus Archiepiſcopus poſt inaugurationem Philippi Pariſiis exſiſtens obtinuit ab eo vicum, qui Principis dicebatur, pro exſtruendo Remenſi Hoſpitio, quod primo Maij an. 1291. incœptum eſt, juxta Minoritas, protendebatúrque quoad poſteriora ædificia uſque ad Collegium Præmonſtratenſe: at majori parte Hoſpitij prædicti pridem diſtracta, quod reſtabat nuper ſub Guillelmo Giffordio alienatum eſt.

An. 1291. Refert Tilletius ordinatum à Rege anno ſequenti, ut Duces, Comites, Barones, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Canonici, Collegiorúmque Rectores habentes juriſdictionem temporalem, inſtruerent pro ea exercenda Ballivios, Præpoſitos, ac ſatellites laïcos, quò juxta leges puniri poſſent, ſi ab officio deviarent. Conſtitutionem hanc à Philippo Valeſio confirmatam tradit Chopinus an. 1344. ſic prædiaria Prælatorum juriſdictione in hanc formam redacta, appellationes facilius devolvebantur ad Judices regios, & eccleſiaſticos.

Concilium Remenſe adversùs Religioſos mendicantes. Frequentiores à Divinis ceſſationes prohibentur. Collegium Remenſe Pariſijs exſtruitur. Laudunenſes Communiâ & Scabinatu privantur.

CAPUT XLV.

Refert Meyer. ad an. 1285. Fratres Iacobitas & Minoritas cùm ſe immiſcerent officijs Paſtorũ mos' in Eccleſia coercitáſſe.

PRIVILEGIA Mendicantibus à ſummis Pontificibus indulta tot rixas & diſſenſiones (in urbibus præſertim epiſcopalibus) per id tempus excitârunt, ut multis actum eſſe de hierarchia eccleſiaſtica videretur, niſi horum conatibus Epiſcopi diligenter obviarent. Qui hoc onus in primis ſuſcepiſſe narratur, ceteróſque Franciæ Metropolitas ſuo exemplo

Hinc tot, *inquit*, invectivæ, rixoſi, famoſique libelli tunc temporis conſcripti.

Digitized by Google

exemplo acriùs concitavit ad idem præstandum, fuit Guillelmus Rotomagensis, cujus exstat epistola ad Petrum Remensem, Gilonem Senonensem, & Johannem Turonensem pro indicendâ singulis in locis Synodo provinciali adversùs prædictos jurium pastoralium perturbatores, quæ sic incipit. PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. An. 1292.

Reverendis in Christo Patribus dominis & amicis carissimis Petro Remensi, Giloni, Senonensi, Iohanni Turonensi Dei gratiâ Archiepiscopis, Guillelmus per eamdem grattam Archiepiscopus Rotomagensis, & Guillelmus ejusdem miseratione Ambianensis Episcopus salutem, & cum reverentia & honore paratam voluntatem ad ipsorum beneplacita & mandata. Jugi meditatione « An. 1282.
pensantes pericula, quæ possunt omnibus Prælatis, & eorum statui verisi- «
militer imminere, occasione litterarum, quas Fratres Minores & Prædica- «
tores sub potestate prædicandi, Confessiones audiendi, sibíque consentien- «
tibus injungendi pœnitentias salutares, à summo Pontifice impetrârunt; «
nisi eis, quantùm cum Deo & justitia poterit, celeriter obvietur. Adver- «
tentes etiam, quòd ubi majus imminet periculum, ibi cautiùs & matu- «
riùs est agendum, & quòd tempore indigemus, ut aliquid maturiùs agere «
valeamus: deliberatione habita diligenti nobiscum, & cum aliis Prælatis, «
quod nuper Parisiis habere potuimus; videtur nobis esse expediens, imo «
necessarium, quòd quilibet Metropolitanus infra festum B. Remigij suum «
provinciale convocet Concilium, non solùm de Episcopis, verum etiam de «
Capitulis cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, Abbatibus exemptis, & «
non exemptis, necnon de Decanis ruralibus, & aliis ecclesiasticis viris «
Deum timentibus, & peritiam habentibus litterarum; ut communi om- «
nium consilio, cùm dictum negotium omnes tangat, via communis & «
utilis eligatur ad obviandum periculis memoratis, & onus prosequendi «
negotium prædictum ab omnibus supportetur. Quibus celebratis Con- «
ciliis, & habitis super his consiliis, Metropolitani prædicti cum aliquibus «
Prælatis, & Jurisperitis, in aliquo certo loco in instanti festo B. Remigij «
ad tardiùs debeant convenire, & ibidem aliquos Prælatos eligere de «
qualibet provincia, si potest fieri, qui in expensis omnium dictum «
negotium prosequi debeant propter Deum: nam ad præsens sollemnes «
nuntios non possumus invenire, qui velint assumere dictum negotium «
prosequendum, nisi cum eis aliqui Prælati ad Curiam destinentur, quorum «
interest principaliter, sicut dicunt. Ordinatum enim exstitit nuper Parisiis, «
quòd interim Fratres uti dictis litteris in nostris diœcesibus nullatenus «
permittamus, cùm eas in talem partem interpretentur, de qua non est «
verisimile Romanum Pontificem cogitâsse, & in talibus mandatis secun- «
dum jussionem de Jure possumus exspectare. Quòd autem super præmissis «
vobis videbitur faciendum, nobis per latorem præsentium rescribatis. «
Valeat vestra Paternitas per tempora longiora, comitantibus felicibus «
incrementis. Datum anno Domini 1282. die Mercurij post festum beato- «
rum Apostolorum Petri & Pauli. «

Guillelmus Rotomagensis, cui hoc negotium ultrà quam dici potest cordi erat, certiores fecit Abbates, Capitula, Priores, Decanos, ac Curatos suæ diœcesis, quòd cùm religiosi mendicantes potestate sibi concessa abuterentur, ab ipsis aliàs indultam licentiam convocandi parochias, Indulgentias publicandi, & absolvendi à casibus reservatis, justis de causis Pontificem revocâsse, sola ipsis facultate relicta audiendi confessiones ad modum simplicium Presbyterorum.

Quod verò spectat ad Petrum Remensem, Rotomagensis Archiepiscopi, consilio, iteratisque Pastorum querelis permotus, qui privilegiorum abusum sugillabant, decrevit tandem Synodum Remis convocare, cui interfuerunt præter Metropolitam.

PETRUS BARBET LIX. ARCHIEP.

Robertus Laudunenſis Epiſcopus. | Thomas Belvacenſis Epiſcopus.
Guido Noviomenſis Epiſcopus. | Guillelmus Ambianenſis Epiſcopus.
Jacobus Tarvannenſis Epiſcopus. | Galchertus Silvanectenſis Epiſcopus.
Michael Tornacenſis Epiſcopus.

An. 1292. Cum deputatis Epiſcoporum Sueſſionenſis & Cameracenſis, quorum auctoritate ſequens Decretum ſancitum eſt.

„ CUm graves exortæ fuiſſent contentiones inter nos, & Fratres Mi-
„ nores & Dominicanos, pro quibuſdam privilegijs ſibi conceſſis à
„ felicis memoriæ Martino IV. audiendi Confeſſiones, & pœnitentias in-
„ jungendi, quæ juri communi, ſanctis Canonibus, conſtitutionibus ſum-
„ morum Pontificum, nec non intentioni ejus qui ea conceſſit, contraria
„ eſſe probè ſcirent; unde tumultus oriebantur per urbes cum Eccleſiæ
„ ſcandalo, & eminenti animarum jactura, quarum Paſtoribus cura de-
„ mandata eſt. Et licèt non ita pridem Epiſcopi ejuſdem Remenſis pro-
„ vinciæ amicè concordâſſent cum prædictis Religioſis, pro ſopiendis jur-
„ gijs, ne pontificalis auctoritas omnino vileſceret, aut aliò traduceretur;
„ nuſquam tamen adduci potuerunt, ut ab inceptis ſibi temperarent.
„ Vnde pretium operæ viſum eſt convocare Epiſcopos, procuratores Ca-
„ pitulorum, Abbates, Priores conventuales non exemptos Remis in
„ feſto S. Michaëlis, ut in communi, quid in eos deinceps agendum eſſet,
„ deliberaretur. Auditis igitur omnium ſententijs concluſum eſt, præ-
„ dictum negotium proſequendum eſſe in curia Romana; pro ſumtibus
„ verò faciendis ad refrænandam horum audaciam, eorúmque omnium,
„ qui litteris apoſtolicis abutebantur, Epiſcopi ſolverent vigeſimam partem
„ reditûs hoc anno præſenti; Abbates verò, Priores, Decani, Capitula, &
„ Curati provinciæ centeſimam, quæ à Diœceſano perciperetur, cui hoc præ-
„ ſenti decreto jus conceſſum, cogendi per cenſuras quotquot ante feſtum
„ Purificationis non ſatisfeciſſent.

Belforeſt. in Annal. fol. 757. & 765. Meyer. item ad an. 1287. Refert Belforeſtus eodem Concilio ſancitum fuiſſe, ne Preſbyteri provinciæ Remenſis ullum tributum Regi penderent, Parlamentum verò hanc concluſionem abrogâſſe, injunxiſſeque omnibus Clericis, ut Regi opem, & ſubſidium ferrent juxta reditus & facultates. Quid actum poſtea adversùs privilegiatos, & an negotium in Curia Romana proſecutum ſit, non reperi; imo concluſioni Epiſcoporum pro ſolutione centeſimæ partis redituum cujuſque Monaſterij Abbates interceſſiſſe, ac de ea ad Sedem Apoſtolicam appellâſſe probat charta veteri manuſcripta, quæ aſſervatur in Tabulario S. Dionyſij Remenſis, ubi Abbates, Priores & alij ordinatè referuntur.

Ex chartis Archiepiſcopatûs palam fit an. 1288. & 1289. ut ſæpius aliàs, flebile diſſidium exarſiſſe inter Petrum Archiepiſcopum, & Capitulum, ceſſatúmque à Divinis, ſuſpenſa organa, interdictum promulgatum, quòd miniſtri Archiepiſcopi jura eorum violâſſent, bona burgenſium liberorum abſtuliſſent, ac ſepem vineæ portæ Martis evertiſſent. Summus Pontifex Archiepiſcopi expoſtulatione certior factus publici hujus ſcandali, dat negotium Gerardo Sardiniæ Epiſcopo, & Nicolao Cardinali Subdiacono, ut cauſas interdicti, vel ceſſationis ſollerter inveſtigent: hi perpenſis hinc inde rationibus, ne ſimile quid in poſterum apud Remenſes contingeret, celebri ſententia præcaverunt, ex qua ob prolixitatem id tantùm excerpſimus.

An. 1290. „ AD perpetuam inſuper memoriam, ut Archiepiſcopi, qui pro tem-
„ pore fuerint, providi ſint nec faciles ad præbendas occaſiones, ſeu
„ cauſas ceſſandi à Divinis contra eos Capitulo memorato; & ne Capi-
„ tulum ipſum ſimiliter de facili ceſſandi cauſam aſſumat, volumus, ordi-

namus,

namus, pronuntiamus, arbitramur, & dicimus ac mandamus tam ipſi « PETRUS
Archiepiſcopo, ac Capitulo ſub excommunicationis pœna, & aliàs etiam « BARBET.
ſub pœna in compromiſſo appoſita, quòd quilibet ipſarum partium infra « LIX.
annum à die hujuſmodi pronuntiationis teneatur, ac debeat facere, « ARCHIEP.
atque fieri faciat unam imaginem argenteam valoris, ſive pretij quin- « An. 1293.
gentarum librarum Turon. ad minus, quarum una ſit ad altitudinem «
unius Epiſcopi Cardinalis & in ea ſcribatur: GERARDUS EPISCOPUS «
SABINENSIS. Altera verò fiat ad ſimilitudinem unius Cardinalis Dia- «
coni, in qua ſcribatur BENEDICTUS S. NICOLAI IN CARCERE «
TULLIANO DIAC. CARDIN. Et ambæ iſtæ imagines ſint mitratæ: «
quæ quidem imagines perpetuò ponentur & poni debeant ſingulis ſol- «
lemnibus feſtivitatibus, dum Miſſa inibi celebrabitur, nec unquam poſ- «
ſint, vel debeant prædictæ imagines per Archiepiſcopum, aut Capitulum «
Remenſe vendi, alienari, vel obligari, aut ad uſus alios deputari, &c. «

Datum & actum apud Sanctum-Clodoaldum Pariſienſis diœceſis, ſub «
anno 1190. Indict. 2. die 4. Decemb. Pontificatûs D. Nicolai IV. anno 3. «

Collegium Remenſe apud Pariſios hoc anno Galteri cujuſdam liberalitate habuit exordium: hic ex villa Launoy in diœceſi Remenſi ortus, cupiens ſubſidio eſſe ijs, qui expeditis minoribus ſtudijs, ad ſuperiores ſcientias in Sorbona perdiſcendas ex Campania convolabant, ſumtus ſuppeditavit pro exſtruenda Mutarum domo, quæ Retellij titulo primùm, tum Collegium Retellienſe, Eſſuorum vocat Chopinus, ac Remenſe, nuncupata eſt, quam certis reditibus dotavit, ſibi debitis tam in civitate Pariſienſi, quàm ſuper Præpoſitura de Braïo; ea conditione, ut id quod legabat fideliter diſtribueretur ſcholaribus Retellij, aut locorum circumjacentium, qui litteris in prædicto Collegio darent operam. Sancivit quoque ut Abbas S. Dionyſij Remenſis, & Prior ſancti Remigij tamquam fundationis Adminiſtratores ſeligerent perſonas ad id idoneas juxta mentem fundatoris, haberéntque ſub ſe Clericum Retellienſem pro Œconomo, qui curam haberet diſtribuendi ſcholaribus ſex denarios diebus ſingulis, diligentioribus verò duodecim, reliquum verò remaneret penes Receptorem, qui quolibet anno rationem redderet coram Abbate & Priore prædictis fundationis Adminiſtratoribus.

Collegium Pariſius pro Remenſibus & Regteſſenſibus fundatur.

His annectendum puto, quod de tumultu Lauduni exorto, duos inter equites, & burgenſem unum, in authenticis habetur. Hi forſan ab eo recepti hoſpitio, cùm verbis diu cum eo litigaſſent, in propria domo pugnis cum adoriuntur: vicini audito ſtrepitu opem laturi ſtatim advolant, tum lapidibus & baculis armati, tanto furore equites perſequuntur, ut neceſſitate compulſi ad Eccleſiam illico confugerint, ubi à Clerico ipſis conſanguineo recipiuntur. Communia inde campanæ ſonitu convocata reſcire vult quam ob rem id contigerit, réque comperta, irrogatam ab equitibus contumeliam ulciſcendam proponit. Die craſtino plures è factioſis in unum conglobati foribus Eccleſiæ refixis, neglectí que ſibi factis nomine Cardinalis Caïetani Theſaurarij & Canonicorum precibus, ab Eccleſia Clericum & equites extrahunt, cóſque verberibus cædunt ad ſanguinem uſque, quo polluta eſt Eccleſia.

Capitulum hac privilegiorum infractione, ciborium in quo Ss. Sacramentum reconditur, reverenter alium in locum transfert, clauſiſque, & obſeratis Eccleſiæ januis, ceſſat à Divinis. Subinde quoſdam Romam mittit qui conquerantur de Communia Laudunenſi Bonifacius recèns ad ſummum Pontificatum provectus Regem hortatur, ut hanc inſolentiam regia auctoritate comprimat, Decano & Capitulo adſit adversùs reos; interim Communiam abroget Eccleſiæ dudum injurioſam, ac Juri eccleſiaſtico inimicam, ut quietè Canonici divinis inſiſtant officijs. Bullam Bonifacij

ad

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1295.

ad Regem primo Pontificatûs anno datam excepit alia ad Archiepiſcopum Remenſem, & Suffraganeos, ut ſtrenuè ſe gerant in præſenti negotio: exſtat & alia ad Sueſſionenſem Epiſcopum, quâ patet Officialem Laudunenſem tumultûs auctores excommunicâſſe; Communiáque cum ijs adhuc connivente, urbem ab Epiſcopo interdictam, latámque excommunicationis ſententiam in Majorem, & Scabinos Communiæ protectores. Cúmque Fratres Minores, aliíque privilegiati, nulla habita ratione interdicti, excommunicatos in ſua Eccleſia ſepeliendos reciperent, injunctum eis eſt Pontificis auctoritate, imo & regiæ Capellæ, ut interdictum ſervent cum Eccleſia cathedrali, non obſtantibus privilegijs à ſancta Sede indultis.

Rex Philippus his non mediocriter commotus, cùm ſibi conſtitiſſet, facta inquiſitione per Petrum de Sarginia & Johannem Choiſel, Majorem & Scabinos plebem non continuiſſe, in pœnam tanti facinoris Communiâ eos privavit, campanâ, ſigillo, ac privilegijs Scabinatûs, diplomate dato menſe Martio an. 1295. Poſtmodum verò ijs hæc omnia reſtituit, quamdiu regiæ placuerit voluntati. Et ut Decano, Capitulo, Theſaurario fieret ſatis, ordinatum eſt, quòd eo tempore quo Canonici organa reſumerent in majori Eccleſia, centum excommunicati nudis pedibus, ſine cingulis & toga, apertis capitibus, ſine caputijs irent de porta in portam poſt eos qui cruces ferrent ante Clerum, à radice montis uſque ad Eccleſiam cathedralem: quòd tres ex horum numero, totidem imagines cereas brachijs geſtarent pondere viginti librarum, in porta S. Martini præparatas, ut ſic Eccleſiæ emendarent pro tribus illis hominibus, quos ab Eccleſia indebitè extraxerant; quòd prædictæ imagines in diſpoſitione Decani, & Capituli remanerent. Quòd Major, & jurati tenerentur Capellaniam fundare in eadem Eccleſia, cum dote triginta librarum annui reditus, ad collationem Capituli, & quòd mille libras ſolverent Eccleſiæ, & totidem Theſaurario, iſſque mediantibus pacem inirent cum Canonicis, qui ſummum Pontificem rogarent, ut ab excommunicatione abſolverentur, quod haud multò poſt præſtitit, miſſis ad Archiepiſcopum Rotomagenſem, Epiſcopum Pariſienſem, & Abbatem ſancti Dionyſij litteris menſe Auguſto ſui Pontificatûs anno 3.

Ex Chartulario Archiepiſcopali.

Per id quoque tempus lis dudum exorta inter Archiepiſcopum Remenſem, & Præpoſitum ac Capitulum S. Audomari, amicè compoſita eſt, Petro Barbeſio annuente; qui habita etiam ratione privilegij à Calixto Papa eis conceſſi, quo immunes eos declaravit ab omni juriſdictione, ceſſit eis omnem procurationem, viſitationem, & correctionem, quas ipſe prætendebat, ea conditione, ut tam ipſe, quàm ſui ſucceſſores primo adventu in urbem Sancti-Audomari poſt inaugurationem ſcilicèt proceſſionaliter ab eis reciperentur. Pactum illud firmatum eſt menſe Februario an. 1194.

Rex ob bellum Anglo-Flandricum Remos muris vallari jubet, pecuniam ab urbibus exigit, & Clericos Remenſes liberos agnoſcit. Petrus cum Capitulo litigat, moritur.

CAPUT XLVI.

Secundum bellum Anglicũ.

BELLUM Anglicum, quo provincia Remenſis plures annos miſere vaſtata eſt, rurſum exarſit: cauſam diverſimode Auctores referunt. Quidam natum putant, quòd Philippus Rex Anglo, tamquam Franciæ Pari & beneficiario diem dixerit, ob prædam versùs oram Normanniæ

maniæ à claſſe Anglica factam; alij rixantium nautarum procacitate, quæ Regum animos ultro laceſſivit. Ut cumque mota tempeſtas, quæ Flandriam involvit, Rex ne imparatus adoriretur, urbes, quæ hoſtium terminos attingebant, muniendas eſſe putavit: igitur orſus à Tornacenſi, dominum de Hangeſt illuc ablegavit, qui opifices ac cæmentarios ſedulò urgeret, quò Urbs egregiè muniretur (erat enim valli & aggeris expers.) Canonici, Nobiles, burgenſes quod erat in poteſtate alacriter contulerunt, cùmque ſumtus non ſuppeterent amplius, ab urbibus Dorocortoro Remorum, & Atrebato pecunias mutuò accepiſſe traditur, ac intra annum munimenta completa. Remos quoque mittitur à Rege dominus de Dampetra, cum juſſoriis litteris ad Archiepiſcopum, ad Decanum & Capitulum Remenſe, ad Abbatem quoque S. Remigij, quarum ſumma hæc erat.

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. An. 1295.

« An. 1294.

« Regis littera ad Scabinos ſic incipiunt Philippus Franc. « PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, univerſis præſentes litteras « Rex dilectis « inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverint univerſi quòd habita « noſtris. Cùm « deliberatione cum noſtris Conſiliarius ordinavin us pro ſecuritate & def- « nuper cum « fenſione Regni noſtri, & ſubditorum noſtrorum, quòd nos villam Re- « Conſiliariis « menſem claudi, & firmari faciamus, quòdque omnes habitatores dictæ « noſtris habita « villæ, cujuſcúmque ſint conditionis, & ſtatus, ac locorum vicinorum de « deliberatione « tribus leucis, vel circiter à dicta villa Remenſi circumquaque, qui utili- « pro ſecuritate « tatem habituri ſunt ex clauſura prædicta, ſive ſint ſubditi noſtri, ſive ſub- « & defenſione « diti Prælatorum, & aliorum fidelium, aut ſubditorum noſtrorum, quilibet « terræ noſtræ, « pro ratu competenti contribuant in expenſis, & miſſionibus faciendis pro « & ſubditorũ « clauſura prædicta. Præcipimus etiam dilecto & fideli noſtro Archiepiſ- « noſtrorum, « copo Remenſi, necnon Decano, & Capitulo Remenſi, & Abbati S. « ordinavimus « Remigij Remen. ut ipſi juxta ordinationem prædictam, dictam villam « quòd nos vil- « claudi & firmari abſque moræ diſpendio faciant, & in clauſuræ prædictæ « lam Remen. « miſſionibus & expenſis contribuant, & ad contributionem pro prædictis « claudi & firmari faciam⁹. « præſtandis ſuos ſubditos compellant. Actum Pariſiis an. Dom. 1294. « Eodem anno.

His igitur poteſtas data cogendi tam Regis ſubditos, quàm vaſallos Eccleſiæ intra fines trium leucarum, ad aliquid impertiendum; cúmque impenſæ collectam excederent, Scabini rogant Archiepiſcopum, ut eis liceret burgenſibus ſubſidium imponere (tunc enim abſque ipſius licentia fieri non poterat) eóque cunctante Regem adeunt, qui velut ſupremus dominus ſubſidium permittit à Scabinis, eò velocius fieri imperat, quòd cum Urbs levi aggere cincta eſſet abſque propugnaculis, horum inſolentiæ facilè pateret aditus, qui per Campaniam impunè vagabantur. Tradunt enim MSS codices ſceleratos quoſdam ab Urbe propter homicidium expulſos, tam atrociter in cives deſæviſſe, ut coacti fuerint intra Urbis ambitum milites ſtipendiarios habere, quò tuti ab horum deprædatione fierent. Rex quoque, qui ad malum hoc procul amandandum Ballivio Viromandenſi ſcripſerat pro compellendis burgenſibus banni S. Remigij ad ſubſidium ferendum, dominum de Mutri Equitem ac domeſticum ſuum, & in arte bellica peritum ad cives direxit, qui prædictos bannitos brevi vicit ac profligavit, capútque horum ſigniferi ſeptingentis libris emptum, civibus à domino de Bouchi oblatum in ſolatium præteritæ calamitatis.

Ex his patet Urbis pomœrium dilatatum ſub Philippo Auguſto an. 1219. ſæpius intermiſſum, ac bello in Flandros ingruente redintegratum, donec ingens ille circuitus Monaſteria Ss. Remigij & Nicaſij ambiens, ac ſolo aggere munitus, altioribus propugnaculis vallaretur, quod omnino perfici non potuit ante pugnam Creſciacam. Sed ut adhuc clariùs pateat à Scabinis per id tempus huic operi ſedulò curam impenſam, Regis litteras ad eoſdem

Digitized by Google

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP.

eosdem pro Mandritis Nicasianis profero, qui cùm ab Archiepiscopo licentiam obtinuissent exstruendi murum juxta Urbis aggerem, Scabini velut munitioni officientem sæpius solo æquârunt.

An. 1296. „ PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus nos vidisse litteras carissimi progenitoris nostri Philippi, Dei gratiâ quondam Francorum Regis, formam quæ sequitur continentes.

„ PHilippus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus universis quòd nos dilecti ac fidelis nostri Archiepiscopi Remensis litteras vidimus in hæc verba. Petrus miseratione divinâ Remorum Archiepiscopus, æternam in Domino salutem. Decet domum Domini sanctitudo *&c. ut supra pag. 573.* Nos autem præmissa, rata, & grata habentes, volumus, & concedimus, quantùm in nobis est, quòd dicti Religiosi locum prædictum perpetuo tenere possint, absque coactione vendendi, &c. Quod ut stabile permaneat, præsentibus nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Dom. 1282 mense Decembri. Et cùm dicti Religiosi prædictam clausuram fecerint, prout facere poterant, & Cives Remenses eam demolverint in eorum Religiosorum præjudicium, & gravamen, pro fortalitiis villæ Remensis faciendis, licèt ea ibidem non fecerint, occasione cujus demolitionis multa turpia exercentur circa Infimarias, & alia loca dictæ Ecclesiæ, ut accepimus: idcirco propter præmissa, & reverentiam incliti Martyris B. Nicasii, dictis Abbati & Conventui iteratò concedimus ut dictam clausuram possint facere. Ita tamen quod ab utraque parte clausuræ prædictæ, erunt portæ per quas transvehi poterunt cum curribus, seu quadrigis lapides & alia necessaria ad exstructionem murorum civitatis Remensis, cùm cives opus murorum duxerint resumendum; portæ verò prædictæ, cùm opus fuerit, erunt de die apertæ, de nocte clausæ; murorum verò opere consummato portæ claudentur. Dantes tenore præsentium Ballivo nostro Viromandensi in mandatis, ut in præmissis prædictos Religiosos foveat, ut debitum sortiantur effectum, & defendat ab injuriis. Quod ut firmum permaneat, &c.

Muri civitatis Rem. exstruuntur.

„ Actum Parisiis mense Februarii anno 1296.

„ Rex ut commodiùs pecuniam conflare posset, quæ belli nervus est, ingentem vim nummorum ab urbibus mutuò accepit, imposuit quoque tributum quod malatesta vocatur (erat denarium de libra) & decimas ab Ecclesiasticis, annuente Pontifice, extorsit. Cúmque Remensis civitas decem millia librarum libere contulisset, immunis licèt à tributo, ut ex Regum Ludovici IX. & Philippi Audacis diplomatis vidimus, Philippus declarat suæ voluntatis non esse, ut inde quidquam detrimenti in suis privilegiis pateretur, rescripto Parisiis dato mense Aprili.

Tributum Malatesta appellatum.

An. 1293. „ Philippus Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus, quàm futuris, quòd cùm cives Remenses, de bannis singulis subventionem decem millium librarum Turonensium nobis concesserint, & liberaliter promiserint exhibere; nolumus, nec nostræ intentionis existit, quòd per promissionem, aut subventionem hujusmodi nobis, vel successoribus nostris jus aliquod acquiratur, vel per hoc civibus prædictis, eorúmve posteris, aut villæ, quodvis aliud præjudicium quomodolibet generetur. Quod ut ratum, & stabile perseveret, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis anno Domini 1293. mense Aprili.

Aliis item litteris Rex cives suburbii Remensis, & bannorum ejusdem eximit à tributo denarii libræ.

An. 1293. „ Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quòd cùm gentes nostræ pro nobis peterent

peterent à civibus & habitatoribus ſuburbii Remenſis & bannorum ejuſdem denarium de libra, eiſdem à prædicta petitione ſe defendentibus, pluribus rationibus &c. Eorum defenſionibus auditis, dictum denarium de libra, vocatum aliàs malam-toltam, eiſdem penitus remittimus, nolentes eos ſuper hoc ulteriùs moleſtari. In cujus rei teſtimonium præſentibus noſtrum fecimus ſigillum apponi. Actum Pariſiis die Veneris ante Ramos-Palmarum anno 1293.

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1296.

Philipp' &c. Notum facimus quòd cùm cives

Exſtat & alia declaratio, quâ Rex ob mutuum centeſimi & quinquageſimi, civium Remenſium immunitatibus non intendit præjudicium generari.

Rem. mutui centeſimæ & quinquageſimæ ſubventiones nobis pro defenſione Regni noſtri fecerint, nolumus quòd ob hoc libertatibus &c. chartis civium præjudicium generetur. Actum apud Loriacum. An. 1295.

Bonifacius octavus ut ſe gratum Regi exhiberet, permittit ei ut à Clero Gallicano ſummam pecuniæ exigere poſſet, quæ cùm nimia & gravior videretur, Petrus Barbeſius ac Suffraganei provinciæ Remenſis, ſupplici libello apud Pontificem conqueruntur, cujus initium tale eſt.

Sanctiſſimo Patri, ac domino ſuo Bonifacio divinâ providentiâ ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, devoti ejus Filij, miſeratione divina Petrus Remenſis Archiepiſcopus & Epiſcopi Remenſis Eccleſiæ Suffraganei, & Abbates, devotiſſima pedum oſcula. In hac terreſtri patria Eccleſiam militantem conſtituens providentia Conditoris, eam ex alto providit ſic commoda ſubſtitutione Vicarij gubernandam, ut &c.

Exſtat ſupplicatio facta Papæ ut provideat ſuper quadam conſtitutione per eum edita in lib. Libertat. Eccle. Gallic. Inde Concilio Lugdun. an. 1297 inhibetur: Ne Sacerdotibus vectigalia Principes imponant. Præſide Bonifacio ſummo Pont *Geneb. lib. IV. Chron.*

Miſſi Guidonis Comitis Flandriæ, & Angli inſtant interim Romæ apud Bonifacium pro libertate filiæ prædicti Guidonis, quæ Vvalliæ Principi promiſſa, Pariſiis à Rege detinebatur, urbiúmque petunt reſtitutionem, quas idem Rex nuper abſtulerat ab Anglo in Aquitania. Pontifex pacis ſtudioſus Regi nuntiat, ut horum petitionibus faciat ſatis, eóque cunctante, jubet ut Romæ judicio ſtet coram ſe ſub pœna excommunicationis. Philippus ingenio ſagax, & ſtrenuus mittit ad eum Petrum Remenſem Archiepiſcopum, & Comitem Fani-Pauli, qui jura Regni tuerentur coram prædictis Angliæ & Guidonis deputatis. Archiepiſcopus, qui ex ſcintilla magnum prævidebat incendium, Bonifacij animum in Anglum propenſiorem temperare ſtuduit; at cùm cupiti fœderis tantùm mediator eſſet, onus ſuſcepit deferendi ad Regem Bonifacij litteras, quibus ei injunctum erat, ut juſſis obtemperaret.

His Philippus nihil territus ſtatuit bello negotium terminare, priùs verò quàm Flandriam invaderet, Petrus Archiepiſcopus, & Epiſcopus Silvanectenſis ad Comitem mittuntur negotiaturi, ne bellum Angli gratiâ rurſum renovari permittat, Regi curam eſſe de filia, quam locare ſplendidè poterat, ſed ei providendum fuiſſe, ne cum capitali hoſte ſociaretur: non excidiſſe à memoria pacis conditiones, quas ſi bona fide non expleret juxta formulam Lutetiæ promiſſam, parati erant juxta condictum, aqua, & igni Flandriæ interdicere. Comes, his ut obſiſteret, Robertum filium Romam mittit pro interdicti revocatione; at Rex interim conſcripto exercitu Flandriam invadit, ubi feliciter pugnatum ad Furnas, captis Hilermo Juliacenſi, & Erice Bellomontano. Flandria ferè tota victori ceſſerat, cùm induciæ inter Philippum, & Eduardum in biennium Bonifacij rogatu componuntur, qui & Legatos ablegat in Franciam & in Angliam, pro pace inter Reges ſtabilienda, componendiſque diſſidiis, quorum ipſe non tam Judex, quam Arbiter eſſe cupiebat. Unde Petro Barbet Archiepiſcopo, & Jacobo Fani-Pauli Reginæ avunculo Romam miſſis, Bonifacius connubiis, Regum amicitiam renovandam cenſuit, Margaretæ ſcilicet Regis ſororis cum Eduardo; & Iſabellæ ejuſdem filiæ cum Vvalliæ Principe: quod vero ſpectat ad Flandrum, decrevit ut Rex

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. An. 1296.

Comiti filiam reſtituat, urbéſque à Roberto Atrebatenſi captas poſt pugnam Furnenſem. Rex connubiis annuit cum Anglo propoſitis, at ita excanduit auditis pro Flandro conditionibus, ut palam dixerit id nuſquam ſe facturum. Sunt qui referant datas Epiſcopo Dunelmenſi Anglo Pontificis tabulas, à Comite Atrebatenſi raptas & miſſas igni.

Veriſimile eſt Petrum Archiepiſcopum, poſt expletas tot legationes, Pontificis odium incurriſſe; hic enim ſuprema utens auctoritate nominationem Epiſcopi Cameracenſis ſibi reſervaverat poſt obitum Guillelmi de Hainau, eo tamen ſublato, recèns Electus (Gerardus ſcilicet de Relange) confirmatur ab Archiepiſcopo; at Bonifacius Guidonem de Collemedio ad prædictam Sedem provexit, Petrúmque interdicto ſupponit, juriſdictione archiepiſcopali in Capitulum tranſlata, ac ſi Sedes vacaret: unde Simon Nigellenſis Noviomenſis Epiſcopus à Capitulo tantùm confirmatus legitur, anno 1296. Interdictum Bonifacius forſan ſtatim revocavit, aut nullius fuit roboris, cùm Petrus Laudunenſi Epiſcopo conſecrationis munus impertiverit ante obitum.

Contigit eodem anno Petrum Capucij Canonicum Remenſem capi, & in vincula conijci à Præpoſito Archiepiſcopi, quæ reis capitalibus præparata erant, in caſtello portæ Martis: Capitulum Remenſe interdictum pronuntiat adversùm Archiepiſcopum, miſſíque qui apud ſummum Pontificem conquererentur de infractione jurium ſuorum; Judices delegantur pro componendis controverſiis inter Archiepiſcopum, & Capitulum, qui & prædictum Præpoſitum condemnant ad exhibendam Capitulo ſatisfactionem, eâ formâ quæ in arbitrali ſententia continetur, ex qua ſequentia extraximus.

» VOlumus & ordinamus quòd reverendus Pater prædictus Remenſis
» Archiepiſcopus Petrum dictum le Gouverneur, quondam Præpoſi-
» tum Remenſem, talem habeat & faciat ſatisfactionem. Quòd dictus Pe-
» trus exceſſum, quem commiſit in perſonam venerabilis viri Dom. Petri
» Capucij Canonici Rem. prædicto Remenſi Capitulo, in loco & hora
» capituli conſuetis, infra ſex dies publicè & ſollemniter emendabit; factâ
» autem emendâ, incontinenti dictus Petrus le Gouverneur in aliquo loco,
» à Capitulo deputando, per duos dies, & dùas noctes continuè priſionem
» tenebit, & octo vel decem perſonas ſecum habere poterit ad aſſocian-
» dum eum, vel ſibi neceſſaria providendum.
» Item quòd dictus Petrus le Gouverneur chorum Remenſem euntem
» proceſſionaliter ſequetur in camiſia, & brachiis, capite, tibiis & pedibus
» denudatis, Remis in duabus proceſſionibus ſollemnibus, quas infra annum
» Remenſe Capitulum indixerit ibidem. Et inſuper idem Petrus le Gouver-
» neur ſequetur chorum trium cathedralium Eccleſiarum ſuffraganearum
» Eccleſiæ Remenſis, euntes proceſſionaliter in qualibet Eccleſia, quem-
» libet ejus chorum una vice tantùm. Quibus peractis & adimpletis, dictum
» Petrum le Gouverneur quondam Præpoſitum Remenſem ab omni actione,
» petitione, & perſecutione, quæ occaſione exceſſùs commiſſi in perſonam
» dicti D. Capucij Remenſis Canonici, Capitulo competerent, & com-
» petere poſſent contra eumdem Petrum le Gouverneur, fore volumus &
» decernimus Petrum ipſum Præpoſitum liberum, quittum & immu-
» nem &c. Anno 1296.

Hac etiam arbitrali ſententia ſtatuitur de Gobino le Pertois, qui captus & ſuſpenſus fuerat judicio officiariorum Archiepiſcopi, quòd figuraliter & imaginariè redderetur officiarijs prædicti Capituli, qui pro exſecutione facienda ſtatim eum redderent officiarijs Archiepiſcopi, ut in talibus fieri conſueverat.

Anno

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP.

Anno ſequenti juxta ſupplices litteras Remenſis, & Senonenſis Archiepiſcoporum, Ludovicus IX. Francorum Rex in Sanctorum numerum adſcriptus eſt à Bonifacio, qui hactenus diſtulerat, *quòd ipſe Balliviatus Regni & Præpoſituras venales expoſuiſſet, cùm prius hereditariæ eſſent*, inquit Meyerus. Joinvillæus addit inquiſitione miraculorum facta (quæ in prædicti Regis ſepulcro fiebant & alibi) per Archiepiſcopum Rotomagenſem à S. Sede apoſtolica deputatum, corpus levatum à tumulo, & humeris exceptum à Petro Remenſi & Henrico de Villers Lugdunenſi, Archiepiſcopis, qui primi Rege præcipiente cultum ipſi & obſequium exhibuerunt, reliqui Epiſcopi ſuo ordine.

An. 1297. *Joinvillem.*

Petrus poſt ſex ſupra viginti annos regiminis, quos ſumma cum laude peregit, ceſſit è vita, tertia octobris anno 1298. ex epitaphio & ex actis viſitationis Roberti ſucceſſoris. Viſcera ejus in clauſtro ſub tumba alba latent versùs Eccleſiam, corpus verò ſitum prope majus altare tegit ſaxum nigri coloris, ære undique coopertum, ubi effigies Archiepiſcopi pontificalibus induti exarata, cum hac epigraphe.

An. 1298.

Anno M. C ter, me Petrum ſuſtulit æther
Subtractis binis, Octobris ineſt mihi finis;
Præſulis officio perfulgens hìc inhumatus
De Barbets, nunc mea geſta ſcio, Frater qui vivis mundo
Precor, ora, & pro te plora, pro Chriſto vivere oremus
Flamen ſanctum, ſanctámque Mariam Petro dent veniam
Plebs ſonet omnis Amen.

Memoria Petri de Barbets adhuc in Eccleſia Remenſi viget & in benedictione eſt, ob id maximè, quòd præter anniverſarium ſingulis annis celebrandum, quinque Capellanias fundaverit in caſtellaniis de porta Martis, de Curvilla, de Septem-Salicibus, de Culmiſiaco, de Bethivilla, duodecim quoque Vicarios in majori Eccleſia; exſtruxerit item Hoſpitium in Urbe Pariſienſi, quòd ſacramentum ſub eo incœperit, ſanciente Capitulo, pro receptione cujuſque Canonici.

Sigillum Petri expreſſam habet imaginem Epiſcopi cum pedo ſuis inſignibus. Contraſigillum habet coronamentum Virginis.

Viri probitate, doctrina, ac dignitate ſpectabiles, qui Remis claruerunt ſub tribus ultimis Archiepiſcopis.

CAPUT XLVII.

UT felix hoc ſæculum, cui jam finis imponitur, quoad Eccleſiæ ſplendorem, Jura Clericorum, electionúmque libertates per pragmaticam Sanctionem aſſertas, ceteris omnino antecellit: ſic iiſdem vigentibus ſub digniſſimo Principe Capitula tot viris ut ſcientiâ, ſic generis nobilitate claruerunt, ut facies Eccleſiæ formoſior nuſquam, imo nec hoſtibus formidabilior exſtiterit; aliquot ex illis ſeligam, quos ſub præcedentibus Archiepiſcopis floruiſſe reperio.

Reginaldus de Corbolio Canonicus Remenſis & major Archidiaconus.

INter illuſtres eminet Reginaldus de Corbolio, Petri Corbolienſis Senonenſis Archiepiſcopi, non frater ut ſcribit Robertus, ſed ex Fre-

PETRUS BARBET LIX. ARCHIEP. an. 1292.

derico pronepos, vir insignis probitatis & litteraturæ. Hic à pueris scholæ Remensi traditus tantam de se opinionem concitavit, ut statim ob egregiam indolem Canonicatu, ac multo post Archidiaconatûs dignitate post Gemmetium donatus fuerit, anno circiter 1247. Id probant acta quæ vidimus, à suo Officiali nomine ejus expedita, quorum apud nos ingens est numerus. Cúmque servisset in Remensis Ecclesiæ obsequio, omnibus gratus & spectabilis, lectus est ad Parisiensem Episcopatum, anno 1249. resignato Archidiaconatu Cardinali Ottobono, rogatu Innocentij IV. ut supra monuimus. Mirum dictu est quæ postmodum egit, & quàm se propensum erga Religiosos præbuerit. Refert Robertus in Gal. Christ. eo sedente Parisiis Carthusianos à S. Ludovico in Vallis-viridis loco fundatos, Carmelitas item an. 1258. Servos B. Mariæ vulgò Albos-mantellos an. 1263. &c. Putat idem Auctor S. Ludovicum in Terram-sanctam proficiscentem baculo peregrino ab eo fuisse donatum an. 1248 in Ecclesia Parisiensi, forsan 1249. cum Reginaldus adhuc hoc anno Remensis Archidiaconatûs officio fungeretur, ut ex quibusdam chartis colligo. Mortalitatem exuit septimo Idus Junij anno 1268. sepultus apud Victorianos, ubi insigne, sed relatum ab alijs, legitur epitaphium, addit in signum sanctitatis Odonem Bajocensem Episcopum Reginaldi animam in cœlum ascendentem vidisse

Ottobonus Remensis Cancellarius & major Archidiaconus, Cardinalis, & summus Pontifex.

OTtobonus Genuensis patriâ, ex illustri Fliscorum familia natus ac Innocentii IV. nepos & Capellanus, Cancellariam Remensis Archiepiscopatûs obtinuit sub Ivello, qui & Archidiaconatum ei procuravit rogatu Innocentij, post Reginaldi de Corbolio promotionem ad Episcopatum Parisiensem. Legitur in charta fundationis capellæ de Vrlleio in Chartulario S. Nicasii anno 1251. cum solo Archidiaconi nomine: at statim an. circiter 1253. in numerum Cardinalium adscriptus est titulo S. Hadriani, eáque postmodum præfulget dignitate in chartis sequentibus ab Officiali Archidiaconatûs confectis. Multas & insignes obiit legationes tam apud Regem Angliæ sub Innocentio, (cui ejusdem nomine Regnum Siciliæ & Apuliæ obtulit, ea lege, ut ob id beneficiarius esset S. R. E. expellerétque Manfredum ex Italia propriis expensis, & cum exercitu Pontificis) quàm apud eumdem Principem sub Clemente IV. à quo perhonorificè susceptus est anno 1266. Fertur Regem S. Eduardi 5. Januarii de more festum celebrantem, regium thronum Ottobono, ut in eo tempore prandii sederet, obtulisse; jussisséque fercula ante ipsum primùm apponi. Idem Cardinalis Londini Concilium celebravit in Ecclesia S. Pauli anno 1268. pro morum reformatione, datáque sacri belli tesserâ Eduardo, filio ejus Edmundo, aliisque Nobilibus. In Galliam rediit legationis munus expleturus, Officiali Remis Archidiaconatûs officium pro eo exsequente usque ad annum 1274. Probabile est non ita gratum exstitisse Canonicis Remensibus, ob relatas à nobis cum Capitulo discordias, aut certè clariorem sibi quandóque adfuturam fortunam præsensisse, cùm suo tempore ter Archiepiscopatus vacaverit; nec ad eum legatur postulatus. Deus ei majus aliquid reservabat, nam post obitum Innocentii V. ad summum Pontificatum à Cardinalibus in Lateranensi palatio lectus est duodecimâ Januarii an 1276. nomènque Hadriani V. suscepit, quo priùs in Cardinalatu gaudebat: cùmque ad eum agnati sui congratulaturi accessissent iis dixisse fertur: ***Vtinam me Cardinalem prosperâ valetudine, non moribundum Pontificem invenissetis*** brevi enim

Erat etiam Canonicus Parisiensis, ut est in Necrologio 3. Nonas Augusti.

Digitized by Google

enim ſibi adfuturam mortem ex corporis debilitate ſentiebat, quæ ei inchoato Lateranenſi palatio, quadrageſimo electionis die contigit, antequam conſecratus fuiſſet, imo (ut quidam volunt) antequam Preſbyter fuiſſet. Jacet apud Minoritas.

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1298.

Guillelmus de Braio Remenſis Archidiaconus, & Cardinalis.

GUillelmus de Braio, ſic dictus ab urbe ejuſdem nominis in Picardia, Archidiaconatum Campaniæ primùm adeptus eſt in Eccleſia Remenſi, nominatúrque in pacto inter Remenſem Archiepiſcopum, & Leodienſem Epiſcopum pro Caſtellania Bullionenſi inito, anno 1259. tum, Garnero Laudunenſi Decano in Epiſcopum allecto, ea dignitate potitus eſt. Vir fuit apprime doctus, ac inter ſui ſæculi primores meritò connumerandus. Johannes Pantaleo ſummus Pontifex renuntiatus Guillelmum ſibi amiciſſimum purpureo galero inſignivit titulo S. Marci, in ſecunda promotione anno 1263. Unde Theoriſcus de eo ſic cecinit.

Guillelmus Remis tunc Archilevita, Decanus
Lugduni factus, tertius inter eos.

Simon Matiſſidi alias de Bucy diœceſis Sueſſion. ex Archidiacono Remenſi ſ. Pariſienſ. Epiſcopi an. 1290. ſublatus è vita die Lunæ ante feſtum S. Iohan. Bap. lacet in capella S. Mariæ Pariſ. retro majus altare.

Frequens eſt ipſius mentio in chartis ab Officiali majoris Archidiaconatûs confectis, quem pariter conſecutum fuiſſe ante obitum reperio. Romæ fato functus eſt VII. Cal. Maij anno 1282. funeratus apud Dominicanos, memoria ejus celebris eſt in Eccleſia Remenſi, recolitúrque ſollemni anniverſario 29. Aprilis, pro quo mille libras contulit. Auctor Auguſtæ Veromanduorum de eo hæc habet: ***Guillelmus de Braio Magiſter in divinitate, Decanus & Officialis Laudunenſis & Archidiaconus Remenſis, cui purpuram donavit Vrbanus IV. ſub titulo S. Griſogoni, obiit ſenex Vrbe-veteri anno 1282. tumulo marmoreo conditus cum elogio ſepulcrali apud Prædicatores.***

Reginaldus de Nantolio Remenſis Eccleſiæ Decanus, & Epiſcopus Belvacenſis.

REginaldus de Nantolio Remenſis Decanus, vir ſagax ingenio, forenſiſque gloriæ præſtantiâ clarus, vixit ſub Thoma de Bellomeſo. Generis nobilitas, eruditio, ac cetera animi ornamenta aditum ei præbuerunt ad infulas, tenuítque Belvacenſem Epiſcopatum uſque ad annum 1283. De eo Petrus de Vitriaco in hiſtoria orientali, Matthæus Paris, & Vincentius Bellovacenſis.

Ejuſdem gentis fuit Miles de Nantolio Remenſis Eccleſiæ Præpoſitus qui Philippo Drocenſi ſuffectus eſt ad Epiſcopatum Belvacenſem anno 1217. à Theobaldo Campaniæ Comite ***Venerabilis Pater*** nuncupatus, ***Redoutable Pere***, ut vertit Robertus in Gal. Chriſt. & rectè. Remenſes eum Alberico extra Regnum proficiſcente in protectorem aſciverant, item & Canonici Remenſes pro terra de Poteſtatibus, ubi duas villas conſtruxit, Mauberti-fontem & Mallemont. Vide Necrologium Nonis Septembris.

Originem duxiſſe fertur ex oppido de Nantéuil en diœceſi Meldenſi inquit Rob. in Gal. Chriſt. at certius ex Nantolio prope Remos.

Nicolaus de Hanapiis Patriarcha Hieroſolymitanus.

NIcolaus de Hanapiis nominatur à S. Antonino, quòd ortus ſit ex vico ejuſdem nominis in diœceſi Remenſi, qui verò parentes ejus, & ubi pueritia ejuſdem exculta, non ſatis liquet. In ordinem Prædicatorum receptus, tàm aſſiduè & pertinaciter ſacris litteris incubuit, ut exhibita in minoribus

PETRUS BARBET. LIX. ARCHIEP. *An.* 1298.

minoribus ſui ingenii ſagacitate, majoris Pœnitentiarii officio in Urbe omnium principe Superiorum judicio dignus habitus ſit, ubi & aliquot ſuæ eruditionis reliquit monimenta, inter quæ exſtat adhuc liber ab eo editus cui nomen eſt *Exempla virtutum & vitiorum, atque etiam aliarum rerum mirabilium.* Mortuo Hieroſolymitano Patriarcha, Nicolaus III. libertatem Cardinalibus indulſit nominandi tres viros doctrinâ & virtute commendabiles, quorum unus in locum demortui ſubrogaretur : hi nulla inter ſe habita collatione Nicolaum de Hanapiis concordantibus votis eligunt, quod ſine ſpeciali Dei providentia fieri nequit, ſicque anno 1278. ad hanc dignitatem provectus, ex epiſtola Nicolai IV. quæ eum Inquiſitionis Præfectum conſtituit adverſùs Judæos & Fidei deſertores. Obiit ea in legatione eo anno quo urbs de Ancon, dicta Ptolemaïs, expugnata eſt & ablata Chriſtianis per Soldanum Melecſerac. Nicolaus, qui navi preparata in portu ſe incolumem ſervare poterat ab infidelium gladio, perit ob multitudinem inſilientium in prædictam navim, quos ex caritate recipiebat, fugientes à facie Saraceni perſequentis.

Robertus in Gal. Chriſt. meminit Bernardi cujuſdam Minoritæ, quem Remenſem Archiepiſcopum quidam faciunt, ſaltem ſcripta quæ de eo evulgantur hoc nomen præ ſe ferunt (at putat ipſe Suffraganeum fuiſſe, ſeu Propontificem diœceſis) quod veriùs exiſtimo, vocatúmque ut munia epiſcopalia obiret Sede vacante poſt obitum Thomæ de Bellomeſo.

Drogo de Alto-Villari Remenſis Canonicus.

DRogo de Alto-Villari vixit ſub Johanne de Courtenay, fuítque Scholarcha Remenſis, Doctor in Decretis, & in arte poetica pro hac ætate ſat bene verſatus. Exſtat volumen ejus MS. in Bibliotheca Remenſi poematibus refertum ad diverſos, ſtilo rudi & ſcrabroſo : cecinit etiam encomia ſancti Ludovici ad Theobaldum Navarræ Regem & Comitem Campaniæ, Roberti item de Courtenay Aurelianenſis Epiſcopi & electionem Johannis de Courtenay ad Archiepiſcopatum Remenſem. Fato functus eſt anno circiter 1300. verſus ſequentes habet pro epitaphio.

Vermibus expoſitus in verſificando peritus,
Mortuus emeritus eſt ibi Drogo ſitus
Juris civilis poſſeſſor dum juvenilis
Hunc ætas regeret, modò terræ pulvis adhæret
Huic Moyſes & Ariſtoteles & Jovinianus
Quondam viventi patuerunt, & Gratianus.
Chriſti Majeſtas nos adjuvet; atque poteſtas.
Ut fera tempeſtas, calor immoderatus, & æſtus
Nos non offendant, mundíque nec ad mala tendant.

FINIS LIBRI TERTII.

Digitized by Google

METROPOLIS REMENSIS HISTORIÆ. LIBER QUARTUS DE REMORUM ARCHIEPISCOPIS REBVSQVE SCITV DIGNIS, QUÆ PER PROVINCIAM, ET DIOECESIM CONTIGERVNT, A ROBERTO DE COURTENAY VSQVE AD OBITVM PHILIPPI DU BEC.

LIBRI QVARTI

EPITOME.

BELLO in Anglo-Flandros vehementiùs recrudeſcente, quod multo tempore prorogatum eſt, decimæ pro ſumtibus belli Sacerdotio impoſitæ ſunt, inſuetúmque vectigal Remorum civibus, & alijs populis imperatum, quæ poſt cladem Pictavienſem in immenſum excreverunt. Tunc viribus Galliæ pœnè acciſis, Remorum in Regem amor ſpontanea pecuniarum oblatione plurimùm enituit: ſtrenuitas quoque Urbe obſeſſa ab Eduardo, qui cùm per aliquot dies operam ludere ſe conſpexit, ob validas civium eruptiones, ſoluta obſidione retraxit ſe, & inglorius aliò ſe tranſtulit.

Sede apoſtolica Avenionem tranſlata, gratiæ exſpectativæ, & reſervationes pro obtinendis prælaturis excogitatæ ſunt, quæ Pragmaticæ ſanctionis interitum portenderunt: unde brevi factum eſt, ut ex Archiepiſcopis à Regibus facilè expetitis ob exploratam eorum fidem, pauci ſe Remis viſendos exhibuerint, quibuſdam eo ſchiſmate infuſcatis, quod Epiſcopos, Eccleſiarum Rectores, Cœnobitas, imo & laïcos, Pſeudopontificum pervicacia ſic diviſit, ut ſub diverſis capitibus Eccleſia militare videretur.

Schiſma incipiens ex una facerat Eccleſiam.

Gallos ſubinde benignior fortuna reſpexit, cùm Angli, Puellæ ductu, Aurelianis cæſi ſunt, eáque hortante Carolus VII. exactis ab urbibus Campaniæ hoſtium præſidijs, Remos unctionem recepturus contendit, quem Reginaldus Archiepiſcopus Regni Adminiſter ſacro imbuit chriſmate. Italicis expeditionibus poſtmodum, quibus Briçoneti duo interfuêre, peſſimè ſuccedentibus, major adhuc calamitas Galliam manebat, eique diu incubuit ſub Franciſco I. bellorum turbine ſæpius repetito in Auſtriacos, Calvinianis interim novas res latenter molientibus. Hi ſiquidem arrepta occaſione ſub pupillis Regibus, tanto furore per omnes Eccleſias bacchati ſunt, ſuam religionem gladio propagaturi, ut Vvandali & Hunni modeſtiæ laudem habeant, ſi quis comparat, præ iſtorum cæde, flamma, ſacrilegio, & rapacitate.

Acerbiſſima tunc fuêre tempora falſorum dogmatum novitate, cui velut murus æneus fortiter ſeſe oppoſuit Carolus Cardinalis à Lotharingia, imprimis ſatagens ne tanti mali labes clam ſerperet in ſuam diœceſim, erecto celebri Remis erudiendis Athæneo, quod optimè cultum maximam frugem tulit. Has adhuc miſerias excepit bellum pluſquam civile fœderatorum (Remis ut fertur) poſt fatalem Henrici III. necem renovatum, & in plura capita ſenſim diviſum. Tunc Remenſis populi virtus pro avita Religione mirum in modum eluxit adversùs palantes hæreticorum greges, occultos conventus ab hæreſis toxico infeſtis habitos, & ſibi vicina oppida, quæ pro incolarum libidine ab alijs partibus ſtâbant; donec Navarræus, veræ Religioni dato nomine, Rex debitè ſalutatus factiones penitus eliſit, abolevit odia, & poſt calamitatum procellas, diu ſpectata pace Francis reddita, velut novum ſidus benignioris imperij lucem expandens, perfectæ quietis fructus ſuis ſubditis libere, ac ſuaviter guſtandos exhibuit.

INDEX

by Google

INDEX CAPITUM LIBRI QVARTI.

CAP. I. ROBERTVS LX. Archiepiſcopus luſtrat prouinciam, binas cogit Synodos apud Compendium. Decimam Rex exigit à Clericis pro bello Flandrico.

CAP. II. Robertus cum Suffraganeis vocatur ad Concilium Viennenſe. Rex monet Archiepiſcopum ut Vrbem aggeribus ſepiat.

CAP. III. Robertus Regis præcepto ad expeditionem Flandricam ſe præparat. Ludouici X. inauguratio & Philippi IV. Synodus apud Siluanectum pro libertate Cleri, regium quoque ad Remenſes reſcriptum pro Vrbis cuſtodia.

CAP. IV. Auguſtiniani Eremitæ Fratribus de Sacco Remis Philippi Regis auctoritate ſubrogantur.

CAP. V. Carolum Pulcrum ungit Robertus Archiepiſcopus, condit hic ſuum teſtamentum, moritur.

CAP. VI. Guillelmus de Tria LXI. Archiepiſcopus. Carmelitæ Remis ſtabiliuntur.

CAP. VII. Concilium Siluanectenſe cogit Guillelmus de Tria, qui & ritum peragendi prouinciales Synodos, ac diœceſanas præſcribit. Remis Ss. Sacramenti feſtiuitas celebratur.

CAP. VIII. Philippus Valeſius Remis coronatur, regij conuiuij curam ſuſcipiunt ciues Remenſes. Synodus prouincialis Siluanecti. Sancti Gibriani ſodalitium.

CAP. IX. Valeſius de bello Saracenis inferendo cogitat; Remenſes à ſubſidio præſtando ſe excuſant: equeſtri certamini interſunt apud Tornacum. Guillelmus cum Capitulo & Scabinis litigat, moritur.

CAP. X. Iohannes de Vienna LXII. Archiepiſcopus Caſtiliæ Regem cum Nauarro conciliat, ad reſidentiam compellitur à Capitulo. Votum B. Nicaſio Rex nuncupat filio ægrotante, Aliquid de bello Anglico præmiſſum.

CAP. XI. Concilium Nouiomenſe ſub Iohanne de Vienna.

CAP. XII. Eorum quæ ante & poſt pugnam Creſciacam contigerunt miſcella. De lue epidimica per Campaniam immaniter graſſante, à qua plerique liberantur meritis Ss. Nicaſij & Remigij.

CAP. XIII. Remis datur Præfectus à Rege; Ægidius de Rodemach agros eorum deuaſtat. Iohannes Archiepiſcopus nouum Regem coronat, defungitur.

CAP. XIV. Hugo d'Arcy LXIII Archiepiſcopus ex Epiſcopo Laudunenſi.

CAP. XV. Humbertus Viennenſis Delfinus, Curtinenſi licèt electo, regia auctoritate ſit LXIV. Archiepiſcopus Remenſis.

INDEX CAPITUM

CAP. XVI. *Iohannes de Craon LXV. Archiepiſcopus. Luctuoſus Regni ſtatus poſt pugnam Pictauienſem. Remenſium cura & labor in Vrbe neceſſarijs munienda aduerſus Anglos.*

CAP. XVII. *Remos Eduardus obſidet, diſcedere cogitur; ciuium facta militaria.*

CAP. XVIII. *Caroli V inauguratio. Capitula prouincialia celebrantur apud Sanctum-Quintinum. Iohannes Archiepiſcopus defungitur.*

CAP. XIX. *Ludouicus Theſart LXVI. Archiepiſcopus.*

CAP. XX. *Aliquot viri illuſtres qui Remis claruerunt ſub Craonis Pontificatu.*

CAP. XXI. *Productum Vrbis pomœrium, cur & quando, munium operoſitas, & amplitudo.*

CAP. XXII. *Richardus Picque ſit LXVII. Archiepiſcopus. Imperator particulam Reliquiarum S. Nicaſij obtinet. Gallia ſtat à partibus Clementis VII. Moſomum Regis dominio incorporatur.*

CAP. XXIII. *Carolus VI. Remis inauguratur. Clementis VII. in Papatus dignitate ſibi aſſerenda per Galliam ſagacitas. Patruorum tutelam Remis Rex exuit. Richardus Archiepiſcopus condit teſtamentum.*

CAP. XXIV. *Fetricus Caſinel ex Autiſſiodorenſi Epiſcopo fit LXVIII. Archiepiſcopus Remenſis. Iohannes de Varennis Clementinæ factionis præco & montis Sancti-Lati prope Remos accola claret.*

CAP. XXV. *Guido de Roya LXIX. Archiepiſcopus Remenſis. Schiſma poſt Clementis obitum perſeuerat, Iohannes de Varennis ab eo recedit. Capitula prouincialia apud Sanctum-Quintinum renouantur.*

CAP. XXVI. *Erminæ viſiones, & quid de his ſenſerit Iohannes de Gerſonio Pariſienſis Eccleſiæ Cancellarius.*

CAP. XXVII. *Imperator & Rex Carolus pro ſopiendo ſchiſmate Remos conueniunt. Guido de Roya Pariſijs Collegium Remenſe inſtituit, Clericos generosè tuetur, ac ſodalitium B. Mariæ apud Nicaſianos approbat.*

CAP. XXVIII. *Prouincialis Synodus Remenſis ſub Guidone de Roya.*

CAP. XXIX. *Viri celebres qui Remis floruerunt ſub Richardo & Guidone de Roya Archiepiſcopis.*

CAP. XXX. *Simon de Cramaudo LXX. Archiepiſcopus Rem. pro finiendo ſchiſmate impenſè laborat, Abbatiam de Aureo-monte unit cum Sandionyſiano Cœnobio, inter Cardinales coptatur, abdicat.*

CAP. XXXI. *Petrus Trouſſeau ex Pictauienſi Epiſcopo LXXI. Archiepiſcopus Remenſis.*

CAP. XXXII. *Reginaldus de Carnoto LXXII Archiepiſcopus ad Concilium Conſtantienſe profecturus diœceſi ſuæ conſulit. Vrbis Sueſſionenſis clades, Gallorum quoque apud Azincuriam. Seditiones poſt necem Burgundionis.*

CAP. XXXIII. *Deus miſertus Gallorum mittit illis Puellam vindicem, hac Remos Carolum ad ſacram Vnctionem per medios hoſtes feliciter deducit. Et de pace Atrebatenſi.*

CAP. XXXIV. *De Concilio Baſileenſi aliquid, & de Reginaldi ſtudijs in Rempublicam tam ciuilem, quàm eccleſiaſticam impenſis.*

CAP. XXXV. *Collegium Remenſe Pariſijs inſtauratur Caroli Regis auctoritate. Reginaldus de Carnoto obit, & laudatur.*

CAP. XXXVI. *Remi Ballinio Viromandenſi ſubjiciuntur, Prefectura item Campanienſi. Quanam Ciuitas totius prouincie Caput.*

CAP. XXXVII.

Digitized by Google

CAP. XXXVII. *De urbano Senatu, & Vrbis Præfecto.*

CAP. XXXVIII. *Quid actum sit archiepiscopali Sede vacante, & de electione Iacobi Iuuenalis Vrsini LXXIII. Archiep. qui subinde ad Patriarchatum Antiochenum prouehitur.*

CAP. XXXIX. *Iohannes Iuuenalis de Vrsinis ex Laudunensi Episcopo fit LXXIV. Remensis Archiepiscopus. Indulgentiæ à Nicolao V. Remensi Ecclesiæ conceduntur. Sedi Atrebatensi datur Episcopus.*

CAP. XXXX. *Concilium Suessionense sub Iohanne de Vrsinis.*

CAP. XLI. *Iohannes de Vrsinis Puellam absoluit, interest judicio Parium, Indulgentias obtinet pro festo Dedicationis. Canonicatus S. Cosmæ rescinduntur. Et Guillelmus Fillâtre fit Tornacensis Episcopus.*

CAP. XLII. *Ludouici XI. inauguratio. Ortus Remis tumultus compescitur. De Suffraganeis expostulat Capitulum Remense. Pragmatica sanctio abrogatur. Obit Iohannes Archiepiscopus.*

CAP. XLIII. *Interpontificij tempore Rex Petrum de Laual Sedi Remensi subijcendum curat, qui Remos sollemni pompa ingreditur, jurat priuilegia Capituli.*

CAP. XLIV. *Anglo cum Burgundione aduersùs Ludouicum fœderato, Cochinardus Remos mittitur, quid ibi gesserit. Ecclesiæ Remensis conflagratio, & Campaniæ labes grassante pestilentia.*

CAP. XLV. *Ludouicus morbo laborans Ampullam Remensem ad se deferri petit, quanto cultu à Parisiensibus excepta. Carolus Remis suscipit noui Principatûs insignia. Innocentius VIII. Canonicis priuilegium impertit. Lauallius extra diœcesim moritur.*

CAP. XLVI. *Robertus Briçonnet LXXV. Archiepiscopus, fit Franciæ Cancellarius sub Carolo VIII. moritur in comitatu Regis.*

CAP. XLVII. *Guillelmus Briçonnet annitente Rege fit LXXVI. Rem. Archiep. & Regni Administer, Ludouicum XII. in Regem inungit, Palatij archiepiscopalis frontem exstruit, abdicat in fauorem Caroli de Carecto.*

CAP. XLVIII. *Carolus de Carecto LXXVII. Archiepiscopus Remensis, abdicat, Sacra BB. Innocentium festinitas ludicris oblectamentis fœdata. Ortus Caluini hæresiarchæ.*

CAP. XLIX. *Robertus de Lenoncourt LXVIII. Archiepiscopus Remis sollemni pompa Remos ingreditur, deputatos mittit cum Capitulo ad Synodum Pisensem, Franciscum I. inungit & coronat, Pauperes alit.*

CAP. L. *Regium tribunal Remis instituitur. Hæresis Lutheri recèns nata inter bellorum tumultus vires capit. Pax Cameracensis. Robertus Archiepiscopus post multa præclarè gesta defungitur.*

CAP. LI. *Iohannes Cardinalis à Lotharingia LXXIX. Archiepiscopus, eo absente pestilens hæreseos virus per diœcesim latenter serpit è Germania aduectum, abdicat post quinque annos Præfecturæ.*

CAP. LII. *Carolus à Lotharingia LXXX. Archiepiscopus Vrbem sollemniter ingreditur. Bellum vehementius exardescit inter Imperatorem & Franciscum Regem: at hi post exustas urbes & pagos in concordiam redeunt.*

CAP. LIII. *Carolus Henricum II. sacro oleo imbuit Remis, Romam proficiscitur, fit Cardinalis, obtinet erectionem Pœnitentiariæ in dignitatem ecclesiasticam, diœcesimque quibusdam vallat constitutionibus.*

ROBERT. DE COURTE-NAY. LX. ARCHIEP. *An.* 1299.

METROPOLIS REMENSIS HISTORIÆ.

LIBER QUARTUS.

GESTA REMENSIVM ARCHIEPISCOPORVM Eccleſiarum origines, Pontificum, Regúmque diplomata continens, à Roberto de Curtiniaco ad Philippum du Bec.

Robertus LX. Archiepiſcopus luſtrat provinciam, binas cogit Synodos apud Compendium. Decimam Rex exigit à Clericis pro bello Flandrico.

COURTENAY d'or à trois tourteaux de gueules.

CAPUT I.

ROBERTI Præſulatus, ac ſæculi quarti decimi idem initium, ut & poſterioris hujus hiſtoriæ partis, quæ eò expeditior erit & clarior, quò paucæ in ea fundationum tabulæ, majórque geſtorum cujuſque Præſulis nexus cum Eccleſiæ, Regníque ſtatu, è quo interdum aliqua, cùm opus fuerit delibamus.

Robertus igitur de Courtenay Johannis nepos ex fratre Guillelmo domino de Champignelles & de la Ferte la Loupiere, matre verò Margareta Cabilonenſi, è Burgundiæ Palatinis orta (ut volunt Sammarthani) quamvis genealogiæ Curtinenſis Auctor aliter ſcribat, omnium votis electus eſt anno 1299. Tilletius tractatu de Francorum Adminiſtris narrat Robertum cum aliis Proceribus ſacramento ſe obſtrinxiſſe daturum operam, ut juxta Philippi Regis præceptum, Johanna Regina fieret Regni, ac impuberum filiorum cuſtos, & adminiſtra. In ſponſionis inſtrumento Robertus Remenſis Archidiaconus nominatur anno 1299. licét Canonici quoque Aurelianenſis titulo alibi fulgeat, ut patebit ex teſtamento. Habet Sanremigianum Chronicon, poſt jucundum Urbis ingreſſum, die Natalis B. Mariæ iniiſſe poſſeſſionem, profectùmque ab Eccleſia B. Remigii uſque ad Capellam B. Catharinæ, præcedentibus Monachis, & eum comitante Rogerio Abbate Præſulatûs inſignibus ornato, qui Capitulo ibi, ut moris eſt, exſpectanti præſentavit. Inde planum fit Sedem vacâſſe decem menſes, quibus interim Archiepiſcopatûs bona temporalia ſub manu Regis depoſita ſunt, quæ mox ut Electo reſtituerentur, ſcripſit Bonifacius VIII. ut eſt apud Bzovium.

Præfecturam

Poſt pugnam Curtracenſem, in qua nobilis quidam Remenſis Faraldus nomine fortiter ſe geſſit, repertùſque eſt inter mortuos, refert Meyerus Philippum adulterinam cudiſſe monetam, decimas, ac viceſimas Sacerdotio impoſuiſſe, maletotam quoque, tributi genus exegiſſe ab omnibus: Rex enim, teſte Tillio, gravis decimarum exactor exſtitit. Unde ejus tempore pecunia rara, & moneta parum proba. Robertus de Courtenay, cui Cleri libertates cordi erant, pro ijs tunc vindicandis impenſè laboravit, cavitque, ne gemente Gallia, immodici ſumtus in epulis expenderentur: unde vocatis apud Compendium Suffraganeis anno 1303. horum aſſenſu ſancitæ ſequentes ſunt conſtitutiones ſub data die Veneris poſt feſtum Circumciſionis. ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. *An.* 1303.

Prima, Adverſùs eos, qui excommunicatos ad eccleſiaſticam ſepulturam admittunt.

Secunda, Ne clandeſtina matrimonia fierent.

Tertia, Contra imponentes tallias Clericis.

Quarta, Adverſùs excommunicatos, qui ſententiam per biennium ſuſtinent.

Quinta, perſtringit eos, qui ultra duo fercula cum potagio miniſtrant, *Statuimus*, inquit, *ut omnes & ſingulæ perſonæ eccleſiaſticæ provinciæ in ſingulis conviviis ſint contenti potagio, & duobus ferculis ſine fraude, niſi magnitudo perſonarum ſupervenientium aliud requirat, & tunc cum prædictis poterunt uti aliquo intermedio ferculo, ita quòd ſi in conviviis hujuſmodi Reges, Duces, Comites, Barones, aut alios excellentes contigerit intereſſe, præſenti ſtatuto minimè ſint aſtricta.*

Huic Synodo ſubſcripſerunt Epiſcopi hoc ordine.

G. Epiſcopus Sueſſionenſis.	G. Epiſcopus Laudunenſis.
S. Epiſcopus Belvacenſis.	G. Epiſcopus Atrebatenſis.
G Epiſcopus Silvanectenſis.	G. Epiſcopus Ambianenſis.
J. Epiſcopus Tarvannenſis.	G. Epiſcopus Cameracenſis.

Robertus Laudunenſem diœceſim viſitans, declarat Monaſterium ſancti Martini Præmonſtratenſis Ordinis nihil inde præjudicij incurrere, quòd per unum, vel alterum diem ſuis expenſis in eo vixerit.

Rege ob vulnus inflictum in pugna Curtracenſi exercitum parante, quò Flandris vicem rependeret; Robertus Archiepiſcopus, qui cum alijs Regni Proceribus adeſſe debebat, petit à Scabinis Remenſibus ſummam ducentarum quinquaginta librarum, quam deceſſoribus in pari caſu aliàs perſolverant. Hanc pollicentur Scabini, modò pergat ipſemet, obtineâtque illis immunitatem, ne cogi poſſint ad bannum Regis, vel retrobannum, quamvis ad illa proficiſci juberentur. Archiepiſcopo reſpondente bannum fieri auctoritate Regis, nihilque in eum ſe juris habere: ne inter partes gravior diſcordia oriretur, tam Archiepiſcopus, quàm Scabini arbitrorum judicio ſe ſtaturos ſequenti ſchedula compromittunt.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Robertus miſeratione divina Remenſis Archiepiſcopus, in Domino ſalutem. Noverint univerſi quod cùm inter nos ex una parte, & dilectos Filios noſtros Scabinos Remenſes ex altera, diſcordia, ſeu quæſtionis materia verteretur, ſeu verti ſperaretur ſuper eo quod nos dicebamus, quòd quotieſcumque ad mandatum excellentiſſimi Principis Dom. Regis Francorum ad exercitum regalem vocati fuerimus, ipſi Scabini ..... tradere, & deliberare tenerentur ducentas & quinquaginta libras Pariſienſes, ſecundùm quòd à temporibus retro actis, à quibus non exſtat memoria, ſemper fuit Remis pacificè & notoriè obſervatum. Dictis Scabinis dicentibus ex adverſo quòd ad dictam pecuniæ ſummam nobis non tenerentur, niſi ad dictum exercitum *An.* 1303. *Ex Chartoph. Scabin. Rem.*

duriores videbantur, absolvitur à Nicolao sanctæ Sedis Legato Cardinali. ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. An. 1305.

Hoc anno Johannes le Moine Cardinalis è Cresciaco prope Abbatisvillam diœcesis Ambianensis fundat Collegium sui nominis Lutetiæ Parisiorum, cum bursis in favorem Scholasticorum, quarum una ad omnimodam spectat Archiepiscopi Remensis dispositionem, quam indigenæ, ac genuino Remensi conferre tenetur.

Robertus cum Suffraganeis vocatur ad Concilium Viennense. Rex monet Archiepiscopum ut Urbem aggeribus sepiat.

CAPUT II.

BENEDICTO XI. qui Bonifacio VIII. successit, post breve tempus exempto, Clemens V. ex Archiepiscopo Burdegalensi summus Pontifex renuntiatur anno 1305. Hic Romanam Curiam in Galliam traduxit, perculso reliquo Christiano orbe, & indignante Italia, ubi septuaginta & amplius annos hæsisse dicitur, haud absque veteris disciplinæ jactura; inde enim Reservationes, Gratiæ expectativæ, & decimarum propagatio in plures annos.

Anno 1308. Elizabetha Philippi Pulcri filia Eduardo nupsit Bononiæ, assistentibus Regni Proceribus, inter quos Robertus Remensis Archiepiscopus legitur apud Meyerum. Bonifacius VIII. hoc matrimonium suaserat, at dilatum est ob immuturam puellæ ætatem, tandem peractum Clementis V. studio, impendentium malorum fontem minimè prospicientis, quæ inde secuta sunt. *An. 1308.*

Urgebat interim Philippus Rex rerum à Bonifacio gestarum condemnationem; at Pontifex sentiens id fieri non posse absque Romanæ Sedis injuria, petit sibi totum hoc negotium remitti: Rege consentiente, Bonifacium palam declarat verum ac legitimum fuisse Pastorem, nec hæreseos umquam labe pollutum, tum (rescisis in Francos actibus) apud Viennam urbem generale Concilium indicit anno sequenti, scribitque omnibus Christianitatis Regnorum Archiepiscopis, Roberto in primis Remensi ac Suffraganeis: *Quatenus*, inquit, *vos Fratres Archiepiscope, ac Suessionensis, Cathalaunensis, & Belvacensis Episcopi, reliquis in vestra provincia remanentibus ad ea quæ pontificale exigunt officium exercenda ..... omni negligentia relegata, cunctis, pro ut talis ac tanti negotij qualitas exigit, dispositis & paratis, vos accingatis ad iter quod in hujusmodi decreto termino assignavimus. &c.* *An. 1310.* *An. 1311.*

Actum in eo de recuperanda Terra-sancta, de Templariorum Ordinis suppressione, ac de moribus Clericorum; constitutumque ut festum Corporis Christi celebretur feriâ quintâ post octavam Pentecostes, & alia quædam quæ extant in tomis Concilior. Quod verò damnati dicantur in prædicto Concilio Beguardi & Beguinæ vitam monasticam profitentes, ob quædam impia dogmata, non inde omnes ad unum hæresi infectos fuisse putes; Beguinas præsertim, quæ hactenus in quibusdam Belgij urbibus piè ac laudabiliter vixerunt: has enim cum Germanis nihil commercij habuisse certissimum est, licèt forsan ex eodem auctore prodierint, Beggâ scilicet Pippini I. Ducis Brabantiæ filia, aut ex Lamberto Begge Leodiensi Presbytero, quem claruisse ferunt an. 1170.

Remis erant Beguinarum Collegia quæ non cessant, ut patebit ex testam Guarini Conjon.

Roberto ad Concilium profecto, quod in sequentem annum prorogatur, duorum sceleratorum tyrannide indigna passi sunt Remenses: hi

ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. *An.* 1312.

(Regnaudum & Raulinum de Briaga vocant MSS. codices) è Regno ob crimen exſulare juſſi Scabinorum judicio, à Ballivio Viromandenſi in forenſi conventu apud Laudunum an. 1311. confirmato, circa Urbis vicinia impunè graſſabantur, incurſionibúſque cives aut non egredi, cum mercaturæ diſpendio; aut captivos fieri cogebant. Ab his Stephanus Curtinenſis Archiepiſcopi conſanguineus & majoris Eccleſiæ Præpoſitus captus eſt, & Johannes Coqueletius, qui ſoluto quingentarum ſupra mille librarum pretio, ſe ab eorum manibus exemit. Ob ejuſmodi vexationes quæ Urbis quietem interpolabant, rogatus Rex à civibus, hortatur Archiepiſcopum, ne patiatur hos ultra fatigari; interim verò Ballivio Viromandenſi dat in mandatis, ut eo cunctante, Urbem cuſtodiri faciat, hac charta.

„ PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex Ballivio Viromandenſi, vel ejus locum-tenenti ſalutem. Cùm nos dilecto & fideli noſtro Archiepiſcopo Remenſi, ad ſupplicationem Scabinorum ſui banni villæ Remenſis de quibuſdam malefactoribus è Regno noſtro bannitis, qui eos & totam villam Remenſem diffidâſſe dicuntur, non ..... timentibus noſtras ſub certa forma litteras dirigamus, ut dictam villam nocte, diéque faciat adeo ſollicitè & debitè cuſtodiri, quòd per dictos malefactores, ob defectum ſeu negligentiam cuſtodiæ dictæ villæ, ſeu habitatoribus ipſius, damna aut gravamina aliqua deinceps nullatenus inferantur. Mandamus tibi, quatenus prædictas litteras eidem Archiepiſcopo præſentes, ipſum attentiùs & ſollertiùs requirendo, ut contenta in eis debitè atque fideliter exſequatur: quód ſi ſufficienter requiſitus non fecerit, & in mora faciendi periculum noveris eminere, in ipſius defectum, dictam villam & habitatores ipſius ſecurè facias atque ſollicitè à dictorum malefactorum incurſionibus ſeu invaſionibus cuſtodiri. Datum Pariſiis nono die Auguſti anno Dom. milleſimo trecenteſimo duodecimo.

Robertus, quò juſſionem Regis expleret, voce præconis per Ballivium promulgat, ne quiſquam cum prædictis exſulibus commercium habere, juvare complices, vel eoſdem domi recipere auderet, ſub pœna carceris, aut addictionis bonorum fiſco archiepiſcopali; præmia verò pollicetur ijs qui prædictos comprehenderent aut neci darent. Hoc edicto die Sabbati poſt feſtum S. Martini anno 1313. ſancito, cui appendet ſigillum Remigij de Condé Ballivij Remenſis, civium quieti aliquatenus proviſum eſt; at Urbs graſſatorum incurſionibus ſemper patebat, debitis carens propugnaculis alicubi, & aggeribus. Unde cives iterum Regi ſuppliciter exponunt, quòd cùm in finibus Regni Urbs ſita ſit, circum eam quamprimum aggeres & muros duci imperaret, vel cuſtodiam de gratia eis largiretur, curámque munitiones reſarciendi; quibus Rex libenter annuit alio diplomate menſis Auguſti eodem anno, quod in Tablino Scabinarûs adſervatur.

Roberti comperendinatio auxit ſceleratorum audaciam, coegitque Remenſes crebris vexationibus attritos ſtrenuo cuidam Equiti domino de Charny ſtipendium pendere, quò Civitas ab his tuta redderetur, promiſſo inſuper haud vulgari præmio ei qui proſcriptorum capita traderet. Teſtatur epiſtola in Archivis Scabinatûs ad Ludovicum Hutinum Navarræ Regem & Comitem Campaniæ miſſa, quanta vexatione cives Remenſes per id tempus premerentur: at ſceleratorum principes tandem capti, ac patibulo affixi ſunt apud Launoyum.

Interdixiſſe ſcribit Butzelin. fol. 317. mòxque actũ de induciis.

Tradit Meyerus ad annum 1313. Philippum aciem iterum præparâſſe in Flandros, miſſóſque ab eo Remenſem Archiepiſcopum, & S. Dionyſij Abbatem, qui Comiti ſacrorum participatione interdicerent, ſed impeditos à Cardinali Legato, qui paullo poſt Lutetiam vocatus eſt, ut celeberrimo

berrimo Procerum cœtui interesset. Ex editiori theatro juxta fores Ecclesiæ, ea qua potuit eloquentiæ vi Principes ad Crucem suscipiendam pro Terra-sancta ab infidelium tyrannide vindicanda cohortatur : at Clementis obitu, quem Regis mors statim secuta est, excidit tam nobile propositum, quamvis illud filio cum monetæ restitutione impensiùs Rex ante obitum commendâsset. ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. *An.* 1314.

Guarini Goujon Canonici S. Symphoriani testamentum visitur in Cartophilacio S. Timothei Remensis, quo prædicta expeditio Francis cordi fuisse probatur ; delegat enim is è suo patrimonio aliquam pecuniæ summam tam conventualibus Ecclesijs, quàm Xenodochijs Remorum, inter quæ hæc præsertim referuntur quæ amplius non exstant, Begunæ Ss. Timothei & Dionysij, Filiæ-Dei, Moniales de Clairmarest, Clerici domûs de Crevet, Hospitale de Dei-merito, Xenodochia Ss. Nicasij, Remigij, Dionysij, Petri-ad-Moniales, & Antonij, quibus legat singulis viginti solidos parisienses. Item pro mittendo milite ultra mare in subsidium Terræ sanctæ decem libras : erogat quoque Carcerarijs parochiarum, Hospitali B. Mariæ, aliisque locis sacris, beati Remigij exemplo ac inclitæ cujusdam Susannæ, quorum testamenta alibi retulimus.

Carcerariæ, parva Xenodochia sunt, ubi pauperes fenestrâ, vel agritudine visitem exhaurit recipiuntur. Carcerarius dicitur qui jacet vel langore tabescit similiter. Etre en chartre.

Robertus Regis præcepto ad expeditionem Flandricam se præparat. Ludovici X inauguratio & Philippi V. Synodus apud Silvanectum pro libertate Cleri. Regium quoque ad Remenses rescriptum pro Urbis custodia.

CAPUT III.

MÆSTITIAM ex Philippi Pulcri obitu conceptam, Ludovici X. provectio ad solium statim expunxit. Hic majoris tituli augurio Rex antea Navarræ & Campaniæ Comes declaratus, cogitur inaugurationis pompam longè post patris excessum, octo circiter menses, prorogare. *Obstabat, ut tradit Buchetus*, apud Meyerum, *ærarij tenuitas expilati, exhaustique à Præfectis, quo minus absolverentur coronationis ceremoniæ.* Vel ut aliis placet Clementiæ Caroli Siculiensis filiæ, futuræ uxoris longior mora, quam secum coronari cupiebat. Rebus tamen gerendis animum nihilo secius applicuit, aciem instruendo, quò paratior esset cùm primùm induciæ cum Flandris expirassent : Belgicam enim Franciam se invasuros hi minitabantur, nec quieturos, donec urbes bello captas reciperent. *Masso lib. 3.*

Rex cognita Comitis Flandrorum indole & pervicacia, jubet tam statûs ecclesiastici, quàm sæcularis Proceres egregiè paratos esse, donec induciæ finirentur ; tum exercitui universo Atrebatum mense Augusto ad conveniendum edixit. Jussionem Roberto factam patriâ linguâ, ut se habet, hîc subijcio.

Loüis par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre à nôtre amé & feal l'Archevesque de Reims salut & amour. Pource que nous entendons de certain que cil de Flandre perseverent en leurs commotions d'estre desobeissans & rebelles de tenir la paix, qu'ils ont fait à nôtre chier Seigneur & pere : nous qui voulons estre pourveu, si que nous les puissions contraindre par vous, & par nos autres fealles & subgies à ladite paix tenir, & à venir demourer en nôtre obeissance ; de quoy nous ne voulons plus souffrir, *An.* 1315.

Male scripto-res Flandrenses dicunt animâ pacem fuisse armorum quietem.

ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP.

sans perte de nous, & de nôtre Royaume, si comme nôtre conseil le nous afferme. Nous vous requerrons, & prions si a certes comme plus pouvons, que vous selon la forme de nôtre autre mandement sur ce fait, vous arrez, & faites vos gens arréer suffisammant, si que vous soyez avec nous à Arras à la moitie de ce prochain mois de Juin en armures, & en chevaux, si comme vous appartient, & le deves faire, & avec ceci que nous vous en doyons sçavoir gré, appareillés de nous servir & aider a contraindre les rebelles & desobeissans à tenir ladite paix, & à venir & demeurer en nôtre obeissance. Donné à Paris sous le scel dequoy nous usions vivant nôtre cher Seigneur & pere. Le 12. Avril 1315.

An. 1315.

Supra monuimus, cum de certa pecuniæ summa Archiepiscopo ad Regis obsequium profecturo solvenda ageretur, Scabinos Remenses ob eam ab onere eundi, vel etiam mittendi ad castrensia munia se prorsus immunes prætendisse: regium edictum ad Ballivium Viromandensem sub eadem data prædictam adhuc clarius testatur immunitatem, cujus hic tenor est.

An. 1315.

Louis par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre au Bailly de Vermandois salut. Nous vous mandons que vous ne contraignés pas de nôtre auctorité sans moyen, ne faites contraindre les Echevins, ne les bourgeois de nôtre amé & feal Archevêque de Reims à venir en nôtre ost de Flandres, & se par vertu de nôtre autre mandement, aucun commandement leur avés fait, ou fait faire sans moyen, si les rappellés, & mettés au neant sans nul deffaut. Donné à Paris le 27. Juin 1315. le Mardy devant la Saint Pierre.

Sub id tempus; ob Roberti Bethunienſis Comitis Flandriæ rebellionem, Parisios Franciæ Megistanes convocantur sententiam dicturi, inter quos Robertus Archiepiscopus interfuisse traditur; at confestim hic Remos rediens futuræ inaugurationis necessaria præparavit, quæ Dominicâ ante octavam Assumptionis B. Mariæ celebratur, eâ pompâ & instructu quem alibi descripsimus. Vix festivas Rex deposuerat exuvias, cùm in Flandriam movit exercitum, castráque posuit prope Lisserium in Artesia: at cœli intemperies, pluvisque infesta tempestas Gallos è Flandria fugârunt. Robertus redux ab expeditione, Concilio Senonensi interest cum Ecclesiæ Remensis Suffraganeis, ubi actum de crimine, quo Petrus de Latiniaco Cathalaunensis Episcopus & Franciæ Cancellarius impetebatur. Hic sigillis ablatis in custodia detentus, sub nomine Remensis Archiepiscopi petiit educi, ac bona sibi restitui, quò liberius juxta Canones conscientiam elueret, cui eò libentiùs Patres consenserunt, quòd nuper veneficæ quatuor convictæ de nece Johanni de Castello Episcopo per scelus illata, Parisijs, ubi translatum Concilium, igni traditæ fuerant.

Iulii præcepti erat mensis Augustus & secundo Septemb Rex Insulam ingressus est Gagu lib. 7.

Cùm hæc gererentur, Ludovicus X. mense Junio humana reliquit, cùm vix sesqui anno regnâsset, relicta prægnante uxore Clementia filia Regis Hungariæ, quæ cùm postea filium peperisset, nominatus est Johannes, & octavo post die obijt, quare exclusa est lege Salica Johanna, ejusdem Ludovici ex priori conjuge Margaretâ Burgundâ filia, quæ tamen Regnum Navarræ obtinuit, nupsitque Philippo Comiti Eburonico. Philippus igitur Ludovici frater, cognomento ex proceritate corporis Longus, successit in Regno, unctionémque Remis sollemi apparatu suscepit cum Johanna uxore Hugonis Comitis Burgundiæ filia, die Epiphaniæ Domini anno 1316. Petrus Louvet narrat disceptatum acriter in hac inauguratione de loci prærogativa inter Episcopos Belvacensem & Lingonensem: hunc jus sibi deberi ob Ducis titulum contendentem, primas tamen Belvacensi concessas, quòd erectio Belvacensis Episcopatûs ante-

An. 1316.

Johannes XXII. eligitur hic annotat inventi, suppressis electionibus.

rior

rior esset ac vetustior Lingonensi, quod Belforestij opinionem longè refellit, qui aliquot rationibus nititur in sua Cosmographia Lingonensem Remensi anteponere. Tradunt schedulæ Remenses portas Urbis tempore inaugurationis clausas fuisse, ac diligentissimè custoditas, quòd Odo Burgundiæ Dux Johannæ filiæ sororis, & defuncti Regis Ludovici, Regnum deberi contenderet. ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. An. 1317.

Peractis regiæ inaugurationis ceremonijs, Robertus in hoc præsertim incubuit, ut ferocientes dominorum temporalium animos compesceret, indicta apud Silvanectum Synodo provinciali 13. Maij, cui præsentes interfuerunt Johannes Belvacensis, Guido Tornacensis, Petrus Silvanectensis, Ingeramnus Morinensis, Suffraganei: Petrus verò Cathalaunensis, Fulco Noviomensis, Robertus Ambianensis, Petrus Cameracensis, & Bernardus Atrebatensis per vicarios, ut & Decani & Capitula cathedralium Ecclesiarum per procuratores: convocati quoque Abbates, Priores, Præpositi conventuales quorum cumque Ordinum, item & Decani, Præpositi, & Capitula Ecclesiarum collegiatarum. Hi strenuos se exhibere cupientes, insignem pro reformatione morum in Clero, & gravaminibus eidem multipliciter illatis constitutionem ediderunt, cujus meminit Meyerus in Chronico.

I. Concluſum cessandum esse à Divinis in ea parochia, vel villis eorum qui bona Monasteriorum, vel Xenodochiorum invasissent.

II. Hos præterea, quorum causâ cessatum esset à Divinis, arctioribus censuris cogendos esse, si post dies octo non satisfeciſſent.

III. Injunctum Parochis ut singulis diebus Dominicis è suggestu nomina eorum proferant, qui tam sanctæ Sedis, quàm præsentis Synodi auctorite excommunicati fuerint.

Disceptatum quoque in Urbe pro coronationis sumtibus inter Remigianos præsertim, & collectores ab Archiepiscopo nominatos, quòd hi terris Eleemosynariæ Monasterij in Castellania de Betnivilla sitis tributum imposuissent: at Robertus visis immunitatum chartis, auditisque testibus, ac diligenter examinatis, scripto declarat mense Novembri 1317. bona Religiosorum sancti Remigij in Castellania de Betnivilla existentia, ac possessiones eorumdem, ad contributionem expensarum non teneri.

Subinde, quasi hæc ætas jurgijs nata, Remenses conqueruntur quòd Archiepiscopo sæpius absente, urbs absque præsidio maneret, eo præsertim tempore quo discordiarum scintillæ vigerent adhuc Regem inter, & hunc Robertum Comitem, Gallo-Flandriam ab illo enixiùs repetentem: horum votis Rex satisfacturus facultatem eis indulget muros custodiendi, sequenti diplomate, quod ex Archivis hausimus.

Philippus Dei gratiâ Franciæ & Navarræ Rex, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quòd nos communitati, ac habitatoribus civitatis Remensis ratione guerrarum, de quibus habent verisimiliter formidare, præsentium tenore concedimus ut portas & muros prædictæ civitatis, ac etiam totam villam ad tuitionem & defensionem corporum ac bonorum suorum custodiant, & faciant, prout expedire viderint, custodiri. Per hoc autem nolumus in hac parte aliquod præjudicium futuris temporibus quomodolibet generari. Datum in Abbatia Lilij prope Melodunum anno Domini 1317. *An. 1317.* *Vide Meyer. lib. 2. & Bz. Zel. lib. 7.*

Ardebat interim Robertus Comes Regis odio, magnámque animo cupidinem alebat Gallo-Flandriam Francis eripiendi, unde collecto raptim exercitu ad Insulæ obsidium cuncta comparat; at Joseramnus summi Pontif. Legatus componendæ pacis gratiâ Tornacum veniens, diris exsecrationibus

ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. an. 1318.

exsecrationibus Comitem, Flandrósque sacris arcet, ob violatas apparatu bellico inducias, tantúmque valuit dirarum metus, ut omnes illico, Gandenses præsertim, domum diffluxerint. Per hos dies vetus societas renovatur inter Capitulum Laudunense, & Ascetas Remigianos urbis Remensis, pactis quibusdam conditionibus, quas ex subjecta tabula consulat Lector qui volet.

„ IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Universis præsentes „ litteras inspecturis Garnerus Decanus, & Capitulum Laudunense sa„ lutem in Domino. Notum facimus quòd cùm inter nos Decanum & „ Capitulum Laudunense ex una parte, & religiosos viros Abbatem & „ Conventum Monasterii S. Remigii Remensis ex altera, laudabilis con„ fratria, & societas amicabilis ab antiquis temporibus instituta fuisset, ali„ quandiu tamen per aliquorum insolentiam interrupta, antiquorum vesti„ giis inhærentes confratriam & societatem prædictas in modum qui sequi„ tur piè providimus reformandas. Videlicet quòd annis singulis Idib. „ Septemb. tenebimur pro vivis celebrare Missam de Spiritu sancto sollem„ nem, & Idib. Martii integrum Officium Mortuorum pro defunctis Fra„ tribus Monasterii supradicti, & intellecta morte alicujus Monachi Mo„ nasterii prædicti, quàm citò commodè poterit fieri, tenebimur pro ani„ ma ejusdem celebrare integrum Officium Mortuorum. Item denuntia„ to nobis quemcumque fore excommunicatum pro Abbate & Conventu, „ aut singulis Fratribus dicti Monasterii, ipsum pro excommunicato habe„ bimus: & si quis malefactor Monasterio supradicto vel Fratribus dicti „ Monasterii, sive his qui ad eos pertinent, injuriam irrogaverit, & auxi„ lium à nobis prædicti Abbas & Conventus petierint, eisdem tenebimur „ præstare in Ecclesia Laudunensi consilium, auxilium & favorem, salvâ „ tamen summi Pontificis, & domini Regis auctoritate, & salvâ reve„ rentiâ domino Archiepiscopo Remensi, & Episcopo Laudunensi, & „ Ecclesiis cum quibus confraternitatem habemus, à nostra Ecclesia „ exhibenda.

„ Præterea si Fratres dicti Monasterii Laudunum venerint, panem & „ vinum habebunt, videlicet quatuor panes Refectorii & unum secta„ rium vini per tres dies continuos, & immediatè sequentes, si ipsos Fra„ tres per dictos tres dies morari contingat. Et idem tenentur dicti Reli„ giosi nostris Concanonicis Laudunensibus exhibere. Quòd si aliquis „ noster Concanonicus una cum Laudunensi & Remensem reperiatur ob„ tinere præbendam, dicti Religiosi nonnisi ad binam præstationem in an„ no dictorum panis & vini per dictos tres dies eidem Canonico facien„ dam, quotcumque vicibus se Remis transtulerit, tenebuntur. Si autem „ invaserit eos Lauduni infirmitas proprij corporis, infirmitate durante pa„ nem & vinum, ut prædictum est, percipient & habebunt. Quæ omnia, „ & singula tàm à nobis, quàm ab ipsis Religiosis fieri, præstare, & exhi„ bere volumus bonâ fide, omni fraude & machinatione omnino cessan„ tibus in præmissis, & singulis præmissorum, prout superiùs est expressum, „ salvis in omnibus privilegiis Ecclesiæ Laudunensis. Ad omnia autem su„ pradicta, prout superiùs sunt expressa, dicti Abbas & Conventus prædicti „ Monasteri nostris Concanonis tenebuntur. In quorum omnium & singu„ lorum præmissorum testimonium, sigillum nostri Capituli præsentibus „ litteris duximus apponendum.

„ Datum anno millesimo trecentesimo decimo octavo, die Mercurii „ in vigilia B. Laurenrii.

Augustiniani

Digitized by Google

ROBERT. DE COURT. LX. An. 1320.

Auguſtiniani Eremitæ Fratribus de Sacco Remis Philippi Regis auctoritate ſubrogantur.

CAPUT IV.

VIGENTE per Galliam nec immeritò PP. Auguſtinianorum Religione, Philippus Rex in celebriores Regni civitates his aditum patere voluit, quò plebs ſanctioris cultus recrearetur odore, verbáque vitæ æternæ ab iiſdem exciperet ad ſalutem. At cùm à ſancta Sede ſuum habeant ſodalitia ſtabilimentum, Johanni XXII. expoſuit pius Rex per Legatos Fratrum Pœnitentiæ de Sacco Cœnobia in urbibus Remorum & Tornacenſi pridem (conſeneſcente forſan diſciplinâ) incolis, qui eam gnaviter excolerent, deſtitui, rogans ut ea, velut S. R. E. diſpoſitioni reſervata, ab Auguſtinianis occupari permittat, cujus petitioni libentiſſimè Pontifex annuit, miſſis ſui conſenſûs litteris ad Archiepiſcopum Remenſem, & Aurelianenſem, ac Tornacenſem Epiſcopos, per Ordinis prædicti procuratores, Romæ datis V. Nonas Julii Pontificatûs anno primo, quarum hic tenor eſt.

IOhannes Epiſcopus Servus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Remenſi, ac Aurelianenſi, & Tornacenſi Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex parte cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Franciæ & Navarræ Regis illuſtris nobis exſtitit intimatum, quòd loca, quæ dudum Fratres de Pœnitentia Jeſu-Chriſti, aliàs dicti de Saccis in veſtris diœceſibus obtinebant, jam ſunt totaliter derelicta; quare nobis humiliter ſupplicavit, ut cùm Priores & Fratres Eremitæ Ordinis S. Auguſtini in eiſdem civitatibus proprias non habeant manſiones, dicta loca, quæ ſecundùm conſtitutionem Concilii Lugdunenſis ſunt diſpoſitioni Sedis apoſtolicæ reſervata, eiſdem Fratribus Eremitis concedere dignaremur. Nos igitur ejuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vobis viſum fuerit, quòd Fratres prædicti Ordinis ſancti Auguſtini in locis prædictis debeant eſſe opportuni, loca ipſa auctoritate noſtra eiſdem Fratribus concedatis, conſtitutione felicis recordationis Bonifacii VIII. prædeceſſoris noſtri, ſuper locis à Religioſis ordinum Mendicantium, ſine licentia Sedis apoſtolicæ de novo non recipiendis edita, non obſtante. Datum Avenioni V. Nonas Julii Pontificatûs noſtri anno quinto. An. 1320.

Receptis, eâ quâ par erat reverentiâ, litteris apoſtolicis, Robertus conſilio cum Proceribus Cleri diligenter habito, de conſenſu eorumdem prædictos Fratres in realem Cœnobii Fratrum de Sacco poſſeſſionem induxit, Sabbato ante octavam Ss. Trinitatis, anno 1320. ut ex teſtimoniali adeptæ poſſeſſionis charta videre licet, cujus id initium

RObertus miſeratione divinâ Remenſis Archiepiſcopus ſalutem. Litteras ſanctiſſimi Patris ac domini Johannis divinâ providentiâ univerſalis Eccleſiæ ſummi Pontificis, cum reverentia qua decuit recepimus, formam quæ ſequitur continentes: *Iohannes Epiſcopus Servus ſervorum Dei &c ut ſupra.* An. 1320.

Quia verò communicato bonorum conſilio, & deliberatione habita diligenti, nobis viſum exſtitit, quòd dicti Priores & FF. Eremitæ ordinis S. Auguſtini, qui nec habebant, nec habuerunt hactenus in noſtra civitate & diœceſi Rem. manſionem, in loco, quem dudum FF. de Pœnitentia Jeſu-Chriſti, aliàs dicti de Saccis, in noſtra civitate prædicta obtinebant, jam totaliter

ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. *An.* 1320.

„ totaliter derelicto, opportuni esse deberent, quódque si dictum locum eis „ concederemus, ex hoc cultus augeretur divinus, & populus nobis commis- „ sus per ipsos instrueretur tàm verbo prædicationis, quàm sanctæ conversa- „ tionis exemplo. Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & divini „ cultûs augmentum, locum prædictum auctoritate apostolica, nobis in hac „ parte commissa, Fratribus Eremitis concedimus, & concessimus ab ipsis „ perpetuò possidendum, &c. In cujus rei testimonium sigillum nostrum „ præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini 1320. die „ Sabbati post octavas festi Trinitatis.

Qui de hujus Ordinis natali scripsêre, tradunt ab Augustino ante adeptum Presbyteratûs honorem institutum, imò ipsummet ejusdem Religionis tesserâ instructum à B. Ambrosio probant ex Sermone XCII. his verbis : *Novum Christianum novis vestimentis, cucullâ nigrâ induimus, cingulo ex corio nos ipsi præcinximus.* Item ex Sermone ad Fratres in Eremo. At hos tractatus, ut spurios, omnes rejiciunt.

Opinantur alij S. Augustinum reducem in Africa, necdum tamen sacris initiatum, vitam eremiticam profiteri cupientibus cellulas erexisse, quod liquidò satis colligi putant ex Possidonio primùm, tum etiam ex Sermone cui titulus est *De vita Clericorum.* Nec ob aliud à plerisque Monachorum hunc Patrem seu Patriarcham vocitari, nisi quòd hos primùm instituerit in Africa, sub distincto ritu, à sancta Sede postmodum confirmato.

Vivendi hoc regulare institutum non tam clericale ab exordio, quàm laïcum miros progressus fecit : sed in hoc à priori discrepans instituto, quòd veteres Monachi eremum hactenus, seu deserta ac saltuosa loca incolerent ; hi verò intra urbium septa recepti, & ad sacros Ordines promoti, plebis obsequio & concionibus vacent. Prædicta autem societas aliarum accisione per orbem propagata insignes pietate, & doctrina viros indesinenter protulit, multos quoque pontificio claros, Scriptoresque famosissimos, quorum indicem texuit Gonsales de Critana.

Vix ullum restat in urbe Remensi Fratrum de Saccis vestigium, nutarétque narrationis fides, nisi Thomæ de Bellomeso Remensis Archiepiscopi charta superiùs allata id apertè testaretur, & testamentum Sibillæ : ab Augustinianis siquidem, qui eorum loco successerunt, ædificia pænè à fundamentis excitata sunt, ac de novo constructa, decenti admodum schemate. Ecclesia B. Annæ Virginis matri sacrata est, cujus reliquias servat in capite argenteo ; in ea odeum elegans, & sacellum in proano recèns instructum : loca quoque claustralia aptè disposita sunt, magnúsque conventûs & hortorum ambitus. Theologiam olim in proprijs scholis maximâ studiosorum frequentiâ à præstantissimis viris lectam reperio, è quibus egregij Concionatores prodiêre, ac etiamnum prodeunt.

Carolus Rex horum bona in suum patrocinium suscepit anno 1395. quamvis conventûs census admodum tenuis sit, nec sufficiat alendis Fratribus absque Concionatorum industria & labore, populi oblationibus, & eleemosynis.

Carolum Pulcrum ungit Robertus Archiepiscopus, condit hic suum testamentum, moritur.

CAPUT V.

An. 1321. PHILIPPUS Rex, cujus studio Augustiniani Remis stabiliti, constituerat ut ubique ponderis, mensuræ, & pecuniæ ratio eadem esset ; at morbo præventus IV. Nonas Januarij obijt, cui Carolus Pulcer

Pulcer ſucceſſit. Exſtant Galcheri Caſtellionenſis Franciæ Conneſtabuli literæ 14. Janu. an. 1321. ad Archiepiſcopum, & cives Remenſes pro maturanda Regis inauguratione, quæ à Roberto magnificè celebratur IX. Cal. Martij eodem anno, præſentibus ſolito apparatu Galliæ Proceribus, qui & Pares vocantur, Eduardo excepto, cui dies dictus à Rege, quòd tamquam Regni beneficiarius ob Borealem Aquitaniam, cum alijs non interfuiſſet. ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. *An.* 1321.

Gravior ſubinde quàm antea diſceptatio oritur pro expenſis coronationis, Scabinis contendentibus ſolas Caſtellanias Archiepiſcopatûs ad has teneri; at ex ſæpius iteratis intra triennium inaugurationibus judicatum à delegatis hoc onus ſolas Caſtellanias ferre non poſſe ſine civium Remenſium ſubſidio: quidnam verò ſingulæ conferre deberent, Robertus ſententiâ definivit 25. Maij an. 1328. ſanxítque terras Eleemoſynariæ S. Remigij in villis de Dontrian & de Sancto-Martino le Heureux ab hac ſarcina immunes eſſe, ac prorſus liberas.

Anno ſequenti hominem exuit Robertus Flandriæ Comes, in cujus locum ſucceſſit Ludovicus nepos, cui nunc cognomentum Creſcio à cædis loco, nunc Nivernenſis à Nivernio patris titulo. Hic ſe Regi promiſſis adſtrinxit Gallo-Flandricas urbes numquam repoſcendi, multáque à Brugenſibus indigna paſſus eſt, ob quæ Tornacenſis & Taryannenſis, provinciæ Remenſis Epiſcopi, Flandriam interdicto ſuppoſuerunt. De hoc conſule Flandricos Auctores. *An.* 1322. *Ex actis Concil. Silvanect. & Meyero.*

Robertus Archiepiſcopus ſe ad ultimam horam maturiùs diſponere cupiens, teſtamentum ſuum condidit anno 1314. ubi gloriæ ducit Sacellanum ſe Virginis vocari, quòd Ædes primaria ei ſacrata eſſet, quam ornamentis, cappis, & ſtragulis pretioſiſſimis ditavit. Ut verò in ea jugis ipſius, ac prædeceſſorum vigeret memoria, quingentas libras legavit pro anniverſario, & totidem fabricæ, quò beati Martyris Nicaſij caput in decentiorem thecam unionibus & lapillis à ſe exornatam inducerétur. Curavit præterea Inventionis & Exaltationis S. Crucis feſta de duplici in poſterum celebrari, capellámque ipſi dicatam, ac ſanctis Nicaſio, Dionyſio, & Catharinæ clatris ambiri lapideis, in qua certis diebus per ſingulas anni hebdomadas à Sacellano ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium perageretur.

Quædam pariter S. Mariæ, S. Antonij, & Monaſteriorum Urbis Xenodochijs legavit, nec Pariſienſis, & Aurelianenſis civitatum immemor fuit, ubi quondam fuerat Canonicus: Nicaſianis verò tres ſin currûs, ſeu rhedæ meliores equos conceſſit, pro vehendis lapidibus ad magnificè inchoatam eorum Baſilicam perficiendam. Præcepit ultimò, quòd ſi intra fines diœceſis Remenſis obiret, prope majus altare principis Eccleſiæ conderetur juxta Johannem avunculum, unde fit ut unicus tantùm ſepulcralis tumulus appareat pro duobus, lilijs quidem ornatus, & Præſulis effigiem præ ſe ferens, at æs in quo inciſa pridem ablatum eſt, cum limbo annum & diem obitûs continente, quæ 3. Martij an. 1323. notantur in Necrologio.

Præſul ex inſignioribus haud dubiè qui Remis hactenus præfuerunt, ſapiens, quietus, & ſummopere animatus in Ordinem eccleſiaſticum, quem ſua ſemper texit auctoritate, libertati eius, ut par eſt, conſuleus, & quieti. In cumulum gloriæ id quoque acceſſit quod (velut alter Sadoc) tres Galliæ Reges unxerit, vixeritque pacificè cum ſuis, ob id vel maximè dilectus ab eis dum viveret, & iſdem in deſiderio poſt obitum, quo majus quidquam dici non poteſt ad inchiti Præſulis commendationem.

ROBERT. DE COURT. LX. ARCHIEP. An. 1323.

Aliquot viri celebres qui ſub Roberto claruerunt.

INſigniores hac ætate viri ſibi potiùs, quàm loco, ubi tirocinium poſuerant, conſuluiſſe videntur, forſan quòd Canonicatus, minoráque Beneficia apud eos non tanti eſſent, præ dignitatibus, quas poſthac propria peperit induſtria: etenim licèt prior ſtatus ad eminentiorem eis aditum feliciter præparârit; velut inane quoddam hic ſenſim excidit ab animo, nec Remenſi hos umquam addictos choro fuiſſe ſciremus, abſque Chartulariorum ope, è quibus nomina hæc quæ ſequuntur curſim excerpſimus.

Neapoleo de Romangnia, vel de Urſinis multos annos Remenſem Archidiaconatum tenuit, ut in Indice obſervavimus, memoratur ob ingenij dotes, & quòd Johannem patrem ſuum, Urſinorum familiæ caput, in Galliam adduxerit.

Ademarus de Montil, vel de Montlimar ſororis filius Ludovici de Poitiers, Lingonenſis primùm, tum Metenſis Epiſcopi, Archidiaconatu Remenſi donatur poſt Neapoleonem anno 1320. at eo abdicato in favorem Philippi de Melun Duciſſæ Brabantinæ conſanguinei, Metenſis Epiſcopus renuntiatur anno 1328. Præclara hujus geſta in dominum de Rodemach recenſet Valladerius in *Auguſta ſua Baſilica*, ubi & addit Rodulfum Lotharingiæ Ducem bello profligâſſe, caſtelliſque per diœceſim exſtructis, munitionibus firmâſſe urbes de Nomeny & S. Avoti, functum verò anno 1361.

Vide Duchesnum de Comitib. Valenti. fol. 17.

His addi poſſunt Guido de Bolonia Portuenſis Epiſcopus Cardinalis. Guillelmus item Cardinalis ſancti Vitalis ad Archidiaconatum Rem. ſucceſſivè promoti, de quibus pauca leguntur in actis capitularibus.

Andreas Ghini Florentinus Remenſis Eccleſiæ Theſaurarîâ potiebatur anno 1328. celebríſque hujus fit mentio in ſchedulis capitularibus.

Nominatur etiam hic in regiſtris Cancellaria Francia apud Duchen. de Comitib. Valent. fol. 35.

Hic à Rege miſſus ad Brugenſes pro libertate Comitis Flandriæ, quem populari ſeditione raptum in carcerem truſerant, optimè ſuo officio perfunctus eſt, indictíſque pro hac præcipiti audacia pœnis, interdictum ſolvit, quo ſuppoſita Flandria fuerat ob rebellionem, ſanctæ Sedis auctoritate, & Cardinalis Legati miniſterio; Tornacenſis quoque ac Morinenſis Epiſcoporum. Andreas, ob egregiè navatam operam, Epiſcopatu Tornacenſi donatur poſt obitum Guillelmi de Ventadour an 1334. & cardinalitiâ purpurâ à Clemente VI. an. 1342. fato functus in legatione Hiſpanica, quam ſuſceperat anno ſequenti. Refert Brullius Capellam dotâſſe Pariſijs in loco de Vauvert, ubi Carthuſienſes ſtabiliti, ſub titulo Ss. Andreæ & Stephani anno 1337. cùm adhuc Remenſis Archidiaconus eſſet, & Collegium Langobardorum.

Brul. pag. 669.

Idem Auctor meminit Gerardi de Montigny Canonici Remenſis & Regis Advocati in ſupremo Pariſienſi Senatu anno 1339, cujus ipſe munificentiam recenſet in burſarios Collegij Laudunenſis: ac Petri Remuſe, dicti de Tonnere, Remenſis ac Tornacenſis Eccleſiarum Canonici, Regi à Conſilijs ac Duci Burgundiæ, functi 8. Octob. an. 1395. & apud Carthuſianos Pariſienſes tumulati. Hi, ac ſimiles ſibi Canonicatus, ac dignitates in Eccleſijs cathedralibus provideri curabant, ut altiùs inde poſſent provehi, quòd in ijs vigerent electiones ad præfecturas, juxta Pragmaticam-ſanctionem.

Per id quoque tempus claruit Petrus d'Hermonville Rector ſcholarum Eccleſiæ Remenſis, & Gilbertus de Saya Magiſter ſcholarum ejuſdem Eccleſiæ, apud S. Mauricium tumulatus anno 1312. Stephanus quoque de Viniata, & Drouardus; quorum nomina, cùm paſſim reperiantur in chartis & obituarijs noſtris, ſatis innuunt litteratum ſtudia apud nos etiam tunc viguiſſe, licèt poſt ſe nulla ingenij monumenta forſan reliquerint.

Guillelmus

Digitized by Google

GUILLELMUS DE TRIA LXI. An. 1324

Guillelmus de Tria LXI. Archiepiſcopus Remenſis. Carmelitæ Remis ſtabiliuntur.

CAPUT VI.

JURE archiepiſcopali ad Capitulum vacante Sede, ut moris eſt, devoluto, Albertus de Roya Laudunenſis Electus ſubjectionis fidem ei libenter exhibuit anno 1324. At Ciſonienſes, auſi non obtentâ licentiâ ſibi Abbatem præficere, ad ſatisfaciendum coguntur novo clientelæ ſacramento pro neglecti muneris noxa. Sic Capitulum ſtrenuè in minoribus ſua tuendo, ſimul quoque obſtitit, quod maius eſt, reſervationi Archiepiſcopatûs factæ per Johannem XXII. eáque poſtpoſita, fidenter ac libere ſelegit Guillelmum de Tria Bajocenſem Epiſcopum, cujus hic genealogiam inquirimus.

Quercetanus in hiſtoria Drocenſi hanc à Guillelmo de Tria è ſtirpe Calvomontana Vulcaſſini oriundo deducit, quæ juncta poſtmodum ſunt Comitibus de Domno-Martino, ac regali familiæ Drocenſi. E Guillelmo, qui ſub Philippo I. claruit, ortus eſt Matthæus de Tria & de Mouci, è quo & Marſila uxore prodierunt Johannes de Tria, Theobaldus de Tria, & Simon: Theobaldus hic natu ſecundus alium Theobaldum genuit, patrem Matthæi de Tria Franciæ Mareſchalli, & Guillelmi Archiepiſcopi, qui Philippum Valeſium à pueris educavit; unde alumnum hunc ſuum vocat in charta ab eodem Auctore citata, cujus vocis ambiguitas perperam intellecta errandi materiam nonnullis præbuit, qui Guillelmum Regis Philippi avunculum inconſultè nominant. Frizonius in *Gal. Purp.* refert eum cardinalitia dignitate fulſiſſe, creatúmque à Johanne XXII. prima promotione anni 1316. ſecutus forſan Colvenerium, & Robertum, at nullibi legitur cum hoc titulo, nec in chartis, quibus ſuum præfixit nomen, quarum aliquot penes me habeo.

Guillelmus juventæ Valeſij Regis rector & moderator.

Fuit quidam Guillelmus de Tria Cardin. tit. S. Marci qui cõjunctim fuit electus ad Archiep. Remenſem cum Johanne ad Courtenay.

Adepta poſſeſſione Archiepiſcopatûs, ſollemni Urbis ingreſſu menſe Junio, vicarium generalem delegit Philippum de Tria Eccleſiæ Bajocenſis Theſaurarium ſibi conſanguineum, tum Urbis ac ſuburbij luſtrans Eccleſias, rogatur à Johanne S. Remigij Abbate, ut B. Gibriani Confeſſoris Reliquias transferre velit in ditiorem thecam, quod ipſe lubens præſtitit IX. Cal. Julij an. 1325. præſentibus Ss. Theoderici & Dionyſij Abbatibus, prædicto Johanne Abbate, ac frequenti Clericorum cœtu. At incredibile dictu eſt, quàm ſe rigidum exhibuerit jurium archiepiſcopalium conſervatorem adversùs Capitulum, agente in primis Matthæo de Varenne avunculo, rerum temporalium adminiſtro, adeo ut intactum nihil reliquerit quò libertates & privilegia Canonicorum infringeret; his incaſſum conquerentibus, ad ceſſationem divini Officij ventum eſt, qua nihil frequentius ſuperiori ætate, nec reſumta organa, donec Guillelmus publico planctu commotus, diſcordiam inter ſe & Canonicos motam, qui è varijs locis ſodalibus auxilium laturi advolârant, amicè compoſuit. At hæc levia admodum videntur, ſi cum eccleſiaſticæ juriſdictionis vindicatione, quam Judices ſæculares temerare audebant, comparentur; quibus ut ſe generosè opponeret Guillelmus Metropolita cum Suffraganeis, provincialem Synodum apud Silvanectum indixit, quam anno ſequenti referemus.

Sub Guillelmi Pontificatûs initijs Carmelitæ in Urbem redeunt, quos plerique ab Haimerico Antiochiæ Patriarcha, Legato in Oriente, ſub Alexandro III. anno 1181. originem ducere aſſerunt; quamvis non deſint qui dicant S. Albertum Patriarcham Hieroſolymitanum, adhuc in eremo

Carmelitæ Remis recepti.

GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP. An. 1325.

degentem, peculiarem ipsis præscripsisse regulam, quam Innocentius IV. approbavit anno 1248. Veteres tradunt schedulæ Remis primùm exceptos cum pallia adhuc virgata, seu variegata gestarent ex fasciolis albi & pulli coloris, pro more Palæstinorum, de quibus Genebrardus in Chron. ad an. 180. Sub Carolo Principe reversi feliciùs stabiliantur, obtento in ea parte vici, qui Barbastrum dicitur, hospitiolo, ubi Barreti pridem fuerant.

Sic igitur Remis iterum recepti, urbana prædia sibi comparârunt intra fines ditionis Monialium S. Petri, ubi & statim oratorium exstructum, Religiosis aptum functionibus & exercitijs, donec amplior Ecclesia Fidelium largitionibus perficeretur. Divinum in ea inchoâsse Officium infra octavam Nativitatis B. Mariæ secundo Pontificatûs Guillelmi de Tria anno 1325. tradit Chron. MS. Præsul hic plurimùm laboravit pro componenda lite, mota inter Abbatissam S. Petri, & prædictos Patres, pro jure caduci extinguendo, exstructis clausstralibus locis, & cœmererio pro inhumandis corporibus benedicto. Ecclesiola consecratur per venerabilem Jacobum Boucquier Episcop. Ordinis Carmelitani, annuente Archiepiscopo, cujus anniversarium, ne reditus ab eo conciliati memoriâ excidat, ibidem sollemniter celebratur.

Hos pariter suâ benevolentiâ juvit Johannes de Vienna Remensis Archiepiscopus, Indulgentias omnibus impertiendo, qui manus adjutrices porrexissent in primo Capitulo provinciali Remis indicto, in festo S. Matthæi anno 1344. cui centum & triginta sodales interfuisse leguntur sub Provinciali Johanne de Veneta in sacra facultate Parisiensi Baccalaureo, & Thoma de Aniceio Conventûs Remensis Priore, prædicti Præsulis gentili & sacræ Pœnitentiæ administro.

Agnes La Cocque Philippi Abbatis S. Nicasij soror, ob id vel maximè inter prædicti Conventûs benefícos numerari debet. quòd centum aureos in scuto liberaliter contulerit pro novo Choro inchoando, cujus primarius lapis positus est per Ducissam de Enguien, præsentibus Comitissâ de Roceio filiâ suâ, Philippo S. Nicasij Abbate, & Ordinis Carmelitarum Provinciali Addidit præterea nobilis Agnes ducentos aureos, pro exstruenda Capella sanctæ Mariæ veteri ac novo sodalitio celebri, ubi & quiescit ex Nocrologio. Major Ecclesia, quæ stat adhuc, éstque satis ampla, & optimæ structuræ, omnimodis perfecta est sub Richardo Picque, aliàs de Bisantio, eóque permittente, sollemni ritu dedicata est ab Episcopo Ordinis Carmelitani anno 1381. Habet hæc contigua sibi clausstralia loca nunc aptè disposita, & sua amplitudine excipiendis sodalibus sic idonea, ut plura ibidem celebrata fuisse Ordinis Capitula reperiam, inter quæ hæc insigniora videntur, quæ annis 1344. 1559. & 1617. in tabulis relata sunt: huic ultimo præstantes Theologi interfuerunt, palámque omnibus impugnantibus theses in eo propositæ, Anastasio Coclerio ejusdem Conventûs alumno id in primis curante, qui studiis, scriptisque suis Ordini famam conciliavit.

Concilium Silvanectense cogit Guillelmus, qui & ritum peragendi provinciales Synodos, ac diœcesanas præscribit. Remis Ss. festivitas Sacramenti celebratur.

CAPUT VII.

EPISCOPI à Guillelmo de Tria apud Silvanectum convocati, die condicto præsentes adfuerunt, vel per deputatos: in autographo nominantur Gerardus Suessionensis, Albertus Laudunensis, Johannes

Johannes Belvacenſis, Petrus Cathalaunenſis, Fulcaudus Noviomenſis, Petrus Silvanectenſis Epiſcopi; Tornacenſis ac Tarvannenſis in Flandriam eo tempore miſſi à Rege pro terra interdicto ſupponenda, ob Flandrorum à ſuo Principe defectionem, ex Meyero, Synodo adeſſe non potuerunt, unde per vicarios tantùm interfuêre, cum deputatis cathedralium Eccleſiarum. Inchoatum à loci ſeu ſeſſionis prærogativa, quam quiſque in Concilijs provincialibus tenere deberet, concluſúmque cathedram Archiepiſcopalem locandam eſſe in medio choro, ſedeſque Epiſcoporum hinc inde diſponendas hac forma. GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP. An. 1326.

Archiepiſcopus Remenſis.

Epiſcopus Sueſſionenſis.	Epiſcopus Laudunenſis.
Epiſcopus Belvacenſis.	Epiſcopus Cathalaunenſis.
Epiſcopus Noviomenſis.	Epiſcopus Ambianenſis.
Epiſcopus Tornacenſis.	Epiſcopus Tarvannenſis.
Epiſcopus Silvanectenſis.	Epiſcopus Attrebatenſis.

Epiſcopus Cameracenſis.

Sancitum quoque, pro cæleſti benedictione promovenda, ritu ſollemni Miſſam de Spiritu-ſancto celebrandam ab Archiepiſcopo, aſſiſtentibus Suffraganeis cappis indutis, mitra ac pedo paſtorali; Abbatibus pariter veſtitis juxta ordinem ſuum: verbum quoque divinum palam annuntiandum, tum Indulgentias, recitandum quoque hymnum *Veni Creator*, quo finito, ab Archiepiſcopo vel alio ſua vice legenda ſtatuta cum Epiſcopis, tum impertiendam benedictionem, Diacono altiùs proclamante: *Humiliate vos ad benedictionem*, & Archiepiſcopo dicente, *Chriſtus Dei Filius qui eſt initium, finis, & complementum nobis tribuat caritatem. Amen. Et vos qui ad finem hujus fecit pervenire Concilij abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen Vt ab omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiam per donum Spiritus ſancti felici reditu veſtrarum ſedium cubilia repetatis illæſi. Amen. Quod nobis ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen. Et benedictio omnipotentis Dei Patris † & Filij † & Spiritus-ſancti † deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. Amen.* His de more peractis inchoata Synodus.

Articuli, ſeu Canones in prædicta Silvanectenſi Synodo ſanciti ſex numerantur ex quibuſdam ſchedis.

Primus vetabat ne ſacerdotali Beneficio præditus alterius functionem ſibi vendicaret, ſub pœna privationis fructuum ſui Beneficij.

Secundus decimas ab omnibus, Eccleſiaſticis ſolvendas eſſe præcipiebat.

Tertius prohibet ne majori excommunicatione innodati à Jure, vel ab homine, teſtes adhiberi poſſint, ſeu recipi in foro Eccleſiaſtico, vel civili. Quartus ſacrorum locorum libertatem aſſerebat, cum prohibitione aliquem inde extrahendi, aut ne ei vitæ neceſſaria miniſtrentur.

Quintus Matrimonia clandeſtina prohibet ſub pœna excommunicationis.

Ultimus laicos perſtringit, qui ut juriſdictionem labefactarent eccleſiaſticam, litteras litium ordinationi ſervientes à Tabellarijs ſurreptas in fruſta diffringebant. Declaratum igitur hujuſmodi raptores anathemate percuſſos eſſe tàm diſpoſitione Juris, quàm Legati ſanctione, qui ſimilem prohibitionem, dum in Francia ageret, promulgaverat.

Sequentes articulos ex Remigiano codice decerpſimus.

MErcatores uſurarij, ſeu feneratores, à viris fide dignis denuntiati admoneantur ab Epiſcopis.

Advocati

GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP. An. 1326.

„ Advocati qui feneratorum partes ſuſcipiunt, Sacramento profiteantur „ antequam litigent, ſe juſtam cauſam tueri, ſub pœna privationis officij.

„ Abbates ab Ordinarijs conſtringantur numerum competentem Religioſorum in Prioratibus habere.

„ Domini temporales Eccleſiaſticos ſub ſpecie debiti non capiant, abſque „ conſenſu Epiſcopi.

„ Prædicatores mercenarij ſtipem non corrogent pro ſacris locis, ſed per „ Curatos cujuſque parochiæ collecta commendetur.

„ Libertas Eccleſiarum religioſè ſervetur, nec cuiquam licitum ſit ab ijs „ per vim, velut in aſylum receptos extrahere, ſub pœna excommunica- „ tionis incurrendæ & interdicti, uſque ad plenam ſatisfactionem.

„ Licitum non ſit Abbatibus exigendi penſionem à Prioribus ſolitâ ma- „ jorem, abſque conſenſu Epiſcopi.

„ Concilij Lateranenſis Decretum ſervetur circa excommunicationis for- „ mam, & abſolutionem.

„ Divinum Officium ceſſet Epiſcoporum auctoritate poſt legitimam ad- „ monitionem, ubi bonorum eccleſiaſticorum uſurpatores commorantur, „ exceptis Baptiſmo, & Pœnitentia in articulo mortis.

„ Non permittatur Fratribus Prædicatoribus & Franciſcanis, vel *alijs* „ quibuſvis Religioſis concionari, Confeſſiones excipere, & abſolvere, niſi „ in urbibus, vel diœceſi, ubi conventuales habent domos, quæ ijs potiun- „ tur privilegijs, & ubi reperiuntur ad has functiones idonei, exceptis tamen „ generalibus Miniſtris, & Prioribus, vel Magiſtris in Theologia.

„ Judices ſæculares de uſuris & ſortilegio non cognoſcant, aliiſque crimi- „ nibus ad Eccleſiaſticos reſervatis.

„ Domini temporales per Officiarios bona eccleſiaſtica occupare non præ- „ ſumant extra fines ſuæ juriſdictionis.

„ Religioſi reperti extra ambitum clauſtri cum armis, & in habitu ſæcu- „ lari, ſine licentia Abbatis, capiantur auctoritate Epiſcopi, remittantúrque „ ad Superiores pro correctione ſuſcipienda.

Guillelmus habita ratione perverſi ordinis præceptorum ſynodalium, quæ vix à quoquam legi, aut intelligi commodè poterant, ſanxit Paſchate ſequenti, ut vetuſtiora ſtatuta ſub certis titulis ac locis communibus redigerentur, quò Preſbyteri ſciſcitati de aliquo caſu conſcientiæ, aptè & congruenter poſſent reſpondere, ſi in primo ſcilicet, ſecundo, aut tertio loco hîc haberetur; quilibet enim ſeptem præcepta, ſeu conſtitutiones continebat ex libro Decretalium deſumtas, & ſic ad aperturam libri repertum publicè coram Synodo recitare.

Ceterùm nullâ tunc certò præſcriptâ ceremoniâ exſiſtente pro celebratione Synodorum diœceſeos, cenſuit idem Archiepiſcopus ut Abbates intereſſent albis & cappis ſericis induti cum baculo paſtorali & mitra alba, non phrigiata, auro vel argento intexta, ſederéntque in primis & altioribus cathedris chori majoris Eccleſiæ; Decani rurales in ſecundis, albis induti, ſtolis & manipulis; Preſbyteri verò & Capellani infra ſuper pavimentum juxta ſedem Archiepiſcopi, quæ in chori medio locari debet. Tam Abbates, quàm Decani & Capellani jejuni eſſe debent, & in ſuis locis diſpoſiti ante adventum Archiepiſcopi. Qui ex majori Archidiaconatu ſunt ad dextram, qui ex minori ad ſiniſtram. Poſt hæc Archiepiſcopus pontificalibus indutus hymnum incipit: *Veni creator* altiori voce, finítque oratione conſueta. Vicecantor recitat Evangelium: *Ego ſum Paſtor bonus*, collectáque dicta ab Archiepiſcopo, incipit concio, tum ea completa laïci è choro egredi debent, cum ijs qui non ſunt ex cœtu, ſub pœna excommunicationis.

Curiæ

GUILLEL. DE TRIA, LXI. ARCHIEP. *An.* 1327.

Curiæ eccleſiaſticæ Tabularius vocat deinde Abbates, Abbatiſſas, Decanos, præcipuóſque Beneficiatos majoris Archidiaconatûs hoc ordine.

Abbas ſancti Remigij.	Abbatiſſa ſancti Petri Rem.
Abbas ſancti Nicaſij.	Abbatiſſa de Aureo-monte.
Abbas ſancti Dionyſij.	Decanus & Capitulum S. Symph.
Abbas ſancti Theoderici.	Capitulum ſancti Timothei.
Abbas Moſomenſis.	Decanus & Capitul. Mazerienſis.
Abbas Calvomontenſis.	Præpoſitus & Capitul. Braquenſis.
Abbas Septem-fontium.	Prior ſancti Ægidij.
Abbas Vallis-Dei.	Prior Caſtelli-Porcenſis.
	Prior S. Juliani Macerienſis &c.

Tum Abbates, Capitula, & Priores Archidiaconatûs Campaniæ.

Abbas Altivillarienſis.	Capitulum Montis-Falconis.
Abbas Sparnacenſis.	Prior de Duno.
Abbas ſancti Baſoli.	Prior de Memmes.
Abbas Bellæ-vallis.	Prior de Grandi-prato.
Abbas de Longovado.	Prior ſancti Thomæ.
Abbatiſſa de Avennico.	Prior de Senuco.
Abbatiſſa de Roziers.	Prior ſanctæ Vvalpurgis, &c.

Qui abſunt à Synodo, abſque canonica excuſatione, velut contumaces plectuntur excommunicatione. Preſbyteri deinde legunt præcepta ſynodalia, ut probent ſe illa intelligere, ſi juſſerit Archiepiſcopus, qui & Eccleſiarum fabricas, & ſodalitia commendare poteſt, & à ſingulis tres Miſſas ſi velit exigere, tum bullâ apoſtolicâ adversûs Curiæ Remenſis juriſdictionem eccleſiaſticam impedientes perlectâ, quò exſecutioni mandetur ſtudio Officialium tam Archiepiſcopi, quàm Archidiaconi, expoſitóque Rituali à Decano Chriſtianitatis, canitur *Te Deum laudamus*, quo dicto recitat Archiepiſcopus orationem, & ſic finit Synodus.

Decretum legitur primo loco communi per præcepta diſpoſito, ut quilibet Preſbyter apud ſe apographum habeat ſynodalium conſtitutionum, cui rei diligenter incumbere debent rurales Decani intra fines decaniæ, daréque operam ut ſumtibus fabricarum emptæ vulgari lingua populo explicentur. Cùm verò prædictis Decanis aliud Beneficium conſecutis decaniarum nomina ſæpius mutari contingeret, dubiumque hinc oriretur pro exſecutione mandatorum, idem Archiepiſcopus ſanxit, ut his deinceps nominibus Decaniæ indeſinenter vocarentur.

Decanatus Chriſtianitatis Remenſis.

Decanatus de Montana.	Decanatus de Duno.
Decanatus de Hermondivilla.	Decanatus de Grandi-prato.
Decanatus de Lavanna.	Decan. de Cernaco in Dulcomen.
Decanat. Sancti-Germani-montis.	Decanatus de Caſtello.
Decanatus de Lanneio.	Decanatus de Attiniaco.
Decan. de Ruminiaco in Teraſchia.	Decanatus de Betnivilla.
Decanatus de Macerijs.	Decanatus de Vidula.
Decanat. de S. Juſtina ſeu Regiteſt.	Decanatus Sparnacenſis.
Decanatus Mozomenſis.	

Quarto præcepto primi loci communis tenentur Decani ſui decanatûs nomen proprijs ſigillis imponere, iiſque uti in ſuis litteris, ſub pœna juris. Synodales regulæ quibuſvis locis inſertæ & impenſiùs commendatæ praxim, ſive uſum ſacramenta miniſtrandi ſpectabant, vitæ formam à quoque Preſbytero ſervandam, modum publicandi cenſuras, ſollemnium feſtorum *An.* 1328.

indicem,

GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP. An. 1328.

indicem, casus reservatos, in primis verò constitutiones statutas in Concilijs Compendiensi & Silvanectensi, quas in archetypo quilibet videre potest.

Canonici Remenses, statutis Capituli per id tempus ad vetustioris normæ usum salubriter revocatis, egisse leguntur cum Archiepiscopo pro sanctissimi Sacramenti sollemnitate, majori apparatu celebranda, ut liquet ex sequentibus verbis in collectario S. Remigij consignatis *X. Cal. Iulij litterâ E primùm fuit celebrata sollemnitas Sacramenti &c.*

Dicata sollemnitas augusti. Sacram. Euchar. ab Urbano IV. circa an. 1263. confirmatur à summo Pont. Clemente in Concil Vien. an. 1311.

At littera E. decimo Calendas, incidit in 22. Junij; sic cum festus dies agatur die Jovis post Trinitatem, sequitur inceptum fuisse anno 1328. siquidem hoc anno Pascha incidit 9. Cal. Maij, ut constat ex Indictione. Exstat tamen ex Chartulario S. Dionysij Rem. decretum quoddam Officialis Archidiaconi Neapoleonis pro terra de Ambly, ubi hæc verba sub finem habentur. *Datum anno Domini M CCC XXVI. feriâ sextâ post festum Sacramenti*, quod verùs puto; credibile enim est à Cathedrali Remensi augustissimæ Eucharistiæ dicatum anniversarium statim inchoatum, ac Urbani IV. bullatæ litteræ à Clemente V. confirmatæ sunt in Concilio Viennensi.

Philippus Valesius Remis coronatur, regij convivij curam suscipiunt cives Remenses. Synodus provincialis Silvanectensis. Sancti Gibriani sodalitium.

CAPUT VIII.

An. 1328.

MORTUO Rege Carolo ad saltum Vincenarum Calendis Febr. anno 1327. controversia oritur inter Eduardum Angliæ Regem ab Eduardo secundo prognatum, qui Isabellam Philippi Pulcri filiam duxerat, & Philippum Valesium trium superiorum Regum patruelem, uter Regni Rector, aut successor esse deberet. Robertus Atrebas lege Salica causam Valesij modis omnibus tuetur, frendente Eduardo & opponente legi Gallorum Salicæ sacra Biblia, quæ stirpe deficiente virili, feminam ad hereditatem vocant; at ex Rectore rerum citatus Rex Valesius (postquam Regina Caroli uxor filiam posthumam tantùm peperisset) Remis insigni pompa coronatur, die festo sanctæ Trinitatis à Guillelmo Archiepiscopo.

Refert Meyerus Ludovicum Flandriæ Comitem unctioni interfuisse, cum octoginta sex equitibus Flandris eleganter, & eodem colore vestitis, ensemque Regni gestâsse, juxta receptam majorum consuetudinem. Addit vetus Chronicon quinque dies publicæ lætitiæ datos, Johannámque Burgundam Roberti II. filiam cum Philippo unctam fuisse, & convivio à Remensibus magnificè exceptam. Huic festivitati, cùm archiepiscopalis tunc palatij amplitudo non sufficeret, tres aulæ carpentariæ in maiori area erectæ sunt, una Regi, Reginæ altera, tertia vero Primoribus & Officiarijs, quod in Caroli VI. inauguratione denuo observatum. Tradunt præterea veteres schedæ tunc primùm regalis convivij Remenses curam suscepisse, eique tredecim librarum millia cum quadringentis libris tantùm impensa, quamvis hanc summam priora multùm excessissent. Johanna Remensem Ecclesiam sacris vestibus ex tela argentea ditavit, quòd sacræ unctionis pignus in ea recepisset.

Expletâ

Expletâ inaugurationis pompâ, Rex à Ludovico Comite rogatus in Flandros rebelles bellum movet, iísque brevî ac feliciter in ordinem redactis, redijt Parisios, ubi regiorum Judicum querimoniam audit adversùs Cleri Primarios, quòd ij politicam auctoritatem paulló liberiùs sibi vindicarent. Causâ acriter ventilatâ, & discussâ per M. Petrum Cugnerium, quem Silvanectensis Electus, & Augustodunensis Episcopus haud impari stilo refutârunt, Rex palam fassus est se non permissurum, ut privilegia ecclesiastica quidquam detrimenti caperent, hócque responso Felicis nomen, ac Catholici promeruit. Subinde Guillelmus de Tria, quò ecclesiasticis constitutionibus, quas audaciùs quidam convellere nitebantur, prudenter & opportunè consuleret, Synodum provincialem apud Silvanectum cogit, hebdomadâ post festum Nativitatis B. Virginis, cui præsentes adfuerunt Albertus de Roya Laudunensis, Simon Cathalaunensis, Fulcaudus Noviomensis, Petrus Atrebatensis, Ingrannus Tarvannensis Episcopi, alij per deputatos, quibus assignatæ sedes ante procuratores Ecclesiarum cathedralium.

GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP. *An.* 1329.

Articulo primo hortatur Synodus Judices ecclesiasticos, ut statuta synodalia accuratè servari curent, tam quoad Ecclesiarum immunitates, quàm circa pœnas in eos sancitas, qui Clericos excessibus aut injurijs lacessunt.

Secundus usuras prohibet, & illicitos contractus.

An. 1330.

Tertius, ne Prioratuum administratores bona dent in precariam quocumque prætextu.

Quartus, ne quis judicium subire cogatur extra Regnum, nec alibi; sed intra fines provinciæ.

Ultimus Curatis injungit, ut singulis diebus Dominicis è suggestu denuntient pro excommunicatis bonorum ecclesiasticorum pervasores, vel qui jurisdictionem ecclesiasticam quoquo modo impediunt.

Ecclesiarum quoque cathedralium Capitula per id tempus, quò jurium ecclesiasticorum violatoribus fortiùs obsisterent, inita societate decernunt provincialia Capitula certis anni temporibus apud S. Quintinum celebranda, pro communibus negotijs, præscribendisque statutis circa vitæ normam, quam quisque Canonicus servare debet, & juramentum à quolibet præstandum, antequam in cœtum admittatur. Primum provinciale Capitulum habitum est anno 1331. apud Dominicanos, & sic singulis triennijs usque ad annum 1428. ut infra dicetur.

Eodem anno apud Remigianos Confraternitas B. Confessori Gibriano sacra erigitur, non Mendicantium Religiosorum exemplo, qui sodalitia ubique passim cogebant, quò celebriores horum Ecclesiæ fierent concursu populorum. Hactenus prioris ævi Ascetis hoc pietatis genus non venerat in mentem, apud quos & ampliores Basilicæ, & tutelarium magna vis Reliquiarum; sed nec semel erecta, pari studio ac apud Mendicantes culta reperio sodalitia, fortè quod hi plebis obsequio peculiariter sint addicti, & ex oblationibus vivant. Porro Remigiana Confraternitas id initium habuisse reperio, crebrescente in dies fama sanctissimi Gibriani, ob miracula quæ Deo volente Remis fiebant præsertim apud S. Remigium, peregrinisque eo convolantibus, suppetias pro voto feliciter referentibus, Archimandrita Johannes, quò prædicti Confessoris cultus magis ac magis augeretur, stipendio è thesauris Ecclesiæ proposito, & sacri cœtus bonorum participatione, sodalitium in sua Ecclesia Gibriani Reliquijs clara fieri consensit, permisitque ut singulis diebus summo mane pro ijs, qui nomen dedissent, incruentum perageretur in sacello ad hoc deputato pro vivis & defunctis sacrificium, vulgarentúrque consensu Archiepiscopi sodalium funera campanulæ sonitu per vicos Urbis, & plateas, pro ut in chartula confirmationis Sodalitij clariùs patebit, cujus hic tenor est.

GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP. An. 1331.

„ UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Guillelmus miſeratione di-
„ vina Remenſis Archiepiſcopus, ſalutem in Domino ſempiternam.
„ Noverint univerſi quòd nos attendentes & conſiderantes omnia & ſingula
„ contenta in litteris, quibus noſtræ præſentes litteræ ſunt annexæ, ad ho-
„ norem omnipotentis Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ Matris ejus, ac bea-
„ tiſſimi Gibriani Confeſſoris, necnon ad augmentationem divini ſervitij
„ eſſe facta, ipſius divini ſervitii jugi meditatione, pro ut noſtro in-
„ cumbit officio, augmentationem quàm plurimùm cupientes, ad requiſi-
„ tionem & ſupplicationem partium in eiſdem litteris contentarum, nobis
„ in hac parte ſupplicantium, præmiſſa omnia & ſingula, ac Confraterni-
„ tatem in litteris, quibus noſtræ præſentes litteræ ſunt annexæ, conten-
„ tam, auctoritate noſtra ordinaria confirmamus, ratificamus, approbamus
„ & laudamus, & nihilominus in eiſdem, & eorum quolibet, aſſenſum
„ noſtrum benevolum, licentiam noſtram & auctoritatem interponimus &
„ decretum. Et nihilominus ut Confratres ejuſdem Confratriæ ad funera
„ defunctorum eorumdem, vel aliàs, cùm neceſſe fuerit, nunc & in perpe-
„ tuum per aliquem famulum cum ſuo campano publicè per vicos, & plateas
„ noſtræ civitatis, & ſuburbio Remenſi, pro ut ſibi placuerit, valeant evo-
„ cari, licentiam & auctoritatem noſtram in eiſdem concedendo. In cujus rei
„ teſtimonium præſentibus litteris ſigillum noſtrum proprium duximus appo-
„ nendum. Datum anno Dom. 1331. feriâ quintâ poſt feſtum S. Andreæ Apoſtoli.

Guillelmi ſucceſſores Johannes de Vienna, & Johannes de Credonio prædictum ſodalitium ſuis pariter diplomatibus comprobârunt an. 1341. & 1355. noviſque Fidelium animos ad ſancti Confeſſoris cultum acuerunt vehementer Indulgentijs. At Guillelmus Giffordius, Roberti Lenuncurtij ſecutus exemplum, inter Confratres accenſeri voluit, Indulgentiáſque tam prædictum die feſto S. Gibriani ſacellum piè viſitantibus, quàm Confratribus, qui Miſſis in eo celebrari conſuetis intereſſent, impertijt.

Tandem Urbanus VIII. ſummus Pontifex prædictæ Confratriæ inſtitutum ſollemniter approbans nono ſui Pontificatûs anno, plenariam addidit Indulgentiam omnibus eam ingredientibus, quorum pietas elucet quàm maximè in eleemoſynis, & jugi præſentia quam exhibent Miſſis, quæ ſingulis menſibus de more, & in ſodalium funeribus decantantur, habentque pro teſſera vel ſymbolo Baculum ſancti Gibriani, quo imbecilles ſuſtentabat artus in ſenectute, exteriùs auro bracteatum, quem Preſbyter celebrans geſtat in ſupplicatione ante Miſſam die feſto Sodalitij.

Valeſius de bello Saracenis inferendo cogitat, Remenſes à ſubſidio præſtando ſe excuſant. Equeſtri certamini interſunt apud Tornacum. Guillelmus cum Capitulo, & Scabinis litigat, moritur.

CAPUT IX.

EDUARDUS Angliæ Rex, quem Remos ad Philippi inaugurationem non veniſſe diximus, cùm pro Dynaſtijs, quas in beneficium à Francia tenebat, clientare pariter jusjurandum non feciſſet, dies ei per fœciales dicitur à Philippo; Elizabetha Eduardi mater admodum inſolens videri reſpondet, ut Rex Comiti ſubjectionis fidem exhibeat; at Eduardus re penitiùs perſpecta Ambianum pergit, ibique clientelam profitetur: Philippus recepto ſacramento tumulum ſancti Ludovici Toloſani viſitaturus

visitaturus in Provinciam migrat, inde Avenionem, ubi cum Johanne XXII. colloquens bellum se Saracenis illaturum promittit, quò decimas Ecclesiarum à Pontifice facilius impetret, issque obtentis, primarias Galliæ urbes, Remensem præsertim, vehementer sollicitat, ut subsidium ferant pro hac expeditione. GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP. An. 1331.

Cives de banno Archiepiscopi, ut hoc onus à se excuterent, Regi per nuntios exponunt graves & insolitos sumtus in sua coronatione nuper impensos, agrorum vastationes, ac nocivam vineis anni tempestatem, damna quoque quibus premebantur ob frequentes monetarum mutationes; unde humiliter petunt (præsertim cùm Scabinatus censu careat) ut à tali subsidio absolvantur. Addunt non deesse apud eos qui pietatis ergo, cum regijs militibus sint profecturi, & missuri eleemosynas pro juvandis peregrinis qui Crucem sumsissent.

Philippo exercitum conscribente, & navibus jam in portu paratis, nuntiatur Eduardum nonnihil hostile machinari, pacémque Regni statim turbaturum, ac Rex è Gallia solvisset; sic mutato proposito, Philippus ad bellum se parat, quod toti Regno exitiosum futurum est.

Eduardus haud leviter sauciatus ob sacramentum ingratis à se extortum, ad vindictam adhuc gravius impellitur Roberti Atrebatensis Philippo infensi, ac defectionem cogitantis suasu, quòd decreto Parisiensi, connivente Rege, suo Comitatu spoliatus fuisset. Robertum hunc in Angliam receptum Philippus Parium Regni judicio majestatis reum declarat, inter quos Guillelmus Remensis interfuit. Eo absente, apud Tornacum equestris decursio celebratur, ad quam aliquot Campaniæ & Picardiæ urbes sollemniter evocatæ. Remenses iviisse cum tribus vexillis, & octo cursoribus, tradit vetus codex MS. ex quo picturam infra subjiciendam hausimus: inter hos fortiter gessit Hugo le Large adversùs Johannem Vvestin Tornacensem, Regem de Cornuaille vocitatum, quem lanceâ, insigni dexteritate, ab equo dejectum humi secum prostravit. Ejusmodi decursiones impendentium malorum præludia fuerunt, quibus plebis vanitas, luxus, ac nimia bonorum affluentia, Deo volente, repressa sunt.

Per id quoque tempus Capitulum Remense gravissimam cum Archiepiscopo exercuit simultatem, ob libertates indebitè ab eo temeratas: schedulæ narrant cessatum à divino Officio, scriptúmque ad Johannem XXII. quo Guillelmi de Alnoyo Officialis, Capituli jurisdictionem audaciùs sibi vindicantis, temeritas comprimeretur. Rex iras ponere jussit, ne decimarum exactioni impedimento essent; at renascentibus subinde injurijs, exulcerati dudum animi facilè commovebantur, Præpositúsque Archiepiscopi, velut fracti fœderis reus, peregrinari cogitur eodem anno ad B. Mariam de Bolonia. Litigavit quoque Guillelmus Archiepiscopus cum Scabinis, primùm pro temporali jurisdictione, quam decreto Senatûs Parisiensis dato v. Decemb. an. 1323. illæsam generosè asseruit, tum pro præludibus, quarum ipse proprietatem prætendebat, quòd in fundo suo sitæ essent, petebátque ut res, velut archiepiscopali dominio subjacens, in Curia sua ageretur, non verò coram Regis Judicibus; at ipse, hoc non obtento, causâ cecidit, ut alibi dicetur.

Comitis Atrebatensis in Angliam recessu sinistros eventus minitante, Philippus Rex viros belligerendi gnaros per civitates ablegat, qui eas ad strenuam defensionem hortentur. Johannes de Chiverni & Tracius de la Croix Remos missi dant operam ut incœptæ munitiones perficiantur, & cives Urbis custodiæ incumbant. Hi cùm ilacales Clericos intra decanias divisissent, qui Officialium mandato solebant tantùm convenire, prædicti cives apud Regem conquesti repulsam hac vice retulerunt,

GUILLEL. DE TRIA. LXI. ARCHIEP.

Clericis in ſua libertate remanentibus. Tracio de la Croix ſucceſſit Balduinus de Bova Vauclarij filius in Capitanei officio, cujus meminit Froiſſardus, munúſque urbani Ducis exercuit uſque ad annum 1340. quo Urbis gubernaculum Johanni de Vienna Archiepiſcopo datur à Rege.

An. 1331.

Guillelmus de Tria, cùm Eccleſiarum, ſeu etiam cœmeteriorum ſæpius hoſtili inſolentia profanatorum reconciliationi per ſe vacare non poſſet, ſimplicem Preſbyterum huic officio Johannis XXII auctoritate præfecit, cujus reſcriptum Avenione datum eſt undecimo Cal. Aprilis, decimo octavo ſui Pontificatûs anno, quo & obijt. Guillelmus hunc brevì ſecutus eſt, obitúſque ejus legitur vi. Cal. Octob. in Necrol. Quieſcere hunc nonnulli putant ad gradus Altaris S. Crucis, ſub tumulo, cui inſculpta effigies Archiepiſcopi, caſulâ induti lilijs reſperſâ, cujus margines (ubi nomen, dies & annus mortis) abraſæ ſunt; viſuntur tamen in angulis inſignia cum binis epiſcopalibus baculis decuſſatis, lilijs hinc inde adjacentibus: at utrum Guillelmi ſint verba hæc, quæ in ambitu capitis leguntur ſatis clarè non indicant.

UNA SIT M C TER, SIMUL L, TUNC HUNC CAPIT ÆTHER.
.....SEPTEMBRI BARATHRI TUETUR AB ENSE.

Johannes de Vienna LXII. Archiepiſcopus Caſtellæ Regem cum Navarræo conciliat, ad reſidentiam compellitur à Capitulo. Votum B. Nicaſio Rex nuncupat filio ægrotante. Aliquid de bello Anglico præmiſſum.

CAPUT X.

JOHANNES DE VIENNA. LXII. ARCHIEP.

JOHANNES de Vienna primus Archiepiſcoporum Papæ reſervationibus ſedem Remenſem adeptus eſt. Illuſtris hic fuit familiæ, excelſi animi, & magnæ apud Philippum Valeſium gratiæ, qui eò lubentiùs hunc ab Epiſcopatu Tarvannenſi ad Remenſem magni tunc nominis, ob Parium Franciæ claritudinem, promoveri conſenſit, quòd horum ope in gravioribus Regni negotijs plurimùm indigeret.

An. 1334.

Robertus ex vetuſtiſſima Viennenſi gente Burgunda Johannem procreatum putat; at hujus ſigilla, ceræ pluribus chartis impreſſa, ab inſignibus prædictæ familiæ longè diſcrepant, unde quibuſdam videtur quòd pro Vienna legendum ſit de Viane, cùm fratrem habuerit Reginaldum, alicubi de Viane vocitatum, Vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus an. 1347. at frequentiùs Johannes de Vienna nominatur.

An. 1335.

Vix poſſeſſionem adierat, cùm regiæ ſe Curiæ comitem ultrò præbuit, prædeceſſorum ſuorum more, quorum frequentiori abſentia plebis in eos amor, jus Urbem cuſtodiendi, ac vetus auctoritas, & dominium ſenſim exoleverunt. Tradit Favinus in hiſtoria Navarræa Johannem Archiepiſcopum per hos dies in Galliciam pietatis ergò perrexiſſe, ubi judex arbiter electus eſt pro ſopienda diſcordia, quæ exarſerat inter Caſtellæ Regem & Navarræ. Philippus ſiquidem Eburonſcus Navarræ Rex inito fœdere cum Aragonenſi, Mariæ Eburonenſis deſponſatione cum filio ejuſdem, velut pignore confirmato, hoc inter conditiones pepigerat, ut Caſtellanum partis Navarræ invaſorem Aragonenſis bello aggrederetur. Copijs utrimque paratis, Johannes Archiepiſcopus per horum ditiones

Favinus fol. 414.

ad

Digitized by Google

ad S. Jacobum iturus fauſtè tranſiens, inter utroſque pacis ſequeſter fuit. Caſtellæ Rex, cui pax cordi erat, ſe Archiepiſcopi judicio libenter ſubmiſit; tùm conſentiente Navarræo induciæ per ſex menſes depactæ, dictúmque, Alfonſum Regem ad reſtituenda ea, quæ belli tempore capta fuerant, obligari. Sic Johannes Archiepiſcopus aliorum non modò diſcordijs componendis, ſed & civilibus alijs negotijs plus æquo intentus, propriæ ſponſæ immemor, à diœceſi per aliquot annos procul abfuit. Capitulum ægrè ferens diœceſim indiſcretè neglectam, ſine Chriſmate, & Confirmationis Sacramento, eum ad reſidentiam fidenter compellit, minatúrque quid facto opus ſit, niſi confeſtim redeat, conſulturum. Johannes hoc perculſus nuntio, ad diſpenſationes recurrit, rogátque Guillelmum Bertrandi Noviomenſem Epiſcopum, ut diœceſim luſtret, qui Remos adiens ibi Rodulpho S. Theoderici Abbati benedictionis munus impertit anno 1337.

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1336.

An 1337.

Hoc tempore, ut refert Nangius, Johannes Philippi Valeſij major natu filius valida corripitur ægritudine, Pater cui carus erat beato eum vovet Nicaſio, cujus miraculorum fama totam pervaſerat Galliam, ſecutus in hoc prædeceſſorum ſuorum & aliorum Principum pietatem, qui aliqua preſſi calamitate, a Tutelaribus Regni ſupplices opem petebant. Dedit verò in ſui cultûs monimentum prædicti Martyris Eccleſiæ ſtatuam è ſolido argento ſex pedibus altam, filium pulchre repræſentantem, quæ è regione ſummi altaris cum uxoris & filiorum imaginibus primum poſita, paullo poſt Rege annuente in ligneam mutata eſt. Curia mœrore ob adverſam ſibi Regis valetudinem tabeſcente, Atrebatenſis Comes Eduardi bilem ad bellum in Francos vehementer accendebat, quò utriuſque Regni æraria exhauſta, Chriſtianitatis vires attritæ, tota deinceps Saracenos armis fortiter aggrediendi ſpes adempta. Eduardus Galliæ Regnum à Valeſio ſibi ablatum pro certo reputans, Atrebatenſis ſuggeſtiones facilè ſuſcepit, ictóque ſtatim fœdere cum Flandris, & Germanis, milites bello ſacro deſtinatos ſtipendiarios facit, populúmque inſolitis onerat vectigalibus. Philippus nihilo ſegnior ingentem pariter cogit exercitum, in quem Duces ac Prælati, qui Regi ſuppetias ferre debent, ſe mox recipiunt. Plebis Rex commotionem timens gravioribus ſubſidijs non aſſuetæ, ſanxit ut quotquot belli capaces eſſent ab anno viceſimo ad ſexageſimum, die condicto ſe ſiſterent ſub ducibus militaturi. Remenſis Archiepiſcopus redux ab Hiſpania homines, ſeu vaſallos Eccleſiæ in unum convenire jubet, ſeque pro Regis obſequio in armis diligenter exhibere extra portam Martis, die Veneris ante feſtum Omnium Sanctorum anno 1337.

Ægrotavit an. 1335. Johannes Dux Norman. uſque ad mortem, & pater ejus mandavit omnibus Eccleſijs ut preces Deo fierent. Ex MS. S. Germani a Pratis.

Vide Greg. Tur. de Clotario filio ægrot: Euſeb. Caſ. lib. 3 de præpa. Evangel. cap 7. Nangium ad an. 1335 Froiſſard. cap. 45.

Philippi juſſio gravis omnino viſa eſt incolis urbium, quibus quies ac mercaturæ libertas bello potior, conquerentibúſque illis quòd eo vigente urbes deſertæ forent, lanificij opus & agricultura ceſſaret, Rex, qui hac velut illecebra ingentem pecuniæ vim conflare cupiebat, hoc onus in ſubſidium commutavit, ſancitúmque quid quælibet familia tam nobilis, quàm plebeia, pro præſenti expeditione ſingulis menſibus ſolvere teneretur.

An. 1338.

Anno ſequenti Cameracum ab Anglis obſeſſum eſt, at hi diſcedere coacti ſunt Philippi exercitu hos ambiente, in quo viginti millia equitum erant, & octoginta millia peditum. Eduardus ſuis conſulens ad ripam Iſaræ caſtra poſuit, ſuaſúſque eſt à Flandris, Regis Francici nomen & inſignia palam uſurpare, ne rebelles ei obſequendo judicarentur. Flandrorum defectionis Rex factus certior, monet ut ab incœpto deſiſtant, pollicetúrque ſe horum privilegia auctum; his ſurdas aures præbentibus, Pontificis decreto, apud quem de horum pervicacia conqueſtus fuerat, Flandria interdicto ſupponitur. Eduardus callidè ſuggerit ſe Sacerdotes miſſurum, qui cenſuris poſthabitis, ſacra celebrent; at Tornacenſis, Tarvannenſis

An. 1339.

JOHANNES DE VIENNA LXII. ARCHIEP.

Tarvannenſis & Cameracenſis Epiſcopi ſententiam mandant exſecutioni: ceſſat Cœna dominica, ſilent campanæ, negatur Baptiſmus, ſepulturæ defunctorum, & nuptiarum benedictiones. Rex his armis nihil proficiens, jubet Iohannem de Roya, & Matthæum de Tria Franciæ Mareſchallos, qui apud Tornacum, Inſulam & Duacum præſidia habebant, in Flandriam irrumpere, prædia, villas, agros deprædari. *An.* 1339.

Levioribus pugnis præſens hic annus tranſigitur, quibus Comites Sareſberienſis & de Suffolk capti, ac Pariſios miſſi; majórque belli tempeſtas ſequenti reſervata. Vere ineunte Philippus ad Ballivium Viromandenſem ſcribit, ut bannum per urbes Balliviatûs promulget, cogátque bello aptos intra octo dies apud Ambianum convenire; Remenſes inter alios cenſi, rogant ne hoſtium prædæ Civitas eorum exponatur, ſe haud procul eſſe ab Alemannis, cum quibus Angli fœderati, Civitatem aptis deſtitutam propugnaculis validè defendi non poſſe, niſi à banno cives abſolvantur, ſe hoc eo liberius poſtulare, quòd Archiepiſcopus ad exercitum cum copijs pergat, cui ſolitam pecuniæ ſummam perſolvunt. At urgente neceſſitate nihil utile retulerunt, impoſitæque illis octingentæ libræ pro exemptione: bello poſtmodum in Vaſconiam è Picardia tranſlato, ab expeditione penitus eximuntur, ut ſequenti charta patebit, quam hîc patrio ſermone ſcriptam exhibemus.

An. 1339. *Philippe par la grace de Dieu Roy de France, à nos amés & feaux Maiſtre de Vé, & Robert Bertrand Maréchaux de France, & au Bailly de Vermandois, ou ſon Lieutenant, ſalut. Nous vous mandons, & à chacun de vous que les bourgeois & le commun de la ville de Reims ne contraignez, ne faites contraindre à aller, ou envoyer en noſtre preſente guerre, non contreſtant cry, ou mandemant qui fait ſoit au contraire. Car nous voulons qu'ils demeurent en ladite ville de Reims, pour la garde & defence d'icelle, & ſi pour ce aucun de leurs biens ſont pris, faites les leur delivrer ſans delay. Donné à Poiſſy le 24. Aouſt 1339.*

Philippi exercitu portus Boreales occupante, ne Eduardus copijs navalibus in Flandriam appelleret, malè pugnatum apud Cluſam, Tornacúmque inde obſeſſum ab Anglis; at Iohannæ Valeſiæ Philippi ſororis ſtudio induciæ feliciter depactæ, datíſque obſidibus, urbs ab obſidione liberatur. Iohannes Archiepiſcopus, qui Regem comitatus fuerat, Remos reverſus, ſollemni apparatu jucundum adventum celebraturus Urbem ingreditur, ibíque ſacramentum de more exhibet, tum Capitaneus Vrbis ac teritorij ſtatuitur à Rege, ex Chronico Sanremigiano, eóque nomine cives juxta Arenas convenire jubet, armatorum numerum, viréſque civium probaturus, quibus Rex turbido hoc ſtatu uti poſſet.

Mortuo Rogero de Armagnac Laudunenſi Epiſcopo, anno 1339. Hugo de Arceis eligitur, quem Iohannes Archiepiſcopus conſecrat, recipíſque ab eo clientelæ ſacramentum. Clemens VI. ex Atrebatenſi Epiſcopo ſummus Pontifex creatus, habita ratione brevitatis vitæ, Iubilæum in fine cujúſque ſæculi à Bonifacio VIII, inſtitutum, poſt quinquaginta annos fieri ſanxit. Acta capitularia referunt cœptum hoc anno matutinale Officium, quod media nocte dici conſueverat, ſummo mane in Eccleſia Remenſi à Canonicis decantari, propter bellum Anglicum, pluréſque gratias exſpectativas pro Canonicatibus obtinendis à Pontifice conceſſas, in veteris diſciplinæ perniciem, quæ tunc Reipublicæ litterariæ damno peſſum ire cœpit. Addunt præterea lites quaſdam amicè compoſitas fuiſſe inter Archiepiſcopum, & Capitulum, ob proceſſus verbales electionis Suffraganeorum, quos Capitulo præſentari debere Canonici acriter contendebant, unámque tunc Miſſam ſingulis

diebus

Digitized by Google

diebus in principe altari cathedralis Eccleſiæ celebrari ſolitam; anniverſaria verò in ara ſanctæ Crucis retro majus altare poſita, quod in majoribus Abbatijs religiosè pariter obſervatum ad noſtram uſque ætatem vidimus. JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1340.

Per id tempus Canonici Remenſes prædia quædam à Sandionyſianis recèns comparata, ob veterem confœderationem, jure caduci eximunt, ſub certis conditionibus, quas eo lubentiùs, ut ſunt in chartula profero, quòd Canonicos hactenus ad refectorium, ſaltem ſollemnioribus feſtis, conveniſſe probet; juvat igitur hanc edere, ut in Tablino Monaſterij conſervatur.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis St. Præpoſitus, H. Decanus G. Cantor, ceteríque Remenſis Eccleſiæ FRATRES ſalutem in Domino. Notum facimus quòd nos augmentum, & commodum Monaſterij B. Dionyſij Remenſis Ordinis ſancti Auguſtini, quod & religioſos viros Abbatem & Conventum ejuſdem ſervitio nocte, dieque laudabiliter inſiſtentes, ut Confratres & Conchoriales noſtros & Eccleſiæ noſtræ Remenſis amicos fideles, ſincerè diligimus, favore proſequi gratioſo volentes, conſentimus, & volumus quòd ipſi feoda, & retrofeoda, redditus, ac hereditagia ſita in villa & territorio de Champigny juxta Remis, quæ fuerunt Renaudi, quondam dicti de Ludio, ac Renaudi filij, quondam dicti Vvrginel, necnon Girardi, quondam de Champigny, Armigerorum, prout per eoſdem Religioſos empta ſunt, & per R. Patrem D. Johannem Dei gratiâ Remenſem Archiepiſcopum admortizata, pacificè in perpetuum teneant, abſque eo quod extra manum ſuam aliqualiter ponere teneantur, nec ad id per nos, vel alios poſſint compelli, mediantibus ijs, quòd ijdem Religioſi remiſerunt nobis centum ſolidos Pariſienſes, quos annuatim recipiebant à nobis in & de paſtu feſti Purificationis B. Mariæ Virginis, quotiens in refectorio noſtro, illo feſto nos non comedebamus, ubi & ipſi comedere illo paſtu debebant nobiſcum. Tali pacto adjecto, quòd ſi anno aliquo, ſeu annis aliquibus in illo feſto nos comedere in dicto refectorio contigerit, dicti Religioſi nobiſcum more ſolito comedent, eiſque neceſſaria vitæ miniſtrare tenebimur, ſicut fieri conſuevit, & de paſtu integro primo dictum feſtum immediatè ſequente, nobis centum ſolidi à dictis Religioſis pro paſtu eiſdem ipſis ſolvi conſueto, remittentur. Proviſò etiam, quòd ſive comedamus illo feſto in dicto refectorio, ſive non, nihilominus more ſolito ad Eccleſiam noſtram proceſſionaliter venient, & venire tenebuntur dicto feſto, & alijs ſequentibus conſuetis, & intereſſe primis Veſperis ejuſdem, proceſſioni, & Miſſæ celebrationi nobiſcum, ſicut eſt fieri conſuetum in feſtis Aſſumptionis, & Nativitatis ejuſdem Virginis glorioſæ, & Dedicationis Eccleſiæ noſtræ. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo, menſe Julij. An. 1340.

Tributum ſalis hoc anno excogitatum à Gallis, & impoſitum: Meyer.

Concilium Noviomenſe ſub Johanne de Vienna.

CAPUT XI.

JOHANNES de Vienna eccleſiaſticæ diſciplinæ lapſum, morum corruptionem, licentiámque animo perpendens, quam quiſque ſibi pro libito arrogabat res ſacras invadendi, eo præſertim tempore, quo Gallias Angli ſuis incurſionibus miſere devaſtabant, Synodum provincialem Novioduni convocandam cenſuit, quò Suffraganeorum ope, & conſilio

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. *An.* 1344.

filio præſentibus malis mederetur & futuris. Prædeceſſorum igitur veſtigijs tenaciter inſiſtens, convocatoriam ipſe Synodi epiſtolam, depravationum ſæculi ſynopſim graphicè depingentem, Petro Sueſſionenſi provinciæ Decano mittit, dátque negotium ut de more ceteros moneat Suffraganeos, Abbates, Præpoſitos tam ſæculares, quàm regulares, Priores conventuales cujuſque Ordinis, Capitula quoque cathedralia, & collegiata, omnéſque Eccleſiaſticos, qui de jure vel conſuetudine his conventibus intereſſe ſolent, die feſto S. Magdalenæ apud Noviodunum frequentes adeſſe, aut eorum loco procuratores idoneos mittere litteris deputatorijs inſtructos, ſub pœna cenſuras incurrendi, in contumaces à Canonibus inflictas, pro diſcutiendis ac definiendis rebus, quæ in præſenti Concilio proponendæ eſſent. Epiſtola undecimo Junij data eſt ejuſmodi.

Epiſtola convocatoria Concilij Noviomenſis.

An. 1344. *Exſtat in Archivo archiepiſcopali ſigillis Epiſcoporũ provinciæ munita.*

„ IOhannes miſeratione divina Remenſis Archiepiſcopus, venerabili Fratri noſtro Petro eadem miſeratione Epiſcopo Sueſſionenſi, vel ejus „ Vicarijs ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem. Mediator Dei & „ hominum Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſua inſcrutabili bonitate, & „ ineffabili pietate, pro redemptione humani generis incarnatus, & inter „ homines converſatus, mortem ſubijt temporalem, & reſurgens à mor„ tuis finaliter aſcendit ad Patrem. At ſicut noluit, ſic nec decuit gregem „ ſuum ſui proprij ſanguinis effuſione redemptum, Paſtoris ſolatio dimittere „ deſtitutum, propter quod beato Petro & alijs Apoſtolis dignatus eſt curam „ committere dicti gregis, eiſque decedentibus, in locum ipſorum Romæ „ Pontifices univerſaliter, Archiepiſcopi in provincia, Epiſcopi in diœceſi„ bus ſuis, in partem ſollicitudinis advocati, ſua diſpoſitione ſucceſſerunt, „ ipſóſque ſucceſſores ſuos, & ſuam Eccleſiam ſuper ſolium firmæ petræ „ diſpoſuit & fundavit, quæ poſtmodum per devotionem Fidelium, multi„ pliciter eorumdem pijs erogationibus augmentata, cum decore pullulavit.

„ Sed proh dolor! ſerpens ille callidus quærens quem devoret, & mille „ nocendi modos habens, offendicula ſemper parat, & retia tendit fraudu„ loſis perſuaſionibus, & deceptorijs blandimentis operta, quibus compre„ hendere poſſit homines, cupiens eos efficere participes inæſtimabilis pœnæ „ ſuæ, per hoc miſeriæ ſuæ quærens requiem miſeriarum, quam non inve„ nit proficuam, cùm irrevocabili divina ſententia ei ſit æternaliter dene„ gata, humano generi inſidiari non deſinit, moleſtè ferens illos aſcendere, „ unde ſe meminit corruiſſe: & quod cordis anxietate referimus, ſuis tortuoſis „ fallacijs contra Eccleſiam, Dei ſponſam, ejus perſonas, & miniſtros, „ ſtatúmque eccleſiaſticum, infinitorum malorum ſemina noſtris temporibus „ ſeminavit, & ſeminare non ceſſat multa gravamina, damna, moleſtias, „ injurias & oppreſſiones inferendo.

„ Ipſa namque Eccleſia modernis temporibus, quod cum cordis amaritu„ dine & commotis viſceribus referimus, oppreſſionibus varijs, damnis, & „ injurijs affligitur, tot enim mala, tot diſcrimina, tot anxia, tot adverſa, „ per perſecutiones & ſcandala contra perſonas prædictas lamentabiliter „ invaleſcunt omni die, ut quodammodo jam non Catholici, ſed pagani „ quamplures videantur. Quinimo demoniacolè totaliter à cognitione ortho„ doxæ Fidei ſe exhibent alienos, & Patrem, qui eos enutrivit, ſpreverunt „ & ſpernunt in ſua malitia gloriantes, deprædatores ſunt quamplurium, „ quorum defenſores eſſe deberent, & in perpetrando talia, tam peſtifera, (ut „ videtur) obſequium ſe præſtare Deo arbitrantur. Judicio namque talium „ & ſuorum ſatellitum, plus laudantur, qui plus jura & libertates compri„ munt, & devaſtant; quot enim & quantis temerarijs auſibus in noſtra

Remenſi

Remenſi diœceſi & provincia, eccleſiaſtica juriſdictio perturbetur, jura, libertates ipſius, totáque congregatio clericalis ſuffocentur, & devaſtentur, notoriè conſpicatur ubiquaque. « JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1344.

Ipſa námque ſponſa Chriſti, etſi ſæpetenus, non tamen cordetenus excolitur, nec etiam veneratur, quinimò contemnitur, conculcatur; ergo ſubjicitur domina, quod ſtupendum eſt, & noſtris oculis admirabile, & lamentabiliter condolendum Quia verò ſcimus indubitanter æternæ ſupereminentiam Deitatis omnem conditionis humanæ naturæ excedere, & abſque quæſtione relationis Dei miſerationem eſſe hominis iniquitate ad ipſum ſolo metu præmiſſa commutare potentem, qui clamantem miſericorditer exaudire ſolitus eſt, oculos confidenter & cum clamore levamus, & ad ipſum ex præmiſſis turbatæ multipliciter, & afflictæ noſtræ mentis aciem dirigentes ſuper his, & alijs referendis in hac provincia reformandis, provinciale Concilium apud Noviodunum, ad craſtinum feſti B. Mariæ Magdalenæ, ſub Dei providentia, ejus nobis auxiliante clementia decrevimus convocandum. « Locus corruptus.

Quocirca Fraternitati veſtræ auctoritate metropolica injungimus & mandamus, quatenus univerſos noſtræ Remenſis Eccleſiæ Suffraganeos, necnon Abbates, Præpoſitos ſæculares, & regulares, Eccleſiæ Priores conventuales quorumcumque Ordinum, Capitula cathedralium, & collegiatarum Eccleſiarum, & quoſcumque alios totius provinciæ Remenſis, qui provincialibus Concilijs comparere conſueverunt & debent, ad dictum provinciale Concilium, dicta die favente Domino celebrandum, ſine mora, diligenter, prout ad vos pertinet, in veſtra diœceſi, & alibi convocetis, & per noſtros Remenſis provinciæ Suffraganeos in ſuis civitate & diœceſi, prout ad unumquemque ipſorum pertinuerit, convocari faciatis, & mandetis intimantes, ſeu intimari facientes & mandantes auctoritate qua ſupra omnibus, & ſingulis ſupradictis per veſtras patentes litteras harum ſeriem continentes, ut præfati Suffraganei, Abbates, Præpoſiti, Priores, perſonaliter, Capitula verò cathedralium & collegiatarum Eccleſiarum per procuratores idoneos, ſufficienter inſtructos, mandatóque ſpeciali & poteſtate munitos ad audiendum, referendum, & conſulendum ſuper his, quæ in dicto Concilio tractabuntur dicta die, & quamdiu Concilio inſiſtetur coram nobis in ipſo Concilio, ceſſante frivola excuſatione quaque, ſtudeant comparere, prout ibidem unà nobiſcum, & ipſis perſonaliter intereſſe curetis; ipſis nihilominus intimantes, ſeu intimari facientes, quòd ſi neglexerint comparere, contra ipſos ad pœnas canonicas, prout juſtum fuerit, procedemus, quatenus inſuper gravamina, quæ ipſis & eorum Eccleſijs, in quibus non poſſunt apponere remedium, inferuntur, in ſcriptis redigant, & ad Concilij notitiam ſtudiosè perducant, ut deliberatione habita ſuper ipſis, ex communi conſilio divina inſpirante gratia remedium procuretur.

In ſignum verò receptionis, ac jucundæ exceptionis præmiſſorum, ſigillum veſtrum præſentibus apponatur, ut de ipſ. rum execution per litteras patentes veſtras certificemur. Datum apud Attiniacum ſub ſigillo noſtro undecima die Junij anno Domini 1344.

Epiſcopus Sueſſionenſis, accepta poteſtate à Metropolitano ceteros Epiſcopos convocandi, ſuo muneri impigre ſatisfecit epiſtolâ ad eos miſſâ Johannis convocatoriam continente, cui cum ſyngrapha, proprium quoque ſigillum ex cera ſinguli appenſum addiderunt. Quidam die condicto perſonaliter adfuiſſe leguntur, Petrus ſcilicet Sueſſionenſis, Hugo Laudunenſis, Johannes Ambianenſis, Johannes Tornacenſis, R. Tarvannenſis, R. Silvanectenſis, alij per deputatos. Metropolitanus Novioduni exiſtens decimâ Julij, orſus eſt proluſoria oratione à gravioribus cauſis, quæ Synodi convocandæ occa-

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1344.

sionem præbuerant, invectúsque est in dominos sæculares, & eorum officiarios, qui neglectis censuris, jura ac libertates Clericorum temerare audebant, homines suos impediendo ne Curiæ se sisterent ecclesiasticæ, Curatos verò, Notarios, seu Tabelliones, ne reciperent litteras citatorias, eis subscriberent, aut exsecutioni demandarent, sub gravi pœna bonis vel corpori infligenda. Quod nuper in tàm immanis sævitiæ probationem contigerat, cùm prædictos per satellites apprehensos, & in carcerem trusos coegerunt acta imperfecta proferre, quæ coram eis lacerata sunt, & indignè concremata, in odium ecclesiasticæ jurisdictionis.

Archiepiscop⁹ cõqueritur de Galchero domino de Cumiere, qui Stephanum Cartinensem Præpositum Eccl. Rem ceperat tempore belli suscepti pro terra de Ruffi. Satisfactio prædicti domini legitur in codice MS. Bibliot. Rem. an. 1345.

Nec ijs contenti Clericos sui territorij sub eadem pœna obstrinxêre, ut se sisterent coram suis officiarijs, rationem reddituri de his criminibus, pro quibus canonicè à suis Judicibus puniti fuissent, vel absoluti, cúmque horum petitione, censura quædam in auctores talium vexationum decreta fuisset, ab ijsdem officiarijs vi coacti sunt ad obtinendam suis sumtibus absolutionem; quæ omnia à pacis inimico suggesta esse nemo non videt in exitium ecclesiasticæ libertatis, contemptum Canonum, scandalum ac dedecus Christianitatis. Licèt ergo præcedentium Synodorum decretis hæc abundè, & sufficienter prohibita essent, cùm malitia crescente, pœna augeri debeat, necesséque sit ut ij quos timor à malè agendo non avertit, severitate comprimantur, rationi consonum duxisse præsentem Synodum convocare, quò remedia in communi perquirantur adversùs ejusmodi exorbitates, quæ in pessimam consuetudinem sensim devenerant.

Episcopi sententiam rogati, censent divinum cessandum Officium ubi talia contigissent, postquam Decanus ruralis, vel Curatus prædictorum certior factus fuisset, juxta Constitutiones Synodi Silvanectensis sub Roberto de Courtenay coactæ anno 1317. sacrísque reos arcendos, nisi intra dies octo satisfeciissent. Interim verò diem eis dicendum in Curia episcopali, ut congruam de meritis pœnam recipiant. Et quoniam apparitores, prædictorum dominorum domos significandæ commissionis gratiâ ingredi non audebant, ijdem Episcopi sanxerunt litteras citatorias cuidam ex horum domesticis porrigendas esse, vel ex suggestu in parochijs publicandas, aut Ecclesiæ cathedralis, spiritualísque Curiæ valvis affixas, tantùm valituras, ac si ipsímet datæ fuissent. Quòd si ab ijs vexationibus non abstinerent, libere ea restituendo, quæ injustè ab ijs ablata sunt, corpora eorum qui decessissent (ubi interdictum positum est) inhumata remanerent, exceptis Clericorum corporibus, qui à talibus ausis essent alieni, quæ tamen in loco sacro conderentur, absque campanæ sonitu & alijs ceremonijs.

Sancitum quoque ut in Ecclesijs cujusque diœcesèos, consuetudines cathedralis Ecclesiæ serventur.

Pro excommunicatis habendos esse, qui prohiberent ne homines aut vasalli Clericis quidquam venderent, emerent ab eis, aut agros eorum colerent.

Judices sæculares, qui Clericos in ergastulis injustè detentos relaxare coacti sunt, ad restitutionem teneri eorum omnium, quæ ab ijs per vim extorsissent, sub pœna excommunicationis.

Ne mimi, seu theatrici in suis ludicris, cereis utantur candelis ad simplicem seducendum populum, aut eumdem sensim ad idololatriam inducendum.

Ut religiosi Mendicantes, & Curati populum hortentur ad decimas exactè solvendas, indicéntque eas improbè denegantes ab ingressu Ecclesiæ arcendos esse, ac Christianæ sepulturæ privatione puniendos. Et quoniam prædictis Mendicantibus aliàs hoc injunctum fuerat, præcipit Synodus, ut strenuè, ac sine dolo id expleant, sub pœna cadendi à potestate

quæ

Digitized by Google

quæ illis impertita fuerat abſolvendi à caſibus reſervatis, eo præſertim quem incurrunt, qui decimam ſolvere recuſant, ipſis tantùm diœceſanis reſervato. De poteſtate verò approbationis, ne paullo ſtrictius coarcta videretur, decernit ut Capitula conventiones inter ſe & Epiſcopos factas proferrent; item & privilegia, cùm neceſſitas foret, & viciſſim Epiſcopi erga Capitula. JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1344.

Injunctum præterea Decanis, ac Judicibus eccleſiaſticis, ut moneant Canonicos, ac ſibi ſubjectos Clericos, ne abſque tonſura incedant, & habitu decenti, cóſque ad id compellant per diſtributionum adjudicationem.

Ne quiſquam Preſbyter, aut Eccleſiaſticus miracula in ſuis Eccleſijs facta, abſque Ordinarij conſenſu promulgare audeant.

Dominos temporales, vel eorum officiarios incurrere excommunicationem, qui Clerico, ob aliquòd crimen ipſi impoſitum, ab ipſis deprehenſo auferrent habitum, vel tonſuram, abſciſsíſque capillis, veſtibus laicis ſeu radiatis induerent.

Laïcos ſibi propria auctoritate clericalem habitum imponere non poſſe abſque cenſura.

Et quoniam ſæculares quidam Judices captis Clericis, & eorum bonis adjudicatis, cenſuram Concilij Silvanectenſis ſe non incurriſſe putabant, quòd eos intra dies octo remiſiſſent ad proprium munus explendum, juxta præſcriptum Concilij, licèt denuo ab ipſis comprehenſos in vinculis ad libitum detinerent; decretum ejuſmodi vexationum auctores, quibus Concilij provincialis conſtitutiones irritæ, ac deſpectui habebantur, ipſo facto incurriſſe excommunicationem.

Repreſſa quoque Notariorum ac Procuratorum avaritia, quibus injunctum mediocri ſtipendio contentos eſſe debere, ac ſedulò dare operam, ne cui cauſas agendo crimen imponant, unde ſcandalum oriri poſſet, vel in facultatibus detrimentum.

Prædictæ ſanctiones varijs ſeſſionibus decretæ ſunt, prima die Veneris ante feſtum beatæ Magdalenæ inchoata legitur, ceteræ uſque ad 26. menſis Julij productæ ſunt.

Synodi comminationibus vehementer concuſſi Nobiles, qui Stephanum de Courtenay Eccleſiæ Remenſis Præpoſitum in vincula conjecerant, ne Sacrorum participatione diutius arcerentur, injuriam ipſi, ac toti Clero illatam reſarcire ſtatuunt, adjectis conditionibus in præſenti charta relatis, quam tibi lector vernaculè ſcriptam exhibemus.

A Tous ceux qui ces preſentes lettres veront, & oiront, Colart de Saux garde dou ſeel de la Prevoté de Sainte Manehaut ſalut. Sachent tuit que par devant Colin la Pouille bourgeois de Sainte Manehaut, & Iean Acier Tabellion doudit lieu Clers jurez & établis ad ce faire, vint en propre perſonne pour ceſte choſe Gauchiers de Cumiers Eſcuyers, diſens, & affermans que comme durant la guerre jadis meuë, & pendent de entre luy d'une part, & reverend Pere en Dieu & ſigneur Monſieur Iean de Vienne par la grace de Dieu Archeveſque de Reims d'autre part, pour cauſe & raiſon de la terre de Ruffy des Meſnues & appartenans, qui jadis fu à Girart de Ruffy Eſcuyer, honorables hommes ſages & diſcrets Eſtienne de Courtenay Prevos de l'Egliſe nôtre Dame de Reims eut eſté pris, & chergies par ledit Gauchiers & ſes complices pour emmener hors dou Royaume de France, & dicelles ſoyent les parties cheves en pais, & en acort. Si recognut ly dit Gauchiers de ſon plain gré ſans force, & promit comme gentil homme, que il fera pour ce amande audit Prevos, pour ſa perſonne, & à Chapitre de ladite Egliſe, pour l'injure faite à l'Egliſe, pour tant comme à chacun touche audit regart ordonnance & volonté de religieuſe perſonne, ſage & diſcrete Monſieur An. 1345.

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1345.

l'Abbé de l'Egliſe ſaint Nicaiſe de Reims, & ladite ordonnance & raport qui faite en ſera ſur ce doudit Abbé, ly dis Gauchier tenra, gardera, & accomplira fermement, ſi comme ly dis Gauchiers le recognut par devant leſdits Iurez, & promiſt ly dis Gauchiers par la foy de ſon corps comme Gentil homme pour ce donne corporelement es mains deſdits Iurez ſur l'ame de le Roy nôtre Sire, que il toutes les choſes deſſus dites, & chacun d'icelles tenra, & gardera fermement, ſans venir ne faire venir tant par luy, ne par autres en aucune maniere, ne art, engien, cauſe, matiere, traité, ocquaſion, plait, oppoſition, ne autre choſe quelconque, il ny querra ny fera querir par luy, ne par autre en quelque maniere que ce ſoit, ſur peine & reſtitution de tous coux, fraits, domages, miſſions, depens & intereſt, rendre & reſtablir audit Prevos & Chapitre, ou à ceux à qui il appartinedra &c. Fu fait le quart jour d'Avril l'an de grace N. S. mil trois cens quarante cinq.

Peracta Synodo Johannes Archiepiſcopus Romam perrexit Orator Regis creatus ad Pontificem maximum, & Caſtellæ Regem, litteris datis apud Pontem-Maxentiæ XI. Novemb. pro fœdere pacis inter eoſdem ſanciendo, ut affirmant regeſta Senatûs, & Cameræ Rationum Pariſienſium, manſitque per duos annos extra provinciam, Ludovico Theſart Doctore in Decretis Officiali, & Remigio de Ambonayo, Vicariis generalibus conſtitutis, ex charta Nicaſiana menſis Maij anni 1346. quæ ſic incipit, *Ludovicus Theſart Legum Doctor Officialis, & Remigius de Ambonayo, Vicarij reverendiſſimi Iohannis de Vienna Archiepiſcopi in remotis agentis, & extra diœceſim & provinciam notoriè abſentis.*

Longior hæc abſentia, & lites quæ ſubindè emergebant inter Epiſcopos, & Capitula, Stephanum de Courtenay Præpoſitum Eccleſiæ moverunt ad cogendum Capitulum, ob id vel maximè offenſum, quòd tamdiu Remenſis diœceſis ſuo Paſtore viduata maneret. Actum præcipuè in eo conventu de compellendo Archiepiſcopo ad proprium munus perſonaliter obeundum, & de officiariorum ejuſdem pervicacia, qui Capituli jura, libertatéſque convellere auderent, decretúmque hos ſacris arcendos eſſe, ut vel hoc ſpiritali gladio percuſſi ab incœptis deſiſterent.

Per id quoque tempus Monachi Nicaſiani duo, quòd bona fide, & coram teſtibus dixiſſent ſe ſacras ſui Patroni poſſidere Reliquias, ad palinodiam publicè canendam Officialium decreto damnantur, cum pari dedecore & criminis nota, ac ſi in deteſtandam hæreſim prolapſi fuiſſent, & hæc ſæculi labes, juriſque perverſitas: Canonici Johannis abſentiæ occaſionem nacti, Nicaſianos Reliquijs ſui Patroni vacuos omnino & expertes vulgare nitebantur, cùm proceſſus verbales ſuperiùs relati manifeſtè contrarium evincant.

De his quæ ante & poſt pugnam Creſciacam contigerunt. De lue epidimica per Campaniam immaniter graſſante, à qua plerique liberantur meritis Ss. Nicaſij & Remigij.

CAPUT XII.

EXACTIS necdum omnino inducijs, recruduit bellum inter Francorum & Angliæ Reges, novis ſimultatibus ſibiipſis infenſos. Eduardus miſſo in Vaſconiam navali exercitu Artevaldum Sluſam accerſit, poſtulátque ſupremum in Flandriam ad ſe transferri imperium,

ut deſertis Gallorum partibus, Ludovicus Comes ipſi fidem præſtet, & ſi renuat, eo deſerto, ac velut exheredato, Flandri Principem Vvalliæ Comitem ſibi recipiant; hoc ut perficiat daturum ſe operam ſpondet Artevaldus. At Flandris, quibus antiquiùs nihil Principum ſuorum ſtemmate, Ludovici exheredatio ingrata, fœdaque viſa eſt, ortóque tumultu, infamis Tribunus lethali percuſſus vulnere meritas luit pœnas 17. menſis Julij anni 1345. Conquerente Eduârdo de cariſſimi compatris nece, purgant ſe utcumque Flandri, pollicentúrque Comitem non recepturos donec clientelæ Sacramentum, ei tamquam vero Franciæ Regi faciat, quòd vi licèt impulſus Comes conſtanter renuit, adeò Flandrorum exacerbati erant animi, ob retentas à Gallis aliquot urbes, & Anglis agglutinati.

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. *An.* 1345.

Pontifex futuram tempeſtatem prævidens, Regum animos conciliare ſummopere cupiebat; at Philippus per provincias militem conſcribere, parare commeatus, ac pro belli expenſis pecunias quocumque modo coacervare. Nangij Continuator, & Gaguinus narrant tributum ſalis tunc ab eo excogitatum, apud Romanos pridem uſurpatum, ac ipſis quoque Judæis pariter cognitum, ex Machab. libris; undè Philippum Eduardus mercatorem ſalis joco, ac ſalicæ legis auctorem vocitabat. Memoriæ referunt Viromandici tractûs accolas difficillimis his temporibus Regi libenter obtuliſſe pro ſingulis florenis denarios quatuor ex omnibus mercibus, quæ apud eos venales eſſent; hinc ſubſidiorum origo, quæ ad tempus liberè conceſſa, neceſſariò perſeverant. Remenſes, quibus ampla & campeſtris civitas, quartam prædicti ſubſidij partem ab ijs oblati, pro Urbe celeriùs munienda, reſarciendíſque propugnaculis obtinent à Rege. Cúmque hoc vectigal tenue admodum videretur pro incredibili militum apparatu, Primores civitatum Pariſios ire jubentur, dicturi quid luctuoſo hoc præſertim tempore, quo de Regni ſumma agebatur, Regi gratioſè & liberaliter conferre vellent: Remenſes ab aliorum mente non diſſentiunt, ſed oſtenſis privilegijs, poſtulant ne præſens erogatio in futurum eis noceat, aut cogi poſſint defectu ſolutionis, coram externis Judicibus ſe ſiſtere. Reſcriptum regium patrio ſermone damus.

Philippe par la grace de Dieu Roy de France, à tous ceux qui ces preſentes lettres verront ſalut. Scavoir faiſons que ſur ce que les Eſchevins, & habitans de la Ville de Reims nous ont liberalement octroyé pour le ſubſide de nos guerres une impoſition de quatre deniers pour livre, à être levez ſur eux : nous leurs avons octroyé & octroyons de grace ſpeciale, que cét octroye ne tourne à prejudice, ne à conſequence à eux ne à leurs privileges, libertes & franchiſes, & que pour ce aucun droit ne ſoit acquis à nous, ne à nos ſucceſſeurs Roys au temps à venir, & avec ce que leſdits Eſchevins, & habitans d'icelle ville pour defaut de payement de laditte impoſition ne puiſſent eſtre trais hors de laditte Ville, ne contrains à la payer, fort ſeulement par les receveurs & collecteurs d'icelle, auſquels nous mandons que ils ne faſſent en aucune maniere contre la teneur de ces preſentes. Donné à Paris le 7. jour de Decembre 1345. ſous noſtre nouveau ſeel par les gens de nos Contes.

Signé & ſeellé.

Rege cum ingenti exercitu Sequanæ tranſitum Anglis intercludente, qui Caſtrum S. Germani-in-Laya, Piſciacum cum Parthenone, Royam & Suburbanum regium incenderant, Nicaſiani ad eum accedunt, rogantes ut argentea ſtatua Johannis Normanniæ Ducis, quam horum Eccleſiæ nuper ex voto dediſſe retulimus, vel pretium ejus, ſtructuræ templi perficiendæ

JOHANNES DE VIENNA LXII. ARCHIEP. *An.* 1346.

perficiendæ impenderetur, petitioni libenter annuit Rex, adjecta lege ut ſimilis ex ligno, vel lapide argento illita in locum ejus ſumtibus Abbatis, in cultûs & dati monumentum collocaretur. Charta apud Piſciacum data eſt menſis Maij an. 1346. quam ſupra reddidimus.

Eduardus Piſciaco relicto in Bellovacos ſe confert, inde nihil cunctatus Sommonam petit, eóque tranſmiſſo, velut per fugam in Pontacum, maternam ditionem pervenit, operiendum ibi in cœlo, ſolóque ſuo hoſtem ratus ad ſilvam Creſciacam haud procul Abbavilla, ubi Gallorum exercitus ſexaginta millium armatorum, caſtris fortiter munitis conſedit. Pugnatum acriter die 26. Auguſti, at prælium lugubre & infauſtum Gallis, triginta enim millia hominum Scriptores cecidiſſe memorant, & & inter mortuorum nobilium capita multi Principes, Dynaſtæ, & Equites balteo donati.

Tantæ cladis occaſio variè à diverſis excogitatur, ſunt qui pro vero aſſerunt tantâ laboratum apud Gallos diſcordiâ, ut temere ac petulanter adversùs ſeipſos dimicârint, Genuenſéſque arcubaliſtarios ipſorum præſertim equis protritos, atque in fugam compulſos. Fugit multo maxima pars plebis Gallicanæ, confuſióque aucta, ſi Villanio fides; à bombardis necdum viſis, quibus Angli candentes ferreas glandes horrifico ſonitu emittebant. Meyerus hîc ſatis ineptè Gallis inſultat, ignaviam exprobrans, & armorum imperitiam, cùm Numinis ordinationi ſubſint omnia. At præter Nobiles, confuſam multitudinem, rudem communitatem, ac promiſcuum vulgus civitatum ad hoc bellum inconſultè vocatum reperio, tirones præſertim, qui nuſquam arma induerant.

Philippus amiſſo exercitu Brayum conceſſit, quem Remenſis Archiepiſcopus Johannes de Vienna, Epiſcopus Ambianenſis & aliquot Equites comitati ſunt, Johannes ſcutiferum habuit nomine Guillelmum de la Fere, tumulatum apud Carmelitas Remenſes: hunc quoque ſecuti ſunt aliquot prædictæ civitatis primores, qui armis inſtructi Regi ſuppetias iverant; inter hos chartæ Scabinatûs memorant Johannem la Barbe ex meis majoribus, qui ſua ſponte & ſumtu cum quinque equitibus ad regia caſtra perrexerat: familiæ hujus plerique viſuntur tumuli apud Sanctum-Remigium ſub inferiori fornice ponè ſacellum S. Gibriani.

Ludovicus junior, Maleanus dictus, quòd Malea locus ipſi natalis, poſt obitum patris in pugna interfecti, Comes Flandriæ renuntiatus à Philippo, Ambiani balteo donatur, illíque ſeſe ſacramento devincit: hunc urbes & oppida circumeuntem Flandri, inſoleſcentes ob fatum Gallorum, adeunt, ut Eduardo, nomine Flandriarum, velit eſſe Beneficiarius; at Comes diſertè ſe hoc facturum negat, donec more Francorum Regum Eduardus Remis ſit coronatus.

Angliæ Rex inſigni victoriâ potitus venit obſeſſum Caleſium principio menſis Septem. Johanne Viennenſi Burgundo ſeu Allobroge, & Arnulfo Andrehennenſi præſidij ducibus, qua poſt longam moram, & ingentes ſumtus expugnata, incolæ lares, focóſque bonis ſpoliati linquere coguntur. Comes item Northamptoniæ Tarvannam obſeſſurus advenit, hanc Epiſcopus Morinorum Raymundus, quòd Sedes ſibi eſſet epiſcopalis, utcumque munierat, habebátque ſecum aliquot milites cum ductore Andrehamo; at multis ex his interfectis, Tarvannam captam Angli diripiunt, direptámque incendunt. Miſera tunc, & calamitoſa provinciæ Remenſis facies, nihil integrum, nihil inviolatum manſit, cuncta victoribus obvia, metum longè latéque incutientibus, donec collectis viribus, à Rege nuncij per Campaniæ urbes mittuntur, qui rebus neceſſarijs eas ociùs muniri procurent, ut de Remenſi aptiùs infra dicetur. Nec bellis modò, incurſionibus, latrocinijs; ſed & peſtilentiâ multò maximâ

maximâ Galli anno 1347. vexabantur, quæ toto orbe terrarum per triennium desævijt, numerata apud Parisios quadraginta hominum millia absumta, chronicon Carmelitarum Remensium octoginta millia refert intra novem menses, additque Fratres ac Sorores Xenodochij majoris ad unum hac lue percussos, usósque passim pro remedio pullulis factis de croco, mirrha, & aloe. Produnt memoriæ Cœnobiorum Ss. Nicasij, & Remigij plures è Campania voto ad Ecclesiam B. Martyris Nicasij nuncupato, à grassante lue fuisse servatos, in cujus rei memoriam visuntur adhuc feretra sub fornice inferiori catenis ferreis appensa, naves quoque, pedes lignei, sustentacula, quæ prædictam Ecclesiam sacris Nicasij Reliquijs dicatam, miraculis per id tempus mirè inclaruisse testantur, quod amplius constat ex Alexandri IV. diplomate tertio Pontificatûs dato anno 1256. ubi sic habetur: *Cùm ad Ecclesiam Monasterij vestri, ob miracula quæ ibidem Dominus per beati Nicasij Martyris merita operatur, de diversis partibus mundi confluant peregrini &c.* Inscriptio cerei Paschalis, quæ adhuc singulis annis appenditur in Ecclesia Remensi, hujus morbi totum orbem vastantis meminit, Genebr. Petrar. Meyer. & alij.

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1346.

Deo quoque propitio, tot malis per Gallias sævientibus, Remigij virtus mirabiliter effulsit in ferè innumeros varijs morbis detentos & afflictos, quò se rebus pænè desperatis verum tutelarem ac Franciæ Alexicacon esse comprobaret: quod Vicarij generales Remensis Archiepiscopatûs, non sparsis vulgi rumoribus, sed fideli testium narratione, ac debita ut moris est inquisitione, sufficienter cognitum, posteritati reliquerunt hac charta, quam ex Tabulario depromsimus.

VIcarij reverendi in Christo Patris ac Dom. Dom. Johannis Dei gratiâ Remensis Archiepiscopi, à suis civitate, diœcesi & provincia Remensi notoriè nunc absentis, omnibus & singulis reverendis in Christo Patribus dictæ Remensis provinciæ Suffraganeis, ac eorum Vicarijs & Officialibus, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Prioribus, Presbyteris, Curatis, ceterisque Ecclesiarum Rectoribus, & personis ecclesiasticis ad quos præsentes litteræ pervenerint, cum omni devotione, & debita reverentia salutem.

Vos, qui sub humana religione Fidei catholicæ militatis, jucunda mente susçipite quod læti referimus, psallite & gratias agite supplici corde summæ Trinitati, quòd beatus Franciæ Apostolus lucerna matutina, qui Regem Francorum, cum suis satellitibus perduxit primus ad Fidem catholicam, dictúmque Regem, & plures in Regno ejus successores Reges sancto Chrismate missо cælitus consecravit. Sanctus Remigius antequam natus, Ciliniæ matri diu sterili, ut Præcursor Domini ad parandam illi plebem perfectam per Montanum Monachum divino oraculo ex nomine nuntiatus, &c. Hunc quoque beatum Franciæ Apostolum prælegit Dominus, ac diademate suæ gloriæ excellentissimè decoravit, ipsúmque inter homines adhuc carne septum miraculorum innumerabilium dono illustrans, nunc in cælesti patria inter Sanctorum agmina non desijt pervigil & intentus, sollicitudinis & miraculorum operator eminere, ut nomen Domini in dicto Sancto ejus exaltetur laudibus populorum.

Nonnullis languidis reddidit sanitatem, surdis auditum, cæcis visum, gressum contractis restituit, obsessis à dæmone libertatem, vitam defunctis, & ab epidimiali clade jampridem communiter invalescente, ac etiam modernis temporibus recurrentes ad eum cum devotis orationibus incolumes præservavit, & præservat, & dicta infirmitate epidimiali his temporibus nonnulli infecti, etiam quamplures in extremis laborantes, & in mortis articulo constituti, mediantibus orationibus per merita dicti beatissimi

Chronic. Carmelitar. Rem. refert gibbos seu bochias nasci solitos in hominum inguine quos lues invaserat.

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. An. 1346.

„ simi Confessoris, à gibbis & bochijs, & ab acerbis febribus liberantur, & „ restituuntur pristinæ sanitati. Novissimè mulier quædam auditis S. Remigij „ miraculis, visione privata ad dicti Sancti tumulum veniens claritatem re„ cuperavit : infantuli quoque à matrum uberibus mortui, ad ipsius sepul„ crum deportati vitam recuperantes, munus sacri Baptismatis, divina fa„ vente gratia, receperunt &c.

„ Vobis omnibus, & singulis super præmissis diligenter informati per „ Tabelliones publicos, & aliàs competenter præmissa intimantes, vos, & „ vestrûm quemlibet exhortamur, ut in sermonibus, & ad divina Officia „ audienda convenientibus, Clericis & laïcis præmissa diligenter publicetis, „ & publicari faciatis, taliter quòd Christi Fideles sciant, & valeant in suis „ infirmitatibus recurrere ad præfatum Interccssorem, Medicum, Pastorem, „ & Patronum. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum Curiæ, „ quo utimur in hac parte, duximus apponendum. Datum per dom. Johan„ nem de Goinguelies Officialem, & Magistrum Remigium de Ambonayo „ Canonicum Remensem, Vicarios dicti reverendi Patris anno Dom. 1349. „ Sabbato ante festum Nativitatis B. Virginis.

Remis datur Præfectus à Rege, Ægidius de Rodemach agros eorum devastat. Johannes Archiepiscopus novum Regem coronat, defungitur.

CAPUT XIII.

An. 1347. ANGLIS provinciam Remensem misere vastantibus, Philippus Rex Galcherum de Lor, dominum de Resson Remis præfecit, quò Urbs tutior esset ab hostibus; at hic, cùm per se ductoris munus explere non posset, vicarium delegit dominum de Broye, qui mox ut receptus est, portarum claves ad se deferri jubet, conquerente Archiepiscopo jus eas servandi suis prædecessoribus Philippi Augusti, ac Ludovici IX. Regum diplomatis fuisse assertum, Rex imperat has confestim illi restitui, rescripto ad Ballivium Viromandensem dato 29. Julij an. 1347.

An. 1348. Anno sequenti, ne plus satis finibus nostris esset malorum, simultas quædam oritur inter Ægidium de Rodemach dominum de Chassepierre, & aliquot cives Remenses, quæ in apertum, ac ipsis nocivum bellum sensim exarsit : hic siquidem cùm in equestri certamine pervigilio sancti Johannis, quibusdam convitijs acriùs se læsum putaret, hæc pro libidine vindicaturus, confinia Remorum prædis, incendiisque graviter urgere cœpit, ac cives tanta atrocitate persequi, ut extra Urbis ambitum prodire omnino non auderent; Urbs enim undique muris vallata non erat, sed per Vidulam, quo alluitur, equites noctu eo facilè transmisso, per vicos excurrebant, obvios quosque capientes, & ab his quos ceperant redimias deposcentes, donec fluvioło, qua parte vadosus erat, laquei seu retiacula posita. In tantum Ægidij ira deferbuerat, ut molas penitus everteret, vastaret segetes, ac campestres domos incenderet, promiscuum vulgus, equos, pascua secum deducendo, donec ære redimerentur. His incursionibus nimiùm fatigati Remenses Fratrem Dominicanum ad Rodemach mittendum decernunt, quò ferocem ipsius animum, si possent, pacificis lenirent sermonibus, repertúmque hunc invenio apud Montem-Falconis seipsum virgis cædentem, cum flagellantium turba, quorum tunc hæresis serpebat in Belgio: hi enim bis se palam de die, semel de nocte, & clam nudos

nudos ad sanguinem usque flagellabant, ex Meyero ad annum 1349. At hic nullis precibus flecti potuit, quamvis ipsemet sibi à Deo remitti peccata enixius postularet, missum quoque ad Regem, ut à cœptis hunc compelleret abstinere: ipse durior saxo regiæ jussioni aures non præbuit, nec item Johannæ Ludovici Hutini relictæ, quæ rogata pariter à civibus, voce præconis edixerat, ne quisquam è suis dynastijs opem Ægidio, aut suis prædonibus refugium præberet. Tandem gravis hæc tempestas Galcheri Castellionensis studio, cui affinis erat, sedata est, Johannam siquidem Castellionensem Ægidio de Rodemach sociatam fuisse anno 1369 Quercetanus est Auctor. Sic factiosorum nebuloso hoc tempore laxata fuit audacia, dum prout cuique libido erat quidlibet facerent spretis legibus, vim aut imperium concusso Regno non obtinentibus. JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP. *An.* 1349.

Sub id tempus Canonici S. Timothei, paratâ suis sumtibus thecâ ditiori, in quam Reliquiæ incliti Martyris transferrentur, orant Archiepiscopum ut Capituli votum approbare velit suâ licentiâ, & Indulgentiarum erogatione. Hic, cùm translationi præsens adesse non posset, hanc provinciam Episcopo Dragonensi demandavit, & quò celebrior esset sollemnitas populorum frequentiâ, quadraginta dierum Indulgentias concessit in perpetuum ijs omnibus, qui S. Timothei Ecclesiam visitassent anniversario die prædictæ translationis, ut ex sequenti diplomate constabit duplici sigillo munito, quod in Archivis adservatur.

"JOhannes Dei gratiâ Remorum Archiepiscopus, universis Christi Fi- "
"delibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. "
"Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam "
"coronat aciem civium supernorum, Sanctorum debet acquiri veneratione, "
"meritorúmque virtute à redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso cor- "
"pore Redemptoris: inter quæ illud esse pergrande dignoscitur, quod "
"ubique, sed præcipuè in Sanctorum Ecclesijs Dei Sancti venerantur, & "
"adorantur, & majestas Altissimi collaudatur. Cùm itaque reverendus Pater "
"dominus Johannes permissione divina Dragonorum Episcopus, ad hoc à "
"nobis missus, & specialiter deputatus, anno Domini 1350. die Dominica "
"ante festum Conversionis S. Pauli, vice, loco, licentia, & auctoritate "
"nostris, beatorum Martyrum Timothei & Appollinaris corpora transtulerit "
"sollemniter Remis in Ecclesia præfati glorioſi Martyris, veri luminis, & "
"orthodoxæ Fidei claritatis, per quem omnibus Christicolis Remensibus "
"exsistit cælestis janua patefacta, qui successoribus suis Sanctis in terris vitæ "
"pabulum ministravit, in cælestibus introitum, & coronam assistens in cælesti "
"Hierusalem pro sibi servientibus, ipsum reclamantibus, & ad eum recur- "
"rentibus perpetuus intercessor. Nolque Translationem eamdem singulis "
"annis, proxima Dominica ante festum Conversionis S. Pauli, in honore "
"Dei & sanctorum Martyrum prædictorum in perpetuum celebrandam "
"statuentes, de omnipotentis Dei misericordia, beatæ Virginis & aliorum "
"Sanctorum meritis confidentes, omnibus illis qui in eamdem Ecclesiam in "
"die Translationis, causâ peregrinationis cum devotione accesserint, qua- "
"draginta dies de injunctis sibi pœnitentijs divina dispensatione miseriçor- "
"diter relaxamus. In cujus rei testimonium &c. Et nos Johannes Dei gratiâ "
"Dragonorum Episcopus, qui corpora glorioſissimorum Martyrum vice "
"reverendissimi Patris Remensis Archiepiscopi interesse nequentis, de anti- "
"quissimo feretro in decentiori capsa transtulimus, præsentibus Ss. Remigij "
"& Nicasij Monasteriorum Abbatibus, Præposito & plurimis Canonicis "
"Ecclesiæ Remensis, &c. "

An. 1350.

Erat is ex ordine Carmelitar visumtúrque ejus insignia in columnis Claustri Carmelit Rem.

Johannes de Vienna mense Feb. Remis agens anno 1350. acta ab Episcopo Dragonorum non approbat modò, sed & statuta Ecclesiæ collegiatæ

JOHAN. DE VIENNA. LXII. ARCHIEP.

sancti Timothei, in quibus videre licet quæ tunc apud eos esset vivendi norma, stalli rigor (ut vocant) divini Officij ritus, ac disciplina Capituli. Tunc in Curiam rediens interfuit Philippi Valesij exsequijs 28. Aug. an. 1350. statuítque vergentibus annis ad occasum, munus archiepiscopale per semetipsum accuratiùs explere, quò se ad ultimam horam præpararet. *An. 1350.* Ipse nihilominus ante obitum Johannem Valesij primogenitum Remis in Æde primaria coelesti unxit Chrismate 26. Sept. eo apparatu & pompa, quam alibi retulimus.

Schedæ Remigianæ tradunt Castellanum de Bar, Ogerium d'Unchar, Baronem de Terrier, Jacquenin Baronem de Villers, vel Equitem de Bellestre, & alium loco Baronis d'Autry, lanceas gestâsse, seu baldachinum supra sanctam Ampullam, quam viginti Arcubalistæ de Quercu comitabantur. Quod annotâsse juvat ad fabulam errore convincendam, de recuperatione S. Ampullæ, ab Anglis furatæ sub Carolo VII. studio ac diligentia incolarum oppidi de Quercu; quasi ob tale facinus, jus illis concessum fuerit comitandi Ampullam die inaugurationis, cùm ipsi ante hoc tempus, tamquam homines, seu vasalli Abbatis Remigiani interesse solerent. Johanna Comitissa Bononiæ Regis uxor eodem die in Reginam uncta est, dedítque Ecclesiæ Remensi vas argenteum circa circulos deauratum, pondere quinque marcarum cum semi, pro aqua-lustrali reponenda.

Bona Iohãnis Regis Bohemiæ filiæ Iohannæ Regis uxore obeunte an. 1349 idẽ Rex duxit Iohannam Comitem Bononiæ viduam Philippi Ducis Burgun.

Idem Archiepiscopus, anno sequenti rogatus à Canonicis S. Timothei, novo confirmat diplomate supplicationem, quam singulis triennijs facere consueverant ad locum, qui Buxitus olim, nunc Pompella vocitatur, in qua majores Capsæ cum Reliquijs prædicti Martyris deferuntur, eâdem viâ qua ad martyrium cum socijs perductus est, impertitis triginta dierum Indulgentijs omnibus, qui piè huic interessent. Diploma laudibus respersum, cujus jam meminimus, datum legitur in castro portæ Martis 28. April. an. 1351. Johannes paullo post diem obijt, ex Necrologio Remensi, ubi conditus jacet intra sanctuarium sub tumba nigra, cui tale inscriptum est epitaphium. *An. 1351.*

HÎC JACET DOMINUS JOHANNES DE VIENNA
REMENSIS ARCHIEPISCOPUS,
QUI OBIJT XIV. JUNIJ ANNO M. CCC. LI.

Hugo d'Arçy LXIII. Archiepiscopus ex Episcopo Laudunensi.

D'Arçy ..... à trois Chevrons .....

CAPUT XIV.

Fuit hic primùm Monachus S. Benedicti in Cœnobio Floriacensi, postea Abbas Ferrariensis, tum Episcopus Laudunensis, postremò Archiep. Rem.

VACANTE Sede post Johannis excessum, Remenses Canonici, quò se Regi gratos exhiberent, Hugonem d'Arçy concordi omnium voce nominant, virum nobilem, ætate maturum, rerúmque experientiâ clarum. Erat is ex oppidio Arciensi diœcesis Autissiodorensis in Burgundia, unde complures viri illustres, quos velut ex eadem familia ortos recensèt Rob. in *Gal Christ.* A pueris tirocinium posuerat in Floriacensi Cœnobio supra Ligerim, è quo ob præclaros mores in partem curarum Præsulis Ferrariensis vocatur, fitque paullo post ejusdem loci Abbas, ac Rogero successor in Ecclesia Laudunensi, quam novo censu auctam, & insigniter dotatam post decem annos regiminis reliquit. Fertur enim

Digitized by Google

enim ædem ſibi à patruo ſupremis tabulis conceſſam, quæ Pariſijs in vico ſtrato juxta domum de Nemours ſita eſt, & ad hortum ſcholarum S. Dionyſij porrigebatur, eidem liberaliter contuliſſe. Hanc ſucceſſu temporis Laudunenſe palatium dictam accipio, emptámque Johannis Arcienſis Auguſtodunenſis Epiſcopi, Hugonis patrui ſumtibus, à Johanne Caſtelhonenſi Franciæ Conſtabulo, ut in eam diverteret, quoties ſibi Pariſios foret eundum: at Hugo heres ipſius eam, ut dixi, ſuis in Epiſcopatu Laudunenſi ſucceſſoribus dono dedit, adjecta lege, ut nuſquam hæc in uſum ſcholaſticorum, vel Collegium verteretur. Hic cùm lenis admodum eſſet, & moderatus, cives Laudunenſes gratis exemit ab onere Epiſcopum comitandi, quoties rus peteret, rediturus eodem die. Philippo Regi fuit à Conciliis, & ab eo exſecutor nominatus ſui teſtamenti, conditi anno 1347. cum domino de Noyers Franciæ Buticulario, Johanne Vicecomite de Meleduno, Roberto Drocenſi, Theobaldo de Mathefelond, Guillelmo de Craon, & Matthæo de Trie; ſic cùm magnâ eſſet gratiâ apud Principem, incliti nominis in Aula, & inter Clero Gallicani Proceres valde celebris, Sede Remenſi vacante, ad Archiepiſcopatum facilè pervenit.

HUGO d'ARCY. LXIII. ARCHIEP. An. 1351.

Præſulum hic primus fuit, à quibus Johannes Rex poſt inaugurationem clientare ſacramentum accepit, tum Remos adiens jucundum ingreſſum editurus, à Clero & civibus obviam progreſſis ſtudioſè, ac liberaliter excipitur primo Januarij, anno 1351. ex codice MS Sancti Remigij.

Statuerat hic in ipſâ receptione, poſt ſolitum juramentum de Capituli juribus ſervandis præſtitum, munus archiepiſcopale per ſeipſum obire; at brevi mors invidâ ab humanis eum exemit, nihilque ob id ſcitu dignum reperio Remis ab eo factum, quod ſcripto mandetur.

Annales Pariſienſes referunt Hugonem, unum ex tribus illis Epiſcopis fuiſſe, qui è ſuis opibus contulerunt ad Collegij Cameracenſis erectionem, centúmque libras Pariſienſes annui redditus reliquiſſe, quas Rex ipſe ſuo decreto confirmavit, ut ex teſtamento ipſius conſtare poteſt, ubi exſecutores ſic loquuntur: ***Et ego Johannes Lupi Succentor Eccleſiæ Pariſienſis teſtamenti defuncti bonæ memoriæ Dom. Hugonis de Arciaco Autiſſiodorenſis diœceſis, quondam Epiſcopi Laudunenſis, & poſtea Archiepiſcopi Remenſis, & ego Guillelmus de Novem fontibus Canonicus Autiſſiodorenſis exſecutor ejuſdem teſtamenti, ſignificamus pro exſecutione Dom. Hugonis de Arciaco, & de bonis ejus centum libras Pariſ. annui redditûs, ſituatas apud Mallayum Regis Senonenſis, Pariſijs portatas admortizari procurâſſe, &c.*** Sic Collegij Cameracenſis erectio debetur tam Hugoni Arcienſi, quam Hugoni de Pommiarco Lingonenſi, & Guillelmo d'Auzane Cameracenſi, Epiſcopis, à quibus trium Epiſcoporum hactenus nomen retinet.

Hugo obijt 18. Feb. anno 1351. juxta computationem Gallicam, tunc in uſu receptam, funeratus in Æde majori B. Mariæ, cum hoc ſepulcrali reſcripto.

Hic jacet venerabilis Pater inclitæ recordationis, magnæ ſcientiæ & prudentiæ, dominus HUGO DE ARCIACO *olim Epiſcopus Laudunenſis, & poſtea hujus Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, de magno & ſecreto Conſilio domini Regis, qui obijt anno Dom. M. CCC. LI. die octava-decima menſis Februarij.*

Orate pro eo.

HUMBERTUS. VIENNENSIS. LXIV. ARCHIEP. An. 1352.

Humbertus Viennenſis Delphinus, Curtinenſi licèt electo, regia auctoritate ſit LXIV. Archiepiſcopus Remenſis.

CAPUT XV.

D'or au dauphin d'azur crêté, & oreillé de gueules.

STEPHANUS de Courtenay tot ſibi Remenſem Eccleſiam devinxerat ſtudijs, ut infulas ei poſt Hugonis obitum meritò deberi nemo addubitaret; clara ipſius progenies, virtus, prudentia, & animi vigor in adverſis palam id prædicabant: unde Canonici, inter quos à pueris fuerat educatus, mox oculos in eum conjecêre, nec defuit populi votum, Procerúmque Urbis id adprime cupientium, omnes ad unum hanc illi dignitatem adprecabantur, ut patebit ex litteris ad Clementem Pontificem datis, quas ut ingenuè à Scabinis, ſic & vernaculè ſcriptas lubens hîc ſubjicio.

A Nôtre tres ſaint Pere en Ieſus Chriſt Monſieur Clement par diuine prouidence ſouuerain ſeigneur, & gouuerneur de toute ſainte Egliſe, vos tres humbles Orateurs les Echeuins & Communauté de Reims tres parfaite reuerence, ſeruice, & toute obeiſſance, auec tres grande deuotion, & deſir, ſi Dieu nous donnoit grace d'eſtre ſi dignes de pouuoir baiſer en vraye humilité vos tres ſaints pieds, tres ſaint Pere.

Comme ly Chapitre de votre noble Egliſe de Reims illuminé de Seigneurs ſages, & diſcrets, comme de pluſieurs Maîtres, & Docteurs en Theologie, & Decrets & Loix, & de bons Clercs & ſages, de bon ſens naturel, de commun aſſentiment aſſemblés par vne election concorde ait recommandé à vôtre Sainteté noble homme & puiſſant Monſieur Eſtienne de Courtenay Preuoſt de ladite Egliſe vacante & deſtituée de Paſteur, & nous qui deſirons de tous nos cœurs auoir chef ſouuerain, noble, ſage & puiſſant pour ladite Egliſe, nous & les autres ſujets, ſes droits, juridictions, libertés, gouuerner & deffendre dercchef à vôtre tres digne & liberale Sainteté d'auſſi grande affection de cœur comme plus pouuons, ſupplions ſi comme autrefois auons ſupplié, que en l'honneur de la glorieuſe Dame, en l'honneur de laquelle l'Egliſe de Reims eſt fondée, que de la perſonne dudit Monſieur Eſtienne veuillez pouruoir à ladite Egliſe Et vraiment tres ſaint Pere nous temoignons deuant Dieu, & à vous qui eſt ſon Lieutenant en terre, que ledit Monſieur Eſtienne que nous connoiſſons dés le temps de ſon enfance eſt garny de ſens, de memoire, de bonne vie & honneſte conuerſation, de noble ſang, & puiſſant, comme fils qui eſt extrait du ſang royal, & de toutes autres bonnes mœurs, & noble condition, & digne pour gouuerner bien, & deuëment tant en ſpirituel, comme en temporel ladite Egliſe, ainſi qu'ont fait autrefois paſſé nôtre tres-cher ſeigneur Monſieur Robert de Courtenay, Guillaume de Trie, & Iean de Vienne jadis Archeueſques de Reims, qui noblement gouuernerent, & deffendirent ladite Egliſe, l'heritage d'icelle, & les droits & libertés contre tous par leur noble puiſſance, & tenons fermement, tres-ſaint Pere, que ce ſeroit à l'honneur de Dieu & de ladite Egliſe, au profit d'icelle, du Royaume, de nous & de tous les autres ſujets de la dioceſe, & de toute la prouince de Reims, & vray reconfort de tout le peuple, à leur bonne paix & tranquillité, tant des cœurs, comme des conſciences pour la grande abondance de toutes bonnes vertus qui ſont en luy, tres ſaint Pere. Ieſus Chriſt par ſa ſainte miſeri-

corde

corde vous veuille maintenir en bonne proſperité au gouvernement de la ſainte Egliſe. Fait à Reims. Et plus bas eſt ecrit,

Vos tres humbles & devotes creatures les Echevins & habitans de vôtre ville de Reims.

HUMBER. VIENNEN. LXIV. ARCHIEP. *An.* 1352.

Electio Stephani tot votis concupita exitum non habuit, licèt his prædituſ donis, & ex regia ſtirpe, eò quòd primum Archiepiſcopatum Rex conferre ſtatuerat Humberto Viennenſi Delphino, qui nuper abdicato Principatu habitum Dominicanorum aſſumſerat. Scabini quidem hoc turbido ſtatu ſtrenuum ac induſtrium Principem Eccleſiæ præfici ſtudebant, quò ſibi inſidentium impetus ſua auctoritate compeſceret, hoc pariter Clerus exoptabat; at vicit Regis imperium, ut alias ſæpius factum vidimus; ſic Humbertus Stephano prælatus regio decreto, confirmatur anno 1352.

Qui de prædicta Humberti abdicatione certiùs diſſerunt, à Meyeri ineptijs & loquacitate multùm diſcrepant, eò enim audaciæ nugator ille prorupit, ut tanti viri humilitatem ſugillet, quaſi pravo uſus conſilio Principatum ſuum Gallis, Imperio numquam non rebellibus, vendiderit, ut heredes ſuos, quos ob offenſam oderat, defraudaret; incuſatque Caroli Imperatoris tarditatem, quòd hanc rem fabricari paſſus ſit. At melioris notæ Auctores, quibus Humberti ceſſionis cauſa notior, conſultiùs loquuntur. Humbertus, inquiunt, Johanne II. Delphino Viennenſi patre genitus, matre Beatrice de Hungaria, fratri Guidoni in ditione Delphinatûs ſucceſſit anno . Hic promulgata adverſus Turcos expeditione eidem præfectus eſt à Clemente VI. ſub titulo generalis Capitanei S. R. E. & ducis exercitûs Romanorum, proprijs Pontificis manibus Cruceſignatus, Romanæ Eccleſiæ vexillum accipit apud Villam novam prope Avenionem 7. Cal. Julij anno 1345. at ipſe nullo facto operæ pretio redux, paullo poſt in patriam redijt, ubi liberis & ſpe prolis educandæ carens, ſeu quòd Sabaudiæ Comiti reſiſtendo par non eſſet, uxore amiſſa Maria de Balcio, & unico filio Andrea, pertæſus imperij de Principatu ſuo Philippo Valeſio Francorum Regi conſanguineo ſuo conferendo cogitavit. Vendidit ergo conſentientibus ſubditis, ut potentem Principem haberent, quadraginta millium aureorum, juxta pactionum tabulas an. 1349. Religionem Prædicatorum profeſſus, cognomen nihilominus antiquioris Delphini in actis publicis conſtanter retinuit. Lugduni emiſſa profeſſione in conventu Prædicatorum, Prior electus major is Cœnobij Pariſienſis, mox fit Patriarcha Alexandrinus Rege procurante, tandem Remenſis Archiepiſcopus poſt obitum Hugonis. Sollemnem hic poſſeſſionem inire cupiens, à civibus exceptus eſt extra portam Civitatis, tamquam Dux & primus Par Franciæ, cum majori apparatu & magnificentia, quam hactenus in cujuſvis Archiepiſcopi jucundo adventu facta fuiſſe memoretur. Giſtum de more ſuſcepit in Monaſterio S. Remigij, & die ſequenti ab Abbate & Monachis cum proceſſionaliter deducentibus uſque ad ſacellum B. Catharinæ, Capitulo præſentatur, à quo rogatus, adepta poſſeſſione, pollicetur ſe obſervaturum libertates ipſius & privilegia, quod ipſe manu propria libenter ſubſignavit, addito ſtemmate, quod ſuis coloribus depictum adhuc apparet in MS codice, ut ipſi vidimus.

Humbertus Remis toto ferè Præſulatûs tempore manſit, ut acta probant, habuitque Andream Archiepiſcopum de Nicè & de Pariſe & Johannem de Buſſi Officialem, Vicarios generales; hunc verò ſibi titulum inſcribebat in chartis *Humbertus miſeratione divina Patriarcha Alexandrinus,*

HUMBER. VIENNEN. LXIV. ARCHIEP. *An.* 1352.

Alexandrinus, Eccleſiæ Remenſis perpetuus Adminiſtrator, ac antiquior Delphinus Viennenſis &c. Sigillum ceræ viridi impreſſum iconem Virginis refert ex una parte, Delphinum ex altera. Adminiſtratoris nomen, quo hîc utitur, legitúrque in epitaphio indicat hunc priùs aſſumtum fuiſſe ad Patriarchatum Alexandrinum, quàm ad Archiepiſcopatum Remenſem; non verò ſimplici œconomatu potitum: ſic à doctiſſimo Spondano Balduinus Archiepiſcopus Trevirenſis patruus Caroli IV. Imp. qui tunc clarebat, Adminiſtrator vocatur Epiſcopatuum Vormatiæ, Nemetum, & Moguntiæ, quòd hos unà cum Trevirenſi primario titulo poſſideret.

Vetuſtior charta Humberti manu ſubſignata, quam vidimus, dat licentiam Prioribus de Monte-Dei, & de Chaneio diſcordiam componendi inter Capellæ oppidi de Quercu fundatorem Aubry nuncupatum, & prædicti loci incolas exortam, qui pro divini Officij celebratione ornamenta ſuppeditare recuſábant, data legitur in caſtello portæ Martis 20. Feb. an. 1352. Exſtat alia quæ confratriam Sanctæ Agnetis in Eccleſia PP. Auguſtinianorum erectam confirmat 9. Maij 1352. dátque facultatem campanulam pulſandi per Urbis compita, & vicos in funeribus ſodalium defunctorum, & 9. Aprilis an. 1353. in eodem degens caſtro Indulgentias quadraginta dierum omnibus qui debitè confeſſi prædictæ confratriæ nomen darent, orarentque pro quiete defunctorum, chartá pariter ſubſignatá conſeſſit, Confirmat præterea quorumdam reddituum acquiſitionem, pro augmento fabricæ Eccleſiæ S. Nicaſij 7. Januarij an. 1353. & eodem anno, cùm ſolatij cauſâ ſeu recreationis apud Sandionyſianos Remenſes divertiſſet, ubi gratioſè ab Abbate & Religioſis exceptus fuit, Pariſios regreſſus hanc eis indemnitatis chartam tranſmiſit, quam hic atteximus.

An. 1353. „ Humbertus miſeratione divina Patriarcha Alexandrinus, Adminiſtrator „ perpetuus Eccleſiæ Remenſis, & Delphinus antiquior Viennenſis, omnibus „ hæc viſuris ſalutem. Cùm nos ſexta die hujus menſis Maij præterita ac- „ ceſſiſſemus ad Monaſterium S. Dionyſij Remenſis, non tamen tam viſita- „ tionis, ſeu alicujus procurationis recipiendæ, quàm ſolummodo ſolatij, & „ recreationis. Noverint univerſi quòd per hoc nolumus nobis, ſeu ſuc- „ ceſſoribus noſtris aliquod jus novum acquiri. In cujus rei fidem ſigillum „ noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Pariſius in palatio „ regio in craſtino feſti Pentecoſtes an. 1353. tertia-decima die Maij.

Carthuſianos in delitijs habuit, egregiéque fuit animatus erga Pariſienſes, quibus illud ſuis exſtruxiſſe ſumtibus ædificium dicitur, quod Eccleſiæ veſtibulo adhæret: quidam addunt unum è lateribus minoris clauſtri ædificâſſe, conventúmque Monialium Carthuſianarum in Delphinatu. Petrus Borbonius Comes Claromontanus & Marchiæ, qui in pugna Pictavienſi occubuit 1356. dederat ei, Rege conſentiente, quaſdam domos in ſaltu Vincennenſi, ut ijs uteretur quoad viveret.

Ex ciſtula Delphinatûs. lib. 18.

An. 1354. Johannes Rex Remis agens anno 1354. ubi de transferendo Humberto ad Eccleſiam Pariſienſem cogitabat, confirmavit donationem viginti ſex falcaturarum prati Hoſpitali B. Mariæ Remenſis, factam per Reginaldum de Craon Capellanum perpetuum, gratíſque permiſit Abbati & Religioſis S. Dionyſij ejuſdem Urbis ut duodecim libras annui reditûs acquirere poſſent, pro divino Cultu augendo, in capella villæ de Ambunayo, ubi acerbiſſimo hoc tempore trecenti (quod mirum videri poſſet) adhuc foci numerabantur, ex charta in Tabulario Monaſterij adſervata.

Humbertus poſt tres annos & ſex circiter menſes Præſulatûs optimè perfuncti, fato conceſſit apud Clarummontem in Arvernia, corpus Lutetiam ad Ædem Dominicanorum delatum eſt, ubi ejus ſepulcro talis inſcriptio appoſita.

Hic

Digitized by Google

HIC JACET R. P. ET DOMINUS AMPLISSIMUS HUMBERTUS PRIMO VIENNÆ DELPHINUS, DEINDE RELICTO PRINCIPATU FRATER NOSTRI ORDINIS, PRIOR IN HOC CONVENTU PARISIENSI, AC DEMUM PATRIARCHA ALEXANDRINUS, ET PERPETUUS ECCLESIÆ REMENSIS ADMINISTRATOR, ET PRÆCIPUUS HUJUS CONVENTUS BENEFACTOR.

Obiit anno Dom. M. CCC. LV. Maij XXII.

JOHANNES DE CRAON. LXV. ARCHIEP. *An. 1355.*

Johannes de Craon LXV. Archiepiscopus. Luctuosus Regni status post pugnam Pictavienſem. Remenſium cura & labor in Urbe rebus neceſſarijs munienda adversùs Anglos.

CAPUT XVI.

FINITIS Regum inducijs, major Galliam calamitas manebat, cùm Humberti Viennenſis obitu Remenſis Eccleſia vacavit. Rex plurimùm intereſſe reputans ut viri nobiles & induſtrij ad illuſtriores Epiſcopatus promoverentur, de quorum fide non dubitaret, Johannem de Credonio eligi curat, nobiliſſimis ortum natalibus, Almarico III. domino Credonij, & Beatrice de Roceio, vel ut quidam volunt Margarita Flandrenſi. Hic primùm è Canonico Pariſienſi ad Cenomanenſem Sedem fuit aſſumtus, quam per aliquot annos prudenter adminiſtravit; tum Humberto obeunte lectus eſt in Remenſem Archiepiſcopum, conſentiente Innocentio VI. Pontifice. Exſtat charta in Archivis Remigianis pro Confratria S. Gibriani, quæ probat duodecima Decembris an. 1355. Johannem quidem electum, ſed confirmatum anno ſequenti, quo Pontifex quatuordecim gratias exſpectativas conceſſit pro totidem Præbendis Eccleſiæ Remenſis.

Eduardus Angliæ Rex menſe Octobri Principem Vvalliæ in Vaſconiam miſerat, ut cuncta vaſtando Toloſam uſque hoſtiliter penetraret, Johannes militem conſcribendum ratus ab omni ordine mortalium toto Regno ſubſidium rei pecuniariæ petit, edicítque ut à primarijs civitatibus viri fortes ac ſtrenui mittantur, quorum operâ uti poſſit adversus hoſtem. Ex ſalvo conductu apud Britiniacum, ab Anglis ereptam anno 1356. dato, conſtat Remenſes delectam habuiſſe turmam ex juventutis flore, inter quos velut inſignes eminent Theobaldus de Chaalon, Arnulfus de Verrieres, Iohannes de Reims, Thomas Leſcot, Hennequin de Luxembourg, Johannes la Barbe filius haud dubiè Johannis, qui in pugna Creſcienſi occubuerat, Rolinus de porta Carceris, Herbinus Cocquelet, Bernardus de Courlandon, Iohannes Champion, Perſonus d'Aubigny, Colinus de Mels, & alij, quos Rex expugnata Britiniaco ad propria remiſit. *An. 1356.*

Urgentibus miniſtris vectigalium, quæ in immenſum excreverant, ſolutionem, plurimi motus excitantur per urbes, apud Atrebates præſertim, & Tornacum, impulſore Navarro, quem Rotomagi captum Rex in cuſtodiam tradit; multitudo enim conferre detrectabat queſta per iniquam collectionem, divites levari, pauperes premi, at exactores acriter inſtabant; civium tunc bona fiſco adjudicata, villarum accolæ in carceres tracti,

JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP. *An.* 1356.

tracti, equi, boves, pascua, nulli parcitum, nec ipsi sacerdotio. Quod resciens Innocentius, luctuosam Gallorum prædixit cladem, 13. Cal. Octob. receptam in pugna Pictavensi, ubi octo millia vicerunt quinquaginta. Captus est Rex, postquam in prælio tantam præstitisset virtutem, ut majorem vix miles ullus, & Imperator posset, victoriáque haud dubiè fuisset potitus, si vel quarta suorum pars fideliter decertâsset; at non ita visum Superis, Gallis ob peccata nimiùm infensis.

Infelicis pugnæ nuntio Remos perlato, incredibile dictu est quàm lugubris mæstitiæ langor civium animos pervasit, omnes illico malam gentis gemere sortem, Anglos detestari, abhorrere. Ut autem publicus hic luctus testatior esset, magistratuum decreto ludi omnes in Urbe prohibiti, choreæ, convivia, tibicines, omnísque generis spectacula, quod in quibusdam Campaniæ urbibus, Remorum exemplo, pariter observatum. Sed ne Archiepiscopi præsentia vulgi suspicionem augeret, quòd hic è familia Drocensi, Angliæ Regi esset affinis, unde rumor percrebuerat, ob id Britiniacum non venisse, quamvis à Rege vocatus, satius esse duxit seipsum ab Urbe sensim subducere, quàm susceptæ opinionis umbram curiosiùs amoliri, quod à popularibus difficile est. Tradit majus Chronicon mense Octob. post pugnam Pictavensem tres Regni Status Lutetiam convocatos, Johannemque de Craon pro Clero eleganter peroràsse.

An. 1357.

Anno sequenti, die duodecima mensis Aprilis ex Burdegala solvit Princeps Vvalliæ, Regemque Johannem secum in Angliam perduxit; tum induciæ per duos annos Legatorum Pontificis studio pactæ, quòd in conventu Metensi (cui Carolus Imperator cum Delphino interfuit) ab Anglo victoriâ insolescente pacem extorquere minimè potuissent. Parisij interim discordijs ardere civilibus, quorum caput erat Rex Navarræ, è custodia eductus perfidiâ Procuratoris Atrebatensis; nec tranquillitas major per alias civitates, ubi commotio vehemens adversùs Nobiles, è quibus plures occisi, cædes ubique invalescebant, rapinæ, carceres, bellum civile, seditio, domestica gentis insania, pestis Reipublicæ, & Numinis flagellum, propter nimiam morum corruptionem irati.

Obiit Regina ista Anglia Isabella Fulcri Regis Philippi filia ad summam Gallorum calamitatem nata, & nupta.

Eduardus cùm fraude, vel factionibus per Navarræum excitatis ad iniquas pacis conditiones Delphinum inducere non posset, statuit non ampliùs dolo, sed aperta vi Galliam invadere. Præcessit eum Henricus Dux Lancastriæ, qui per Atrebates populabundus, & Sommonam transiens Brayum obsedit; at fortia habebant Galli omnibus in oppidis præsidia, quòd pugnandum cum Anglis non existimarent, unde prædictam villulam capere non potuit. Tandem Rex ipse cum quatuor filijs Eduardo, Leonello, Iohanne, & Aymundo, universísque Angliæ viribus Calesium appulit sub Cal. Novemb. ubi eum externi, & mercenarij milites ex Germania, Bohemia, Brabantia, & Flandria, grandi numero exspectabant. Duxit Eduardus per medios Atrebates & Viromanduos exercitum, quem centum millibus hominum Villanius constitisse asserit, Remos obsessurus, ut ibi in Regem Galliæ cœlesti Chrismate inungeretur, at res aliter, quàm speraverat, evenit.

Famâ enim tantæ expeditionis exciti Remenses, vallo ubi deerat citiùs Urbem munire armis & propugnaculis, fossas circùm altiores effodere, victualibus, aliísque rebus, quæ obsessis necessariæ sunt, undique perquisitis, horrea publica celeriùs implere; tum castro portæ Martis præsidia ponunt, novique vectigalis collectam à receptoribus extortam in thesauro Sandionysiano custodiri curant, quò sedatis motibus, ad Delphinum totius Regni Præfectum securè transmittatur.

Nec ijs contenti, audito quòd à Rege Johannes de Craon Remensis Archiepiscopus Urbis præfecturam obtinuisset, rogant ut hoc nomine

cœptas

cœptas munitiones urgeat, quod libenter ipſe præſtitit, aliquot è Civitatis Primoribus eligendo, qui huic operi ſollerter incumberent, ſepiréntque Urbem à porta Vidulæ ad vicum Molendinorum. Munus etiam Capitanei ſibi à Rege delatum ultro illis conceſſit; cum eadem auctoritate, tum ne cui ſuſpectus eſſe videretur, ob affinitatem cum Anglo, relictis Remis conceſſit Moſomum. JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP. An. 1358.

Scabini, penes quos Civitas & caſtrum remanſerant Archiepiſcopi receſſu, ſex viros eligunt è Primoribus, qui ſedulam navarent operam Reipublicæ; & ne quid auctoritatis eis deeſſet, Delphinum per deputatos adeunt, qui prædictam electionem ratam habet hoc reſcripto 9. Septemb. cujus hic tenor eſt.

Carolus Francorum Regis primogenitus, Regno præfectus, Dux Normaniæ, ac Viennenſis Delphinus, omnibus has litteras inſpecturis ſalutem. Ex parte dilectorum Scabinorum banni Remenſis Archiepiſcopi Conſiliarij noſtri, nobis fuit intimatum, quòd cùm majores, & primariæ hujus Regni civitates ſint in imminenti periculo, & hoſtium deprædationi expoſitæ, & ij nunc ſint ſine capite, & urbis Præfecto, omnium civium conſenſu tam Clericorum, quàm laïcorum, ſex viros è Primoribus delegiſſe, Theobaldum la Barbe ſcilicet, Robertum Errard, Aubricium Grammaire, Colardum le Clerc, Johannem de Mourmelon, & Johannem Laubenois, ut ſedulam curam gererent cœptorum operum, aliarúmque rerum, quæ Urbi muniendæ forent neceſſariæ. Et quia delecti ab ijs nulla auctoritate à nobis conceſſa nitebantur ad nolentes compellendos, ſine qua periculum erat, ne tardiùs prædicta opera pro Urbis tuitione ad exitum perducerentur; nos licentiam eis fecimus quoſcumque, quibus Urbs ipſa præbet hoſpitium, ad ea ſolvenda compellendi, quæ pro cujuſlibet ſtatu & conditione imponentur: externos item his repugnantes, aut rebelles expellendi, aperiendi litteras eorum omnium qui Urbem adeunt, vel ab ea egrediuntur, aut per loca vicina tranſeunt, exceptis ijs quæ à Rege Seniore noſtro, vel noſtri ſanguinis Principibus ad nos mittuntur. Impediendi quoque ne quiſquam armatus per Urbem eorum tranſeat, vel ingreſſum denegandi, niſi arma deponat, quod in majoribus civitatibus diligenter obſervari volumus, potiſſimùm verò in urbe Remenſi, QUÆ EX CELEBRIORIBUS EST TOTIUS REGNI. Prædictorum igitur civium ſupplicationem benignè ſuſcipientes, regia auctoritate, qua utimur, prædicta omnia conceſſimus. Quod ſi ex ſupra nominatis quiſpiam mori contingat, Scabinis ac civibus alium eligendi in ejus locum permittimus, qui eodem jure potiatur, abſque præjudicio jurium Archiepiſcopi, vel dominorum altam Juſtitiam in prædicta Urbe habentium, jutiſdictionis item ipſorum, & Juſtitiæ.

Signatum in requeſtis Palatij.

Regio hoc reſcripto, quo ſelecti ſex è Primoribus confirmati, qui ſævientibus belli Anglici procellis, publicæ ſaluti ſollerter incumbant, ſenatorius Urbis cœtus fermè innititur, firmiori poſtmodum radice ſtabilitus, cui eadem jura, auctoritas, privilegia ſunt adſcripta. Cùm vero capitis ſtrenui, & in bellis experti præſentia admodum proſit ad erigendos plebis animos in adverſis, primi è Clero, altam Juſtitiam habentes, adunati cum Scabinis eligunt Galcherum Caſtellionenſem dominum de la Ferté in Pontivo, jam ab Archiepiſcopo deſignatum in totius Urbis Capitaneum, quem Carolus datis 19. Decemb. tabulis confirmat.

Carolus Francorum Regis primogenitus Regno Præfectus, Dux Normanniæ & Viennenſis Delphinus, omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Nos dilecti ac fidelis D. Galcheri Caſtellionenſis integritati fiduciam habentes, ad petitionem tam eorum qui in urbe Remenſi altam

JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP.

„ Juſtitiam obtinent, quàm Scabinorum, auctoritate regia qua utimur, „ ejuſdem Urbis Capitaneum, ac territorij adjacentis conſtituimus, damúſ- „ que ei facultatem milites convocandi, ſagittarios quoque, & arcubaliſta- „ rios pro ejuſdem Urbis tuitione, quò hoſtibus reſiſtat, cùm opus fuerit, „ & ut ſtrenuum Præfectum decet & convenit &c.

An. 1358. His acceptis litteris Galcherus Remos confeſtim advolat, luſtratiſque propugnaculis, muros labentes reſarcire jubet, Eccleſias & ædificia extra ambitum Urbis ſolo æquare, milites procul abire, qui confinia vaſtabant, & alia permulta fieri, in litteris ejuſdem fuſiùs relata: hæ in Archivis ſcabinatus ſervantur, quibus appendet ſigillum ex cera rubra, ubi Caſtellioneæ familiæ impreſſa viſuntur ſtemmata, cum tribus merulis in capite, & caſſide ſupra coronata, è qua turris exſurgit, quæ Galcheri parmam ab alijs diſcriminat.

An. 1359. Ineunte vere ſequentis anni Caſtellum de Rociaco ab Anglis per Campaniam effuſis capitur, qui & Comitem ibidem inventum, in vincula captivum conjiciunt: Pontarci, & de Siſſonne accolæ reſiſtere non auſi ultro tradunt ſe, villæ item de Courlandon, de Vailly, de Sapponay, de Troiſſy, de Sparnaco, de Virtuto, Damery, Mareüil, Maure, Attiniaco, Autri, Auchi, & quotquot in ambitu urbis Remenſis erant, ab hoſtibus captæ ſunt aut everſæ.

Cives, ne ea quæ reſtabant haud procul ab Urbe hoſtis invaderet, ociùs ad Regni Præfectum mittunt, qui Galchero & Ballivio Viromandenſi negotium dat, ut ijs diligenter exploratis, ea cuſtodiri faciant, quæ uſui eſſe poſſint, aut jubeant everti, luſtrent Urbis propugnacula, portas Sanctorum Nicaſij, & Petri, Ragenarij quoque, velut non neceſſarias claudant, apponant præterea in opportunioribus vicis catenas ferreas, & in ſingulis regionibus decennarios, præfectóſque militares. Horum deinde conſilio turres duæ ex ſectis lapidibus circa caſtellum portæ Martis hinc inde exſtructæ ſunt, cum muro in fronte, quò aditus ad illud impediretur. Vectigal quoque impoſitum victualibus pro expenſis belli, civium conſenſu, ex eo collecta reperio intra duorum annorum ſpatium ſeptuaginta duo millia aureorum cum ducentis octoginta. Indultum pariter ijſdem à Delphino, ut in confinio tributum exigi poſſit, juſſúmque ut foci tres, vel quatuor, uni militi ſtipendium ſolvant, quod Præfecti Urbis, ac turmæ illius ſalario impenſum eſt

Johannes Archiepiſcopus de Comitis Rociacenſis conſanguinei captivitate vehementer ſollicitus, rogat Comitem Flandriæ, Porcenſem quoque, & alios ſibi fidos, ut auxilio eſſe velint ad Rociacum caſtellum fortiter expugnandum. Remi huic libenter præſto fuêre cum quadringentis equitibus, peditibus mille, & ſexaginta arcubaliſtis, ductore Galchero Caſtellionenſi, qui & ſagittariorum ſtipendiariam manum ſecum advexit, cui præerat Johannes dictus Leleu de Sancto Quintino. Archiepiſcopus hos cum Johanne Caſtellionenſi, Porciano Comite, & de Turno, ſecutus eſt, admotiſque ad murum machinis ab Remis advectis, quibus pondo centum librarum lapides detorquebantur, qui caſtri præſidio erant, poſt dies octo & viginti obſidionis, ad deditionem coacti ſunt. Delphinus hoc facinore exhilaratus tertiam pecuniarum partem Remis conceſſit, quas villæ campeſtres Anglis coactè ſubminiſtrabant.

Dum hæc bene, feliciterque gererentur, rumor confeſtim percrebuit Eduardum ex Anglia ſolviſſe cum ingenti exercitu, vaſtatiſque Atrebatenſium & Viromanduorum agris, Remos certò venturum: Delphinus, cui hoſtium conſilia probè cognita erant, Remenſes de his, ſequentibus litteris fecit certiores, quas hic ex Gallico in latinum verſas exhibemus.

Auctoritate

Digitized by Google

Auctoritate Franciæ Regentis, Ducis Normanniæ ac Delphini Viennenſis.

MAjor, & Scabini Remenſes. Nuntiatum eſt nobis ex Anglia à viris fide dignis, quos id latere non poteſt, Regem Angliæ in hoc præ- ſertim incumbere, ut mare tranſeat proximo menſe Sextili, pro expu- gnandis primarijs aliquot urbibus, in primis verò Remenſi. Unde ſcribi- mus vobis, ut certiores facti, diligenter exploretis an victualibus, machi- nis, aliiſque rebus juſtæ defenſioni ac obſidioni neceſſarijs ſit inſtructa: & ſi aliquid deſit, celeriùs ſupplere curetis, ne horum defectu Urbs ipſa pereat. Certi autem ſitis, quòd ſi expugnetur, me auxilium qualibet via præſtiturum: erecto igitur & magno ſitis animo, fidelitatémque veſtram fortiter ſervate erga Seniorem meum, meipſum & Francicam coronam, ut hactenus egregiè feciſtis, & vos deinceps facturos ſpero, ſanè in ea multùm confidimus. Deus vos cuſtodiat. Datum Meleduni decima Julij. " " "

JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP. An. 1359.

Archiepiſcopus, cui incumbebat caſtri portæ Martis deffenſio, videns illud ab Urbe excludi, muro circum foſſas producto, cuſtodiam ejùs civibus dereliquit, cui Guidonem Leſcot, & Theobaldum la Barbe adjunctis aliquot militibus præfecerunt. Miſſi ſubinde arcubaliſtæ viginti apud Culmiſiacum qui itinera obſervarent; fœdus quoque ictum cum Cathalaunis, quò utraque urbs ſibi invicem adversùs Anglos opem ferret, approbante Galchero Caſtellionenſi Remenſi Capitaneo, ac Primoribus Cleri & populi ex una parte, & ex altera Balduino de la Bove, aliiſque civibus urbis Cathalaunenſis, ſub beneplacito Delphini Viennenſis.

Remos Eduardus obſidet, diſcedere cogitur, civium facta militaria.

CAPUT XVII.

URBIS ſecuritati Remenſes ſedulam dabant operam, cùm opinione maturiùs hoſtis advolat, quem ad centum millia pugnatorum fuiſſe quidam referunt: hujus adventum Scabini Delphino per curſorem, ut condictum erat, confeſtim nuntiant, qui ad eos pariter reſcribit litteris tertia Decemb. datis; at necdum eis redditæ erant, cùm ab Anglo occupatis itineribus, Urbs obſidione cincta eſt. Bellicus apparatus ante Urbis proſpectum latè explicatus 14. Decemb. 1359. nihil trepidationis popularium animis ingeſſit, vitam & facultates pro Regni obſequio dare paratis. Eduardi caſtra ſic diſpoſita erant, ex MS. Remigiano. Rex dux belli acerrimus, quíque Gallicis viribus adversùs Regni Adminiſtrum utebatur, ſibi habitaculum fixit in Cœnobio S. Baſoli; Princeps Vvalliæ apud Villam-dominicam; Comes de Richemont, & Comes de Norentonio apud S. Theodericum; Dux de Lanclaſtre in villa quæ Brimont dicitur; Angliæ Mareſchallus, quò Urbi propinquior eſſet, Cernacum delegerat: & Johannes de Bello-campo Betniacum. Ducibus, prout cuique imperatum, attentiùs occupatis, equites hinc inde diſcurrebant, ne quid Urbem ingrederetur: at horum excubias fefellit civium diligentia, qui Delphinum ſecundò certiorem reddunt de ſtatu Urbis, quibus ita reſpondet.

Præfecti ſeu Regentis Regni Francorum auctoritate, Ducis Normanniæ, ac Delphini Viennenſis.

„SCabini & electi Remenſes. Veſtras per Rogerum de Bourich ad nos „directas recepimus litteras, quibus certi reddimur de Anglorum „adventu, & poſita circa Urbem obſidione, vóſque ex intercepti ſagittarij „relatione, & ex hoſtium operibus facilè conjectari longiorem fore obſi„dionem; ad omnia verò vos eſſe paratos, & extrema quæque ſubeunda: „oratis nihilominus ut vobis quædam equeſtres copiæ mittantur, quæ „frequentibus Anglos incurſionibus fatigent, & ſi Urbem ingredi non „poſſint, in locis idoneis & vicinioribus ſe contineant, ut utrimque à vobis, „& his, cùm opus fuerit, impetantur. Petitio hæc ardorem veſtrum & „fidelitatem egregiè commendat erga coronam, ac velut inſigne ſtrenui„tatis monimentum toti Franciæ deinceps proponetur. Statueramus ad „vos mittere cariſſimum noſtrum Regni Coneſtabulum; at retinuimus ob „quoddam magni momenti negotium; cùm primùm Trecis redierit, ubi

juſſu

jussu nostro profectus est, mittemus eum ad vos, præcipimúsque vobis ut libenter eum in Urbe recipiatis, vel in vestris propugnaculis, consilijs item juvetis, nósque sæpius, quantùm fieri poterit, de omnibus quæ fient apud vos certiores reddatis. « Johan. de Craon. « Lxv. Archiep. An. 1359.

Quamvis hîc de suppetijs civibus ferendis per Franciæ Conestabulum sermo habeatur, produnt tamen memoriæ Vrbem tam Galcheri Castellionensis & aliquot Nobilium, quàm civium, quibus aderant stipendiarij quidam milites, dexteritate & studio fuisse conservatam. Frossardus, qui obsidionem satis accuratè descripsit, narrat Johannem de Craon Archiepiscopum Vrbis Præfectum duces habuisse Comitem de Porciano, Hugonem Porcensem germanum ipsius, dominum de la Bove, de Canency, d'Annore, de Lore, & aliquot Barones & Milites marchiæ Remensis, qui omnes egregiam navârunt operam: *erat enim*, inquit, *Civitas circum undique vallata, & optimæ custodiæ.*

Castellum Culmiacum (ubi turris quadrata muro lapideo & denso) armis ac victualibus instructum capitur per Bartholomæum de Bince Angliæ Baronem, post quam effossa humo, turris ligneis pilis exterius retenta, quibus appositò igne corruit, exacto præsidio, cui Henricus de Vaux præerat ex parte Archiepiscopi, aliud ibidem ab Anglis positum est.

Obsidionis tempus passim levioribus pugnis, & velitationibus effluxit, veterano enim robore cives procul à mœnibus Anglos abigebant, adeò ut ea non modò aggredi impunè; sed nec fossas ejus prospicere liceret. Postquam Rex aliquot sedisset diebus, viderétque se nihil proficere; sed contra tot fortissimos pugnatores frustra conari, soluta obsidione retraxit se undecima Janu. satiùs ducens indecore admodum receptui canere, quàm deteriora experiri. Recedente exercitu Johannes Grammaire vir strenuus ab Vrbe egreditur ut socordes cominus feriret; at timor his addiderat alas relictis impedimentis & sarcinis, quæ in Vrbem advecta, & Galcheri auctoritate venalia exposita, stipendio militum cesserunt.

Grande hoc facinus toti Galliæ expositum, obsidionis finem præstolanti, Remorum haud mediocriter erexit animos, qui & palantes Anglos è confinio prorsus expellere decernunt. Præsidium habebant in castello de Sissonne captivis refertum & bonis, Præfectus fossarum altitudini confidens resistere tentat; at Remi aquam ingressi ad umbilicum, undique castrum simul expugnant, capiúntque quinto die, omnibus interfectis. E munitione de Courlandon egressi numero sexaginta equites Campaniam excurrebant, itum obviam ex Vrbe, triginta ex illis cæsi, reliqui in fugam versi, munitio capta, & aliquot aliæ ab Anglis erectæ tempore obsidionis.

Eduardus cum decurtato exercitu, excubijs & adversa anni tempestate fatigato, Cathalaunum & Trecas inutiliter invadere conatus est, erat enim hiems perpetuis ferè imbribus aquosa & madida, visúmque est orbatæ atque oppressæ Galliæ cælum veniisse suppetias. Tum Parisios versùs dirigit aciem, ut eam obsideret mense Aprili. Vrbis amplitudo, quæ caput est Imperij Gallici, & civium mobiles animi Delphinum cogunt à Nobilibus, & primarijs urbibus auxilium petere, à Remensi præsertim litteris sequentibus, quas hîc vulgari idiomate scriptas subjicere decrevi, quò Delphini amor in Remenses ob egregiè præstitam operam clariùs innotescat.

Chers & bien amez. Le Roy d'Angleterre ennemy de Monsieur, & le nostre, à tout son ost, se est venu logier devant Paris, par devers le costé de saint Marcel, & entand à assieger, & assaillir ladite Ville de tout son pouvoir; pour y resister nous avons mandé plusieurs de nos bons feaux & sujets, pour nous aider & secourir à ce besoin. Si vous

prions

JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP.

prions, & neantmoins mandons ſur toute la feauté & amour que vous avez à mondit Seigneur, & à nous, que ſans delay vous envoyez par devers nous à Paris le plus efforcement, & à meilleure compagnie de gens d'arme, que vous pourrez, & de ce ne faillez : car au beſoin eprenve ton ſes bons amis & loyaux ſujets. A Paris le 8. jour d'Avril.

An. 1359. Ex his patet quo loco Remi haberentur apud Delphinum, & certè negari non poteſt, inſigniter hos de toto Regno meruiſſe, ſi temporis momenta paullulum expendantur, Rex captivus ultra mare, nobilitas in pugna Pictavienſi prope deleta aut capta, primariæ urbes, ac provinciæ ab Anglo occupatæ, Rex Navarræus è cuſtodia eductus cædis ac minarum ſpirans, Pariſij diſcordijs ſciſſi inter ſe, ac Regni negotia in eo ſtatu, ut Delphinus, vigil alioquin & prudens, impedire non potuerit ne Angliæ Rex Remos obſideret, quò cæleſti perunctus Chriſmate (unctio enim tunc velut dignitatis character, ſeu teſſera credebatur) victor omnia penetraret. Meritò igitur Remi, penes quos reſidet Regni diadema, ut cum Ivone loquar, ſibi gratulari poſſunt, quòd tanto conatu, & vigore animi Anglis obſtiterint, quibus fractæ vires, & in eo ſtatu relictæ, ut Eduardus vix Pariſios ſalutaverit, cùm de pace cogitat, quæ apud Britiniacum depacta eſt, ſub conditionibus alibi recenſitis, quæ etiam colligi poſſunt ex Johannis Regis epiſtola è Lundino ad Remos data 8. Junij eodem anno.

Pax coit inter Reges Britiniaci prope Carnotum.

Pontifex, qui ardenter eam exoptabat, articulos approbavit, & Rex in Galliam ſtatim redijt, poſt quatuor annos, & dies triginta quinque captivitatis, ſolutis ſexcentis millibus coronatorum, ex eadem epiſtola, in qua monitos vult Remenſes pro Dei honore potiùs, quàm ſua liberatione pacem cùm Anglo compoſuiſſe, ſub ea fiducia, quòd à bonis ſubditis opem recepturus eſſet, tam in donis, quàm mutuò acceptis, pro ſexcentis millibus veterum ſcutorum ſolvendis, de quibus pro redemtione conventum erat, quæque apud Caleſium tranſmiſſa ſunt, ubi ſperat ſe intra tres hebdomadas appulſurum. Cúmque in illis multum confideret, ob exploratam nuper in obſidione fidelitatem, ſperare ſe illos libere de ſuis opibus erogaturos pro ſua liberatione, qua in re velint uxorum ſuarum jocalia, vel nobilium matronarum oppignerare, vel quò pecunia celeriùs haberetur, Metis vel alicubi pignus, aut obſides offerre, quos ipſe, cùm primùm liber fuerit, exonerabit, ſpondétque ſe multam gratiam pro his habiturum.

Suis quoque litteris eoſdem certos reddere voluit de ſuo adventu apud Caleſium undecimâ Julij, quibus rogat ut ociùs mittant pecunias, quas mutuò acceperant ab Audomarenſibus. Rex ſtatim ac Caleſium appulit pedes ſupplicatum ivit Bononiam ad Deiparæ Virginis memoriam, ubi Remenſes eò conveniunt de ſuo reditu gratulaturi. Rem notatu dignam refero. Cives delegati ad Regem ſalutandum, ſummâ ſexdecim millium regalium aureorum pro prima ſolutione redemtionis numeratâ, mera liberalitate addiderunt duo millia & centum regales aureos; hi noſtra moneta faciunt quingentos vigintiquinque ſupra bis mille aureos, quos Theobaldus la Barbe, & Johannes Cochelet ſelecti à Scabinis obtulerunt in quatuor cyphis argenteis, pondo ſeptem marcarum cum ſex uncijs. Rex gratum omnino hoc donum habuit, & cùm ex pacto teneretur obſides è primarijs urbibus dare, monet Remenſi duos indictos fuiſſe à regio conſilio: unde Geſſonius la Nage, & Olivarius d'Oſſon è Primoribus Remorum, in Angliam profecti ſunt 25. Januarij an. 1361. at hic expleto termino Remos redijt, cum ſalvo conductu in palatio de Weſtmonſter dato 6. Julij, & Jacobus la Barbe ex meis majoribus in locum ejus miſſus eſt, pro quo Rex ad Eduardum Angliæ Cancellarium tali tenore reſcripſit.

Johannes

Johannes Dei gratiâ Rex Francorum, cariſſimo noſtro Angliæ Cancel- « JOHAN.
lario, & alijs Conſiliarijs dilecti Fratris noſtri Angliæ Regis ſalutem & « DE
dilectionem. Jacobum la Barbe civem Remenſem pro nobis in obſidem « CRAON.
ad vos mittimus, pro Olivario d'Oſſon civem item Remenſem, qui per « LXV.
annum integrum, ut ipſe aſſerit, ibidem moratus eſt. Unde rogamus vos « ARCHIEP.
inſtantiſſimè ut eum amicè recipiatis, prædictúmque Johannem la Barbe « *An.* 1359.
eodem modo tractetis, quo ſoletis alios noſtros obſides, Olivarium verò «
permittatis iſthac redire cum ſalvo conductu, ſi opus fuerit, & à vobis «
poſtulet. Datum Pariſijs 22. Janu. an. 1361. ſub ſigillo caſtelli Pariſ. in «
abſentia majoris. «

Cuique obſidum, qui in Angliam transfretârunt, pro expenſis quingenti aurei dabantur, erántque præter eminentiſſimos tres Regis filios, Duces & Comites à Scriptoribus relatos, ex urbibus Pariſienſi, Rotomagenſi, Remenſi, Bituricenſi, Turonenſi, Lugdunenſi, Senonenſi, Aurelianenſi, Trecenſi, Ambianenſi, Belvacenſi, Atrebatenſi, Tornacenſi, Cadomenſi, Inſulenſi, Duacenſi, ex ſingulis duo, qui apud Lundinum permanſerunt uſque ad integram ſolutionem. Menſe Februario ingens frigus viguit, peſtilentia item extinxit multos, & pretium tritici graviſſimum in Gallijs ob intermiſſam agricolationem.

Craonis expoſtulatio adversùs cives Remenſes.

POſt clara hæc in hoſtes edita facinora, quibus Remorum virtus emituit, quis hos aliqua ſaltem laude dignos non judicet? apud eum maximè, cui Urbis, plebiſque ſalus multò gratior eſſe debebat; at ut ſæpe evenit, quòd ex proſperis adverſa naſcantur, ſic obſequia ab his opportunè præſtita diſcordiarum præbuêre materiam, quas compendio hîc referre operæ pretium duxi, ne eas omnino prætermiſiſſe videar. Dictum ſuperiùs urbis Remenſis claves à Regibus Francorum datas Archiepiſcopo, ac ſæpius aſſertas, cum juribus, dominijs, ac ſingulari Ducis prærogativa, quibus ſatis patebat eo inconſulto nihil in ea majoris momenti fieri debere, aut de novo conſtitui. At Anglis Belgium ingreſſis, cives nulli ſe injuriam facturos exiſtimarunt, ſi ſibi, ac Reipub. conſulerent, eo præſertim tempore, quo Archiepiſcopus procul aberat, Civitas ſine propugnaculis, caſtrum portæ Martis præſidio deſtitutum, urgebátque Regni Adminiſter iteratis litteris ut ea omnia pararent, quæ juſtæ deffenſioni forent neceſſaria: ijs ſiquidem excitati præſidium in caſtello poſuerunt, crearúntque belli præfectos, ne imparati ab hoſtibus impeterentur, Urbſque fieret deprædationi.

Civium hic diligens apparatus non tam Craoni Archiepiſcopo diſplicuit, quàm diffidentem pulſabat animum, ne hoc prætextu jus ſibi in poſterum arrogarent quodlibet audendi in Urbe, cum jactura ſui dominij, ac temporariæ juriſdictionis: unde ſtatim ac pax Galliæ reddita eſt, de civibus graviter conqueritur apud Normanniæ Ducem, qui Regni clavum tenebat, Rege captivo in Anglia. Cenſuit hic, quò ſe Craoni forſàn gratum præberet, cives ad aliqualem ſatisfactionem teneri, dátque negotium Abbati de Mireval, & M. Milom des Urſins, utrique à Conſilijs, ut diligenter inquirant de damnis quæ ſibi illata fuiſſe contendebat Archiepiſcopus, & omnia pacificè & celeriter componant. At cùm ad ſatisfactionem cives nec Principis ſtudio induci poſſent, nec flecti miſſorum perſuaſionibus, hos ad jus vocat Craonius in ſuprema Parlamenti curia. Quid illis præſertim objiceret, alij verò rejicerent, clariùs conſtare non poteſt, quàm ex regio diplomate, ubi rationes utrimque referuntur, ex quo aliquot, quæ ad rem faciunt, hauſimus: ſic autem incipit.

Johannes

JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP. An. 1359.

„ IOhannes Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus &c. Dicit „ imprimis Archiepiſcopus ſe primum Parem eſſe Franciæ, Ducem, & „Metropolitam, inſigni præditum nobilitate, prærogativam quoque ha„bere inungendi, ſeu etiam ſacrandi Franciæ Reges, pluribúſque alijs „pollere honoribus.

„ Cives Remenſes in ſpiritualibus, & pro majori parte in temporalibus „ſibi ſubditos eſſe ratione dignitatis Archiepiſcopalis, ob quam ampliſſi„mam tenet à nobis temporalitatem in Ducatu & Paria, & inter cetera „caſtrum portæ Martis.

„ Prædictos cives poſtpoſito honore ſibi debito, dum Laudunenſem „diœceſim luſtraret, ad ſuos vicarios primùm fucatis quibuſdam verbis „de ſuſpicione, periculo, & mala cuſtodia dicti caſtri præmiſſis, acceſſiſſe, „tum armata manu, & gravioribus minis, quibus prædictis vicarijs tantus „timor incuſſus eſt, ut caſtri aditum eis ultro exhibuerint, ubi nihil „ſuſpecti reperientes, illud nihilominus, ipſis invitis, retinuerunt, quaſi „poſt pugnam Pictavienſem leges concidiſſent, adeſſétque tempus quod„libet audendi, turbatis Regni noſtri negotijs.

„ In craſtinum paullo poſt reverſum Archiepiſcopum, cauſas forſan „ſuæ abſentiæ dicturum, ab eis vix obtinuiſſe ſpatium prandendi, ſed „impetu facto, pane, ferculíſque ignominiosè ad terram projectis, com„pulſum caſtro ociùs relicto per medium populi armati, ac ſævientis, ad „palatium ſuum ſe recipere, à quo nihilominus (elapſis quatuor circiter „diebus, plebe ad ſollemnem ſupplicationem convocatâ) ex Primoribus „aliquot pœnitentiâ ducti flexis genibus, reſtitutíſque clavibus, commiſ„ſorum veniam petierunt, quam benignè indulcerat, depoſitis omni mæ„rore, & iracundia. Verùm tantæ manſuetudinis oblitos cives conjura„tione facta eum deinde nihil cogitantem conveniſſe, ac armis vallâſſe, „à quibus, ut ſe extricaret, aſcenſo equo, quanta potuit celeritate cum „paucis, víxque tempeſtivè per portam Martis evaſiſſe incolumem. „Non ita poſt cives ad mentem reverſos humiliter adhuc ſpopondiſſe ſe in „poſterum obſequentiores futuros, paſſuróſque ut quem vellet Capita„neum præficeret, túncque regreſſum, gratum illis conſtituiſſe Capita„neum Galcherum de Caſtellione.

„ In eum honorificè ſic exceptum commotionem rurſum recruduiſſe, „civibus caſtri pontes abſcindere conantibus, quorum conſilijs ut occur„reret, Comitem de Braina ſibi conſanguineum, cum aliquot præſidiarijs „accerſiſſe, quibus caſtri cuſtodia conceſſa, data priùs fide, ne ullam „civibus inferrent injuriam; at hos ſubitò inclamâſſe: *Ad arma, ad arma* „pulſatáque campanâ in S. Simphoriani, cum balliſtis, & artilleria advo„lâſſe, velut caſtrum expugnaturos, evertiſſéque inſigne quoddam ſacel„lum cum cœmeterio, aliáque indignè perpetrâſſe, etiam poſt Anglorum „deceſſum, & pactum à nobis initum cum eis.

„ Pro his, aliíſque exceſſibus petere Archiepiſcopum, ut ipſi Scabini & „cives à damnis ſibi inferendis ceſſare cogantur, honorabilem ei aman„dam præſtent, ponantque in Eccleſia Remenſi, vel in porta dicti caſtri „portæ Martis, aut alibi imagines aureas, vel argenteas juxta Curiæ „decretum, ſeu ſculptas in lapide ad perpetuam rei memoriam, dicatúr„que Scabinos crimen perjurij, ſeu forisfacti incurriſſe erga dictum Ar„chiepiſcopum, omníque jure, ſi quod haberent, privati, damnentur ad „ſummam quinquaginta millium librarum.

„ Ex adverſo Scabini Remenſes opponebant bella & ſervitutes juris eſſe „humani, à quibus ut ſe vindicarent ſparſi per agros populi, ſtructas pri„mùm ab ipſis fuiſſe arces, & propugnacula, quorum ipſi velut integræ „libertatis compotes, ac nullius addicti imperio cuſtodiam habuêre, donec

experientiâ

experientiâ patuit confusam multitudinem duce indigere, qui subditorum curam gerat, civitates instruat propugnaculis, eásque fortiter tueatur adversùs hostem. JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP.

In his potissimùm regiam stare dignitatem, júsque supremum & eminens, intimè sic ei conjunctum, ut separari ab eo nusquam possit, aut penitus alienari. Unde cùm jus illud, Deo auctore, à nostris prædecessoribus in Gallia nos habere certum sit, omnes proinde civitates sub nostra esse custodia, Remensem imprimis, ubi cæleste Chrisma servatur, quo nos & ceteri Franciæ Reges inuncti sumus, ubi etiam Regni insignia in jucundo nostro adventu recepimus, & ubi eadem recipere teneretur quicumque de jure ac prærogativa coronæ nostræ contendere vellet. An. 1359.

Addebant urbem Remorum in liminibus Regni sitam, ne hostibus pateret, egregijs muniri debuisse propugnaculis, fictitium esse cives communitatis privilegio non gaudere, cùm id satis supérque stabilitum sit, Regum concessione, Archiepiscoporúmque conniventia, quos recepti dudum apud eos reginiinis forma non latebat. Fateri quidem Archiepiscopum Pariatûs Regni, ac Ducis titulo gaudere, alijsque juribus & prærogativis; at inficias ire non posse, præter eum, jurisdictionem temporariam in Urbe alios obtinere, cùm alij sint banni ab eo independentes, quorum diversitate Urbis œconomia turbari posset, nisi regia auctoritate provideretur: ob id Anglis obsidionem minitantibus, à Scabinis hac potestate fretis erecta propugnacula, constituti decennarij, sacra profanáque loca, quæ impedimento essent, dejecta; nihil tamen ex his inscio Capitaneo factum, & inconsultis civibus tam Clericis, quam laïcis, aut repugnantibus deputatis à Rege, ad quem urbium tuitio & custodia pertinet.

Auditis partibus, dictum speciali decreto ad Archiepiscopum solùm non spectare Urbis custodiam, jus constituendi decennarios &c. libera tamen castri possessio ei servata est, aditus quoque ad illud, & recessus: sed ne quidquam damni in dominio reciperet, quod à civibus præsertim usurpatum querebatur, selecti sunt quidam à Curia, qui de hoc diligenter inquirerent. Sic utrique parti utcumque fuit satisfactum. An. 1358.

Exstat tamen in Archivis decreti clausula jus Regis paullo fusiùs explicans his verbis.

Dicimus nos quòd dictus Archiepiscopus non admittetur, nec ipsum ratio admisit ad dictas possessionem & saisivam per ipsum allegatas, habendi videlicet solus in solidum gardiam, seu custodiam, ac etiam ordinationem dictæ villæ Remensis, auctoritatémque fortificandi, seu fortificari faciendi, ac fortalitia construendi, habendi claves, & custodiam portarum, faciendi fossata, pontes levabiles, barrerias & pronnellos, seu stipites faciendi & figendi, portas obstruendi, vel murandi, catenas affigendi, ordinandíque decennarios, quinquagenarios, & similes ..... faciendi, vel disponendi quæ pertinebant ad fortificationem & custodiam bonæ villæ, modo videlicet & forma per ipsum propositis & petitis. Nósque tenebimur in possessione & saisiva præmissorum, dictíque habitantes Remenses tenebuntur in dictis suis possessionibus & saisivis, quibus per nos gubernentur, & manuteneantur, præmissa faciendo, impedimentúmque per dictum Archiepiscopum super hoc appositum tolletur, ac manu nostra levabitur, ipsámque Curia levavit ad utilitatem nostri, & dictorum habitatorum. An. 1363.

Datum Parisijs in Parlamento nostro 8. die Aprilis anno Domini 1363.

JOHAN. DE CRAON. LXV ARCHIEP.

Caroli V. inauguratio. Capitula provincialia celebrantur apud Sanctum-Quintinum. Johannes Archiepiſcopus defungitur.

An 1362. 1363. 1364.

CAPUT XVIII.

URBANUS V. Sedi apoſtolicæ ſuffectus poſt Innocentium VI. anno 1362. de bello in barbaros ſuſcipiendo Chriſtianos Principes admonuit; hujus hortatu Johannes Rex cruce ſe ſignat cum Regibus Cypri, & Daniæ, ſtatuſtque obſides ſuos, priuſquam ſe ad bellum accingeret, liberare, quò fœdus ictum cum Anglis firmiùs ſtabiliretur; at morbo correptus in Anglia, ubi perrexerat, menſe Aprili obijt, refertúrque funus ad Dionyſij Pariſiorum.

Carolus major natu filius (cui Sapientis meritò nomen inditum) Remis paullo poſt inſignia Regni ſuſcepit 19. Maij Johanne de Craon Archiepiſcopo ſacris operante, aſſiſtentibus Regni Patricijs, quorum munia Meyerus in ſuis Annalibus ſit deſcribit: *Iohannes Archiepiſcopus Remorum Regem ſacravit & unxit; Epiſcopus Laudunenſis portabat Ampullam cum ſacro oleo; Epiſcopus Lingonenſis geſſit Regis ſceptrum; Philippus Dux Burgundiæ tiaram Regis capiti impoſuit*, verius geſtaſſe coronam dixiſſet; *Ludovicus Dux Andegavenſis, vicarius Ducis Aquitaniæ, primum geſſit Regis vexillum quadratum; Venceſlaus Dux Brabantiæ avunculus Regis, vicarius Ducis Normanniæ, ſecundum geſſit Regis vexillum quadratum; Epiſcopus Bellovacenſis geſſit togam regiam; Epiſcopus Noviomagenſis regiam geſſit zonam; Epiſcopus Cathalaunenſis regium geſſit annulum; Ludovicus Comes Flandriæ regium enſem Regem accinxit*, tuliſſe verius dixiſſet; *Robertus Dux Ambarorum, vicarius Comitis Toloſani, regia portabat calcaria; Dux Lotharingiæ, vicarius Comitis Campaniæ, geſtavit ſignum militare regium.*

Meyer ad an. 1364.

Sequens annus celebris habetur Patriciorum comitijs, ob graviora Regni negotia ſæpius Lutetiæ coactis, quibus Johannes Archiepiſcopus, velut Protopar ac Dux Remorum, interfuiſſe legitur, apud Tilletium, Tractatu de majoribus Regni Officiarijs. Idem Archiep. per hos dies, & Johannes Mingre cognomento Bocicaldus Franciæ Mareſcallus mittuntur à Rege in Britanniam, pro pace inter Johannem II. à Monteforti, & viduam liberóſque Caroli Bleſenſis componenda 12. April. an. 1365. Acta concordiæ in regiſtris chartarum regij theſauri, & Britanniæ adhuc exſtant, agebatur enim de jure ſucceſſionis Armoricæ.

An. 1365.

Menſe Decembri an. 1367. ad ferias S. Nicaſij per noctem tanta inhorruit tempeſtas, ac furor ventorum, ut dies mundi noviſſimus adeſſe videretur; hæc redintegrandi belli inter Reges rupta pace præludia fuerunt, multis jugum Anglicum meritò excutientibus ob avaritiam, immodica vectigalia, erectúmque ſupercilium, quod Galli horrent in primis, nec ferre poſſunt. Chartulæ ſcabinatûs Remenſis narrant Robertum de Canole Angliæ Conſtabulum, è Flandria miſſum ab Eduardo in Aquitaniam, ut laborantibus ſuis opem ferret, húncque per Campaniam tranſeuntem cum exercitu, de urbe Remenſi obſidenda cogitâſſe; at ipſe fortunæ aleam experiri non præſumſit, ne cum pari dedecore ut priùs obſidionem ſolvere cogeretur.

An. 1367.

An. 1368.

Eodem anno Carolus VI. Galliarum futurus Rex Lutetiæ in ædibus Comitis Sancti-Pauli naſcitur, ſequenti verò ratum legitur matrimonium

An. 1369.

Philippi

Philippi Burgundi fratris Regis, cum Margareta Flandrica, annitente matre, quæ tota Gallorum erat. Hæc Flandros, Atrebates, Salinas, Nivernios, Reſtellanos ſponſo in dotem attulit, ne ſcilicet cum magno Francici Imperij detrimento, Anglis, qui huic connubio inhiabant, tantæ opes accederent. Urbano V. defuncto ſucceſſit Gregorius XI. quem ut Romam repeteret relicta Avenione, alij quidem multi, imprimis B. Birgitta magnæ ſanctitatis femina valde adhortata eſt.

JOHAN. DE CRAON. LXV. ARCHIEP. *An.* 1370.

Anno ſequenti Rex Angliæ claſſem militarem in mare poſuit contra Flandros, ob fidem nuptiarum non ſervatam Margaretæ, cum Edmundo, tranſitúmque oceani inter Doverium & Caleſium ita frænavit, ut vix tuta ulla eſſe poſſet navigatio: at mox Galli ad Rupellam, auxilio claſſis Hiſpanicæ, Anglos prælio navali ſuperant, quo ſi non fractæ, certè luxatæ plurimùm fuerunt Anglorum vires. Die 13. menſis Martij Ludovici Aurelianenſis natalis, quem Johannes Archiepiſcopus Remenſis ſacro abluit Baptiſmate. *An.* 1371.

Remis cùm per aliquot annos acriter diſceptatum fuiſſet inter Canonicos, & officiarios Archiepiſcopi, pro juribus, privilegijs, & libertate ſervientium Capituli, quos ferre non poterat Archiepiſcopus cum tanta jurium ſuorum jactura, ceſſatúmque ſæpius fuiſſet à divino Officio (diſcordia enim inceperat ab anno 1360.) tandem de arbitris conveniunt, páxque ſancita inter eos celebri ſententia, quæ Johannina vocatur à Johanne de Dormanno ſanctæ Sedis apoſtolicæ Legato, & Belvacenſi Epiſcopo, qui multùm præterea laboravit unà cum Simone de Langhe S. Sixti Cardinali item Legato, pro pace componenda inter Reges. Charta hujuſce concordiæ, quæ Johannina dicitur, & alia Simonina à Simone, vulgares admodum ſunt, nec juvat has referre.

Per id tempus capitulares Conventus provinciæ Remenſis fiebant ſingulis triennijs apud Sanctum-Quintinum in Viromandia: eò mittebantur aliqui à cathedralibus Eccleſijs, ſumtibus earumdem à cœtu deſignandis, quibus ſedes parata erat juxta cujuſque dignitatem. Die condicto præſes ordiebatur ab invocatione ſancti-Spiritus, quam parænetica oratione vir quidam latinè eloquens excipiebat; tum ſecreto ſollicitè omnibus injuncto, & multâ de more in abſentes impoſitâ, articuli palam legebantur in ſuperiori confeſſu decreti; de his deinde inquirebat præſes an religioſè obſervati, & utrum detrimenti aliquid privilegia accepiſſent ab externis Judicibus, in hunc maximè finem deputati conveniebant. Ut verò articulis ibi ſancitis reverentiam aliquam Capitula conciliarent, quiſque Canonicus in ſua receptione jurare tenebatur, ſe obſervaturum omnia ordinata & ordinanda per Capitulum in Sancto-Quintino celebratum.

Cõcluſio capitularũ quartâ Martij an. 1414. horum conventuum meminit, ubi etiam dicitur Remenſes jus habere præſidendo pro confirmandis juribus, libertatibus, & immunitatibus Eccleſiarum.

Capitulo provinciali indicto 8. Maij anno 1303. prohibitum reperio, ne Canonicus quiſpiam Remenſis provinciæ, Conſiliarius eſſet, aut actoris, ſeu procuratoris munus obiret adverſus exemptiones, jura, & libertates cathedralium Eccleſiarum, ſub pœna privationis proventuum ſui Beneficij per duos annos: ſancitum quoque ne Canonici cogi poſſint in ſuum gremium recipere ſpurios, & illitteratos. De his quædam habet Louvetus in hiſt Bellov. ubi notat primum Conventum incœpiſſe anno 1331, ultimum verò anno 1428. Hujus litteræ ad Capitulum Remenſe, pro morum reformatione à deputatis miſſæ exſtant in Chartulario archiepiſcopali. Quid ſingulæ diœceſes pro expenſis conferre deberent, finis ultimi capitis indicat titulo *de Ambaxiotis mittendis Romam pro Eccleſijs cathedralibus provinciæ Remenſis.* Capitulum Remenſe ſolvebat quadraginta libras Pariſ. Sueſſionenſe quindecim libras, Laudunenſe vingintiquinque lib. Bellovacenſe vigintiquinque, Cathalaunenſe quindecim, Ambianenſe & Noviomenſe quadraginta, Atrebatenſe & Tornacenſe viginti &c. huic præſertim

Louv. lib. 1. cap. 8.

JOHANNES DE CRAON. LXV. ARCHIEP. *An.* 1373.

rei fermè hoc ævo incumbebant Capitula cathedralia, nihilque tam cordi habuisse videntur, quàm jurium conservationem adversùs Episcopos alijs negotijs intentos & distractos.

Anno 1373. Johannes Archiepiscopus Lutetiæ in Ecclesia S. Pauli Ludovicum Aurelianensem Regis filium sacris abluit undis, lectúsque anno sequenti ab eodem Rege ut filio suo natu majori, cum alijs Regni Proceribus esset à Consilijs, si forsan eo adhuc impubere Rex ipse mori contigisset. Primus inter recensitos Craonius numeratur ob Sedis prærogativam; at munus hoc mors invida obire non finit, decessit enim hic Lutetiæ ante Carolum 26. Martij anno 1373. ante Pascha, in domo archiepiscopali Remensi, Parisiisque tumulo conditur apud Franciscanos. De eo obituarium sancti Petri Remensis ad Moniales 27. Martij, & Necrol. S. Nicasij 3. Nonas April. ubi de eo quot annis cum alijs quibusdam Archiepiscopis anniversariæ exsequiæ celebrantur.

Capitulum, ut moris est, rexit Sede vacante, registríque ad se revocatis præfectum selegit pro urbe Mosomensi custodienda, quæ ditionis tunc erat archiepiscopalis; in ejusmodi scilicet feodos extra Regni fines vigebat in primis ipsius auctoritas, ut in actis capitularibus legimus.

Ludovicus Thesart LXVI. Archiepiscopus.

CAPUT XIX.

LUDOVICUS THESART LXVI. ARCHIEP. *An.* 1374.

VULGATO per Curiam Craonis obitu, Rex Ludovicum Thesart sibi gratum ac fidum, quem nuper ex Archidiacono Remensi ad Bajocensem Episcopatum provexerat, viduatæ Sedi præficiendum curavit: at quò regiæ huic electioni Pontifex liberius præberet assensum, cives Remenses, quibus prædicti Ludovici virtus ac industria probè nota erant, ob aliquot munia quæ pridem apud eos honorificè gesserat, hortatur quàm maximè ut sua pariter vota Pontifici pro eodem exibeant, hac epistola, quam vernaculè scriptam lubens exhibeo, ne ejus vel apicem prætermisisse videar.

D'or à une fasce d'azur surmontée de deux étoilles de...

Bourgeois & habitans de nôtre bonne ville de Reims. Il a plû à nôtre Seigneur faire son commandement de nôtre amé & feal Conseiller l'Archevéque de Reims, ET POVR CE QVE SVR TOVT LES EGLISES DE NOTRE ROYAVME NOVS AVONS A ICELLE AFFECTION SINGVLIERE & desirons souverainement la pourvoir de tel Pasteur, qui curieusement & loyaument s'employe à reparer les deffauts & excés, qui envers ladite Eglise ont esté faits, & amiablement traiter les personnes & negoces d'icelle: Nous avons de nôtre propre mouvement esleu & choisi entre les Prelats & autres personnes de nôtredit Royaume nôtre amé & feal Conseiller l'Evéque de Bayeux, duquel nous pensons que vous sçavez assez les merites & suffisances, mesmement qu'il a par long temps demeuré sur le lieu, & gouverné au pais plusieurs offices notables, & en avons escrit à nôtre St. Pere le Pape le plus affectueusement que nous avons pu, que nôtre dit Conseiller l'Evéque de Bayeux il veuille promouvoir à ladite Eglise, comme le plus suffisant Clerc que nous luy pourions nommer en cette partie, & pour le grand desir & affection que nous avons que cette besogne prene bon & brief accomplissement, nous vous prions bien à certes & de cuer, que à nôtre dit St. Pere, & au College de Rome vous veuilles

supplier

Digitized by Google

ſupplier par vos lettres en la meilleure maniere, & le plus haſtivement que vous pourrés, que nôtre dit Conſeiller il veuille promouvoir, & tranſlater en ladite Egliſe, & pour certain nous tenons fermement que en cela il ſera mieu pourveu au Benefice, que à la perſonne. Si ne vous en veuilles faillir, & affin que vous apert que nous avons cette beſogne tres à cuer, nous avons ſigné ces lettres de nôtre propre main. Donné à Paris le vingt-huitiéme jour de Mars. Signé CHARLES. Et plus bas GRAFFOURT, *& ſeelé.*

Ludovic. Thesart LXVI. Archiep. An. 1374.

Ex his patet evidenter Reges Francorum aliquando, non expectata Capituli electione, regia ac ſuprema auctoritate quos volebant ad Epiſcopatus promoviſſe, ut aliàs ſub prima & ſecunda dynaſtia factitatum, quamvis in tertia hac præſertim, Pontificis conſenſus deberet accedere.

Ludovicus hic Theſart, malè Thetart à Claudio Robèrto vocatus, vir fuit celebri fama, & multo nomine, quique ſuæ eruditionis ſpecimen per diœceſim exhibuerat ſub Johanne de Vienna Archiepiſcopo, cujus ipſe Officialis fuit, Vicarius generalis, & tandem majoris Eccleſiæ Archidiaconus; at regimen illius breve admodum fuit, poſſeſſionem inierat menſe Martio anno 1374. juxta ſupputationem Gallicam, fato verò functus eſt 12. Octob. anno 1375. Sororem habuit nomine Thomaſſam Theſart Abbatiſſam ſancti Petri Remenſis anno 1374. cujus gratiâ quædam legavit Monaſterio ex prædicti Cœnobij Necrol. ubi hæc ſcripta leguntur.

IV. Idus Octob. obijt dominus LUDOVICUS THESART Archiepiscopus Remensis, qui in pecunia, blado et lignis dedit nobis plusquam triginta quatuor libras Parisienses, et qui plura bona fecit nobis.

V. Idus Octob. in Necrol. Rem.

Orate pro eo.

Tumulus ejus viſitur in Cathedrali, à latere principis altaris, cui hoc inſcriptum pro epitaphio.

LUDOVICUS ARCHIEPISCOPUS.

Aliquot viri illuſtres qui Remis claruerunt ſub Craonis Pontificatu.

CAPUT XX.

INTER bellicos apparatus, Regnorúmque colliſiones, aliquos doctrinæ radio Remis fulſiſſe, prope miraculum puto; cùm humanæ paſſim ſilerent artes, inculcáque jacerent ſtudia litterarum; rebus tamen politicis hos potiùs, quàm reconditiori ſtudio claros fuiſſe crediderim, quòd id ætas ferret, Eccleſiæque ſtatus, ut ex horum geſtis conſtabit, è quibus pauca hæc delibâſſe ſufficiet.

Milo de Dormans Remenſis Eccleſiæ Præpoſitus.

LOngè celebris inter hujus ævi ſummates enituit Milo de Dormans, Eccleſiæ Remenſis alumnus, ac in ea, poſt exhibitum optimæ indolis ſpecimen, Canonicus, ac Præpoſitus, cujus nobilitatis, proſapiæ, rerúmque geſtarum decora, non eſt quod quis à me requirat, cùm ab eruditiſſimis calamis affatim edita ſint ac illuſtrata: ſummi verò ingenij, ac prudentiæ

LUDOVIC. THESART LXVI. ARCHIEP. *An.* 1374.

prudentiæ virum exſtitiſſe probat ſummi Cancellariatûs Franciæ apex, ad quem poſt Guillelmum patrem, Johannémque patruum, feliciter aſcendit, retinuítque cum Belvacenſi Epiſcopatu Auctor eſt ſumtuoſiſſimi ſacelli Collegij Belvacenſis apud Pariſios, cui Carolus V. primarium poſuit lapidem, ſub tutela Johannis Evangel. editi, à quo vicus Collegio proximus nomen ſortitus eſt, qui Brunelli clauſtrum antea vocabatur. Sanxit Johannes de Dormans prædicti Collegij fundator, ut ex ſeptem burſarijs, quos ipſe doraverat, tres ex pagis de Biſſeüil & Dathi diœceſis Remenſis aſſumerentur, Johannes Richardus Remenſis Canonicus duos quoquæ burſarios addidit in eodem Collegio, ubi prædictus Milo quieſcit, ſub tumulo æneo cum alijs ſex ex eadem gente.

Per hos quoque dies claruit Cardinalis de Saluces major Archidiaconus, cujus purpura Remenſis chori ſplendorem auxit, eo tempore, quo vigebant Canones de electione Pontificum, Præſuléſque in Gallia è ſodalium gremio aſſumebantur; ſpartam per ſeipſum exercuiſſe probant à me relata, cùm de Archidiaconis ageremus.

Philippus la Cocque Abbas ſancti Nicaſij.

PHilippus la Cocque B. Nicaſij nominatiſſimus Abbas, ſe quoque rebus gerendis præclarum ac ſtrenuum exhibuit: narrat ſiquidem Hocſenius ob forenſis gloriæ peritiam ſelectum fuiſſe à Johanne XXII. ad ſopiendam diſcordiam, quæ exarſerat inter Epiſcopum & plebem Leodienſem, pro carcere ſtructo ad portam ſanctæ Vvalpurgis, pro juſtitia extraneorum, & alijs articulis, quibus ritè ac ſapienter compoſitis, & à Pontifice confirmatis; rurſum idem Abbas à Philippo Valeſio deputatur, ut inducias ſua dexteritate procuraret inter Flandrenſem Comitem, & Brabantiæ Ducem, hoc graviter conquerente quòd Epiſcopus Leodienſis Flandro Mecliniam vendidiſſet. Tandem Pariſios rediens judex & ſummus arbiter ampliſſimæ litis nominatur à Pontifice, quæ Parochos urbis Remenſis à Mendicantibus averſos pridem tenebat pro jure Confeſſiones Fidelium audiendi, recipiendíque funera defunctorum laïcorum, qui apud prædictos Mendicantes ſepulturam elegiſſent; arbitralis ſententia Philippi in Archivo Curatorum adhuc conſervatur. Idem Abbas ſe quoque munificum præbuit in hoc, quòd muros Urbis ea parte, qua Nicaſianum ambiunt phrontiſterium, ſuis expenſis fecerit, ut alibi diximus.

Poncardus Remigianus.

POncardus ſancti Remigij Monachus ac Præpoſitus de Courtizol, vir nobilis per litteraturam, judicij haud contemnendi, ac unica ferè ſtellula, quæ inter denſiſſimas ignorantiæ tenebras emicuit. Exſtat MS. codex in Bibliotheca Remigiana, quo de pridem facta dedicatione à Leone IX. luculenter diſſerit, quam celebrem in primis reddit dignitate perſonæ dedicantis, materiæ & formæ præſtantiâ, & alijs quibuſdam ad laudem ſui Monaſterij concinnè adauctis.

Richardus & Johannes Morel.

RIchardus Remenſis civis, ut creditur, ac B. Franciſci alumnus ſub Craone floruit, eruditione celebris, & clarus eloquio. Trithemius hunc Remenſem Archiepiſcopum fuiſſe ſcribit, laborátque plurimùm Robertus ut eum à Richardo Picque diſtinguat, unde utrique Pici nomen attribuit: at duos fuiſſe luce meridiana clarius eſt. Meminit Poſſevinus

Digitized by Google

Poſſevinus librorum quorumdam à Richardo Franciſcano editorum, inter quos exſtant homiliæ quædam de Tempore, & de Feſtis Sanctorum. SEDES VACAT. An. 1374.

Johannes Morel Sandionyſianus Prior, Pœnitentiariúſque Remenſis Eccleſiæ, religione ac pietatis opinione non vulgariter commendatus, ſcripſit Erminæ viſiones, quas Gerſonno Pariſienſi Cancellario examinandas obtulit, cujus MS. adhuc viſitur in bibliotheca Victoriana, ſtilo quidem ſimplici, ſed vero, ſuſceptæque materiæ, quam verſabat, accommodatiſſimo.

In religioſis quoque domibus Mendicantium plerósque doctrina viros enituiſſe reperio, qui & Theologiam ſcholaſticam publicè profeſſi ſunt, ut in ea Clerici erudirentur, petentibus Eccleſiæ Symmyſtis, cùm ſcholæ Remenſes ſiluiſſent. Inter hos memorantur Jacobus de Lauſanna, Dominicanus; Stephanus de Malachar, Franciſcanus; & Petrus de Romanignia, familiæ Auguſtinianæ. An aliquot ingenij monimentum poſteritati reliquerint, incognitum mihi eſt, nec prædictorum Conventuum regeſta aperiunt, è quibus vix aliquod expiſcari licuit quod eorum natales proderet.

Productum Urbis pomœrium, cur & quando, mœnium operoſitas & amplitudo.

CAPUT XXI.

ALTER hîc à nobis ſubjiciendus eſt Urbis Rem. eiconiſmus, accuratiórque danda deſcriptio, quæ & prolati pomœrij cauſas aperiat, & tempus deſignet, quo ampliſſimi circumducti aggeres versùs meridiem præſertim & occaſum, quibus efficitur, ut Urbs ſandalij effigiem habeat, hoc eſt ſoleæ, quam Græci Ichnuſam vocant: ſic Sandaliotis, Sardinia inſula denominata eſt. Vetuſtioribus Baſilicis, quæ per viam Cæſaream à Chriſtianiſmi cunabulis ſteterant, Cœnobitarum ſtudio amplificatis, auctíſque juxta eas incolarum domibus per artem textrinam & lanificium, in immenſum crevêre ſanctorum Sixti (nunc Remigij) & Dionyſij ſuburbia, quibus acceſſit primùm Culturæ campus ſuburbano Vidulæ contiguus, vici quoque Molendinorum, Ivellani, caſtri, de Venetico, de Barbaſtro, qui ſua vaſtitate priorem Urbis ambitum longè ſuperabant. Barbatici vici, Ivellani, aliorúmque nomenclaturam hîc non moror, nec à quo Culturæ campus, inquiro, & cur frequentiori populo inhabitetur, de his alibi non nihil diximus: quod agito illud eſt, cur circa tam ampla & locis diſſita ingentes foſſæ & aggeres prolati à civibus, & quando id incœptum. An. 1375.

Gallorum Regibus bello ſacro intentis, pacémque cum vicinis ſtudiosè colentibus, de Urbe arctiùs munienda, ſuburbaníſque intra eumdem ambitum colligendis nulla ſubijt cogitatio, quòd populus tunc pace frueretur, colendis agris ſeriò addictus & mercaturæ; at ſcintillis bellorum emicantibus ſub Auguſto Rege, quæ in flammas poſtmodum eruperunt, Scabini de ſecuritate plebis per ſuburbana diſperſæ impenſius cogitantes, hæc intra Urbis mœnia coercere ſtatuunt, ne hoſtium inſultibus paterent & deprædationi: ſic bella hoc ſæculo emergentia, & quæ inter Reges, & cum Flandris ſubinde invaleſcebant, dilatandi pomœrij anſam haud dubiè præbuerunt.

Archiva produnt cœptos muros ſtrui anno 1219. nec ſtatim perfectos, quibus conſonat chronicon Nicaſianum, inchoata foſſata circa civitatem duos annos poſt pugnam Bovinianam; at cœptum opus diu imperfectum manſit, An. 1219.

SEDES VACAT. manſit, civibus è diverſis bannis imperatum ſubſidium pro eo pendere detrectantibus. Henricus Branenſis renuntiatus Archiepiſcopus anno 1128.

An. 1375. domum ſuam de porta Martis altioribus muris & aggeribus vallare aggreſſus eſt, quò Urbi propugnaculum foret tempore belli, cúmque vetus

An. 1288. porta Martis intra caſtelli ambitum concluderetur, alia ejuſdem nominis haud procul edita eſt anno 1334. quæ adhuc eſt uſui.

Paullo poſt cives muros protenderunt uſque ad Vidulam, aggeréſque ſtruxêre ſecus fluvioli littora ſinuoſo flexu labentis à Flexamburgo, ut hoc ampliſſimo circuitu Monaſteria, cum vico Molendinorum, hortis &

An 1253. balneis, ſeu thermis, cingerentur, quod diverſis tamen vicibus iteratum fuiſſe patet ex juſſorijs litteris ad Scabinos à Rege miſſis, & in Tablino publico conſervatis. Facultas data Nicaſianis à Thoma de Bello-meſo Archiepiſcopo, anno 1253. conſtruendi murum ſuper foſſata, quæ Monaſterium ambiebant, manifeſtè teſtatur tunc aggeres huc uſque perveniſſe. Sed nec foſſis modò & aggeribus, ſed & portis totam hanc circumvallationem inſtructam

An. 1260. fuiſſe patet ex ſententia arbitrali lata anno 1260. inter Ss. Remigij & Nicaſij Abbates, pro cuſtodia clavium portæ retro Sanctum-Nicaſium ſtructæ (ambo enim hanc ſibi arrogabant) quòd in horum fundo ſtructa eſſet, unde duobus Abbatibus portæ cuſtodia adjudicata eſt, qui & alternatim ſtipendiarios homines habebant pro ea claudenda & aperienda.

An. 1294. Bello ſub Philippo Pulcro recrudeſcente, Remos dominus de Dampierre mittitur à Rege anno 1294. cum juſſorijs litteris, primâ ad Archiepiſcopum, alterâ ad Decanum & Capitulum Remenſe, tertiâ ad Abbatem S. Remigij, ultimâ ad Scabinos ac cives Remenſes, ut interpolatam vallationem reſumerent, cogeréntque tam Regis, quàm Eccleſiæ ſubditos intra ambitum trium leucarum, ad prædicti operis impenſam: lentè nihilominus feſtinatum, quamvis bellum longè acrius exarſiſſet inter Regem & Flamingas, quòd lis pro collatione necdum plenè ſoluta eſſet; incolæ ſiquidem banni S. Remigij ſuum ſymbolum conferre recuſabant, quaſi ab urbanis eſſent ſeparati; at hi compelluntur ſocietatem inire cum

An. 1328. illis anno 1328. Exſtat mandatum Johanni d'Interville à Rege miſſum, & aliud Ballivio Viromandenſi pro cogendo Clero ad aliquid ſuppeditandum per bonorum temporalium adjudicationem: cúmque ob vetus diſſidium inter Clerum, & Laïcos motum pro penſitatione, publica opera ceſſarent,

An. 1338. de his querela lata eſt ad Philippum Regem anno 1338. qui finitis poſt aliquod tempus inducijs cum Anglo, dat negotium Ægidio Sarrazin Laudunenſi; & Johanni Haſton Ballivij Viromandenſis vicario, ne cunctentur prædictas quàm primùm ſopire diſcordias, quod celebri decreto præſtitum eſt

An. 1346. 20. Martij anno 1346. Mox à civibus viri quinque ſelecti ſunt, qui ſedulam navarent operam, quorum unus erat è Clero, alter è Scabinatu, tertius ex banno Capituli, alij duo ex burgenſium cœtu pro Clericis non beneficiatis.

Per hos quoque dies Scabinis imperatum reperio, ut omne ſtudium Urbi muniendæ impendant, inſtruántque eam victualibus, armis, ac bellicis tormentis, ſéxque tunc, tam à Clero, quàm à populo, juxta receptum morem è primoribus electos, Remigium Cauchon, Petrum de Bezanne Scabinos, Robertum de Chaumont & Thomam le Poix burgenſes Scabinatûs, Johannem Chaſtelain & Petrum le Cas burgenſes Capituli: inde urbici Senatûs origo & forma manavit, imo ab his incœpiſſe videtur, quamvis à Rege necdum perfectè ſtabilitus. Ceterùm qualiſcumque horum fuerit induſtria, Urbs tamen undique vallari non potuit, nam à caſtro portæ Martis, uſque ad portam Ragenarij, & à porta Vidulæ uſque ad vicum Molendinorum, nihil aditum intercludebat, præter fluviolum & modicos aggeres, ut affatim probant ea quæ de Ægidio de Rodemach ſupra capite 13. reddidimus.

Finitis

SEDES VACAT. An. 1375.

Finitis iterum inducijs, inter utrósque Reges, Johannes Rex Craoni reſcribit ut nihil laboris intermittat pro Urbe munienda, labentes ociùs muros reparet, idoneum civibus præficiat Capitaneum, munúſque obeat ſtrenui ac fidelis gubernatoris. Archiepiſcopus Regi haud impigre morem geſſit, idipſum Remis urgentibus poſtquam pugnæ Pictavienſis rumor ſparſus eſt, útque ſtudij ſui teſtes haberet, ex optimatibus quatuor ſelegit, Theobaldum la Barbe, Thomam le Poix, Johannem Chaalons & Johannem Grammaire, qui & operibus, & civium ſecuritati ſedulam darent operam, quod diligenter præſtitiſſe probat Anglorum obſidio, quam ſupra deſcripſimus. Patet igitur interpolatis vicibus ingentem hanc mœnium operoſitatem ſurrexiſſe, & ad exitum perductam propter bellum Anglicum: huic verò murorum amplitudini producendæ ſe libenter impenderunt ipſi cives, & incolæ, & accolæ manus accommodârunt gratuito labore ipſi, qui mercedem capiebant exiguam, ut tunc res erat, & annonæ laxitas, atque tunc ita, & priùs ibidem templorum moles ſtruxerunt, quas miramur potius quàm imitamur.

Porro ex litteris domini d'Interville colligo murorum amplitudinem habere octo ſupra mille perticas (quidam virgas nominant) quæ ſexdecim pedum & ſemis ſunt, alibi octodecim, aut viginti, Abbatemque S. Nicaſij centum & viginti ſuis expenſis exſtruxiſſe, cum tribus turriculis retro ſuam Eccleſiam, ob id abſolutus ipſe fuit à collatione alijs impoſita pro fortificationibus, regijs litteris anno 1370.

Dilatato Urbis pomœrio augendus fuit portarum numerus; prima in Culturæ aditu ſita, Ragenarij Buiron nomen ſortita eſt, quòd domui ejus eſſet contigua; altera vidulæ dicta à fluviolo muros ejus lambente; tertia Flexamburga, ex fabuloſa hiſtoria à Guiſio relata, ubi Flexamburgus inter heroas computatur, qui exercitu in Belgio collecto Remos evertiſſe narrantur; quarta B. Nicaſij nomen prætulit, quòd retro ipſius Eccleſiam ſtructa eſſet, itérque præberet per viam Cæſaream ad Buxitum; at eâ obſtructâ alia ſurrexit vulgo de *Di-lumiere* dicta, non à Sole, aut quòd orientem luminis fontem reſpicit (ut quidam fabulantur) ſed ab Hoſpitali de Dei-merito nuncupato, quaſi dicatur porta de Dei-merito; ſexta retro S. Petri Parthenonem Nova appellatur in regiſtris Scabinatûs, & porta Remenſis apud Ægidium Leodienſem in vita S. Alberti, unde quis augurari poſſet, cùm per eam egreſſus ſit, eo die quo necatus eſt, exſtitiſſe ante productum Urbis pomœrium.

Prædictæ ſex portæ cum alijs duabus Martis, & Carceris octonarium numerum conficiunt; at poſt pugnam Pictavienſem, Caſtellionenſi jubente, portæ S. Nicaſij, Ragenarij, & Nova obſtructæ ſunt, reſtántque tantùm quinque in hodiernum diem.

Richardus Picque ſit LXVII. Archiepiſcopus. Imperator particulam Reliquiarum S. Nicaſij obtinet. Gallia ſtat à partibus Clementis VII. Moſomum Regis dominio incorporatur.

RICHARDUS PICQUE. LXVII. ARCHIEP. An. 1375.

CAPUT XXII.

RICHARDUS Picque natione Burgundus, de Biſuntino (malè Pica, Gallicè *l'Agache*) cognominatus, fratrem habuit Stephanum Picque Canonicum Remenſem, cujus ipſe, ut & Guidonis & Guioti agnatorum ſuorum meminit in ſuo teſtamento. Decanus is erat

De Gueules au pal de ... à coſté d'un Lion & d'un Griffon d'or.

Digitized by Google

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP.

Biſuntinæ Eccleſiæ, & Regi à Conſilijs, cùm generalibus Regni Comitijs interfuit anno 1374. ubi maximam cordati viri, ac eximiè prudentis famam ſibi apud Proceres conciliavit; at Ludovici Theſart obitu, viâ reſervationis, Rege opitulante, ad infulas Remenſes aſſumitur anno 1375. quo & poſſeſſionem inijt quintâ Febru. liberalitérque ſuſcipitur à Capitulo, data fide de privilegijs ſervandis, clientare ſacramentum à feudatarijs recipit, luſtrat Urbis Eccleſias, approbátque conſilium incolarum ſuburbij Vidulæ, recèns intra Urbis pomœrium incluſi, pro exſtruenda Parochia ſub auſpicijs divæ Mariæ Magdalenæ, quam anno 1382. inauguravit; ad hoc enim ſubſtructa videtur, ut vicinior atque opportunior eſſet illis ſuburbanis, quos S. Martini Parochianos olim fuiſſe reperio.

An. 1375.

Nangij Continuator.

An. 1376.

An. 1377.

Carolus Imperator Regis avunculus Natalem Domini celebrans apud Cameracum ſub finem anni, iterum in Galliam ire propoſuit cum Rege Romanorum, ubi à Carolo magnificè acceptus & cultus legitur quartâ Januarij anno 1377. Vigiliâ Epiphaniæ Franciæ Rex Veſperis interfuit in regia palatij Capella, cum Rege Romanorum, Richardo Remenſi Archiepiſcopo ſacris operante, ut & poſtera die in Miſſâ majori coram Imperatore, quem regali convivio Carolus poſtmodum excepit in aula palatij. Auctores velut narratu dignum memorant convivio primum accubuiſſe Remenſem Archiepiſcopum, tum Imperatorem, deinde Regem Carolum, poſtremò Regem Romanorum; inferius in eadem menſa Epiſcopum Bambergenſem, Epiſcopum Pariſienſem, & Epiſcopum Belvacenſem. Imperator vicariatum Regni Arelatenſis Delphino conceſſit cum ſupremo dominio Delphinatûs, tum ſpondens ſe Regi Carolo ſuppetias miſſurum adversùs Anglos, Vale-dicto, iter arripuit per Campaniam, tranſiítque Remos, ubi prodeuntibus extra Urbem primarijs civibus, eâ quâ decuit pompâ exceptus eſt, eique quieſcenti in hoſpitio à Scabinis oblatæ telæ, ſeu manutergia Remis texta, valoris mille florenorum.

Cauſa cur illac tranſierit Imperator, alia non fuit, quàm pia ejus propenſio & cultus in B. Martyrem Nicaſium, tunc miraculis illuſtrem & inclitæ famæ; clareſcere enim, ac multiplicari de novo cœperant miracula, Monachis templum ipſi dicatum ſublimiori ſtructura inſtaurantibus, quam intueri ſummopere cupiebat Imperator, & inde fruſtum aliquod reliquiarum ejus ſecum in Germaniam deferre, fuit enim earum amantiſſimus, ex Paradino; cujus rei certior factus Carolus Rex, antequam excederet, ad Archiepiſcopum Remenſem ſequens mittit reſcriptum è ſaltu Vicennarum, quod è veteri codice ſumſimus.

DE PAR LE ROY.

Archeueſque de Reims. Nous ſçauons que noſtre oncle l'Empereur, qui s'en va par Reims, comme nous ſçauons a grande deuotion à St. Nicaiſe, & grande volonté d'auoir de ſes Reliques, ſi vous prions bien à certes que vous faites tant par deuers l'Abbé, & le Conuent dudit lieu, qu'il luy en baillent aucune petite portion. Car noſtre dit oncle y aura grand plaiſir, & ce nous ſera bien agreable. Donné au bois de Vincenne le 27. jour de Ianuier.

Abbas viſis litteris, quò Regi maturiùs fieret ſatis, rogat Archiepiſcopum ut ipſemet capſam aperire velit, quod lubens præſtitit menſe ſequenti coram maxima plebis multitudine, Monachis interim B. Nicaſij laudes occinentibus. Evolutis prioribus pannis ſericis apparuit faſciculus majora oſſa continens cum indice, qui palam, & intelligibili voce ab Archiepiſcopo perlectus eſt, tum Abbas os coxæ manu reverenter extraxit ſchedula pergamena involutum, in qua grandiuſculis litteris verba hæc legebantur

legebantur DE SANCTO NICASIO : hoc in duas partes ſciſſum eſt, majórque Imperatoris domeſtico data, qui præſens aderat ; Archiepiſcopus pannis ſericis Reliquias deinde circumvolvit, ut à Roberto de Courtenay & Johanne de Craon pridem fuerant, ligaturáſque ſuo majori ſigillo decenter communivit, præſentibus Ss. Remigij, & Dionyſij Abbatibus, Nicolao de Toul Præpoſito, & quibuſdam Canonicis majoris Eccleſiæ. Publica hæc, & ſollemnis inſpectio egregiè probat ab Officialibus nuper in Monachos aſperius, quàm par eſſet animadverſum, quòd fidenter vulgâſſent ſe Reliquiarum partem S. Nicaſij poſſidere, aut certè chartas indecoram hanc palinodiam referentes penitus eſſe commentitias. RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. *An.* 1377.

Poſt Gregorij Papæ exceſſum, qui Romam pontificiam Sedem reduxit, relegationis in Gallias Romanæ curiæ anno ſeptuageſimo, contentio oritur de Pontifice eligendo ; Romani ex Italis quempiam eligi petunt, ne cum tanto Eccleſiæ detrimento, rurſus Galliam Pontifex novus repeteret, obtinéntque, Gallis inter ſe non conſentientibus, Barenſem Archiepiſcopum patriâ Neapolitanum, qui Urbanus VI. dictus eſt. At Cardinales paullo poſt pœnitentia ducti, quòd hic horum faſtum minueret, facta ſeceſſione alium è ſuo cœtu creant ; Gebennenſis ſcilicet Comitis filium, quem Clementem VII. nominant : hinc in uno ovili duo Paſtores, Sedes duæ, totúſque orbis factionibus fœdè diviſus. Gallia quæ primùm Urbano paruerat, ad Clementem deſcivit, Synodi nationalis Lutetiæ habitæ mota decreto, eo quòd Urbani electio non libera, ſed coacta diceretur ; ſola quoad potuit, Clementi reſtitit litteraria ſchola Pariſienſis : ***utraque pars nihilominus, ſeu obedientia***, verbis ſancti Antonini utar, ***religioſiſſimos habuit viros, & quod majus eſt religione fulgentes, nec unquam potuit ſic quæſtio illa decidi, quin apud plurimos remaneret ſemper dubia*** *An.* 1378. *S. Antonin. volum. 3. part. hiſt. titul. 22. cap. 2.*

Carolus Rex, quò fines Campaniæ tutiores eſſent ab Alemannis, cum quibus graves interdum emergebant diſcordiæ, operæ pretium eſſe duxit urbem Moſomenſem, quam in alodio, nulli ſupremo dominio ſubjectam, à Clodoveo Rege hactenus tenuerat Remenſis Archiepiſcopus, Regno Gallico incorporare, cum caſtello de Beaumont in Argona, aliiſque appendicibus & annexis, petiitque à Richardo ut ad hoc ſuum præberet aſſenſum, quem præſtitiſſe legitur, retenta ſpirituali juriſdictione, approbante Johanne de Creſo Cardinali Lemovicenſi Clementis Legato, cujus approbationis chartam cum aſſenſu Capituli Rem. vidimus in Archivo archiepiſcopali.

Rex, ne Eccleſiæ redditus gratis imminuiſſe videretur, dedit pro Moſomo urbem de Veſly ſuper Axonam in diœceſi Sueſſionenſi, cum omnibus dominijs, caſtellanijs, villis, Præpoſituris, Juſtitijs altâ, mediâ & infimâ, reſortitionibus, feodis, retrofeodis, patronagijs, Eccleſijs, collationibus, hominibus & feminis de corpore, aquis, ſilvis, redditibus annuis in blado & argento, peagijs, rivis, ſtagnis, & alijs quibuſlibet rebus, quæ regiæ erant ditionis, præter ſupremum dominium, reſortitionem in Parlamento Pariſienſi ſine medio, aliáque jura purè regalia ; ut hæc perpetuò uniantur cum alijs dominijs Eccleſiæ ſub unico homagio : unde in præſenti & futuro, ratione prædictæ Urbis, ab eo eximit Remenſes Archiepiſcopos, promittitque in deceſſu cujuſque Archiepiſcopi ſe nihil petiturum pro prædictæ Urbis cuſtodia ; ſed quod ipſius gubernatio penes Capitulum erit, eodem prorſus modo, quo aliàs Moſomum Sede vacante, ſpondétque ſe præterea ſumtus ſuppediturum pro eadem Urbe portis, mœnibus, foſſis & propugnaculis munienda, palatióque exſtruendo ipſis Archiepiſcopis convenienti, quod ipſi in Pariatum

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. an. 1379.

tenebunt, velut alia dominia Archiepiſcopatûs, conceſſis inſuper duabus nundinis, diebus S. Dionyſij menſe Octobri, & ſanctæ Magdalenæ, quò prædicta Urbs populoſior redderetur mercatorum acceſſu & frequentia. Hæc Lutetiæ edita ſunt in domo ſancti-Pauli 7. Febr. anno 1379. at Rex nec palatium ſtruxit, nec Urbem propugnaculis communivit, ut promiſerat, ob quæ ſæpius ſucceſſores Archiepiſcopi graviter conqueſti ſunt.

Caroli Regis fundatio in Eccleſia Remenſi.

EFfulſit hoc anno Caroli Regis amor & innata propenſio in Remenſem Eccleſiam, ubi ſacræ Unctionis pignus receperat, celebri fundatione, qua duas Miſſas in perpetuum celebrandas pro patre & matre, Regina quoque uxore, ac Regni felicitate, viſendo diplomate inſtituit; unam de Spiritu-ſancto, alteram de Beata, cujus auſpicijs eadem mirè inclareſcit, utramque Caroli V. Miſſam antonomaſtice in Necrol. nuncupatam, quas prædictæ Eccleſiæ Canonici, aut eorum obſequio addicti Vicarij, ſingulis diebus immediatè poſt Matutinas inchoare tenentur, juxta ſollemne ſacramentum à quolibet Canonico præſtari ſolitum, antequam matriculæ inſcribatur, & præſcriptum Capituli per Præpoſitum & Decanum ſingulis diligenter ſignificatum. Pro quibus tam Miſſis, in quibus memoria fieri debet de ſancto Remigio, & de animabus defunctorum, quàm alijs orationibus infra explicatis, Rex quædam dominia largitus eſt, latiùs ſequenti diplomate expoſita, quod, ob regiæ dignitatis prærogativam, integrum hîc exhibendum cenſuimus.

„ CArolus Dei gratiâ Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam.
„ Cùm vetus oriens, inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam
„ Domini tunicam & deſuper textam, minutatim per fruſta decerpſiſſet, &
„ ibidem lucifer ille, qui ceciderat, thronum ſuum ſuper ſydera poſuiſſet;
„ tunc in occidente Sol juſtitiæ, ipſe ſcilicet Lucifer qui neſcit occaſum, in
„ cordibus hominum Regni noſtri cœpit oriri. Nam & orbis conditor
„ cœlos firmans, in quibus præeminet Sol divinus, in quo ipſe Altiſſimus
„ tabernaculum ſuum conſtituit æterna Sapientia cuncta diſponens, has re-
„ giones occidentales, quantùm ad hoc in ſuperiori hac dextra, & ſimpli-
„ citer in nobiliori parte mundi mirificè collocavit prædeſtinatione ſempi-
Chriſtus in cruce moriens faciem habebat verſùs occidentem *Petrus de Natalib.* *Pſal. 48.*
„ terna; populos tunc hîc futuros eligens ſibi fore acceptabiles, & bono-
„ rum operum ſectatores. Quod prævidens in ſpiritu David Propheta eos
„ ad gratiam recipiendam præparari volens in Pſalmo, qui more noſtro
„ incipit: ***Audite omnes gentes***, ſic ſecundùm veram Hieronymi tranſlatio-
„ nem dicebat: ***Audite hæc omnes populi, auribus percipite habitatores***
„ ***Occidentis.*** Hoc autem divinum oraculum impletum eſt, aut incœpit im-
„ pleri, quando in ſancta egregiæ civitatis Remenſis Eccleſia à Clodoveo
„ tunc Francorum Rege audita eſt glorioſiſſimi Confeſſoris bèati Remigij
„ ejuſdem claræ Urbis Epiſcopi prædicatio, cui, dum ibidem præfatum Re-
„ gem cum ſuo populo baptizaret, Spiritus-ſanctus, ſeu Angelus Dei in
„ columbæ ſpecie, de cælo deſcendens apparuit, portans & miniſtrans ſibi
„ Ampullam ſancti Chriſmatis liquore refertam, de quo ipſe Rex, & omnes
„ deinceps Francorum Reges prædeceſſores noſtri in eorum, & nos etiam
„ in noſtra conſecratione & coronatione Deo propitio ſuſcepimus unctionem,
„ per quam ipſis Regibus, divina operante clementia, virtus infunditur, &
„ gratia, quâ ſolo contactu manuum infirmos ſanarent ab ægritudine ſcrofula-
„ rum, quod in perſonis innumeris per facti evidentiam conſtat eſſe probatum.
„ Nos ſiquidem hanc ſanctiſſimam, & omni veneratione colendam Baſi-
„ licam, quæ in honorem & ſub vocabulo B. Mariæ Virginis Dei genitricis

glorioſæ

glorioſæ, & à ſolo Deo, ſicut nonnullarum ſcripturarum antiquarum, & approbatarum refert auctoritas, & teſtatur etiam voce populari in hoc ſcripturarum ipſarum relationi, & teſtimonio adhærente, dedicata & conſecrata exſtitit multiplicibus, & diverſarum dignitatum titulis inſignita, quæque dictum pretioſum Confeſſorem B. Remigium in ſuum Sponſum habere meruit & Paſtorem, ſingularis & aſſiduæ devotionis fervore, ac devotionis & affectionis plenitudine proſequentes & proſequi meritò cupientes, penſantes inſuper qualiter ipſius Conditoris, & Redemptoris noſtri diſpoſitio ordinans, ad modum illius, qui ſervis ſuis talenta tradidit, quibuſdam videlicet plura, & alijs pauciora; & alterius qui villico villicationis regimen commiſit, auditurus poſtea, quod horrendum exſtitit. Super ijs rationem proſpicientes, etiam tributum terribile impoſitum omni carni, feriens indiſtinctè cujuſcumque ætatis, & qualitatis perſonas, quàmplurimùm inde dubitantes, cùm plura talenta receperimus ab ipſo, calculum hujuſmodi reddendæ rationis ſubire, cùm & vix ipſe Juſtus ſalvabitur, & in conſpectu ipſius non juſtificabitur omnis vivens.

Propterea pervigili, & operoſæ ſollicitudinis patrocinium quærentes ſtudio, per ea quæ ſibi inter cetera complacere credimus, ut potè divinum cultum, præſertim Miſſarum ſollemnia, quæ paſſionem ipſius commemorant, redemptionis pretium humanæ creaturæ, ad ipſius omnipotentis Dei, & ut ipſius immenſa bonitas à noſtris avertens demeritis, nobis ultra quàm noſtra, ſi quæ ſint, poſcerent merita, ſuam diffuſius gratiam largiatur, laudem & gloriam, ac dictæ beatiſſimæ Virginis matris ejus, dictique Confeſſoris beati Remigij, & omnium aliorum Sanctorum honorem, ac pro noſtræ, liberorúmque, & ſucceſſorum noſtrorum Franciæ Regum, & pro inclitiſſimæ recordationis domini & genitoris, ac dominæ genitricis, & Johannæ quondam conſortis, aliorúmque progenitorum ac prædeceſſorum noſtrorum, ac aliarum fidelium animarum remedio, & Regni noſtri proſperitate & ſalute Proponimus ipſo Deo favente, & accenſo mentis deſiderio affectamus, ut in præfata Remenſi Eccleſia, ſtatim finitis in ea & completis Matutinis, duæ Miſſæ ſubmiſſa voce (Miſſæ Caroli quinti Regis nuncupandæ) quamdiu vitam in humanis egerimus, una videlicet de Spiritu-ſancto, altera de dicta Virgine glorioſa immediatè, & abſque ullo intervallo, poſt illam de Spiritu-ſancto finitam incipienda.

Nobis verò ſublatis è medio, pro defunctis ſuper altare in eadem Eccleſia in honorem dicti Confeſſoris beati Remigij ex noſtra ordinatione conſtruendum & erigendum, ſingulis diebus, perpetuis temporibus, accenſis ibidem & continuè ardentibus in dictis Miſſis duobus cereis, & in elevatione Corporis Chriſti duabus torchijs decentis ponderis, & debitæ quantitatis. Celebrentur quoque in dictis de ſancto-Spiritu, memoria de dicta Virgine glorioſa; & in ipſius Virginis, de ſancto-Spiritu Miſſis, ut præmittitur: ſimiliter & in ambabus Miſſis prædictis de dicto ſancto Remigio, adjectis tribus collectis, quæ in qualibet magna Miſſa præfatæ Eccleſiæ pro nobis, ut tenemus, ſolent dici, aut alijs conſimilibus ſpecialis etiam memoria habeatur. Ad dictas autem Miſſas, horâ & modo prædictis in poſterum dicendas & celebrandas, & alia circa ipſarum celebrationem neceſſaria facienda, noſtrum qualificantes affectum, expediens & congruum fore conſpicimus & optamus, quòd ipſius Eccleſiæ Vicarij in ſacerdotio conſtituti, moderni, & qui pro tempore fuerint, ad earumdem celebrationem Miſſarum, aut ſi per illos in alijs ſui vicariatûs officium concernentibus, & aliàs occupatos, ipſarum Miſſarum celebratio commodè fieri, ac continuari non poſſet; Canonici, vel alij ipſius Eccleſiæ Sacerdotes idonei, per Præpoſitum, Decanum, & Capitulum eligendi, & aſſumendi deputentur, qui ſic deputati hujuſmodi Miſſas dicere, & celebrare,

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. *An.* 1380.

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. An. 1380.

„brare, aliáque facere ſupra ſcripta medio in dicto capitulo teneantur „promittere juramento ; ita etiam quòd ſi ipſorum Vicariorum, ac „Canonicorum, & Sacerdotum prædictorum aliqui, qui ad illas pro „die Miſſas dicendas & celebrandas, & alia faciendum prædicta nomi- „nati fuerint & commiſſi in illis, ſeu eorum aliquibus defecerint, illi, „vel ille, ſic deficientes, aut deficiens, diſtributionibus, ſeu diſtribu- „tione, quas ſeu quam eſſent in dicta Eccleſia per unam hebdomadam „integram, ſi per illam in dicta Eccleſia continuè præſentes exſiſte- „rent, percepturi, privati ſint ipſo facto.

„ Volumus autem, & auctoritate noſtra regia ordinantes concedi- „mus, quòd ipſi Vicarij & Canonici, & Sacerdotes prædicti, quos per „eoſdem Præpoſitum, Decanum & Capitulum, ad præmiſſa deinceps „eligi, & deputari contigerit, pro eorum ſtipendijs ſexaginta libras pari- „ſienſes annuales uſualis monetæ, inter illos æquis portionibus dividen- „das, in reditibus inferiùs declaratis, duobus videlicet ſancti Michaelis, „& Paſchæ terminis perpetuò percipiant, & habeant conſuetis. Deſide- „ramus inſuper quòd in dicta Remenſi Eccleſia, quamdiu in humanis „egerimus, duodecim Miſſæ ſollemnes de ſancto-Spiritu ſingulis annis, „una videlicet quolibet menſe, & ipſius menſis die prima, vel alia die „proxima ſequente, ſi hoc dicta prima die propter feſta ſollemnia, aut „alia legitima impedimenta, quæ tunc occurrere poſſent, commodè „fieri nequeat, ac poſtquam hujus incertæ ac labilis conſummaveri- „mus vitæ curſum, pro Defunctis factis & dictis præcedentibus diebus „vigilijs in ipſa Eccleſia ſollemnibus, de cetero per ipſius Eccleſiæ „Canonicos, & ejuſdem alios choriales, & miniſtros celebrentur; quód- „que in dictis Miſſis tam de ſancto-Spiritu, quàm pro Defunctis cele- „brandis, & in præcedentibus vigilijs campanæ majoris ipſius Eccleſiæ à „principio dictarum Miſſarum & Vigiliarum uſque ad finem continua „pulſatio debitè perſeveret, ut impellente pulſatione hujuſmodi excita- „tus populus ſervitium Deo in dicta ſua Eccleſia Remenſi per ſervito- „res, & miniſtros ejuſdem, & à quolibet debitum procedat, reverenter „impenſum ſentiat, & cognoſcat ; quatenus Fidelium corda ad orationes „& preces devotas, ad ipſum Deum pro nobis affectuosè poſtulan- „tibus, humiliter effundendas, ex ſui bonitate aliqualiter provocentur. „In qualibet autem dictarum Miſſarum, tam de ſancto-Spiritu, quàm „de Defunctis celebrandarum, ut præfertur, inter prædictos ipſius „Eccleſiæ Canonicos, & reliquos habitum ipſius Eccleſiæ deferentes, „qui in ipſarum celebratione Miſſarum præſentiam continuam exhi- „bebunt, quíque in illis de ſancto-Spiritu, infra primum *Kyrie eleiſon*; „in alijs verò de Defunctis, infra primam orationem, & in dictis „præcedentibus Vigilijs, infra *Requiem* primi Pſalmi intrare, & in- „tereſſe continuè tenebuntur, ſexdecim libras Pariſienſes dictæ uſualis „monetæ ; earum videlicet tres partes inter dictos Canonicos ; reli- „quam verò partem inter alios prædictos, manualiter & extemplo „ipſarum Miſſarum celebratione completa. Si tunc dicta ſexdecim „librarum Pariſienſium ſumma ex dictis reditibus, & eorum emolu- „mentis recepta provenerit, alia quamprimum ex eis proveniens recipi „poterit & haberi, diſtribui volumus, in ipſis etiam reditibus capiendas.

„ Illos etiam Canonicos, & alios qui adeo confecti ſenio, & nota- „bili ſui corporis debilitate compreſſi, ad dictam tunc Eccleſiam com- „modè accedere nequiverint, haberi & reputari in Miſſis & Vigi- „lijs ante dictis pro præſentibus, & ad eos tamquam præſentes, & „continuè in ijſdem exſiſtentes, & ad nullum alium abſentem, hujuſ- „modi diſtributionem extendi.

Ceterùm

Ceterùm in votis gerimus quòd de cetero in exitu Veſperarum " Richar.
ſingulis Lunæ diebus, quadrageſimalibus exceptis, in ipſis verò " Picque.
quadrageſimalibus diebus, finito & completo in dicta Eccleſia Com- " lxvii.
plectorio, illud jubilum, ſeu proſa *Inviolata*. Cum illa antiphona " archiep.
ſeu Reſp. *Sancta & immaculata, virginitas.* ac verſiculo *Benedicta tu* " An. 1380.
in mulieribus & illa collecta *Omnipotens æterne Deus, qui glorioſæ Vir-* "
ginis. Adjecta quoad vixerimus illa quæ ſequitur : *Deus qui miro* "
ordine omnium dignitatum, omniúmque Regnorum jura diſpenſas; concede "
propitius, ut famulus tuus Rex noſter Carolus tum populo ſibi ſubjecto, "
ita tibi devotione famuletur, quatenus invincibili potentiæ tuæ dono "
jugiter protegi mereatur. In alia de Defunctis, nobis ab hac luce ſub- "
tractis, commutanda, proceſſionaliter coram imagine dictæ Virginis "
glorioſæ in navi ejuſdem Eccleſiæ, & ad devotionem Fidelium "
adaugendam decantetur : ſumma decem & octo ſolidorum Pari- "
ſienſium prædictæ uſualis monetæ, inter illos de dicta Eccleſia, qui "
in jubili & antiphonæ ſeu reſponſorij decantatione intererunt prædi- "
ctorum, manualiter, ſi tunc ut ſupra dictum eſt, hujuſmodi ſumma "
ex prædictis reditibus & emolumentis recepta provenerit, vel cùm "
primùm ex eis haberi poterit, juxta dictorum Præpoſiti, Decani & "
Capituli ordinationem diſtributa, & ſoluta; quódque in ipſis jubilo, "
& antiphona ſive reſponſorio ſic inantea decantandis, prædicta col- "
lecta : *Deus qui miro ordine omnium dignitatum &c.* pro noſtris etiam "
ſucceſſoribus Franciæ Regibus, & eorum ſingulis ſuo regnantibus "
tempore, ipſorúmque ſucceſſorum noſtrorum proprio in eadem collecta "
nomine dicatur expreſſo. "

Nos autem pro ſupportatione onerum præmiſſorum, villam & ter- "
ram de Floriaco in Montana Remenſi, per nos à Roberto de Ni- "
gella Milite, & Yada de Normannis ejus uxore, ac Buiſſonem, voca- "
tum le Comte, & quamdam domum, ſive hoſpitium cum jardinis "
apud Sanctum-Imogium ſituatum, à Johanne de Lugny domino de "
Montechaumeri tam ſuo, quàm nomine procuratorio Johannis de "
Braio Scutifero, & pro ipſo terram, & villam de Valle-clara, per "
nos vel per ſupradictos Præpoſitum, Decanum & Capitulum, de "
noſtris voluntate, ordinatione & ſpeciali mandato datis per nos propter "
hoc, & realiter traditis eiſdem duobus millibus Francorum auri, & "
alijs ultra ducentis francis, in quibus nobis certorum Juſtitiæ cen- "
ſuum, reddituum, & poſſeſſionum infra deſcriptarum finantiæ tene- "
bantur; per ipſos pro nobis, de dictis noſtris voluntate, ordina- "
tione & præcepto ſolutis, à Margarita de Triangulo, ac Galtero " *Galterus de*
de Conflantio Milite, & Maria de Caſtrovillain ejus uxore, titulo " *Conflanti.*
emptionis acquiſita exſtiterunt, cum eorum juribus, dominijs, no- "
bilitatibus, retrofeodis, Juſtitiâ altâ, mediâ & baſſâ, emendis, ne- "
moribus, garenis, chaſſia, terris, cenſibus, & pratis, & eorum "
pertinentijs univerſis, in quibuſcumque conſiſtant, in litteris ſuper "
emptione hujuſmodi, & venditione prædictorum confectis, ſpecificè, "
& diſtinctè declaratis, in æſtimatione & valore trecentarum librarum "
Pariſienſium annualium legitimis, auctoritate noſtra regia, tenore "
præſentium deputamus, & aſſignamus, ipſáſque villas, ac terras, "
dictúmque Buiſſonem, ac domum, ſeu hoſpitium cum prædictis, & "
dictis eorum pertinentijs quibuſcumque & in eiſdem ſerioſiùs, & diffu- "
ſius litteris deſcribuntur. In eis omnibus, & eorum ſingulis nihil "
juris, ſervitutis redhibentiæ, ſeu gardiæ, vel cuſtodiæ aliquorum "
caſtrorum noſtrorum omnino nobis, præter ſuperioritatem, retinentes, "
præfatis Præpoſito, Decano, & Capitulo eadem noſtra auctoritate, de "

noſtra

RICHAR. PICQUE. „noſtra certa ſcientia, & ſpeciali gratia damus, concedimus, & dona-„mus in uſus prædictos convertenda.

LXVII. An. 1380. „ Volentes præterea, & de dictis noſtra ſcientia, & ſpeciali gratia „concedentes, quòd ijſdem Præpoſito, Decano, & Capitulo villarum, „terrarum, ac domûs, ſive hoſpitij, & pertinentiarum prædictarum „poſſeſſionem liceat propria ipſorum auctoritate capere, & nanciſci illa „omnia & ſingula, cum alta, media & baſſa Juſtitia, cenſibus, redi-„tibus, & alijs quibuſvis poſſeſſionibus, quos, & quas antefati Mar-„garita, Galterus, & Maria habebant, percipiebant, & tenebant in „villa, territorio, & finagio de Fontenayo, Boſſeri juxta Triangulum, „in Caſtellanijs ipſius Trianguli, & de Larcicuria, per eos in valore „triginta duarum librarum Pariſienſium annui, & perpetui reditus „ſupplendarum, etiam ut dicitur, & perficiendarum per ipſos, ſi neceſſe „fuerit in alijs ſuis terris & locis, ijſdem Præpoſito, Decano & Capi-„tulo venditos, pro quorum finantia ipſi Præpoſitus, Decanus, & „Capitulum, dictos ducentos francos auri ſolverunt, ut ſuperiùs eſt „expreſſum, pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus libere recipere, ac perpetuò „pacificè, & quietè retinere, & poſſidere valeant, abſque eo quòd „ea, ſive eorum aliqua vendere, alienare, vel aliàs quovis modo „extra manum ſuam ponere, ſeu financiam nobis, aut ſucceſſoribus „noſtris aliquam propter hoc facere teneantur; quam de dicta noſtra „gratia eiſdem, in quantum opus eſt, donamus, remittimus, & quit-„tamus expreſsè; ita tamen quòd ipſi Præpoſitus, Decanus, & Capi-„tulum pro ſe, dictiſque ſucceſſoribus ſuis jurent, & bona fide pro-„mittant, ac ſe per litteras ſuo ſigillo munitas nobis tradendas effica-„citer obligent, quòd dictas ſexaginta libras Pariſienſes præfatis Vica-„rijs, Canonicis, & Sacerdotibus præſentibus & poſteris, prædictis „eorum ſtipendijs, prædictis ſingulis annis & terminis cum integritate „perſolvent, præmiſſâque omnia & ſingula eodem ordine & modo „præſcriptis, juxta dicta noſtra propoſitum, affectionem, ordinatio-„nem, votum, voluntatem, & deſiderium ſalubriter facient, ac fieri, „adimpleri, & obſervari facient, per effectum operis ſecuturi. Quæ „ut firma & ſtabilita perpetuò perſeverent, noſtrum præſentibus litteris „fecimus apponi ſigillum, ſalvo in alijs jure noſtro, & in omnibus „quolibet alieno.

„ Datum Pariſius menſe Maij anno Dom. milleſimo trecenteſimo „octuageſimo Regni verò noſtri ſeptimodecimo.

Sigillatum in cauda ſerica rubra & viridi, & ſupra plicam per Regem ſignatum TOVRNEVR & infra regiſtratum in Camera Computorum Pariſien. & ibidem ex ſpeciali mandato Regis expedita.

PETRUS DE CASTRO.

Caroli votum à D. D. Canonicis religiosè obſervatur, æternúmque perſeverabit, quamdiu ſtabit Eccleſia Remenſis; cùm Defunctorum voluntate ſacratiùs nihil eſſe debeat apud eos, qui ſe horum munificentiæ devinctos eſſe profitentur. Dedit præterea idem Rex Carolus fabricæ Eccleſiæ iconem bipedalem Virginis Deiparæ, calicem cum patena, Crucem, candelabra, catinum, urceolos ex puro, puto auro, quæ ex veteri lipſanothecarum indice fuſa ſunt & data pro redemptione Franciſci I. cappæ verò, ſi quæ ſuperſint, detritæ ſunt penitus ac ſenio confectæ.

Galterus

Digitized by Google

Galterus ille, cujus in relato Caroli reſcripto mentio habetur, Miles erat de Conflantio, dominus de Hertonges, de Coulon, & de Baye, natus perilluſtri apud noſtrates Campanos gente de Conflans, quæ plures non tantùm provinciæ ſuæ Mareſchallos, Coneſtabularios, ſeu Magiſtros Equitum peperit; ſed & exteris profutura, Navarræ Regno Proreges largiſſima liberalitate commodavit.

Familia de Conflans à Comitibus de Brienne oriunda.

Spectatiſſima hæc familia originem trahit paterna ex prole ab antiquiſſimis æquè ac nobiliſſimis Comitibus de Brienna (quos aliquando de Brenna vocant) olim Campaniæ Dynaſtarum Paribus: ex his Proceribus, virtute cognitâ, ſpectatâ fide ampliſſimis, & apud omnes, ob illuſtria facta, nominis gloriam conſecutis, orbis uterque duriſſimis & aſperrimis temporibus fortiſſimos ſibi Rectores ſæpiſſime ſelegit, imo ex ijſdem Eccleſia ipſa conſtantiſſimos Martyres ſibi vindicavit.

Vide Pithœū.

Galterus de Brienna Rex Siciliæ an. 1198 & heres Regni Ieruſal. an. 1208

Sicilia ſiquidem firmiſſimum labenti atque inclinato Regno adverſùs ferociſſimum Tyrannum anno 1198. conciliatura ſubſidium, ad Galterum Briennæ Comitem, eximiâ prudentiâ conſpicuum, & incredibili animi robore ſeptum confugit, ab eo opem petit, eum in ſolium regale conſtituit. Res ab eo præclarè geſtas, & in regno Jeroſolymitano, poſt Fridericum, ſucceſſionem, partam divinitus adverſùs excommunicatos & Eccleſiæ rebelles victoriam, ut & ejus obitum magno Reipublicæ damno maturatum, Spondanus narrat ad annum 1202.

Johannes de Brienna Rex Ieruſalem anno 1208.

Afflictis in Oriente anno 1208. Chriſtianorum rebus & pæne everſis, Patriarcha Solymorum, Epiſcopi & Barones Regnorum Cypri & Ieruſalem, unum Johannem Comitem de Brienna, commodiſſimis & ſuaviſſimis moribus ornatum, ſummâ ſapientiâ præditum, rerum omnium poteſtate & dominatu digniſſimum appellant, obteſtantur, implorant, ei dictorum Regnorum ſceptra deferunt, quò infenſiſſimis hoſtibus occurrat, fractis ac debilitatis Chriſtianis fidem, dextrámque porrigat. De ejuſdem ad Imperij Conſtantinopolitani adminiſtrationem evocatione Galterus Cornutus Senonenſis Pontifex apud Duchenium ſic loquitur.

Fit Conſtantinopolitani Imperij Adminiſtrator. anno 1229.

Quercet. lib. 4. pag. 408.

« Videntes Latini Principes, Græciæ miſerabile diſcrimen Imperij, quod « à ſchiſmatica Græcorum gente multis in locis invaſum; pro majori parte « violenter fuerat occupatum, multâ deliberant vigilantiâ, quod eis poſt « Deum implorandum ſit auxilium, vel unde ſperari valeat anguſtijs ſuis ſola- « tium exhibendum. Tandem communi conſilio tam nobilium, quàm mi- « norum, per auctoritatem ſancti nominis Gregorij Papæ, Johannes de Bri- « enna vir approbatæ virtutis, qui propter egregiæ probitatis induſtriam, « necnon & devotæ Chriſtianitatis merita, priùs Regnum Jeroſolimitanum « adeptus fuerat, ad impertiendum huic tanti doloris plagæ remedium, « electus eſt concorditer Advocatus. Deſponſatâ enim Mariâ (Martham « vocat Spondanus) prædicti Johannis filiâ eidem heredi Imperij Balduino, « ipſe Johannes Imperij Conſtantinopolitani, necnon & ipſius heredis admi- « niſtrationem ſuſcepit & curam. Non ſolùm autem Adminiſtrator genera- « lis Romaniæ factus eſt, ſed coronatus ſollemniter, & ad vitam ſuam « Imperator vocatus. «

Pit obit an 1237.

Eadem refert Spondanus ad annum 1229. addit tantummodo ipſummet ſocerum fuiſſe alterius Imperatoris Chriſtiani, Cæſaris titulo contentum, ab Imperatoris & Auguſti titulo abſtinuiſſe. Ceterùm qui ſingula ejus facinora, ſicut & ejus in monaſtica veſte obitum noſſe cupit, legat Spond. ad an. 1237.

Galterus de Brienna Athenarū Dux Florentia dominus Franciæ Coneſtabul. an. 1343.

Anno 1343. Florentini Galterum alterum de Brienna, Athenarum Ducem, *virum prudentem & magnanimum, qui aliàs cum ipſis militaverat, veluti cælitus miſſum* (verba ſunt Spondani) *in Vrbis dominum creant in annum, paulóque poſt ad vitam ſine ulla exceptione*, quem

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. *An.* 1380.

poſtea Johannes Francorum Rex, qui quanta in viro eſſet magnitudo, excelſitas & animi altitudo probè noverat, quantáque in rebus bellicis ſollertia, uſus & exercitatio, ſummâ Coneſtabularij dignitate decorâſſe legimus. Quid illi præſtantiſſimi Heroes geſſerint, quoties ad pugnam venerint, quot acies fuderint, quot victorias reportârint, quot denique res juſtiſſimi triumphi peregerint, Lector vel tantillùm curioſus apud omnes paſſim tam ſacros, quàm profanos Auctores abundè reperiet.

Galterus de Brienna alius à præcedentibus immaniſſimis excantatis cruciatibus pro Chriſto mortè oppetit circa an. 1244.

Superioribus nihilominus Gualterus alter de Brienna, Comes Joppenſis jungendus eſt, imo meritò præponendus; illi quidem ſe in vitæ diſcrimen interdum pro commiſſis ſibi populis intulerunt, contra eorum hoſtes ſumma vi, impetúque contendentes, eorum phalanges protriverunt: hic verò, ne quiſquam è ſuis civibus damni aliquid pateretur, ne Chriſti Fideles in barbarorum arbitrium ac poteſtatem venirent, non modò caput in periculum intrepidus objecit; ſed cunctos expoſuit artus, omnia membra obtulit, vitam prodegit, totum corpus barbarico cruciatui, immaniſſimis tormentis conſultò & cogitatò, prodigè & prodigioſè condonavit. Hujus invictiſſimi Martyris, glorioſiſſimi Athletæ glorioſos agones, immortales triumphos Spondanus ad annum 1244. his ipſis verbis refert.

» Galterus de Brienna Comes Joppenſis, qui quidem moribus & armis » præſtantiſſimus, cum captus fuiſſet à Duce ſeu Principe Choraſminorum, » quos Jonvillæus Perſas vocat, & ſollicitatus pro redemptione ſua Joppen » reddere, eapropter ad portas Civitatis brachijs ſuſpenſus ductus, ut eo » tormento flexi incluſi deditionem facerent. E contra ille hortatoria ora- » tione ad ipſos habita, nullam ſui rationem habere; ſed fortiter uſque ad » extremum halitum pro Fide Chriſti reſiſtere adjuravit. Unde in carcerem » reductus, & in Ægyptum ad Soldanum miſſus, ab eóque crudeliſſimis » hoſtibus traditus, poſt exquiſitiſſima generoſè tolerata tormenta, in fruſta » conciſus ad Deum feliciter migravit. Cujus poſtea oſſa Ludovicus Rex » ſanctus à barbaris recuperata Acconem retulit, ubi honorificè ſepulta fuêre.

» His innumeros ex eadem proſapia Heroas nec virtute, nec fortitudine, nec religione impares ſubnectere poſſem, præſtantiſſimos ſcilicet bellorum Duces Engilbertos, Guidones, Hugones, Alfonſum Johannis Solymorum Regis fratrem, Johannem Comitem Augi: ſed iſtis invitò, quod amplior ſit campus, quódque proximè ad Campaniæ hiſtoriam ſpectet, prætermiſſis, intra diœceſis noſtræ terminos concluſi, fecundiſſimæ hujus ſtirpis florentiſſimum ramum, populares ſcilicet noſtros, dominos de Conflans quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim more noſtro aſpiciamus.

Galterus I. Comes de Brienna, & de Barro ſuper Sequanam accepit conjugem Euſtachiam filiam Milonis Comitis Barri, & Tornodori, Monaſterio Arremarenſi anno 1068. quædam largitur cui ſucceſſit.

Engilbertus III. Miles, dominus de Conflans præcedentis filius, qui cum Adelina uxore plurima Abbatiæ Moliſmenſi legâſſe legitur, genuítque ex ea.

Hugonem I. Militem dominum de Conflans Agæ connubio ſociatum, quæ ei peperit.

Guidonem Militem dominum de Conflans, qui Euſtachiæ uxoris nomine Campaniæ ſit Mareſchallus; hæc Euſtachij Mareſchalli Campaniæ & Vicedomini Cathalaunenſis filia, munere dotali, ſeu paraphernali dono dignitatem hanc Toparchis de Conflans hereditario jure poſſidendam attulit; eodémque modo Euſtachiæ ſoror Goda Vicedominos de Caſtellione-ſupra Maternam Cathalaunenſis Viceconitatûs compotes effecit. Ex Guidone & Euſtachia prodijt.

Euſtachius I. Miles dominus de Conflans conjugium init cum Maria domina de Playotre, de Montmort, & de Auger, filiâ Hugonis dictarum ditionum

ditionum domini, insuper & de Tresmes, de Vandelu nunc Gandelu, quæque prædicta prædia in familiam de Conflans intulit. Horum filius & heres. RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. An. 1380.

Eustachius II. Miles & dominus de Conflans, ex Heluide de Thorote filiâ Johannis II. Castellani Noviomensis, & Odetæ de Dampetra plures suscepit liberos, quos inter Hugo natu maximus & Galterus in Caroli V. diplomate nominatus. Hi cùm propter amplissimos natales & pulcerrimâ facta, tum propter communionem sanguinis, quo cum potentissimis Europæ Principibus devincti erant, tantâ fulserunt gloriâ ut in celebri Galliæ Optimatum consessu anno 1193. primas sedes præ ipsomet Franciæ Conestabulo Imberto de Beaujeux occupaverint.

Hugo II. patri succedit Miles, dominus de Conflans, dominus de Estoges, de Congis, Marescallus Campaniæ Eustachio de Conflans Conestabulo Campaniæ natu major, Mariam de Brienne in matrimonium ducit, viduam Galteri de Nanteüil de familia Castellionensi, genuerúntque.

Hugonem III. Militem dominum de Conflans, qui primo conjugium init cum Beatrice de Terouenne; tum cum nata Johannis I. Vicedomini Cathalaunensis & filiæ Roberti domini de Bazoches, ex quibus prodijt.

Johannes I. Miles dominus de Conflans heres unicus parentibus Hugoni de Conflans & Vicedominæ Cathalaunensi dominæ de Vieils-maison-le-Vidame, & de Vezilly. Hic in uxorem duxit Isabellam dominam de Lor filiam Rodulfi domini de Lor, relictam Raigneri de Choiseüil domini d'Aigremont, è qua Duces & Marescalli du Plessis-Pralin oriundi. Ex prædicto Johanne & Isabella prodijt.

Johannes II. Miles de Conflans, dominus de Vieils-maison-le-Vidame, de Vezilly, de Armantiers &c. Geronæ de Jouenges connubio sociatus, dominæ de Armantiers, viduæ Galteri de Unchar quæ ei peperit.

Johannem III. Militem de Conflans, dominum de Vieils-maison-le-Vidame, de Vezilly, de Armantiers &c. cui in nuptijs locatur Magdalenade Hornes, filia Theoderici domini de Blancignies, & de Moncornet ex qua genuit.

Bartholomæum Militem de Conflans dominum de Vieils-maison-le-Vidame, de Vezilly de Armantiers, Saponnay Vicecomitem de Auchi-le-Chastel &c. habuit in nuptijs Mariam dominam de Cramail, filiam Balduini domini de Saponnay & de Saint Remy, è quibus progenitus.

Johannes IV. Miles de Conflans, dominus de Vieils-maison-le Vidame, Saponnay, Vadancourt in Comitatu Guisiaco, duxit uxorem Margaretam de Bournonville, Antonij de Bournonville, & Johannæ dominæ de Thorote posterioris ejus uxoris filiam, de qua procreavit.

Antonium I. Militem de Conflans Vicedominum de Auchy-le-Chastel, dominum de Rozeal, de Saint-Aubin-sur Our, Vezilly, Baronem de Sommevele, dominum de Saint-Remy, Jury, Chasmy, ac unius vici in urbe Brainensi, de Servenay, de Montchevillon, Urbis Victriacensis, de l'Espine in bosco, de la Borde, Chailly, Variello &c. Venatorum regiorum Præpositum, minorem natu Johannis IV. & dictæ dominæ de Bournonville: Antonio alter nepos erat Antonius filius Johannis, domino de Auchi-le-Chastel natu majoris, qui Buisonem ut & alia prædia substituit, & Margaretæ de Conflans uni ex sororibus nobilem & latissimam ditionem de Vieils-maison-le-Vidame concessit, quæ & eam Gerardo marito suo contulit, domino de Vieils-maison-sainte-Colombe sitam prope Firmitatem-Galcheri, aliam à dominatu de Vieils-maison-le-Vidame, qui prope Montem-mirabilem in Bria situs est. Antonius Barbaram de Rouy sibi conjugio copulavit, Johannis militis de Rouy domini de la Boissiere filiam & dominæ Ludovicæ de Villers-saint-Paul, ex qua plures suscepit liberos, quos inter præ ceteris nominantur Eustachius, Antonius & Robertus.

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. An. 1380.

Euſtachius natu maximus Vicecomes de Auchi-le-Chaſtel, ſub Carolo IX. regiæ cohortis Tribunus, in matrimonium Mariam de Sepoix duxit filiam Aimerici de Sepoix in rei maritimæ Præfectura Britannica Legati, & Annæ Deſchapeaux, cúmque tam in pugna Sandionyſiaca, quàm ubicumque occaſionem nanciſci potuit, infinita propemodum pulcherrima & audaciſſima facta regiorum caſtrorum Præfectus ediditſet, diploma regium de obeundo ſummi Franciæ Mareſchalli munere recipit; at paullo poſt vivis eripitur, veneno, ut fama eſt, ab invidentibus præſtanti, florentíque fortunæ ejus, parato. Ex prædicta Maria Deſchapeaux reliquit. Euſtachium de Conflans Vicecomitem de Auchy-le-Chaſtel, utriuſque Ordinis Equitem, Sancti-Quintini Præfectum, quinquaginta armatorum Magiſtrum, regiorum exercituum Imperatorem, & apud Belgij Archiducillam extraordinarium Oratorem, qui & ipſe de Gallicorum caſtrorum ſumma Præfectura ſuſcipienda regio diplomate donatur. Ex Carlota des Urſins ſuſcepit Henricum de Conflans natu majorem, qui dictus eſt dominus de Armantiers, & ab obitu patris Vicecomes de Auchy, Sancti-Quintini Præfectus, matrimonio conjunctus dominæ Carlotæ Pinart, nepti ſanctioris Conſilij Amanuenſi, & natæ Claudij Vicecomitis de Couplizy, Baronis de Cramail, Marchionis de Louvois, & Franciſcæ de la Marx-Boüillon, è quibus prodijt. Euſtachius celſiſſimus & potentiſſimus dominus de Conflans, Marchio de Armentiers, Baro de Cramail primâ Valeſiæ Baroniâ, dominus de Pleuron, de Rubecourt; non itapridem primo Normanniæ Baronatu, & Marchionatu de Louvois inſignitus, inter dominos de Conflans quoad nomen & gentilitium ſtemma principem locum obtinens.

Antonius dictorum Antonij de Conflans & Barbaræ Rouy minor natu, dominus de Saint-Remy & de Jury, ex Franciſca de Boulard Antonium ſuſcepit, qui ex prima conjuge Magdalenâ de Ravenel, filiâ Claudij domini de Rentigny & Franciſcæ de Angennes Ramboüilliet plures genuit liberos, è quibus manant Marchiones de Saint-Remy.

Robertus de Conflans dictorum Antonij & Barbaræ natu minimus, Baro de Vezilly, Ducis Alenconij ſummus Cubicularius, Carlotam de Mirmont ſibi connubio jungit, natam Amati de Mirmont domini de Gueux ac de Ronay, & dominæ Franciſcæ de Anglure, filiæ Nicolai domini de Dongeux & Johannæ de la Palu. Ex dicta Carlota plures Robertus ſuſcepit liberos, quos inter emicuit.

Jacob de Conflans, Baro de Vezilly. Hic pro patriæ ſalute ad omnes periculorum caſus ſemet libenter objiciens, quantum potuit ejus utilitati & incolumitati indefeſſus conſuluit & incubuit, modò obſeſſis urbibus multam operam & utilem præbens, nunc eruptionibus nunc irruptionibus hoſtiles copias laceſſens, modò earum caſtella & arces, naturâ licèt & opere munitas, capiens, vaſtans & funditus everſens: dein rebus ampliſſimis perfunctus, magnis officijs Regno ſibi devincto; ob erectum & excelſum animum, ob emendatos mores & conſentientem virtutibus vitam, illuſtri & pervagatâ famâ commendabilis, cum domina Margareta LeVeſque conjugium init, filiâ domini de Fay-leſec, de Cury ex parte, Vicecomitis de Treny, de Braye, de Vuillers, de Mont-garny, de Margival ex parte, de Vaufourchy prope Buſſiacum, &c. & dominæ de Suzanne-Cerny, quæ fuit conſobrina alterius Claudiæ de Suzanne progenitæ ex Franciſco de Suzanne, domino de Villers-agron, Foucaucourt, Vaſſogne, &c. & ex Margareta de Cardaillac; Marchioniſſæ de Mouy, uxoris Henrici de Lorraine Comitis de Chaligny, & matris Claudij Marchionis de Mouy. Ex dictis Jacob & Magdalena prodijt præ ceteris commemorandus.

Chriſtophorus

Digitized by Google

Christophorus de Conflans, Miles, nobilissimus & illustrissimus Comes de Vezilly, clarissimæ familiæ suæ princeps, dominus de Bouleuse, Poilly, Scissy, Catillon super Æsiam, & de la Logerozette, silvarum & nemorum de Scala, qui his Proceribus, tam sanguinis claritate, quam & rerum gestarum gloria cumulatissimis gloriatur, in quem omnes transfusa clarissimorum majorum ornamenta stupent & gratulantur; in quo sanè præstantissimo viro innumera sunt, quæ honoratè, honorificè & graviter prædicarentur, mirantur enim in eo animi magnitudinem & altitudinem; alij stabilitatem & constantiam, illi singularem prudentiam & maximam sapientiam; omnes venustam comitatem, concinnam urbanitatem, suavissimos mores; at cum sua sit sponte cumulatissimè laudabilis, præconijs non indiget alienis. RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. An. 1380.

Hic in uxorem habet nobilissimam & illustrissimam dominam Magdalenam de Chastillon super Matronam, genitam patre Francisco, filio Jacobi IV. domini de Marigny, matre Claudia de Proisy la Baume, superstitem unicam ex vetustissima & commendatissima familia de Chastillon supra Matronam, quæ Christophoro plures inter liberos peperit Eustachium de Conflans generosissimi rami generosissimum surculum: qui ut alalgamum gentilitium, & insignia Toparcharum de Brienne in splendidissimam progeniem de Conflans continuata serie retinent, scutum scilicet cæruleum plintidibus aureis incerto numero sparsis & leone ejusdem metalli impressum; sic & eorum virtutes & illustria facta æmulantur & exprimunt, Eustachio in matrimonio collocatur filia Marchionis de Senosse, ex qua necdum suscepit liberos, ejúsque soror nobilissima Virgo Ludovica-Cæsarea, Domicella de Conflans, Emmanueli domino de Proisy, Marchioni de Marfontaine nuperrimè desponsata est.

Hæc de generosissima & clarissima prosapia Toparcharum de Conflans obiter delibavi; pauca de immensis eorum facultatibus, de amplissimis possessionibus retuli; auctoritatem qua polluerunt, dignitates, honores quibus potiti sunt, præterij; quàm gratioſi Regibus, quàm magno apud eos loco fuerint omisi; nullam feci mentionem de affinitate, qua cum universis fermè Europæ Monarchis conjuncti sunt, de vinculis propinquitatis & sanguinis quæ eos obstringunt cum illustrissimis dominis de Hoquincourt, de Montcavrel, de Plessis-Pralin; cum potentissimis Comitibus Flandriæ, Campaniæ & de Habsbourg; cum celsissimis Ducibus Cliviæ, Bavariæ, Lotharingiæ & Austriæ; denique cum serenissimis Regibus Franciæ, Hispaniæ, Angliæ & Navarræ. Materies sanè dignissima facultate & copia luculenti & singularis Auctoris.

Carolus VI. Remis inauguratur. Clementis VII. in Papatûs dignitate sibi asserenda per Galliam sagacitas. Patruorum tutelam Remis Rex exuit. Richardus Archiepiscopus condit testamentum.

CAPUT XXIII.

ANGLI magno numero Calesium apulsi anno 1381. Atrebates, Veromanduos, Suessiones, Remos, Cathalaunos, Tricasses, aliásque civitates procursant, prohibente Carolo Rege, ne ullam statariam pugnam Proceres Regni cum illis committant; hoc enim consilio sapiens Rex

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. *An.* 1381.

Rex rem Gallicam pœne collapſam facilè reſtituit, conſervavítque uſque ad obitum, quem menſe Septembri contigiſſe annales referunt, relicto impubere filio, cujus tutelam Philippus Burgundiæ Dux ſuſcepit

Carolo VI. ad Regni infulas poſt patris obitum provecto, actum in Curia de inſignibus ab eo ſollemni ritu recipiendis. Nutabant plerique an unctione Remis ob teneros annos, & nuperum patris edictum inauguran-dus eſſet (erat enim duodecim tantùm annorum) at Johanne des Mareſts regio Patrono viro eloquentiſſimo imprimis ſatagente, ne inter patruos pro tutela Regni ſimultas oriretur, Remos ab Olivario de Cliſſon equitum Magiſtro confeſtim deductus eſt, ubi eum Richardus Archiepiſcopus unxit, & coronavit die Omnium-Sanctorum anno 1381. eâ magnificentiâ, & apparatu, quem alibi deſcripſimus. Clientelari ſubinde ſacramento à feudatarijs exhibito, rerum gerendarum poteſtas penes patruos ſic relicta.

Octodecim milliones auri fuiſſe referunt.

Philippus Dux Burgundiæ Regis adhuc impuberis tutelam ſuſcepit, Dux Andegavenſium Monarchiæ adijt adminiſtrationem, at hic defuncti Caroli ærarium, quod ingens erat, diripuiſſe legitur, quò Johannæ Reginæ Siciliæ auxilium ferret adverſùs Carolum Hungarum, in Regnum Siciliæ ab Urbano Papa evocatum : unde abſumto ærario, exactiones indictæ per Galliam, ac decimæ ſacerdotio impoſitæ. Malleati Pariſienſes motu facto exactores collationum & vectigalium mactant, ſævitum quoque in eos Rotomagi, Remis, Cathalauni, clamores ubique adverſùs inexplebilem Principum avaritiam, Rege puero, & Eccleſia ſchiſmate laborante.

Valerianus Comes S. Pauli à Rege accepta poteſtate Urbaniſtas ubique perſequendi, magnam tyrannidem in eos exercuit, qui ſe grandi ære redemerunt; nitebatur enim Clementi totam Flandriam ſubjicere, præſertim poſt pugnam Roſebecanam, qua Gandenſes victi, ac protriti à Gallis; ſimul enim tunc Pariſij, Rotomagi, Remi, Cathalauni, Senones, aliæque conſpirantes civitates, quæ belli exitum exſpectabant, ſubactæ ſunt, ac graviter multatæ, dividentibus inter ſe pecuniarum acervos Biturige, & Burgundo. Angli ſpe delictorum veniæ interim deliniti ab Urbano, ut Clementinis bellum inferrent, ſub finem Aprilis anno 1383. per Caleſium infeſtis ſignis erumpunt: horum adventu attoniti Remenſes, præſertim quòd oram maritimam brevî ſubjugâſſent, nobilem Equitem Johannem de Barat Baronem de la Bove virum bellis expertum ſibi præficiunt, cum ſtipendio ſexcentorum francorum aureorum, quo in munere etiam à Ballivio Viromandenſi confirmatum in regeſtis Scabinatûs Remenſis reperio.

An. 1383.

Nec ſegniùs res ſuas Clemens promovebat, ſciens enim Remenſem Archiepiſcopum ſibi eſſe contrarium, mittit Cardinalem Pictavienſem Tornacum, Cameracum, Laudunum, & per alios provinciæ Remenſis Epiſcopatus, quò per exſpectativas ſuas primarios Cleri ineſcaret; hac enim illecebra, & Beneficiorum collatione multos in officio continebat: hinc maximæ proborum virorum querelæ, Nicolai præſertim de Clamangis diœceſis Cathalaunenſis, qui de corrupto Eccleſiæ ſtatu eleganter ſcripſit, cujus autographum in bibliotheca Remenſi vidimus. Capitulorum quoque privilegia (quæ à partibus ſuis ſtabant) à juriſdictione epiſcopali & metropolitana idem Pontifex eximit, ex illis denique clariores viros, qui ſibi prodeſſe poſſent, purpurâ inſignivit, inter quos memorantur Petrus Aiſcelinus de Montaigu Monachus S. Martini à-Campis Epiſcopus Laudunenſis, & Jacobus de Montenay Remenſis Archidiaconus. Tabularius Laudunenſis de Aiſcelino ſic habet : ***Petrus Cardinalis Laudunenſem Epiſcopatum tenens in commendam anno 1386. jubente Pontifice abdicat ſe Laudunenſi Epiſcopatu, qui protinus datur Iohanni de Rociaco.***

Hoc

Hoc anno obijt Ludovicus Maleanus Flandriæ Comes 9. Januarij, ſepultúſque eſt Inſulæ ad S. Petri magnifico mauſoleo & ampliſſimis exſequijs: funus uxoris ejus Margaretæ longè ante defunctæ ex Registeto deportatum Inſulam, & eodem die juxta eum conditum, Archiepiſcopo Remenſi exſequias celebrante, quibus adfuerunt Pariſienſis, Tornacenſis, Cameracenſis, Atrebatenſis, Epiſcopi; Abbates quinque, omnis nobilitas Flandrica, Atrebateſia, multáque Gallica pullata. Tradunt ſchedulæ Capituli Remenſis tunc Archiepiſcopo datum, ut ſecum habeat duos Canonicos, qui ei ſint à Conſilijs, eúmque honoris gratiâ comitentur cùm luſtrat provinciam, quo jure adhuc potitur, ſeligítque quos vult, quibus plenus redditus conceditur ac ſi præſentes adeſſent. Exſtat bulla exemptionis reſidentiæ in favorem Archiepiſcopi Remenſis & Epiſcopi Laudunenſis à Clemente data ſexto Pontificatûs anno 1384. Unde patet hunc Pſeudopontificem omnibus modis elaborâſſe, quò ſibi animos Prælatorum conciliaret; ſed & corrogandæ pecuniæ impenſiùs hunc laborâſſe probat Cleri Gallicani deputatio ad Carolum VI. anno ſequenti facta (tunc cum Comite Valeſio fratre, Burgundione, & alijs Proceribus Ambianum conceſſerat) qua vehementer ſollicitatur, ut Clerum tegere velit adversùs Clementem & Cardinales, qui immodicis exactionibus Eccleſiam expilabant: ſola enim Gallia illi reſtabat, ex quo Caſtellæ Rex ab eo defecit, quam degluberet.

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. *An.* 1383. *Vide Meyerū*

An. 1384.

An. 1385.

Clemens auri ſitibundus Guillelmum de Illinijs S. Nicaſij Remenſis Abbatem ſibi fidum ac devotum ex Avenione mittit in Gallias, pro media parte redituum Eccleſiaſticorum obtinenda, dátque poteſtatem cogendi ſcholaſticos Academiæ Pariſienſis qui Beneficia obtinerent: Rex iterum Cleri flexus querelis vetat ne extra Regni fines pecuniæ transferantur, jubétque ut bona Eccleſiaſticorum trifariam dividantur, quorum una pars ſit pro alimento beneficiarij altera pro oneribus ſuſtinendis, tertia pro ædificiorum reparatione.

An. 1386.

Annus 1386. miraculo celebris habetur, quod contigiſſe ſcribit Urſinus in villula haud procul à Remenſi civitate ſupra Matronam ſita, cùm enim orta tempeſtate Eccleſia pagi à fulmine tacta conflagrâſſet, & omnia ornamenta in favillas abijſſent, fuſúmque vas eſſet, in quo corpus Chriſti ſervabatur, hoſtiæ nihilominus ſalvæ ac illæſæ repertæ ſunt ab igne. Mox ſecuta eſt mors Petri de Luxemburgo magnæ pietatis viri, qui factus licèt Cardinalis à Clemente, ſtetiſſétque conſtanter ab ejus partibus, miraculis tamen claruit poſt obitum.

Adhuc Rex ſub tutela patruorum erat, cùm Guillelmus Dux Geldriæ, filius Ducis Juliacenſis nummo conductus ab Anglis, bellum indicit Johannæ Brabantinæ; Dux audax, cujus ipſe heres erat, omnem prope Galliam in eum movet, Regémque ipſum, qui pugnatorum ingenti collecto exercitu, fines Juliacenſium ingreſſus, ambos Duces ab Anglis avertit, & inducias ultro componere cogit cum Brabantina. Egregio hoc facinore Rex ab omnibus capax judicatur qui Regnum proprio marte gubernaret; obſtabat Caroli patris ſanctio, & Burgundi callíditas, eâ ſe mordicus tegente, quò tutelam longiùs protraheret; at Remos expleta expeditione Rex ipſe conceſſit, in archiepiſcopali palatio hoſpitatur, interéſtque Veſperis die Omnium-Sanctorum & Officio defunctorum; tum convocato Procerum conſilio in majori aula palatij, inter quos præter Biturigum & Burgundiæ Duces, adfuiſſe leguntur Petrus Aiſcelinus de Montaigu Cardinalis, antea Laudunenſis Epiſcopus, vir maximæ eruditionis & judicij, & Remenſis Archiepiſcopus. Rogatus Cardinalis à Cancellario d'Orgemont palamedicere quid ſentiret, modeſtè primùm ſe excuſavit, ne cui diſpliceret, jubente iterum Rege, tandem ingenuè faſſus eſt, Regem tutela

ampſius

RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP. *An.* 1386.

amplius non indigere: in ejus opinionem pedibus iverunt Remenſis Archiepiſcopus, ac bellorum Præfecti, frendente Burgundo, qui haud ita poſt indignam hanc, ut ſibi videbatur, repulſam ultus eſt. Urſini verba refero: *Or advint que le Cardinal de Laon, qui avoit le premier dit ſon ſentiment, alla toſt aprés de vie à trépas bien piteuſement, car il fut ſceu que veritablement il avoit été empoiſonné, & le connut & ſentit bien, & requit tres-inſtamment que nulle enqueſte en fut faite. Il fut pourtant ouvert, & l'on trouva le poiſon dans l'eſtomach, dequoy le Roy fut fort courroucé, &c.* Funus ejus ab urbe Remenſi Pariſios deductum apud Sancti Martini a Campis in choro conditum eſt, ubi proſtat ejus effigies, cum hac epigraphe.

An. 1388.

Hoc jacet in tumulo rever. in Chriſto pater Dom.
PETRUS DE MONTEACUTO S. R. E. PRESBYTER
Cardinalis Laudunenſis nuncupatus,
Hujuſce loci Adminiſtrator, Conſiliarius Dom. noſtri Francor.
Regis excellens & magnificus: qui Remis in ſervitio dicti
Dom. Regis diem ſuum clauſit extremum an. Incar.
dom. M. CCC. LXXXVIII. *menſis Novemb. die* VIII.

Richardus Archiepiſcopus, qui ſe præſentem pluribus in Comitijs, velut Franciæ Protoparem ſe exhibuerat, Remis interdum verſabatur, aliquot enim domos ad Capellanos veteris congregationis ſpectantes, & intra fines ſuæ juriſdictionis ſitas, ut & aliqua prædia, gratis jure caduci exemit; conſecravit quoque Eccleſiam S. Magdalenæ in ſuburbio Vidulæ anno 1388. & Fimmas vocatus, reliquias Sanctæ Macræ Virginis & Martyris in ditiorem capſam tranſtulit 3. Auguſti anno 1389. Cumque anni ejus ad occaſum vergerent, de condendo teſtamento cogitavit, cujus exſecutores ſelecti Nicolaus de Turre-ſuper-Maternam Præpoſitus Eccleſiæ Remenſis, & Guillelmus Fillaſtri, quos Curia Pariſienſis ſuo decreto confirmavit: ipſius enim ordinationi Richardus res Eccleſijs, parentibus, ac domeſticis ſuis à ſe delegatas ſubmiſerat. Teſtamentum Remis conditum 22. Septemb. anno 1389. in Archivo Eccleſiæ ſervatur, ubi bona ipſius in argento, lapillis, veſtibus, ornamentis, & maxima ſupellectili ſigillatim expreſſa ſunt è quibus (legatis præſertim) præcipua capita breviter excerpſi.

An. 1389.

Primò ſingulis Vicarijs M. Eccleſiæ, qui die ſui obitûs in choro Pſalterium pro eo recitaverint, legat quinque aſſes.

Cuilibet Preſbytero, qui ſacrum Miſſæ ſacrificium obtulerit in Eccleſia Remenſi eodem die, duos groſſos Turonenſes.

Canonicis majoris Eccleſiæ, qui ſuis obſequijs interfuerint, viginti-quinque florenos aureos ſingulis manutatim diſtribuendos.

Religioſis Monaſteriorum Ss. Remigij, Nicaſij & Dionyſij, qui vigilijs & Miſſæ intereſſe ſolent, decem florenos aureos pro qualibet communitate.

Fabricæ Remenſis Eccleſiæ meliorem togam legat, & mantellum pelliceum, quæ exponentur in pertica ante ſacellum Sancti-Lactis quando pulſantur Campanæ, ut fieri ſolet diebus exſequiarum.

Xenodochijs Ss. Dionyſij, Petri ad Moniales, Remigij, & Nicaſij, cuilibet triginta duos ſolidos argenteos, idem Canonicis, hoſpitalibus, ac Religioſis mendicantibus, tam Eccleſiæ Remenſis, quàm urbis Biſuntinæ, unde ortus fuerat, ut conſtat & teſtamento.

Ballivio ſuo veſtem militarem argenteis clavis compactam, caſſidem, ſeu loricam, pectoria, brachilia, & omnem denique inſtrumentum bellicum.

Buticulario ſuo decem libras præter conſuetum ſtipendium.

Guidoni

Guidoni Picque fratri ſuo togam ſuam vellere vario duplicatam, trecentas libras, & aliqua mobilia. RICHAR. PICQUE. LXVII. ARCHIEP.

Duci Burgundiæ anulum balavs, quem dono acceperat à Rege, poſt impertitam ſacri chriſmatis unctionem.

Duci item Borbonio adamantem ſuum alteri anulo incruſtatum, commendátque prædictis Ducibus animæ ſuæ quietem. *An.* 1389.

Domino Biſuntino nepoti ſuo togam reliquit coccineam, quam Epiſcopus Pariſienſis ei dederat, viginti florenos, & equum.

Fratri ſuo Stephano Picque Canonico almutiam, ſuperpellicia, breviarium, & minorem aliquam ſupellectilem.

Domeſticis quoque ſuis, officiarijs, ac vilioribus famulis quædam pariter legavit, ſanxítque ut ſi quid remaneret, expletis oneribus teſtamenti, quadrifariam dividatur; pars una cedat fabricæ Eccleſiæ Remenſis, altera pauperibus ſcholaſticis Academiæ Pariſienſis, & Aurelianenſis; tertia filiarum inopiæ ſublevandæ; ultima Preſbyteris urbis Remenſis, pro ſalute animæ ſuæ & parentum ſuorum, Miſſas celebrantibus.

Prædicto teſtamento die & anno prædictis in caſtello portæ Martis condito, ſancit Richardus ut bona ſua ſtatim ac ipſe exſpiraverit, ſub tutela Regis ponantur; Rex è Conſiliarijs ſuis Commiſſarium ſelegit, qui defuncti voluntatem exſecutioni demandaret, pro quo datæ ſunt litteræ, quæ ad calcem prædicti teſtamenti referuntur, ubi Richardus *Ducis* ac *Franciæ Paris* inſigni titulo gaudet.

Mirum eſt quàm dives & ampla ſupellex reperta fuerit tam Remis in palatio archiepiſcopali & caſtello portæ Martis, quàm apud Curviilam, omnibus ferè caſtellanijs, & in domo archiepiſcopali Pariſijs; at ditior in theſauro Dionyſiano Remis ſervabatur, ubi cives fortunas ſuas bellis ingruentibus deponebant, ut reverentiâ loci ſecuriores eſſent ab hoſtibus, unde in prædicti Archiepiſcopi teſtamento legitur de Abbate S. Dioniſij *pro theſauro, ubi bona reconduntur, aperiendo & claudendo, & adminiſtrando lumine, cùm opus fuerit, quatuor libras.*

Richardus longè antea puerum chorialem fundaverat in principe Eccleſia, anno ſcilicet 1384. ea lege ut ſingulis diebus poſt Matutinos pueri choriales magiſtro ducente in capella ſancti-Lactis antiphonam recitent cum collecta in honorem beatæ Virginis, quæ altiori voce cantari debet primis diebus quatuor terminorum anni; pro qua fundatione dedit quingentas libras, è quibus empta terra de Betincourt; addidit præterea quaſdam domos prope S. Simphorianum pro ſuo anniverſario, ex actis capitularibus anni 1386. ubi ſemper Richardus de Biſuntio vocatur. Sunt qui dicant adhuc fundâſſe Miſſam Peregrinorum anno 1387.

Huic ordinationi haud dubiè ſupervixit, nam eodem ferè tempore, quo Regi ab exſecutoribus oblati codicilli, nuntius mortis Richardi advenit, quæ VII. Idus Sept. diſertè notatur in Necrol. Remen. an. 1389. *An.* 1389.

Humo conditur hic ab Epiſcopo Sueſſionenſi provinciæ Remenſis Decano, quem pro more Remos veniſſe puto ut exſequijs intereſſet, & Sacris operaretur, juxta Ludovicum Theſart ad latus ſummi altaris, ubi tumulus lamina ænea coopertus, cui effigies Archiepiſcopi impreſſa veſtibus pontificalibus induti, cum inſignibus ſupra depictis; at inſcriptio ſi quæ fuerit, ablata eſt, aut penitus obliterata.

FERRICUS CASSINEL LXVIII. ARCHIEP.

Ferricus Caßinel ex Autißiodorenſi Epiſcopo fit LXVIII. Archiepiſcopus Remenſis. Johannes de Varennis Clementinæ factionis præco & montis Sancti-Læti prope Remo accola claret.

CAPUT XXIV.

CASSINEL vairé d'or & de gueules au bâton d'azur pery en bânde.

MOX ut in Curia Richardi obitûs tumor auditus, ſedulò Rex egit apud Pontificem, ne alius præter Ferricum Caſſinel promoveretur ad vacantem Archiepiſcopatum. Nobilis hic proſapiæ fuit, quam ab Italia Chenius optimè deducit in hiſtoria genealog. Caſtellioncæ domûs, ex Maria Caſſinel Galchero Caſtellionenſi pridem ſociata, filius quippe erat Franciſci Caſſinel Equitis, ex nata domini de Pompone & Guillelmi Toparchæ de Romainville, Caroli VI. Regis Dapiferi frater: ſic præclaro nixus ſtemmate, egregiæ indolis, gravitatiſque morum indicia præferens, ad eccleſiaſtica beneficia facilè pervenit. Vulcaſſini Archidiaconatus in Eccleſia Rotomagenſi, velut exercendæ juventæ, ei primùm datus fuit, cui majora pedetentim acceſſêre, donec clarescentibus vivacioris ingenij fulgetris, Epiſcopatu Lodovenſi donatur circa annum... fitque Regi à ſanctioribus Conſilijs. At quò Curiæ vicinior eſſet vir ſollers, & in obeundis negotijs, etiam politicis locuples, eum Rex paullo poſt ad Autiſſiodorenſem Cathedram provexit. Fertur rem immortalitate dignam Ferricum edidiſſe anno 1383. nam cùm Johannes quidam de Montelon, fortè Monhon Arragonnenſis ex Archivo Academiæ Pariſienſis, publicè ac pertinaciter profiteretur Virginem Dei-param in peccato originali fuiſſe conceptam, tanto ardore eum aggreſſus eſt, prolatis in medium rationibus, quæ immaculatæ Conceptionis veritatem radijs ſolaribus clariorem demonſtrabant, ut adverſarium ad palinodiam coegerit, induxeritque Regem ad feſtum Conceptionis ſollemni ritu menſe Decembri indicendum, & deinceps celebrandum ex voto Univerſitatis.

Celebris hæc diſputatio, qua Ferrici pietas æquè ac eruditio fulſit, tantam ei nominis claritudinem apud omnes comparavit, ut Rex à comitatu ſuo ne minimum quidem abeſſe permiſerit: ſacra hic ſollemniter peregit apud Sandionyſianos Pariſienſes eo die, quo Rex Ludovicum & Carolum Andegavenſes nepotes ſuos inſignibus militaribus cohoneſtavit, Sabbato poſt Paſcha anno 1389. cùmque idem Rex hos Avenionem duxiſſet, ut major natu à Clemente Siciliæ Rex inauguraretur, nacta occaſione Ferricum transferendi ad Archiepiſcopatum Remenſem, obtinuit ab eo, ut id viâ reſervationis fieret, quod Pontifex libenter annuit, ſuffectúſque eſt 29. Janu. quo & Regi, ut moris eſt, clientare ſacramentum exhibuit.

Ferricus cùm per ſe non poſſet, ob ſtatûs negotia, per procuratores inijt poſſeſſionem, habuítque pro Vicarijs, forſan actoribus, Guillelmum, & Johannem Caſſinel fratres ſuos, ex inſtrumento adjudicationis rerum mobilium Richardi prædeceſſoris, quam Ferricus obtinuerat, pro archiepiſcopalis palatij reparatione; quamvis Johannes, dictus Hoſpitalarius, omittatur à Quercetano: optimè tamen hic obſervat Ferricum non diu potitum eminenti hac dignitate, eo quòd ipſe toxico potatus Nemauſi obierit 26. Maij anno 1390. poſt menſem ab inita poſſeſſione: conditi prius teſtamenti exſecutores Guillelmus Caſſinel, Philippus de Savoiſy, & Petrus

An. 1390.

Digitized by Google

Petrus de Caprosia curam susceperunt funus deferendi Autissiodorum, ubi quiescit prope majus altare. Exsequiæ ipsius anniversariæ quotannis fiunt in Ecclesia Remensi 6. Calen. Junij ex Necrol. FERRICUS CASSINEL LXVIII. ARCHIEP.

Nutantem Clementis VII. fortunam haud mediocriter per id tempus stabiliunt Petri Luxemburgi miracula, quem ipse ad Cardinalatum provexerat, Regúmque Aragoniæ & Navarræ aliquamdiu interpolata, demum verò restituta obedientia; at nihil æquè animos ejus erexit, ac Urbani VI. obitus vulgatus anno 1389. Etenim licèt Cardinales Romæ alium sibi subrogâssent ipsi æmulum, Bonifacium nomine; Caroli Regis auctoritas, qui recens Avenionem postulaturus advenerat Siciliæ coronam pro nepote, omnem ab eo procul abigebat timorem: ne verò longioris schismatis tædio, pacis amatores à partibus suis deflecterent, per omnes ferè provincias Missos suos ablegat, spondens se Concilij generalis ordinationi submissurum, modò Bonifacius idem præstare velit. *An.* 1390. *An.* 1389.

Ex his qui Avenione profecti Clementis electionem verbis, ac vitæ merito, ut legitimam studiosiùs commendârunt, fuit Magister quidam Johannes de Varennis, ex ignota villula juxta Remos oriundus, qui cùm in Curia Pontificis multos annos versatus fuisset, Petri de Luxemburgo Cardinalis obsequio peculiariter mancipatus, statuit in propriam reverti patriam vitæ quietioris studio, ac æternæ, ut creditur, salutis amore. Fama siquidem de eo ob temporis acerbitatem constans non est, imo plurimùm vacillat; sunt enim qui vanitatis ei, aut certè factiosi hominis notam inurunt; at eam non nihil abstergit Froissardi hujus ævi Scriptoris suffragium, qui cùm Anglorum totus fuerit, Clementi non favebat, cujus insignis præco fuit Johannes de Varennis; juvat igitur eum audire.

Per id tempus claruit Avenione celebris quidam scientiâ, & prudentiâ « Clericus Doctor in Legibus, & palatij Auditor, nationis & Archie- « piscopatûs Remensis, Magister ac dominus Johannes de Varennis « vocatus, qui ob scientiam & obsequia Clementi Pontifici, ac alijs pridem « exhibita, ad ampliorem fortunam, & Beneficia pervenerat, parúmque « abfuit quin Episcopus fieret, aut Cardinalis: fuerat enim Capellanus « unius ex illis, qui Avenione Petrus de Luxemburgo dicebatur. Magister « hic Johannes de Varennis ad honores sic provectus, sua Beneficia « lubens resignavit, solo Canonicatu, seu Præbenda sanctæ Mariæ Re- « mensis, pro sobrio victu retenta, quæ præsentibus valoris est centum flo- « renorum, absentibus vero triginta. Tum Avenione discedit in finibus « Remorum (unde erat) habitaturus in pago seu villa quæ vulgo Sanctus- « Lætus nominatur, cœpitque hic sanctioris vitæ ac inimitabilis speciem « palam exhibere, multùm inter concionandum de Fide & operibus Serva- « toris, Papam Avenionensem extollens, cujus ipse partes constanter tue- « batur: dixerat enim cùm primùm in hanc oram venit, verum ac legi- « timum esse Pontificem, nullam verò hujus habendam esse rationem, qui « Romæ sedebat: ob id multi ad eum è varijs provincijs confluebant, fami- « liaritatem ejus ambientes, quòd eruditio, vitæ frugalitas, pietatísque « ardor haud mediocriter elucerent, singulis enim diebus jejunabat, & « sæpius concionabatur ad populum. Quidam dicebant à Cardinalibus « Avenionensibus cautè huc missum, ut eos extolleret, aut quæsito « colore utcumque tegeret. Nolebat hic Magister Johannes de Varennis, « sanctus homo sancti-Læti vocari, sed Auditor tantùm, vivebátque hic « in consortio suæ matris, Sacrúmque singulis diebus admodum piè facie- « bat, quidquid ei gratis dabatur (nihil enim ab aliquo quidquam petijt) « confestim reddebat, vel reddi curabat alijs pro Deo. Satis fuerit de eo « in præsentiarum hæc dixisse, nunc pergamus ad alia.

FERRICUS CASSINEL. LXVIII. ARCHIEP. An. 1390.

Hucusque Frossardus, cujus ingenua narratio nemini omnino suspecta esse debet, videturque prædictus Johannes Petri Luxemburgi exemplo ex aula fugisse, quò securius expers, ac curis vacans saluti suæ vacaret; nec de ipsius fama quidquam detrahi potest, quòd à Pseudopapæ partibus staret, cùm bona fide id potuerit & absque noxa. Exstat tamen ab Auctore synchrono cujusdam Erminæ historia, unde dubium suboriri posset, ob quædam liberius de eo prædicta à dæmone, tot enim Johannem laudibus effert, ac si Ecclesiæ lapsus per eum deberent reparari: verùm dæmonis vaticinia, cùm exitum non habuerint, sitque fallax in promissis, ut in dictis, nihil certò statui potest in Johannis præjudicium. Prædictæ Auctor historiæ refert Erminam sæpius apparitiones vidisse inter manus Sacerdotum (cùm hostiam in Missa visendam extollerent) cujusrumque hi vitæ essent, conditionis, & obedientiæ; quod notatu dignum est ob schisma, quo tunc Ecclesia misere laborabat, tot enim motus, per Belgium præsertim, excitantur, ut in eodem Episcopatu quidam se Clementinos, alij Urbanistas jactanter vocitarent; unde factum est ut anno 1394. Brugenses die Paschatis Gandavum perrexerint pro Eucharistia recipienda ab Urbanistis, ibi enim Urbani obedientia usque adeo vigebat, ut Gandavenses neglecto Tornacensi Episcopo Clementino, proprium sibi Episcopum Urbanistam suffecerint, ut notant Meyerus, Buzelinus & alij.

Meyer. lib. xv. an. 1392.

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. An. 1391.

Guido de Roya LXIX. Archiepiscopus Remensis. Schisma post Clementis obitum perseverat, Johannes de Varennis ab eo recedit. Capitula provincialia apud Sanctum-Quintinum renovantur.

CAPUT XXV.

PICQUE de Gueules à la bande d'argent. Claude Rob. ajoute au lambel d'azur.

DUM per ipsa capita (proh dolor) infinitis discordijs turpiter Ecclesia scinditur, ij, quibus quæstui tantummodo erat religio, hoc unum spectâsse videntur, ut è minori Sede ad ditiorem quoquo modo, spretis Capitulorum suffragijs, pervenirent: fœdæ hujusce cupiditatis celebre nunc demum prodit exemplum in Guidone de Roya, obedientiæ Gallicæ haud ignobili patrono, qui viâ Reservationis Virdunensem primò adeptus est Episcopatum, mox Dolensem, Castrensem postea, deinde propter vetustæ & illustris prosapiæ decus Senonensem, & Turonensem Archiepiscopatus; tandem post Ferrici obitum, Remensem, in quo stetit alijs forsan abdicatis. Hic parente natus est Matthæo Toparcha de Roya Franciæ Balistarum Præposito, matre Iohanna de Cherisi domina de Mureto (ubi nascitur) Iohannis tertij Franciæ Cubicularij, Matthæi Tribuni equitum parente; ceteros hujus gentis heroas, cognatos & affines fusè retulit Andreas du Chesne in genealogica historia, quam consulat Lector si lubet.

Vasseburgus Guidonem ante adeptos Præsulatus Rotæ Auditorem fuisse scribit, cùm enim vivaci polleret ingenio, Beneficijs in juventa non caruit, unde Sancti-Quintini in Viromandia adhuc potitum Decanatu anno 1380. Demeres est Auctor; at cùm electiones amplius non vigerent in Gallijs, sed pro libitu majora etiam Beneficia, accedente Regis consensu, per Pontifices conferrentur, Guido in Curia pontificia se continuit, ac brevi Sedem consecutus est Virdunensem, licèt suæ Sponsæ immemor, rebus forensibus plus nimio addictus ibidem perseveraret.

Gregorius

Digitized by Google

Gregorius XI. qui Avenione Romam Sedem pontificiam retulit, Guidonem ſecum duxiſſe legitur, quòd ſollers ingenio eſſet, familiâ nobilis, egregiè facundus: at eo obeunte cœpit infauſtum ſchiſma per electionem Urbani, & Clementis, de quo obiter nonnihil ſupra diximus. Clemens à Francis cultus ut Papa, Guidonem habebat in ſuo comitatu cùm Avenionem redijt, eúmque apud ſe, velut ſibi fidum retinuit. Paullo poſt pace inter Francos & Anglos compoſita, militum, prædonum verius dixerim, colluvies ad centum millia per Belgium horribiliter effuſa, Nobilibus anſam præbuit caſtella invadendi, reſque Eccleſiam ſpectantes ſine delectu, ſpecie tuendæ Reipublicæ. Hac preſſi miſeria Virdunenſes Canonici ſupplices litteras ad ſummum Pontificem mittunt, ut hunc ad Eccleſiam redire cogat, aut alium nominet, qui vices ejus ſupplere poſſit. Tenor litterarum lucem dictis adferet.

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1393.

Sanctiſſime Pater ſuccurrite; & naviculæ abſque ductoris gubernaculo inter Scyllam & Carybdim fluctuanti malo, præſentia alicujus benigni favoris confovete; nam apes ſine ductore non volant, ſine rege non vivunt, & in caſu, quo venerandus & pius Pontifex Paſtor noſter Guido de Roya virtutibus refertus, & revera majori honore dignus, ad alium gradum promoveretur eminentiorem, nobis & Virdunenſi Epiſcopatui Abbatem Gorzienſem in Paſtorem præficere dignetur.

Guido motus horum querelis ceſſit Epiſcopatui, ut Senonenſis Eccleſiæ faſtigium, cujus erat Archidiaconus, conſequeretur: cenſet Robertus non adiiſſe poſſeſſionem; at Urſinus tres Archiepiſcopatus illi aſſignat, ac ſi ſimul eos rexiſſe videatur, quamvis duo poſtea certiſſimè abdicârit, cùm ſolo Remenſis Archiepiſcopi titulo ubique paſſim gaudeat. Eo tempore quo Guido ſolium aſcendit, fœdi erant Chriſtianorum mores, turbatus Eccleſiæ ac Regni ſtatus, plebs vectigalibus onerata, magiſtratus ſine lege; pudor, juſtitia, ſocietas à mundo penitus exſulabant, ut videre eſt apud Nicolaum de Clamangis tractatibus *de Corrupto Eccleſiæ ſtatu, & de lapſu, & reparatione juſtitiæ.*

Cliſſonio Magiſtro equitum Franciæ gravi vulnere percuſſo à Craone, qui & mox in Britanniam fugit, Rex expeditionem parat in Ducem Britanniæ, velut prædicti facinoris auctorem, quò de Craone pœnas ſumeret; profectus hic dehortantibus Medicis, ſolis æſtu, qui tunc plurimùm ob arenas vigebat, incidit in freneſim, quæ Gallorum animis mœrorem injeſſit, rebúſque nebulas & confuſionem: ex tunc ſiquidem omnis adminiſtratio Regni penes Burgundionem, & Biturigem fuit, nomen regium dumtaxat Carolo obtinente. Ob Regis morbum publico edicto prohibita omnia ludorum genera, præter arcum balliſtarium, & manuarium; at hic paullo poſt melius ſe habuit, Guillelmi Haiſcelini Laudunenſis magni nominis Medici induſtriâ, quamvis per vices & intervalla idem morbus recurreret. Haiſcelini celebris habetur memoria apud Franciſcanos Laudunenſes, conſtátque ex legatis, abundè ob impenſam operam remuneratum à Rege, cum ea præſertim quæ Conventui dedit, Philoſophi fortunam excedant.

Guido, qui per procuratores inierat poſſeſſionem, Remos hoc anno ſollemniter ingreditur, quo & illi diſſidium cum Canonicis, pro jure ſchedulas affigendi ad valvas Eccleſiæ cathedralis, quamvis haud ita pridem de hoc cum Capitulo amicè compoſuiſſet. Tradit MS. codex Remigianus ſtatuta quædam per Vicarios evulgâſſe de diſciplina eccleſiaſtica in melius reformanda, quæ diuturnitate ſchiſmatis Europam inficientis peſſum ibat, enervabatúrque abſentiâ Prælatorum.

Schola Pariſienſis de pace Eccleſiæ ſollicita, pro extinguendo ſchiſmate tria propoſuit, ceſſionem, compromiſſum, vel Concilium generale: hæc

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP.

hæc Carolo oblata leguntur per Nicolaum de Clamangis Remensem Canonicum & Archidiaconum Bajocensem, insignis facundiæ virum; at Petrus de Luna missus à Clemente his viriliter obnitebatur cum Duce Biturige, quem nummo Papa corruperat. Academiæ Parisiensis elegans epistola, Ecclesiæ Catholicæ statum veris coloribus depingit, morum corruptionem, avaritiam Cardinalium; hæc enim quotquot in Curia erant transversos agebat. Rex Academiæ momta, ac melius sentientium Prælatorum grata habuit, inter quos eminebat Simon de Cramaudo Lemovicensis, Patriarcha Alexandrinus, Ecclesiæ Carcassonensis Administrator, & post Guidonem Remensis Archiepiscopus; at nihil hac vice conclusum: Schola interim litteraria non despondit animum, sed ea audacter minitante se à docendo cessaturam, donec supplicationi fuisset satisfactum, missisque ad Clementem litteris, quibus de Petri Lunæ subdola tergiversatione querebatur, Clemens tanta anxietate, & dolore animi affectus est,

An. 1393.

An. 1394.

ut brevi appoplexiâ exhalârit animam anno 1394. in cujus locum subijt idem Petrus de Luna Aragonensis, dictus Benedictus XIII.

Cùm schisma vires subinde resumeret Pontificum successione, Prælati ac Doctores Parisijs adunati, de eo finiendo incunctanter deliberant, Simone de Cramaudo præside; diu inter eos agitatum, quo tandem modo pax Ecclesiæ redderetur, visúmque à multis viam cessionis securiorem esse ac breviorem, quæ Benedicto confestim per deputatos nuntiata est. Hic solitâ suâ calliditate rationes propositas eludere ac mirum in modum tergiversari, urgentéque Academia, minari se sacris ei interdicturum; at ipsa Concilium appellat per Craonem Magistrum in Artibus, & Canonicum Laudunensem: Doctorum Parisiensium opinioni ceteræ Universitates facilè suffragantur, scriptáque à Doctoribus ubique edita pro mox exstirpando schismate.

Saint Lié.

His planè consentiens erat Johannes de Varennis, qui nuper se Remos apud Sanctum-Lætum receperat, scriptis ad Benedictum litteris, ex Spondano, quibus vereri se dicit, ne dignitatem suam acriter sic tuendo, schisma foveat ac perennet, cùm eo obeunte alius à Cardinalibus ejusdem factionis certò sit subrogandus. Unde rogat ut cessioni à Doctoribus propositæ prudenter acquiescat; tum ad Cardinales rescribens, hortatur eos ut avaritiam velut pestem fugiant, fastum remittant, decurtent pomœria: quod valde discrepat ab his, quæ in Erminiana historia leguntur, ubi è contra Scriptor asserit Johannem mordicus stetisse à partibus Pseudopontificis, ac velut hæreseos suspectum, Regis decreto per Ballivium Viromandensem apprehensum 30. Maij an. 1396. & apud Vincennas in vincula conjectum, ubi aliquandiu mansit captivus. Et ut probet superbiam eum dementâsse, quòd ipse se supra vulgus extolleret, addit prædictæ historiæ Auctor à diabolo, sancti viri nomine insigniri solitum, ac laudibus efferri, quasi afflictiones suas mirâ patientiâ toleraret dilectus Deo & hominibus, & quòd Parisijs concionem habens ad populum die Assumptionis B. Mariæ, Regem, Reginam, Academiam ac omnem ferè populum convertisset, brevi denique in suam Lætiensem cellulam rediturum, dæmonem asseruisse, Ecclesiámque nisi per eum nusquam pacem habituram, Papámque certò futurum; Remensem Archiepiscopum, Priorem S. Dionysij, Subpriorem S. Pauli, & horum exemplo Clerum Remensem, daturos pœnas apud infernum, quòd nequiter eum tradidissent.

Hæc de Johanne à diversis relata cùm satis inter se non cohæreant, quid de eo sentiendum sit, apertè non video, quis enim dæmonis prædictionibus fidem habeat? cujus proprium est fucum facere ac mentiri. Opinor hunc rejecto schismate post Clementis obitum, Bonifacio firmiter adhæsisse, eóque liberiùs legitimum Pontificem profitente, dæmonem vana

vana ſuggeſſiſſe, quò eum perderet, donec Regis edicto, & adverſariorum Antipapam adhuc colentium invidiâ, conjectus eſt in carcerem. GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. An. 1395.

Anno 1395. Remenſis provinciæ Capitula rurſum conveniunt apud Sanctum-Quintinum 18. Octob. Benedicti Pontificis anno ſecundo, præſidibus Guillelmo Fillaſtri Doctore in Decretis Decano Remenſi, & Laurentio Bellicurte ejuſdem Eccleſiæ Canonicis, ſtatutum mandata de renovatione Capitulorum mittenda per omnes Epiſcopatus, deſcribendáſque tredecim litteras eâdem formâ, ex quibus quælibet Eccleſia cathedralis, quæ numero ſunt duodecim, unam habeat, decima verò tertia Eccleſiarum munita ſigillis ſervetur in Archivo communi. Litterarum tale erat exordium: *Univerſis præſentes litteras inſpecturis, Remenſis, Sueſſionenſis, Laudunenſis, Noviomenſis, Belvacenſis, Cathalaunenſis, Silvanectenſis, Ambianenſis, Cameracenſis, Tornacenſis, Atrebatenſis, & Morinenſis, cathedralium Eccleſiarum Remenſis provinciæ Decani & Capitula, æternam in Chriſto ſalutem. Cùm ritus & mores feliciſſimæ vetuſtatis &c.* Actum præterea de modo & ordine ſedendi in Capitulis; deputati Remenſis, Sueſſionenſis, Bellovacenſis, Ambianenſis, Atrebatenſis, & Tornacenſis à dextris, eſſe debebant; à ſiniſtris verò Laudunenſis, Cathalaunenſis, Silvanectenſis, Noviomenſis, Tarvannenſis, Cameracenſis. Quælibet Eccleſia ordine ſuo jus habebat præſidendi; at annus 1415. his Conventibus ob bellorum turbines finem impoſuit.

Ermina viſiones, & quid de his ſenſerit Johannes de Gerſonno Pariſienſis Eccleſiæ Cancellarius.

CAPUT XXVI.

INTER denſiſſimas diri ſchiſmatis nebulas, ſimplex quædam femina, Ermina nomine, Remis claruit, paupercula quidem cenſu, at patientiâ, & humilitate locuples, variiſque ac portentoſis apparitionibus ſibi factis probata à Deo, quas Auctor quidam ſynchronus, cujus MS. exſtat apud Sanvictorianos Pariſienſes fideliter retulit, ediditque nuper R. P. de Foigny ſacræ Theologiæ Doctor, Gallico idiomate. Ermina hæc poſt Reginaldi mariti obitum, cujus cognomen latet, tanto ſtudio ſe orationibus, jejunijs, aliiſque pijs operibus mancipavit, Subpriore S. Pauli Remenſis eam dirigente, ut mirum videri poſſet, quot ab humani generis hoſte monſtruoſis fuerit tentata ſpectris, quotque victorias ab eo retulerit ſcuto Fidei tecta, conſtantiæ, & humilitatis.

Auctor vitæ ipſius refert ſingulis diebus hanc media nocte ſurgere ſolitam, apertáque feneſtrâ verſus Eccleſiam S. Pauli (nunc S. Stephani ad Moniales dicitur) nocturnalibus hymnis auſcultandis mentem applicuiſſe; tum reliquum noctis orationibus, & meditationi: addit cinctam fuiſſe duplici funè nodoſo & equino crine contexto, quò carnem ſpiritui ſubjiceret, eámque cilicio perdomâſſe. Præter hæc jejunijs, obedientiæ, ſui ipſius contemptui, aliiſque macerationibus ſic addictam, ut directoribus fuerit admirationi. His cùm per quadragintaquinque annos ſedulò vacâſſet, paullo ante exceſſum à ſæculo, patientiam ejus experiri voluit Deus, dæmonibus indulgens poteſtatem in corpore & ſpiritu eam affligendi, ut pridem erga Ss. Job, Antonium, Catharinam Senenſem, & aliquot Thebaïdis Anachoritas factum legimus.

Dæmones igitur, quò terrorem illi graviùs incuterent, formas nunc hominum feminarum, gigantum, pigmæorum callidè aſſumunt, nunc leonum,

Digitized by Google

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. An. 1396.

leonum, urſorum, draconum ignem ore, oculis ſpirantium, cum ingenti clamore, rugitu & ſibilo; aliquando mutatis artibus, & modis in Angelum lucis ſe formant, vel ſancti viri ſpeciem ſacerdotalibus veſtibus induti, quò lucidiori velamine faciliùs deciperetur: plerúmque velut cataphracti equites ſe viſendos exhibent, eámque nocte aliqua transferunt ad ſilvam Nantolij, ubi dæmonum caterva tubis canentium ſe mox cinctam reperit, alterâ verò ſupra tectum Eccleſiæ S. Pauli, aut altius in aërem extollunt. Sed cùm in periculoſo hoc certamine ad Fidei præſidium, quo erat armata, ſacramentorum quoque directoris conſilio ſubſidium adhiberet, ſubinde hanc Deus Angelorum viſitatione recreabat, miraculoſiſque viſis, cùm Miſſæ ſacrificio intereſſet, quò adversùs dæmonum inſultus cautior redderetur.

Audivit per quinque horas, nocte feſtum Ss. Apoſtolorum antecedente, divinum Angelorum concentum & hymnodiam in Eccleſia S. Pauli, dignata quoque eſt viſione S. Pauli Simplicis in lucido globo apparentis, cùm ei ultimum vale diceret; & vigiliâ Aſſumptionis B. Mariæ, genibus flexa ante feneſtram versùs S. Pauli, binas attentè vidit vias ingenti fulgore ſtratas, quæ à terra in cælum porrigebantur; tum ſumta requie per rimam feneſtræ cælum incredibili lumine reſperſum contemplata eſt, candorem ſtellarum longè ſolito clariorem, cælóque media nocte aperto venerabilem quamdam dominam Angelis comitatam duobus vidit coronam geſtantem in capite tot radiantem fulgoribus, ut præ luce oculorum acies hebeteſcere poſſet: unde Ermina aliquamdiu velut ſenſuum expers jacuit immobilis; at ſortis ejus miſerata mulier, quæ ei apparuerat, jubet ut bono ſit animo, ſe Virginem Deiparam eſſe dicit, &c.

Ermina quoque Dei beneficio, pleriſque viſis ſeu apparitionibus (quæ inter manus Sacerdotum fiebant) eſt conſolata, cùm attentiùs, ut ſolebat, divino intereſſet Sacrificio; videbat namque hoſtiam ſolitò grandiorem ac ſupra nivem candidam, cui puer proximè adſtabat guttis rubeis aſperſus, ſiniſtrâ pectus, dextrâ crucem ſanguineam porrigens: aliquando elegantis formæ puerum ei ſubridentem deprehendebat, agnum aut columbam perfecti candoris, aut etiam nudum hominem flagellatum, plagis perfoſſum ubertim fluentibus, eo præſertim die, quo ſibi immiſſam à dæmone peſſimam cogitationem rudi flagello expulerat: denique ligatum nonnumquam in columna, crucem geſtantem, inter carnifices cruci affixum, patientem, caput inclinantem, exſpirantem, mortuum. Prædictæ viſiones ut plurimum ab elevatione corporis Chriſti inchoatæ perſeverabant uſque ad Communionem, mirabatúrque mulier quomodo res tantas Preſbyteri manibus tractare, ac ore percipere poſſent.

Tandem Ermina per varias, diverſáſque ſibi apparentes viſiones, velut aurum probata, cùm feminam lue peſtilentiali extinctam ſepeliſſet, eâdem & ipſa percuſſa, poſt ſacramentorum debitam perceptionem vivere deſijt 25. menſis Auguſti, die & hora qua Chriſtus exſpiravit in cruce, anno 1396. tumulata in navi Eccleſiæ S. Pauli, ubi nunc chorus eſt Monialium, ſub albo lapide, cui inciſa cernitur ejus effigies cum brevi hoc epitaphio.

L'AN MIL TROIS CENT QUATRE-VINGT SEIZE
IOUR SAINT LOUIS MOURUT ERMINE
MERVEILLES VIT ET FUT CY MISE.

Hæc nitidiori veſte poſt obitum, ut directori promiſerat, cuidam puellæ quatuor, aut quinque annorum apparuit, pro certo ſignificans è morbo, quo laborabat, hanc brevi eſſe morituram, ducendámque à ſe in paradiſum, quod eadem puella matri ingenuè retulit: unde paullo poſt antequam ſpiritum efflaret

Digitized by Google

efflaret Erminam choro Virginum cinctam ſibi apparentem, ac velut digito prælentem parentibus indicabat. Quæ omnia à directore Johanne le Graveur ſcripto mandata ſunt, ſtilo quidem ſimplici, ſed vero, ut ab infimæ conditionis femina narrabantur: Johannes ſiquidem Morellius Sandionyſianus Prior directori conſuluerat ab Ermina petere ante obitum, ut viſâ ſibi oſtenſa denuo recuderet, verbiſque confirmaret, quod fideliter feciſſe prædictâ ſuâ hiſtoricâ narratione teſtatur, quam Morellius Pariſios miſit ad Gerſonnium Academiæ Cancellarium, quatenus eâdem prius diſcuſſâ, & diligenter examinatâ cum Petro d'Ailly Navarræi Collegij Archimagiſtro, demum Epiſcopo Cameracenſi, & ſanctioris Capellæ ſaltùs Vicennarum Theſaurario, edicere velit, an ſæculi mores permittant, ut prælo committeretur. Quid de ea ſenſerit Gerſonnius habes in ſubjecta reſolutione Morellio paullo poſt deſtinata, quam tibi Lector ex libello nuper edito exhibemus.

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1396.

Religioſo & bono viro, ac fraterna caritate in Chriſto dilectiſſimo, domino Iohanni Morellio Canonico regulari S. Dionyſij Remenſis, Iohannes de Gerſonno Cancellarius indignus Eccleſiæ Pariſienſis. Veræ religionis portum attingere.

Pridem, ac pluries nunc litteris, nunc viva voce poſtulâſti, ut librum « unum in multis codicibus de vita, converſatione & obitu cujuſdam ſim- « plicis ac piæ mulieris, dictæ Erminæ, editum viſitarem, præſertim quia « liber ille continet mirabiles & inſolitas viſiones, quas ſibi aſſerit mulier « illa fuiſſe factas & vigilanter oſtenſas; nominatim à vigilia Omnium- « Sanctorum anni nonageſimi quinti, uſque ad feſtum ſequens Ludovici, « quo die migrârat à ſæculo. Noviſſimè autem magnis obteſtationibus, & « obſecrationibus conjurâſti me ita vehementer ſanè, ut ultra differre non « valuerim, quatenus pro informatione minùs eruditorum, & ad obſtruendum « ora volentium ſubvertere Fidem ſimplicium, & famam bene & piè in Chriſto « viventium lædere, in brevî reſcriberem, quid ſuper contentis in ipſo libello « judicarem ſentiendum. Parui tuo affectui, quem ſecundùm Deum eſſe non « dubito, videlicet librum illum & legi quamdiu, & quantum ſufficere arbitratus « ſum, & abſque temeraria aſſertione, & cum ſummiſſione ad judicium ſanctæ « Sedis apoſtolicæ, & ſedentis in ea ſummi Pontificis, ac omnium meliùs « ſentientium, dico per modum concluſionis triplicis quæ ſequuntur. «

Prima Concluſio.

In prædicto libello nihil continetur, quod debeat reputari contrarium « Fidei Catholicæ aut alicui articulorum credendorum, cujus ratio eſt, « quoniam omnia, & ſingula ibidem poſita ſunt in ſe, vel in ſuis ſimilibus « divinæ potentiæ poſſibilia, lege etiam ſtatuta permanente: quoniam etiam « ſimilia omnino, vel ſaltem talia, de quibus ideo haberi poteſt judicium, « leguntur in hiſtorijs authenticis, de vita ſanctorum Patrum, & impugna- « tione atque illuſione dæmonum multipliciter, & ſimiliter eis facta: uni- « verſalis autem negatio hujuſmodi noviter accidentium non parum de « credulitate antiquis demeret hiſtorijs. «

Secunda Concluſio.

Quamvis non ſit neceſſarium ad ſalutem credere omnia, & ſingula de « facto contigiſſe, & taliter, qualiter in prædicto libello narrantur, puto « nihilominus temerarium eſſe, & incivile talibus omnino pertinaciter « diſſentire, aut animoſitate obſtinata eadem impugnare. Ratio primi eſt, « quoniam plurima talium jacent in facto, quod impertinens eſt ad Fidem; « multa inſuper ibidem ponuntur pro miraculis, quæ naturaliter ſalvari « poſſent, licèt etiam ſimilia miraculoſè contigerint, non omnia tamen ut « ponuntur, poſſunt à miraculo defendi. Ratio ſecundi eſt, quoniam na- « turalis æquitas hoc habet, ut quilibet velit ſibi credi in aſſertionibus ſuis, «

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1396.

„ præcipuè juramento vallatis, aut saltem non impugnari pertinaciter de „ falsitate seu perjurio; periret ita omnis politica conversatio, si fides uni„ cuique negaretur: est verò principium juris naturalis divina lege firma„ tum; *Quod ab alio nolueris fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* „ Nemo præterea civiliter vivens debet pertinaciter negare fidem dictis alte„ rius, ubi non apparet falsitas, vel læsio clarior veritatis. Cùm igitur con*Tob. 4. v. 16.* „ tenta libello, de quo loquimur, sub tam gravi, & multiplici attestatione, „ etiam in mortis articulo posita sint, & veritas præcipuè Fidei nulla inde „ violatur, imo potiùs corroboratur, & honoratur, nec ex illorum pia cre„ dulitate quidquam emergit in moribus periculum, patet quod dictum est; *Esa. 59 a. 1.* „ addito *quòd non est abbreviata manus Domini*, quin similia, & majora „ quàm olim, nostris temporibus possit operari. Nec præterea sequi opor„ tet, si multa talium possint absque miraculo salvari, quod negentur ex hoc „ esse miracula: nam sicut eadem mors diversis causis, ita idem effectus „ diversis modis potest evenire, & ubi dubium incidit de miraculo, videtur „ divina potentia magis honorari, & Christiana religio piè attribuere ad „ miraculum id quod evenit, quàm obstinatè à miraculo defendere; suppo„ sito semper quòd doctrina veritatis permaneat infracta; nam cum publi„ catione hæresum mihi esset mortui etiam suscitatio suspecta prorsus, & *Eccli. 19. a. 4.* „ exsecratione plena; in hoc enim verum est illud Sapientis. *Qui citò credit* „ *levis est corde*, & profecto non vacat hoc unicum ab admiratione, „ ne dicam miraculo, si mulier idiota, & rusticana tot & talia sciviſſet con„ fingere, qualia ibidem recitantur.

Tertia Conclusio.

„ Tam ob pravam eruditionem multorum in sacris Scripturis & historijs, „ quàm propter obstinatam quorumdam incredulitatem, & duram cervi„ cem, non expedit passim, & generaliter hunc libellum modò publicare; „ sed illis dumtaxat, quos verisimile erit exhinc salubriter ædificari. Ratio *Matth. 7. a 6.* „ primi est; ne detur sanctum canibus, & margaritæ projiciantur ante por„ cos, apud quos omnis cogitatio de potibus est & crapula, quibus omnis „ sermo de religione, de Deo, de Angelis, de dæmonibus, pro fabula est, „ & tamquam aliquid indignum suo assensu, & superbo vel crasso ingenio „ contemnitur & calcatur. Ratio secundi est; quoniam apud bene compo„ sitos, & sollicitos de salute sua potest colligi per hoc multiplex profectus „ ex pia credulitate eorum, quæ ibidem enarrantur. Primò quoniam mu„ lier ista est in speculum pœnitentiæ, austeritatis & luctus: est autem evan„ gelica veritas quòd pœnitentibus appropinquat regnum cælorum. Præter „ ea hæc femina, paupercula, anus, & absque litteris, & opibus, data mihi „ videtur in argumentum non mediocre veritatis illius apostolicæ. Quod *1. Cor. 1. d. 27.* „ *infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia*, & numquid dæmones *Iob. 40. 1. 31.* „ fortes sunt? de quorum principe dicit Scriptura, quòd *non est potestas* „ *super terram, quæ huic valeat comparari*; sed quæ confusio major fortis„ bus illis potuit fieri, vel quæ illusio insignior dari draconi, qui factus est „ ad illudendum ei, quam ut à mulierecula, & tali mulierecula, tam crebrò, „ & turpiter vinceretur? planè mihi videor vidisse eos insanisse, & fren„ duisse dentibus, atque tabuisse, cùm periret desiderium peccatorum.

„ Qua in re nihil mirandum est, si viris fortibus similia non contingunt, *1. Cor. 4. 6. 11.* „ *divisiones enim gratiarum sunt, quas operatur unus atque idem Spiritus,* „ *dividens singulis prout vult*: nam pusillum & magnum fecit ipse; sed & „ multis qui nondum vicerunt hostes minores (mundum loquor, carnem „ & sanguinem) parcit Deus, ut non permittat eos tanta spiritualium ten„ tationum mole premi, & impugnari supra id quod possunt. Istam vero „ pauperculam spiritu, divitem in Fide elegit Deus, ut non glorietur omnis „ caro in conspectu ejus.

Cæterùm

Ceterùm ex geſtis hujuſmodi perpendere licet quanta ſit verſuta malignitas dæmonum, quàm improba, & dira nocendi cupido, quantus furor & aſtutia ad ſeducendos homines, nunc minis, nunc terroribus, nunc blanditijs, nunc mille fallacium miraculorum artibus: contra quæ omnia requiritur & ſufficit triplex virtutis auxilium, quod in hac muliere legitur abundâſſe: primum eſt humilitas profunda & vera, qua ſe indignam omnium bonorum, & meritam omne malum judicat, non quidem ore ſolo, ut multi, ſed corde toto, intrinſecus, & hoc ex conſideratione vehementiſſima & aſſidua propriæ fragilitatis, & defectûs, reſpectu divinæ potentiæ atque bonitatis; talis humilitas eſt, quæ evadit laqueos ubilibet protenſos, ſecundùm oraculum factum divinitus Antonio. "GUIDO DE ROYA, LXIX. ARCHIEP. *An.* 1356.

Secundum eſt fides firma, viva & certa de Deo, quòd abſque ejus nutu, providentia, & voluntate, nulla poteſt adverſa poteſtas nocere homini; ita ut audacter provocet inimicorum rabiem ad ſui nocumentum, ex Fide certa quòd nihil ageret, niſi quantùm & qualiter licentiaverit Altiſſimus: hoc modo impletur illud Petri de leone infernali: *cui reſiſtite fortes in Fide.* *1. Pet. 5. c. 8.*

Tertium eſt prudens ſimplicitas, & indocta (ut ita dixerim) ſapientia, quæ non innititur prudentiæ propriæ; ſed omnia agit cum conſilio, & hæc eſt columbina, & ſerpentina diſcretio, rectrix & auriga virtutum, ſine qua virtus omnis prolabitur in vitium: nam confeſtim ut aliquis ſapiens eſt in oculis ſuis, & ſpernit conſilium, de illo actum eſt, & exponitur omni dæmonum ludibrio; imo & ſecundùm cujuſdam ſancti Patris ſententiam ſibimetipſi jam dæmon effectus eſt. Patet ad extremum ex libello præfato, quanta acerbitas ſuppliciorum in inferno erit, & quanta in cælo ſuavitas gaudiorum.

Nec ſum neſcius, Frater in Chriſto dilectiſſime, quin multò plura utiliter de mirabili hujus devotæ, ac piæ mulieris vita dici poſſint; ſed iſta ad ſatisfactionem tuæ petitionis æſtimavi ſufficere; tempus aderit forſan quando plus dabitur otij, ut latiùs in his ſcribam, reſpondeámque objectionibus, quæ fieri poſſunt, ſicut & in omnibus ferè etiam veriſſimis fieri poſſe non dubium eſt. Subſcripſerunt huic litteræ manibus proprijs in teſtimonium paris mecum ſententiæ, & conſenſûs illi quos tales agnoſcis, qui non faciliter poſſint decipi, & qui prorſus nolint decipere vel mentiri. Bene vale mei memor in omnibus orationibus tuis.

Gerſonnij ſolida, ac minimè ambigua reſponſio Morellium retinuit, ne Erminæ hiſtoriam publici juris faceret, quæ hactenus Remis latuit, & apud Sanvictorianos; at cùm Flotildæ & Caroli Craſſi Imperatoris viſa, à Flodoardo omiſſa, probati quidam Auctores poſtmodum ediderint; ſic permiſſum nuper, ut Erminæ mira, conflictus, & victoriæ (hunc enim titulum liber præ ſe fert) prælo committerentur, cùm nihil nunc ſubſit periculi, hoc præſertim ſæculo, quo viri litterati inſipientium gregem longè ſuperant, qui quæcumque ignoraverint blaſphemant, ex Judæ Apoſtoli Canonica.

Imperator & Rex Carolus pro ſopiendo ſchiſmate Remos conveniunt. Guido de Roya Pariſijs Collegium Remenſe inſtituit, Clericos generosè tuetur. Ac Sodalitium B. Mariæ apud Nicaſianos approbat.

CAPUT XXVII.

HUNGARICA expeditio, pro qua Benedictus Eccleſiarum decimas Regi permiſerat, hoc anno peſſimè ceſſit Ducum temeritate, nec ſatis providè abſque Hungaris commiſſo prælio; à Chriſtianorum ſtrage ſervati Johannes Dux Nivernenſis Philippi Audacis filius,

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1397.

Philippus Atrebas, Guido Trimolius, Enguerannus Cociacus Sueſſionenſis, & alij Galliæ Proceres, pro quibus ducenta ducatorum millia promiſſa, ne cum alijs necarentur. Tantæ cladis nuntio in Galliam perlato, undique perquiruntur munera; quæcumque Turcæ grata fore putabantur, tapetes Atrebatici, in quibus integra Alexandri Magni hiſtoria, ſerica Remenſia, lirici panni, Hollandici, & Cameracenſes valde tenues & pretioſi, rubri præterea panni quiſquiliati.

Carolus Rex ſeriò cogitans an propter ſchiſmatis culpam à Deo percuſſus eſſet, de eo tollendo ſalubre conſilium habuit cum utriuſque ordinis Magnatibus; at Guido Remenſis Pontifex, & Archiepiſcopus Rotomagenſis, & Senonenſis, omnéſque horum Suffraganei obnitebantur quàm maxime, quòd dulcis eis eſſet præda, quam ex ſacerdotijs majorum Eccleſiarum accumulabant. Miſſa tamen à Rege Legatio in Germaniam, & accitus Venceſlaus Imperator Remos ad conventum. Fingebat Rex nihil actum iri præterquam de matrimonio filiæ Ducis Aurelianenſis cum Marchione Brandeburgenſi, ut defugeret moleſtas Epiſcoporum interpellationes, illuſionéſque, qui omnibus ſe modis objecerunt, ne fieret unio in Eccleſia, ſuúmque quæſtum perderent. Adfuêre cum Rege in urbe Remorum frater ejus Ludovicus Aurelianenſis, Johannes Biturix ejuſdem patruus, Ludovicus Borbonius avunculus, Carolus Rex Navarræ, multáque alia nobilitas. Cum his Rex obviam proceſſit adventanti Cæſari, eúmque deduxit uſque in templum Deiparæ Virginis, & Cœnobium divi Remigij, omnéſque impenſas luit. Singulis diebus decem vaſa haringarum, & octingentos carpiones, præter alios piſces illis dedit, erant enim dies jejuniorum Quadrageſimæ. Dedit Cæſari convivium; una in menſa ſedebant Patriarcha Hieroſolymitanus primus, inde Cæſar, tertius Rex Carolus, quartus Rex Navarræ: ad alteram ſedebant Nobiles Germaniæ, ſed nulli Galli, nam menſis, in honorem Cæſaris, miniſtrabant; aderant & Regis Angliæ, pluriúmque aliarum gentium Legati. Carolus Rex in ædibus Archiepiſcopi hoſpitium habuit, omnéque aurum, & argentum cum tapetibus, aliiſque domûs ſuæ rebus dono dedit Cæſari, quæ ad ducenta florenorum millia æſtimabantur.

Ex Froſſardo & Meyero qui dicit cùm Comite Blancobergenſi.

De unione Eccleſiæ inter Principes varia conſilia, ſed nullo ferè fructu, quòd Cæſar nec bello eſſet, nec pace optimus: decretum tamen hîc, ut ambo Pontifices, Bonifacius & Benedictus, Papatu ſe abdicarent, ac tertius aliquis eligeretur, qui verus ac certus haberetur Epiſcopus urbis Romæ.

An. 1398. Anno igitur ſequenti Romam Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis mittitur, ut juxta placita Conventûs Remenſis, ambo Papæ ſe Pontificatu abdicent. Reſponſum eſt Romanos Pontifices ab omni ſchiſmatis carere culpa, eam ignominiam non eſſe miſcendam, quæ Gallorum præcipuè eſſet, Pſeudopontifici impenſiùs faventium; igitur ſi religioni rectius conſulant, Benedictum & ſibi conſentientes Cardinales ex Gallijs expellant, ſic omne ſublatum erit ſchiſma. Hoc accepto nuntio coit rurſum Concilium Gallicanæ Eccleſiæ apud Lutetiam, cui Epiſcopos Remenſem, Rotomagenſem, Senonenſem, Pariſienſem, & Bellovacenſem (quòd ob accepta Beneficia nimis mordicus ſchiſmati adhærerent) Rex intereſſe non eſt paſſus: poſt longam altercationem, decretum ut Benedictus, dictus Petrus de Luna, Pontificatu ſe abdicet; eo recuſante, ſeceſſio ab illo facta, deſertúſque eſt à ſuis Cardinalibus, & obſeſſus Avenione à regio exercitu duce Buſſicaudo; at ipſe detentus in ſuo palatio furtim evaſit.

Larvâ Pontificatûs expulſâ, Guido Remos redijt, ex charta Johannis de Logne Militis domini d'Autreche, qua Deo, Sanctis, ac Guidoni Archiepiſcopo pecuniam ſibi mutuò datam ſe redditurum ſpondet, referam

hîc

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. An. 1398.

hîc verba ut ſunt in autographo. *Ie jure, & voue à Dieu, aux Saints, & à tres reverend Pere en Dieu Monſeigneur Guy de Roye, par la grace de Dieu Archevéque de Reims, & par la foy de mon corps, pour ce corporelement baillée, & ſur tout l'eſtat & honneur de mon corps, de rendre audit Seigneur la ſomme de cinquante couronnez à l'eſcu ayant cours à preſent, pour dix-huit ſols Pariſis la piece en or qu'il m'a preſté. Fait à Reims 1398. ſelon l'uſage de Reims le 29. jour de Mars.*

Ex parte magiſtri Fratrum ac Sororum Hoſpitalis S. Lazari extra portam Vidulæ, dies dictus Archiepiſcopo, vocatiſque ad Curiam, quòd centum ſextarios frumenti prædictis ſolvere recuſaret, quos ſingulis annis percipiendos aſſignaverat Guillelmus Cardinalis in molendinis inter duos pontes ſitis, pro juribus, & emolumentis ad eos pertinentibus, cùm nundinæ Paſchales fierent juxta prædictum Hoſpitale ſancti Lazari. Guido reſpondit dominium archiepiſcopale à prædeceſſoribus alienari non potuiſſe, obſtringi, ſeu etiam diſtrahi pij operis prætextu, inſcijs Pontifice, Rege, & Capitulo Remenſi, aut ijs ſaltem non conſentientibus: jam à quadraginta annis Hoſpitali nihil aliud ſolutum, præter octo libras cum ſemi, & licentiâ molendi gratuitò in molendinis; unde concludebat his Fratres contentos eſſe debere. Curia auditis partibus abſolvit Archiepiſcopum à tali cenſu, ſollemni decreto 7. menſis Junij 1399. *An. 1399.*

Diſcordia quoque emerſit inter prædictum Archiepiſcopum, & Capitulum Rem pro collatione Præbendarum, quam ille à ſe ſolo; Capitulum verò conjunctim fieri, aut eo aſſentiente, contendebat; unde cùm pendente lite quidam Regis Secretarius Canonicatu donatus fuiſſet, decreto Senatûs Pariſienſis poſſeſſionem inijt, abſque præjudicio partium, quibuſdam formulis in inſtrumento additis, quibus cavetur, ne Archiepiſcopus utatur verbo *Mandamus*, ſed modi optativi. Renovata iterum eadem lis à Capitulo; at cauſâ cecidiſſe veriſimile eſt, cùm Archiepiſcopus ſolus nunc pacificè Præbendas, ſeu Canonicatus conferat.

Guido his, aliiſque majoris momenti curis ſolutus, benedictionis munus impertijt Johannæ de Craon Abbatiſſæ de Origniaco diœceſis Laudunenſis, quam & in ſua dignitate confirmavit jure metropolico. Tum de exſtruendo Pariſijs Collegio Remenſi cogitavit, quò ſtudioſis viam ſterneret ad Doctoris vel Baccalaureatûs lauream facilius obtinendam; quidam volunt id inchoactum anno 1399. Annales Pariſienſes 1412. at cum tunc Guido ampliùs non eſſet in vivis, opinor jacta fundamenta, capellæ præſertim, cui inſculpta ſunt inſignia Guidonis anno 1399. teſtamento verò condito antequam Piſas pergeret, pecuniæ ſummam pro emendis reditibus legâſſe, quod ex charta Caroli VII. haud obſcurè infra colligemus. Auctor Annalium Pariſienſium de eo ſic loquitur: Collegium Remenſe exſtructum eſt, ubi antiquitus fuit domus Ducis Burgundiæ, inter vicos Burgundiæ, de Chartiere, Septem-viarum, & clauſtri Brunelli, inferior verò curia intra ambitum Collegij de Coquerel. Prædictam domum Philippus Nivernenſis ac Regiteſtenſis, ad quem jure hereditario devoluta eſt, vendidit Guidoni de Roya, aut certè exſecutoribus ſui teſtamenti, qui in ea Collegium exſtruxêre, Remenſe nuncupatum, in quo burſæ quædam fundatæ pro alendis ſcholaſticis tam urbis, quàm diœceſis Remenſis. At Lutetiâ captâ, & deprædatâ ab Anglis anno 1418. Collegium deſertum manſit uſque ad annum 1443. quo Carolus VII. rogatu Confeſſoris, ei Regiteſtenſe contiguum Collegium incorporavit, Galteri de Launoy liberalitate fundatum, cum quatuor burſis pro totidem ſcholaſticis Porcenſis Comitatûs. Sic Guidonis fundatio paucos annos ſtetit, putántque nonnulli aliud nihil reſtare præter ambitum Collegij, & aliquot ædificia, quæ ipſius munificentiæ meritò debentur,

Vide Bral. Antiq. Pariſ. pag. 732.

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1399.

debentur, eámque prædicant. Dedit præterea idem liberalis Archiepiſcopus Eccleſiæ Remenſi divitem bibliothecam, cujus MSS. codices (reſtant enim adhuc aliquot) ſuis inſignibus ſuper cooperturam ornati teſtantur virum eruditum fuiſſe, ac litteratum; præſertim, ſi verum ſit, librum, cui titulus eſt, *Doctrinale ſapientiæ*, edidiſſe, quod Antonius du Verdier certò videtur aſſerere. Pro his codicibus, & alijs à Cardinale S. Marci relictis, erecta anno ſequenti bibliotheca è regione Clauſtri, expenſis Capituli.

Refert Claudius de la Fons Guidonem Capitulo Sanctiquintinienſi (cujus Decanus fuerat) bona quædam, quæ ſibi obvenerant apud Claſtram ex ſucceſſione Drogonis de Roya, ac Johannis de Roya, dicti le Baudrin, patruorum ſuorum, liberaliter contuliſſe, in cujus rei memoriam capitulari concluſione decretum eſt, ut pro eo adhuc vivente preces fierent, & poſt obitum, moneretur is qui majorem Miſſam celebrat per chorialem puerum, ut Guidonis Archiepiſcopi recordetur. Donationis tabula ſcripta legitur in caſtello portæ Martis 29. menſis Novemb. anno 1404.

An. 1400. 1401. 1402. 1403.

Per eos dies Dux Aurelianenſis (morbo Caroli recurrente) ad Regni præfecturam evectus, novum & inſolitum tributum Clericis, juxta ac plebi impoſuit, qui & ſubſidia promiſcuè cum alijs, exactionéſque pendere ſolebant; huic Remenſis Archiepiſcopus intrepidè, ac ſibi adhærentes interceſſerunt, excommunicationem in eos Senonenſi Archiepiſcopo exerturum nequicquam minitante. Et paullo poſt Burgundiæ Dux in locum Aurelianenſis ſuffectus, idem aggredi cupiens, Guido de Roya Præſul inſignis & egregiæ ſtaturæ (Urſini verbis utor) eum pariter ab incœpto validiſſimis rationibus retraxit, felix ac laureâ dignus Antiſtes, ſi à ſchiſmate, ſaltem poſt Clementis VII. obitum, conſultiùs abſtinuiſſet; tunc enim pæne extinctum erat ſchiſma, Benedicto Avenione capto, & velut in carcere à civibus ope Francorum cuſtodito.

Burgun. Dux Philippus & Comes Fland. morbo virili eripiuntur ac paullo poſt Margar. Flandrica Burgundi uxor.

At hic liber effectus, ſibi faventium Aragonenſium calliditate obtinuit à Carolo & Epiſcopis Gallicanis per Legatos, ut iterum pro vero Pontifice haberetur, fide data viam ceſſionis ſe libenter ac certò amplexurum, ſi pariter Bonifacius idem promitteret, aut interim moreretur. At eo collationes Beneficiorum factas tempore ſubſtractionis probare detrectante (gratias ſiquidem exſpectativas quadraginta octo, pro totidem Præbendis Remenſis Eccleſiæ, viris alioquin litteratis, tunc conceſſas reperio) Gerſonnius primò ad eum Orator mittitur, tum Dux Aurelianenſis inſigni ſtipatus cohorte, cúmque à ſententia moveri non potuiſſet, Beneficiarijs à Rege patrocinium impertitum eſt juxta Cleri Gallicani conſtitutiones.

An. 1404.

Ludovico Aurelianenſium Duce rerum ſummam obtinente, poſt Philippi Burgundi exceſſum, Proceres Pariſios vocantur pro novo ſubſidio rei pecuniariæ imponendo, cui Remenſis Archiepiſcopus ut antea generoſè interceſſit. Altero denique Præſulum, Doctorúmque Conventu ibidem habito, cùm decretum fuiſſet, ne deinceps in Gallias decimæ, procurationes, annatæ, reſervationes, gratiæ exſpectativæ, & ſimiles à Pontificibus inventæ exactiones permitterentur, quibuſdam Benedicti partes foventibus, alijs acriter oppugnantibus, unus ex illis, Guillelmus Fillaſtre nomine, Remenſis Eccleſiæ Decanus quiddam inter concionandum caſu protulit, quod auctoritati Eccleſiæ Gallicanæ adverſari videretur, de quo mox correptus ab alijs, ſupplex veniam petijt.

Guido his Comitijs noluit intereſſe, quòd Benedicto addictiſſimus eſſet, Conciliúmque appellavit, ex Monſtreleto; unde Meyerus ſuo more Gallis infeſtus, in ſuum Metropolitanum non ſatis conſultè, ut opinor, hæc verba deprompſit: *Guido de Roya Papa Remenſis, magnus Simoniſta, &*

Monſtrel. lib. 1. cap. 46.

Meyer ad an. 1408.

Digitized by Google

& Schiſmaticus ad Pariſinum Conventum venire recuſat, ac de ſententia in Lunam lata appellat proximum Concilium. Prædictus Archiepiſcopus tunc Remis exſiſtens Franciſcanorum Eccleſiam flammis exuſtam anno 1409. ac civium impenſis nuper reſtructam ſollemni ritu conſecrat, ut alibi diximus.

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An* 1407.

Clareſcentibus aliquot miraculis in ægrotos ope Virginis Dei-paræ, cujus imago religioſè admodum Remis colitur apud S. Nicaſium, quibuſdam cultui ejus arctius mancipatis ſubijt in mentem quoddam adunare ſodalitium, in Capella dicti Monaſterij peculiariter ipſi dicata, ac populorum concurſu pridem celebri, eo præſertim tempore, quo peregrinari liberum non eſt ad Lætienſem.

Sodalitium B. Mariæ de Lætitia apud S. Nicaſium an. 1407.

Primi, quibus is pietatis radius illuxit, Johannes Scoti & Stephanus de Laumois vocabantur, horum dubio procul nomina recordatione digna mihi viſa ſunt, quòd augendæ gloriæ Dei, ac Virginis multum contulerint, vigeátque adhuc pietatis opus in ſalutem plurimorum. Hi igitur à ſocijs deputati Archiepiſcopum conveniunt, humiliter expoſituri conſilium inijſſe de congregando Sodalitio ſub invocatione Matris Dei; & ut mens eorum ipſi notior eſſet, quædam proferunt Statuta, quorum primo velut totius rei ſtabilimento, ſancitur ſingulis annis generalem Confratriæ celebritatem faciendam, die Dominica immediatè ſequenti Nativitatem Virginis, apud S. Nicaſium in Capella vulgo de Couciaco dicta, nunc beatæ Mariæ de Lætitia. Inchoatur enim prædicta celebritas à Veſperis Sabbati præcedentis, fiúntque die Dominica ſequenti Miſſa ſollemnis, concio, Veſperæ item, & alia pietatis exercitia, enixè ſupplicantes, ut quod mente conceperant, ſuo decreto approbare velit, celebri diplomate, quo Sodalitij Statuta diſtinctè deſcribantur poſteritati commendanda.

Guido lætus hoc nuntio locum Sodalitij eò libentiùs approbat, quòd à ſancto Martyre Nicaſio primùm Remenſis Eccleſia Virgini, totius diœceſis tutelari, dicata ſit, prædictáque Capella miraculo celebris apud Remenſes haberetur. Et ut juſtæ horum petitioni faceret ſatis, bullam expediri juſſit, cujus initium tale eſt *Faſciculus impiorum, &c.* Qua multa præfatus de laude & excellentia Virginis, cultûs ejuſdem & obſequij, quæ ei exhibentur, ac multiplici ſubſidio ſæpius & abundè ijs præſtito, qui ſub ipſius vexillis religioſè militant, aperit ipſe Eccleſiæ theſaurum, quantùm poteſt, conceditque ſingulis ſodalibus, qui culparum nexus fideli luſtratione exſolviſſent, intereſſentque Veſperis ac Miſſæ ſollemni, die feſto, quadraginta dies Indulgentiarum: ijs verò, qui Miſſis privatis die Lunæ cujuſque hebdomadis, viginti dies in perpetuum.

Hujus militiæ vexillum vix emicuerat, cùm plures tam Religioſi, quàm ſæculares nomen ei dederunt, tantùmque incendendis ad ipſius complexum, cultúmque animis valuit, ut poſteri nihil reliqui fecerint, quò in dies eam magis ac magis promoverent; unde plures ex Remenſibus Archiepiſcopis inſitum in Virginem affectum vehementiùs acuere cupientes, nonnulli Guidonis exemplo Indulgentias conceſſerunt, inter quos numerantur Simon de Cramaudo anno 1412. Johannes Juvenalis de Urſinis anno 1470. Guillelmus Briçonnet ſanctæ Potentianæ Cardinalis, Henricus Clauſſe Epiſcopus Cathalaunenſis: noviſſimè vero Urbanus VIII. ſummus Pontifex ampliori diplomate eadem confirmans, plenariam Indulgentiam in perpetuum conceſſit Sodalibus eo die, quo ſub Virginis tutela Confratriæ dant nomen, & in articulo mortis; item & die feſto Nativitatis B. Mariæ, ac prædictæ celebritatis Capellam viſitantibus alias Indulgentias, quod cùm ijſdem planè verbis concipiatur, ac alia diplomata vulgo obtineri ſolita, ab eo prolixiùs exponendo ſuperſedendum duxi.

Provincialis

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1407.

Provincialis Synodus Remenſis ſub Guidone de Roya.

CAPUT XXVIII.

GALLIA Principum diſſidijs ac pertinaci ſchiſmate in miſeriarum barathrum fœdè demerſâ, Guido provincialem Synodum Remis convocandam decernit, quò depravatos mores, ac collapſam perditis his temporibus eccleſiaſticam diſciplinam priſtinæ integritati reſtitueret, teſtiretúrque ſe pro unione Eccleſiæ bonam navare operam. Dies concilij indictus legitur 21. Junij anno 1407. ex epiſtola convocatoria, quam Victori Sueſſionenſi Epiſcopo ſcripſit, cujus initium eſt: *Seneſcente mundo, jam proh dolor! Antichriſti præludia ſe demonſtrant.* Ubi ſat eleganti præludio temporis acerbitatem, legum divinarum contemptum, ac eorum malignitatem perſequitur, qui cùm exteriùs boni viri haberi velint, intus tamen ambitionem, faſtum, ac vanitatem ſpirant, virtutémque verbotenus profitentur, quò fit ut Deus apud Chriſtianos vilis exſiſtat, Eccleſia prædæ expoſita, Sacerdotes exoſi, ſtatus verò politicus tot miſerijs Principum avaritiâ concuſſus, & infauſto ſchiſmate omnium malorum fonte, ut ſimilem prior ætas nuſquam viderit, aut viſura ſit poſterior. Inter hæc tamen nonnihil ſpei mundo inclareſcere dicit, eo quod Benedictus XIII. promittat ſe abdicaturum Pontificatum pro bono pacis, cùm primùm nactus fuerit hominem ſecundùm cor Dei, ac Reipublicæ reparandæ capacem & idoneum, cui rei Gregorius Bonifacij ſucceſſor acquieſcere videtur, jámque brevì futurum, ut verus ac legitimus tandem Paſtor ovili dominico præficiatur, quo hactenus Eccleſiaſticorum ambitione, ſacrorum Canonum neglectu, ac vitiorum enormitate, quæ in immenſum creſcunt, orbis Chriſtianus privatus eſt.

Et ut huic diu optato operi feliciùs adlaboret, abigátque à ſua provincia omnis pravitatis nebulas, addit conſtituiſſe Conventus provinciales, à quinquaginta vel ſexaginta annis neglectos, Remis revocare die octava Aſſumptionis B. Virginis, quò malis præſentibus idonea remedia perquirantur, capiatúrque in communi ſalubre conſilium pro Regni tranquillitate, unione omnium Eccleſiarum, plebis ſalute, vitiorum exſtirpatione, exceſſuum correctione, morum reformatione (præſertim in Clero) ac libertatis eccleſiaſticæ procuratione. Unde prædictum Sueſſionenſem Epiſcopum impenſius rogat, ut ad id ſuam curam conferre velit, præſentéſque litteras ad alios provinciæ Suffraganeos mittere, & Eccleſiarum cathedralium Capitula, ut virtute præſentium moneant Abbates, Priores, Decanos, Præpoſitos, ac collegiatas Eccleſias ſuæ ipſius diœceſeos, qui de jure, vel conſuetudine Synodis provincialibus volent vel tenentur adeſſe.

Sueſſionenſis Epiſcopus receptâ hac epiſtolâ Metropolitano ſuo reverenter reſpondet, laudátque prædictæ Synodi convocationem, cui ſe libenter adfuturum aſſerit, ſi adverſâ ipſius valetudo pateretur; at ea impediente, petit ſe excuſatum haberi, miſſurum tamen ſuos procuratores, cum poteſtate diſcutiendi, ac concludendi ea, quæ propoſita fuerint, ac ſi præſens adeſſet.

Cur conſilium hac die celebratum non fuerit, an quod inconſulto Capitulo Remenſi coactum, vel in Eccleſia cathedrali (quæ exempta eſt) ſola Archiepiſcopi auctoritate convocatum, non ſatis liquet. Certiſſimum tamen eſt in octavam Omnium-Sanctorum remiſſum, ex alia convocatoria epiſtola ad Victorem Sueſſionenſem pariter ſcripta, quæ ſic incipit:

Guido

Guido de Roya &c. Cùm nuper pro proſpero ſtatu, & reformatione neceſſaria Eccleſiarum, correctionéque morum in Clero, & populo diœceſis & provinciæ noſtræ collapſis &c. Ubi Victorem laudat de egregiè impenſa opera in Epiſcopis ſuffraganeis convocandis, juxta mandatum ipſi tranſmiſſum: at cùm reſpondendo ſignificet Epiſcopos vehementer percupere, ut Concilium in aliud tempus remittatur, horum ſupplicationi ſe libenter annuere dicit, quamvis ad id omnino non teneatur, cùm metropolitanæ auctoritatis ſit, ſynodos provinciales convocare quandocumque voluerit; quare precatur iterum ut prorogationem eis diligenter inſinuet. Epiſtola data eſt in caſtello portæ Martis 23. Julij anno 1407. GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1407.

Cum duo tantùm Epiſcopi die condicto ſe præſentes exhibuiſſent, Carolus Cathalaunenſis, & Johannes Ambianenſis, ceteris varias excuſationes per deputatos mittentibus, inchoata quidem eſt Synodus, ac quædam in ea ſtatuta; ob majoris nihilominus partis abſentiam, cogitur Archiepiſcopus Synodum adhuc remittere ad 28. Aprilis anni ſequentis, juxta monitionem valvis palatij archiepiſcopalis affixam 26. ejuſdem menſis, cujus hic tenor eſt.

Hoc anno ſecundo ac vigeſimo die Novemb. Burgundus Aurelianenſem Ducē vita exuit.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Guido de Roya Remenſis Eccleſiæ Miniſter ſalutem in Domino. Noveritis quòd nos in noſtro provinciali Concilio, quod apud Remis civitatem Metropolim anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo die Martis in octavis feſti Omnium Sanctorum celebravimus, competenter & debitè evocatis ad hoc venerabilibus Fratribus Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, & alijs, qui de jure, vel conſuetudine ad hujuſmodi Concilia provincialia evocari & interesſe debuerunt, & hactenus ſoliti ſunt, aſſiſtentibus venerabilibus Fratribus noſtris Carolo Cathalaunenſi, & Johanne Ambianenſi, Epiſcopis, aliquibus dictorum Suffraganeorum pro gravi infirmitate legitimam excuſationem prætendentibus, & pro parte quorumdam ex eiſdem propter notoriam abſentiam remotam à longo tempore, & ad partes longinquas, etiam extra Regnum, excuſatione prætenſa ſimili. Alijs verò quibuſdam ex ipſis Suffraganeis pro ſuæ libitu voluntatis non venientibus, nec mittentibus, Eccleſia Atrebatenſi vacante; ac multis Abbatibus, Prioribus conventualibus hujus noſtræ provinciæ Chriſto amabilis perſonaliter, quibuſdam Capitulis cathedralium & collegiatarum, Abbatibus, Prioribus, & alijs per procuratores comparentibus, quibuſdam alijs, qui ad Concilium provinciale vocari ſoliti ſunt, & comparere tenebantur, abſentibus, quorum præfatorum omnium abſentia, Dei repletâ præſentiâ, cujus invocata & favente miſericordia, cum ipſis Epiſcopis tunc nobis conſidentibus, & alijs in eodem Concilio comparentibus, ultra aliquos concluſos & in ſtatutis redactos in alijs litteris, noſtri, & dictorum Suffraganeorum noſtrorum ſigillis munitis, ac ſigillatis; quibuſdam etiam gravioribus, & magis arduis, quàm hucuſque viſa fuerint, in prædicto Concilio tractanda & terminanda, attentis morte, infirmitate, & abſentia prædictorum, ad diem Sabbati poſt Dominicam, qua cantatur *Quaſi modò*, quæ erit dies 28. menſis Aprilis, dieſque immediatè ſequentes neceſſarios & utiles, ad quos præſens Concilium exſiſtit prorogatum, & continuatum, tractandis, ordinandis, reſervatis deliberatione præhabita diligenti, unanimi, & communi aſſenſu omnium tunc præſentium concluſimus, & ordinavimus &c. *An.* 1408.

Quibus præ alijs ſtatuitur ut debitè convocati prædicta die ſe ſiſtant in auditorio curiæ ſpiritualis, litteráſque ſuas procuratorias coram deputatis examinandas offerant die Sabbati, quò die Lunæ ſequenti inchoetur Synodus apud S. Dionyſium; modò proviſionis decretum obtentum non fuerit à Senatu Pariſienſi, pro ea celebranda in Eccleſia cathedrali.

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. ann. 1408.

Archiepiſcopi, ceterorúmque Epiſcoporum, ac deputatorum cathedræ diſpoſitæ ſunt in Eccleſia, juxta morem à multis ſæculis obſervatum, quo primi à dextris, ſecundi à ſiniſtris, tertij à dextris, & ſic deinceps hoc ordine.

Archiepiſcopus Remenſis.

Epiſcopus Sueſſionenſis.	Epiſcopus Laudunenſis.
Epiſcopus Belvacenſis.	Epiſcopus Cathalaunenſis.
Epiſcopus Noviomenſis.	Epiſcopus Ambianenſis.
Epiſcopus Tornacenſis.	Epiſcopus Tarvannenſis.
Epiſcopus Silvanectenſis.	Epiſcopus Atrebatenſis.

Epiſcopus Cameracenſis.

Epiſcopis cappis holoſericis indutis cum mitra & baculo in ſuis ſedibus collocatis, vocantur Abbates cappis pariter veſtiti cum baculo & mitra hoc modo.

Abbas ſancti Remigij.	Abbas ſancti Nicaſij.
Abbas ſancti Theoderici.	Abbas de Altovillari.

Tum Abbates Ciſtercienſis, & Præmonſtratenſis Ordinum; his datus eſt primus locus à dextris poſt Epiſcopos: tum Decano S. Simphoriani Remenſis: ſecundus verò conventualibus Prioribus diœceſis Remenſis in eodem latere.

Vocati deinde.

Abbas Moſomenſis.	Abbas ſancti Dionyſij.

Sedem acceperunt in ſiniſtra, ut & quidam alij notabiles Eccleſiaſtici prædictæ diœceſis.

Diœceſi Sueſſionenſi duæ ſedes aſſignatæ in dextra pro ſuis deputatis.

Belvacenſi, duæ à dextra.	Laudunenſi, duæ à ſiniſtris.
Cameracenſi, duæ, una à dextra, alia à ſiniſtra.	Cathalaunenſi, duæ à ſiniſtris.
Noviomenſi, duæ à dextris.	Ambianenſi, duæ à ſiniſtris.
Tornacenſi, duæ à dextris.	Tarvannenſi, duæ à ſiniſtris.
Silvanectenſi, duæ à dextris.	Atrebatenſi, una à ſiniſtris.

Domeſticis Archiepiſcopi datus eſt locus prope ipſius cathedram. Notario, in ſecundo ſubſellio ad pedes Archiepiſcopi.

Facto ſilentio, & januâ chori diligenter obſeratâ, inchoatur Synodus oratione, quam ſelectus Diaconus alta voce pronuntiavit, tum unus ex Epiſcopis, jubente Metropolitano recitavit hymnum *Veni ſancte Spiritus*. Gerſonnius deinde Pariſienſis Academiæ Doctor famoſus elegan-

Parte 2. operum.

ter peroravit, probátque ejus oratio, tum alijs ſuis operibus edita, habitam Synodum hoc anno, quamvis acta deſiderentur; fragmenta tamen hinc inde excerpta, quædam indicant capita, de quibus agendum erat in Synodo.

Primum continet formulas, preces, ceremonias obſervari ſolitas in prædictis Conventibus ſynodalibus, exhortationémque per modum præludij, quam Archiepiſcopus habuit ad Suffraganeos, optimè cohærentem cum ijs quæ leguntur in epiſtola, cujus ſupra memini ad Epiſcopum Sueſſionenſem.

Secundum Canones complectitur de ſumma Trinitate, & Fide Catholica Cap. *Firmiter* & Cap. *Damnamus*. Decretalis quoque, ac regulas Juris, quæ ad mores pertinent, legíque ſolent in Synodis. Præter hæc agendum erat de articulis Fidei; de præceptis divinis; de Officio eccleſiaſtico; de chriſmate; de ſacramento Confirmationis; de Confeſſione; de Communione

Communione Paſchali ; de privilegijs Mendicantium, quibus Cap. *Super cathedram* opponi debebat, & ab omnibus obſervari, de Sepulturis, quæ in horum Eccleſijs fiunt ; de habitu & converſatione Clericorum ; de Monachorum & Monialium reformatione, Benedictinorum præſertim, qui nuper Capitulum provinciale Meldis tenuerant : hi enim cogendi erant ad Clementinam perdiſcendam, vitámque conformandam Conſtitutionibus Benedicti XII ; de penſione debita Curatis à Monaſterijs dependentibus ; de Religioſis exemptis, qui quoſlibet indiferenter ad Communionem admittunt, de eorum abuſu circa Matrimonia, quæ contrahi permittunt abſque banni proclamatione ; de pœnarum exſecutione adverſus uſurpatores ; de redditibus Eccleſiarum ; de Officialium, & Judicum eccleſiaſticorum avaritia ; ultimò decernendum erat, quo tandem modo malis è ſchiſmate pullulantibus mederi poſſet, & quis è provincia Remenſi, quæ ex nobilioribus eſt totius Galliæ, mittendus eſſet pro Catholicæ Eccleſiæ unione viriliter ſuadenda.

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1408.

Epiſcopis in Synodo reſidentibus, ſchola Pariſienſis, quæ animi ſui dolorem ſcholarum ceſſatione teſtata fuerat, quòd Guillelmus de Tignovilla mercatorum Præfectus Lutetiæ, nulla habita ratione privilegiorum Univerſitatis, duos ſcholaſticos patibulo nuper affixiſſet ; quò majori adhuc niteretur auctoritate apud Regem, pro ſatisfactione obtinenda, ab Epiſcopis provinciæ Remenſis ſubſidium poſtulat expoſtulatoriâ epiſtolâ, quam hîc ſubnectere non otioſum putavimus.

Reverendis in Chriſto Patribus, Archiepiſcopo & Epiſcopis Concilij provincialis Remenſis.

SI querelæ noſtræ, reverendiſſimi Patres, jacturam aliquam lenirent ferendam, aut expiabile ſcelus explicarent, non eſſet opere noſtro tanta cura vos ad eam rem exhortari ; nunc verò dum effræna potentia impietatem, & inſolita præſumtio oppreſſionem, & contemptum Eccleſiæ, atque libidinem prodendi omnia invexêre, ad ſuccurrendum Eccleſiæ vobis aſſurgendum exiſtimavimus. Credimus ad paternitates veſtras perveniſſe de cujuſdam perſecutionis initio, quam adverſùs Eccleſiam conati ſunt facere inimici Chriſti : in tantum enim rabies iſta deſævijt, ut funeſtas ſuas manus ad duorum juvenum ſcholarium & Clericorum infame ſuſpendium converteret, dúmque plurimi in eo vitio ſunt obſtricti, dum oppugnantur, dum petitur reparatio, errores excogitant damnabiles ; alij auctoritatem Eccleſiæ deprimentes, alij libertatem, alij inducentes ex Imperatoris munere, & Regum permiſſione tanta privilegia, & quidquid eſt dominij temporalis, Eccleſiam ſuſcepiſſe. Defendunt & alia plurima, quæ ex illuvie damnabilis officinæ defluxerunt ; hujus infauſti ſceleris, reverendiſſimi Patres, caput eſt Guillelmus de Tignovilla, dictus Præpoſitus Pariſienſis, qui nec Chriſtum, nec Eccleſiam, nec excommunicationem veritus, in Clericos ſæviens, animæ ſuæ non pepercit. Dux equidem videtur latentis ſectæ, quæ ſi coaluerit, Eccleſiam adeo reddet oppreſſam, ut vix poſtea reſpirare poſſit ; nam hæc peſtis toti paratur Eccleſiæ, & niſi celeriter comprimatur, alia protinus ex alijs oriri mala videbimus, nec erit quieti locus, donec per omnes Eccleſiæ partes fuerit debacchata. Hanc igitur furiam, reverendiſſimi Patres, hanc facem ingentis vaſtitatis oppugnandam ſuſcipite, ne altiùs provecta tandem in vos ipſos redundet, cauſam quam adverſùs dictum Præpoſitum agimus, ex integro ſubeuntes ; nam hæc eſt Chriſti & omnium Eccleſiaſticorum cauſa, in qua omnia jura divina, & humana violata ſunt. Martyres plerique habentur glorioſi, non pro majori Eccleſiæ libertate decertantes, in quo & Thomas Cantuarienſis

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. An. 1408.

„ reverendiſſimum exemplum attulit. Occurrat igitur huic oppreſſioni „ ſanctum Concilium veſtrum, nobiſque conjungatur, & aſſiſtat, quod ad „ Eccleſiæ ſuæ reparationem dirigere dignetur Spiritus-ſanctus. Scriptum „ Pariſijs in congregatione noſtra generali apud S. Maturinum celebrata, „ die 21. menſis Aprilis anno prædicto 1408. Tignovilla tandem refigere coactus eſt à patibulo duos ſuſpenſos à ſe ſcholaſticos, illóſque oſculari, ac reddere ſcholæ ad Maturini, ubi honorificè fuêre ſepulti; tantæ tum erat dignitatis ea ſchola.

Carolus Rex pertæſus Pontificum Gregorij, & Benedicti ludificatione, & quòd obedientia, quæ huic deferebatur, diſcordiam potiùs fovebat, quàm promovebat unionem, Principes Catholicos hortatus eſt, ut Eccleſiæ Gallicanæ exemplo neutrum agnoſcerent, quò generali hac defectione ad concordiam reducerentur. Benedictus tanta rerum mutatione ſtupefactus, monet Carolum per litteras, ut ab incœpto deſiſtat, alioquin minatur ſacrorum participatione ei interdicturum. Litteris prolatis ad Regem, lectiſque coram Senatu & Univerſitate, Benedictus illico ſchiſmaticus pronuntiatur, litteræ laceratæ, & combuſtæ, delatores per Urbem ignominioſè deducti, ac faceſſere juſſi; tum neutralitas promulgata. Cardinales utriuſque Curiæ, cùm ambitionem Pontificum amplius ferre non poſſent, his relictis, aliò migrant, indictúmque Piſis Concilium ad feſtum Annuntiationis.

Guido de Roya Regi ſatisfacere cupiens, qui Synodi generalis convocationem urgebat, quò Schiſma citiùs finiretur iter Italiæ aggreſſus eſt menſe Maio, cum Cardinale Barenſi, Petro de Alliaco Cameracenſi Epiſcopo, Gerſonnio Academiæ Pariſienſis Cancellario, Guillelmo Fillaſtrio Decano Remenſi; at ipſe antequam ad illud perveniſſet, apud Voutram in finibus Ligurum, quarto circiter à Genua lapide, occubuit 8. Junij anno 1409. Juvenalis Urſinus caſum deſcribit in hiſtoria Caroli VI. hoc pacto: Guido de Roya venit in opidum prope Genuam, ubi hoſpitatus eſt; dum hic ageret, inopinatè contigit unum è ſuis fabrum equorum ferrarium rixari cum altero ejuſdem artis operario, mota inter hos diſcordia eo progreſſa eſt, ut famulus Archiepiſcopi alterum interfecerit. Inſurgente plebecula in ſicarium, dum mederi feſtinat Guido è cubiculo progrediens, pectora jaculo confoſſus, quod opidanus emiſerat, ſubitò exſpiravit, lugendo ſanè obitu, quòd & ante penitus extinctum ſchiſma, & extra patriam; unde Meyerus hunc talem fortium exitum ultione Numinis à quibuſdam creditum refert, quòd magnus eſſet ſchiſmaticus. At de eo melius ominari jubet illuſtrium virorum pietas, quos habuit viæ comites, nec mors extra patriam quicquam mali portendit, cùm parum obſit, quo moriare loco, inquit Manuelis Chryſolora, undique enim cælum eſt, pœnarúmque domus, menſura diſtat eâdem.

An. 1409.

Guidonis cadaver Genuæ in divi Laurentij Eccleſia metropolitana ſollemnibus exſequijs ſepelitur, familiæ heres Leonora de Roya Carlotæ ſoror, connubio juncta Ludovico Borbonio I. Principi Condeo. Ejus teſtamenti tabulas & Petri Trouſſelli exſcriptas è veteri originali à domino Vyon acceptas referunt Sammarthani, è quibus hæc quæ ad rem præſertim faciunt hauſimus.

Item Eccleſiæ ſeu Capitulo Remenſi legavit totum ..... & quidquid reperietur in quodam ſcrinio, ſigneto dicti teſtatoris conſignato, & in Monaſterio S. Remigij Remenſis depoſito, per manus exſecutorum ſuorum eis tradendo; ſic tamen quòd ſe obligabunt facere & ſuſtinere onera, & alia per ipſum teſtatorem ordinata, juxta formam, modum, ordinationem in certis ſcripturis in eodem ſcrinio incluſis deſignatam. Item eidem Eccleſiæ ſeu Capitulo, in caſu quo providere voluerint de lapidibus ad faciendum

ciendum circa chorum hiſtoriam pulchram & honeſtam de ſculptura pro B. Virgine, prout eſt de alia hiſtoria circa chorum Eccleſiæ Pariſienſis, pro hujuſmodi ſculptura facienda legavit mille libras Turon. ſemel tantùm ſolvendas. Item pro melioratione, & fortificatione domorum, ſeu caſtrorum menſæ archiepiſcopalis Remenſis, & maximè domûs de Curvilla, legavit tres mille libras ſolvendas per manus exſecutorum. GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1409.

Sunt qui ſcribant Buccicaudum Genuæ Toparcham tanti Præſulis necem vindicâſſe, obtinuiſſéque à Genuenſibus, ut quando voluerit, in Franciam funus ejus transferretur, juxta majores ſuos tumulandum. Guidonis obitus Remis notus fuit 25. Junij, mòxque Capitulum Officialem nominat, Pœnitentiarium, ac ſigillorum Cuſtodem, ſeu regiſtri, quò litteræ traderentur Capituli nomine, Sede vacante, Quod verò ſpectat ad futuri Archiepiſcopi electionem, dies indictus fuit ad 22. menſis Auguſti.

Viri celebres qui Remis floruerunt ſub Richardo & Guidone Archiepiſcopis.

CAPUT XXIX.

ILLUSTRES admodum paucos Richardi & Guidonis Præſulatus nobis ſuppeditant, qui vel ortu ſuo, vel famâ nominis, Remenſem diœceſim celebrârint. Etenim cùm ingenio præſtantiores in famoſis Academijs erudiri, laureámque Doctoris ibidem conſequi geſtirent, quò faciliùs ſibi viam pararent ad Beneficia; hi neglecto poſtmodum patriæ ſolo, apud Avenionem commigrantes, Præbendas obtinebant in pluribus Eccleſijs, à quibus inter alumnos certatim & ambitioſè computabantur; licèt in pleriſque nuſquam viſi: celebres tamen indigenæ aut aliunde acciti non defuerunt, qui hoc ſæculo ſcientiarum donis apud nos effulſerint, de quibus hîc noſtro more breviter eſt agendum.

Guillelmus Fillaſtrius Decanus Remenſis & Cardinalis.

GUillelmus Fillaſtrius è Cenomanis ortus anno 1344. Lutetiæ litteris operam dedit, obtento ibidem magiſterij gradu, Remos veniens S Symphoriani primùm Decanatu donatus eſt, ſenſimque ad altiorem fortunam pervenit. Probat Richardi Biſuntini teſtamentum (cujus ipſe exſecutor fuit) Notarium fuiſſe apoſtolicum, ac in utroque Jure inſigniter verſatum, quod & Urſinus teſtatur in vita Caroli VI. principis Eccleſiæ Remenſis Decanatum obtinens poſt Nicolaum de Hermondivilla.

Anno 1392. lectus eſt Judex cum Ballivio Regiteſtenſi, à Majori & civibus Virduni adverſus Clerum anno 1402. pro Urbis reparatione, ad quam æquè Sacerdotium teneri ac laïcos, cives contendebant, ex Vaſſeb. Tum Remenſis provinciæ, ac diœceſis Vicarius generalis factus ſub Cramaudo anno 1409. tantam in eo munere obeundo eruditionis famam comparavit, ut majora negotia ad eum, velut in ijs exercitatiſſimum, remitterentur. Interfuit ipſe Comitijs anno 1407. adverſus Benedictum XIII. tum Concilio Piſano, ubi cùm reconditæ doctrinæ ſpecimen edidiſſet, Cardinalis Diaconus creatur, ac paullo poſt Preſbyter Cardinalis titulo ſancti Marci anno 1411. Archipreſbyter Lateranenſis & Adminiſtrator Eccleſiæ S. Chriſogoni. Tandem in Concilio Conſtantienſi, ubi Martinus V. electus eſt, elegantiſſimè peroravit Seſſ. 34. anno 1417. aſſumens

Ibi commiſſus fuit cum Petro Alliaco ad expendendum modum procedendi contra doctrinam Wicleſi condemnati ab Vniverſitate Pariſienſi Seſſ. 3. an. 1411.

Digitized by Google

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1409.

assumens pro concionis argumento adversùs Petrum de Luna : *Tempus est ut incipiat judicium à domo Dei.* Ne longiori mora apud Constantiam otio torperet Guillelmus libros aliquot Platonis latinitati reddidit, ac Ptolomæi Cosmographiam, erat enim linguâ præsertim Græcâ peritus, alios etiam libros transcribi curavit, quæ in Remensi bibliotheca religiosè servantur ; inter hos exstat Pomponij Melæ Cosmographia, quam ipse notis quibusdam illustravit, visitur adhuc ibidem chartâ orbis universalis in corio equi marini curiosè descripta, ubi prædicti Cardinalis elucent insignia, ut & in cooperturis librorum ; suis etiam sumtibus scholæ Remenses restructæ sunt, & capsa B. Rigoberti. Addunt acta capitularia ingentem pecuniæ summam impendisse in majoris Ecclesiæ turri perficienda, quæ imperfecta remanserat usque ad annum 1427. A Martino V. Legatus mittitur in Galliam cum Jordano familiæ Ursinæ Cardinali, post Concilium Constantiense, pro Catholicæ Ecclesiæ unione confirmanda ; cúmque dissidium inter Delphinum, & Burgundionem pro Regni administratione exortum feliciter composuisset, Aquensis Archiepiscopus renuntiatur. Romam deindè rediens palatium S. Chrisogoni restruxit, obiitque octogenarius VIII. Idus Novemb. anno 1428. in Ecclesia S. Chrisogoni sepultus cum hoc epitaphio.

1. Pet. 4 D. 17.

SEPULCRUM GUILLELMI TITULI SANCTI MARCI PRESBYTERI CARDINALIS.
CENOMANENSIS DIOECESIS, MINISTRI ECCLESIÆ SANCTI CHRISOGONI.
OLIM DECANI REMENSIS I. V. DOCTORIS.
HABEAT DEUS QUAM CREAVIT ANIMAM.
HABEAT NATURA QUOD SUUM EST.
EXPECTANS RESURRECTIONEM, ET UTRIUSQUE VITAM ÆTERNAM &c.

Guillelmus Fillastre S. Theoderici Abbas.

GUillelmus Fillastre ex sancti Petri Cathalaunensis sodali, ubi ascèticæ vitæ rudimenta posuerat, in S. Theoderici Abbam prope Remos ob virtutum decora, nomènque quod sibi comparaverat, assumitur ; natalis ei imputat de formitatem Vvasseb. unde & cognomen ac parentes silentio premit : veréne, an falsò dubitat Buzelinus lib. 9. Annal. Gall. Fland. at Fillastri cognomen in pluribus chartis elucet, constátque ex ipsius epistola ad Juvenalem Ursinum, cognatum habuisse dominum de Muyson (pagus est prope Remos) ex quo inferre licet ex ea gente fuisse, & ex diœcesi Remensi. Ingenij felicitas, & industria in rebus magni momenti tractandis, gradum ei præbuerunt ad dignitates & Beneficia, quæ meritò, ac successivè consecutus est ; nam Prior ipse fuit de Cermais, Abbas S. Theoderici, Episcopus Virdunensis, Tullensis item urbis anno 1437. cujus & Comitatum recepit à Friderico III. tum à Philippo Burgundione assumtus in sanctioris Consilij principem, factus est Abbas Bertinensis, Episcopus deinde Tornacensis & Cancellarius Velleris-aurei instituti 10. Janu. anno 1430. de quo librum edidit Gallico idiomate cui præfixus est titulus : de Ordine Velleris-aurei.

Lib. 7. hist. Virdun.

Tradit Vvasseb. tanti nominis fuisse, ut apud Regem & Burgundionem maxima auctoritate & gratia polleret. Finem vivendi fecit 22. Augus. anno 1473. ex epitaphio apud S. Bertinum, ubi tumulatus dicitur. De eo vide Sanderum de Scriptorib. Fland. Buzelinum & alios.

Johannes

Digitized by Google

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An.* 1409.

Johannes Carlier de Gerſonno.

IOhannes Carlier ex pago Gerſonno prope Retellium (cujus nomen retinet) oriundus, Remis primùm ſtuduit, ubi & ſacris eſt ordinibus initiatus; at ſcientiarum amans, ſcholaſticæ in primis Theologiæ, Pariſios conceſſit, quò Petri d'Ailly Compendienſis ſcholas frequentaret: tanto autem præditus fuit ingenij acumine, ut adepto doctoratu, eidem ſucceſſerit in cancellaria dignitate, cùm primùm hic ex Archimagiſtro Navarræo ad Cameracenſem Epiſcopatum, & cardinalitiam purpuram provectus eſt. Opera ejus doctrinæ ſublimitatem, gravitatem morum, & in arguendo Prælatorum faſtu libertatem ſapiunt, quos Beneficia avidiùs conquiſita ac velut congeſta nimiùm onerabant. Hic in Concilio Remenſi ſub Guidone de Roya doctè peroravit anno 1408. ſumto argumento: *Ego ſum Paſtor bonus.* A Rege mittitur ad Petrum de Luna, quò ei ceſſionem ab Univerſitate approbatam perſuaderet, interfuit etiam Concilijs Piſano, & Conſtantienſi; tum Lugdunum ad fratrem profectus vitæ reliquum in Monaſterio ſanctè & quietè tranſegit, obiitque cum fama ſanctitatis anno 1419. hac ſententia tumulo inſcripta, quæ mori aut vivere ſibi perinde fuiſſe teſtatur. *Ioan. X. 11.*

Vixeris hìc & nunc, velut hìc & nunc moriturus.

Amicis ſcribens ſe Preſbyterum Remenſis Eccleſiæ vocitabat. Lugduni quieſcit in Æde S. Laurentij. De eo Johannes Campanus epiſtolâ dedicatoriâ operibus ejus præfixâ, ad Robertum de Lenoncourt ſic loquitur: *Gratulari poſſumus tuæ diœceſi, in qua tanta ſiderum benignitas ſemper influxit, atque incubuit, ut non Bœotica, non Arcadica, ſed præclariſſima illinc prodierint ingenia, ingeniorúmque monimenta; inter quæ, ut ſol quidem inter minora ſidera præfulget venerandus Academiæ Pariſienſis Cancellarius, & Doctor Theologus Iohannes Charlerius, vulgo Gerſon dictus, quod agnomentum à pago ejuſdem nominis in territorio patriâ ſuâ ſortitus eſt. Vir ſanctitatis ſpecimine mirabili, ut qui præcordia, & pectoris intima ſemper ſurſum, & ad divinum habuerit, & poſtquam in Conſtantienſi Concilio viriliter à Fide Catholicâ ſtetiſſet, æmulorum furori ſic ceſſerit, ut peregrinus ad Lugdunenſem confluentem vitam longiſſimo ſtamine dignam, anno ætatis ſexto & ſexageſimo clauſerit, ac apud Ædem S. Pauli mauſoleum ejus non ignobile conſpicitur. Doctrina verò tam excellenti, támque abſoluta, ut omnes non æquales modò ſuos, ſed quotquot, aut ſunt, aut futuri ſunt in admirationem traxerit &c.*

Johannes de Lariſvilla, & Stephanus de Givry ſeu Givriaco.

IOhannes de Lariſvilla Aſceta Remigianus in litteris humanioribus & divinis haud mediocriter inſtructus, ſcripſit vitam S. Remigij, virtutes ejus, ac miracula paraphraſticè, ſtilo non ſpernendo, quibus & nonnihil addidit de celebri ejuſdem Eccleſiæ dedicatione facta à Leone IX. Sunt & ſermones quidam rhitmicè ſcripti ab eodem, ad calcem codicis MS. in bibliotheca S. Remigij adſervati. Claruit ſub Guidone anno circiter 1410.

Stephanus de Givry, ex pago ejuſdem nominis in diœceſi Remenſi, cujus & nomen præfert, ingenium litterarum ſtudijs ſic excoluit, ut ob eruditionem ſimul cum pietate conjunctam, ad Epiſcopatum Trecenſem pervenerit. N. Camuzatius teſtamenti hujus meminit, in quo quadraginta libras eleemoſynariæ S. Dionyſij Remenſis legat, in favorem Jacobi de Givry gentilis ſui, pro linteaminibus emendis ad uſum pauperum anno 1426. Teſtamentum autem, omiſſis quibuſdam clauſulis, hæc habet:

Item

GUIDO DE ROYA. LXIX. ARCHIEP. *An* 1409.

Item volo quòd oſſa patris, matris, ſororum, & fratris meorum, quæ ſunt in cœmeterio de Giviriaco, congregentur in unum, & quòd fiat foſſa in pulchriori loco dicti cœmeterij & eminentiori, quæ ſit facta de lapidibus duris, cum calce & ſabulone, & quòd ibidem reponentur, & quod dicta foſſa cooperiatur unâ tumbâ de carreria B. Mariæ de Campis, juxta Pariſios Gallicè lyays, *vel alia, & quòd ſituetur ſuper faciem terræ, ſuper qua tumba ponatur alia &c.*

Nicolaus de Clamangis.

NIcolaus de Clamangis, è pago de Clamange oriundus in diœceſi Cathalaunenſi, Canonicatum Remenſem obtinuit, & Archidiaconatum in Eccleſia Bajocenſi. Totus hic fuit in carpendis moribus eo tempore, quo ſchiſmate laborabat Eccleſia, nulli parcens, ne quidem vivis in dignitate conſtitutis. Scripſit de corrupto Eccleſiæ ſtatu, ſtilo candido & eleganti, fuit enim illi ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatiſſimum; unde forſan nonnihil auſteritatis remiſit, cum Benedicto XIII. factus eſt à ſecretis. Obijt tempore Concilij Conſtantienſis in ſacello Navarræo tumulatus, ſub lampade, cum hoc inſcripto.

Belga fui, Cathalaunus eram Clamangius ortu,
Hæc domus oſſa tenet, ſpiritus aſtra petit.

Remis quoque florebant Petrus de Vilemonte, & Simon de Vilemonte, ſacræ paginæ Profeſſores, nominati in actis Tranſlationis B. Helenæ per Simonem de Cramaud celebratæ anno 1410. ut inde pateat nec tunc Remis exhedras ſiluiſſe.

SIMON DE CRAMAUDO. LXX. ARCHIEP. *An.* 1409.

Simon de Cramaudo LXX. Archiepiſcopus, pro finiendo ſchiſmate impensè laborat, Abbatiam de Aureomonte unit cum Sandionyſiano Cœnobio, inter Cardinales cooptatur, abdicat.

CAPUT XXX.

D'azur à la bande d'or, à la bordure de gueules chargée de dix beſans d'argent, ou d'onze beſâs d'or. Aux armes qui ſe voyent à Reims, la bande eſt cotoyée de ſix oyſeaux d'or.

UT inſigniores doctrinâ viros acerbiſſima hæc exercuêre tempora, ſic horum virtuti præmia non defuerunt, Sedes præſertim epiſcopales, quò altius evecti, inter denſiſſimas ſchiſmatis tenebras mundo prælucerent, paterètque plures emicuiſſe in Gallia qui Pſeudopontificum genibus nuſquam procubuerunt. Inter hos non injuriâ Simonem de Cramaudo accenſendum puto, quem ad Archiepiſcopatum Remenſem annitente Rege provectum, ſtatim à lugubri Guidonis obitu, referunt. Ortus is dicitur è villa de Cramaud Lemovicenſis diœceſis, frater Petri de Cramaudo Rupiſcavardi Toparchæ, in pugna Pictavienſi Sigilliferi, ac dominus de la Chapelle Belloüin in pago Lodunenſi, Libellorum ſupplicum præfecturam primùm obtinuit ſub Carolo VI, miſſúſque ab eo dicitur Avenionem Legatus ad Clementem VII. quo perfunctus officio, mox Johannis Bituricenſis Ducis favore (cujus Cancellarius fuit) Epiſcopatu Pictavienſi donatur anno 1388. ubi pueros choriales ſex fundat, muſicæ præfectum, & anniverſarium, pro quibus terram de Nouſilly oppigeravit: Epiſcopatibus etiam Agennenſi & Biterrenſi potitus eſt, tum Archiepiſcopatibus Burdegalenſi & Narbonenſi, adminiſtratione

Digitized by Google

administratione præterea Episcopatûs Carcassonensis, & Archiepiscopatu Avenionensi, ut docent memoriæ Occitanæ Catelli apud Rob. in *Gal. Christ.*

SIMON DE CRAMAUDO. LXX. ARCHIEP. *An.* 1409.

Tandem Johanne de Cardaillac obeunte, Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcha renuntiatur, hócque fulgebat titulo in Concilio Pisano, cui interfuit velut Christianissimi Regis Legatus, cum Petro Fresnel Episcopo Meldensi. Pluribus deinde Comitijs adfuit, Parisiensi præsertim anno 1394. quo actum de extinguendo schismate, multis & amplissimis muneribus perfunctus est, quibus viri prudentis, ac in rebus gerendis strenui specimen dedit; unde meritò vocatur *doctrinâ & eloquentiâ clarus ac eximius decretorum Doctor*, à doctissimo Spondano. Tanti Rex Simonem fecit, ut Vincellao pro gravissimis Ecclesiæ negotijs Remos veniente, secum habere voluerit, ipsius uti consilio, ac primum mensæ convivali accumbere anno 1398. ut supra vidimus. Librum hic edidit adversus Benedictum & Bonifacium de Papatu contendentes, quo discussa difficultas mota hoc tempore, an Reges & Regna ab horum obedientia discedere possent pro bono pacis, concluditque viam cessionis salubriorem esse pro finiendo schismate, cujus rei gratiâ missus ipse est Avenionem, quò hanc Benedicto XIII. persuaderet, ut docet Ursinus & Monstrel.

At nusquam clarius fulsit virtus ipsius, strenuitas & eruditio, quàm in Concilio Pisis coacto, ubi Legatus à Rege Christianissimo missus, post Seniorem Cardinalem sedet in dextra, sacris sollemniter operatus est coram Purpuratorum cœtu, suggestúmque conscendens, eleganti oratione Bavarorum jus convocandæ Synodi Regi Romanorum (Sede Romana vacante) attribuentium, rationes refutavit, protulitque sententiam inter duos de summo Pontificatu contendentes. His aliisque Simon perfunctus muneribus, quæ passim apud hujus ævi Auctores leguntur, ex Remensi Canonico, ut scribit Colvenerius (si tamen inter tot insulas Præbendam retinuit) ejusdem Urbis Præsulatu decoratur 10. Julij anno 1409. nominátque 25. Octob. sibi Vicarium generalem Guillelmum Fillastre eruditione clarum, & qui Concilio Pisano cum alijs interfuerat, ut vicariatûs litteræ testantur, è quibus hæc pauca verba delibavimus: *Nos attendentes quod venerabilis, ac scientificus vir dominus Guillelmus Filiastri Presbyter, utriusque Iuris professor, Decanus Ecclesiæ Remensis, per sinceræ dilectionis affectum, quem ad nos, & Ecclesiam nostram habere cognovimus, ipsum fecimus & creavimus Vicarium nostrum generalem in nostra Civitate, diœcesi, & provincia, in spiritualibus & temporalibus. Datum Parisijs in domo nostræ archiepiscopalis, die 25. Octob. anno 1409.*

Urbem sollemniter ingressus est 15. Decemb. die festo S. Nicasij eodem anno, gistóque ac procuratione de more apud S. Remigium receptis, ab Abbate, comitantibus Monachis, Capitulo præsentatur die sequenti, ex MS. codice. Lustrat deinde Urbis ac diœcesis parochias, & Monasteria, incipítque à Decanatu Sparnacensi; cùm ibi diversaretur, Priori de Turribus-supra-Maternam Cluniacensis Ordinis mandat se brevî illuc adfuturum, quò ad visitationem se præparet cum procuratione debita, feria v. Ascensionis dominicæ anno 1410. quod iterum ei inculcat (forsan quòd Ordinis privilegia opponeret) per Decanum Sparnacensem; quid inde factum sit, non legimus. Transiens deinde per Monasterium Altivillarense rogatu Johannis Abbatis transfert Reliquias sanctæ Helenæ Imperatricis in ditiorem capsam 7. Maij anno 1410 præsentibus Guillelmo Fillastre Doctore in Decretis & majoris Ecclesiæ Rem. Decano; Simone, & Guillelmo de Vilemonte Canonicis ejusdem Ecclesiæ, sacræ Theologiæ professoribus, Johanne de Raymond Canonico Suessionensi Officiali Remensi; Fulcone de Roya Licentiato in Decretis; Petro d'Argenteüil, ac *An.* 1410.

SIMON DE CRAM. LXX. ARCHIEP. *An.* 1410.

prædicti Monaſterij Religioſis. Conceſſítque Simon quadraginta dies Indulgentiarum omnibus ijs qui ſancti Petri Altivillarienſis Eccleſiam viſitâſſent diebus Inventionis & Exaltationis ſanctæ Crucis, diebus quoque feſtis S. Helenæ, qui Februarij & Auguſti menſibus occurrunt.

Idem Archiepiſcopus luſtrans Abbatiam de Aureo-monte Ordinis S. Auguſtini, quatuor leucis à Durocorto ſemotam, in tantam penuriam deveniſſe reperit, ob collapſam in ea regularem obſervantiam, & peſſimè adminiſtratos reditus, ut eam penitus abolere ſtatuerit, bonáque, ſeu proventus qui reſtabant, Monaſterio S. Dionyſij Remenſis unire. Nacta igitur occaſione obitûs Abbatiſſæ, ac paucitatis Monialium, quæ huc & illuc aufugerant ob bellorum motus, re priùs ſeriò perpenſa & excuſſa cum Ss. Remigij & Nicaſij Abbatibus, ac Capituli Remenſis primarijs, quos ejuſdem animi eſſe ſenſit, prædictam Abbatiam de Aureo-monte (Capitulo Remenſi conſentiente) Monaſterio Sandionyſiano incorporavit, adjecta conditione Abbati impoſita, ut in eodem loco tres Religioſos cum Priore ex reditibus in perpetuum alat, qui divinum Officium de more pro fundatoribus perſolvant, & ut annuatim Patribus Carthuſianis de Monte-Dei, in ſummam paupertatem pariter ob bella redactis, quinquaginta libras pendat. Bulla unionis menſe Februario confecta eſt anno 1411. quam hîc ex Archivo deſcriptam annectimus.

An. 1412 „ IN nomine Domini Amen. Simon permiſſione divina Archiepiſcopus
„ & Dux Remenſis, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in
„ Domino ſempiternam. In Canone ſcribitur quòd alma Mater Eccleſia
„ plerumque nonnulla rationabiliter ordinat & conſultò, quæ ſuadente ſub-
„ jectorum utilitate poſtmodum conſultiùs, & rationabiliùs ordinat in me-
„ lius, & commutat. Olim enim prædeceſſores noſtri Remenſes Archie-
„ piſcopi, & alij devoti, in loco de Aureo-monte noſtræ diœceſis Remenſis,
„ Monaſterium religioſarum mulierum Ordinis S. Auguſtini inſtituerunt, &
„ fundaverunt, quæ poſtmodum, diabolo inſtigante, & Domino permittente,
„ diſſolutiones horribiles in ſcandalum non modicum ſæpe notoriè commi-
„ ſerunt, & tandem ſucceſſu temporis eſt ibidem taliter religio diminuta,
„ quòd hodie, ipſo vacante Monaſterio, non ſunt ibidem niſi duæ Moniales,
„ quarum una propter ſuum malum regimen in Monaſterio morari non
„ audet, ſed fugitiva per mundum incedit ut vagabunda; alia verò Remis,
„ vel alibi reſidet, ut plurimùm cum parentibus & amicis, & ſic modicum
„ vel nullum fit hodie ibidem divinum Officium, & ruunt ædificia, per-
„ duntur jura, reditus, & proventus Eccleſiæ, quoniam non eſt qui jura
„ Monaſterij debitè tueatur. Et licèt prædeceſſores noſtri ſæpe per bonos
„ modos conati fuerint ibidem ſtatum Religionis debitè conſervare, tamen
„ propter modicum regimen Religioſarum ibidem exſiſtentium, à magnis
„ retroactis temporibus Monaſterium prædictum ſic exſtitit diſſolutum, ut
„ ſemper abiret in deterius, niſi nos cum maturitate debita provideremus
„ de remedio opportuno.

„ Hinc eſt quòd cùm nos perſonaliter viſitaverimus Monaſterium ante
„ dictum, & ibidem duxerimus quamplures viros providos & honeſtos, &
„ ſignanter tres Magiſtros in Theologia Canonicos noſtræ Remenſis Eccle-
„ ſiæ, & invenerimus deſolationem, de qua ſuperiùs facta eſt mentio, quod
„ dolenter referimus, veram eſſe &c. Poſtquam convocavimus in Capitulo
„ dictæ noſtræ Remenſis Eccleſiæ Fratres noſtros Abbates S. Remigij, S.
„ Nicaſij Remenſis, & Canonicos noſtræ Eccleſiæ in magno numero ibi-
„ dem die capitulari, propter hoc perſonaliter congregatos, habitáque deli-
„ beratione cum ipſis, & alijs viris providis & honeſtis, etiam vicibus repe-
„ titis, & votis ſingulorum per nos maturè inquiſitis; quia ſicut unire Epiſcopatus,

patus, & alienæ ſubjicere poteſtati, de jure ad ſummum Pontificem ſpectat, ita unio, & ſubjectio Eccleſiarum noſtræ diœceſis ad nos noſcitur pertinere. Prædictam olim Abbatiam Monialium, Monaſterio Canonicorum regularium S. Dionyſij Remenſis Ordinis ſupra dicti ſancti Auguſtini univimus, & tenore præſentium unimus, cum omnibus juribus, proventibus, reditibus, & quibuſcumque pertinentijs, per modum tamen infra ſcriptum. "SIMON DE CRAM. LXX. ARCHIEP. An. 1411.

Volumus enim, & ordinamus quòd ibidem ſit unus Prior ejuſdem Monaſterij S. Dionyſij, qui per Abbatem ipſius Monaſterij nobis & ſucceſſoribus noſtris Archiepiſcopis Remenſibus, quotiens caſus vacationis tempus contigerit, præſentabitur, & collatio & inſtitutio ad nos, & ſucceſſores noſtros prædictos ſpectabit, qui ejuſdem conditionis erit ſicut & ceteri Priores dicti Monaſterij S. Dioniſij, habebitque idem Prior ſecum continuè tres Religioſos ejuſdem Monaſterij, qui in prædicto Monaſterio facient debitè Servitium divinum cotidie, videlicet Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Miſſam, Nonam, Veſperas & Completorium, horis congruis & debitis cum nota. Et nos etiam ibidem jura archiepiſcopalia, quæ antea habebamus, etiam omnimodè retinemus.

Et quia Monaſterium Religioſorum Carthuſienſium de Monte-Dei noſtræ prædictæ diœceſis Remenſis eſt hodie proh dolor! in facultatibus diminutum, quòd Religioſi non habent, ſicut ex plurium fide dignorum relatione didicimus, unde valeant Deo devotè ſerviendo ſuſtentari, volumus, & etiam ordinamus quod Abbas & Conventus prædicti Monaſterij S. Dionyſij de reditibus & proventibus dicti Monaſterij de Aureo-monte, vel aliunde in locis bonis & ſufficientibus admortizatis, quinquaginta libras Turon. annui reditûs realiter aſſignabunt, perpetuò per prædictos Religioſos dicti Monaſterij Montis-Dei tenendas & poſſidendas. Et ulteriùs tenebuntur prædicti Abbas & Conventus S. Dionyſij Moniali, quæ nunc eſt Remis, vocatæ Mariæ de Beine, & alteri, ſi revertatur ad obſervationem Religionis, de victu & veſtitu ad ordinationem noſtram, vel Vicariorum noſtrorum providere, & iſta omnia fecimus, & ordinavimus Abbatem ſupra dictorum, & Canonicorum dictæ noſtræ Eccleſiæ Remenſis primitus habito conſilio & conſenſu.

Ad hæc autem religioſi viri Johannes Abbas, Johannes Goblin aliàs de Vendreſca Præpoſitus, & Jacobus de Givry Eleemoſynarius dicti Monaſterij ſancti Dionyſij, ibidem præſentes pro ſe & alijs Fratribus ſuis penſata, & conſiderata utilitate dicti Monaſterij S. Dionyſij, in præmiſſis ſuum præbuerunt conſenſum pariter & aſſenſum. In quorum præmiſſorum fidem, & teſtimonium præſentes noſtras litteras, ſive inſtrumentum publicum, conſtitutionem ſeu ordinationem noſtras hujuſmodi in ſe continentes, ſeu continens, per Notarios publicos infra ſcriptos ſcribi, & publicari mandavimus, noſtríque ſigilli fecimus appenſione muniri. De quibus præmiſſis omnibus & ſingulis præfati Abbas & Religioſi dicti Monaſterij S. Dionyſij, & religioſus vir Frater Johannes de Monclin dicti Monaſterij Montis-Dei Prior (prout dixi) petierunt, & petijt à Notarijs publicis infra ſcriptis, quibus nos etiam conceſſimus, inſtrumentum fieri unum vel plura.

Datum & actum in Capitulo ſupra dicto præſentibus ibidem venerabilibus Fratribus noſtris Abbatibus Ss. Remigij & Nicaſij ſupradictis, necnon Canonicis dictæ noſtræ Eccleſiæ in magno numero, & in ſaniori parte, propter hoc perſonaliter congregatis, anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, more Romanæ Curiæ, Indict. quinta, die verò ſexta menſis Feb. circa horam tertiam, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac domini noſtri domini Johannis divinâ providentiâ Papæ viceſimi tertij ſecundo, ac præſentibus ibidem dilectis nobis in Chriſto Johanne Tajeti &c.

SIMON DE CRAM. LXX. ARCHIEP. an. 1411.

Sandionysianus Abbas decem annos hac Abbatiâ potitus est, sentiens verò sibi, ac Monasterio suo oneroſam potius esse, quàm utilem, eam Capituli sui consensu abdicat, permittítque ut Vicarij generales Archiepiscopatûs de ea ad libitum disponant, quam habito consilio univerunt Hospitàli S. Antonij Remensis, cum onere solvendi prædictas quinquaginta libras Carthusianis, ex bulla Martini V. posterioris hujusce unionis confirmatrice, quam Fulcaudus Abbas S. Theoderici executioni demandavit, petente Simone Lorlier S. Antonij Præceptore, confectúsque processus verbalis legitur 13. Junij anno 1421. At contigit post sex & viginti annos Johannam de Brabant & tres alias prædicti Monasterij Moniales professas, quæ apud parentes confessérant tempore belli, Senatui supplicem libellum offerre, pro reditu ad propriam domum ubi votum emiserant: vindiciæ, seu recredentia ut vocant, Præceptori datæ decreto Senatûs; at ea lege, ut quadraginta libras Johannæ de Brabant pendere teneatur, donec lis finem habeat, cum præcedentium annorum areragijs. Præceptor his oneratus cogitur pariter abdicare, integróſque reditus Monialibus offerre, quæ in possessionem sui Monasterij redierunt, ut dicam sub Reginaldo de Carnoto.

Habent schedulæ D. Coquault gravem hoc anno exarsisse discordiam inter Simonem de Cramaudo Archiepiscopum, & Archidiaconum Remensem S. R. E. Cardinalem, qui auctoritate qua pollebat in Curia Romana Simonem à Piorum consortio removeri curavit. Causâ coram Senatu Parisiensi agitatâ, dictum, Remensem Archiepiscopum excommunicari non posse, quòd Par Franciæ esset, ejúsque consilio in tractandis Regni negotijs sæpius Rex indigeret quod fieri nequit cum excommunicato.

Alexander V. electus in Concilio Pisano, post Sedis menses decem obijt, cui suffectus legitur Johannes XXIII. Pseudopontificibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. turbas cientibus; quò autem adversus horum conatus fortior Johannes redderetur, quatuordecim creat Cardinales 6. Junij, inter quos elucet Petrus de Alliaco Compendiensis, Collegij Navarræi Archimagister & Episcopus Cameracensis. Hoc anno Antonius Mascabius Ordinis S. Dominici sacræ Inquisitionis præfectus Remis insurgit adversûs Curatos, inquirítque quod Confessionem Paschalem Religiosis Mendicantibus factam, irritam esse ac nullam prædicarent. Hic priùs apud Cæmeracum contendebat causas de Fide ad Metropolitanum Remensem, vel Curiam ejus devolvi non debere; at decreto Parisiensi Inquisitor causâ cecidit anno 1403. Prioratus S. Ægidij, quò mensæ archiepiscopali aliqualis fieret accessio, unitur Johannis Pontificis decreto, sanxítque Capitulum Remense capsam præparandam pro capitibus Ss. Mauri & Florentij reponendis 20 mensis Martij anno 1411.

an. 1411.

Recruduit interim bellum ob eædem Ludovici Ducis Aurelianensis, inter Burgundiones & Armeniacos, hoc nomen Aurelianensium parti impositum à Comite Armeniaco, vel à militibus de Vasconia in subsidium venientibus. Armeniacis Suessiones, Veromanduos, Remos, usque Retellium, quæ & fortiter oppugnatur, quòd Burgundicæ esset ditionis, infestantibus; & Burgundis, capta Lauduno, paria referentibus, Rex vetat utrisque, ne pergant mutuò parare sibi bellum in Regni perniciem, alioqui se illorum omnia bona fisco adjudicaturum. Parum hæ minæ profuerunt, quòd Rex mentis impos, in Burgundum propensior esset; unde Armeniaci, velut rebelles, hostes Regni judicati, exsilio perpetuo damnati, insuper excommunicati, cœtúque Piorum moti per diploma Urbani V. Regibus Galliarum omnibus in tales rebelles datum. Refert Ursinus prædictam Urbani bullam Remensi, ac Senonensi Archiepiscopis, Parisiensi item & Carnotensi Episcopis directam; at cum Armeniaci essent, dilata

est

est ipsius exsecutio, repertúmque post Burgundionis regiam urbem ingressum principio Octob. solius Episcopi Belvacensis facere mentionem, cui mox datur publicanda. SIMON DE CRAM. LXX. ARCHIEP.

Anglos, veteres suos hostes, auxilio sibi Galli Armeniaci accersunt, ac fœdus cum illis pangunt, consultántque de alio creando Rege: Delphinus quò utrisque se opponat, cogendæ pecuniæ intendit animum, Regníque Status Parisijs convocat, quibus interfunt singularum provinciarum deputati. Tradit prædictus Auctor Remenses palam & audacter dixisse, novo vectigali non esse opus in tanta plebis egestate, ad belli onera sufficere ordinaria subsidia. Addidit Abbas de Monte-sancti-Johannis vir industrius & sagax, si à fisci præfectis Rex auferret superflua, satis supérque habiturum ad expensas belli sustinendas. Complures postea regiorum negotiorum ministri pecuniæ interversæ, & peculatûs accusati, tributum tamen impositum est, ac Biturigum obsessu à Rege, Armeniacis eam defendentibus, plures eruptionibus utrinque occisi, donec Bituricis Ducis precibus, & Delphini studio induciæ obsessis datæ, páxque tandem convenit apud Autissiodorum Idibus Julijs, ubi Proceres se mutuò osculantur. *An.* 1412.

Simon interim, qui extinguendo schismati fortiter studebat, purpurâ insignitur à Johanne XXIII. anno 1412. tum Romæ exsistens galero donatus est 14. April. anno 1413. sub titulo S. Laurentij in Lucina, quamvis idem in secunda promotione 17. Cal. Maij Cardinalis Prænestinus sit appellatus, quo nomine indigitatur à Frizonio. Cùm Simon sæpius à suo Archiepiscopatu abesse cogeretur, ob Ecclesiæ & Regni negotia, resignat in favorem Petri Trousseau Pictavienfis Episcopi anno 1413. recipítque iterum prædicti Episcopatûs administrationem, reditúsque temporales pro sustentatione familiæ: unde quòd in pridem à se possessum Beneficium redijsset, vulgò Cardinalis Pictavienfis nominatur. Hic curæ & laboribus non parcens, donec schisma penitus aboleretur, Martini V. electioni interest in Concilio Constantiensi, ubi eleganter peroravit 27. April. coram frequenti Purpuratorum consessu, cepítque pro concionis argumento hunc Psalmi versiculum: *Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.* Ex quo undecim elicuit conclusiones, adversus tres de Papatu litigantes, concludítque quartum eligendum, qui Martinus V. dictus est, tum senio confectus obijt anno 1429. tumulatus in Ecclesia Pictavienfi, ubi prostat ipsius effigies ex albastro cum hac epigraphe. *An.* 1413. *Psal.* 24. *D.* 22.

Simon S. R. E. & S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis & Episcopus Pictavienfis jacet in hoc sepulcro, cujus imago de albastro est super tumulum marmoreum posita, & statua Cardinalis in proximo pilari prædicto sepulcro contiguo erecta; qui, dum fuit Romæ provectus ad Cardinalatum, erat Archiepiscopus Remensis, & pro sustentatione sui statûs fuit etiam sibi datus Episcopatus Pictavienfis, cujus etiam ante per multos annos fuerat Episcopus, & fundavit in ista Ecclesia unam Prabendam, cum grosso quadraginta librarum pro nutrimento unius magistri, & sex puerorum in musica instruendorum ad faciendum divinum Servitium.

Patet ex his quòd pro sustentatione statûs Cardinalium non Abbatia, sed Episcopatus tunc temporis dabantur.

Hîc dies obitûs desideratur, quem 18. Cal. Janu. ex Necrol. Rem. reponimus.

Petrus

PETRUS TROUSSEAU LXXI. ARCHIEP. *An.* 1413.

Petrus Trouſſeau ex Pictavienſi Epiſcopo LXXI. Archiepiſcopus Remenſis.

CAPUT XXXI.

TROUSSEAU de gueules à une bande de vair.

PETRUS Trouſſeau ex Præpoſito Audomarenſi & Epiſcopo Pictavienſi fit Archiepiſcopus, Simonis de Cramaudo abdicatione & ad purpuram recèns promoti anno 1413. cujus progeniem accuratè ſuo more deſcribit Andreas Quercet. *in hiſtoria Drocenſi* ubi gentilis vocatur Petri Trouſſelli Equitis domini de Chaſteau in Andibus Baillivij Carnotenſis & Cambellani Caroli VI. Regis, frater verò Jacquelini Vicecomitis Bituricenſis. Sanè familia hæc vetus eſt, ac longè celebris, cùm ſub Philippo I. idem Auctor claruiſſe dicat, & alter Petrus Trouſſeau ex eadem gente Iſabellam Drocenſem Roberti III. filiam duxerit anno 1327.

Petrus Eccleſiæ Bituricenſis primùm Canonicus fuit, tum Archidiaconus, unde, quòd in ea quoque urbe ortus fuiſſet, civis Bituricenſis vocatur à Roberto: Pariſienſis deinde Canonicus legitur, ac Præpoſitus Audomarenſis anno 1406. Libellorum ſupplicum Magiſter, tum Epiſcopus Pictavienſis poſt Bernardum de Monte-acuto. At Cramaudi promotione ad Cardinalatum, ſeu ceſſione (aperta enim tunc erat Regalia) menſe Maïo renuntiatur Remenſis Archiepiſcopus, hócque titulo Regi clientelæ ſacramentum exhibet die Julij 19. inita poſſeſſione tantùm per procuratorem.

Diu creditam ſibi ſpartam exercere non licuit, nam paullo poſt Lutetiæ obijt, 16. Decembris eodem anno, poſſeſſione ſollemni necdum adepta, ex juramentorum codice, ubi nomen ipſius deſideratur; at indiculus ſacræ ſuppellectilis refert Eccleſiæ Remenſi dediſſe cappam è ſerico rubeo ramuſculis aureis variegatam. Sex igitur menſes Archiepiſcopatum tenuit, & aliquot dies, quamvis nuſquam adierit, ſitus in cathedrali Bituricenſi ſub tumulo lapideo, cui exaratum legitur ſequens Epitaphium.

MEMORANDISSIMI ET ADMODUM FAMOSI VIRI
PETRI TROVSSELLI
DUDUM CITRA ET INFRA PRÆMIA, ET HONORES SUSCEPTOS
ARCHIEPISCOPI REMENSIS,
ET EODEM DE PACTO DUCIS ET SUMMI PARIS FRANCIÆ,

Quem decor & mores quondam celebrare ſolebant,
Trouſſelli Petrum frigida petra tegit.
Quem pietas, virtus, & honos, & pulchra Sophiæ
Nobilitas vexit, militiaque genus.
Qui ſtabilis leges Iuris, qui pluribus artes
Edocuit, grato Præſes amore gradu.
Tempore Metropolis fuit hujus in ordine templi
Collega, Frater Pariſéique ſimul.
Audomari Præpos, majórque priórque Diacon,
Vnde opera ſanctis parta dabat miſeris
Conſilijs magnâ Regis conſcriptus in Aulâ,
Res cunctis ſalubres, & pia verba dedit.
Poſtque tot interea mediis aſſumtus honores
Templicola, & multis Frater amore locis.

Quibitur

Digitized by Google

Evehitur meritò Pictavis Epiſcopus, at nunc
Poſtremo Antiſtes Remis in urbe fuit.
Quo primum de jure Parem Regnique, Ducémque,
Tot probat hinc titulis inclita fama virum.
Inde hæc perpetuò ſacros ſibi promere cantus,
Támque ſalutiferas juſſit in Æde preces.
Quam hoc Stephani templo propriis è ſumtibus actum
Dotavit donis, ut decet ipſe ſuis.
Hinc poſt mille quater centum, poſt tréſque decémque
Chriſti ſequos orbes, clauſit in orbe diem
Pariſijs ſummum ſex dena luce Decembris,
Quo ſibi pro meritis, ſit ſuper aſtra quies.

REGINALDUS DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1414.

Reginaldus de Carnoto LXXII. Archiepiſcopus ad Concilium Conſtantienſe profecturus diœceſi ſuæ conſulit. Urbis Sueſſionenſis clades, Gallorum quoque apud Azincuriam. Seditiones poſt necem Burgundionis.

CAPUT XXXII.

SEDES Remenſis menſes ferè ſex vacaverat, cùm Reginaldus de Carnoto ad ipſius apicem pervenit: is patrem habuit Hectorem dominum de Lions in Bellovacis, Ludovici Aurelianenſis Ducis Cambellanũ equeſtri familiâ ortum, qui Pariſijs mota ſeditione anno 1418. cum comite Armeniaco interfectus legitur, quòd ab Aurelianenſium partibus ſtaret. Reginaldus à pueris Eccleſiæ mancipatus à parentibus, inter ſodales Belvacenſis Eccleſiæ primùm receptus eſt, cujus & Decanatum obtinuit anno 1408. Camerarius etiam, & Referendarius apoſtolicus vocatur à Frizonio *in hiſtor. Cardin.* Præſes quoque Cameræ Computorum, ex ſupplici libello Regi oblato inſtaurandæ Juſtitiæ. At cùm dotibus ijs apprime polleret, quæ Præſulem decent, Belvacenſis Epiſcopus renuntiatur poſt obitum Petri de Savoiſy, tum Remenſis Archiepiſcopus 23. Martij anno 1414. cujus inijt poſſeſſionem primò per procuratorem, tum perſonaliter, ex codice MS. ſacramentorum, cui propria manu ſubſcripſit.

DE CHARTRES D'argent à deux faces de gueules. Et en quelques ſceaux, party avec les armes de Bar.

Diu verſari inter Remenſes, munúſque ſuum obire non licuit, ob infelicia præſentis ævi tempora, quibus, ſchiſmate adhuc Eccleſia, Regnum inteſtinis motibus laborabat: patris ſiquidem ſecutus exemplum, qui Aurelianenſium totus fuit, Caroli Delphini jura ſtrenuè tuitus eſt, tantáque prudentia & dexteritate in gravioribus negotijs ei adfuit, ut Francicæ Monarchiæ bono natus fuiſſe videatur. Antequam Remis diſcederet, ad Concilium Conſtantienſe profecturus, Johannem Raymundi majoris Eccleſiæ Præpoſitum, Vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus conſtituit, uſúſque eſt operâ Epiſcopi cujuſdam Ordinis Minorum, qui munia epiſcopalia obiret per diœceſim, & N .... de Gombaut Epiſcopi d'Agrance, quem titulo Vicarij generalis Archiepiſcopatûs lego ſacros ordines contuliſſe anno 1417. quamvis ſub idem tempus eodem titulo fulgeat Cardinalis Barenſis, forſan præpoſitus ab Anglis, quòd Reginaldus Caroli VII. partes foveret. Imaginem Crucifixi ſupra capſarum repoſitorium retro majus altare erectam ſumtibus Reginaldi refert vetus codex MS. & ex Turonenſi cathedra ad Remenſem promotum, quod Robertus omiſit.

Carolus

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP.

Carolus audito laniorum insultu & vesana seditione, qua multi Parisijs Nobiles interempti, collecto exercitu in Picardiam venit, Burgundis omnium malorum Auctoribus bellum illaturus; plerique enim ab his ob crudelitatem defecerant. Compendio igitur, Noviomóque subactis urbibus, Suessionem obsidet, ubi Præfectus præsidij erat Enguerannus Bornovilla vir bello maximè insignis; dissidebant inter se cives & præsidium, hoc resistere, cives dedere volebant. Oppugnatur acriter oppidum, tandemque effractâ portâ, quæ proxima fluvio est, ab Anglico Præfecto intromissi regij milites; cúmque inter colloquendum Hector nothus Borbonicus sagittâ, contra jus gentium percussus, mox occubuisset, Ducum accensa ira, Borbonij præsertim, in Urbem captam protinus desævijt, cives, militétque præsidiarij promiscuè interfecti, à nemine temperatum, nec templis parcitum, quidquid in illis pretiosum erat, direptum: Sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani, aliorúmque Sanctorum feretris aurum, argentúmque detractum. Post homines natos nulli umquam tam enormiter, turpitérque se victores habuêre, si Historicis fides, præsertim Meyero, qui ut Burgundionis scelera tegat, Gallos hîc criminatur, miserámque civitatem convasatam, & direptam penitus, incensam refert, aítque ob id anno sequenti in ferijs Ss. Martyrum graves dedisse pœnas, cùm apud Azincuriam fœdè cæderentur ab Anglis.

An. 1414. *Huiusce motus laniorum caput præcipuũ Burgundio.*

Ex Suessionibus petit Rex Laudunum, ubi Philippus Nivernensis Retellensis Comes frater Burgundi jurat in verba Caroli, veniámque petit, quòd partes secutus esset fraternas: pace cum Rege sarta, Maceriarum concessit oppidum fluminis Mosæ in diœcesi Remensi, Rex ad Therasciam, & Augustam venit Veromanduorum, inde Peronam, mox Bapalmas oppidum clivo edito situm obsidet; at consensu Burgundionis Præfecti locum pauco commeatu instructum Regi & filio dedunt. Itur Atrebatum, vallum totius occidentalis Flandriæ, quod Rex cingit obsidione; at ortâ dysenteriâ in castris, pax suadetur, Delphino Burgundionis genero auctore, pactúmque in primis, ne Dux Burgundio fœdus ullum cum Anglis sanciat. At quid non perrumpit livor, seu regnandi cupido? simultas inter factionis duces occultè perseveravit, pax tamen hæc Atrebatensis dicta, equestri certamine, ac festis diebus celebris fuit: in hanc jurant Nobilitas, Rectoréque oppidorum Galliæ & Flandriæ. Johannes de Trosly Præfectus Ballivij Viromandensis iussu Regis Remos venit mense Febr. Cleróque adunato petit, ut prædictam pacem Primarij jurent, promittántque se illam omni ope conservaturos, quod & fecerunt scripto authentico 12. April. anno 1415. ex actis capitular. Ecclesiæ Rem.

An. 1415.

Anno 1415. post colloquium Burgundionis cum Legatis Anglorum per viginti dies in oppido Iprensi, Rex Anglus in Galliam parat expeditionem, Galli offerunt Catharinam Caroli Regis filiam nuptui cum multo auro, si à bello inferendo abstineat; at eo Normanniam, & ea, quæ sui juris esse dicebat, petente, Legati Lutetiam revertuntur. Finitis igitur ad Cal. Aug. inducijs, in agrum Bononiensem mox incurrunt Angli, novisque in Galliam mille quingentis navibus, traductis copijs, Harfleur Caletorum oppidum capiunt, dehinc Caletos, Bellovacos, Ambianósque populabundi peragrant. Galli nimiam veriti ignominiam, si tam infestum facilè dilabi sinant, adunatis copijs in Morinis hostem operiuntur, ut postquam Sommonam transierit prædæ onustus, Calesio prohibeant: pugnatum acriter inter Tarvannam Morinorum & oppidum Hisdinum juxta Azincuriam VIII. Calend. Novemb. Galli primo congressu paullum retrocedere Anglos compulerunt; at sua ipsorum multitudine compressi & tumultu, cæsi fugatique sunt: numerus desideratorum decem millia, præter captivos, omnes ferè nobiles & inclitæ prosapiæ, accepta clades in ferijs sanctorum Crispini

Crispini & Crispiniani, pœnásque exercitus sacrilegij in Suessionibus patrati luculenter exsolvit.

Reginal. de Carnoto LXXII. Archiep. An. 1415.

Schismatis Ecclesiæ finis.

INterea loci Ecclesiæ schisma pertinaciùs quàm alias, & majori cùm scandalo perseverabat, tribus Pontificibus Gregorio XI. Benedicto XIII & Johanne XXIII dignitatem suam acriter tuentibus, timebatúrque ne in Germania, vera religio evanesceret, ob Hussitarum hæresim: unde Johannes Papa saniori utens consilio, Sigismundi præsertim Imperatoris, quem componendæ pacis inter Reges ac extinguendi schismatis ergo in Gallias venientem apud Bellovacum honorificè susceperit Remensis Archiepiscopus, Constantiensem Synodum cogendam decernit. Quinta Novembris inchoatur feliciter, ac triennio duravit, Reges ac Principes per Legatos rogati interesse, à Christianissimo Rege missi sunt Ludovicus Dux Bavariæ Caroli VI uxoris frater, Simon de Cramaudo nuper Remensis Archiepiscopus, Episcopi Carcassonensis, & Ebroïcensis, cum selectissima nobilitate. Antequam in Synodo quidquam decerneretur, postulatum à Johanne, quò optatæ paci, quam se vehementer cupere dixerat, nullum fieret obstaculum; ne Consilium dissolvat ante susceptı operis perfectionem, ne aliò Conventus Patrum eo jubente transferatur, & ut aliquem designet, qui suo nomine coram omnibus promissam cessionem faciat &c. At Pontifex se ad hoc cogi indignum reputans, excessit ab Urbe post secundam sessionem, Remensis Archiepiscopus missus à Consilio, ut fugæ causam deprehenderet, retulit quartâ sessione, id non metu, non culpa, non odio in Imperatorem, factum à Johanne, sed valetudinis recipiendæ, ut ex Actis amplius constare potest, ubi Reginaldus de Corneto corruptè legitur, vel Reginaldus Ravennas in quibusdam exemplaribus, cùm alius hic non fuerit, quàm Remensis Archiepiscopus, qui quinta sessione coram sacro Cœtu Sacrum sollemniter fecit, ex Democharc.

Johannes paullo post redire coactus, ob inconstantiam deponitur, Benedictus quoque XIII quòd vocatus non comparuisset; at Gregorius cessioni consentiens per Legatos, cardinalitiâ purpurâ & legationis titulo donatur in territorio Venetorum. Et sic diri schismatis finis fuit, post triginta novem annos, quibus Ecclesiam fœdè conspurcaverat, incœpit enim anno 1378 & anno 1417 extinctum est, quo Martini V. Pontificatus inchoatur.

Mirum est quod hîc suis Annalib. inserit Meyerus, quò aspersam suo Duci parricidij notam procul avertat, mense Januario scilicet in Synodo Constantiensi rursus probatos articulos Johannis Parvi Theologi Parisiensis, damnatam sententiam scholæ Parisianæ contra eos latam, Martino Episcopo Atrebatensi Theologo petente, auxiliantibus Jordano Episcopo Albanensi, Antonio Cardinale Aquilegiensi, & Francisco Cardinale Horentiæ; cùm ex Sess. 15 falcitatis egregiè convincatur. Sic obcæcatus ille undique velamina quærit, quibus suos tegat Burgundiones; dúmque Gallos occulto fatorum ordine, suorum scelerum pœnas luere dicit, repetitque id usque ad nauseam, vir bonus non recordatur insaniæ populi Flandrici, specie libertatis tuendæ, seditionúmque sexagies septies ubique passim repetitarum in Patritios, Nobiles, Comites Guidonem, & Ludovicum Maleanum præsertim, donec præciso horum stemmate, ad alios devolutus est principatus. Nec satis attentè perpendit has miseriarum vices, seu scelerum pœnas, Flandros primùm per Gandenses exolvisse, tum demum Gallos Flandrorum indomitorum pervicaciâ, vel faces subministrante Burgundo, mox Germaniam Hussitarum furijs agitatam ingemuisse, novissimè vero Angliam intestinis suis motibus, è qua Galli dominia tanto sudore quæsita armis superiores vindicârunt, & hæc brevis delibatio somniorum Meyeri sufficiet.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1415. Johannes Burgundio, quamquam ob amiſſos fratres in prælio Azincuriæ gravi afficeretur dolore, Principum tamen Caroli Aurelianenſis, & Borbonij, ſibi imprimis infenſorum, captivitate erectus, mox cum magno equitatu Lutetiam pergit, ut Regni adminiſtrationem arripiat; at Rex cum ſuis è Rotomago accurrens, portas ei claudere jubet, longiúſque adhuc ab ea arcetur Delphini Johannis toxico necati obitu, qui filiam ejus habens uxorem, Burgundicarum erat partium. Appetente vere, relicto Matrona, hic per Remorum & Laudunenſium fines venit Cameracum, inde Inſulam, ubi de turbanda Gallia acriùs decernit. Lutetiæ Regina, Siculus & Biturix collationem magnam pecuniarum civibus imperabant, fremere Pariſij, pars maximè illa quæ Burgundicæ erat factionis, inire conſilium de captivandis Rege, Regina, Biturige, Cancellario, introducendóque Burgundione, cui Regni gubernaculum tradant; at detecta conſpiratio, inſidiæ deprehenſæ, animadverſúmque in omnes ſupplicio capitis. Conjurati hac detectione graviter commoti bellum apertè adornant, nec cunctantur ſe quoque cum his accingere Burgundiones, Dux enim clam hos Pariſienſium motus fovebat, quò facilius Regni præfecturam obtineret.

An. 1416.

At Armeniaci inter tot tecnas & fraudes non deſpondent animum, ſed audaciores facti, Delphini Johannis obitu factionis Burgundicæ, Carolum fratrem jure nativitatis ipſi ſuffectum, in Burgundionem latenter inſtigant, turbas movent in Urbe, nihilque prætermittunt, quò negotium ipſi faceſſant.

An. 1417.

Sub initium anni 1417. Anglus icto cum Burgundione fœdere in Normanniam hoſtiliter deſcendit, Burgundio verò cum triginta millibus pugnatorum ex Atrebatibus, Corbeiam, inde Ambianum movet: Armeniaci hac fama perterriti, Normaniâ furori Anglico relictâ, feſtinanter Lutetiam advolant pro cuſtodia Regis; horum ſuaſu mittuntur ad Burgundionem litteræ, jubentes ut exercitum dimittat, reſcribátque cur inregias milites audeat ducere provincias. Hic irâ inflammatus caſtella capit, urbes obſidet, deditionem facientibus vectigalia remittit, dat litteras ad civitates querebundas de Regni regimine, ejúſque Rectoribus. Aſſerit decretum à ſancto Collegio Romano ad ſe tantùm pertinere gubernatulum Regni, non autem ad Armeniacum obſcuræ nobilitatis hominem. His fallacijs decepti Remenſes petunt à Capitulo ut ſubſidium ferat pro Regis ac Delphini ſecuritate, quò tumultuum auctores, pertubatoréſque publicæ quietis comprimantur.

Ex Concluſ. Capitul. 18. Auguſ. 1417.

Regina Turones, vi coacta ab Armeniacis, ſeceſſerat, hæc queſta per nuntios ſe velut captivam detineri, Burgundio magnis itineribus petit Turones, hanc in libertatem vindicat, quæ ſtatim Regni moderationem partitur cum Burgundione, interdicítque civitatibus, ne quidquam imperatæ pecuniæ ſolvant Delphino, aut Rectoribus Regni, ſed ſibi aç Burgundioni

An. 1418.

in omnibus obediant. Anno 1418 indictus Conventus Montrolij, ubi Iona amnis Sequanæ miſcetur, arbitrio Cardinalium, quos Martinus Papa Lutetiam miſerat, controverſia omnis ſubmiſſa; at quòd pronuntiaſſent ut abſque ullâ vindictâ Burgundio, dum viveret Rex, Regni adminiſtrationem pariter cum Delphino acciperet, Armeniacus Equitum Magiſter, & reliqui paci ſubſcribere noluerunt; ita res infecta manſit, Armeniacúmque ob id peſſimè odiſſe ceperunt Pariſij; facta ſiquidem mox conjuratione, Burgundum admittunt in Urbem, pacem conclamant, eductúmque Regem ex ædibus Paulinis circumducunt per vicos & compita, ut quidquid facerent, id Regis fieri nomine videretur. Hoc motu occiſi primores viri Bernardus Comes Armeniacus, Henricus Marlius Cancellarius Galliæ, Hector Carnotenſis pater Remenſis Archiepiſcopi, & plures alij; ſiquidem armata plebs, nobilitatis vires ſuperabat; unde quidquid Armeniaci erat hominis, aut capit, aut crudeliter occidit, præter paucos qui aufugerunt, parcit

parcit tamen Cardinalibus Barrenſi ſeu Ambaro, & Divi-Marci, ac Remorum Archiepiſcopo, quòd paci faciendæ adveniſſent. His de rebus Burgundio, qui Divioni erat, accepto nuntio celeriter Tricaſſes ad Reginam proficiſcitur, eámque Pariſios reducit, ubi à Rege magno gaudio exceptus Urbis præfecturam diu concupitam obtinet. REGINALDUS DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1418.

At Carolus Delphinus ex arce Antoniana per Taneguy Prætorem eductus, Melodunum aufugit, ac Galliæ Regens à ſuis appellatur, nec poſtea, licèt à parentibus rogatus, ut Pariſios pacis gratiâ reverteretur, promiſſis aut ullo fœdere, etiam Foſſatenſi flecti potuit, quòd Regni præfecturam inter ſe & Burgundionem partitam nollet, ut cenſuerant Legati Pontificis. Rex hoc rerum ſtatu, quo Normannia pæne tota in Anglorum poteſtatem conceſſit, Regni negotia (prout valetudo patiebatur) utcumque animo perpendebat; unde Burgundionis doli non ignarus (popularium gratiam per ſubdolas litteras avidè captantis) epiſtolâ 13. Aprilis anno 1418. ad Remenſes ſcriptâ vehementer conqueritur de quibuſdam Campaniæ urbibus, quæ in verba Burgundionis jurâſſent, jubétque ut in debita fidelitate perſeverent. Et ut ei faciliùs obniti poſſint, Guillelmum de Caſtellione dominum de la Fertè in Pontivo Remenſis urbis Præfectum conſtituit, qui Colini Lamberti tormentorum magiſtri operâ uſus eſt, cum ſtipendio octingentarum librarum pro bombardis inſtaurandis, aſſenſu Cleri & Scabinorum. Paullo poſt dat eidem Caſtellioni negotium luſtrandi caſtella, ſeu munitiones, quæ ſunt in ambitu Urbis, quò acceſſus difficilior eſſet, & menſe Septembri certos reddit Remenſes de pace inita cum Delphino, Duce Britanniæ, Regina Cæcilia Andegavenſi Duciſſa, Duce Alençonio, Regina, & Burgundione. Hæc pax vulgo Sancti-Mauri-Foſſatenſis vocatur ab Hiſtoricis.

Anno ſequenti rurſum Delphinus & Burgundio apud Melodunum in pago Pariſienſi colloquuntur undecima Julij, páxque jurata, & amniſtia in manibus Legati Romani; at, velut conventum Burgundio non tenuiſſet (aderat enim tempus quo parricidium à ſe nequiter factum lueret) apud Montrolium à Delphini familiaribus necatur. Margarita ejus uxor facti atrocitatem, ac modum quo ſe habuerat, ſcriptis ad Remenſes litteris ſexto die poſtquam evenerat, lugubri ſtilo depinxit, quæ in Archivis adhuc exſtant. Rex Pariſios eam evocat cum omnibus ſuis viribus, quò mariti cædem vindicet; edoctus enim à Burgundica factione edicit, ne quis pro Regente Galliarum Carolum agnoſcat, quòd inaudito hoc, ac nefando facinore, omnem pacis & concordiæ ſpem ſuſtulerit. Tum Philippum de Morvillers Pariſienſis Curiæ Præſidem, ac Petrum le Verrat Equiſonem Remos ablegat, qui Scabinis injungunt ex parte Regis, ut parati ſint exſecutioni mandare quod ipſis imperatum fuerit. Litteris Rex datis 6. Octob. laudat planctum, ac triſtitiæ ſigna ab ipſis edita ob Burgundi luctuoſum interitum, cujus labore & induſtria uſus fuerat pro concilianda pace, ut à Petro Cauchon Vicedomino Remenſi Libellorum ſupplicum Magiſtro didicerat, hortatúrque ne aures Carolo, qui ſe Delphinum nominat, inconſultè præbeant, litteras per Regnum patratam cædem excuſantes ſpargenti: Morvillers quoque à Pariſijs miſſus dicitur ad Ducem defuncti filium, omnem fidem, obſequium & operam promittentibus. An. 1419.

Hic Gandavi erat, cùm de cæde patris nuntium adfertur; tertio Idus Octob. die Veneris juſta patri magnificè fecit apud Atrebates in Æde D. Vedaſti, quibus interfuerunt Ambianenſis, Cameracenſis, Morinenſis, Tornacenſis, Atrebatenſíſque Epiſcopi; cum Abbis quampluribus. Rem divinam fecit Epiſcopus Ambianenſis, concionem Petrus Floræus Dominicanus Theologus Inquiſitor Fidei provinciæ Remenſis. Hic quòd dehortaretur novum Ducem à vindicta ſumenda de paterna cæde, nixus auctoritate

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP.

ritate divina, malè habitus est à nobilitate, dictitante Deum vindictam velle retribuere per brachium Philippi novi Ducis.

An. 1419. Per id tempus fœdus percutitur cum Anglis, & Catharina Caroli filia Henrico Regi despondetur Burgundionis gratiâ, qui per Laudunum, Remos, Cathalaunum transiens, ad 12. Cal. April. quando feriæ sunt S. Benedicti, in Tricasses pervenit ad Regem. Habent acta capitularia Rem. Ecclesiæ Ducem sollemniter receptum fuisse à Clero in cappis, cum Cruce & aquabenedicta 12. Feb. anno 1419. stilo Gallico, ac postera die Missam de Spiritu-sancto pro eo celebratam. Addunt regesta Scabinatûs undecim dolia vini rubri & albi Duci oblata, centum sextarios avenæ, triginta carpiones, & vigintiquatuor brochetos: alia etiam dona domino Lucemburgensi data, Episcopo item Tornacensi Cancellario, aliisque Nobilibus, qui illum comitabantur. Cùm primùm Dux Tricasses pervenit, fœdus cum Anglis ictum lætus approbat, legesque matrimonij, quo in Catharinam & legitimos ejus heredes jus Regni transfertur, exheredato Carolo Pontacensi (sic enim nomen ei inditum) omnique sexu virili Francici stemmatis: omnia facilè admittit Rex mentis impos, solitus facere quidquid voluissent Rectores. At, quò magis ac magis Gallia nefandæ sorti obstringeretur, jussum est civitatibus deputatos procuratorio instrumento munitos Trecas mittere, qui prædictum fœdus harum nomine jurarent: Remensis urbis deputati fuêre dominus de Castellione civium Præfectus, Colleſonus Grandvarlet, Henricus Mola, & Colinus Quatresols; ab his pax jubente Rege subsignata 23. Martij anno 1419. præsidiúmque Anglicum subinde Urbs recepit, ducibus Castellione & Savosio.

An. 1420. His rebus cognitis, Carolus mirum in modum commovetur, perpenditque animo, qua potissimum ratione tantis hostibus resistere valeat; at primo distributis per oppida præsidijs, Delphini nomen ac Rectoris palam assumit: tum per Reginaldum de Carnoto Remensem Archiepiscopum, quem à secretioribus Concilijs habuit, res, ne penitus dissolverent, retinet, collapsas reparat, Regníque statum sensim per varios fortunæ casus primævo flori restituit.

An. 1421. Interea temporis Henrico Anglo apud regiam Urbem insigni pompa recepto, Imperiúmque pro libitu disponente, præsidiarij milites, quos Delphinus in oppidis Picardiæ reliquerat, castrum de la Folie prope Branam capiunt, tum Axonam transgressi, per villas de Septimons, de Cuile, S. Petri-montis, castris de Marolio & de Turre-supra-Maternam deditis, usque Remos facilè grassantur. Quartâ Julij anno 1421. octoginta equites suburbanum impugnant prædas acturi; his cùm cives aliquot ab Urbe egressi obsistere niterentur, alij derepentè exsiliunt, cum quibus pugnatum ad portas, cadunt sexaginta è civibus, reliqui fusi, aut capti ab hostibus, qui & maximam pecuariorum abigunt prædam. Regij milites ex alia parte suppetias laturi, Campaniam excursibus adeo infestant, ut profligatis colonis, omnes ferè agri sine cultura permanerent; unde Remenses missis ad Rectorem è primoribus, rogant ut prædictas hostilitates impedire velit, quod brevî se facturum pollicetur litteris 6. Decemb. eodem anno.

An. 1422. Vigesimâ-octavâ Aug. anni sequentis Anglorum Rex Henricus excessit, relicto pupillo Regni Gallici herede umbratili, cui procurator datur Bethfordius, donec ad puberem perveniret ætatem. Remenses de hac morte certiores reddit Delphinus, queritur de injustitia & pravitate quorumdam, qui debitâ sibi coronâ spoliare contendunt, monétque ut in consilio persistant protinus redeundi ad debitum obsequium, caveant præsertim ab Anglorum perfidia &c.

Duodecimo Cal. Nov. decedit è vivis Rex Carolus Lutetiæ, conditus cum majoribus, audita hac morte Delphinus, per unicum diem pullatus fuit, tum sumtâ purpurâ, apud Pictavos se Regem dixit, cui ut obsiste-

ret

Digitized by Google

ret Catharina mox per civitates litteras mittit, quò eas in officio & fide contineat erga filium Regni heredem, litteræ Remis datæ 28. Nov. ſcriptæ ac ſubſignatæ ſunt nomine Henrici, quibus duplex Franciæ & Angliæ ſigillum appendet. Bethfordius pariter ad eos ſcripſit de proſpero armorum ſucceſſu per varias Regni provincias: at Remis *Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.* maxima inter populares commotio, & ex primoribus haud pauci Carolo adhærebant, licèt necdum aperte, tam ob ipſius abſentiam, quàm propter præſidiarios milites, & aliquot ab Anglis ære conductos. Non defuerunt qui Francos ſe audacius profiterentur, inter quos Guillemum Priorem conventûs Carmelitani ſchedæ memorant, quem Johannes Cauchon Vicarius D. de Chaſtillon in vincula conjecit, accuſatum dixiſſe quingentos cives in Urbe latere qui Lilium in corde geſtarent, Carolumque intra ſex menſes Remis ſacram unctionem recepturum.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. *An* 1422. *Virg. Æneid. lib.* 2.

Interea caſtro de Moimet prope Virtutum Carolus potiebatur, unde fiebant excurſiones per totam Campaniam cum mercaturæ diſpendio; Johannes de Caſtellione obſidet illud, capitque poſt ſex menſes obſidij, mox ab exercitu regio vallatum ad deditionem cogitur, eique præfecit ..... qui vicos omnes viciniæ contributioni ſubmittit. Comes Sareſberienſis Campaniæ Toparcha, conquerentibus provinciæ mercatoribus, jubet iterum oppugnari, accitis undique militibus urbium cuſtodiæ mancipatis; Remenſes ſingulis menſibus mille ſexcentas libras pendebant, præter victualia & munitiones pro acceleranda obſidione, Capitulum Miſſam de Sancto-Spiritu ſingulis menſibus indicit donec expugnaretur. Redditum tandem eſt poſt quatuor menſes obſidij, ac rogatu Remenſium, Cathalaunorum, & Trecenſium, ſus déque dirutum, miſſi cæmentarij qui everſionem urgerent, erántque turris præcipuæ lapides cæmento ſic fortiter connexi & agglutinati, ut malleis ferreis, vel alia vi potentiore vix diſſolvi poſſent, facilè enim operarius ſecum deferre poterat quod per totum diem magno conatu avulſiſſet: erat turris faſtigio montis incubans, qua parte declivior eſt; duodecim pedum craſſitudinis ſupra primam fornicem. Adhuc videntur rudera aliquot, & lapides in acervo, præter turris angulum qui etiamnum ſtat, foſſas etiam ſupra clivum non ſpernendæ profunditatis adnotavi, etſi vepribus obſitas, quæ caſtellum ibi ſat amplum fuiſſe teſtantur: cavum etiam ſubterraneum viſitur ſub turri, fornicato opere, & lapidibus latere coctili inter ſe devinctis; ſeniores dicunt ibi ſubterraneas cryptas eſſe, quæ ſeſqui milliare ducant. De prædicto caſtello Chronicon Sueſſionenſe hæc habet ad annum 1209. *Senes pro certo affirmant, quòd hoc anno de diverſis Galliæ partibus innumera multitudo canum apud Caſtellum Campaniæ, quod vocatur Mons-Hymer, congregata eſt; ipſi verò canes in duas partes diviſi, ad invicem acriter pugnantes ſeſe invicem cade ferè omnes interfecerunt.*

An. 1425.

Idem refert Alberic. ad an. 1239. *vocátque Montvimer, qui & ab antiquo Mons Vvodamari dicebatur.*

Itum poſtea ad caſtella de la Folie ſupra Branam, Montis-ſanctæ-Mariæ, & de Marolio, quæ expenſis Remenſium ſolo æquata ſunt, quò Campania expers latrocinij eſſet, mercatoréſque libere iter facerent. Tum Comes Sareſberienſis Remos veniens, receptus eſt 24. Martij anno 1427. præfecítque ibi Guillelmum Hodierne, qui Ballivij munus expleret nomine Henrici Franciæ & Angliæ Regis, cum fiſcali Procuratore, & alijs officiarijs, quòd Archiepiſcopus Caroli partibus adhæreret.

An. 1427.

Capitulum provinciale Canonicorum, ob bellorum motus intermiſſum, hoc anno indictum reperio apud Sanctum-Quintinum, cui interfuerunt cathedralium Eccleſiarum deputati; exſtat ſchedula ad Præpoſitum & Capitulum Remenſe, qua monentur hortari, ſeu præcipere ſibi ſubditis Clericis, ne cauponas frequentent, aut mercaturæ dent operam, quod illis vetitum erat ſtatutis ſynodalibus, etiam Remis publicatis. Mandatum Capituli provincialis ſic incipit: *Quoniam ex facti experientia.*

An. 1428.

Deus

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1428.

Deus misertus Gallorum mittit illis Puellam vindicem, hac Remos Carolum ad sacram Unctionem per medios hostes feliciter deducit. Et de pace Atrebatensi.

CAPUT XXXIII.

CAROLO, cujus res fractæ ac prostratæ penitus erant, insperata hoc anno eluxit felicitas; cùm enim Aureliano ab Anglis obsessa, & penuriâ laborante, à Philippo Burgundo pacem extorquere non potuisset, Deus qui nusquam deest in extremis, veniam petenti auxiliatur admodum mirabili modo, quo repentè immutatus adversæ fortunæ cursus. Principio Martij apud Chinonem ad Carolum accessit Johanna virgo Gallica annos nata circiter decem & octo, modicis orta natalibus, divinitus se afflatam dicens, quò, ab urbe Aurelianensi fortiter eliminatis Anglis, Remos ad sacram Unctionem Regem deducat. Irrisa primùm à Consilio; at iterante promissionem, fidem fecit, & quidquid verbis erat pollicita, factis complevit; ne diutius Angli suis fiderent viribus, aut fœderi icto cum Burgundione, per sexum fragilem Deus voluit operari Regi, quem hactenus corripuerat, suppetias ferendo, quò hostium explosa vanitate, cunctis pateret, quàm fortes, felicésque sunt, à quibus stant numina.

Orta ex page de Vaucouleurs in finib. Lotharingiæ Alanus Bouchard lib. 4. fol. 173.

Puella igitur dux Gallorum, Rege consentiente, agnita, copias quas potest adunat, copiosum omnis generis commeatum, invitis hostibus, in urbem Aurelianensem importat, tum subitâ eruptione fortissimè factâ, prlis, aggeribus, excitatísque castellis, eversis ac dissipatis, hostes aggreditur, prosternit, in fugam propellit, Urbem obsidione liberat mense Maio. Inde Magdunum, Gergellum, Bogenciacum capit, vincit, fundit, fugat Anglos; Autissiodorenses, Fanum-Florentij, Tricasses, Cathalaunos recipit, Regemque Remos inungendum faustè deducit; & hic præcipuus legationis Puellæ scopus. Carolus siquidem regium diadema jam susceperat, Remi procul dissiti, exercitus prostrandi, provinciæ ac urbes difficulter peragrandæ, & tamen hoc itinere frequentiùs in ore nihil habuit Puella, donec Remis Unctio peracta est.

Trecas 5. Julij adveniens imperat Carolus portas sibi aperiri, quò Remos confestim adeat ad sacram Unctionem percipiendam, cunctantibus illis Puella vernaculè sic scribit.

Jesus ✠ Maria.

Tres chers & bons amis, s'il ne tient à vous Seigneurs bourgeûs & habitans de la ville de Troyes, Ieanne la Pucelle vous mande, & fait sçavoir de par le Roy du Ciel son droiturier Seigneur & Souverain, duquel elle est chacun jour a son service royal, que vous fassies vraye obeissance au gentil Roy de France, qui sera bien tost à Reims & à Paris, qui que vienne contre &c.

Harum litterarum exemplar ad Remenses mox directum est cum quibus alijs, Trecenses incolæ hos certiores reddunt de regij exercitûs adventu, de subsidio à Burgundione promisso, & de ijs quæ variè apud eos gerebantur: rogant ut quid consilij in hoc discrimine capiendum sit, rescribere velint, & utrum Regni Rectorem convenire debeant. Addunt Franciscanum nuper à suis interceptum, qui diceret quatuor Remenses in castris Caroli clam cum eo agentes vidisse: unde monitos de his

his esse volunt, ut sibi consulant. Exstant litteræ Ducis Burgundionis in Scabinatu, quibus sibi suggestum esse narrat portas urbis Remensis Carolo certissimè aperiendas, cum primùm adventaret, hócque consilio cives præsidium solito majus recipere noluisse, licèt Urbis Præfectus ad id eos compelleret. REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1429.

Carolus eodem die Remenses suis litteris gnaros reddit de victoria adversus Anglos in obsidione urbis Aurelianensis reportata, & de hostilium copiarum profligatione apud Magdunum, Gergellum, Bogenciacum, ubi duces præcipui aut cæsi, aut captivi redditi; se mixum plebis fidelitate agminatum Remos pergere, quò sacram ocius recipiat Unctionem: unde monet ut cum Feciali aliquos mittant, qui secum in castris colloquantur. At suspensos & ancipites Anglorum & Burgundionis potentia tenebat animos, nihil in aperto concludere, ditiores vereri ne in eos graviùs animadvertatur. Claudius de Mailli Ballivius Viromandensis interim rumorem spargit Johannem Lucemburgensem brevì adfuturum, classem Anglicanam recèns ad Calesium appulisse, in qua octo millia pugnatorum, Savosius item de Insula-Adæ. & Castellioneus suppetias pollicentur, nihilque omittunt, quò nutantes in officio contineant; at Remenses quibus Angli invisi ob tyrannidem, retentis portarum clavibus apud se, Præfectum illis omnino dominari, aut fortiorem in Urbe non patiuntur.

Trecis undecimâ Julij Regem honorificè suscipit Johannes Acutus Episcopus laudatissimus, Cathalauni se fidos postea exhibuerunt, oppidis circumiacentibus ultro deditis, nihilque superandum restabat, cùm Reginaldus de Carnoto ad Remenses litteras mittit 12 Julij, quibus felicem rerum statum pandit, hortatúrque ut præsto sint ad Carolum intra Urbis mœnia sollicitè recipiendum. Ipsemet ingressum ejus antevertens Remos concessit 16 Julij, ubi possessionem inijt Archiepiscopatûs personaliter, sacramentum edidit supra majus altare, Regémque brevì adfuturum civibus denunciavit.

Hoc nuntio, incredibili lætitia præfusi Remenses, haud secus ac si quis post obscurum & tetrum carcerem lucis usurâ insperatè frueretur, publicam vix continent alacritatem, Anglorum stipendiarij ex hilari vultu quiddam sibi adversum ominantes, arma corripere, minari, duces quoque Castellioneus & Savosius fidem Anglo datam urgere; Puellam, non è cœlo datam (ut vulgus putabat) dictitare, subsidium ad portas. At ipsi durioribus verbis à popularibus excepti sunt, inquit Monstreletius; unde quò velociùs sibi consulerent, relicta Vrbe, apud castrum S. Theoderici festinantes secessérunt. Juvat hîc Cardinalis Papiensis vèrba referre, quò major dictis fides adhibeatur.

DElphinus jam Puellæ monitis credens, cujus dicta firmaverant facta, « *Cardin. Papien. in Commentar. Pij pa-*
supplicationes Deo per omnia templa decrevit, & ad susciplendam « *pa II. lib. 6.*
coronam sese accinxit: nobilitas vniversi Regni miraculosis Puellæ ope- « *pag. 156.*
ribus auditis, postquam sollemnia coronationis apparari didicit, incredi- «
bili cupiditate visendi Virginem tota Gallia assumtis armis accurrit, atque «
intra mensem, supra triginta equitum millia proprijs stipendijs militatura «
ad Delphinum concessit, qui tantas adesse armatorum copias magis ac «
magis lætatus, ex Biturigibus, apud quos plerumque morabatur, arrepto «
itinere, procedente in armis & vexillum regium gestante Puella, in Re- «
mos duxit. Media quæque oppida in potestate hostium erant, populique «
omnes novis adacti juramentis fidem servare Anglico, ac Delphinum «
hostiliter accipere decreverant; at ubi eum, Puellámque prope adesse «
cognoverunt (mirabile dictu) nemo contra armatus occurrit, nemo por- «
tas clausit, nemo venientibus maledixit: quocumque ventum est, effuse «
obviam

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. *An.* 1429.

„obviam plebs Delphinum tamquam dominum salutârunt, certantes inter „se quonam pacto suum Principem majoribus honoribus afficere possent. „ Cùm prope Remos ad quadraginta ferè stadia perveniisset exercitus, „magnopere in Civitate trepidatum est, nihil Anglico tutum videri, nu„tare primates, plebis animos res novæ allicere: fuerunt inter Anglicos, „qui suaderent sacrum Oleum, quo Rex inungitur, alio transferendum, „ne perdita Civitate, ritè coronari hostis posset. Opinantur Galli candi„dam olim columbam è cœlo missam B. Remigio ejus Urbis Antistiti, liquo„rem olei attulisse, quo Reges inungerentur, idque summa religione custo„diunt, neque imminui putant, quamvis à Clodoveo usque in hæc tem„pora permulti Reges illo sint usi, negántque verum esse Regem, qui hoc „oleo non sit delibutus. Ob eam causam, cùm de transportando liquore „sæpius Anglici consuluissent, divina voluntate præpeditum propositum „arbitrantur.

„ Delphinus Urbi propinquus Caduceatores misit, qui Civitatem tradi ju„beant, coronationemque suam Remensibus annuncient: illi primarios „cives legant, qui tempus consultandi petant: Puella Legatis nihil respon„deri jubet, nihil morandum; in tempore quę Deus statuisset, cuncta „esse gerenda. Paret Delphinus Virgini, retentísque Legatis, & præmissis or„dinibus equitum, celeri cursu Civitatem petit. Mira res, & apud poste„ros fide caritura, nullus vel in porta, vel in Urbe reperitur armatus, „togati cives extra mœnia occurrunt, Delphinus sine conditionibus, sine „pactis, absque ulla contradictione patentes portas ingreditur, nemo recla„mat, nemo signum indignationis ostendit; divinum opus cuncti esse „fatentur. Franci dum portam unam ingrediuntur, Anglici alterâ fu„giunt, pacifica & quieta Civitas suum dominum bene amplectitur, & „quem paullo ante velut hostem aspernabatur, nunc tamquam patrem „miro affectu & summis honoribus excolit. Fit magnus circa Delphinum „salutantium concursus, major circa Puellam, quam velut divinum ali„quod Numen intuebantur.

„ Facta sunt hæc die Sabbato in profesto B. Mariæ Magdalenæ, & in „ipso festo apud Monasterium S. Remigij, magnâ populi frequentiâ, multis „Proceribus, ac Prælatis circumadstantibus, Delphinus more majorum sacro „inunctus Oleo, Regni Franciæ diadema suscepit, acclamante multitudine „Carolo Regi (id enim nomen Delphino fuit) vitam ac victoriam. Manet „Rex ea in Urbe quatriduo, præter consuetudinem, mos enim Franciæ „Regibus est die qui coronationem sequitur, templum quoddam peregri-

Sanctus Marculfus vulgo St. Marcoul

„nando petere, cui sanctus Marchon præsidet, atque ibi ægrotos curare. „Miraculum Galli vulgaverunt, morbum quemdam humano in gutture „nasci, qui solo Regis tactu, & arcanis quibusdam curetur verbis, idque „post coronationem, in hoc templo fieri. Non est peregrinatus statuta die „novus Rex, impedimento fuêre Burgundionum Legati, qui salutatum „venerant, & aliquid ad concordiam afferebant.

„ Quibus auditis, quarta die peregrinatio facta est, in qua de curatione „morborum nihil satis compertum habeo, quamvis Galli omnia illa cre„dant fieri miraculosè. Post hæc Puella cum novo Rege Laudunum petit, „neque resistentia reperitur, paruêre omnia Regi, idem fecêre quæcum„que oppida intra Parisios, Laudunúmque jacent, populis ac plebibus uni„versis summa cum exsultatione obviam effusis. Fuit & spes data Regi, „Parisiorum urbis capiendæ, sed cùm in agros eorum duxisset exercitum, „nec quisquam occurreret, deceptum se intelligens, retro abijt &c.

„ Hactenus Cardinalis Papiensis Auctor Synchronus aut suppar. Addit præterea Polydorus Virgilius Anglos, qui Remis præsidio erant, rogatu civium à Carolo incolumitatem impetrâsse. Hic igitur die 21 Julij prodeuntibus

deuntibus extra Urbem civibus, & quibuſdam uſque ad Septem-ſalices, ingenti plauſu & acclamatione recipitur : ſequenti B. Mariæ Magdalenæ ſacro, ſollemnes inaugurationis ceremoniæ peractæ ſunt, eo ordine quem deſcribit Monſtreletius, ſacram Ampullam Johanne Canart Abbate cum cappa auro phrygiata & mitra, deferente à Monaſterio ad principem Ædem. Rex Remenſem Archiepiſcopum jam Regni Cancellarium, totius tractûs cis Ligerim Præfectum conſtituit, ex chartula Scabinatûs Remenſis, ubi hoc præſertim titulo inſignitur anno 1431. Dedit & Eccleſiæ cathedrali holoſerica tapeta viridis coloris, quibus uſus eſt in ſua coronatione, ornamentum item ex ſerico rubeo aureis floribus ſparſo, aliud pariter Eccleſiæ S. Remigij ex damaſceno albo cum lilijs, tum ad S. Marculfum profectus eſt, manum ægrotis de more impoſiturus. Remenſes, quos Rex gratanter exceperat, in officio & fidelitate deinceps perſtiterunt eliminatis Anglis & derilis. Tradunt acta capitularia indictam Dominica ſequenti generalem ſupplicationem, quâ gratiæ Deo actæ pro felici Regis coronamento, Anglorúmque receſſu : unum item è Clericis Angliæ Regis ſtipendiarium, quòd Urbis ſecreta vulgâſſet, Beneficijs fuiſſe privatum, ac carceri perpetuo mancipatum. Addunt memoriæ publicæ Regi miſſas machinas, ſclopos, pulverem tormentarium, aliáſque munitiones in obſidione urbium Meldenſis, Lagniaci, Pontis-Iſaræ, pro quibus ſpondet redditurum cumulatiſſimè meritum, pluribus litteris quæ exſtant adhuc in Scabinatûs Tabulario, ubi & ſchedula viſitur, quæ probat à ſua inauguratione uſque ad annum 1451. cives pluſquam ducenta millia librarum liberaliter Regi contuliſſe, quod mirum videri poſſet poſt tot clades, quæ omnium Gallorum fortunas penitus exhauſerant.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. *An.* 1430.

Ob hæc Regi diligenter ac ſtrenuè à Remis impenſa obſequia, lætus Archiepiſcopus certiores hos frequenter faciebat de his quæ maximi momenti fiebant in Curia, ut abundè colligitur ex litteris ſat bene multis quæ reſtant ; quibuſdam enim ſcribit Guillelmum Flaviacenſem Compendij Præfectum præmiſſis ſalucijs aureis à Burgundione vehementer ſollicitatum fuiſſe ut Urbem proderet, dignam nihilominus hunc ab eo tuliſſe repulſam. Albimantellum præterea à ſeditioſis Pariſienſibus Remos mittendum, quò Urbem à Regis fidelitate, ſi poſſit, avertat, unde monet ne dilabi patiantur, ut ſuæ perfidiæ pœnas luat. Refert in alijs Puellam verſùs Clariacum, Bodonem Noïellam inſecuturam è Compendio erupiſſe, ſed à Burgundionibus, qui auxilio advenerant, equo dejectam, captam, ductámque Mariniacum ; meritò id illi contigiſſe dicit, quòd ſuis viribus, ac proprio ſenſui nimium confideret. Addit idem Archiepiſcopus ex montibus Gevodiæ diœceſis Mimatenſis tenellum paſtorem ad Regem nuper veniſſe, qui eadem omnino pollicebatur ſe facturum ac Puella, dicebátque ſe inſpiratum divinitus, ut cum regijs militibus ſe committeret, Anglos & Burgundiones brevi ac certò profligandos. Cúmque ei objiceretur, ab Anglis Puellam morti adjudicatam, hæc enim tertio Cal. Jun. pridie feriarum Ss. Corporis Chriſti Rotomagi in veteri foro rerum venalium cremata eſt anno 1431. Reſpondebat ſic ordinatum fuiſſe à Deo, quòd amictu nimiùm curioſo uteretur, ſibíque rerum geſtarum gloriam inconſultè adſcriberet, quæ ſoli Deo debetur.

An. 1431.

Scribit alibi pacem brevi ſanciendam cum Burgundione apud Atrebatum, Ducem Aurelianenſem captum in pugna Azincuriæ Caleſium appuliſſe, eique Burgundionem cum Duciſſa uxore obviam ei perrexiſſe apud Fanum-Audomari. Addit deinde centum ſexaginta millia aureorum pro redemptione eidem Duci à Rege promiſſa, quæ per totum Regnum exigi debebant, ex quibus tria millia centum & ſexaginta Remenſi Cameræ ſubſidiorum, ſeu Electioni ut dicitur, imponenda erant, quæ à Remenſibus

An. 1434.

In ſignum reconciliationis dominam Clivenſem Burgundi neptem Aurelianenſis mox deſpondit.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP.

quamprimùm mutuò dari Dux enixè precabatur. Queritur in alijs telas Remis emptas & egregiæ textrinæ, ex gynæceo regio nocte furatas fuiſſe domino Delphino, unde rogat, ut ociùs alias è nobilioribus mittant, Remis textas, quod libenter præſtiterunt per G. Godard, qui Laudunum delatas Delphino, nomine Civitatis, obtulit.

An. 1435. Interea temporis ad Conventum Atrebatenſem menſe Julio anno 1435. Nicolao Cardinale tituli S. Crucis ab Eugenio Papa, & Cardinale Cypri à Synodo Baſileenſi miſſis, paci conciliandæ annitentibus, Regum ac Principum Legati convenerunt. Caroli Regis fuêre Carolus Dux Borbonicus, Arturus Richemondanus Magiſter equitum, Reginaldus Pontifex Remorum, & alij; hic omnis ævi tota in Gallia fuit celeberrimus. Poſtquam cum Anglis iniqua petentibus nihil profici potuit, ventum ad Burgundionem, qui rogatus mitiorem ſe præbuit ſanandis Reipublicæ calamitatibus, præſertim cùm videret id Deo eſſe curæ. Cùm ergo ſatis ſupérque de cæde parentis acerbas ſumſiſſet pœnas, timerétque ne civilibus bellis arderet Flandria, quæ paſſim per urbes civium tumultibus, velut flammulæ, erumpebant, pactis quas voluit conditionibus, Legatíſque Caroli facinus per imperitiam adoleſcentiæ excuſantibus, paci tandem acquievit, quæ 11. Cal. Octob. per totam Galliam calamitatibus feſſam publicè denuntiata, innumeros mortales miro affecit gaudio.

Johannes de Chiverny Vveſtovienſis dominus, & Triſtanus l'Hermite hanc Remis publicandam juſſu Regis detulerunt, quod ut majori apparatu fieret, adhuc Lauduni degentes monent per curſitorem Remenſes, velle ſe ſupra majus altare principis Ædis litteras pacis priùs deponere, eáque Virgini, velut beneficij per eam accepti pignus, offerre. Sequenti igitur die quo venturi erant, inſtitutum indictum, ac optatæ paci obviam itum à primoribus, quæ in Eccleſiam lætanter delata eſt, Clero muſicalibus hymnodijs alacritatem teſtante, quam campanarum ſonitus per ſingulas Eccleſiarum pyramides multo ſuavior juvabat, tum præcedentibus tubis, lituiſque admirando ſonitu omnia replentibus, per Urbis compita ſollemniter proclamata eſt.

Famam diu concupitæ pacis repentinam Sparnaci peperit deditionem petentibus Remis: exſtant deditionis leges in ſchedula à Præfectis ejuſdem oppidi, nomine Burgundionis pactæ, quam ex Archivis Gallico idiomate ſumtam de verbo ad verbum ſic expreſſimus.

JE Ivonet Vincent promets & jure ſur ma Foy de delivrer la ville d'Eparnay a Meſſire Iean de Crouy Seigneur de Tour-ſur-Marne, au nom du Duc de Bourgogne le jour de Novembre la preſente année, par ainſi que Iean de Chaſtillon Seigneur de Troiſſy, Robert de Bethune Seigneur de Mareüil, Guillaume de Baleine & moy ſeront contens de la ſomme de quatre mille ſalus d'or, ou monoye à la valeur, c'eſt à ſçavoir en defaut de ſalus, pour chacun ſalus vingt & un gros & ecus de Tournay & pieſtres de Bourgogne pour quinze gros piece, & le marc d'argent, & livre de fin argent pour ſix ſalus d'or, dont leſdits deux mille ſe payeront Samedy prochain venant audit Eparnay, & leſdits deux autres le 15. Novem. moyennant que tres reverend Pere en Dieu Monſeigneur l'Archevéque de Reims Chevalier de France nous baillera ſon ſceelé & promeſſe de nous entretenir le contenu en ce preſent ſceelé. Ce que je promets tenir & accomplir temoing mon ſigne manuël cy mis le 21. Octobre 1435. Nous Guillaume Seigneur de Chaſtillon & de la Ferté en Ponthieu, & Iean de Chaſtillon Seigneur de Troiſſy Chevaliers freres confeſſons avoir reçeu pour & au nom de moy Iean de Chaſtillon, & de Robert de Bethune Seigneur de Mareüil d'Autel & de Bray, de Guillaume de Baleine Seigneur de Pielle-

Vielle-maiſon, & de Ivonet Vincent Capitaine des gens d'armes eſtans à Eparnay, de tres reverent Pere en Dieu Monſeigneur l'Archevéque Duc de Reims premier Pair, & Chevalier de France & des gens d'Egliſe, Echevins, bourgeois & habitans de la ville de Reims par les mains de Gobin Perſin, & Iean le Breton demourans audit Reims la ſomme de deux mille ſalus d'or, tant en or & monnoye, comme en vaiſſeilles d'argent, chacun ſalus au prix de vingt & un gros, & chacun marc de vaiſſelles au poids de ſix ſalus d'or, & ecus de Tournay & pieſtres de Bourgogne, en deduction de la ſomme de quatre mille ſalus d'or, laquelle je Iean de Chaſtillon, & autres Capitaines avois traité avec ledit Monſieur le Chevalier, pour rendre, & remettre ladite ville d'Eparnay es mains de Meſſire Iean de Croy Chevalier, de laquelle ſomme de deux mille ſalus d'or reçeu en la ville de Reims nous tenons pour contents.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. *An.* 1435.

Nicolaus Cardinalis titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem Franciæ Legatus, ac unus è mediatoribus pacis Atrebatenſis Remos venit menſe Octobri, quem Canonici cappis induti receperunt ad gradus Eccleſiæ, conceſſítque Indulgentias Eccleſiæ S. Dionyſij, die feſto prædicti patroni, petentibus Abbate & Religioſis. Eodem anno Remenſi Archiepiſcopo apud Inſulas degenti, quò pacis articulos exſecutioni demandaret, graviter conqueſti ſunt Præpoſitus, Decanus, & Capitulum Remenſe de Epiſcopis Suffraganeis, quòd matricem totius provinciæ, ſeu Metropolitanam viſitare dedignarentur (ut moris erat) ſtatim ab eorum promotione, ſacramentum ſolitum, cappámque ſericam, aut pretium æquivalens exhibere, qua uterentur in coronamentis Regum, & in Synodis provincialibus. Reginaldus dat negotium ſuis Officialibus ac beatorum Nicaſij & Dionyſij Abbis, hos ad id cogendi viâ Juris, litteris apud Inſulas datis anno 1436. quæ ſic incipiunt *Reginaldus Archiepiſcopus..... à ſua civitate & diœceſi propter negotia publica notoriè abſens.* Querela erat præſertim adverſus Johannem de Sareponte Epiſcopum Cathalaunenſem; at prolatis in medium aliquot ſententijs, ſeu Curiæ decretis in Suffraganeos prædicta denegantes, Canonicorum Remenſium petitioni libenter Johannes acquievit anno 1437. Inde Reginaldus à Rege Pariſios vocatus, poſtquam regia hæc urbs Anglicum jugum excuſſerat Cal. Decemb. ſupremi Senatûs innovationi velut Par Franciæ & Cancellarius interfuit. Pro reductione Pariſiorum Remis actæ gratiæ ſupremo Numini menſe Aprili anno 1436. Paullo poſt Deglubitores, vulgo Excoriatores dicti, colluvies erat inopum militum, qui unde famem tolerarent, non habebant, duces ex nobilitate nacti, tranſmiſſo Somona Picardiam depopulabantur: pulſi à Veromanduorum finibus, impetum in Campaniam fecerunt, erátque tum ibi tanta annonæ gravitas, ut plurimi mortalium fame abſorberentur, peſtilentia quoque & luporum ſævitia in agro Pariſiorum incruduit.

An. 1436.

An. 1437.

Menſe Junio anni 1438. miſit Carolus Rex filiam ſuam Catharinam deſponſam Carolo Philippi Principis filio Cameracum, hanc deduxerunt Pontifex Remorum, Comes Vindocinenſis, aliáque nobilitas, erátque annorum circiter decem, at brevi ſupervixit tempore.

An. 1438.

De Concilio Baſileenſi aliquid, & de Reginaldi ſtudys in Rempub. tam civilem, quàm eccleſiaſticam impenſis.

CAPUT XXXIV.

PACE feliciter Eugenij Pontificis, Patrúmque Concilij Baſileenſis ſtudio ſtabilita, gravis inter eoſdem emerſit diſcordiæ fomes ſchiſmate peïor, quòd Pontifex inconſultis, ſeu etiam renitentibus

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. an. 1438.

Patribus Concilium aliò tranſtuliſſet. Rem paucis refero, ne quid ſcitu dignum hiſtoriæ deſit.

Martinus V. Conſtantienſis Synodi decreto ſatisfacturus, quo ſancitum fuerat, ut quolibet decennio generalis Conventus haberetur in urbe à Pontifice & à Patribus deſignanda, Legatum ipſe nominavit, qui Baſileæ Concilium cogeret, quæſtionibúſque per Epiſcopos diſcutiendis, ac definiendis præſideret. Eugenius poſt Martini obitum ad ſummi Pontificatûs apicem provectus, locum à prædeceſſore ſelectum approbat, in quem mox ex omnibus ferè mundi partibus Epiſcopi convolant, Eccleſiarúmque cathedralium deputati, inter quos adfuêre Remenſes Johannes d'Attigny, & Johannes de Vitry majoris Eccleſiæ Canonici, conſenſu Abbatum nominati, ex actis Capitular. menſe Martio anni 1435. Concilium enim Baſileenſe anno 1431 inchoatum, ad an. 1442 propagatum eſt. At conquerente Juliano Concilij Præſide vicinum Baſileæ territorium, Burgundionum & Excoriatorum incurſionibus infeſtari, qui tanto impetu, velut Patres exturbaturi, Baſileam uſque graſſabantur, ut liber ad eam acceſſus non pateret. Pontifex hac flexus ratione, promiſſioníſque memor Imperatori, & Patriarchæ Conſtantinopolitano nuper factæ, ſe brevì convocaturum Synodum in Italia pro unione duarum Eccleſiarum, Conſilium Baſileenſe revocat, ne in duobus, & tanta intercapedine diſſitis locis duos Conventus ſimul & ſemel habere cogeretur.

Julianus anceps diu hæſit ob mandatum Pontificis, videns nihilominus tantam Epiſcoporum frequentiam, Bohemorum adventum, & quòd incurſiones ceſſarent, Concilium dimittere noluit, cujus rei Papa certior factus, iterum Baſileenſem Cœtum revocat litteris ad Imperatorem & Epiſcopos miſſis, unde novum oritur ſchiſma quod Sigiſmundus prædixerat: nam Julianus Præſes nixus auctoritate ab Eugenio ſemel accepta, in propoſito ſtetit immobilis, reputans multùm referre, ut quod conſultè ſtatutum fuerat, irritum non eſſet, ne quolibet prætextu Bohemis daretur occaſio cavillandi. Unde receptis de ſententia Patrum, Bohemorum Legatis, rationes eorum per aliquot dies diſcuſſæ ſunt, ac velut futiles rejectæ; decreta quoque ab ijſdem ad reformationem morum ſpectantia edita ſunt, quæ in actis Conciliorum fusius habentur.

A Patribus Baſileæ congregatis Pragmaticam-ſanctionem pariter renovatam putant nonnulli, quam Gallicani Epiſcopi apud Biturigum juſſu Regis adunati confirmârunt, Pariſiíſque publicandam mittunt 13. Julij anno 1438. ex Genebr. Sive à Concilio Baſileenſi hanc Pragmaticam derivarint Galli, ſive apud eos edita ſit, veteris moris nonnihil continet obſervatu digniſſimum, licèt velut hæreſis mater à Romanis ſemper vapulârit, quòd horum ritibus valde ſit contraria. Baſileenſes, auditis quæ inſuper apud Biturigum decreta fuerant à Gallicano cœtu, Regi ſuis litteris gratias egerunt, rogantes ut ſua auctoritate hæc velut Rex Chriſtianiſſimus ſtrenuè tueretur; hoc quoque negotium Trimolio commendant, & Archiepiſcopo Remenſi Franciæ Cancellario, ad quem exſtat gratulatoria ſequens epiſtola quam hîc ex actis Synodi reponimus.

Remenſi Archiepiſcopo Patres Baliſeleæ congregati.

„ SAcro-ſancta generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu-ſancto legitimè
„ congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, reverendo in Chri-
„ ſto Patri domino Archiepiſcopo Remenſi Franciæ Cancellario .....
„ Reſcripſit nobis venerabilis vir Prior conventûs Chamberiaci Ordinis
„ Prædicatorum Ambaſiador noſter, quanto zelo huic ſacro Concilio affi-
„ ciamini, ejúſque profectum deſideretis, & cum diligentia quæratis, pro

qua

Digitized by Google

qua re, quia cauſam Dei agitis, ipſe vobis in hoc & in alio ſæculo dignè retribuat. Eccleſia verò, pro ejuſmodi favore, quem ſibi impenditis, ſuarum orationum, & meritorum apud Deum participem faciat, & ad omnia veſtrum honorem & ſtatum concernentia obligatam ſe vobis meritò profitetur. In hac re quæ veſtram paternitatem tamquam Chriſtianum & Antiſtitem non minus tangit, quam nos, nihil aliud dicendum nobis videtur, niſi ut ſolitâ diligentiâ opus hoc divinum proſequamini, ex quo, cum exſtirpatio hæreſum, pacificatio populi Chriſtiani, eradicatio vitiorum ſequi ſperetis, magnum apud Deum meritum, & apud homines laudem accepturi ſitis, optimè intelligitis. Scribimus Chriſtianiſſimo Regi Franciæ, & ſuo Conſilio, & quibuſdam particularibus apud eum potentibus, prout idem Prior ex veſtro conſilio nos adviſavit, & litterarum copias hac intercluſas mittimus, ſi quid aliud ad proſecutionem hujus rei, necnon ad pacem præclariſſimi Regni Franciæ, ad quam toto corde aſpiramus, faciendum, vos maxime deprecamur, ut nobis ſignificare velitis. « REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1438.

Concilium decimam Sacerdotio impoſuit, quæ Remis hoc anno colligebatur menſe Octob. bullámque Abbatiſſæ Monialium S. Petri Remenſis conceſſit, Sede apoſtolica vacante, menſe Septemb. anno 1439, pro bonis ſui Monaſterij vindicandis. Columba viſitur plumbo impreſſa ex una parte alis velut Cœtui incubans, ut Seſſ. IV. ſtatutum fuerat à Concilio.

Interea-loci Ferrarijs Eugenius cogit Concilium 9. Aprilis anno 1439. *An. 1438.* at lue graſſante, transfert illud Florentiam, ubi actum de proceſſione Spiritus-ſancti, coram Johanne Palæologo Græcorum Imperatore, Patriarcha Conſtantinopolitano & alijs. Stante adhuc hoc Concilio, Patres Baſileenſes Eugenium ad jus vocant, citántque ſæpius, ut compareat, eóque renuente, perjurus, & hæreticus declaratur, vacabátque Sedes apoſtolica menſe Sept. ex relato à nobis diplomate. Thomas de Courcelles Ambianenſis Canonicus vir doctrinâ mirabilis & amabilis, inquit Æneas Silvius, multis probavit rationibus Papam eſſe ſub Concilio. Hic modeſta quadam verecundia ſemper perorando coram Patribus terram intuebatur, Decreta Concilij ipſe collegit, lectuſque eſt cum alijs tribus pro triginta duobus viris nominandis, quibus Concilium dabat poteſtatem ſeligendi Papam in locum Eugenij: at Carolus Rex hujus rei factus certior interceſſit, conſilio Remenſis Archiepiſcopi, qui Florentiæ ob id inter Purpuratos ab Eugenio annumeratur 5. Cal Janv. anno 1439. ſub titulo S Stephani in Cælio-monte. Selectus hic fuit cum alijs quindecim ex varijs nationibus, ſtrenuis proceribus, quò ſe Eugenius Amedei à Sabaudia intruſioni fortiùs obſiſteret.

Ludovico Delphino cum Carolo Duce Borbonico, Alençonio, Vindocinenſi, & alijs in Carolum conſpirantibus, quò Regni adminiſtrationem illi adimerent, tribuerentque Delphino, Rex Conventum habuit Epiſcoporum in civitate Biturigum, cui interfuit Reginaldus Archiepiſcopus cum Legatis Eugenij & Felicis, queſtúſque eſt quòd Baſileenſes Patres Eugenij depoſitionem nimiùm feſtinâſſent: tum ut cunctis pateret ſe procul eſſe à ſchiſmate, Eugenij obedientiam amplecti ſe palam profitetur, petítque ab eo ut ocius Concilium cogat, ne tam immanis diſcordiæ virus ſerperet in perniciem animarum; at id infectum manſit ingruente civili bello, Pragueria dicto, quod inſigni Regis dexteritate brevi extinctum eſt. Menſe Novemb. Philippus Burgundiæ Dux omnium injuriarum memoriam delere cupiens, & ut de Carolo Aurelianenſi conſanguineo ſuo bene mereretur ſibíque illum beneficijs arctiùs devinciret, ſolutis pro illo CCCC. millibus, Anglica eum liberat captivitate, ubi annos XXV. fuerat detentus. Hæc Annales Flandrici. *Detinebatur*, inquit *An. 1440.*

Buzelinus

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP.

Buzelinus ex Meyero ad an. 1438. *captivus in Anglia Dux Aurelianenſis, neque ſpes affulgebat ejus ab Francis liberandi. Igitur ut ipſum magno virum natu, & multâ pollentem prudentiâ Burgundus arctiori ſibi amicitia devinciret, ex ea cuſtodia extraxit, numeratis Anglo quadringentis nummorum millibus, quæ liberaliter redemptionis ergo donabat.* Quibus liquet hujus ævi Scriptoribus fidendum non eſſe, qui multa non ex fide, ſed ſuorum famam augendi gratiâ, aliorum verò minuendi, ſuggerunt. At conſtat ex litteris Reginaldi ad Remenſes datis, pecuniam pro redemptione ſolutam à Gallis extortam fuiſſe, ut ſupra vidimus Cap. XXXIII. ad annum 1435. Deducto igitur ab Anglis Caleſium Aurelianenſi, Philippus, Iſabella Princeps, Pontifex Remorum, claráque alia nobilitas apud Greveningam occurrunt, effuſáque lætitia ventum ad Fanum-Audomari, ubi, ut perpetuæ amicitiæ ſtrictiùs adhuc firmarentur vincula, dedit illi Philippus nuptum Mariam Clivienſem neptem ſuam, quæ filia erat Adulfi Ducis Cliviæ, ex Maria ejus ſorore, Reginaldo Archiepiſcopo cæremonijs operante, librúmque Evangeliorum præbente, ſupra quod pax jurata Atrebatenſis, ex litteris ejuſdem. Multi Aurelianenſem poſtliminio reverſum moleſtè ferebant, ac fœderatum cum Burgundione, dolebántque ab eo accepiſſe Ordinem Velleris-aurei; at Reginaldus Remorum officioſè ab omnibus ubique receptus, & alij viri probi pro pace retinenda nihil prætermiſerunt.

An. 1440.

Eodem anno Johannes Gutemberg artem invenit typographicam, ſeu excuſoriam in urbe Argentinenſi, eámque Maguntiam veniens feliciter complevit: ſunt qui velint adeo veterem eſſe Typographiam apud Sinenſes, ut nullum exſtet apud eos hujus originis monimentum. Quidquid ſit, ex epiſtola B. Hieronymi ad Florentiam, quâ Reticij Auguſtodunenſis Epiſcopi notas poſtulat ſibi mitti, librúmque S. Hilarij de Synodis deſcribendis, patet hanc artem apud Gallos necdum fuiſſe in uſu. Patrum operibus deſcribendis Monachi, Benedictini præſertim, dabant operam, ex Caſſiod. & Fuldenſis Monaſterij Annalib. à Broverio editis; unde inter ſtatuta Benedictina provinciæ Remenſis, quæ aſceticos labores partiuntur, hoc inſertum reperio: *Opera autem quibus ſe occupare debent, ſunt hæc, videlicet ſcribere libros aut rubricare, vel ligare pergamenum & alia neceſſaria præparare.* Unde fit ut tot MSS. codices exſtent in Monaſterijs, à quibus viri alioquin eruditi hauſerunt materiam libros facilè conſcribendi.

Mss.

An. 1441.

Robertus Sarebruſſius Comes de Roceïo enixiùs à Rege petebat, ut Mons-acutus, ſive arx ibi facta, ſibi redderetur: Philippus Burgundio hanc demolitam volebat, Remi quoque, Laudunenſes, ac Veromandui, quò Campania tranſvehendis mercibus liberior eſſet. Hæc Rege annuente tandem funditus everſa eſt, erat enim edito ac declivi colle ſita, valida, aditu difficilis, vicinſque omnibus formidoloſa, haud ſecus alia pænè illi ſimilis prope Virtutum, quam Remorum cura & ſumtibus deſtructam ſupra vidimus.

An. 1442.

Anno 1442. die Lunæ 26. Martij poſt Dominicam Palmarum, incipiente littera G. dominicali, Indic. 3. Capitulum Remenſe habita ratione longioris abſentiæ Reginaldi Archiepiſcopi, & quòd Chriſma à quatuor annis Remis non fuiſſet conſecratum, rogat Epiſcopum Dionyſienſem Fratrem Johannem le Telier Ordinis Carmelitani, ut ad id ſuam operam impendere velit, cui adjutores ſeſe præbuerunt decreto Capituli, Præpoſitus, Cantor & Hebdomadarius, 28. Martij.

An. 1443.

Anno ſequenti Reginaldus Archiepiſcopus, & Arturus Richemondanus Magiſter equitum juſſu Regis, novi Senatûs urbici Remenſis, præter Scabinorum collegium, inſtitutionem approbant, decernúntque quot, & quibus viris conſtare debeat, ut dicemus.

Collegium

Digitized by Google

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1443.

Collegium Remenſe Pariſijs inſtauratur Caroli Regis auctoritate. Reginaldus de Carnoto obit, & laudatur.

CAPUT XXXV.

COLLEGIUM Remenſe Guidonis de Roya ſtudio Pariſijs erectum, funditus pænè corruit anno 1418. cùm prædicta Civitas Burgundionis factione ab Anglo capta eſt, vacuúmque manſit uſque ad annum 1443. quo Carolus VII. Regiteſtenſe Collegium, à Galthero de Launoy pridem inſtitutum, ei annexuit, cum quatuor burſis, quas Johanna de Breſſes fundaverat in gratiam totidem ſcholaſticorum Comitatûs Porcenſis, ut amplius patebit ex regio decreto à Johanne Morello prædicti Collegij Remenſis Primario, vulgari lingua edito, quod hiſtoriæ Pariſienſis concinnatores publici quoque juris fecerunt, his verbis.

An. 1443.

CHarles Roy de France, à tous ceux &c. eſtant venu à nôtre connoiſſance par certaines perſonnes du dioceſe de Reims, qu'il y a en nôtre ville de Paris pluſieurs beaux & notables Colleges fondez tant par nos predeceſſeurs, que d'autres perſonnes ſignalées, pour recevoir les étudians, & profiter en l'Vniverſité un chacun ſuivant ſa nation & dioceſe, & qu'un nommé Gaultier de Launoy avoit donné le commencement à celuy de Rethel, pour recüeillir les pauvres eſcoliers du méme pais & du dioceſe de Reims, ſous la charge & direction de l'Abbé de St. Denis, & du grand Prieur de St Remy &c. Et que pareillement Ieanne de Breſſes fonda quatre bourſes, pour la fondation deſquelles elle donna quelques heritages aſſis à Veſly. Et pour ce qu'auparavant il n'y avoit aucun College à Paris qui portaſt le nom de Reims, QVI EST LA PRINCIPALE PROVINCE DE NOSTRE ROYAVME, Guy de Roye Archevéque ordonna par teſtament qu'il ſeroit inſtitué un College ſous le nom de Reims pour recevoir les eſcoliers du dioceſe, laiſſant à cét effet une notable ſomme de deniers à ſes executeurs, qui ſont employé à l'achapt d'un noble & ſpacieux hoſtel, enſemble de pluſieurs rentes, & revenus pour l'uſage des eſcoliers, d'un Maiſtre particulier, Procureur, Chappelain, faiſant baſtir une Chapelle, qu'ils garnirent d'ornements neceſſaires pour l'Office. Mais les guerres eſtant ſurvenuës l'an 1418. tant les ornements, que les meubles & uſtanciles ont eſtés pillez & perdus, deſorte que le College eſt demeuré vuide d'habitans, les revenus diſtraits, & les edifices ruinez & demolis. Et pour ce que étant le College de Reims & de Rethel, que les bourſes ſont en voye d'eſtre du tout aneantiz, deſirant y pourvoir en faveur des eſcoliers du dioceſe de Reims, nous avons ordonné que le College de Rethel, les quatres bourſes de Portian, & les droits, rentes, & revenus d'iceux ſeront unis & incorporez au College de Reims pour en porter le nom, auquel ſera commis une perſonne ſuffiſante ſuivant la forme qui ſe garde aux autres Colleges de l'Vniverſité de Paris. Voulons auſſi que la collation des bourſes & l'inſtitution des offices ſoient reſervées & appartiennent à l'Archevéque de Reims, ſans qu'il ſoit beſoin d'aſſembler à l'advenir l'Abbé de St. Denis, ny le grand Prieur de St Remy, qui avoient autrefois la direction du College de Rethel, & qui pour eſtre éloignez l'ont laiſſé tomber en ruine ſans donner proviſion &c. Donné à Amiens l'an 1443. & de nôtre Regne le 22.

Prædicti

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. *An.* 1444.

Prædicti Remensis Collegij felix instauratio Archipræsulis curæ, ac studio imprimis debetur, qui ut Regi hanc mentem indiderat, sic & jus archiepiscopale prudens servavit: unde Juvenalis Ursinus in schedula, qua Auditorem seligit pro examinandis rationibus expensarum dicti Collegij, meritò se Provisorem, & Administratorem Collegij Remensis ad montem S. Hilarij nominat, anno 1468. Prædicta verò Regiteſtensis Collegij unio cum Remensi, supremæ Parisiensis Curiæ decreto confirmatur 4. Martij anno 1444.

Exstat in Archivo archiepiscopali.

Reginaldus paullo post lethali morbo correptus egit animam 8. April. die Mercurij ante festum Paschæ, ex actis capitular. anni 1444. Funeratus hic fuit in Ecclesia Fratrum Minorum Turon. hæredémque reliquit Comitem de Villars, ut legere est in Juvenalis Ursini testamento. Præsul munere episcopali Remis parum notus, at insigniter laudatus ab Historicis, ob ea quæ pace ac bello glorioſè perfecit; nec ei longior absentia à diœcesi vitio verti debet, temporis atrocitas id poscebat, Regnique status, quò se Regis obsequio totum manciparet, quamvis creditæ Ecclesiæ haud immemor fuerit idoneo constituto Vicario, qui vices suas obiret. Ceterùm frequentes litteræ ab eo ad Remenses scriptæ animi sui candorem egregiè testantur, clariórque adhuc elucet in urbico Senatu stabiliendo, quem apud Regem promovisse legimus. Ob hæc igitur quæ feliciter gessit, jure sui sæculi Nestor appellari potest, Regni oculus, pacis sequester, ac Ecclesiæ Gallicanæ certius & solidius fulcimentum.

Remi Ballivio Viromandensi subjiciuntur, Præfecturæ item Campanienſi. Quænam Civitas totius provinciæ caput.

CAPUT XXXVI.

GALLIÆ felicior status sub Carolo VII. postulabat hîc, ut interpolato tantisper historiæ cursu, de Campanienſi Toparchia, & ejus capite, seu Metropoli; de urbano item Senatu Remis stabilito, & Juris tunc dicendi ritu, pauca subnectam, quamvis ultimum hoc, à quo ordior, compendio vix describi possit.

Dictum aliàs Comitatuum erectione in feodos hereditarios, quemlibet ferè Dynastam peculiarem instituisse Curiam, & ministros, à quibus lites per ditionem motæ componerentur, ad superius tribunal, si opus esset, nihilominus devolvendæ. Horum aliquot, ut Viromandensi sub Augusto, ad propriam scaturiginem, Regni scilicet corpus, tandem reversis, regiæ illic sedes erectæ sunt, regij item officiarij, quorum auctoritas sese intra proprios fines minimè coercuit; sed longè, latéque sensim effusa, vicinorum dominorum jurisdictiones, his nequidquam renitentibus, tandem absumsit. Hoc Laudunensis Curiæ patebit exemplo, ad quam lites Remis ventilatæ (quod hactenus inauditum fuerat) ultro delatæ sunt, licèt sedes hæc alterius esset ac velut externi principatûs. Etenim Remorum urbs, cùm veteri instituto Ducatûs titulo gauderet, ac Pariatûs Regni, proprium tribunal ab antiquo habuit, accolarúmque causæ ibidem primùm excussæ, ad judicium Francorum seu Parlamentum, sine medio devolvi consueverant, privilegio alijs Pariatibus communi, quod inconcussè obsservatum legimus, donec obortis Archiepiscopum inter, & Scabinos, seu etiam Abbates, dissidijs, ad Ballivium Viromandensem, cujus primaria sedes erat Lauduni, spreto Judice naturali, provocare licuit.

Sic

Digitized by Google

Sic occasione potius, quàm jure, externæ huic resortitioni addicti sunt Remenses, necdum apud eos regijs Judicibus institutis, quos Laudunum sub Hutino Rege intrudi Hugo de Arcijs Præsul consenserat, qui phylacteria sua subinde dilataturi, peculiarem Præfectum cum foraneo Præposito Remis institui curant pro suscipiendis appellationibus: unde grave illud emersit dissidium de præventione, rixarum plurium seges, necdum (quòd sciam) penitus rescissa.

Reginal. de Carnoto lxxii. Archiep. an. 1444.

Sede regali postmodum Remis stabilita, cives ab insolenti, sed ultro quæsita, & nimis importuna subjectione vindicantur, absque Ballivij tamen Viromandensis dispendio, imo novi tribunalis accessione dignitas ejus clarior fit, elucétque præsertim in hoc quod decreta nomine ejus sancian-tur, juxta cujusque urbis ritus & consuetudines, quas Municipales vocant: ab his porro sedibus per dynastias constitutis, nulla Regni partitio orta est, nec urbes his ornatæ Metropoles dictæ; hoc nomen propriè ijs reservatur, in quibus suprema residet judiciorum auctoritas; & sic Campania, ubi Remi, cùm Parisiensi subsit Parlamento, aliam Metropolim civilem non agnoscit præter Lutetiam, quæ totius Regni caput est.

Regni quoque administratio pro varietate temporum diversa fuit, ac multiplex, ratione cujus, urbes à veteribus prærogativis, quas forsan nactæ fuerant, mutato rerum statu, cecidisse palam est: & ne vetera repetam; quò res clarior sit, novam hîc civilium provinciarum erectionem breviter refero, quam sub Valesiorum stirpe contigisse auguror. Ortis siquidem inter hos, & externos Principes simultatibus, Proreges, seu Toparchæ Gallicis provincijs præfecti sunt, vel institutis ab antiquo, vel recèns formatis, juxta cujusque regionis fines, dominia, & Principatus. Inter priores potissimùm numerantur quæ exteris nationibus sunt conterminæ, ut Campania, Picardia, Burgundia; tum civili bello laborante Gallia ob religionum varietatem, in ipsius Regni meditullio posteriores formatæ sunt; modo in hoc dissimili ab ecclesiasticarum provinciarum veteri sub Imperatoribus partitione, quòd hæ, ut Notitiæ docent, ex civili Metropoli obnoxijs urbibus, & ab ea dependentibus; illæ verò plurium nonnumquam Comitatuum, seu etiam urbium inter se commercij nihil habentium aggregatione coalescant. Unde fit ut primariæ urbes hoc secundo modo intra unius provinciæ ambitum sic concluſæ, meritò de præcedentia disceptent; ut in Campania videre licet, ubi nullus supremus Senatus, nulla urbs quæ alteri jus dicat, nulla ob id præ alijs dignior effecta, quòd jubente Rege pro Toparchia constituenda, plures in unum convenerint.

Campaniâ igitur inferiori, ubi Trecæ; & superiori, in qua Remi, & Cathalaunum eminent, cum alijs oppidis, in unius provinciæ formam redactis, urbes quotquot in ea sunt, Toparcham à Rege creatum æquè agnoscunt & ei subjiciuntur; sed quænam ceterarum caput sit, necdum superiori decreto definitum: etenim cum in Campania sic ampliata nulli jus datum sit in aliam, nec fixa ullibi Toparchiæ sedes (quæ duo prædictæ dignitatis indices erant apud Romanos) recurrendum puto ad singularum vetustatem, ornatum, titulos, & alia si quæ sunt, quibus fama splendescit. Videndum quoque an in urbium solita convocatione pro deligendis deputatis, qui generalibus Regni Comitijs intersunt, aliqua præcesserit, vel primas aliquando sibi deberi contenderit. Verùm enim verò tantùm abest ut inde lucis aliquid erui possit, quin potius motam quæstionem magis ac magis obnubilant, eo quòd horum convocatio antiquitus per provincias ecclesiasticas fiebat, ut videre est apud Ursinum in vita Caroli VI. postmodum verò per Balliviatus, nulla habita ratione provinciæ etiam civilis, à qua plures non dependent. Id patet ex Comitijs Aurelianensi & Blesensi; unde sancitum legimus anno 1615. quò provinciarum distinctio salva

Fol. 311. & 312. Vide Davila lib. 2. de Bello civili sub an. 1560 pag. 51. edit. 1642. Et Mercur. gall. an. 1615.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An 1444.

maneret, ut regalis quælibet ſedes ſuos deputatos eligeret, deputati verò ad quatuor reducerentur pro qualibet provincia civili, qui juxta ſingularum ordinem præſcriptum à Rege, vota ferrent, quod exſecutioni mandatum eſt ab electis anno 1649. Sic qualibet ſede, abſque alterius ope & nutu, ſuos deputatos eligente, miſſiſque his in locum ubi Comitia habentur, adhuc obſcurum remanet, quiſnam ex illis, reſpectu unius & ejuſdem provinciæ, & plurium civitatum, præcedere debeat. In quo de tribus potiſſimùm Campaniæ civitatibus moveri poteſt quæſtio, Remenſi ſcilicet, Trecenſi, & Cathalaunenſi: Trecenſi quidem rationes non deſunt, & quidem efficaces, quibus ſibi præcedentiam arroget, quòd Comitum, ut dixi, Campaniæ ſedes fuerit, & quòd in ea ſingulis annis generalis Conventus inſpiciendis litibus fieret, ob inſtituti Palatinatûs dignitatem.

Verùm diſtingui hîc debet Comitatus (cujus Trecæ caput) à provincia tota quanta eſt, cui Campaniæ nomen inditum. Petrus Pithœus ſummæ vir eruditionis, Remos ſub prioribus Regum dynaſtijs aliarum urbium, quæ in Campania erant, facilè principem agnoſcit, quòd Franciâ in Tetrachiam diviſâ, regalis ſedes eſſet Auſtraſiorum; at ſub tertia, cùm Trecis datus Comes, hunc ei titulum lubens abjudicat. Pithœi rationes non moror; de Trecarum dignitate, quam hîc jactat, dicendum, nihil hanc ad urbes Remorum, vel Cathalaunenſium ſpectare, quæ ſuis pariter titulis fulgent, parúmque cum ea habuiſſe commercij, donec ſucciſo Comitum ramo, tam inferior Campania, quàm ſuperior, & quædam aliæ urbes, in unum provinciæ corpus coaluêre.

Nec ex Campaniæ vocabulo gloriari debent Trecenſes, quaſi ab his provincia hæc nomen ſortita ſit; conſtat enim Remenſibus agris à Greg. Turon. prius impertitum, qui & Campaniam Remenſem dixit: nec item quòd Trecarum Comites Campanienſes vocati, & Trecis ſedem fixerint, unde quidam nobilitatis fulgor emanat; cùm ſynecdochicos tantùm prius dici potuerit, ſequénſque Trecarum prærogativa nobiliori haud dubiè compenſetur, quam Remenſes ſub Auſtraſiæ Regibus habuerunt, ſitque horum Civitas archiepiſcopalis Sedes à Fidei exordio, ſecundæ Belgicæ caput, inclita Metropolis, Ducatûs honore fulgens, & primi Paniatûs Regni, quibus addi poſſunt Regum inaugurationes in ea fieri ſolitæ, vetuſtas, amplitudo, Athenæ, & alia haud minoris momenti, ob quæ ſtabilita, ut nunc eſt Campanienſis Toparchia, prærecedentiæ decus potiori jure prætendere poteſt, donec ſanctioris Conſilij decreto componatur.

Ceterùm Principes, qui Campanienſis hactenus Toparchæ nomine præfuerunt, hoc ordine referuntur.

Ludovicus Borbonius Comes Vindocinenſis & Carnutenſis, Campaniæ & Picardiæ Toparcha anno 1415.

Carolus de Ambaſia, Campaniæ & Burgundiæ Prorex anno 1440.

Galtherus Caſtellionenſis anno 1473.

Johannes à Burgundia Dux Nivernenſis & Regiteſtenſis, Campaniæ præfuit, ex epitaphio in abbatiali Eccleſia Nivernenſi poſito, ubi quieſcit anno 1491.

Carolus à Lotharingia Dux Guiſius anno 1530. Legitur etiam Burgundiæ Prorex, exemptus anno 1550.

Carolus Aurelianenſis Dux, Franciſci I. filius, Campaniæ & Briæ Toparcha anno 1540. Remis à Canonicis majoris Eccleſiæ cappis indutis ſollemniter excipitur ad valvas templi, quòd Regni hoſtes proſtrâſſet juxta Sanctum-Deſiderium menſe Julio anno 1544. fato functus anno 1545.

Franciſcus Clivienſis, primus Nivernenſis Dux, Par Franciæ, Regiteſtenſis Comes, de Beaufort, &c. Campaniæ Prorex ab anno 1545. ad annum 1561. occubuit in pugna Drocenſi.

Franciſcus

Digitized by

Franciſcus à Lotharingia duos menſes Campaniæ Præfectus, obijt in obſidione Aurelianenſi anno

Henricus à Lotharingia Dux Guiſius, Campaniæ Toparcha anno 1570. & 1588. Remos ſollemniter ingreſſus eſt anno 1571.

Ludovicus à Gonzaga Prorex Pedemontanus, tum Nivernenſis, Picardiæ & Campaniæ 1588 functus anno 1601.

Carolus à Gonzaga Dux Nivernenſis, vivente patre Campaniæ Prorex.

Franciſcus à Gonzaga Regiteſtenſis Dux Toparchiam obtinet patre conſentiente, Remos ingreſſus, & alias Campaniæ urbes anno 1618.

Ludovicus de Bourbon Comes Sueſſionenſis & de Claromonte cadit in pugna Sedanenſi anno 1541.

Ludovicus Borbonius Dux de Angien anno 1644. Patre exempto Princeps Condæus.

Armandus de Bourbon Princeps de Conti ſuperioris frater, anno 1647, D. C. de l'Hoſpital Campaniæ Præfectus, celebriores urbes luſtrat, Remóque ingreditur anno 1658.

H à Sabaudia Sueſſionenſis Comes anno 1660.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. *An.* 1444.

Dominus d'Interville Campaniæ Prorex vocatur anno 1606 a continuatore Bernardi du Haillan.

De urbano Senatu & Urbis Præfecto.

CAPUT XXXVII.

URBANI Senatûs origo, ac ducis ſeu Capitanei exordium, cùm in idem pænè tempus incidant, ea brevi capite complectemur. Relatum ſupra Remenſes, quò ſibi, Anglis Gallham infeſtantibus, conſulerent, duo præſertim pro Urbis tutamento præſtitiſſe; primum, ſex è primoribus viros ſeligendo pro urgendis cœptis munitionibus, ne improvidè his deſtituta pateret deprædationi; alterum, ducem ſeu Capitaneum armis expertem & ſtrenuum à Rege poſtulando, qui urbanæ militiæ præeſſet, ac imminente periculo iret in hoſtes. Hæc conſultè propoſita, à Carolo Regni Adminiſtratore (captivo adhuc Rege) celebri diplomate confirmantur, indulſúmque ut è ſelectis ſex, uno ſublato, alius liberè ſubrogari poſſet. Caroli diploma ſic incipit.

An. 1358.

CHARLES fils ainé du Roy de France, Regent du Royaume, Duc de Normandie, & Dauphin de Vienne, à tous ceux qui ces preſentes lettres verront & oiront ſalut. Comme de la partie de nos bien amez les Eſchevins du ban de nôtre amé & feal Conſeiller l'Archeveſque de Reims, à Reims par eux, & pour les bourgeois, ſujets & habitans dudit ban & Eſchevinage, nous ait eſté expoſé, que pource que le Royaume de France & meſmement les bonnes villes dudit Royaume, & entre les autres la bonne ville de Reims, ont eſté & encore ſont en tres grand peril, & doute des ennemis dudit Royaume, qui longuement l'ont tenu, & encore tiennent, & penſent tenir en forte guerre: leſdits habitans qui nagueres eſtoient ſans chef & ſans gouverneur ſur le lieu, ayans entre eux d'un commun conſentement de tous les habitans, tant Clercs que Lais d'icelle ville, ou de la plus grande & ſaine partie d'iceux, eſleus ſix bonnes & convenables perſonnes, pour prendre garde aux ouvrages, ſureté, & tuition de ladite ville &c. donné à Paris le 9. du moïs de Septembre 1358

Hoc præſertim diplomate urbanus Senatus innititur, initium ſiquidem habuit à prædictis ſex viris, Cleri ac civium communi aſſenſu ſelectis, cœpitque tunc maximè diſtingui à Scabinorum collegio, penes quos hactenus

REGNAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. an. 1444.

publica negotia gerebantur. Invaleſcente prædictorum ſex auctoritate, primi è Clero, & Scabini ipſi conqueruntur ſe perperam à negotiorum adminiſtratione arceri, cùm, ratione dominij, juriſdictionem in Urbe habeant, ob quam ipſis inconſultis nihil magni momenti fieri debeat: ijs igitur graviter expoſtulantibus, ſancitum primò aliquos ex his aſſumendos eſſe, quibus junctis cum alijs, urbanus cœtus coaleſceret. Quædam refert ſchedula 8. Decemb. anno 1425. petente Thoma de Bazochijs, perilluſtris viri Guillelmi Caſtellionenſis Capitanei Remenſis Præfecto, quatuordecim ſelectos fuiſſe à civibus, iſſque cum deputatis à Clero & Scabinis Senatum conſtitiſſe. Eſt & alia ſchedula 5. Martij anno 1448. quæ probat clariores è civibus in majoris Eccleſiæ capitulo conveniſſe pro ferendis ſuffragijs, præſentibus Antonio de Hollande Capitaneo, Johanne Raymundi Præpoſito, & Vicario generali, Jacobo Abbate S. Nicaſij, Johanne Victori, Johanne Goujon, Canonicis; Petro Cambellano S. Dionyſij Eleemoſynario, Petro Treignel Ballivio Remenſi, & pluribus alijs. Orta hîc diſcordia de numero eligendorum, & forma eligendi, ut in rebus recens inſtitutis frequenter occurrit; at paullo poſt Reginaldus de Carnoto Remenſis Archiepiſcopus Franciæ Cancellarius, & Comes de Richemont Coneſtabulus, à Rege delegati, diſcuſſis hinc inde rationibus, ſtatuunt ut ſex è Clero cum octodecim laicis coirent pro conſtituendo Senatu, Vicarius generalis D. Archiepiſcopi, Seneſchalli duo ex parte Capituli, tres Urbis Abbates, vel ab his totidem deputati, è Scabinorum cœtu duo, reliqui à civibus per parochias eligerentur. Sic auctо numero, ad viginti quatuor redacti ſunt, non computato Præfecto, qui à civibus eligitur, & Senatui præeſt; hujus enim eſt conſeſſum indicere, res diſcutiendas proponere, ac ea cum Senatu prudenter moderari quæ civium pacem ſpectant, regimen Urbis & tutamentum. Hæc de Senatûs origine, qui adhuc perſeverat, & floret, licèt in electionis forma nonnihil ſit immutatum.

Quod ad Capitaneum, ſeu Ductorem militarem attinet, hujus inſtituendi eadem prorſus ratio fuit, bellorum ſcilicet invaleſcentium calamitas, ac frequentes hoſtium inſultus: dilatato ſiquidem pomœrio, & abſente Archiepiſcopo, cui potiſſimùm incumbebat Urbis ſaluti providere, obtinent cives à Rege, ut ſeipſos cuſtodire poſſint, ſtipendio conductis aliquot ducibus, aut ab ipſomet Rege acceptis, juribus Archiepiſcopi illæſis remanentibus, ut paſſim regio diplomate cautum legitur his verbis: *Per hoc nolumus in hac parte aliquod jus novum nobis acquiri*. Quibus patet ſuprema id auctoritate fieri. Aliquot eorum nomina, qui Ductoris munus, necdum inſtituto Capitaneo, Remis exercuerunt, ex veteribus ſchedis delibavimus.

Galcherus de Mutri à Philippo Pulcro Remos miſſus legitur anno 1296. quò eam à Bannitorum inſolentia tueatur.

Cives acceptâ à Rege licentiâ urbem cuſtodiendi, abſente Roberto de Courtenay, Johannem dominum de Charny in Capitaneum eligunt anno 1313.

Tracius de la Croix, à Philippo Valeſio inſtituitur cùm in procinctu eſſet adversùs Anglos anno 1333.

Balduinus de la Bove dominus de Vauclair Tracio ſubrogatur apud Froiſſardum anno 1334.

Johannes de Vienna Remenſis Archiepiſcopus, à Rege Capitaneus nominatur anno 1340.

Poſt pugnam Creſciacam Galcherus de Lor Remos mittitur à Philippo Valeſio, habuitque ſub ſe Præfectum dominum de la Broye anno 1347.

Johannes de Craon Remenſis Archiepiſcopus anno 1356.

Recrudeſcente

Recrudeſcente bellorum miſeria poſt pugnam Pictavienſem, Johannes de Craon pro majori Urbis ſecuritate ſubſtituit ſibi Galcherum Caſtellionenſem, virum nobilem & induſtrium, qui cùm Clero & populo imprimis gratus eſſet, à Carolo Regni Adminiſtratore dux ſeu Capitaneus confirmatur 9. Septemb. anno 1358. primúſque eſt qui hac fulſit auctoritate cum aliquot prærogativis, quas ſucceſſores pro parte retinent: juſſum tamen illi eſt à Rege litteris 3. Junij datis anno 1368. ne quid inconſulto Senatu circa Urbis tuitionem faceret, aggrederetúrve. Hic Johannis Caſtellionenſis & Alienordis de Roya filius, ſtrenuè ſe geſſit in Urbis obſidione facta ab Anglis anno ſequenti, Præfectúmque habuit Johannem de Louverguy Militem.

REGINAL. DE CARNOTO LXXII. ARCHIEP. An. 1444.

Johannes de Barat, dominus de la Bove & de Bournonville anno 1382.

Robertus de la Terrant ex decreto Caroli Regis anno 1394.

Johannes de Montaigu anno 1406.

Henricus de Voiſiers Miles, & caſtri de porta Martis Capitaneus, eo exauctorato, præfecturam obtinet à Rege Robertus de Bellebrune anno 1410.

Antonius de Mouſan Præfectum habuit Johannem de Chaalons anno 1417.

Guillelmus de Chaſtillon dominus de la Ferté en Ponthieu, Galcheri filius & Mariæ Caſſinel, legitur anno 1420. 1425 & 1437. capitur hic à Ponthone de Saintrail, quòd Anglorum partes ſequeretur; at pro alijs, ut moris eſt, commutatus, à Delphino caſtrum S. Theoderici rediens abſtulit anno 1421. Remiſſque præerat, cùm Carolus inaugurandus advenit anno 1431. uxor ejus Alienordis nomine jacet apud Franciſcanos Remenſes exempta anno 1455. Præfectum habuit Thomam de Baſoches Militem.

Antonius de Hollande, dominus de Hercanville Reginaldi de Carnoto conſanguineus, frater Petri Cauchon Epiſcopi Belvacenſis anno 1444.

Dominus de Croy Comes Porcienſis anno 1461.

Ludovicus de Luxembourg, Comes Fani-Pauli & Franciæ Coneſtabulus Præfectum habuit Henricum de Remburelle Militem anno 1471.

Dominus de Craon anno 1473.

Dominus de Suſanne, ex chartulario Scabinatûs.

Raulinus Cochinart Præfectum habuit Johannem Cauchon: ob ſimultates inter prædictum Cochinart, & cives exortas, Præfectus ab his eligi cœpit anno 1483. vocaríque Præfectus-urbanus, non Capitanei, exauctorato pariter Raulino ob ſævitiam.

Carolus de la Fande ſubrogatur anno

Philippus de Beſanne anno 1500.

Theodericus * Cauchon, dominus de Maupas anno 1517.

al. Thomas

. . . . . .

Hubertus Feret, dominus de Mont-Laurent & de Gueux, Cathalaunenſis Vicedominus, ſub eo lis mota pro certis juribus, quæ Capitaneum inter & Præfectum-urbanum diſceptabantur, ſancioris Conſilij decreto ſopita eſt 2 Julij anno 1557. obijt hic anno 1575.

Antonius Feret Huberti pater in epitaphio Capitaneus non inſcribitur, obiitque anno 1524. filius hic fuit Petri Feret.

Dominus de Cerni Capitaneus legitur in heterodoxos, Huberto prædicto, morbo laborante.

Reginaldus Feret, dominus de Mont-Laurent, abdicatione parentis litteris regijs confirmatur anno 1574. fidelitatis præſtito ſacramento inter manus Franciæ Cancellarij.

Carolus Feret, dominus de Dugny, poſt obitum patris recipitur, præſtito ſacramento anno 1630 & 1640.

Reginaldus Feret Dominus de Vvarimont anno 1650.

Quid

SEDES VACAT. An. 1444.

Quid actum sit archiepiscopali Sede vacante, & de electione Jacobi Juvenalis Ursini, qui subinde ad Patriarchatum Antiochenum provehitur.

CAPUT XXXVIII.

FAMA obitus Reginaldi ad Capitulum perlatâ 13. Aprilis per Johannem Raimundi Præpositum Ecclesiæ Remensis, de spirituali administratione Archiepiscoparûs suscipienda deliberatum Sede vacante. Acta capitularia referunt defuncti exsequias primùm summo apparatu peractas die Dominica, qua cantatur *Misericordia*. quibus heredes, parentes, & amici interfuerunt; tum registranos, sigillorum Custodes, & alios officiarios libere se Capitulo stitisse, depositis coram omnibus tam sigillis argenteis Curiæ spiritualis, quàm registris majori & parvo, sigillis item provinciæ, minoris Archidiaconatûs, ac libro collectam continente, cuilibet Beneficio Urbis ac diœcesis impositam.

Actum deinde de electione officiariorum, ut moris est, viâ scrutinij, Johannes Raimundi Præpositus & Johannes de Vitriaco in Officiales selecti sunt cum consuetis stipendijs, & pari auctoritate, qua potiebantur sub defuncto Archiepiscopo, majoris tamen momenti negotia expedire non poterant inconsulto Capitulo; Registrarius Johannes Majoris, sigillorum custos Odo Hieronymi, Promotores M. Rodulfus le Vergeur, Bardenetus Scoti, Simon Moraine, & M. Jacquenin, quibus libri testamentarij, aliàs logiarum, excessuum, suspensionum, compositionum traditi sunt.

Provisum præterea custodiæ castri portæ Martis, pro qua designati M. Dionysius de Chamisy, & Carolus Cauchon Canonici Remenses, urbis de Vesly gubernatio data Philippo de Longueil Laudunensi Officiali, & Pontio du Nan Canonicis quoque Remensibus, cum facultate constituendi officiarios ex parte Capituli, recipiendique reditus quamdiu Sedes vacabit. Et quia sub manu Regis vigesimâ-secundâ mensis prædictum dominium positum fuerat, curare debebant ut Ballivius Viromandensis, vel Vicarius ejus vindicias concederet. Probant acta 29. Maij Rogerium de Hollande urbi de Vesly à Capitulo præfectum fuisse, officiarios defuncti Archiepiscopi coactos ab eodem rationes exhibere bonorum prædicti Archiepiscopi, ut accuratè describerentur: Vicarium quoque generalem nominatum pro dispensationibus, rogatum suffraganeum Episcopum, ut tonsuram dare vellet, & altaria consecrare, juribus de more receptis, nomine Capituli; & 27. Maij pro Hospitalis S. Antonij administratione suscipienda, nominatos Officiales, rogatósque ut de eo curam agerent Sede vacante.

Ceterùm futuri Archiepiscopi electione ad 22. Junij remissa, Capitulum Regis Caroli litteras suscepit per Johannem Toignel Ballivium Remensem, & Antonium de Hollande Urbis Præfectum, quibus Rex Jacobum Juvenalem Ursinum Cameræ Computorum Præsidem varijs obsequijs clarum, & sibi fidum, impensius commendabat, alias præterea ex parte Adæ de Cambray supremi Præsidis Curiæ Parisiensis. At cùm ex Pragmatica-sanctione nuper renovata, Præsules non nisi è gremio Canonicorum assumi deberent, Rex, ne ei vim inferret, Jacobum de Canonicatu & Archidiaconatu Remensi providit, vacantibus per promotionem Guillelmi de Hollande ad Episcopatum Belvacensem, ex litteris in castello de Monteles-Tours datis 19. Maij anno 1444. quarum id initium.

Carolus

Carolus Dei gratiâ Francorum Rex, dilectis Præpoſito, Decano, & Capitulo Remenſi ſalutem. Notum vobis facimus quòd nos Canonicatum Eccleſiæ Remenſis, & Archidiaconatum, quos nuper obtinere ſolebat dilectus & fidelis Conſiliarius noſter Guillelmus de Hollandia ad Eccleſiam Belvacenſem evectus, Conſiliario noſtro & Præſidenti in Camera Computorum Magiſtro Iacobo Iuvenali de Vrſinis contuliſſe &c.

SEDES VACAT. An 1444.

Juvenalis ſic incorporatus deputatos à Capitulo multùm juvit, pro obtinenda à Rege licentia canonicè eligendi legitimum Paſtorem, ſalvis juribus, & privilegijs eccleſiaſticis, quod hactenus à tempore reſtitutæ Pragmaticæ-ſanctionis factum non fuerat: Rege libenter annuente, Canonici convocati ſonitu campanæ 25. Junij, præmiſſis precibus conſuetis, viâ Spiritus-ſancti Jacobum Juvenalem de Urſinis in Archiepiſcopum concordantibus votis eligunt, & juxta majus altare Eccleſiæ Remenſis, populo ibidem in multitudine copioſa adſtante, publicaverunt, ex actis capitular. Subindè nominati à Capitulo Canonici duo, qui electionis chartulam Urſino deferrent, à quibus, gratijs priùs cumulatiſſimè relatis, tempus præſcriptum à Canonibus poſtulat, quò munus ſibi delatum attentius ſecum expenderet.

Interim Capitulum juriſdictionem ſuam uſque ad reſponſum protrahens, de Atrebatenſi Epiſcopo, ob quoddam perperam factum, inquirendum cenſuit, diéſque illi dictus nomine Promotoris, ex Conclu. 5. & 21. Octob. Electio quoque Guillelmi de Toul in Abbatem S. Petri Gandenſis confirmata, quòd Ordinarius facere neglexiſſet. Novus electus ſuſcepto Archiepiſcopatu, bullas ab Eugenio ſeptimo Cal. Octob. obtentas Remos mittit per Johannem de Vitri, quæ in Capitulo 19. Novemb. lectæ ſunt, ac publicatæ, præſentibus Johanne de Clameſy Equite, Antonio de Hollande urbis Remenſis Præfecto, & pluribus alijs, & ſic Sedes archiepiſcopalis vacare deſijt.

Si præfecturis, quas viri genere, & virtutibus clari tenuerunt, eò nobiliùs, ac juſtiùs quiſpiam decoratur, quò propius ad horum natales & indolem accedit, Archiepiſcopi duo, ex Urſinorum familia referendi, Remenſis Eccleſiæ claritudinem haud obſcurâſſe mihi videntur, cùm utriuſque progenies admodum vetus ſit, & illuſtris, variiſque ambo fulſerint ornamentis.

Jacobus Juvenalis licèt junior, Remenſis tamen Archiepiſcopatûs ſolium primus conſcendit, erátque Johannis Iuvenalis Baronis de Trainel ex Michaelide de Vitri quartus natu filius, cujus genealogiam graphicè depinxit Iohannes Iuvenalis fraternæ dignitatis heres, libello qui inſcribitur CANCELLARIUS FRANCIÆ, his verbis: *Ab ingentis animi & ſtrenui parente ortum ducimus, pater ejus Petrus Iuvenalis Vrſinus, eo adhuc puero Aureliani litteris operam dante, bellis Neapolitanis finitis, ad Reginam Neapolitanam perrexit, viſurus quid ex dominijs avi ſui, Iuvenalis Vrſini vindicare poſſet, unde chartas, ſeu tabulas detulit, quas penes ſe habebat &c.* Idem Iohannes Iuvenalis in hiſtoria Caroli VII. refert patrem ſuum Urſinum Præpoſituræ Pariſienſis cuſtodiam ſupremo approbante Senatu obtinuiſſe, ſuóſque majores ex Urſinorum familia, tam Romæ, quàm in Regno Neapolitano, & in Monte-Iordano celebres, traductos fuiſſe in Galliam per Neapoleonem Urſinum Metenſem Epiſcopum. Alia quædam omitto, quæ in prædictæ familiæ decus perſequitur, de quibus vide Spond. Rober. & alios.

Iacobus igitur ex regiarum Rationum in Camera Præſide & Archidiacono Remenſi, Rege procurante electus, ut dixi, clientelæ ſacramentum pro more exhibuit 12 Novemb. & 19 inijt poſſeſſionem Archiepiſcopatûs vi bullarum apoſtolicarum, quarum hic tenor eſt.

Eugenius

JACOBUS JUVENAL. DE URSINIS LXXIII. ARCHIEP. An. 1444.

„ EUgenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis Filijs Capitulo Ec-
„ clesiæ Remensis salutem & apostolicam benedictionem. Apostolatûs
„ officium, &c. Iam dudum siquidem Ecclesia vestra, cui bonæ memoriæ
„ Reginaldus tituli S Stephani in Cælio-monte Presbyter Cardinalis & Ar-
„ chiepiscopus dictæ Ecclesiæ vestræ, dum viveret, præsidebat, per obitum
„ ipsius, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris
„ officio destituta, vos ad futuri Archiepiscopi Ecclesiæ vestræ electionem
„ procedentes, vocatis omnibus qui voluerint, die ad eligendum præfixa,
„ dilectum Filium Iacobum electum Archidiaconum, in utroque Iure licen-
„ tiatum, Notarium nostrum & in sacerdotio constitutum, in vestrum & ve-
„ stræ Ecclesiæ Archiepiscopum concorditer elegistis, ac demum idem Electus
„ ipsius electionis negotium in Consistorio proponi fecit. Nos igitur ad pro-
„ visionem ipsius Ecclesiæ, ne longo vacationis exponeretur incommodo, &c.

Quibus perlectis Ursinus in realem possessionem mittitur, procuratori ejus per Cantorem prima sede chori assignata, tum eidem in capitulum perrecto lecta sunt privilegia, ab Archiepiscopis in jucundo suo adventu jurari solita, redditáque regestra, & sigilla curiæ spiritualis, quæ Capitulum penes se habuerat Sede vacante. Jacobus Parisijs tunc exsistens in obsequio Regis, Remos statim profectus est, jucundúmque suum ingressum multis comitantibus mense Januario celebravit, Johanne in primis Juvenale fratre, qui & sacramentum ei præstitit ut Episcopus Laudunensis, eodem mense, anno 1444. stilo Gallico. Lustratis diœcesi & Castellanijs, venit in capitulum 12 Aprilis, cui insignis benevolentiæ & propensionis indicia exhibet, pollicetúrque se pacem inconvulsè servaturum cum omnibus, daturúmque operam ne litium semina succrescant, quibus concordia sæpius dissolvitur, jurium Capituli accurata observatione, effecturúmque ut Suffraganei observantiores sint erga mettropolitanam Ecclesiam, résque à Carolo V. pro sua fundatione assignatæ diligentiùs solvantur: tum pluribus Canonicos hortatus est ut Officio divino frequentes interssint, cujus insignes ritus, & ceremoniæ Remensis Ecclesiæ famam velut inter Gallicanas præcipuæ longè prædicant.

Carolus Rex, cui Jacobus erat à Consilijs, diutius hunc Remis versari non est passus, vix enim ad eum redierat, cùm in Angliam ad Henricum VI. mittit, cum Comite Vindocinensi, ubi magno honore acceptus, inducias per annum integrum curat prorogari. At ne milites Gallici interim otio torpescerent, Delphino duce Ludovico bellum in fines Helvetiorum & Germaniæ transfertur adversùs Dynastas aliquot, olim Gallis infestos, quique Felicis Pseudopontificis partes fortiter tuebantur: cúmque delectus fieret per Campaniam, militésque de novo conscripti per urbes provinciæ dispersi, incolarum cujusque statús viverent expensis, ac ubique hospitarentur nulla habita ratione sacerdotij, Cleri Remensis delegati Regem Cathalauni pet id tempus conveniunt, rogántque ut à tali onere Clerum eximere velit: Rex horum votis libenter annuit, diplomate immunitatis confecto, quod successores postmodum benignè confirmárunt. Clerus tanti beneficij memor haud contemnendam pecuniæ summam à Beneficiarijs tam Urbis, quàm diœcesis collectam, Regi per modum subsidij obtulit, decimis annualibus necdum inventis, quæ citiùs, quàm sperabatur prodierunt.

An. 1445. Eodem anno Philippus Burgundiæ Dux obtinet à Carolo apud Saarri juxta Cathalaunum quarta die Julij, anno 1445. ut provocationes litium ex Flandria ad Curiam Gallicam suspendantur spatio novem annorum, & Isabella Philippi uxor Cathalaunum profecta ad Carolum Regem, ut cum An. 1446. Renato Lotharingo dudum captivo omnia componerentur, ubi in honorem Principis ludi pulcri & varij exhibiti.

Iacobus

Digitized by Google

JACOBUS JUVENAL. DE URSINIS LXXIII. ARCHIEP. An. 1447.

Jacobus ab Anglia reverſus, mox in Italiam ad Genuenſes mittitur, qui ſe in verba Caroli juraturos promiſerant; at Fulgoſus, qui Civitatem armis expugnâſſe gloriabatur, obſtitit ne cives ſe Gallis dederent, ex Monſtrel. in vita Caroli VII. Exercitu Gallorum fines Helveticos depopulante, Concilium Baſileenſe diſſolutum eſt; decretúmque mox in Conventu Bituricenſi, cui Jacobus Remenſis interfuit, ut Felix Pontificatu ſe abdicaret, & Nicolaus V. Eugenij ſucceſſor pro legitimo univerſalis Eccleſiæ Hierarcha coleretur, ad quem idem Jacobus tam à Rege, quàm à Ludovico Delphino, & à Regina Siciliæ miſſus eſt, qua in legatione tantam religionis, ſollertiæque laudem retulit, ut Patriarchatu Antiocheno remuneratus fuerit, quem Rege probante recepit, cum Epiſcopatûs Pictavienſis adminiſtratione, & Prioratu S. Martini de Campis.

An. 1448.

At ne recens ipſi collata dignitas, longiórque abſentia, querelæ ſegetem parerent, animabúſque fierent nocumento, præſertim cùm nova ſubinde emergerent negotia, Archiepiſcopatum Remenſem Johanni Urſino fratri natu majori reſignat in Curia Romana, bulláſque apoſtolicas ei mittit, quæ Capitulo ſignificantur 23. Maij, anno 1449. per Philippum de Longueil Canonicum Remenſem, & Laudunenſem, prædicti Johannis procuratorem, cui & mentem Pontificis in hac ſubrogatione aperuit præſentibus Abbatibus Ss. Theoderici, & Baſoli, Johanne du Mont Archidiacono, Antonio de Hollande Urbis Remenſis Præfecto, & alijs.

An. 1449.

Poſt abdicatum Archiepiſcopatum aliquot annos Jacobus ſupervixit, fatóque Romæ ereptus eſt anno 1456. vel 1457. tumulatus Pictavij ad aram principis altaris ſancti Petri, quamvis Robertus dicat multa legâſſe Eccleſiæ Bituricenſi, ubi anniverſarius exſequiarum dies quotannis celebratur 13. Octob. Dedit etiam Remenſi Eccleſiæ periſtromata ubique paſſim ſuis inſignibus aſperſa, præter alia quædam tapeta, & ornamenta, ſummámque pecuniæ pro Anniverſario, ut in actis capitularib. legitur.

JOHANNES JUVENALIS DE URSINIS. LXXIV. ARCHIEP. An. 1449.

Johannes Juvenalis de Urſinis ex Laudunenſi Epiſcopo ſit LXXIV. Remenſis Archiepiſcopus. Indulgentiæ à Nicolao V. Rem. Eccleſiæ conceduntur. Sedi Atrebatenſi datur Epiſcopus.

CAPUT XXXIX.

Eſcartelé des Armes de l'Egliſe de Reims, & des Vrſins bandé d'argét de ſix pieces, au chef d'argent, chargé d'une roze de gueules ſoutenue d'or.

JOHANNES Urſinus ex undecim liberis, quos pater è Michaelide de Vitri ſuſceperat, major natu, eam animi celſitudinem, quæ priùs in eo varias præfecturas obeunte mirè claruerat, adepto Remenſi Archiepiſcopatu indeſinenter exhibuit. Matura ſiquidem cùm huic eſſet petendis honoribus juventa, exactis ſtudiorum ſpatijs in fori Pariſienſis palæſtra, vivacipris ingenij famam primùm conſecutus eſt: adulta ætate Carolo Delphino fit à Conſilijs, à quo & Libellorum-ſupplicum munus obtinuit, haud ita poſt fiſci Patronus lectus eſt, ſupremo Senatu Pariſienſi apud Pictavos tranſlato, eo tempore, quo Gallia bellorum procellis fluctuabat; ubi ſe non minus regiæ auctoritatis acerrimum vindicem præbuit, quàm mox inter tumultus Anglicos, cùm in natali ſolo ei Mercatorum Præfectura delata eſt. Ampliſſimis his per aliquot annos perfunctus muneribus eâ prudentiâ quæ ſummum virum decet, Ordini ſe eccleſiaſtico mancipavit: primus ei gradus fuit ad dignitates Belvacenſis Epiſcopatûs,

Integram habes Vrſinorum genealogiam tabella depictam in Ædè Pariſ. ſacello, quod vulgò Vrſinorum dicitur.

Iohannes Pariſijs natus eſt anno 1388.

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP.

manus ei imponente Jordano Cardinale Urſino Romæ 24. Martij anno 1432. dein Laudunenſem Cathedram adeptus circa annum 1443. poſt quinque circiter annos, Jacobi fratris abdicatione, ad Remenſem pervenit anno 1449. His igitur decoratus infulis, præſtito ſacramento fidelitatis undecimâ Julij, de ſollemni inaugurationis pompa cogitat, quæ ut clarior eſſet, apud S. Theodericum tribus milliaribus à Durocortoro ſemotum

An. 1449. divertit 24. Julij, ubi præter morem, ab Abbate liberaliter exceptus, 27. ejuſdem menſis multis comitantibus, & eidem obviam perrectis è Clero, & civibus primarijs, honorificè Remos ingreſſus eſt, poſtero die cathedralis Eccleſiæ jurat privilegia, adítque Eccleſias tam Urbis, quàm viciniæ, exemplo prædeceſſorum.

Johannes à Rege, cui erat à Conſilijs, Rotomagum mox mittitur cum Dunenſi Comite, acturus cum Archiepiſcopo & civibus de prædictæ Urbis deditione, háncque legationem tanta dexteritate obijt, ut Anglis eliminatis, tota ſimul provincia ad obedientiam redierit.

An. 1450. Anno ſequenti ſodalitium S. Firmini apud Auguſtinianos Remenſes erectum approbat diplomate dato 1. Octob. cujus id initium: *Johannes miſeratione divina Archiepiſcopus, Dux Remenſis, primus Par Francia.* Tum ut ipſemet, & Capitulum Remenſe totius provinciæ Fidelibus ſuppetiarum feracium ſcaturigines aperirent, fierétque ad Eccleſiam Remenſem frequentior concurſus populorum, à Nicolao Pontifice Indulgentias obtinet pro omnibus, qui prædictam matricem feſto Dedicationis (quod in diem S. Lucæ incidit) religioſè viſitaverint, ſub conditionibus in bulla relatis, quæ ſtructuram Eccleſiæ cathedralis hoc tempore necdum perfectam inſinuat; primo publicationis anno Johannes Urſinus ſacris pontificaliter operatus eſt coram inuſitata populorum multitudine; tradunt enim memoræ numerata centum millia, quod mirum videri poſſet poſt tot calamitates, quibus ſuis habitatoribus exhauſta propemodum erat Gallia.

Nicolai V. Papæ reſcriptum.

An. 1451. „ NIcolaus Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memo-
„ riam. Eccleſiarum omnium, & præſertim inſignium Metropolita-
Dreſt * *Ædificationi vel quod ſimile.* „ narum * manus porrigere adjutrices pium apud Deum & meritorium repu-
„ tantes, frequenter Chriſti Fideles ad impendendum circa earum conſtru-
„ ctionem & ædificationem auxilia opportuna noſtris litteris & gratijs ex-
„ hortamur; & ut ad id ferventiùs animentur, quò magis exinde ſuarum
„ animarum ſalutem ſe cognoverint adipiſci, pro temporalibus quæ contu-
„ lerint ſuffragijs, ſpiritualia eis munera, quæ terrenas antecellunt divitias,
„ remiſſiones ſcilicet, & Indulgentias elargimur.
„ Cùm itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Remenſis, QUÆ INTER
„ OMNES REGNI FRANCIÆ ECCLESIAS METROPOLITANAS
„ INSIGNIS EXSTITIT, cùm in ea Reges Franciæ inungi ſoleant &
„ etiam conſecrari, in eáque multæ reliquiæ & plura Sanctorum corpora
„ recondita venerentur, in ſuis ſtructuris & ædificijs, quæ miro quodam
„ opere incœpta, numdum perfecta exſtitit, & ad illa perficienda, & con-
„ ſervanda, ipſius Eccleſiæ propter varios temporum caſus non ſuppetant
„ facultates, ſed Chriſti Fidelium ſuffragia ſunt ad ea quamplurimum op-
„ portuna. Nos ea conſiderantes, ac etiam cariſſimi in Chriſto Filij noſtri
„ Caroli Francorum Regis illuſtris, ac venerabilis Fratris noſtri Johannis
„ Archiepiſcopi Remenſis, necnon dilectorum Filiorum Præpoſiti, ac Capi-
„ tuli dictæ Eccleſiæ interceſſione, & ſupplicationibus moti, de omnipo-
„ tentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus
„ auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti Fidelibus Regni, linguæ

&

& nationis Franciæ, & provinciæ Remensis utriusque sexus, qui præfatam Ecclesiam à primis Vesperis festivitatis S. Lucæ Evangelistæ usque ad secundas Vesperas diei festivitatis ejusdem, quæ est dies Dedicationis præfatæ Ecclesiæ, inclusivè, & inde de septennio in septennium dictam Ecclesiam, ut præmittitur, devotè visitaverint, & ad complementum, reparationem, & conservationem, & utilitatem præfatæ Ecclesiæ manus adjutrices porrexerint, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenariam Indulgentiam & remissionem elargimur. « JOHAN. « JUVENAL. « DE « URSINIS « LXXIV. « ARCHIEP. « An. 1451.

Et nihilominus, ne ipsi Christi Fideles propter Confessorum carentiam, remissionis hujusmodi efficiantur expertes, Archiepiscopo Remensi, ejúsque successoribus, & Remis pro tempore exsistentibus, necnon Capitulo, præfatis conjunctim, & in ejusdem Archiepiscopi, aliorúmque pro tempore exsistentium absentia, Capitulum prædictos Confessores, de quibus eis videbitur, Canonicos ipsius Ecclesiæ, aut in eadem Ecclesia Beneficiatos in Sacerdotio constitutos, in proximis Vigilijs & festo S. Lucæ, & deinde de septennio in septennium, hujusmodi auctoritate apostolica deputare, & eligere valeant, qui ipsorum visitantium, & eis confiteri volentium Confessiones audire, & eos in casibus ordinariorum, ac minorum Pœnitentiariorum in Romana Curia residentium, absolvere, necnon super incertis, & malè ablatis restituendis, cum personis provinciæ Remensis hujusmodi, qui ea restituere deberent, prout opportunum videbitur, componere valeant, plenam & liberam auctoritate apostolica concedimus facultatem.

Sic tamen, quòd ijdem Confessores de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illam personis, quæ sibi confessæ fuerint, per se, si supervixerint, aut per suos heredes, si forsan tunc transierint, faciendam injungant, quam personæ ipsæ, vel personarum heredes facere teneantur. Et ne, quod absit, aliqua ex ipsis personis propter gratiam hujusmodi reddatur proclivior ad illicita in posterum committenda; volumus quòd si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forsitan committeret, quòd ad illa prædicta remissio ei nullatenus suffragetur, quódque pecuniæ, sive oblationes erogandæ, & etiam quæ Confessoribus, etiam ex compositionibus præfatorum incertorum proveniendæ tradentur, & assignabuntur, fideliter & legaliter penes aliquos viros fide, & facultatibus comprobatos, per Capitulum hujusmodi deputandos, conserventur, & solùm in utilitatem Ecclesiæ, & fabricæ hujusmodi integre, & sine quacumque distractione, juxta ipsorum Capituli ordinationem committentur; & si, quod absit, quisquam aliquid de pecunijs, sive oblationibus hujusmodi in alios usus, præterquam in utilitatem fabricæ, & Ecclesiæ Remensis prædictorum, aut in aliquos proprios usus convertere præsumserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à qua præter quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo constitutus, & debita restitutione facta, absolvi nequeat, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ elargitionis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre: si quis autem attemptare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ 1451. sexto Cal. Martij Pontificatûs nostri anno quarto.

Hoc anno 14. Junij S. Rigoberti corpus è ligneâ capsâ in argenteam expensis Capituli, à Johanne transfertur.

Uberiores postmodum Indulgentiæ per modum Jubilæi singulis annis concessæ sunt ijs, qui prædictam Ecclesiam Metropolitanam piè visitaverint die festo Dedicationis, de quibus infra opportunior erit dicendi locus. Exstant in Archivis plures ejusmodi Indulgentiæ hoc ævo Fidelibus impertitæ, qui reædificandis Ecclesijs manus adjutrices porrexissent.

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP.

Vacante ſede Atrebatenſi per obitum Jacobi à Calibria Cardinalis, qui Fortigario ſucceſſerat, Capitulum per tres menſes de Paſtore deligendo nihil cogitavit, ſeu verius neglexit, quibus elapſis viduati Epiſcopatûs omnimoda diſpoſitio ad Juvenalem Metropolitanum jure eſt devoluta. Hic igitur decreto Pragmaticæ-Sanctionis ſubnixus nominat Dionyſium de Monmorenciaco Tornacenſem Decanum; at hunc Atrebatenſes recipere detrectant, opponúntque Johannem Godefridum Luxovienſem Monachum, qui ſe litteris apoſtolicis Jacobo ſubrogatum dictitabat. Dionyſius à Carolo Rege litteras obtinet ad Ballivios Ambianenſem, & Tornacenſem, quibus juſſum, ut in realem eum poſſeſſionem inducant; Capitulo Atrebatenſi pertinaciter adhuc horum exſecutioni intercedente, Dionyſius ad Parlamentum Pariſienſe recurrit, obtinétque 21. Julij vindicias, quibus liberè poſtea ceſſit. Decretum Curiæ ſic ſe habet.

An. 1453.

Jacobus, Conimbricenſis vocatur apud Buzelinum, è clariſſimo Luſitania Regum ſanguine ortus.

An. 1454. „ Dionyſius de Monmorenciaco Decanus Eccleſiæ Tornacenſis exponit „ quòd Epiſcopatus Atrebatenſis per deceſſum defuncti Fortigarij de Placentia, ultimi Epiſcopi Atrebatenſis, vacaverat, & quòd Capitulum Eccleſiæ Atrebatenſis durantibus tribus menſibus ad electionem Paſtoris „ minimè proceſſerat, & nullam electionem fecerat, ſicque proviſio Epiſ„ copatûs prædicti ad diſpoſitionem Archiepiſcopi Remenſis Metropolitani „ ejuſdem Epiſcopatûs devoluta fuerat. Qui quidem Canones & Pragmaticam Sanctionem ſequens, de perſona antedicti Magiſtri Dionyſij debitè „ proviſerat. Judicatum igitur pro Dionyſio ut reciperetur, & gauderet „ fructibus 21 Julij anno 1453.

Concilium Sueſſionenſe ſub Johanne de Urſinis.

CAPUT XL.

JOHANNES privatis haud minus, quàm publicis intentus negotijs, obſtitit hoc anno, ne Carolus regios Judices Remis cum jurium ſuorum, dominiſque temporalis Archiepiſcopatûs jactura inſtitueret: impedire tamen non potuit quin Vicarius-Præfectus, Particularis ut vocant, Ballivij Viromandenſis, & regij Procuratoris Vicarius ſtabiliretur; unde innumerabiles rixæ inter officiarios exortæ ſunt de jure preventionis.

Luſtrata deinde diœceſi, animadvertit idem Archiepiſcopus. Clericorum preſertim mores non nihil prolapſos, à veteri tramite deviare, quod cùm bellorum tumultibus id perſæpe contingat, quæ hactenus Galliam fœdè vaſtaverant, arridente pacatiori ſtatu, propoſuit Synodi convocatione illicita exſcindere; deformata verò, ſeu collapſa, conſilio Suffraganeorum reparare: ad quod Regis aſſenſus cùm præire debeat, hunc pro anno ſequenti facilè obtinuit, quem ex autographo excerptum ijſdem verbis Gallicis reponimus.

Conſentement du Roy pour le Concile provincial de Soiſſons.

NOTRE amé & feal. Nous avons receu les Lettres que vous nous avés eſcrit, par leſquelles nous faites ſçavoir que pour donner remede à aucuns abus que font les officiers des Prelats & autres gens d'Egliſe de voſtre Province, voudriés volontiers tenir voſtre Concile provincial, à quoy dites eſtre tenus, & obligé par les ſaints Canons & noſtre Pragmatique-Sanction; c'eſt à ſçavoir en l'une des villes de Reims, de Soiſſons, Laon, Chaalons, Beauvais, Senlis & Compiegne: laquelle choſe toutefois ne voudriez faire ſans le

le nous notifier, & ſans ſçavoir noſtre plaiſir du lieu où le ferés. Sur quoy vous ſignifions que nous avons bien agreable, que nous ayés ſur ce adverti, & au ſurplus, pour ce qu'il ſemble que eſtes meu de bon propos touchant la celebration dudit Concile, & que faites en ce voſtre devoir, nous ſommes bien contens, & nous plaiſt que vous teniés voſtre dit Concile en celle deſdites Villes qui vous ſera à ce plus propre, & ou en tel autre lieu que vous adviſerez vous eſtre plus ſeant & convenable, & quand bon vous ſemblera. Donné à Melun ſur-Aine le 4. de Fevrier.

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP. An. 1455.

Signé CHARLES.

Et au dos eſt écrit, *A nôtre amé & feal Conſeiller l'Archevéque Duc de Reims.*

Obtento Regis conſenſu, Urſinus Sueſſionem deligit, convocatoriámque epiſtolam ejuſdem Urbis Epiſcopo, velut provinciæ Decano, mittit, quò alios Suffraganeos certiores redderet de Metropolitani propoſito, paratóſque eſſe moneret ad primum Julij. Epiſtola ſic incipit.

Iohannes miſeratione divina Archiepiſcopus Dux Remenſis, primus Par Franciæ, & ſanctæ Sedis apoſtolicæ Legatus-natus. Quando quidem juxta vocationem noſtram, & talentum nobis creditum &c. Quibus præcipua continentur motiva, neceſſitátque cogendæ Synodi: ſub finem Metropolitanus negotium dat Sueſſionenſi Epiſcopo, ut ad alios Suffraganeos & Capitula prædictam epiſtolam ocius tranſmittat, quatenus eam ſuæ diœceſeos Abbatibus, Eccleſijs collegiatis, Prioratibus, & Præpoſituris tam ſæcularibus, quàm regularibus, de jure vel conſuetudine Concilijs provincialibus intereſſe ſolitis, ſignificent, ut remota omni excuſatione, præſenti Synodo frequentes interſint, Capitula per duos deputatos, Eccleſiæ collegiatæ per unum cum procuratione ſpeciali, cunctis inſuper præcipiendo, ne cunctentur Metropolitano reſcribere ſe die condicto adfuturos.

Sueſſionenſis Epiſcopus accuratè muneri ſuo ſatisfecit, certiórque factus ab eo per deputatos Metropolitanus prædictum Conventum omnibus in votis eſſe, Amanuenſem ſuum 15. Junij Sueſſionem mittit, hortaturus proceres, penes quos ſtat Urbis politica gubernatio, ne hoſpitia deſint convocatis ad Synodum. Tum proximo die poſt feſtum S. Johannis Baptiſtæ Remis diſceſſit, tranſiénſque per Veliacum, Sueſſionem venit 28. Junij, ubi à civibus honorificè ſuſceptus eſt. Die lunæ, ultimo Junij pro foribus Eccleſiæ ſchedulæ attexæ ſunt, quibus præcipitur ut deputati præſentes ſe ſiſtant in aula palatij coram ſelectis viris, pro examinandis procurationibus: pactum deinde cum Præpoſito, Decano, Cantore & Canonicis Eccleſiæ Sueſſionenſis de loco Synodi, & Officio divino præfigendo; unde choro majoris Eccleſiæ, pro Conventu, aſſignato, Canonici Matutinum die præcedenti ſe dicturos ſpondent, Officium verò ſequenti ſummo mane circa horam ſeptimam. Epiſcoporum ſedes, ac deputatorum, eumdem ferè ordinem retinuerunt, quem alibi deſcripſimus: Metropolitani cathedra paullo erectior ceteris versùs altare poſita erat, Cameracenſis directè ei oppoſita, aliorum verò Epiſcoporum ſedes hinc inde hac forma.

Archiepiſcopus Remenſis.

Epiſcopus Sueſſionenſis.	Epiſcopus Laudunenſis.
Epiſcopus Belvacenſis.	Epiſcopus Cathalaunenſis.
Epiſcopus Noviomenſis.	Epiſcopus Ambianenſis.
Epiſcopus Tornacenſis.	Epiſcopus Tarvannenſis.
Epiſcopus Silvanectenſis.	Epiſcopus Atrebatenſis.

Epiſcopus Cameracenſis.

Ad

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP. An. 1455.

Ad latus domini Archiepiſcopi erant ſedilia pro Abbatibus, & deputatis Capituli Remenſis, & alijs quibuſdam ex eadem diœceſi; ad latus verò Cameracenſis, & retro Epiſcopos ſedebant cathedralium Eccleſiarum deputati, quibus & choriales Sedes Eccleſiæ tam ſuperiores, quàm inferiores relictæ ſunt. Affixum juſſu Archiepiſcopi ad valvas Eccleſiæ 2. Julij inchoandam Synodum horâ circiter ſeptimâ, niſi majoris momenti negotium aliquod occurreret, de quo Archiepiſcopus deputatos per ſimiles ſchedas certiores facturum pollicetur, vetátque, ne quis eo inconſulto à Conventu aut Urbe diſcedat. Difficultas quædam emerſit pro præcedentia; at cenſuit is eum ordinem eſſe ſervandum, quem quiſque tenere ſolet in Synodis cujuſque diœceſeos.

Inchoatum à Miſſa de Spiritu-ſancto, quam Metropolitanus ritu ſollemni celebravit, cantantibus Canonicis Sueſſionenſibus: eâ finitâ Epiſcopi quatuor, & viginti ſex Abbates proceſſionaliter per pronaum Eccleſiæ chorum ingreſſi, ſedem acceperunt quiſque ordine prædicto. Metropolitanus incœpit hymnum *Veni creator Spiritus*, dixítque verſiculum & orationem; tum Diacono altiori tono: *Flectamus genua*, decantante, omnes illico proſternuntur, ijſdem ſurgentibus ad vocem: *Levate*, Metropolitanus recitavit orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui miſericordiâ tuâ nos incolumes in hoc loco ſpecialiter aggregáſti &c* Idem Diaconus accepta benedictione legit Evangelium: *Ego ſum Paſtor bonus &c.* oſculandum deinde librum porrexit Metropolitano, & alijs Epiſcopis; tum Thomas de Courcellis Gandenſis Archidiaconus, vir doctus & eloquens, coram omnibus peroravit, aſſumto themate: *Omnes unanimes in oratione eſtote, compatientes, fraternitatis amatores.* Conceſſis poſtmodum Indulgentijs à Metropolitano & Epiſcopis, Synodus incœpit ſolita juſſione facta omnibus excommunicatis, & ad Synodum non vocatis, ut è choro diſcederent; at cùm in prædictis multum temporis elapſum fuiſſet, Seſſio prima poſt meridiem remiſſa eſt horâ tertiâ.

Iohan. 11. C.x.

1. Pet. 3. B. 8.

Convenientibus Epiſcopis horâ prædictâ, Metropolitanus palam & ſcripto profeſſus eſt ſui conſilij non eſſe, ut privilegijs, juribus, aut libertatibus eorum, qui præſentes aderant, quidquam detraheretur: tum ſacramento à Notarijs ſuſcepto, convocationis rationes aperuit, dixítque aliam non eſſe præter morum, Cleri præſertim, reformationem, deſideriúmque quo afficiebatur, non modo jura, ſed & libertatem eccleſiaſticam vindicandi. Addidit præterea, cùm Metropolitani ſemel, aut bis in anno, juxta antiquos Canones, Synodos convocare tenerentur, Innocentij III. & Johannis XXII. conſtitutionibus remiſſas fuiſſe de triennio in triennium, Conciliúmque Baſileenſe excuſationes, quas abſentes prætexere ſolent, ad hæc duo limitâſſe, ægritudinem, & ſupremi Principis prohibitionem; at tunc ab abſentibus procuratores eſſe mittendos: ſe porro hactenus præpeditum fuiſſe, ne ſynodalem Conventum cogeret, ob nationale Concilium Rotomagi convocatum, tranſlatum verò Biturigum Rege Chriſtianiſſimo jubente, cui intereſſe neceſſariò debuit; ſed ne id poſtmodum exſequi poſſet, Flandricos tumultus impedimento fuiſſe, à quibus vix reſpirabat Remenſis provincia. Cernens nihilominus in multis oppreſſam eccleſiaſticam libertatem, vitiáque pullulare, diutius diſſimulare noluiſſe, ne ſuo ſilentio ea fovere videretur: tum ad propoſitum veniens, textu Apoſtoli uſus eſt ex epiſtola Dominicæ mutuato: *Humiliamini ſub manu potenti Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis. Reformamini in novitate ſpiritus veſtri, &c.*

1. Pet. 5. B 5.

Rom. 12. A. 2.

Finita oratione ſignificat Epiſcopis, in his Conventibus inquiri ſolitum, an hæreſis quædam aut error ſerpet in provincia, quò remedium ei citiùs apponatur, petítque ab eis, ut capita *Firmiter credimus*, & *Damnamus*, de

de ſumma Trinitate legeretur. Epiſcopi reſpondent doctrinam Fidei puram & innocuam apud ſe conſervari, nec in ijs eſſe longiùs immorandum: tum Metropolitanus quaternionem certis articulis diſtinctum porrexit, aliquot capita de reformatione tam Cleri, quàm populi continentem, querelámque adverſùs eos qui eccleſiaſtica privilegia temerare audebant: lecto hoc quaternione, tempus ad deliberandum datur uſque ad craſtinum, quo Epiſcopi, & deputati rurſum horâ ſextâ convenire debebant. Articulorum ſumma hæc erat.

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP. An. 1455.

Statuta veterum Synodorum provinciæ palam & attentè eſſe perlegenda, quò addatur vel detrahatur à Patribus quidquid conveniens eſſe videbitur.

De divino Officio curam in primis eſſe agendam, ut definivit Concilium Baſileenſe à Rege Chriſtianiſſimo receptum, & ab Eccleſia Gallicana apud Biturigum congregata, Can. *Si quis Principem.*

Decreta de concubinarijs, & de excommunicatis vitandis inconcuſſè eſſe ſervanda.

Monendos eſſe Epiſcopos, ne in Eccleſijs ſuæ diœceſis, vel quibuſlibet alijs compareant abſque rocheto & linea veſte ſupra tunicam epiſcopalem, quæ nec promiſſior, nec brevior eſſe debet.

Ne in publicum ijdem procedant veſtiti panno ſerico, figurato; & ut liberaliter omnes recipiant, qui conſilium rogaturi, ad eos accedunt.

Neminèm ad ſacrum Preſbyteratûs Ordinem eſſe recipiendum, niſi hic probatæ ſit vitæ, explicandi Evangelij capax, habéatque patrimonium unde vivere poſſit.

Omnibus promiſcuè tonſuram non eſſe conferendam, artificibus præſertim, qui obſequio Eccleſiæ non mancipantur, ob regiorum officiariorum querelas.

Habendam eſſe rationem expoſtulationis Abbatum, Capitulorum, Priorum, & Curatorum adversùs Epiſcopos, & Archidiaconos, qui tempore belli, quo reditus imminuti ſunt, jura ab ipſis immodica pro viſitatione exigunt.

Cogendos eſſe Abbates Præmonſtratenſis, Cluniacenſis, Ciſtercienſis & Benedictini Ordinum, ut proferant tabulas, quibus ſe à prædictis viſitationibus immunes eſſe contendunt.

Penſionem congruam pro alimento Curatis eſſe aſſignandam ex decimis quas Abbates, Conventus, & Capitula ſibi vindicant, & unde Paſtores jure communi ſtipendium petere poſſunt.

Concilium Baſileenſe ſervandum circa electionem dignitatum, Beneficiorúmque proviſiones.

Mittendos eſſe ex ſingulis Capitulis aliquos ad Univerſitates, vitandam veſtium ſuperfluitatem, cogendos Clericos, tam uxoratos, quam cælibes, ut geſtent habitum, & tonſuram clericalem, ſi privilegijs gaudere velint; cùm horum neglectu diſſidia generentur inter Judices ſæculares & eccleſiaſticos.

Quædam alia in prædictis articulis continebantur, ad ſpiritualem juriſdictionem & diſciplinam ſpectantia, de quibus varijs fuit Seſſionibus deliberatum: ſtatuta quoque in alijs Synodis ſancita, hîc pariter propoſita ſunt, & probata; quæ cùm in ſuo vigore hactenus permaneant, his ſuperaddere operæ pretium non eſt viſum. Abſoluta fuit Synodus eodem anno, Indictione 3. undecimâ menſis Julij, die Veneris, Calixti III Pontificatûs anno primo.

Johannes

Digitized by Google

IOHAN. IUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP. an. 1456.

Johannes Urſinus Puellam abſolvit, intereſt judicio Parium, Indulgentias obtinet pro feſto Dedicationis. Canonicatus S. Coſmæ reſcinduntur. Et Guillelmus Fillaſtre fit Tornacenſis Epiſcopus.

CAPUT XLI.

SEDATIS belli turbinibus, actum in Curia de retractando judicio, à mercenarijs Iudicibus nequiter in Puellam Aurelianenſem lato, cùm Anglorum res paullum à proſpero curſu deflecterent. Calixtus III litteris apoſtolicis 3. Idus Junij datis Iohannem Iuvenalem deſignat, una cum Guillelmo Pariſienſi, & Richardo Conſtantienſi, Præſulibus, pro recognitione facienda, qui auditis pluſquam centum teſtibus, ſtatuunt Puellam, velut veneficam, injuſtè damnatam, malè hæreſeos, aut perpetrati criminis inſimulatam, nec ob ſupplicium, cui inſons adjudicata eſt, ullam infamiæ notam contraxiſſe, ut pluribus recitat codex Victorinus.

An. 1457. Interfuit anno ſequenti Johannes Archiepiſcopus judicio Parium Franciæ apud Vindocinum in Alençonium Ducem, qui pacto fœdere cum Anglo, filiam ſe illi daturum promiſerat, aditúmque præbiturum pro Gallia rurſum hoſtiliter invadenda. Exſtat vetus quædam pictura, quam mihi pro ſua humanitate exibuit D. Abbas S. Ambroſij Bituricenſis, hoc illuſtre collegium graphicè repræſentans, ubi ad ſiniſtram Regis ſedentis in ſolio cum veſte liliata, Pares eccleſiaſtici viſuntur veſtibus pontificalibus induti, cum inſignibus tunc conſuetis, Archiepiſcopus ſcilicet Remenſis cum lilijs ſine numero. Inde Iuvenalis Remos rediens 22. Decemb. Capitulum particeps fecit eorum, quæ geſta fuerant in Alençonium: mox ex parte Regis litteras recepit, quò ſingulis menſibus ſupplicationes inſtitueret pro ſuſceptæ expeditionis in Turcas fauſto ſucceſſu, accerſit quoque hic inſignes operarios in Urbem, qui periſtromata à fratre inchoata pro ornatu chori cathedralis Eccleſiæ ociùs perficerent: aliquot etiam excepit Ciſtercienſes in domum de Claromariſco, juxta ſuburbanum Vidulæ ſitam, quæ ſub Prioratûs titulo etiam nunc ſubſiſtit, hócque nomine Præpoſitus intereſt Conciliis Cleri Remenſis.

Per id tempus, Iacobi Bouron Scholarchæ Remenſis curâ, qui tunc Romam perrexerat, novæ Indulgentiæ conceduntur præcedentibus ampliores, quarum reformatio Caroli Regis rogatu, & prædicti Archiepiſcopi ſtudio facta refertur pro feſto Dedicationis: indicta fuit ſollemnis quædam celebritas ante prædictarum promulgationem, Miſſâ de Spiritu-ſancto magnificè decantatâ, *Te Deum laudamus.* in fine, tum die ſequenti generalis ſacri cœtûs ſupplicatio, quâ peracta Concionator eloquens ſacrum pulpitum conſcendit, de Indulgentiarum dignitate, natura, & fructu verba dicturus coram maxima populi frequentia, quibus & cum ad eas lucrandas vehementer cohortatus eſt. Tradunt acta capitularia 17. Octob. anni 1461. tranſmiſſum Epiſcopo Auguſtodunenſi reſcriptum à ſummo Pontifice, pro tertia oblationum parte recipienda, quæ à Fidelibus erogarentur prædicto die Indulgentijs deſignato.

Johanne in Curia ſæpius commorante, Remis Balduinus quidam, dictus de Pratis, munera epiſcopalia obijſſe fertur, quem Remenſis Archiepiſcopi titulo fulſiſſe epitaphij Romæ in Eccleſia Lateranenſi poſiti auctor fidenter aſſeverat; at neminem hoc nomine tunc Remis ſediſſe vetuſtiores catalogi teſtantur,

teſtantur, veriúſque eſt pro epiſcopalibus officijs obeundis accerſitum ab Urſinis, eo ferè modo, quo Epiſcopus de Sarepta apud Tornacenſes Vvillelmo Fillaſtre in Curia degente. Prædicti Balduini epitaphium refert Georg. Colvener. in notis ad Flodo. his verbis. JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP. An. 1458.

Sepulcrum reverendiſſimi D D. Balduini à Pratis, nati in vico de Sailly Arteſiæ, hujus Eccleſiæ Archipresbyteri, Archiepiſcopi Remenſis, & ejuſdem provinciæ Legati, qui obijt anno Chriſti nati M CCCC. LX. 15. Septem. cujus cor delatum eſt Monaſterio Igniaci, juxta D. D. Raynaldum & Samſonem agnatos. Patruo poſuit Angelus Regis Catholici Sagittarius Anno M. CCCC. XCII.

Tantam bonorum jacturam paſſa fuerant provinciæ Remenſis Monaſteria, militum excurſionibus per Galliam, ac minus provida Rectorum adminiſtratione, qui immodicis expenſis apud Avenionem in Curia Pontificis reditus nuper dilapidârant; ut San-Remigianum Cœnobium, magnis alioquin facultatibus ditatum, ad aliqualem penuriam hoc ævo pervenerit, quod ſentiens Nicolaus Abbas, petijt à ſummo Pontificè, ut Canonici ab anteceſſoribus in beatorum Coſmæ & Damiani Baſilica pridem inſtituti, penitus reſcinderentur, ne ulteriùs ſibi, aut ſucceſſoribus eſſent oneri. Pontifex negotium remittit ad San-Nicaſianum Abbatem, ut diligenter inquirat, an res ita ſit, & preces veritate nitantur, quod non ita poſt ſedulò præſtitiſſe conſtabit ex Calixti diplomate, cujus hîc antigraphum damus.

Calixtus Servus ſervorum Dei &c. dilecto Filio Abbati Monaſterij S Nicaſij Remenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Univerſalis Eccleſiæ regimini licèt immeriti diſponente Domino præſideamus, circa ea quæ ſtatum proſperum Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium, ac eorum decorem, necnon perſonarum, præſertim divinis obſequijs ibidem mancipatarum, commoda reſpiciunt, libenter intendimus, ac illis, (quantùm cum Deo poſſumus) favorem apoſtolicum impertimur. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Nicolai moderni Abbatis, & Conventûs Monaſterij ſancti Remigij Remenſis Ordinis S. Benedicti, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm Monaſterium præfatum ab ejus primæva fundatione opulenter ditatum foret, ac facultatibus quamplurimis abundaret; per quoſdam ejuſdem Monaſterij Abbates præfati Nicolai prædeceſſores, quatuor ſine Cura portiones in Capella Ss. Coſmæ & Damiani etiam Remis inſtituerunt, illáſque pro quatuor Clericis ſæcularibus inibi perpetuò Altiſſimo famulantibus, ſuper fructibus & reditibus, & proventibus dicti Monaſterij fundârunt, & dotârunt. Quamquam cauſantibus guerrarum turbinibus, mortalitatum peſtibus, ac alijs ſiniſtris eventibus, quibus partes illæ retro refluxis temporibus diutiùs proh dolor! afflictæ fuêre; fructus, redditus, & proventus præfati adeo decreverunt, quòd ex illis Abbas pro tempore exſiſtens juxta abbatialis dignitatis exigentiam, & Conventus ejuſdem Monaſterij ſuſtentari, ac eis ratione dicti Monaſterij, pro tempore incumbentia onera commodè ſupportare non poſſunt. An. 1458.

Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dictæ portiones, quarum collatio proviſio, & omnimoda diſpoſitio ad Abbatem ejuſdem Monaſterij pro tempore exſiſtentem pertinere dignoſcuntur, & per Clericos ſæculares præfatos regi conſueverunt, eidem Monaſterio perpetuò unirentur, amortizarentur, & incorporarentur; ita quòd per ejuſdem Monaſterij Monachos, loco eorumdem portionariorum, in ipſa Capella, quæ eidem Monaſterio ſatis propinqua exſiſtit, in divinis deſerviatur, Nicolaus & ſui ſucceſſores Abbates & Conventus præfati commodiùs ſuſtentari, ac onera

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS

„ hujuſmodi ſupportare valerent, ac ſtructuræ & ædificia ejuſdem Capellæ, „ quæ ruinam minantur, commodiùs reparari, & reparata conſervari „ poſſent, & unio ejuſmodi in ipſius Monaſterij non modicum cederet „ augmentum.

LXXIV. ARCHIEP. An. 1458.

„ Quare pro parte Nicolai Abbatis, & Conventûs prædictorum, aſſe- „ rentium ſe dictarum portionum onera velle ſupportare, nobis humiliter „ fuit ſupplicatum, ut eorum ac dictorum Monaſterij & Capellæ ſtatum in „ præmiſſis opportunè providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos „ igitur, qui dudum inter cetera volumus, quòd petentes Beneficia eccle- „ ſiaſtica uniri alijs, tenerentur exprimere verum valorem, ſecundùm com- „ munem exiſtimationem tam Beneficij uniendi, quàm illius, cui uniri debet, „ alioquin unio non valeret, quíque ſingulorum Monaſteriorum & Eccle- „ ſiarum ac perſonarum inibi divinis obſequijs pro tempore deditarum pro- „ fectibus jugiter intendimus; de præmiſſis certam notitiam non habentes, „ hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta „ mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis eorum circumſtan- „ tijs univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informa- „ tiones ejuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, „ portiones prædictas, quarum omnium deductis oneribus, fructus, reditus „ & proventus XXIV. librar. Pariſ. ſive Turon. valorem annuum, ut ipſi Ni- „ colaus & Conventus prædicti aſſerunt, non excedunt, cum omnibus juri- „ bus & pertinentijs ſuis eidem Monaſterio, cujus videlicet abbatialis & con- „ ventualis menſarum fructus, reditus & proventus provenientes pro ſuffi- „ cientia Monaſterij, volumus, & expreſſè auctoritate præfata imperpetuum „ incorpores, unias & annectes.

„ Itaque earumdem portionum portionarijs cedentibus vel decedentibus, „ aut ipſas portiones aliàs quomodolibet, ſimul & ſucceſſivè dimittentibus, „ liceat Abbati pro tempore exiſtenti, & Conventui dicti Monaſterij, cor- „ poralem poſſeſſionem portionum, juriúmque & pertinentiarum prædicto- „ rum per ſe, vel alium ſeu alios, auctoritate propria libere apprehendere, „ illarúmque reditus, fructus, & proventus in ſuos, & ſui Monaſterij uſus, „ utilitatémque perpetuò convertere, diœceſani loci, ſeu alterius cujuſcum- „ que licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ, non obſtantibus conſuetudinibus „ & ordinationibus apoſtolicis, necnon Monaſterij & Ordinis prædictorum „ juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia robo- „ ratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrarijs quibuſcumque, aut ſi aliqui, „ ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi vel alijs Beneficijs eccle- „ ſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales apoſtolicæ Sedis vel Lega- „ torum ejus litteras impetrârint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſerva- „ tionem & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem „ litteras & proceſſus habitos per eaſdem, & quæcumque inde ſecuta, ad „ portiones hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quo- „ ad aſſecutionem bonorum aliorum præjudicium generari, & quibuſlibet „ alijs privilegijs, indulgentijs, & litteris apoſtolicis generalibus vel ſpecia- „ libus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non ex- „ preſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodo- „ libet vel differri, & de quibus quorumcúmque tenoribus de verbo ad „ verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, proviſo per portio- „ nes hujuſmodi debitis propterea non fraudentur obſequijs; ſed illis debitè „ in divinis per dictos Monachos laudabiliter deſerviatur, & illorum debitè „ per Abbatem pro tempore exiſtentem, & Conventum dicti Monaſterij „ ſupportentur onera conſueta.

Locus corruptus.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ 1458. „ quarto Nonas Maij. Pontificatûs anno quarto.

Inter

Inter Æneam Silvium qui Calixto III. ſucceſſit, dictúſque eſt Pius II. & Carolum VII. quædam emerſit diſcordia pro Tornacenſi Epiſcopatu, ad quem Rex Cardinalem Conſtantienſem pridem deſtinaverat; è re enim ſua futurum putabat, ſi Tornacenſem Epiſcopum præficeret, quem ſuæ obnoxium fidei cognoverat: Pontifex contra in omnibus Burgundioni placere cupiens, pro Guillelmo Fillaſtre eò firmiùs ſtetit, quòd ejus obſequijs hunc tenaciter addictum ſciebat, majòrque pars diœceſis Tornacenſis ſita eſſet in ditione Burgundionis. Habito igitur conſilio cum Cardinalibus, Richardo Guillelmum Epiſcopum Tullenſem prætulit virum litteratum, ac Velleris-aurei Cancellarium. Promotionis bullas hic à ſancta Sede obtentas mox ad Remenſem Archiepiſcopum tranſmittit, rogans ut approbata mutatione, obedientiam Metropolitano debitam, ſacramentúmque Eccleſiæ Remenſi fieri conſuetum reciperet per Aimericum S. Theoderici Abbatem, & per Nicolaum Scoti dominum de Muyſon & Johannem Ferrant conſanguineos, promittítque ſe gratum habiturum quidquid ſuo nomine velut procuratores egiſſent, ſéque perſonaliter eadem editurum quoties ab eo requiſitus fuerit. Epiſtolâ Bruſſellis data eſt penultimo menſis Septemb. anno 1460. & ſic incipit. *Reverendiſſimo in Chriſto Patri & D. D. Archiepiſcopo, Duci Remenſi, Pari Franciæ domino meo colendiſſimo Guillelmus Dei, & ſanctæ Sedis apoſtolicæ gratiâ Epiſcopus Tornacenſis, Suffraganeus veſter, omnis obedientiæ & ſubjectionis debitam promptitudinem. Cum placuit &c.*

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP. *An.* 1460.

Sic Guillelmus Fillaſtre è Tullenſi Epiſcopatu eò faciliùs in Tornacenſem transfertur, quòd Pontifex ex parte Regis nihil contradictionis reperit, de his parum ſolliciti, & annis ejus vergentibus ad occaſum; tanta enim anxietate poſt diſceſſum filij in Flandriam, pactúmque Burgundionis cúm Anglo, confectus fuit, ut ex inedia potiùs (per aliquot enim dies ab eſu abſtinuerat) quàm graviori morbo, exſpirârit 22. Julij anno 1461. *An.* 1461.

Ludovici XI. inauguratio. Ortus Rem. tumultus compeſcitur. De Suffraganeis expoſtulat Capitulum Remenſe. Pragmatica-ſanctio abrogatur. Obit Johannes Archiepiſcopus Remenſis.

CAPUT XLII.

NUNTIJS ad Ludovicum (qui in Brabantiam ſeceſſerat) de obitu Caroli breviſſimo tempore perlatis, mox ſacram Unctionem more majorum recepturus, cum Burgundione & lectiſſimo equitatu, Remos ipſe advolat; at quò ſe Duci in multis devinctum oſtenderet, cùm primùm ad S. Theoderici Monaſterium, duabus leucis à Durocortoro ſemotum, acceſſit, Remenſibus per D. de Montauban Franciæ Thalaſſiarcham ſignificat, ut Burgundioni, ingreſſum ejus præcedere cupienti, longiùs quàm fieri poſſet, equites obviam irent, eúmque officioſiſſimis ſermonibus exciperent; tum Urbem ingreſſo, ab Archiepiſcopo Clero comitante gratiæ referrentur, quòd ſecundùm Deum & B. Virginem, Rex ei ſalutem deberet. Urbis proceres, clavibus portarum in hoſpitio Duci oblatis, addere debebant ſibi imperatum eſſe, ut ſimilem honorem ei deferrent ac Regi ipſi. Nobiles quoque viciniæ egregio apparatu obviam profecti, eadem repetere juſſi ſunt, liberalitérque ſe Duci

JOHAN. JUVENAL DE URSINIS. LXXIV. ARCHIEP. An. 1461.

devinctos profiteri. Injunctum denique Tristano l'Hermite, quòd si tumultus, vel discordia oriretur inter cives, & Ducis domesticos, ne ullum in vincula conjiceret, sed observatis auctoribus, Regis voluntatem super his præstolaretur.

Memoriæ cathedralis Ecclesiæ referunt quosdam è primarijs à Capitulo fuisse deputatos, qui diligenter inquirerent, tam ex senioribus Monasteriorum Ss. Remigij, Nicasij & Dionysij, quàm ex Scabinis, quo ritu & forma Rex inaugurandus excipi soleret, relatúmque ab his Religiosos Mendicantes procedere solitos cum Crucibus extra portam Civitatis, quos Parochiæ, Rectores scilicet & Vicarij, immediatè sequuntur, multis collucentibus tædis, Canonicos verò cappis indutos cum Archiepiscopo (si adsit) Regem exspectare in porticu Ecclesiæ, eúmque processionaliter deducere usque ad majus altare. Cúmque Suffraganei Episcopi Regum Inaugurationibus interesse soleant, statutum est, has ipsis præparandas esse cappas, quas statim à sua promotione Ecclesiæ Remensi obtulissent: alijs verò, à quibus nullas fabrica accepisset, è Sacristia tradendas esse, postquam scripto promisissent se debito brevi satisfacturos. Decretum etiam ex Episcopis, qui sunt in comitatu, rogandos esse aliquos ex parte Capituli, ut in Missa solemni die Unctionis celebranda, Epistolam & Evangelium legerent. Hæc ex actis capitular. Ubi & habetur Ss. Remigij & Nicasij Monachos more consueto vocatos non fuisse, & ob id Unctione peracta conquestos apud Regem, qui & litteras eis indulsit, quibus ordinatum ut conservarentur *in modo incedendi cum dominis Canonicis in coronatione Regis.*

Ex actis Capitularib. 6. Aug. an. 1462.

Rex magnifico apparatu Urbem ingressus est 14. Aug. horâ quartâ post meridiem, Burgundio cum Comitibus Carolegij, Nivernensi, & Stampensi, Dux Clivensis, Comes Fani-Pauli, & alij plures Remis egressi, obviam Regi processerunt usque ad Sanctum-Theodericum. Vestis erat ex damasceno albo & rubro, equus albus insignibus Francicis cooperus, intravit per portam Martis cum insigni pompa, & populi acclamatione, viti tapetibus ornati erant, herbis odoriferis & floribus strati usque ad palatium. Die crastinâ Assumptioni Virginis sacrâ, à Juvenale de Ursinis sacram suscepit Unctionem, præsentibus summi Pontificis Legato, Patriarcha Antiocheno Cardinale, Goffrido Albanensi, Richardo de Longueil Cardinale Constantiensi, & alijs; Regni etiam Megistanes adfuère, aut repræsentati, de quibus accuratè & elegantèr Matthæus in vita Ludovici XI. qui & addit Remis Burgundionem postridie hominium fecisse pro Comitatibus, & terris quas in beneficium tenebat; at acta capitularia referunt Ludovicum statim post prandium iviſse ad S. Remigij, cui & tunicam auro textam, qua hoc die indutus fuerat, dono dedit, cum summa ducentorum supra mille coronatorum, móxque ab Urbe egressum per portam de Dei-merito, apud S. Theodericum hospitatum, die verò sequenti ægrotos tetigisse in Ecclesia S. Marculfi de Corbiniaco, cui & ducentos mille coronatos pariter contulit: perrectum deinde Meldas, ad S. Dionysij, ingressúmque Parisios cum millenis equitibus duodecim.

Festi serenitas nebulis brevi obscurata est, populari quadam Remis oborta commotione, quam hîc breviter refero. Rex in sua Inauguratione Remensibus spoponderat se subsidia aboliturum, quæ bellis finitis hactenus perseverârant; plebs apud quam promissa pro concessis habentur, hac sarcina se exemptam putans, maximo angi dolore cœpit mense Septem. visis collectoribus prædicta subsidia pari severitate extorquentibus. Rumore per officinas perlato, opifices turmatim hinc inde discurrere, socios hortari, furere, totáque Civitas commoveri: collectores è contrario trepidare, Urbe egredi, sine noxa tamen, magistratu plebem compescente, positisque

Digitized by Google

positíſque in domo publica, portis, & viarum exitibus diu, noctúque custodijs. JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP.

Rex ab officiarijs conventus, qui culpam artificiosè auxerant, dat negotium Joachimo Reginaldo Franciæ Mareſchallo, & Johanni Bureau Theſaurario, ut Remos citius advolent; at his necdum Urbem ingreſſis, cœpta inquiſitio à primoribus in palatio archiepiſcopali convocatis, pluresque ex ſeditionis concitatoribus in vincula conjecti, de quibus coram regijs Commiſſarijs pœna ſumta, erant enim lanarij ut plurimùm, plebeij, & alij è famulis ſeu ſervitijs, aut ex fece populi, quos neceſſitas aut deſperatio perſæpe ad rumores adigit: quidam morti adjudicati, alij in exſilium pulſi, plures pecuniâ multati. Cùm miſſi à Rege iteratis inquiſitionibus pœnas prorogarent, timeretúrque ne artificibus urbs vacua foret, Scabini ſupplices Burgundionem adeunt, qui memor receptionis ſibi Remis exhibitæ, veniam à Rege obtinet, patentéſque litteras menſe Decembri anno 1461. quibus injunctum Commiſſarijs, ne ulterius progrediantur, habita ratione obſequiorum, quæ à Remis opportunè Ludovici prædeceſſores receperant. Verba hîc Regis annectam: *Nous avons fait deffence aux Commiſſaires de paſſer outre, eu eſgard aux grands ſervices que les Roys nos predeceſſeurs ont tiré de la ville, & que cette rebellion n'a eſté approuvée par les Maires & Echevins, ni par aucune perſonne notable d'icelle.* *An.* 1461.

Per hos dies Capitulum Remenſe de ſuffraganeis Epiſcopis conqueri cœpit, quòd hierarchicam diſciplinam (quæ in minorum dignitatum ſub ordinatione erga ſuperiores elucet) per Pragmaticam-ſanctionem nuper renovatam, vilifacerent: hæc enim ſub Ludovici XI. prædeceſſoribus à primævo ſtatu ob ſchiſmatis diuturnitatem, & bellum Anglicum ſic deflexerat, ut vix illius vel levis umbra reſtaret; Capitulorum jura ubique paſſim conculcata jacebant, Præſulúmque electiones neglectæ, Regibus eas ſuprema auctoritate ſibi vindicantibus: recèns electi ut plurimùm in Curia verſabantur, de obedientia Metropolitanis præſtanda nihil cogitantes; imo his deſpectis, à quibuſcumque Epiſcopis, extra provinciam conſecrationis munus ſuſcipiebant. Huic malo pro ſua parte Capitulum Remenſe mederi cupiens concluſione facta ultimo Decemb. anno 1461. priuſquam in Curia ſæculari quidquam moveretur, per modum decreti præſens ſtatutum edidit, quod provinciæ Epiſcopis & Capitulis ſubinde ſignificat, & eſt ejuſmodi. *Quoniam per tenorem Pragmatica-ſanctionis domini Electi ad prælationes eccleſiaſticas tenentur recipere munus conſecrationis, aut benedictionis ab eorum Ordinario, & immediatè ſuperiori, ſub pœna centum aureorum applicandorum mediatim Ordinario, & mediatim fabricæ Eccleſiæ ſuæ: & reverendi Patres domini Laudunenſis, & Morinenſis Epiſcopi moderni, munus benedictionis ab alio, quàm à ſuo Metropolitano, domino ſcilicet Remenſi, acceperint, dictam pœnam propter hoc incurrendo, concluſum eſt quòd domini Conſiliarij Eccleſiæ, cùm Conſiliarijs domini Remenſis conferent qualiter dicti Prælati poterunt per dominum Remenſem Archiepiſcopum & Capitulum ſuper præmiſſis convenire. Interim &c.*

At altiores malum radices egerat aſſentatorum dolo, qui Pragmaticæ-ſanctionis abolitioni ſtudebant, quò aulicis Abbatiæ in commendam traderentur. Hoc primùm Remis patuit in perniciem Nicaſianorum; nam Jacobo Champion Abbate mortuo anno 1462. Richardus de Longüeil Cardinalis Conſtantienſis, bullis per gratiam exſpectativam obtentis, Abbatiam ſibi deberi contendit, Petro Boileau canonicè electo nequicquam reclamante adversùs Cardinalem, qui eâ quâ pollebat gratiâ apud Regem facilè vindicias obtinuit. *An.* 1462.

Hinc

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP.

Hinc quorumdam manavit opinio Monaſterium Nicaſianum in Gallia primùm fuiſſe commendatum ab obitu S. Ludovici ; at ex parænetica Senatûs Pariſienſis pro electionibus, evidenter conſtat hanc labem diu ante pluribus alijs hæſiſſe, tracítque codex Papirij Maſſ. ſub Pij. II. Pontificatu quingenta jam per Gallias commendata, cum lugendo regularis diſciplinæ occaſu, redituúmque & ædificiorum exitio, ut Parlamentum prædixerat. De his patheticè Maſſonius lib. IV. hiſtoriæ Francor. *O inceſtuoſas Beneficiorum perpetuas commendationes ! quo errore Gallia in funeſtum pæne morbum incidit, abſentibus enim Epiſcopis, & Monaſteriorum legitimis, veriſque Patribus, oves deglubi neceſſe eſt, templa dirui, diſciplinam ruere, plurimos ab Eccleſia abigi, litterarum ſtudia deſeri ; quæ mala quotidie in Gallia videmus, & aulicos corruptiſſimum hominum genus pinguedine eccleſiaſtica inflatos tumeſcere, undique & emi paſſim ſacerdotia, quod cùm ſimonia eſſet, hodie induſtria cenſetur. Sed ejuſmodi homines immortalis Deus, & ſi ſerò, graviter tamen ulciſcetur ; nec intelligunt cæci Reges, cæcique Pontifices irato Deo fieri hoc impune commercij genus, quod patiare an facias perinde eſt. Ij ſunt mores hujus ſæculi ut perinde ſit Abbatem eſſe ac profani cujuſdam dominij dominum.*

An. 1462

Vide Parlam. defenſion. apud Duaren. tit. 85.

Rex igitur Johanne Ballue Epiſcopo Eburonenſi ſatagente (cui pro mercede data Cardinalis purpura) hoc anno Pragmaticam-ſanctionem abrogavit, & urbes Picardiæ ſupra Sommonam, quas Carolus pater Burgundioni oppignaverat fœdere Atrebatenſi, receptas Imperio Gallico incorporavit ; hoc, bellum boni publici ſtatim ſecutum eſt, cujus capita Carolus Borbonius, Franciſcus Britanniæ Dux, & Carolus Comes Cariloci, ob ſibi à Cancellario Morvillæo non ſatis conſultè dicta : at Ludovicus poſt pugnam de Montlhery hos facilè diſſipavit, pacémque cum ijs inijt prope Carantonum, abſolutis Flandris à reſortitione in Curia Pariſienſi. Duplex in hiſtoria refert Johanni Juvenali Remenſi Archiepiſcopo, Morvillæo exauctorato, reſtitutam cancellariam dignitatem, quam exercuerat ſub Carolo VII. cui Paulus Æmilius & Tilletius favere videntur, quamvis hic fol. 414. ſimpliciter dicat : Abire magiſtratu cogitur Morvillæus, præturæ reſtituitur Urſinus ; is enim dejectus fuerat. At hi Johannem pro Guillelmo accipiunt, qui re vera exauctoratus fuit ſub Ludovico XI. nam Johannes Juvenalis nuſquam cancellaria dignitate potitus eſt, ut ex frequenti ejus reſidentia, chartis authenticis ubi prædictus hic titulus deſideratur, & ex actis capitular. omni exceptione majoribus conſtare poteſt, ubi die 2. Decemb. anni 1457. habetur Johanni Juvenali Urſino Cancellarij filio Aureliani litteris operam danti conceſſum Canonicatum Remenſem vacantem per promotionem Johannis Burelli Archidiaconi & Canonici ad Epiſcopatum Biterrenſem. Hic enim, cùm diutius Remis morari non poſſet, Archidiaconatu ſe abdicavit in favorem prædicti Juvenalis, qui à patruo proviſionem obtinuit, ex inſtrumento Pariſijs dato in domo paterna ſuæ reſidentiæ, anno 1457. Patet etiam ex alia concluſione 2. April. anno 1462. Guillelmum non ita pridem magiſtratum ejurâſſe, quæ ſic incipit : *Attento adventu domini Guillelmi Iuvenalis fratris domini Archiepiſcopi, & nuper Cancellarij Franciæ, ordinatum eſt, quòd in prandio fiet ei encænium de pane & vino Eccleſiæ.*

An. 1465.

Circa hæc tempora muſica primùm in choro Remenſis Eccleſiæ recepta eſt & introducta, miſſis à Capitulo Cameracum expertis Clericis, qui eam diligenter perdiſcerent, ut habetur in actis capitularibus. Muſica autem hæc gravis & ſonora, quæ gravitati Officij divini immixto organo correſpondeat, adhuc viget in Eccleſia Remenſi, nec hactenus admiſſa muſica illa levis, flaccida, tripudians, ſine regulata arte, confuſa fidibus, fiſtulis & vocibus non aptè commixta, quam Muſaſtri cymbalis quidam alicubi introducere

introducere conantur, aurium tantùm titillationi ſtudentes, & ut juvenes & puellas à devotione abſtrahant, qualem Decreto Pariſienſi reprobatam accipimus, ex Geneb. ad annum 1572. JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP.

Hoc quoque tempore Gallia multis eſt attrita calamitatibus, lue quæ tam immaniter ubique deſævijt, ut Lutetiæ cœmeterium S. Innocentij ſepeliendis mortuis non ſufficeret; & militum per Campaniam impunè graſſantium inſolentiâ, quæ ut facilius comprimeretur, ſtatutum hos intra urbium mœnia coercendos. Remenſes, quibus ingens præſidium datum, Clericorum domos æquè ac laïcorum militibus recipiendis deſignant; at illi à Rege immunes declarantur, litteris datis anno 1468. Generalia Regni Comitia ſubinde convocata reperio 6. ſcilicet Aprilis anni 1469. quibus præter Principes, & Pares Franciæ, inter quos Johannes Remenſis Archiepiſcopus interfuit, illuſtrium etiam civitatum Proceres admiſſi, quæ hoc ordine referuntur, Lutetia, Rotomagum, Burdegala, Toloſa, Lugdunum, Tornacum, Remi, Trecæ, Carcaſſona, Aurelia, Biturigæ &c. Ex ſingulis Clericus unus, & Laïci duo. Ibi pax ſancitur inter Regem, & germanum ſuum Vaſconiæ Ducem, pro qua Remis Deo actæ gratiæ 29. Septemb. Tradit Meyerus hunc in Vaſconiam tranſlatum à Rege, quò remotior eſſet à Burgundione, & ne Campaniam & Briam poſſideret. *An.* 1468. *An.* 1469.

Pax item ſecuta inter Reges Galliæ, & Angliæ 5. Novemb. anno 1469. cujus gratiâ tres dies per Galliam populi feriantur. Johannes Archiepiſcopus, qui publicam lætitiam ſuâ præſentiâ auxerat, Virginis Dei-paræ ſocietatem apud Nicaſianos erectam 6. Septembris, anno 1470. ſuis litteris confirmavit, quæ ſic incipiunt: *Iohannes miſeratione divina Archiepiſcopus, Dux Remenſis, primus Par Francie & ſancte Sedis apoſtolice Legatus-natus &c. Datum Remis in palatio noſtro de Tau.* Anno ſequenti rogatus à Canonicis S. Timothei, viſitat Martyrum capſas die Dominica poſt feſtum Aſſumptionis B. Mariæ, quorum reliquiæ ſigillatim referuntur in ſchedula, quam ipſe ſubſcripſit. Ingraveſcente ætate condidit teſtamentum, deſignátque locum, ubi poſt mortem ſepeliendus eſſet, tum ſuperveniente vocationis tempore, ſuſceptis de more ſacramentis, Præſul inſignis defungitur in palatio archiepiſcopali 14. Julij anno 1473. ex epitaphio marmori inciſo, quod ſic habet. *An.* 1470. *An.* 1471. *An.* 1472. *An.* 1473.

URBIS FAMOSÆ BELVIS PRÆSUL FUIT IPSE.
HINC NUMEN SACRUM LAUDUNUM TRANSTULIT IPSUM.
INDE REMIS SEDEM POSSEDIT PONTIFICALEM.
IJS HABUIT TITULIS FRANCI NOMEN PARITATIS.

Obijt anno M. CCCC. LXXIII. quarta decima die menſis Iulij.

Teſtamentum Johannis Juvenalis Remorum Archiepiſcopi, ex autographo.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus-ſancti Amen. Ego Johannes Juvenalis des Urſins, utriuſque Juris Profeſſor, minimus Remorum Archiepiſcopus & Dux, revolvens in ſcrinio mei pectoris mortem eſſe certam, horam incertam, ordino teſtamentum meum in modo qui ſequitur. Primò animam meam commendo Deo creatori meo, B. Mariæ Virgini, totíque curiæ cæleſti, & dum me mori contigerit, ordino & ſupplico corpus meum ſepeliri in Eccleſia mea ante majus altare, in loco ubi Preſbyter Miſſam celebraturus cum Diacono ſe arreſtat, ſalutationem faciendo ante altare, & poſt versùs chorum, cum tumba marmorea, & apponatur dies menſis,

JOHAN. JUVENAL. DE URSINIS LXXIV. ARCHIEP. an. 1473.

„ menſis, & annus obitûs mei; de luminari verò duodecim torcheas, & qua-
„ tuor cereos, & poterunt ſervire tam in ſepultura, quàm in ſervitio, pondus
„ relinquo diſcretioni exſecutorum meorum, & deferentur per duodecim
„ pauperes, quibus detur cuilibet pannus pro tunica, & fiat eleemolyna
„ unius poti vini, & unius panis, & habeat quilibet Canonicus duodecim
„ ſolidos, quilibet Vicarius ſex ſolidos, Capellani & pueri chori tres ſolidos,
„ dummodo ſervitio meo interſint.

„ Celebrentur etiam pro me in iſtâ civitate infra octo dies ſexcentæ Miſſæ,
„ Cuilibet Ordini Mendicantium ſeptem ſolidos, dummodo faciant unum ſer-
„ vitium. Et ſupplico omnibus Fratribus meis Eccleſiæ Remenſis, Abbati-
„ bus & Religioſis, tam Civitatis quàm diœceſis, & Preſbyteris, ut quili-
„ bet det mihi unam Miſſam. Rogo exſecutores meos ut Suffraganeis meis,
„ aut Vicarijs eorum, ſcribant ſupplicando, ut in diœceſibus faciant fieri
„ quod ordinare poterunt in ſuis Synodis; ſim etiam comprehenſus in om-
„ nibus orationibus Ciſtercienſium, Præmonſtratenſium, Carmelitarum &
„ Auguſtinianorum, ut pro more faciant orationes conſuetas. Illi etiam de
„ Capitulo Eccleſiæ Engoliſmenſis promiſerunt mihi facere anniverſarium
„ perpetuis temporibus die qua decederim, eis notificetur. De reparatio-
„ nibus verò Eccleſiæ meæ Remenſis, dominus prædeceſſor, & ego fecimus
„ quidquid pater-familias poteſt, & debet facere. Et dum promotus fui
„ eram bene munitus auri, argentique vaſis, & ex peculio meo plures con-
„ queſtus feci, & maximè quatuordecim librarum à domino de Marcüil, quas
„ habebat ſuper terram de Vailly, & ſuper terram d'Attigny, ſex modia
„ cum dimidio bladi, & centum ſolidos; quem proceſſum incœperam con-
„ tra heredes Guidonis quondam Archiepiſcopi Remenſis, & reperi quòd
„ Simon Cramaudi quondam Remenſis Archiepiſcopus, contentus de his,
„ quæ petebam, fuerat. Et poſt Reginaldus de Carnoto petebat pro om-
„ nibus, terram de Buſſy, & ideo hanc terram habui, & cum ijs Vicecomi-
„ tatum de * Venilly, & quatuor libras ſupra quamdam domum à Jon-
„ chery, & poteram antedictam vendere. Incœperam etiam proceſſum
„ contra Comitem de Villars, heredem Reginaldi de Carnoto, poterit ſuc-
„ ceſſor meus illum proſequi. Lego fabricæ Eccleſiæ ducentos francos;
„ cuilibet collegio Ss. Remigij, Dioniſij, Symphoriani, Timothei, Valiſ-
„ ſcholarium, quatuor libras ut interſint funeralibus; confratriæ B. Mariæ
„ in Eccleſia B. Mariæ Magdalenes octo; Eccleſiæ ſancti Landerici totidem.
„ Habeo ſigillatorem & receptorem temporalitatis, nolo eos fatigari. Habeo
„ unum pulcrum Pſalterium gloſſatum, quod aliàs fuit Abbatiæ S. Geremari
„ Belvacenſis, ſum contentus dummodo unum ad me faciant pro me quod
„ illis tradatur.

„ Verùm, quia ſoror mea Johanna, quæ quondam conjuncta fuit cum Ni-
„ colao l'Echalart, in ſuo teſtamento mihi dedit unum diamentum magni
„ pretij, ut pro ea orarem, quod adimplevi ſecundùm poſſe; volo quòd
„ vendatur plus offerenti, & ſi reſiduum maneat, ponatur in augmentatio-
„ nem Capellæ domini genitoris mei in Eccleſia B. Mariæ Pariſienſis. Ter-
„ ram Trecenſem, quæ mihi competebat ex ſucceſſione paterna, dedi fra-
„ tri meo Guillelmo & ſuis heredibus. Terram etiam de Souppy ex con-
„ queſtu meo, retento in ante dictis terris durante vita mea uſufructu, &
„ de hoc dedi litteras, ante dictas donationes, ad duos ſuos filios, volo ſor-
„ tiri effectum. Credo ſatis dediſſe liberis domini Cancellarij fratris mei, ſunt
„ enim bene collocati, & notabiliter muniti. Frater meus Michaël dimiſit
„ ſex liberos maſculos, & quatuor filias, & in vita ſua ſibi, & liberis ſuis inter
„ vivos donationes fecit. In his tamen donationibus non comprehendo
„ neptem meam Annam, uxorem Inguerrandi de Coucy, quia in ſuo matri-
„ monio ſatis habuit; nec neptem meam Guyonam Religioſam in Piſciaco,

cui

Apud Sammarth. Vouilly. *apud alios* Vailly *vel* Veſly.

cui promiſi viginti libras quolibet anno. Volo etiam antedicta donata eſſe obligata pro quatuor libris, per me promiſſis ſorori meæ Mariæ dum fuit reddita in Piſciaco, quæ in præſenti eſt Prioriſſa. « JOHAN. « JUVENAL. « DE

Dominus genitor meus, cujus animæ parcat Dominus, acquiſivit ducentas libras Turonenſes à domino Johanne de Chalon ſuper terris de Cruſy, & de Ligny, & ſuper dominum de Belleville quinquaginta libras, in quibus habeo quartam partem, quam lego maſculis fratris mei Michaëlis. Omnes imagines quas lego, volo & trado in Eccleſia mea Remenſi, & debent liberi fratris mei Guillelmi eſſe contenti de antedictis, & ſi in aliquo faciant contra voluntatem meam, eos ingratos reputo, & donationes per me factas revoco, & donata dono liberis fratris mei Michaëlis. « URSINIS. « LXXIV. « ARCHIEP. « An. 1472.

Exſecutores nomino Magiſtros Euſtachium, Johannem, Jacobum Juvenalem de Urſinis nepotes meos, dominum Ludovicum Epiſcopum Trecenſem, Officiales meos, Sigilliferum, Johannem Chardon Ballivium meum, & Guillelmum Coquillart Procuratorem meum. Et volo quòd duo vel tres poſſint procedere ad exſecutionem teſtamenti mei. Omnia alia teſtamenta revoco.

Datum Remis anno Domini M. CCCC. LXXII. die decima-octava Septemb.

Ex præcedenti teſtamento patet Johannis Archiepiſcopi præcipuos heredes fuiſſe Michaëlis fratris liberos, Michaëlem ſcilicet, Euſtachium, Johannem, & Jacobum Juvenalem, in quos Petrus de Laval litem movit poſtea, quòd legatorum prætextu immobilem palatij archiepiſcopalis ſupellectilem abſtuliſſent.

Ceterùm Johannis decora adeo clara ſunt, & omnibus nota, ut commendatione non indigeant; pietas ejus ex geſtis, ac teſtamento, ſatis elucet; merita, præfecturæ inſigniter functæ prædicant: at eruditio palam ſe prodit, nec uſquam intermoritura eſt ob præclaros ingenij fetus, quos poſt ſe reliquit. Advocatus regius Pictavis agens texuit hiſtoriam, ſeu Geſta Caroli VI. factus deinde Belvacenſis Epiſcopus binas epiſtolas dedit Comitijs Regni generalibus, cum opuſculo, cui vernaculum hunc præfixit titulum. *Les pretentions du Roy d'Angleterre ſur la France* ſicque incipit: *Audite cæli quæ loquor.* Tranſlatus ad Epiſcopatum Laudunenſem, alium librum edidit *Le Chancelier de France* nominatum, cujus exordium *Ha, ha, ha, neſcio loqui, quia puer ego ſum*, dicavítque fratri ſuo Baroni de Trainel Franciæ Cancellario. Tum ad Remenſem Archiepiſcopatum, fratris Jacobi ejuratione, promotus, tractatum confecit de calamitatibus Regni Franciæ ſic incipientem: *Verba mea auribus percipe Domine.* Caroli VI. hiſtoriam nuper in lucem emiſit C. V. Theodorus Godefridus Regni Hiſtoricus, quam denuo notis auctiorem publicavit ejuſdem filius Dionyſius paternæ dignitatis hæres, & alia quædam opuſcula.

Deut. 32. A. 1.

Idem. 1. B. 6.

Pſal. v. A. 2.

Interpontificij tempore Rex Petrum de Laval Sedi Remenſi ſubjiciendum curat, qui Remos ſollemni pompa ingreditur, jurat privilegia Capituli.

CAPUT XLIII.

VULGATO Johannis obitu, Remenſis Eccleſiæ Seneſchalli, quibus incumbit Capituli jura ſervare, curiæ ſpiritualis regiſtra in aulam adferri jubent, ubi Sede vacante jus dici ſolet: tum viâ ſcrutinij officiariorum electio fit, rectoris præſertim, ſeu Præfecti urbis de

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. *An.* 1473.

Veſly, & caſtri de porta Martis. Subinde Petrus de Pertes Eccleſiæ Cantor ad Regem mittitur Johannis Archiepiſcopi obitum nuntiaturus, Johannes item Burelli Biterrenſis Epiſcopus, nuper Remenſis Archidiaconus, Johannes le Roy Theſaurarius, & Thomas de Gerſennes, à Capitulo ſelecti Regem adeunt pro obtinenda facultate nominandi Archiepiſcopum juxta Canones & Pragmaticam-ſanctionem : at Rex eâ poſtpoſitâ, Capitulo per Johannem de Forges Ballivij Viromandenſis Præfectum, & per litteras 18. Julij eidem deſtinatas, Petrum de Laval ad Archiepiſcopatum certò nominandum eſſe præſcribit, quarum hic tenor eſt.

D'or à la Croix de gueules chargée de cinq coquilles d'argent cantonée de ſeize Alerions d'azur.

Sur la porte du College de Reims à Paris, les armes ſont mi-partyes de France.

A nos chiers & bien amés le Doyen & Chapitre de l'Egliſe de Reims.

CHiers & bien amés, nous auons ſceu que voſtre Archeueſque eſt allé de vie à trepas, & pource que ſingulierement deſirons l'ample promotion & auancement en ſainte Egliſe de noſtre tres cher & amé couſin Pierre de Laual, meſmement qu'il ſoit pourueu audit Archeueſché, & non à autre, tant pour les biens, merites & vertus de ſa perſonne, de la proximité du ſang dont il nous atteint, qu'en faueur des bons & recommendables ſeruices que ceux de ſa maiſon ont par cy deuant fait à feu noſtre tres cher ſeigneur & pere, & font chacun à nous, & à la couronne de France. A cette cauſe écriuons preſentement à noſtre ſaint Pere le Pape, à ce qu'il luy plaiſe promouuoir en voſtre faueur Archeueſque noſtre dit couſin ; & combien que ne faiſions aucun doute, que noſtre ſaint Pere ainſi ne faſſe auſſi toſt que par nous il en ſera requis, toutefois ſi n'eſtiés auertis de noſtre vouloir, peuteſtre procederiez vous à quelque poſtulation de voſtre futur Archeueſque, dont grand domage pourroit auenir & à vous & à voſtre Egliſe : nous vous prions, & neamoins deffendons bien expreſſement, & à certes ſur tout le plaiſir que deſirés nous jamais faire, de ne proceder à aucune election, en quelque maniere que ce ſoit : mais ſouffriez noſtre dit ſaint Pere totalement diſpoſer de l'Archeueſché à ſon bon plaiſir. Car auſſi ne ſouffrirons nous qu'aucun autre ait ledit Archeueſché, & ſi tiendrons la main tellement, que la prouiſion, que luy fera le S. Pere à noſtre priere & requeſte, ſortira ſon plain & entier effect. Donné à Chaignac prés Loches le 18. Iuillet.

Signé *TREHART.*

Juſſioni Regis Capitulum eo libentiùs obtemperandum duxit, quòd familia de Laval inter illuſtriores Regni emineret, fauſtáque omnia, & profutura exſpectanda eſſent à Rege ob ſacram Unctionem, & regalis dignitatis decora, quæ in Eccleſia Remenſi nuper receperat : petit nihilominus, ne prædicta nominatione quidquam detrimenti in ſuis privilegijs, à ſummis Pontificibus Regum conſenſu pridem conceſſis, patiatur. Interim de viduata diœceſi curam ſuſcipiens rogat Lingonenſem Epiſcopum, cui San-Remigianum Monaſterium commendatum erat, ut tonſuram conferre velit eis, qui Capituli nomine præſentarentur : & quoniam Johannis defuncti Suffraganeus inconſulto Capitulo munia epiſcopalia per diœceſim exercebat, obtinet ab Epiſcopo Silvanectenſi, Sueſſionis tunc agente, per deputatos, ut diœceſim luſtrare, eique præſto eſſe velit quamdiu Sedes vacaret. Prædictus Epiſcopus, qui id antea pollicitus fuerat, Remos venit circa Nativitatem B. Mariæ, ibique liberaliter exceptus die feſto, petente Capitulo rem egit divinam, impertiitque benedictionem : tum 12. Septembris comitantibus duobus Canonicis & Promotore, urbes, vicos, caſtella viſitans,

Digitized by Google

visitans, tonsuram volentibus exhibuit, & sacramentum Confirmationis, Ecclesias quoque benedixit virtute litterarum in formam vicariatûs à Capitulo concessi, altaria quoque inauguravit, delinquentésque remisit ad Curiam spiritualem. PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP.

Castellionensis Campaniæ Toparcha, quò Regis voluntas in electione Petri de Laval haberet effectum, Canonicorum vota denuo explorat, Lingonensis enim excursus per diœcesim nonnihil suspicionis ingesserat, at Regi se morem gesturos libere profitentur, salvis Ecclesiæ Remensis juribus, & auctoritate ipsis debita, Sede vacante. Festum Dedicationis hoc anno Episcoporum Lingonensis, Silvanectensis, & Suffraganei præsentiâ, Craonis quoquè, & Raulini Cochinart à Rege missi pro lustrandis Urbis munitionibus, celebre fuit Sacris operante Lingonensi coram inaudita populi multitudine, qui ad lucrandas Indulgentias Remos advenerat. Capitulum tam Episcopos, quam Craonem, Abbates Ss. Nicasij & Dionysij, ac selectos Canonicos convivio excepit, approbátque ea omnia quæ Silvanectensis Episcopus per diœcesim egerat: tum decernit egregiæ texturæ mappulas dandas Raulino Cochinart Sanctæ-Mathildis Capitaneo à Rege missо, quò Canonicos eximeret à custodia portarum, inducijs tunc cum hostibus depactis, & cessante periculo. Consensit denique ut Lingonensis Episcopus in sacello domûs abbatialis S. Remigij, ubi degebat, sacros Ordines conferre posset diebus Quatuor-temporum ante Nativitatem. *An.* 1473. *Ex concluſ. capit. 11 Octob.*

Petrus de Laval receptis à sancta Sede apostolica bullis Archiepiscopatûs, certum reddit Capitulum mense Martio, se brevi Remos venturum, recepítque se primò apud S. Remigium 5. April, unde Ægidium de la Riviere procuratorem suum mittit, qui prædictas bullas juridicè notificaret, petens ut consuetis ceremoniis in realem possessionem induceretur, quibus lectis Capitulum spondet se Pontifici obtemperaturum, & sic interpontificium finem accepit.

Petri Lavallij Præsulatus, si jurium conservandorum curam, cui tenaciùs incubuit, exceperis, pauca historiæ mandanda suppeditat. Filius hic fuit Guidonis hujus nominis quartidecimi Dynastæ de Laval, & Isabellæ à Britannia Johannis VI. Ducis, ac Johannæ Caroli VII. Regis sororis filiæ, è quorum connubio nati tres, & septem filiæ prodierunt; Guido XV. Lavallij Comes major natu; Johannes Lavallius Rupis-Bernardi dominus; & Petrus Remensis Archiepiscopus. Hos domûs Montmorenciacæ gestâsse insignia reperio, argenteis conchis quinque exceptis, quas coccineæ Cruci in gentilitio scuto addiderunt. Ex panegyrica funebri habita in exsequijs Guidonis XXI. Comitis Lavallij constat illustrem hanc familiam Cardinales duos protulisse, Archiepiscopos Ambredunensem & Remensem; plures Episcopos, Dolensem videlicet, Autissiodorensem, Abrincensem, Macloviensem &c. Magistros equitum quatuor, militiæ Præfectos tres, Architalassos totidem, Toparchas provinciarum sex, exercituum verò supremos Rectores quatuor, patétque litteris Ludovici XI. Novemb. 24. datis anno 1464. Franciscum Lavallium Dynastam de Gaure ex filia sororis Caroli VII. ortum, eodem loco habitum ac Vindocinenses Comites in secretiori Regis Consilio, ac in supremo Senatu Parisiensi. *An.* 1474.

Petrus alicubi de Montfort dictus (quòd Guido pater ejus dominium de Montfort ab avo hereditario jure accepisset) Episcopatum S Brioci in Britannia primùm obtinuit, deinde S. Maclovij; Abbatias quoque Ss. Albini, Michaëlis, Nicolai &c. tum verò Remensem Archiepiscopatum annitente Rege, ut supra vidimus. Exstat charta in Tablino S. Dionysij Rem. ubi his insignitur titulis: *Petrus de Laval Dei gratiâ Archiepiscopus & Dux Remensis, primus Par Franciæ, sanctæ Sedis apostolicæ Legatus-natus, Galliæ Belgicæ Primas, Commendatarius Episcopus Briocensis, ac*

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP.

Monaſteriorum St. Albini, & Nicolai Ordinis ſancti Benedicti intra, & extra muros Andegavenſes, &c. Inde patet necdum ubique in uſu receptum apponendi hæc verba in epiſcopalibus litteris: *Dei & Sedis apoſtolicæ gratiâ,* quæ tamen leguntur in decreto Ferrici Tornacenſis pro Curato & Vicarijs parochiæ S. Mauritij Inſulenſis anno 1470.

An. 1474. Jurat Lavallius in verba Regis tamquam Archiepiſcopus, Dux Remenſis, & primus Par Franciæ 29. menſis Martij anno 1473. Regni Ludovici XI. tertiodecimo, ex litteris prædicti Regis ad Cameræ Computorum Adminiſtros pro redituum epiſcopalium vindicijs obtinendis, ubi Rex hunc ſuum conſobrinum vocat his verbis.

Loüis par la grace de Dieu Roy de France à nos amés & feaux, gens de nos cours & Threſoriers au Bailly de Vermandois, & à nos procureurs, & receveurs ordinaires audit Bailliage, ou à leur lieutenants, ou Commis, ſalut, & dilection. Sçavoir vous faiſons que noſtre cher & feal conſin Pierre de Laval Archeveſque & Duc de Reims nous a aujourd'huy fait en noſtre preſence le ſerment de feauté, que tenu nous eſtoit faire, à cauſe de la temporalité dudit Archeveſché, auquel ſerment nous l'avons reçu ſauf nos droits, & l'autruy. Si vous mandons qu'à raiſon dudit ſerment vous ne donniez aucun empéchement en la joüiſſance de ladite temporalité &c. Donné à Ermenoville prés Senlis le 29. jour de Mars 1473.

Jucundum adventum celebraturus comites habuit Lingonenſem, & Cathalaunenſem Epiſcopos, aliquot alios primarios è Clero, & plurimos nobiles, Urbémque ingreſſus eſt per portam de Dei-merito 5. Aprl. die Martis ante Paſcha, giſtúmque accepit apud S. Remigium, Abbate & Monachis ei ad gradus Eccleſiæ præſtolantibus, inivítque præſens poſſeſſionem poſtero mane anno 1474. miſſo eodem die Ægidio de la Riviere cum litteris bullatis Sixti IV. quò Capitulum ad eum recipiendum cum conſuetis ceremonijs ſe accingeret. Egreſſus igitur è Monaſterio San-Remigiano, Monachis proceſſionaliter præcedentibus cum Abbate, à Canonicis matricis Eccleſiæ, ſecundùm B. Catharinæ ſacellum more ſolito excipitur, ac in realem poſſeſſionem inducitur per Archidiaconum, præſtito juramento ſuper majus altare, quod propria manu ſubſcripſit, ſuóque ſigillo munivit (hac adhibita cautione) ſe quidquid jus permiteret dumtaxat polliceri, & jurare; & non aliter vel alio modo, cujus rei teſtimoniales litteras protinus ſibi concedi poſtulat, præſentibus Archidiaconis, Cantore, Vicedomino, & alijs: tum Miſſæ ſacrificium auguſtiori pompa celebrat, excipítque convivio diverſi ordinis, ac dignitatis viros ſupra quingentos in aula palatij archiepiſcopalis. Altera die, ne prorſus inanis eſſet conteſtata denuntiatio, ipſemet venit in capitulum, de privilegijs & libertatibus Canonicorum inquiſiturus, quæ ultro ab his exhibitæ ſunt, & fuſius explicatæ; at cùm ſe graviter læſum exiſtimaret, ob ea quæ Sede vacante à Capitulo geſta fuerant, Aurelianenſis Concilij definitioni contraria, quâ cautum eſt, *ut in civitate ubi Pontifex obierit, Epiſcopus aliquis ante ſubſtitutionem reparati per ordinem ſucceſſoris, in civitate, vel per parochias præſumat ordinare Clericos, aut altaria conſecrare*, ad valvas Eccleſiæ quaſdam ſchedulas affixit, graviores pœnas in Epiſcopos, qui talia Sede Remenſi vacante auſi fuiſſent, continentes. Capitulum his vehementer commotum (velut ſuis libertatibus, adverſis) ad Sedem apoſtolicam appellat, rogat tamen interim Archiepiſcopum, ne ſui Præſulatûs primitias diſcordiâ fœdare velit, ſed potiùs paci conſecrare, quæ membra cum capite arctiùs compaginat, quod lubens præſtitit Ligonenſi Epiſcopo ſuadente, & Archidiaconis.

Sic injurijs utrímque oblivioni traditis, Petrus ſe juribus eccleſiaſticis conſervandis totum mancipavit, quæ à Ballivio Viromandenſi, apud Laudunum

dunum ſedente, liberiùs convellebantur, gnarúſque litis inchoatæ à Capitulo adverſùs Petrum de Ranchicourt Atrebatenſem Epiſcopum, quòd fidem matrici Eccleſiæ præſtari ſolitam jurare procraſtinaret, egit apud ſummum Pontificem, quò Philippus S. Genovefæ Pariſienſis Abbas pro ea finienda delegaretur; qui viſis privilegiorum chartis, ſanxit *provinciæ Remenſis Epiſcopos ante, vel ſtatim poſt adeptam poſſeßionem, teneri metropolitanam Eccleſiam honoris gratiâ perſonaliter adire, clientare votum emittere, cappam de panno ſerico, novam, & decoram, ſuis ſumtibus & armis ornatam ſolvere, quâ quamdiu ſuperſtites fuerint utantur in Regum unctionibus, & Synodis &c* Sententiæ huic ſe obſequentes præbuerunt præter Atrebatenſem, Morinenſis Epiſcopus anno 1474. Cathalaunenſis 1477. & Henricus de Berg Cameracenſis, qui Romam iturus ſe ad hoc obligari litteris declaratorijs ultro faſſus eſt anno 1483.

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. *An.* 1474.

Petrus haud diu Remis moram fecit poſt adeptam poſſeſſionem, non quòd nova ſponſa ſibi ingrata eſſet aut faſtidio; ſed ne Regi, ultra quàm dici poteſt ad ſuſpicionem prono, de eo neſcio quid ſuſpicandi anſam præberet, eo præſertim tempore, quo Anglus & Britanniæ Dux Galliam bello aggredi cogitabant: unde ne vel leviter ſuſpectus eſſet, Andegavum conceſſit, relicto Remis Ægidio de la Riviere Vicario generali, & Petro Epiſcopo de Nazareth, qui ſacros Ordines eo abſente conferret; obtenta etiam priùs facultate à Sixto IV. deputandi aliquos pro Eccleſiarum & Monaſteriorum luſtratione recipiendique giſtorum jura conſueta, reſcripto IV. Idus Maij dato anni 1474.

Renatus Lotharienſis Dux hoc anno menſe Auguſto Remos Antonium d'Antigni Ballivium & Toparcham terræ de Aubenton mittit, qui ſuo nomine clientaris fidei ſacramentum Remenſi Eccleſiæ exhiberet pro Baronia de Ruminiaco in Teratchia, ex dominio de Poteſtatibus dependente, ad quod à Capitulo admiſſum lego, ea lege, ut prædicti feodi annexorum indicem, ſeu cenſum intra præſcriptos dies exhiberet.

Anglo cum Burgundione adversùs Ludovicum fœderato, Cochinardus Remos mittitur, quid ibi geſſerit. Præfectorum Urbis Remenſis Syllabus.

CAPUT XLIV.

VULGATIS per Gallias nuntijs de bellico fœderatorum Principum apparatu, pro infrigenda pace magno impendio comparatâ, Rex dominum de Credonio cum magna vi ducum ac militum in Campaniam ablegat, ne quid illic mali hoſtes molirentur. Remis hic 3. Octob. honorificè ſuſceptus eſt anno 1473. & cum eo Raulinus Cochinart Regis Œconomus & à Conſilijs, qui moram in Urbe fecit pro luſtrandis munimentis, inſtaurandiſque aggeribus, ſi quid in ijs deeſſe videretur. Raulinus ipſe, quem veteres ſchedæ Urbis Præfectum vocitant, viſo munimentorum ſtatu, ea confeſtim reſarcienda cenſuit ex lapidibus domorum portæ Martis, & Caſtelli, vulgo archiepiſcopalis nominati, quas omni remota deliberatione ſubverti jubet, imperátque civibus, ne cunctentur vectores cum equis & carrucis eò mittere, qui lapides & ligna Remos ociùs comportent. Scabini hac inſolita juſſione perterriti, metuere ſe dicunt, ne poſthac ad judicium ab Archiepiſcopo pro damnis receptis vocentur, quòd prædictæ domus dominij eſſent archiepiſcopalis;

Digitized by Google

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP.

chiepiſcopalis; at Cochinardus nulla reſponſi habita ratione, Regis obſequium commodo Archiepiſcopi duxit anteferre, publicam Urbis conſervationem ruſticanis prædijs.

Cùm prædicta caſtella ſuſdéque verterentur, Rex gnarus rerum quæ fiebant in Anglia, & quòd brevi Burgundicis ſtipatus navigijs in Galliam Anglus ſtatuiſſet transfretare, rectáque Remos proficiſci pro ſacra Unctione recipienda, mittit dominum de Sancto-Germano, cum ſelecta militum turma, & litteris ad cives Remenſes, quò ſe ad ſtrenuam defenſionem maturè præparent, ſcripſit & nonnullas ad Raulinum, quarum hîc pericopen damus: *Raulin je ſuis adverty que le Roy d'Angleterre avec le Duc de Bourgogne doivent tirer en Champagne, & de là à Reims pour s'y faire couronner; faites en diligence fortifier les endroits les plus foibles des rempars de la Ville, &c.* Receptis his litteris opifices Raulinus ab artibus ceſſare jubet, Clerum à cantu, nec primoribus parcit, aut Religioſis, omnes ad unum ferventer operi incumbere, minatúrque ſe cuncta ædificia exuſturum, ni expeditè, ac celeriter imperatum fiat. Præter rudera caſtellorum Archiepiſcopi, addidit etiam demolitiones domorum de Novavilla, Archiepiſcopalis dicta, caſtelli de Luche apud Thuiſi, piſtrini des Venteaux prope Joncherium, capellæ ſancti Bernardi extra portam de Dei-merito, Capellæ ſancti Marci ad portam Carceris, Eccleſiæ de Neuville ad Beguinas, Eccleſiæ de Claromareſto juxta Remos, caſtelli villæ de Menancourt, & aliorum; regni ſtatus, & imminens periculum id dubio procul poſtulare videbantur, Anglorum Rege cum numeroſo exercitu irruptionem parante.

An. 1475.

Navalis exercitus Caleſium appulit eodem anno, cui Burgundio ſe adjunxit, itérque, in terram demiſſi, versus Peronam inchoant, inde ad Sanctum-Quintinum; at Præfectus equitum, qui portas ſe aperturum promiſerat, glandes ferreas è machinis in fœderatos mittit. Eduardum ſerò ab Anglia ſolviſſe pœnitet, eúmque inſperatus Burgundionis receſſus in Brabantiam majori moleſtia afficit: ſic utrimque deluſus, de ineunda pace cogitans, Regnum primò veluti hereditario jure ſibi debitum audaciùs poſtulat, tum Normanniam & Vaſconiam; at pancioribus contentus inglorius receſſit.

Pace Regum firmata, Burgundiæ & Britanniæ Duces paciſcuntur cum Franco, fidémque ſpondent apud Silvanectum cum incredibili populi lætitia. Indulgentias mox ſummus Pontifex conceſſit omnibus, qui ter recitaſſent, *Ave Maria* juxta meridiem; conſueta hæc oratio poſtmodum dicta eſt *Ave Maria pacis.* Bullæ apoſtolicæ Januario menſe in Capitulum allatæ ſunt, à quo indicta eſt generalis ſupplicatio, ſelectúſque Concionator, qui eas è ſuggeſtu publicaret Clero præſente, & univerſo populo, hortaretúrque omnes reverenter adeſſe, cum ſacra tutelarium ipſana per Urbem illuſtri apparatu Clericorum humeris efferrentur. Julianus Cardinalis Legatus à latere, & qui ſanciendæ paci velut arbiter multùm contulerat, diſpenſavit cum Carolo de Hangeſt Noviomenſi electo, ut in pueritia, vix enim quindecim ætatis annos egerat, cujuſvis generis Beneficia, regularia vel ſæcularia, compatibilia vel non, etiam tria Curata tenere poſſet, anno 1476. Inde colligere eſt prædictos abuſus etiam ante concordata viguiſſe.

An. 1476.

Pax Silvanectenſis hoſtibus Regni funeſta fuit, equitum Magiſtro primùm, cujus fractæ cervices, quòd in fide nutâſſet; tum Burgundioni, qui ab Helvetijs bis fuſo exercitu prope Nanceium infeliciter pugnans, confoſſus occubuit: hac morte urbes ſupra Sommonam ad Gallos rediérunt, & aliæ armis expetitæ, miſſis è Durocortoro pilis ferreis, nitrato pulvere, & bellicis tormentis, quæ ibi ſervabantur, ad regium exercitum.

tum. Rex frequentioribus litteris ad Scabinos Remenſes directis, hos reddit certiores de expugnatione Heſdinenſis caſtelli in Arteſia, de Ducis Gueldriæ profligatis militibus juxta Tornacum, & ejuſdem occaſu, & de Flamingis in Albis-foſſatis prope montem Caſſeranum ad interneciónem cæſis. Addit in alijs litteris, Caroli Ducis filiam, Maximiliano Auſtriæ à Proceribus Flandricis promiſſam lætiori fortunæ, (pro qua Capitulum menſe Martio ſollemnes Deo egit gratias.) Atrebatum vi expugnatum acceſſit; at Rex probè ſciens cives non ex animo Francis ſubeſſe, colonias ſubſtituit ex varijs urbibus, Remi ſexdecim familias ſuppeditârunt, quarum bona, victus, familiariſque ſuppellex plauſtris vecta ſunt eorumdem curâ & ſumtibus.

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. *An.* 1477.

Petrus de Laval, qui Andegavum ſeceſſerat vigente Principum fœderatórum, Britanni præſertim ſibi conſanguinei cum Franco diſcordiâ, vulgato pacis fœdere Remos redijt, gravitérque commovetur auditis vexationibus, quas in Remenſes Cochinardus exercuerat; at altiùs nihil animum ejus penetravit ac caſtellorum everſio, temeritáſque Cochinardi, qui deſtinatas his reficiendis pecunias aliò deflexerat; unde paullo poſt ad Curiam profectus, captandæ occaſioni ſic incubuit, ut à Rege, tam Urbis, quàm territorij præfecturam facilè obtinuerit: regijs igitur munitus litteris, Remos venit, ſatisfactionem pro everſis caſtelis, ruderibúſque aliò tranſvectis petiturus, certúſque totum id actum minis Cochinardi, cóque inſtantiùs urgente, ſatellites ejus in vincula conjecit.

Id intempeſtivè factum haud ita poſt Petrus agnovit, cum enim icti fœderis Britanni cum Burgundione memoriam Rex à ſe necdum penitus excuſſiſſet, illatam adminiſtris moleſtiam ægerrimé tulit, excanduítque in Remenſes, velut vindictæ auctores: certior tamen factus à Normanniæ caſtrorum Metatore, & Urbis deputatis, verſâ in Archiepiſcopum iracundiâ, præfecturam cum abdicare jubet, ſancítque ne deinceps ullus è Britannia ortus, vel ex Lavallij domeſticis in officiarios Archiepiſcopatûs aſſumerentur, litteris Atrebati datis 13. Julij anno 1477. & ad Ballivium Viromandenſem, ſeu Præfectum ejuſdem deſtinatis, quarum hic tenor eſt. *An.* 1478.

Comme nous ayons eſté advertis que noſtre amé & feal Couſin & Conſeiller l'Archeveſque, Duc de Reims ait mis aucuns officiers en ladicte ville pris à ſa poſte, tant ſes familiers, ſerviteurs, que autres eſtants du pais de Bretagne, leſquels nous pourront eſtre ſuſpects, & faire choſe qui pourroit prejudicier à noſtre Royaume &c. Prædictæ litteræ adſtantibus Comite de Beaujeu, & Comite de Marle Franciæ Mareſchallo, & Præfecto Delphinatûs ſubſignatæ ſunt. Voluit quoque Rex ut quotquot de Raulino Cochinart, ob ea quæ belli tempore ſeveriùs geſſerat conqueſti fuiſſent, injeciſſéntque manus in eos, quos publicis rebus præfeciſſet carceri manciparentur, pœnáſque de ſontibus, præmiſſa inquiſitione, Præfectus Viromandenſis ſumeret, & quibuslibet alijs qui Cochinardi familiares vel verbis deinceps laceſſerent.

Gravius nihil imperari poterat, acerbiúſque viro nobili, decoquendam tamen ſibi exiſtimavit Lavallius eam animi ſui moleſtiam, levandámque promptiori ab Urbe receſſu; at cives, qui ob nimiùm apertos queſtus pedetentim pœnas dederunt, Cochinardi arbitrio relicti, qui regiâ fretus potentiâ, in ſibi priùs infenſos tanta atrocitate deſævijt, ut plures opibus nudati, miſeram vitam finierint: alij verò litibus fatigati è patriæ ſolo potiùs abire duxerint, quàm tot angi calamitatibus, donec mutato Regni ſtatu per Ludovici obitum, Lavallius Cochinardo cumulatiſſimè vices retulit. Hic nempe ſenio confectus, captus oculis, deſtitutúſque omni præſidio, à multis de præterita ſævitia conquerentibus impeti cœpit, qui & de eo inquirendi facultatem obtinent, certatímque eum perſequuntur, quò

An. 1476.

An. 1486.

Digitized by Google

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. an. 1480.

quò sævi & immites discant vel hoc Cochinardi exemplo, quorum præcipuè vindex sit Deus; cujus memoria, quòd viduas & pupillos immaniter litibus obruerit, tanto dedecore fœdata est, ut etiamnum irrisui, ac velut ludibrio sit apud Remenses.

Simultates inter Petrum de Laval & Cochinardum exortæ; Ludovici ingravescens senectus, infirma, ac pænè desipiens; Caroli ætas Regno administrando minor, & Capitanei jugum tandem à cervicibus dejectum Remensibus commodam, nec multâ insumtâ operâ quæsitam occasionem, præbuêre sibimet ipsis Præfectum constituendi, cujus munia cùm superiùs cap. XXXVII descripta sint, nihil moror: eorum tantummodo nomina qui in ea dignitate claruerunt, prout in Urbis Tabulario reperiuntur, obiter hîc exhibenda popularibus non injucundum censeo. Observandum tamen velim priores septem non tam ab Urbe, quàm ab Urbis Capitaneo præfecturam accepisse, quod ex citato capite facilè deduci potest.

Johannes Cauchon Miles, dominus de Gueux, an. 1422. 1423. & 1424.

Thomas de Basoches, ab anno 1425. ad annum 1430.

Thomas Cauchon Eques, dominus de Godart & Savigny-sur-Ardre & regiæ Major-domûs ab anno 1431. ad annum 1434.

Theobaldus de Boutillier, ab an. 1435. ad annum 1439.

Johannes Cauchon iterum ab anno 1440. ad annum 1450.

Petrus de Besanne, Eques, dicti loci dominus, & de Taisy, ab anno 1450. ad annum 1467.

Nicolaus Musart, Eques, dominus d'Uncher, de Blanzi, & du Chastelet, Salinarum Remensium Redemptor, ab anno 1467. ad annum 1476.

Thomas Cauchon prædicti Thomæ filius, Eques, dominus du Godart, & Savigny-sur-Ardre, ab anno 1476. ad annum 1482.

Johannes Cauchon, Eques, dominus de Sillery, ab anno 1482. ad annum 1491.

Johannes Cauchon, Eques, dominus de Neuvlise, ab anno 1491. ad annum 1497.

Carolus de Vassè, Eques, dicti loci dominus, & de Muison, an. 1497. & 1498.

Guillelmus Toignel, Eques, dominus de Courmas, Mery, & Praingi supra Matronam, ab anno 1499. ad annum 1505.

Jacobus Fillet, Eques, dominus de Lude, ab anno 1505. ad annum 1515.

Johannes de la Fontaine, Eques, dominus de Courmas, ab anno 1515. ad annum 1524.

Antonius du Puy, Eques, dominus de Montigny, ab anno 1524. ad annum 1534.

Nicolaus Chinoire, Eques, dominus de Chambrecy, & de Bignay, an. 1534. & 1535.

Antonius du Puy iterum an. 1536. & 1537.

Nicolaus Chinoire iterum an. 1538. & 1539.

Remigius Cauchon, Eques, dominus de Jonvalle, & de Muyson, an. 1540. & 1541.

Johannes Briotin, Eques, dominus de Seüil, an. 1542.

Hubertus Feret, Eques dominus de Mont-laurent, Vice-dominus Cathalaunensis, an. 1543.

Johannes de Bossu, Eques, dominus de Lierval, an. 1544. 1545. & 1546.

Hubertus Feret iterum an. 1547. 1548. & 1549.

Nicolaus Chinoire tertiò an. 1550.

Johannes Briotin iterum an. 1551.

Hubertus Feret tertiò an. 1552. 1553. & 1554.

Nicolaus Noel, Eques, dominus de Muire an. 1555.

Magister

Magiſter Claudius Pioche, Jurium Licentiatus, in ſupremo Pariſienſi Senatu Advocatus, ab anno 1556. ad an. 1561.

Reginaldus Cauchon, Eques, dominus de Condé, ab anno 1561. ad an. 1567.

Hieronymus Goujon, Eques, dominus de Vraux, Remorum Seneſchallus hereditarius, ab anno 1567. ad an. 1571.

Philippus Frizon Sclopetariorum Rem. Capitaneus, an. 1571. & 1572.

Hieronymus Goujon iterum an. 1573. & 1574.

Henricus Bachelier, dominus de Saint-Mare, de la Fontaine, & de Gentes, an. 1575.

Oudardus Noel, Eques, dominus de Muire, an. 1576.

Simon Chertemps, dominus de Vaux, ab anno 1577. ad annum 1581.

Johannes Cauchon, Eques, dominus de Neuvliſe, an. 1581. & 1582.

Magiſter Johannes Pioche, Jurium Licentiatus, & in ſupremo Pariſienſi Senatu Advocatus, an. 1583. & 1584.

Magiſter Nicolaus Soüin, Jurium Licentiatus, & in regio Senatu Remenſi Inquiſitor, ab anno 1585. ad an. 1590.

Oudardus Coquebert dominus d'Ado[illegible], an. 1590. & 1591.

Magiſter Johannes Pilloy Conſiliarius & vectigalium Magiſter, dominus de Lamé, an. 1592. & 1593

Magiſter Franciſcus Rouſſel, Jurium Licentiatus, & in ſupremo Senatu Pariſienſi Advocatus, an. 1594.

Johannes Leſpagnol, dominus de Fontenoy, an. 1595. & 1596.

Johannes Roland, an. 1597. & 1598.

Andreas Goujon, Eques, dominus de Bouzi an. 1599. & 1600.

Nicolaus Bachelier, dominus de la Fontaine, ſupradicti Henrici primogenitus, an. 1601 & 1602.

Nicolaus Frizon Vicecomes de Saux-ſaint-Remy, an. 1603.

Johannes Leſpagnol iterum an. 1604.

Reginaldus Goujon, Eques, dominus de Thuiſy, hereditarius Remorum Seneſchallus, Regi à Conſilijs, Præſes, & Proprætor in regio Senatu Remenſi, apud Reginam Catharinam Medicæam libellorum ſupplicum Magiſter, prædicti Hieronymi filius, an. 1605. & 1606.

Euſtachius de la Salle, an. 1607. 1608. & 1609.

Johannes Roland iterum an. 1610.

Andreas Goujon iterum an. 1611. & 1612.

Nicolaus Bachelier iterum an. 1613. & 1614.

Magiſter Antonius Fremin Reginæ Catharinæ Medicææ à Conſilijs, & Secretis, an. 1615.

Magiſter Robertus Barrois, Jurium Licentiatus, in ſupremo Senatu Pariſienſi Advocatus, & in Balliviatu archiepiſcopali Proprætor, 1616. 1617 & 1618.

Oudardus Bachelier, Sclopetariorum Capitaneus, anno 1619.

Nicolaus Coquillart, an. 1620. 1621. & 1622.

Magiſter Nicolaus Ancelet Conſiliarius & vectigalibus Præpoſitus, an. 1623. 1624. & 1625.

Nicolaus Leſpagnol, an. 1626. & 1627.

Johannes le Bel Eques, dominus de Sors, an. 1628. & 1629.

Johannes Maillefert, dominus de l'Iſlette, an. 1630. 1631 & 1632.

Magiſter Claudius Leſpagnol in regio Senatu Remenſi Conſiliarius, & Procurator regius, Vicecomes de Boüilly, dominus d'Artaiſe, du Vivier, Onrezy, & Malouſin, prædicti Johannis filius, ab an. 1633. ad 1638.

Henricus Bachelier, dominus de la Fontaine, & de Gentes, prædicti Nicolai filius, an. 1638. 1639. & 1640.

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. An 1480.

Johannes Colbert, dominus de Terron, an. 1641. 1642. & 1643.

Magiſter Philippus Fremin in regio Remorum Senatu Conſiliarius & Aſſeſſor, prædicti Antonij filius, ab anno 1644. ad 1649.

Magiſter Johannes Audry, Jurium Licentiatus, in ſupremo Pariſienſi Advocatus, ab anno 1649. ad an. 1655.

Nicolaus Amé ab an. 1655. ad an. 1660.

Magiſter Andreas Coquebert, in regio Remorum Senatu Proprætor Particularis, dominus de Grand-Montfort, an. 1660 & 1661 nunc quoque præeſt.

Henricus Bachelier, dominus de la Fontaine, prædicti Henrici filius, annis 1666 1667 & 1668.

Magiſter Nicolaus Dallier Regis Conſiliarius & Salinarium Remenſium Redemptor, annis 1669 1670 & 1671.

Rigobertus Favart, dominus de Richebourg, annis 1672 1673 & 1674.

Magiſter Nicolaus Dallier iterum, 1675 1676 & 1677.

Claudius Coquebert dominus d'Aigny modernus.

Eccleſiæ Remenſis conflagratio.

An. 1481.

INſignem Remenſis Eccleſia cladem fortuito caſu pertulit 15. Julij horâ de meridie primâ anno 1481. tectum ejus reficientes plumbarij ignem ſub carpentaria incuſtoditum reliquerant, unde flante vento incendium conflatum campanilia duo hinc inde erecta, ubi ædificium decuſſatum eſt, penitus corrupit, cum alio tignariam fabricam finiente & campanis undecim. Metallum, plumbúmque tegminis mixtim fuſa ſuper fornices cecidêre, aquæ circumlabentis inſtar, ac per vicos Urbis mirabiliter defluxêre. Damni pretium ſtatuunt memoriæ ad centum millia florenorum; huic reparando ſtudioſè mox incubuit Capitulum, tam ſacrorum vaſorum, ſeu etiam ſuppellectilis venditione, quàm collectâ, quæ per totam diœceſim fieri cœpta eſt. Decanus Regem quoque adijt pro rogando ſubſidio, & Archiepiſcopus deſtinatis ad Suffraganeos litteris facilè obtinet, ut è pulpito, quæ Metropolitanæ poſt conflagrationem deturpatæ opus eſſent, miſſi ab eo per diœceſes publicarent, indicerent ſupplicationes, oblatáque pro metallo reciperent. Ædificium tandem, Caroli VIII. imprimis liberalitate, ſuum nitorem recepit, cujus inſignia viſuntur exteriùs in periſtylio lapideo ſuperiori chorum ambiente, ſurrexitque lignaria moles plumbo cooperta, non inelegans, quam pyramis finit ut priùs, at campanilia in lateribus ædificium decuſſantibus deſiderantur.

Campaniæ labes graſſante peſtilentia.

Vix Franci pacem deguſtârant, cùm aliæ hos calamitates premunt, & exagitant, Numine horum ſcelera vindicante; igniti præceſſerant ac horribiles cometæ, impendentium malorum omen, famis præſertim ac peſtilentiæ, quæ per Belgium & Campaniam immaniter graſſata eſt. Pro Numine placando largiores eleemoſynæ à divitibus, & preces ingeminatæ per omnes Eccleſias; Capitulum Remis ſupplicationem indixit ad S. Nicaſij. in qua nudis pedibus plerique incedebant, quò incliti hujus tutelaris opem mercarentur. Teſtantur Auctores hoc morbo correptos in phreneſim verti ſolitos, ac rabioſo clamore velut fanaticos è cubiculis & grabatis proſilire hinc inde diſcurrentes vi doloris, è domorum faſtigijs ſe præcipites agere, aut etiam intra puteos. Habet M. S. Chronicon Lavallium Remos reverſum menſe Decembri, relicto palatio archiepiſcopali peſtilentiæ metu, quæ per Urbem & diœceſim ſæviebat, in domum abbatialem S. Nicaſij conceſſiſſe, ubi aer ſalubrior, & tunc contagij expers. Addit regias à Scabinis acceptas litteras horâ nonâ poſtridie diei Epiphaniæ, quò gratiæ Deo redderentur pro pace inita cum Flandris, eodémque tempore *Te Deum laudamus* inchoatum in principe Eccleſia cum conſuetis orationibus, quas exceperunt feſti ignes, choreæ, ac publica plebis lætitia per omnes vicos Civitatis.

Ludovicus

Digitized by Google

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP.

Ludovicus morbo laborans Ampullam Remenſem ad ſe deferri petit, quanto cultu à Pariſienſibus excepta. Carolus Remis ſuſcipit novi Principatus inſignia. Innocentius VIII. Canonicis privilegium impertit. Lavallius extra diœceſim moritur. An. 1482.

CAPUT XLV.

LUDOVICUS Rex, qui Francos ſibi in omnibus obſequentes fecerat, protenderátque fines Imperij, adverſa hoc anno urgeri cœpit valetudine, ob quam vehemens ipſum inceſſit formido, cupiditáſque undique remedia conquirendi, etiam ſuperſtitioſè, quo ægritudinem averruncaret: litteræ ad Remigianos miſſæ probant grates non modò egiſſe Abbati, pro ſollemni Miſſa, quæ ſingulis fermè diebus in ſua Eccleſia pro ſalute ejus celebrabatur, ſed & guttulam olei cælitus miſſi poſtulâſſe, quo pridem Remis unctus fuerat. Cúmque reſponſum eſſet ab Abbate ſibi hoc fas non eſſe, inconſulto ſummo Pontifice, ociùs Rex Romam mittit pro obtinenda licentia, non modò Ampullam deportandi ubi degebat; ſed & pretioſiora quæque totius Regni lipſana, quod ei liberaliter indultum eſt, reſcripto apud S. Petrum dato, nono Cal. Julij anno 1483. cujus id initium.

Sixtus Epiſcopus Servus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto Filio Ludouico Francorum Regi illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Eximiæ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris &c. Tuis pijs deſiderijs ſatisfacere cupientes, tibi, ut vaſa, Ampullas nuncupata in majori Remenſi & S. Remigij Remenſis Eccleſijs conſiſtentia, in quibus Unctio, qua Reges Francorum in eorum coronatione inungi ſolent, exſiſtit, ac aliud vas ſeu ampullam in Monaſterio Majoris-Monaſterij &c. eâ quâ decet reverentiâ deferre ad te unguentis prædictis, ſi tibi viſum fuerit, inungi facere libere & licitè valeas, indulgemus &c. An. 1483.

Fretus hoc privilegio Rex Saſſenſem Epiſcopum, & Claudium de Monte-falconis Cambellanum & Arverniæ Toparcham Remos celeriter ablegat cum litteris interpolatè ſcriptis tribus, quarum priores duæ ſunt 14 menſis Julij, ultima quintâdecimâ; quæ vehemens ejus deſiderium propter ſe habendi ſacram Ampullam egregiè teſtantur his verbis:

A nos chiers, & bien-amez les Religieux, & Convent de l'Abbaye de ſaint Remy de Reims.

CHiers, & bien-amez: nôtre S. Pere le Pape par ſes Bulles, & lettres Apoſtoliques à nous octroyées, a permis faire apporter par devers nous pour aucunes ſingulieres devotions, & pour certain temps ſeulement la ſainte Ampoule envoyée des Cieux par la grace du S. Eſprit à Monſieur ſaint Remy jadis Archevéque de Reims. A cette cauſe, & pour accomplir ledit octroy, & permiſſion, & nous apporter ladite ſainte Ampoule, nous envoyons preſentement de par là nôtre amé, & feal Conſeiller, & premier Chambellan Claude de Montfaucon Gouverneur d'Auvergne, & luy avons chargé ſoy adrecier à vous, qui avez la garde de ladite

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. An. 1483

ſainte Ampoule. Si vous prions, & requerons tant à certes, & de cuer que faire pouuons, & ſur tant que deſirez nôtre ſanté, entretenement, & proſperité : & neanmoins mandons, & commandons, que à nôtre Conſeiller veüilliez bailler incontinent ladite ſainte Ampoule pour la nous apporter, afin d'accomplir la deuotion que auons à icelle ; & nous vous promettons de bonne foy, & ſur nôtre honneur, & en parole de Roy, que dedans brief temps la vous rennuoyerons, & remettrons, & ferons remettre en vos mains, comme elle eſt à preſent, & n'y aura point de faute ; & ſur ce croyez nôtredit Conſeiller de ce qu'il vous dira de par nous, comme ſi nous même le vous diſions en perſonne. En quoy nous ferez le plus grand, & ſingulier plaiſir, & agreable ſeruice que pourez jamais faire, & dont nous aurons bien memoire en temps & lieu en vos affaires. Donné aux Montils lez Tours, le 14 jour de Iuillet l'an 1483.

Signé *LOVYS.*

Et plus bas, DE VILLE-CHARTRE.

A nos chiers, & bien amez les Religieux, Abbé, & Convent de S. Remy lez Reims.

LOuys par la grace de Dieu Roy de France. Comme par la grande & ſinguliere deuotion que nous auons toujours eu, & auons à la ſainte Ampoule, laquelle fut ennoyée de Dieu miraculeuſement à nos predeceſſeurs Roys de France, & à nous ; nous ennoyons preſentement & de la permiſſion de nôtre S. Pere le Pape par deuers vous nos amez, & feaux Conſeillers, l'Enéque de Sées, Claude de Montſaucon Gouuerneur d'Auuergne, & Iean de Sammeuille Seigneur de la Heuze, nos Chambellans, pour nous apporter le plus honnétement qu'ils pourront ladite ſainte Ampoule : & afin que n'en faciez quelque difficulté, ou doute de la bailler à noſdits Conſeillers, ou à l'un d'eux en l'abſence des autres, & mêmement audit Gouuerneur d'Auuergne, & que ne la vous façiens retourner, & remettre en vôtredite Abbaye, & que de ce ſoyez plus aſſurez de nôtre vouloir, & intention, nous vous promettons en parole de Roy, & ſur nôtre honneur, que en baillant par vous ladite ſainte Ampoule à noſdits Conſeillers, ou audit Gouuerneur d'Auuergne en l'abſence des autres, que aprés que l'aurons veuë, & à icelle fait nôtre deuotion, nous la vous rennuoyerons, & ferons conduire, & rendre dignement, & reuerement à vous, & à vôtre Abbaye ſans nulle faute. En témoin de ce nous auons ſigné ces preſentes de nôtre main, & fait ſeeller de nôtre ſeel. Donné aux Montils lez Tour, le 14. jour de Iuillet, l'an de grace 1483. & de notre reigne le 22. Signé LOVYS. Et plus bas, *Par le Roy, les Comtes de la Marche, & de Clermont, vous, & autres, preſens.*

DE VILLE-CHARTRE.

A nôtre & bien amé l'Abbé de S. Remy de Reims.
DE PAR LE ROY.

CHier & bien aymé, Nous vous ennoyons preſentement notre amé, & feal Conſeiller, & premier Chambellan Claude de Montſaucon Gouuerneur d'Auuergne à Reims, pour reconurer la ſainte Ampoule qui eſt en votre Egliſe, & icelle me faire apporter, en enſuiuant l'octroy, &

Digitized by Google

& conceſſion de notre S. Pere, & pour notre ſanté. Si vous prions, & neanmoins mandons, & commandons, que allez en la compagnie de notre premier Chambellan faire bailler, & deliurer ladite ſainte Ampoulle, & icelle nous faire apporter, & vous nous ferez tres-agreable plaiſir, & ne veulliez faire faute que ne l'ayons ſur tant que doubtez nous deſplaire. Donné aux Montils lez Tours le 15. jour de Iuillet LOVYS.

LE MOYNE.

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. *An.* 1483.

Lectis 26. menſis his litteris tam in urbico Senatu Remenſi, quàm in Capitulo coram venerab. Canonicis (harum enim Abbas participes eſſe voluit) miſſi à Rege juſſa exſequi cupientes feſtinandum edicunt, urgéntque, quòd morbus ejus invaleſceret; quare, ne ſerùs ſacrum vas traditum diceretur, præmiſſis ceremonijs, ſupplicatione item, & auguſtiori Miſſa, ultro deferendum conceditur id comitantibus Sanremigiano Theſaurario, cum Seneſchallis Remenſis Eccleſiæ. Famâ adventús ejus per Lutetiam vulgatâ, ſupremus Senatus, qui ea veneratione donum cælitus datum excipiendum ſanxerat, qua ſanctiores Reliquiæ ſuſcipi ſolent, obviam ei proceſſit cum alijs Ordinibus per vicum S. Antonij, ubi ſimul incedentes Urbem regreſſi, Ampulla deponitur in regio palatij Sacello. Poſtero mane ijdem iterum adunati, hanc comitati ſunt uſque ad Eccleſiam B. Mariæ-de-Campis, cum eo cultu & pompa, quam apud Louvetum accuratiùs deſcriptam invenies. Refert Comminius Ampullam ſuper cubiculi Regis abacum depoſitam manſiſſe uſque ad obitum ejus, eáque voluiſſe iterum inungi per totum corpus, quod vix crediderim, ob Ampullæ exiguitatem, majori tunc parte exhauſtæ. Remedijs igitur nequicquam conquiſitis, quò Ludovici vita prorogaretur, egit hic animam 30. Auguſti anno 1483. redditáque eſt Ampulla Abbatiæ & Capituli deputatis 5. Septembris, relata Remos 15. ejuſdem menſis, ex concluſione capitulari, quâ ſancitum obviam eundum eſſe cum cappis, deducendámque proceſſionaliter ad S. Remigium.

Louvetus Comminius.

Ferrico Tornacenſium Pontifice, qui in Italiam iverat, é vivis ſublato, novellus Franciæ Rex Carolus ad Remenſem Archiepiſcopum ſcripſit, ut Ludovicum Potum, S. Launomari Bleſenſis Abbatem, Tornacenſibus infulis ornaret. ſtatímque is Pontifex coram aut ſcriptis litteris Ludovicum Tornacenſem Epiſcopum nuncupavit. Accepta igitur hac poteſtate Ludovicus Johanni Monſſartio diem dixit Pariſijs, eóque minimè ſe coram Senatu regio ſiſtente, Tornacenſis diœceſeos poſſeſſionem inijt, ubi præſertim jus regium porrigebatur. Johanne pariter Romæ fatis functo, Antonius Palavicinus Cardinalis ei ſubrogatur ab Innocentio VIII. at ei re aliqua potiri non licuit, Ludovico vi decreti Pariſienſis omnes reditus occupante, donec Petrus Quincke S. Amandi Abbas Romam pergens, jus Antonij Cardinalis obtinuit, ſummi Pontificis aſſenſu, munúſque conſecrationis Brugis accepit per manus Philippi de Bergues Epiſcopi Cameracenſis, coram Philippo Auſtriaco Comite Flandriæ anno 1497.

An. 1483. *Meyer. Buzelin.*

Remos die 4. Septembris de Ludovici obitu nuntio perlato, Præfectus Urbis tunc conſilium inijt cum urbico Senatu, quid facto opus eſſet, & an Urbs arctiùs cuſtodienda. Decimâ ſeptimâ menſis litteris à Carolo Rege acceptis & ab Archiepiſcopo, cenſuit Capitulum exſequias Ludovici Regis ſollemni ritu celebrandas, tam Remis in Eccleſia matrice, quàm per diœceſim, decrevítque ut cum deputatis urbici cœtûs, Decanus & Scholarcha Pariſios irent, obſequium Carolo ſupplices oblaturis, ad quem & portarum claves ab ijſdem delatæ ſunt in pignus intimæ ſubjectionis. Hic, ſtatim ac patris juſta complevit, Principatum ab Inauguratione, ut moris eſt, ineundum duxerat, cogitur tamen ob motam inter Borbonium, & Aurelianenſem, Duces, pro Regni adminiſtratione diſcordiam, ad annum

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP.

num ſequentem remittere menſe Maio. Die igitur futuræ Inaugurationis indicto, diverſorij Deſignator Remos miſſus 10. menſis luſtrat Eccleſiam cum Urbis Præfecto, odeum præſertim regio throno deſignatum. Actum in Capitulo 23. die de modo quo San-Remigianus Abbas Ampullam ferens incedere deberet, ordinatúmque à Canonicis reperio quod ſequitur: *An. 1484.* ***Cum Abbas modernus, dicti Monaſterij non ſit Abbas, ſed dumtaxat Commendatarius, nec in ſacris Ordinibus conſtitutus, ſed verus ac purus Laicus, Ampullam non feret nec pedeſter, nec equeſter; ſed habebit onus portandi eamdem Prior loci pedeſter, & uſque ad locum in textu libri coronationis Regis deſignatum honorificè.*** Quæ verba manifeſtè indicant nihil tunc certò conſtitutum quoad hanc ceremoniam, cûm ibidem dicatur quibuſdam Abbatibus ***aliquando permiſſum ire equeſtres, ob ſeniles annos.***

Rex vigeſima ſeptima menſis Maij conſuetâ magnificentiâ Urbem ingreſſus eſt, excepítque eum ad gradus Eccleſiæ Decanus, nomine Capituli, brevi præmiſſa concione. Concluſio diei 28. habet quibuſdam de Capitulo mandatum ut Archiepiſcopum, ceteróſque Antiſtites gnaros rederent temporis, quo matutinæ preces vigiliâ Inaugurationis fierent in Eccleſia. Die Dominica, quæ menſis trigeſima fuit, Johannes Comes de Roceïo, Harduinus de Mailly, Jacobus de Luxemburgo, & Jacobus de Brezè Normanniæ Seneſchallus, ad Abbatem Remigianum pro obtinenda Ampulla delegantur: hi ſe vades offerunt, ſpondéntque ſe eam ſecurè reducturos more ſolito: Abbas, recepto ſuper librum Evangelij ſacramento, Ampullam velo albo coopertam detulit uſque ad gradus Eccleſiæ, comitantibus eum Religioſis laudes Deo accinentibus. Petrus Archiepiſcopus, cui adſtabant quidam Epiſcopi & Regni Pares, hanc è manibus Abbatis reverenter ſuſcepit, data ſponſione ſe eam peracta Inauguratione redditurum, cujus rei à Præſcriptore tabulas confectas receperunt Abbas & Monachi eodem menſe, die, & anno. Ipſo quoque feſtivitatis die, cui interfuerunt Duces Borbonij, Alençonij, Lotharingiæ; Comites Engoliſmenſis, Fuxenſis, Vindocinenſis, Dunenſis; Epiſcoporum maxima vis, ac Regni Megiſtanes, per omnes Eccleſias cathedrales Regni indictæ ſunt ſupplicationes pro acclamati Principis felicitate. Ex hiſtoria Noviomenſi, diſcordia tunc emerſit inter Archiepiſcopum & Capitulum, ad quem vinum & nummiſmata aurea, à Rege Deo oblata die Inaugurationis in Miſſa, ſpectarent: re ad Senatum Pariſienſem delatâ, pronuntiatum pro Capitulo. Carolus ſe erga Remenſem Eccleſiam beneficum exhibere cupiens, pecuniarum exactionem ſuper horrea ſalaria fieri permiſit pro reparatione ædificij, incendio haud ita pridem deturpati: litteris hac de re confectis imperatum reperio Canonicis ut preces quotannis pro Rege exſolverent in eadem Eccleſia, Sacrum præſertim diebus Jovis de Sancto-Spiritu, & de Beata; ſic opus inchoatum & aliquandiu intermiſſum, exhauſto ærario, regali accedente munificentia ad finem felicifer perductum eſt. Sanxit verò Capitulum in grati animi pignus lignariæ fabricæ apicem Liliorum, floſculorúmque Trifolij inſtar limbo exornandum, & in averſa parte ædificij ſub minori pyramide, lapideo periſtylio ſculpenda Regis inſignia, quæ proſtant adhuc ea cernere cupientibus. Porro Rex diſcedens ab urbe Remenſi expletâ Inaugurationis pompâ, perrexit ad S. Marculfum ſtrumoſis manum præmiſſâ novenariâ impoſiturus.

Le Veſſier fol. 1073.

Barbaſa Caroli VIII. in Tabulario Sâremigiano.

Innocentio VIII. ad ſummi Pontificatûs apicem aſſumto, poſt Sixti obitum anno 1485, Petrus Archiepiſcopus promotionis illius litteras à tribus Cardinalibus ſubſignatas accepit, quas ad Vicarium ſuum generalem mox perferri curavit. Hic aſſentiente Capitulo, ubi perlectæ ſunt, publicas preces cum ſollemni ſupplicatione ad PP. Auguſtinianos indixit, quò Clerus omnis felicem ei Prælulatum fauſtúmque adprecaretur. Parochiæ S. Petri-veteris

An. 1485.

Digitized by Google

S. Petri-veteris vacans data eſt Petro Leſcot, rogatu Annæ ſororis Caroli VIII. & uxoris domini de Beaujeu primâ Januarij. At 8. Aug. flammulis bellorum emicantibus diſcordiâ Principum, quibus provincia Remenſis in confinio Regni ſæpius exarſit, Capitulum Petro Vignon dat negotium reducendi è Tornaco feretrum B. Mariæ, ubi cingulum Virginis, & aliæ quædam Reliquiæ dicuntur incluſæ: hoc per diœceſes provinciæ Canonici duo deducere ſolebant ad corrogandam pecuniam, Metropolitanæ Eccleſiæ neceſſitatibus impendendam, eidem quoque Canonico mandatum tranſeundi Cameracum, Atrebatum, Novioduum, & Laudunum, quò prædictarum urbium Epiſcopos moneat, ne cunctentur ampliùs cappam mittere, quam ſinguli ſtatim à ſua promotione ſolvere tenentur Eccleſiæ matrici.

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP. An. 1485.

Anno ſequenti Silvanectenſis Epiſcopus, & Abbas de Victoria petunt à Capitulo facultatem uniendi in perpetuum prædictam Abbatiam menſæ epiſcopali, poſt alterutrius egreſſum, quorum poſtulationi libenter ſubſcripſit ſub beneplacito ſummi Pontificis; opes ſiquidem & proventus, Epiſcopatuum præſertim, adeo exiles erant & imminuti ob ſæpius repetitos bellorum turbines, ut vix Epiſcopi ſuam utcúmque tueri poſſent dignitatem, divinum Officium in pleriſque Eccleſijs cathedralibus ceſſabat, ruebant ædificia, nemine de his curam gerente; & Clerici, plures Præbendas ex diſpenſatione poſſidentes in varijs Eccleſijs, nulli obſequium præbebant, quamvis ad id de jure tenerentur: inde factum eſt ut Eccleſia Remenſis, quæ ex veteri diſciplina vix quidquam retinet præter divini Officij ſplendorem, ſacróſque ritus, Sedem apoſtolicam adire coacta fuerit, pro obtinenda diſpenſatione reſidendi, in favorem Canonicorum, ſeu etiam Capellanorum in alijs Eccleſijs Beficia poſſidentium, modò Remenſis Eccleſiæ choro frequentes adeſſent. Immunitatis bulla Nonis Febr. data eſt, Pontificatûs Innocentij VIII. an. ſexto, Domini 1490. ad Regem & ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ directa, quò privilegij tenor, & facultas divino Officio præ alijs Eccleſijs in Remenſi Eccleſia intereſſendi, cunctis innoteſceret, conſiliúmque Pontificis in bulla his verbis expreſſum: *Attendentes quòd Eccleſia Remenſis Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjecta, inter Metropoles Galliæ inſignis & famoſa exſiſtit, ut in ea Francorum Reges inungi & coronari conſueverint.*

An. 1488. An. 1490.

Sub id tempus Conventus Franciſcanorum de Bethleem prope Macerias inſtitui cœpit hac occaſione: Johannes Burgundus Nivernenſis Comes & Rethellenſis filium nothum reliquit, Philippum nomine, qui Mariam de Roya uxorem duxerat, ex qua unicam filiam ſuſcepit; tranſactis aliquot annis in matrimonio, conveniunt invicem, ut qui ſuperſtes foret, poſt alterius obitum monachiſmum profiteretur. Maria prior defuncta eſt anno 1480. Philippus B. Franciſci habitum induit in Conventu Metenſi, emiſſa profeſſione Romam adijt, ubi ſacros ſuſcepit ordines per manus ſummi Pontificis Innocentij, obtinétque ab eo facultatem Conventum excitandi, Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, in proſpectu urbis Macerienſis 19. menſis Maij anno 1488. At quò faciliùs id exſequeretur, Johannes Burgundio pater ejus locum de Eſtonne dictum ei conceſſit, nunc Bethleem vocatum, intra fines ſupremi Principatûs Archenſis, ubi ædificatis Eccleſiâ, clauſtro, & officinis ad recipiendos Fratres idoneis, duodecim illic aggregat, quorum primus hic fuit Guardianus, rexítque hos ſapienter & pacatè Superiorum aſſenſu per triginta-quinque annos, donec ſuperveniente vocationis tempore, mortalem ſarcinam exuit. Corpus ejus in beati Philippi Capella conditum eſt ſub tumulo è coctis lapidibus, quibus impreſſa Burgundiæ

cernuntur

PETRUS DE LAVAL LXXV. ARCHIEP.

cernuntur insignia, & ubi postmodum consortis funus translatum est sub tumba humo paullulum sublata è nigro marmore.

Maximilianus Austriacus ægerrimè ferens Annam è Britannia Carolo VIII. desponsatam esse, Margaritâ ejus filiâ posthabitâ, quam se ducturum erat pollicitus, fœdus iniit cum Angio, eo tempore quo Carolus trans Alpes bellum moverat, capitque Atrebatum dolo fabri ferrarij ex civibus relicti, quos Ludovicus pater alio amandaverat. Fanum quoque Audomari in ejusdem venit potestatem, qui & Ambianum invadere nisus est; at repulsam tulit cum aliquot militum jactura. Pax mox secuta est, prædicti Maximiliani ad Imperium promotione, redditúmque Atrebatesium, & Comitatus Burgundiæ Philippo filio, quò pax arctiùs inter eos, cui subscribere debebat, necteretur.

An. 1492.

Dum sanciendæ paci student Principes, Petrus Archiepiscopus jure caduci exemit domum quamdam San-Dionysianis Rementibus relictam intra dominij sui limites, litteris datis in palatio de Tau anno 1491. quo & Parisios recepit se, inde Andegavum, ut vitæ reliquum in Abbatia sua vacuus curis transigeret, creatis ibidem Vicarijs Mauricio de Champengne & Ægidio Granroux 2. Julij eodem anno, quibus eo absente Archiepiscopatus cura relicta. Quo id consilio egerit, an ob jurgia cum Capitulo jam inde exorta, cum præsens possessionem adiret, & quæ in Caroli Regis Inauguratione denuo & acerbius renovata sunt, vel ob gesta à Cochinardo, auctoritatisque decessionem & decrementum, satis deprehendi non potest. Excelsioris sanè animi Praesulibus similes rixas, altercationes, ardénsque desiderium jura episcopalia tuendi, plurimam molestiam intulisse reperio, cum his plus æquo defixi, tempus & studium litibus inutiliter impendunt, quò fit ut æquales ferre non possint, sibi contradicentium tabescant odio, propriíque muneris pertæsi procul secessum quærant, ubi jurgiorum nusquam finiendorum memoria, quam alias à se executere non possunt, melioribus curis obruatur.

Petri Lavallij insignia supra portam Collegij Remensis Parisijs erecta, & in veteri domo archiepiscopali satis innuunt longiorem ibi moram traxisse; at Remis vix aliquod restat vestigium suæ Prælaturæ, præter quædam serica ornamenta, & scripto redactas expostulationes supremo Senatui præsentatas adversùs Præfectum-particularem Ballivij Viromandensis, temporalem Ecclesiæ jurisdictionem in Urbe sensim invadentem. Pessimæ huic occupationi curas impendisse, relicta in Archivis monimenta clarè testantur; at intricatam hanc, exhauriendámque posteris reliquit interveniente mortis tempore, quam post viginti annos, & aliquot menses Andegavi correptus febre obivit XIV. Martij anno 1493. ex Roberto. Schedæ tamen capitulares probant actum audita ipsius morte in Capitulo, de electione administratorum Archiepiscopatûs 22. Augusti. Cor Lavallij conditum fertur in Ecclesia B. Nicolai Andegavensis, cujus fuerat Abbas, cum hoc epitaphio.

An. 1493.

ASPICE, MORTALIS, GRESSUS QUI DIRIGIS ISTUC,
PROH! SPECULUM MORTIS CERNIS, ME VERMIBUS ESCAM,
REGIA CÙM FUERIM PROLES, DUX, PRÆSUL, ET ABBAS.
OCTAVI CAROLI UNCTOR, DEQUE LAVAL DECUS OMNE,
ARRISIT LUDENS MIHI SORS MEA, FRAGILE DONUM.
QUOD DEDIT, HOC RAPUIT CLOTHO, NUNC PRO ÆDIBUS URNA EST
LUSTRA DECEM, MENSESQUE DUOS MEA VIDIT ET ÆTAS.
DISCE MORI, QUI REGNA PETIS; MORS OMNIA STERNIT.

Robertus

Digitized by Google

ROBERTUS BRIÇONNET LXXVI. ARCHIEP. *An.* 1493.

Robertus Briçonnet LXXVI. Archiepiſcopus, ſit Franciæ Cancellarius ſub Carolo VIII. moritur in comitatu Regis.

CAPUT XLVI.

PERLATIS in Curiam de Lavallij obitu nuntijs, Rex gnarum fecit Capitulum ſe vehementer cupere, ut ei Robertus Briçonnetus canonicè ſubrogaretur, cujus genealogiam accuratè texuit Guido Bretonneus in libello à ſe edito de illuſtri Briçonnetorum gente. Filius hic fuit Johannis Briçonneti è Turono oriundi, Regi à Conſilijs & ærarij Quæſtoris ſub Ludovico XI. quem præ alijs, quos excipit laudibus, propenſioris animi erga pauperes fuiſſe memorat Brullius. Habuit ex Maria Berthelot uxore ſex filios inclitæ famæ, & ad altiores dignitatum gradus provectos, quos ſingillatim ipſe recenſet hoc ordine.

D'azur à la bande componée d'or & de guëules de cinq pieces chargée ſur le compon de guëules d'une autre étoille d'or, accompagnée d'une autre en chef de même.

Guillelmus Regis Conſiliarius in ſupremo Pariſienſi Senatu.
Guillelmus Cardinalis Narbonnenſis Archiepiſcopus, & Remenſis poſt fratris obitum.
Johannes Ludovici XI. Secretarius, ac tributariæ pecuniæ Quæſtor.
Martinus ſacræ Theologiæ Doctor & S. Gatiani Canonicus.
Robertus Franciæ Nomophilax, Archiepiſcopus Dux Remenſis.
Petrus Regis Conſiliarius, & ærarij Gallici Tribunus.

Sic ab illuſtri Briçonnetorum familia duos Remenſis Eccleſia Archiepiſcopos accepit, Cancellarium unum, Cardinalem alterum, ambos inſignes, & virtutum commendatione conſpicuos. Robertus, licèt junior, hanc primus adeptus eſt præfecturam, fuitque prius in Parlamento Pariſienſi Conſiliarius, & Abbas S. Vedaſti in Arteſia; at cùm præclariſſima ejus indoles magis ac magis efflореſceret, micarétque ipſius amor & ſtudium in Regem, quibus eum multis modis devinxerat, Remenſem Archiepiſcopatum eodem anno adeptus eſt, quo Lavallius occidit, ut teſtantur litteræ vicariatûs Johannis Labbé Præpoſito conceſſæ & Goberto Leſcot Vicedomino 14. Novemb. Pontificatûs Alexandri VI. anno ſecundo. Inijſſe poſſeſſionem perſonaliter, aut Remos, vel diœceſim luſtrâſſe non legimus, ob Cancellariatûs dignitatem, qua & hic inſignitus eſt 31. Auguſti eodem anno. Multi enim ſcribunt ſigilla ipſi delata à Carolo ſtatim poſt obitum Guillelmi de Rupeforti, de eo Bretonnius ſic diſſerit: Rex expeditionem parans Neapolitanam, Cancellarium Pariſijs reliquit, cum Petro Borbonij Duce Regni Adminiſtro in ipſius abſentia, ſuperatis Alpibus ſigilla Roberto Briçonneto Remenſi Archiepiſcopo dedit ob præclara ejus merita, qui & eumdem Carolum comitatus eſt, eſque fideliter adhæſit in reditu à Neapoli; audita verò morte Cancellarij Doriole prædictum ei Robertum ſuffecit, qui in Franciam rediens clientare ſacramentum præſtitit coram Regni Adminiſtro. Gillius Robertum ad Cancellariatûs honorem provectum refert 31. Auguſ. tacito ejus nomine cui ſubrogatus eſt; at certum ſigilla priùs ei delata fuiſſe poſt Guillelmi de Rupeforti exceſſum, ac paullo poſt Cancellarium effectum, ex regijs litteris, quas Frizonius retulit in *Gal. purp.* è quibus quod ſequitur ſufficiet deprompſiſſe.

Bretonnius.

An. 1494.

Gillius.

Nos attendentes juriſprudentiam, præclaros mores, integritatem, diligentiam, & ſinceritatem dilecti ac fidelis Conſiliarij noſtri Roberti Briçonneti, Archiepiſcopi & Ducis Remenſis, primi Paris Franciæ, negotiorum

Gal. purp. pag. 542.

ROBERT. BRIÇON. LXXVI. ARCHIEP. *An.* 1494.

insuper & judiciorum experientiam, quam in nostra Parlamenti Curia tempore inclitæ recordationis Christianissimi domini, & genitoris nostri longo usu comparauit. . . . . Externas quoque legationes, quas & libenter suscepit, & honorificè exsecutus est, &c. Eumdem Robertum de Principum sanguinis nostri consilio elegimus nostrum Regni Franciæ Cancellarium & Consiliarium specialem, cui officio à morte eminentissimi quondam viri Guillelmi de Rupeforti minimè fuerat prouisum, &c. Datum Taurini.

Reliqua prætermitto quæ Roberti decora mirificè sustollunt & prædicant. Ceterùm sublimi hoc officio egregiè perfunctus est ad Regni decus, & proprij nominis commendationem usque ad annum 1497 quo cessit è vita. De Ecclesiæ nostræ negotijs, statúque diœceseos toto tempore quo præfuit, memoriæ nihil referunt, nec quidquam ex generali historia expiscari licuit; Scriptores enim in id tantùm incubuisse videntur, ut Caroli expeditiones pro Neapolitano Regno sibi asserendo, variósque belli eventus posteritati consignarent.

An. 1496. Refert Gillius, cùm anno sequenti Parisienses pro altera expeditione Neapolitana, quam Carolus meditabatur, subsidium ferre renuissent, adeo Regis animum commotum, ut decreverit supremam Curiam Pictavis instituere; ab hoc tamen consilio revocatum fuisse studio Briçonneti Archiepiscopi, qui de Parisiensibus hoc officio plurimum meritus est. Litteras etiam, quæ *Committimus* vocantur, ad solos Regis domesticos restrinxit; egítque apud Parlamentum pro erectione Consilij adinstar supremæ Curiæ, cui septemdecim Consiliarij causis dirimendis assiduè interessent. Paullo post lethali febre correptus in comitatu Regis apud *An. 1497.* Molendinum in Borbonesio è vivis abreptus est 26 Junij anno 1497. ex litteris regijs ad Capitulum pro successore deligendo. Visuntur adhuc Remis ejus insignia pluribus in locis, ac litteræ propria manu scriptæ in Archivo archiepiscopali, quibus Ballivio suo conqueritur de regalibus administris jurisdictionem Ecclesiasticam temerantibus.

Bretonnius de prædicti Archiepiscopi magnificentia disserens refert eum libros, litteratósque in delitijs habuisse, sumtuosissimúmque in sacra supellectili comparanda, pretiosísque lapillis & unionibus, quibus ipse uti solebat, cùm augustiori pompa Sacrum perageret. Addit in bonorum ejusdem mobilium recensione post obitum numerari sapphiros plures, adamantes item pulcerrimos, & insignes smaragdos pro ornatu mitræ archiepiscopalis; peda etiam pastoralia, calices, & corporale filo aureo textum, pontificales libros aliquot ad divinum Officium celebrandum, duo marsupia, unum ex serico auro immixtum, aliud lilijs aureis discriminatum in quibus sex recluſi lapides quos *Camajeux* vocant.

Meminit etiam duorum numismatum, quorum aliud ex ære fusum, forsan cùm adhuc Præses Inquisitionum esset, hanc referens inscriptionem ex una parte: *Robertus Briçonnet Cameræ Inquestarum Parlamenti Præses*: obversâ verò *Marcet sine adversario virtus.* Aliud ex cupro deaurato in ebeno inclusum, imaginem ejus referens cum hoc lemmate *Robertus Briçonnet Archiepiscopus & Dux Remensis, primus Par, & Cancellarius Franciæ:* parte altera cum Ecclesiæ Remensis insignibus gentilitia stemmata cernebantur, & ad oram, ut priùs: *Marcet sine aduersario virtus.* Sequens inscriptio visitur in tapetibus datis ab ipso Ecclesiæ S. Johannis de Gravia Lutetiæ: *Faits ce que tu vouldras auoir fait quand tu mourras.* Reliqua numismata à parentibus studiosè servata testantur hunc egregiæ fuisse staturæ, larga fronte, naso paullulum erecto, facie oblonga, fusco colore totóque vultu gravitatem, suavitatémque mixtim spirante.

Guillelmus

Digitized by Google

GUILLELMUS BRIÇON. LXXVII. ARCHIEP. An. 1497.

Guillelmus Briçonnet annitente Rege fit LXXVII. Remenſis Archiepiſcopus, & Regni Adminiſter. Ludovicum XII. in Regem inungit, palatij archiepiſcopalis frontem exſtruit, abdicat in favorem Caroli de Carecto.

CAPUT XLVII.

CAROLUM Robertus Briçonnet tot demereri ſtuduerat officijs in Cancellariatûs munere obeundo, ut, eo ab hac luce ſublato, Rex fratrem eligi curaverit ad Archiepiſcopatum Remenſem; ſtatim ſiquidem ac mortis ejus rumor ad eum perlatus eſt, hanc Capitulo per Marcum de Rorgues majoris Conſiſtorij Conſiliarium nuntiavit, gnarúmque reddit Mareſchallum de Baudricourt brevi Remos iturum pro maturanda electione viri ſibi imprimis cari, & accepti. Litteræ 26. Junij ſubſignatæ, redditæ leguntur Capitulo 7. Julij quarum hic tenor eſt.

DE PAR LE ROY.

CHers & bien amés, ce jourd'huy noſtre Chancelier, voſtre Paſteur & Archeueſque eſt allé de vie à trepas, dont ſommes tres deplaiſants, car nous y auons perdu un bon & loyal ſeruiteur comme ſçauez, & pour ce que ſingulierement deſirons, & à bon droit deuons deſirer le bien, honneur, & utilité de voſtre Egliſe, pour la dignité d'icelle, & que pour rien ne voudrions permettre que aucune diuiſion y aduint à cauſe de la vacation, nous enuoyons preſentement deuers vous noſtre amé & feal Conſeiller ordinaire de noſtre grand Conſeille Meſſire Marc de Rorgues pour vous en aduertir, & ainſi dire que nous vous enuoyrons en toute diligence noſtre amé & feal Conſeiller & Chambellan, le ſieur de Baudricourt Mareſchal de France, qui en bref ſera par de la pour amplement vous dire, & declarer le vouloir & intention que auons en cette matiere, & comment vous auez à vous y conduire & gouuerner au bien de nous, & de voſtre Egliſe. Si vous prions bien à certes que croyez ledit ſieur de Baudricourt, de ce qu'il vous en dira, ſans faire ou permettre eſtre fait aucune choſe au contraire auant ſa venuë, ne autrement, & vous nous ferez agreable plaiſir, que nous reconnoiſtrons enuers vous & voſtre Egliſe, ſi ne vouillez faillir. Donné à Moulins le 20. Iuin.

CHARLES.

Et plus bas, ROBLET.

L'Inſcription porte, *A nos tres-chers & bien amés les Doyens, Chanoines & Chapitre de l'Egliſe de Reims.*

Receptis his litteris Capitulum electione ſuperſedendum duxit, donec Mareſchallus de Baudricourt Remos adventaret, qui regio fultus mandato, accedente nihilominus Canonicorum conſenſu, Guillelmum Briçonnet ad Archiepiſcopatum eligi procuravit 24. Aug. Mittitur ad eum Campaniæ Archidiaconus ſuæ electionis nuntium relaturus; at hic ſe ullo modo intromitti non eſt paſſus, ut ferunt ſchedulæ Remenſes, niſi ſummi Pontificis bullas confirmatrices priùs accepiſſet, quò ſe apoſtolicæ Sedis gratiâ promotum liquidò fateretur, ut paſſim hac ætate omnes Epiſcopi ultro ſe indigitant. De Guillelmi genealogia nonnihil ſuperiùs dictum eſt, nunc officia, quibus primis pubertatis annis præſertim incubuit, & con-

GUILLEL. BRIÇON. LXXVII. ARCHIEP. *An.* 1497.

nubium ejus breviter expedio. Ingenij vim in aſpectum jam decurſis ſtudijs protulerat, cùm forenſibus negotijs ſeriò ſe dedit, in his brevi exultus à patre, factus eſt ærarij Tribunus ſub Carolo VIII. quo munere egregiè, & inculpatè perfunctus eſt, conjugio idoneus è Roberta de la Beaune ſibi ſociata liberos quinque ſuſcepit, Johannem Briçonnet in Camera Computorum Præſidem; Guillelmum Lodovienſem Epiſcopum & Meldenſem, Commendatarium quoque S. Germani-à-Pratis; Nicolaum tributarium Cenſorem Britanniæ; Catharinam Thomæ Bohier jugatam ærarij Tribuno; & Dionyſium Tullonenſem Epiſcopum ac Maclovienſem, Remenſem quoque Archidiaconum & S. Martini Sparnacenſis Commendatarium.

Mortua uxore in Clerum adſcitus, Nemauſenſem obtinuit Epiſcopatum, & eo abdicato Maclovienſem, quem ad obitum uſque retinuit. Comminius hunc ſupremum Gothiæ Adminiſtratorem appellat, aítque ſe Carolo ad expeditionem Neapolitanam accingenti comitem præbuiſſe: alij hujus ſuſcipiendæ auctorem faciunt, bellíque Ferdinando denuntiati; mortuo ſiquidem abſque liberis maſculis Renato Andegavenſi, Carolus fratris filius prædicti Regni heres teſtamento declaratus, niſus eſt armorum vi hoc ſibi aſſerere, quod Ludovicus XI. bellis Burgundicis implicatus neglexerat. At Alexander Papa, cui cùm ingrata eſſet ejuſmodi expeditionis ſuſceptio; nuntium in Galliam ablegat qui Briçonnetum conſilij regij caput oblatâ Cardinalatûs purpurâ emolliret; deferebat enim bullam omnium ſacri Conſiſtorij Cardinalium nominibus ſubſignatam; at ijs Regni commodum illecebris Guillelmus generosè prætulit, quod Regi pergratum fuit. Haud ita poſt Romam Rex tranſiens, ubi & moram traxit, Cardinalatûs honore Briçonnetum ſublimandum à ſacro Cœtu facilè obtinet, ſub titulo S. Pudentianæ 17. Cal. Feb. anno 1495. Sunt qui dicant ijſdem Cardinalatûs inſignibus ornatum, quibus & Alexander pridem uſus fuerat, cùm ſacram purpuram primùm induit.

Guillelmus prælio Fornovenſi præſens fuit adversùs Venetos & Ludovicum Sfortiam Ducem Mediolanenſem, Gallis proſpero; at quòd ſpretis Eccleſiæ legibus pro mitra galeam, loricam pro ſupparo ſumſiſſet, Cardinalatu, Julij II. Ludovici XII. capitalis hoſtis auctoritate, privatur. At Leo X. Conſiſtorij decreto hunc ad priſtinæ dignitatis honorem reſtituit, Rege imprimis, quem multis devinxerat officijs, id enixiùs petente, à quo & paullo poſt Remenſi Archiepiſcopatu donatus eſt, cujus mijt poſſeſſionem menſe Octob. anno 1497. creatis Guillelmo Lodovenſi Epiſcopo filio in Camera Computorum Præſide, & P. Grandroux Vicarijs generalibus, qui diœceſeos curam in ſua abſentia ſuſciperent. Carolo *An.* 1498. è vivis inopinatè ſubſtracto 7. April. anno 1498. tantus mœror Guillelmum invaſit, ut parum abfuerit, quin pariter animam efflaret. Miſſus dicitur ad Reginam, ut eâ quâ valebat eloquentiâ dolorem ab ea abſtergeret; at loqui incipiens effuſis ubertim lacrimis verba intercepta ſunt, nec Regina modò, ſed ipſe potiùs tanti Principis recordatione tactus, conſolari indiguit. Feronius in Carolum VIII. de Briçonneto diſſerens: *Fuerat is*, inquit, *adminiſter voluntatum regiarum in quotidianis relaxationibus, ad Regis naturam ita aptus erat, ut regnare cum eo videretur.* *Platina.* Alij hunc Regni columnam vocitant, Regis oraculum, nihílque umquam aggreſſum dicunt, quod non perfecerit. Cùm igitur Regis totus eſſet, cui & labores & ingenij partus dedicârat (exſtat enim precum manuale, in cujus exordio viſuntur gentilitia ſtemmata Remenſis Eccleſiæ inſignibus inſerta) non mirum quòd expaverit Caroli benefactoris audito lamentabili caſu, qui officio Adminiſtri finem impoſuit, Cardinalis Amboſij promotione negotiorum ductoris ſub Ludovico XII. Non deſunt qui velint

velint Guillelmum Cancellariatûs honore fulsisse sub Carolo VIII. ut Chronici Andegav. Auctor, Colvenerius, & D. de Miraumont; at deceptos fuisse puto cognominis similitudine, cùm Robertus quidem Cancellarius, Guillelmus verò nusquam legatur, ut Gillius optimè animadvertit. GUILLEL. BRIÇON. LXXVII. ARCHIEP. An. 1498.

Carolo absque liberis ex Anna Britannica vivis exempto, Aureliæ Dux Ludovicus coronæ proximior ei subrogatur, Remósque venit mense sequenti Unctionem more majorum recepturus: Guillelmus Archiepiscopus, quò Inaugurationis festivitas celebrior esset, obtinet Indulgentias à summo Pontifice pro ijs omnibus qui ei interessent, ut ex subjecto diplomate patebit, quod hîc annectimus.

« *Alexander Servus servorum Dei dilecto Filio Guill. tituli Sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali salutem & apostolicam benedictionem.* Cùm sicut « accepimus carissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex « illustris ad regiæ dignitatis fastigium nuper assumtus, ad te, qui etiam « Ecclesiæ Remensi ex concessione apostolica præesse dignosceris, cùm id « ad Archiepiscopum Remensem pro tempore exsistentem ex antiquissi- « ma, & hactenus pacificè observata consuetudine pertineat sacram regiam « Unctionem in Ecclesia tua Remensi, ut moris est, & Regni sui coro- « nam de proximo susciperе intendat. Nos tantæ sollemnitatis magnitudi- « nem spiritalibus muneribus decorare volentes, ac cupientes ut Christi « Fideles Missæ per te in hujusmodi coronatione celebrandæ, eo libentiùs « devotionis causâ interfint, quò exinde animarum suarum salutem spera- « verint adipisci, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & « Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, tibi, ut Regi præfato, ac omni- « bus & singulis utriusque sexus Fidelibus verè pœnitentibus & confessis, « qui celebrationi hujusmodi, Missæ, & benedictioni per te elargiendæ « devotè interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus « corde contriti, & ore confessi fuerint, remissionem & Indulgentiam in « forma Ecclesiæ consueta, ea vice dumtaxat, apostolica auctoritate elar- « giri libere & licitè valeas, auctoritate apostolica tenore præsentium de « specialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat « hanc paginam &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno 1498. pridie « Nonas Maij, Pontificatûs nostri anno sexto. «

Rex sollemni pompa Remos ingressus est 25 Maij, & pridie festivitatis de more in Ecclesia Deum precatus, ut sui Regni primitias largiori gratia beare vellet, sacro oleo imbutus est à Guillelmo Archiepiscopo 27. Maij, adstantibus Galliæ Paribus per Duces Alençonij, Borbonij, Lotharingiæ, Cliviæ, Ravestini, & Fuxi. Gillius & Chron. Aquitan. referunt Ludovicum Unctione Remis recepta, ad Ecclesiam S. Dionysij perrexisse, ubi 1. Julij regio diademate coronatus est. quod Doubletius avidè arripiens, scribit id factum prædecessorum Regum exemplo, at chartas quibus innititur, velut suppositicias alibi explosimus, certúmque puto prædictos Auctores peregrinationem ad S. Dionysij fieri solitam (cujus Juvenalis Ursinus meminit in Carolo VI.) pro coronamento accepisse; cum bullæ inter hæc duo quæ Inaugurationis ceremoniam complent, Unctionem scilicet, & coronæ susceptionem, omnino nihil distinguat, constétque ex pervetustiori rituali Reges ab Archiepiscopo Remis coronari solitos, Franciæ Paribus manus adjutrices præbentibus.

Ludovicum Parisios magnificè ingredientem comitatus est Remensis Archiepiscopus, interfuítque cum Laudunensi, Belvacensi, & Noviomensi Episcopis, velut Protopar Regni, cum Rex parato Justitiæ thalamo supremi Senatûs auctoritatem litium dirimendarum confirmaret, ut est apud Tilletium. Tum Remos idem Archiepiscopus rediens, aliquamdiu

GUILLEL. BRIÇON. LXXVII. ARCHIEP. *An.* 1499.

aliquamdiu ibi hæſiſſe reperio ex litteris pro confratria Virginis apud Nicaſianos, & S. Nicolai Auguſtinianorum, item & ex alijs, dum luſtraret diœceſim alibi datis, quibus impertit Indulgentias centum dierum tamquam S. R. E. Cardinalis viſitantibus Eccleſiam S. Timothei, quas hîc, quòd Legati-nati titulum contineant, referre non pigebit.

„ GUillelmus miſeratione divina ſanctæ Pudentianæ S. R. E. Preſbyter „ Cardinalis, Archiepiſcopus & Dux Remenſis, primus Par Franciæ, „ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus-natus, univerſis præſentes litteras inſpe- „ cturis ſalutem. Splendor paternæ gloriæ &c. Cupientes igitur ut Eccleſia „ collegiata ſancti Timothei congruis frequentetur honoribus, ac in ipſius „ ſtructuris debitè reparetur &c. Nos Cardinalis de omnipotentis Dei mi- „ ſericordia, & B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, om- „ nibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus & „ confeſſis, qui præfatam Eccleſiam in B. Timothei, Prejecti, Mauri, ac „ ipſius Dedicationis Eccleſiæ feſtivitatum diebus à primis Veſperis ad ſe- „ cundas devotè viſitaverint annuatim, & ad præmiſſa manus auxiliatrices „ porrexerint, pro ſingulis dictarum feſtivitatum diebus centum, ut Cardi- „ nalis; & quadraginta dies, ut Archiepiſcopus Remenſis de injunctis pœ- „ nitentijs miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis tem- *Auguſtini. „ poribus duraturis. Datum apud Monaſterium de Ormont Ordinis S.* Ber- „ nardi, noſtræ Remenſis diœceſis, die 22. menſis Auguſti anno 1499.

Hoc anno Philippus Auſtriacus Regi clientare ſacramentum præſtitit pro Flandriæ & Arteſiæ Comitatibus, Guidone de Rochefort Cancellario illud apud Atrebatum excipiente, qui Briçonneto in hac dignitate ſucceſſerat, ut fuſiùs referunt Francici Annales, qui & Italica bella proſequuntur, Regnſque Neapolitani excidium. Alexander VI. generale Jubi- *An.* 1500. læum in annum 1500. indixit, ea lege ut qui Indulgentiarum participes eſſe vellent, Romam peregrinarentur, explerentque conditiones in bulla apoſtolica expreſſè contentas: Pontifex tamen diſpenſavit peculiari reſcripto cum Cardinale Remenſi Archiepiſcopo, matre ejuſdem & fratribus, conceſſitque ut lucrari poſſent Indulgentias luſtrando unam, vel duas Eccleſias, ac ibidem recitando flexis genibus quinquies *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*.

An. 1501. 1502. 1503. Francis Italiam petentibus quibuſdam Indulgentiarum illecebrâ, alijs verò belligerandi cupidine allectis, Cardinalis Briçonnetus, quò animum ab aſſuetis laboribus recrearet, palatij frontem, ſive exterius faſtigium nova & eleganti ſtructura ædificare aggreſſus eſt, cui Robertus de Lenoncourt extremam manum addidit. Aula ædificij præcipua pars, vulgo de Tau nominata (quòd verſùs meridiem decuſſata ſit) longitudinis habet centum triginta pedes, latitudinis triginta quinque; ea verò parte quâ decuſſata eſt, ſeptuaginta novem pedes continet: caminus eſt duodecim pedum è quadrario lapide, cui inſculpta ſunt hinc inde Briçonneti inſignia, quæ anteriori parte ſe videnda exhibent; partiuntur cum Remenſis Eccleſiæ teſſera, hácque ornantur epigraphe: DITAT SERVATA FIDES. Eadem videntur in lapideis columnis quæ feneſtrales commiſſos ſcapos dividunt à pavimento ad lacunar, mediámque faſtigij partem occupant.

Alia quoque ædificia Pariſijs excitâſſe probant ejuſdem inſignia, quæ lapidibus ſculpta cernuntur in aula Collegij Navarræi, & in turricula domûs juxta S. Chriſtophorum erectæ in platea principis Ædis; viſuntur quoque bipartita in cappis aurophrigiatis, quæ vulgo S. Maclovij capella *An.* 1504. Remis nominatur. Mortuo Godefrido Floreau Abbatiam S. Germani à Pratis obtinuit, quam Guillelmo Briçonnet filio Meldenſi Epiſcopo mox reſignavit. Refert Favinus crucem erexiſſe ad latus Eccleſiæ verſus Septemtrionem

Septemtrionem ſub inferiori fornice, ubi Iſidis templum antiquitus fuiſſe perhibetur. GUILLEL. BRIÇON. LXXVII. ARCHIEP. *An.* 1507.

Guillelmus Gothiæ præfecturam gerens, Remenſem Archiepiſcopatum permutavit cum Narbonenſi, quem Carolus de Carecto tenebat, Rege conſentiente, recèns ex Italia ſub finem anni 1507. reduce: ſic poſt decem annos regiminis pæne expletos, in novum Archiepiſcopatum ſeceſſit, reliquum vitæ procul ab Aula tranſacturus, Amboſio Regni negotia adminiſtrante ab Inauguratione Ludovici XII. Ferunt Guillelmo ſacris ſollemni ritu operanti duos filios adſtitiſſe, functóſque fuiſſe in altari Guillelmum Meldenſem Epiſcopum Diaconatûs officio, Dionyſium verò Maclovienſem Subdiaconatûs. Obijt Narbonæ 14. Decemb. anno 1514. ex Jacobo Brullio, quamvis Claud. Rob. ſcribat menſe Janu. anno 1515. tumulatus in majori Eccleſia: proſtat verò anaglypha ejuſdem effigies in Eccleſia ſanctæ Crucis, cui multa legavit, ut & alijs, Romæ, Remis, Narbonæ, Maclovij, & Pariſijs.

Tanti viri decora ſatis ſupérque nota ſunt ex ijs quæ feliciter geſſit ſuæ adminiſtrationis tempore. Bretonnius, qui Guillelmi præſertim elogium accuratiùs texuit, narrat eum prudentem in ſuſcipiendo fuiſſe, in adminiſtrando ſollertem & acutum, felicem in conſilijs, & quod caput eſt, quamdiu regij ærarij Quæſtor fuit, & ſupremus Adminiſter, nuſquam ſibi vel parentibus opes coacervavit, exquiſitum & infrequens præteritis ſæculis exemplum, ac poſteris meritò velut ſummæ integritatis ſpecimen proponendum.

Carolus de Carecto LXXVIII. Archiepiſcopus, abdicat. Sacra BB. Innocentium feſtivitas ludicris oblectamentis fœdata. Ortus Calvini Hæreſiarchæ.

CAROLUS DE CARECTO LXXVIII. ARCHIEP. *An.* 1507.

CAPUT XLVIII.

CAROLUS de Carecto, Briçonneti abdicatione in Curia Romana, ad Remenſes inſulas promotus 16 Septemb. anno 1507. è familia Marchionum de Finare in Liguria prope Genuam natales duxit, quæ bello & pace inſignia lumina rei Chriſtianæ dedit, & aliquot Imperatores, ex Ænea Silvio in hiſtoria Concilij Baſileenſis. Gentis hujus originem refert Aubricius ad Vvitinkindum Saxoniæ Regem, qui hortatu Caroli magni baptizatus in palatio Attiniaco, pro equo nigro in gentilitia teſſera aſturconem album aſſumſit, quem in ſimili mutatione Saxonici Duces poſtmodum imitati ſunt, equum linquentes, pro tribus filis pulli coloris in ſcuto aureo, ad quod multum accedunt Marchionum de Finare inſignia, quibus ſex vittæ coccineæ fulgent in gentilitio aureo ſymbolo. Domini igitur de Carecto Marchiones de Finare è Vvitinkindo prodeunt (ſi prædicto credatur Authori) eáque natalium claritudo per Salutij Regulos promanans, tranſijt ad Anſelmum dominum de Carecto cum Pictavienſi Comitiſſa matrimonio conjunctum, è quo illuſtris Galeati prodijt, quem ſuo Marchionatu Genuenſes exuerunt, quòd à partibus Phillippi Marie Vicecomitis Ducis Mediolanenſis ſtetiſſet, cujus ſtudio & ſtrenuitate cùm Principatum ſuum poſtea recepiſſet, pacificum hunc tranſmiſit ad filium, è quo Alfonſus de Carecto, quem Maximilianus Vicariatûs Imperij titulo inſignivit, ortus eſt. Hic Fabricium Rhodienſem Toparcham reliquit, & Carolum Dominicum Cardinalem, Briçonneti ceſſione, Remenſem

D'or à cinq bandes de gueules.

Æneas Silvius de geſtis Concilij Baſil. lib. 2.

An. 1508.

CAROLUS DE CARECTO LXXVIII. ARCHIEP.

Remensem Archiepiscopum. Robertus & Colvener. volunt hunc pariter Narbonensem Briçonneto cessisse ; at in Præsulum hujus Urbis indice non legitur, forsan designatus ad hanc prælaturam tantùm fuit, quam ejuravit nec dum adepta possessione.

An. 1508.

Carolus, cujus operâ Rex multùm usus est in expeditione Neapolitana, eo enim consilio Italis data Beneficia puto, quò arctius eos sibi conciliaret, cùm Aulæ perpetuò esset addictus, inire possessionem, præsens non potuit ; sed per Procuratorem, habuítque in spiritualibus Vicarios Johannem Doubleau Thesaurarium, & Ægidium Grandroux Scholarcham, qui nomine ejus Capitulo præsentârunt Episcopum Megariensem, pro Chrismate consecrando die Jovis majoris hebdomadæ. Biterrensis Episcopus Remis quoque degens hoc anno sacellum B. Barbaræ inauguravit apud Carmelitas ultimo Decemb. anno 1508.

An. 1509.

Bello flagrante Neapoli, ubi res Gallicæ pessum ibant, de abdicando Archiepiscopatu Carolus cogitavit, in favorem Roberti de Lenoncourt, Abbatis Commendatarij S. Remigij, quem prædicti Cardinalis Vicarium generalem alicubi fuisse lego ; non cessit tamen ante 13. Aprilis anni 1509. ut ex litteris provisorijs Præbendæ, seu Canonicatûs Remensis videre licet, datis per Johannem Doubleau ejusdem Vicarium, qui & eodem die Capitulo retulit Cardinalem de Carecto resignâsse Archiepiscopatum in Curia Romana, retenta pensione mille librarum, quam summus Pontifex ratam habuit, & ne diutius Sedes vacaret, Robertum de Lenoncourt Regis assensu de ea providisse, dato Archiepiscopatu Turonensi Carolo de Carecto, reservatis pariter ducentis ducatis aureis, quos solvere Roberto tenebatur quoad viveret. Tum manibus bullas idem Vicarius apostolicas gerens, genua flexit coram Antonio d'Estang Engolismensi Episcopo Judice delegato, pro sua erga sanctissimam Sedem observantia, præstitóque fidelitatis sacramento, eâ formâ quæ sibi præscripta fuerat, petijt Robertum de Lenoncourt in realem possessionem Archiepiscopatûs induci, omniúmque jurium ad illum pertinentium, quod factum est nemine refragante.

Sic Carolus de Carecto è Remensi Archiepiscopatu transijt ad Turonensem, fitque paullo post Cadurcensis Episcopus, quæ Beneficia plures ex eadem gente postmodum tenuerunt. A multis hic laudatur, quòd illibata fide sanctæ Sedi debita, Regi Francorum etiam in adversis tenaciter adhæserit : & licèt quidam velint propensiorem eum fuisse in Cardinales schismaticos, clámque fovisse Pisense Conciliabulum, gesta ipsius satis superque hunc ab hujusmodi probro vindicant ; cùm belli indicti tempore ab Aula prudens secessserit, perrexeritque Romam post Julij implacabilis hostis Ludovici XII. obitum, ubi electioni Leonis X. interfuit, & aliquanto post Lateranensi Concilio, cujus, ipse morte præventus, exitum videre non potuit. Ubertus Folieti libello *de viris illustribus*. Caroli non sine honoris præfatione sic meminit : *Quot Deus immortalis ! quantaque laudes Caroli Dominici Carectij nomen verendum faciunt ; nam ad præclari & pervetusti generis nobilitatem accesserunt multæ opes ; quæ res, cùm per se ad homines illustrandos satis valeant, tamen tanta est in Carolo clarissimarum virtutum gloria, ut illarum splendore reliqua amplitudo pæne obscuretur, fortunaque & commendationes, animi & ingenij bonis obruantur. Fuit enim in hoc viro præstans ingenium, singularis prudentia, eximiùs rerum humanarum usus ; imprimis verò summum religionis & pietatis studium, quas ingentes virtutes regia in omni genere magnificentia mirificè decorabat.* Obijt ipse 18. Cal. Septem. anno 1514. post Remensis Archiepiscopatûs duos annos regiminis, Turonensis quinque, conditus Romæ in Ecclesia tituli S. Cæciliæ, quem selegerat, abdicato S. Nicolai titulo *Inter imagines*.

Invaluerat

Digitized by Goog

CAROLUS DE CARECTO LXXVIII. ARCHIEP. *An.* 1509.

Invaluerat per omnes ferè cathedrales Eccleſias die Ss. Innocentium laudabilis primùm conſuetudo ; ſed quæ in tot mimicos, & ſcurriles jocos deflexerat, ut hujus eccleſiaſtici cœtûs primarios puduerit, donec penitus abrogata eſt. Vicarij & Capellani puerum hoc feſto die epiſcopalibus ornamentis indutum, mitra, ſupparo, chirothecis & pedo paſtorali, in Eccleſiæ chorum inducebant, benedictionem populo impertientem : tum per vicos Urbis & plateas cum joco & cachinnis indecentibus, & Clericatu indignis. Guillelmus Durandus hujus meminit in *Rationali*, aitque feſtum inchoari ſolitum à Veſperis Nativitatis Domini, quibus Diaconi antiphonam ſancti Martyris Stephani modulatè canere, Matutinis præeſſe, Lectiones recitantibus benedictionem largiri, & alia quædam contra receptum Eccleſiæ morem facere. Diaconos excipiebant Preſbyteri die S. Johannis, & hi regendi Officij munus pueris remittebant feſto Innocentium, quod puerilis epiſcopus ornabat, ritu haud multùm diſſimili ab eo, quem Ivo Carnot. tetigit epiſt. 68

Eligimus puerum, puerorum feſta colentes,
Non noſtrum morem, ſed Regis juſſa ſequentes. *Ivo Carnot.*

Quibuſdam locis Subdiaconi Circumciſionis diem ſibi vendicabant, alibi octavam Epiphaniæ, quam *Stultorum feſtum* vulgo quidem, ſed mimicè vocitabant. Cognatus refert eò progreſſas hujuſmodi fannas & abuſus, ut pro honeſtis & licitis animi remiſſionibus, juniores Beneficiarij ſtultorum epiſcopum, in theatro pro foribus Eccleſiæ erecto, ſingulis annis inſtituerent, cui mox per urbem tumultuoſè, & petulanter deducto epulum parabatur æquè ridiculum & ineptum, quod Senatûs Pariſienſis decreto, Decani & Capituli rogatu, abrogatum eſt anno 1490.

Remis puerilia hæc oblectamenta faciendi facultas petebatur ſingulis annis in Capitulo ab Innocentium archiepiſcopo, magiſtro, & pueris, darí, que conſueverat cum ſumtibus epuli, *modò fieret ſine larvis & ſtrepitu tubicinis, & ſine equitatione per villam*, ex concluſione anni 1479. Patet ex alia concluſione anni 1508. diſcordiam emerſiſſe inter ſcholæ Remenſis Eccleſiæ, & Templi epiſcopos, pro honoris gradu, & incedendi prærogativa. Sancitum tamen reperio, Petri Remy majoris Archidiaconi hortatu, ne deinceps choriales pueri mitram ac pedum geſtarent, nec epiſcopalibus veſtimentis induerentur, juxta Concordata, & Pragmaticam-Sanctionem aliàs in Concilio Baſileenſi renovatam, quâ cautum eſt Seſſ. 21. ut larvati & theatrales illi joci, qui in feſto Innocentium uſurpari ſolebant, ab Eccleſia arcerentur.

Dum prædictorum epiſcoporum larvæ pro veris Paſtoribus in Aula Regum degentibus, & Beneficiorum pluralitati intentis, in Eccleſia ſubſtituerentur, Calvinus Hæreſiarcha naſcitur, infauſtus noſtræ provinciæ fetus, recentiúmque Iconoclaſtarum pater. Vaſſorius lucem hunc vidiſſe refert 10. Julij, die poſterioribus ſæculis exſecrando, tinctúmque in Eccleſia ſanctæ Godebertæ urbis Noviomenſis tutelari, quam ob vitia & hæreſes æterno dedecore fœdavit. Capellaniam hic primùm conſecutus eſt in Eccleſia Noviomenſi ætatis annum agens duodecimum anno 1521. Adultus ut ætate, ſic & malitiâ, factus eſt Paſtor ſancti Martini de Marteville, & permutatione, Pontis-Epiſcopi anno 1527. at novarum rerum prurigine, ejuratis Beneficijs, in Alemanniam ſeceſſit, cum Luthero collocuturus, ſtragem ubique ac veræ religionis interitum machinante. Inde Italiam petijt, poſtea Genevam Apoſtatarum receptaculum, ubi velut inſignis propheta ſuſceptus, nequiſſimæ hæreſi incubans ſpuria vitulamina inde nata & fota longè, latéque propagavit.

ROBERTUS DE LENONCOURT LXXIX. ARCHIEP. *An.* 1509.

D'argent à la croix engrelée de gueules. Souvent ecartelé de l'Egliſe de Reims.

Robertus de Lenoncourt LXXIX. Archiepiſcopus ſollemni pompa Remos ingreditur, deputatos mittit cum Capitulo ad Synodum Piſenſem, Franciſcum I. inungit & coronat, pauperes alit.

CAPUT XLIX.

ROBERTUS, Theoderici domini de Lenoncourt Victricenſis Ballivij filius, inter præſtantiores virtute viros, qui Sedi Remenſi hactenus præfuerunt, meritò computari poteſt. Aubricius de eo, occaſione Roberti Cardinalis fratris filij, tradit vetuſtatem familiæ illius tabulis authenticis quingentorum annorum illuſtrari poſſe, háncque Nancei nomen olim prætuliſſe putat, quòd Girardus veteris Theoderici filius dominus de Lenoncourt, & Lotharingiæ Ballivius ſub Ferrico III. primus abdicavit; hunc ſummè affectum erga S. Franciſcum ferunt, cujus & opem ſenſit, cùm fenore delatam ad poſteros. Ab hoc Gerardo per varios gradus prodijt Henricus dominus de Lenoncourt & de Haronel, & Ducis Occitaniæ Cambellanus, qui ex Jacquelina de Baudricourt Mareſchalli Franciæ nata, filium reliquit Theodericum, Buticularium alicubi nominatum, & Regi à Conſilijs, patrem Roberti Archiepiſcopi & alterius Theoderici, à quo Henricus de Lenoncourt, & Robertus Cardinalis Cathalaunenſis Epiſcopus.

Robertus admodum adoleſcens regimini Eccleſiæ admotus, San-Remigianum Monaſterium ſibi commendatum ſub Ludovico XI. adeo rexit, ut ſpem ſuperaverit & ætatem; inde Turonenſis Eccleſiæ infulis decoratus, aliquot annos paſtorali officio conſtanter adhæſit, donec Rege ratam habente permutationem cum Carolo, ad Remenſem cathedram ſublimatus vi bullarum apoſtolicarum, poſſeſſionem primo Junij per procuratorem, tum ut cunctis pateret ſe non opes, vel titulos augendi gratiâ, de priori loco migrâſſe, præſens videri voluit, prodeſſe ſuis, ac totum vitæ tempus cum Sponſa tranſigere, quam unicè dilexit, decoravit ædificijs, cenſu locupletavit. Quò inaugurationis ſuæ pompa clarior eſſet, Indulgentias per modum Jubilæi idem Archiepiſcopus obtinet, pro omnibus Remos hac die honoris gratiâ religioſè convolaturis, quæ ad valvas Eccleſiæ affixæ ſunt, conſenſu Capituli, ac pro foribus Eccleſiæ theatrum erectum, unde benedictionis munus frequenti populo impertiretur in ipſo ingreſſu & ante perceptas Indulgentias. Ceremonia hoc ferè modo peracta eſt. Vigeſimo primo Julij è Cernaco magno equitum ſeptus comitatu venit ad portam de Dei-merito, ubi Religioſi-mendicantes cum Crucibus operiebantur; Ballivius cum Vicario, Præfecto, Procuratoribus, Notarijs & ſatellitibus extra portam egreſſus eſt: Scabini in equis inter duos pontes exſpectabant adventum Archiepiſcopi, quem Philippus de Bezannes dominus de Sapignel Scabinatûs Præpoſitûs brevi concione comiter excepit; Mendicantes deinde bini in Urbem redeunt, poſt Balliviatûs adminiſtri, Scabini, Ballivius, tandem Archiepiſcopus comites habens Robertum de la Marck Sedani Regulum, dominum d'Agnaire Moſomi Toparcham, Johannem d'Agnaire Fimmæ turris Præfectum, Ballivium Victriacenſem, Abbates Moſomi, & S. Evodij Brennenſis. Eo primam portam ingrediente, Jacobus de Maire Seneſchalcus mulæ ipſius frænum accepit, duxitque eum pedes uſque ad gradus portarum Eccleſiæ

Ecclesiæ S. Remigij, ubi Major-Prior huic Monachis adstantibus bene adprecatus est, librúmque Evangeliorum exosculandum porrexit, tum apprehensa Prioris manu progreditur usque ad majus altare, ubi præmissa oratione promisit se Monasterij iura servaturum. ROBERT. DE LENONCOURT LXXIX. ARCHIEP. An. 1509.

Transacta nocte apud Remigianos, Scabini summo mane veniunt, Archiepiscopum decenter comitaturi usque ad principem Ædem: exijt ille per portam Ecclesiæ meridionalem Præsulatûs indutus ornamentis, pensilem umbellam habens supra se, quam Monachi quatuor sustinebant, alijs eum præcedentibus, ac modulatè Deo laudes accinentibus, donec ventum est ad S. Catharinæ sacellum; tunc enim redditus est liber Evangeliorum San-Remigianis, umbella quoque sublata, & mox à Canonicis excipitur cappis holoscericis indutis. Ægidius Grandroux Scholarcha, nomine Capituli & in absentia Archidiaconi Campaniæ, humilem huic reverentiam exhibuit, verbísque his à Priore Archimonasterii prolatis: *Ecce Pastor vester, verus successor S. Remigij Confessoris, ipsum vobis præsentamus*, diserte sic respondit: *Et nos congaudentes caris affectibus, & lætis animis ipsum Archiepiscopum nostrum recipimus successorem beati Remigij*: Tum Evangelii librum apertum protulit, quem reverenter osculatus est Archiepiscopus mox apertum, deinde aspersorium, quò lustrali aqua seipsum aspergeret: primarij quatuor Urbis Curati postea umbellam admovent, Monachis ad propria reversis. Johannes Doubleau Thesaurarius ac Vicarius Dionysij Briçonnet maioris Archidiaconi, fimbriam cappæ apprehendens ad latus sinistrum, duxit eum in Ecclesiam, ubi possessionem capessivit more consueto.

Alicubi legitur nudis pedibus incessisse, ac gestâsse pro manibus librũ Evangeliorũ.

Robertus hac magnificentia à Clero & populo receptus, suæ Ecclesiæ hominibus, seu casatis diem dixit, quò fidei clientelam pro more exhiberent. XXVIII. mensis Julij eodem an. Baudus Moet pro feodo de Cliquot ad castellum portæ Martis pertinente, sacramento se devinxit; Hubertus Cauchon pro feodo de Puisieux; Philippus de Bezannes pro feodo de Sapignel ex castello Culmisiaci dependente; Miles Videal vice uxoris natæ Ludovici d'Anghien pro feodo de Sepsaulx; Johannes Toignel dominus de Taissy pro Domo-forti & media parte ditionis de Mombret; Petrus Grossane pro Vicecomitatu de Culmisiaco ex castellania ejusdem loci dependente; Theodericus Cauchon vice Isabellæ Lescot pro terra de Muire; Petrus de Thuisi Vicarius-Præfectus Ballivij Victricensis, pro feodo des Maigneux; Theodericus Moet Panetarius Remensis; Claudius de Chartogne pro ditione de Varisscourt; Jacobus Maire Scutarius pro feodo de Luche sito apud Thuisy, quem Senescalli feodum vocitant, ex castello de Septsaux dependente. His & alijs clientelæ sacramentis debitè solutis, Robertus Archiepiscopus ad ea, quæ sui muneris esse videbantur, seriò animum appulit, eo tempore quo Ecclesiæ puppis, gravi agitata turbine, experto Rectore præsertim egebat, ob depravatos hominum mores, divinarum legum neglectum, pessimúmque exemplum aliquot Prælatorum, qui gregis Christi nihil pensi habentes, aliud omnino agebant.

Hoc siquidem anno Julius II. summus Pontifex *bellicâ gloriâ, quàm pontificiâ clarior*, ut ait Genebrardus, ægre ferens Italiam Francorum armis subjici post pugnam Ghiaraddadæ Venitis infaustam; tantâ exarsit iracundiâ, ut omnes Europæ Principes in Francos conspirare non modò compulerit; sed & toti Regno satis temere Sacrificijs interdixit. Ludovicus Rex in difficili hoc rerum casu aliquatenus hæsit, ob innatam Gallorum in Pontifices observantiam; at quò se fœderatorum conatibus opponeret, generalem Gallicanæ Ecclesiæ Synodum convocandam censuit, literis Blesis datis 30. Julij anno 1510. quibus Episcopi omnes illuc 15. Septem. jubentur convenire, de Regni legibus, at Gallicanæ Ecclesiæ libertati-

Genebr. ad an. 1503.

An. 1510.

ROBERT. DE LENONCOURT LXXIX. ARCHIEP.

bus tractaturi. Robertus Archiepiſcopus alijs diſtentus curis Johannem de Lenoncourt Turonenſis Eccleſiæ Theſaurarium procuratione data 6. Septem. vice ſua delegavit ; Capitulum verò Robertum de Baudricourt Vicedominum Remenſem, & Reginaldum Cauchon.

An. 1511.

Synodo ad aliud tempus protracta, Epiſcopi 4. Febv. anno 1511 monentur iterum ire Turonum (acta capitularia Lugdunum habent) ex diœceſi Remenſi profectos lego Johannem de Lenoncourt Theſaurarium Turonenſem lectum ab Archiepiſcopo ; à Capitulo Dioniſium Briçonnet Tulonenſem Epiſcopum & Archidiaconum Remenſem, Opicarium de Rotharijs Præpoſitum, & Johannem Berthelot Decanum majoris Eccleſiæ, viros doctrinâ præſtantes & eximios. At Julio horum decreta parvi faciente, cogitur Ludovicus, Imperatoris & aliquot Principum aſſenſu, juſtæ Gallorum expoſtulationi aliud remedium quærere, Piſis pleniori Concilio coacto, diu à pleriſque Cardinalibus & Epiſcopis exoptato ; quò Julij comminationibus frenum injiceret : ad hoc primo Septemb. indictum ſelecti ab Eccleſia Remenſi profecti ſunt, patétque ex concluſione capitulari 22. Novem. anni 1512. Dionyſium Briçonnet è Lugduno (ubi Concilium tranſlatum fuerat) ſcripſiſſe ad Capitulum Remenſe ſe iconem Virginis ex argento, altam tres pedes, brevi miſſurum, ſuæ obſervantiæ pignus erga Remenſem Eccleſiam, quæ viſitur adhuc cum Briçonnetorum inſignibus inter columnas erecta ſupra majus altare.

An. 1512.

Julius qui diris devoverat Epiſcopos Piſis coactos, Urbémque ipſam, Galliam quoque interdicto ſuppoſuit ; eámque diripiendam & invadendam omnibus Europæ Principibus conceſſit ; Deus in adverſis non defuit, Rege per omnes Eccleſias precipiente, ut tempore elevationis ſacratiſſimæ Hoſtiæ in Miſſis caneretur,

O ſalutaris Hoſtia,
Quæ cæli pandis oſtium.
Bella premunt hoſtilia vel *In te confidit Francia.*
Da robur, ſerva lilium.

An. 1513.

Fatalis hæc confœderatio, Navarræ exitium peperit, Tarvannæ, & Tornaci expugnationem ab Anglis, & obitum Julij, belli infeſti auctoris cui Leo X. ſucceſſit è Medicæa domo, quem Ludovicus, abrogatione Piſenſis Concilij, fruſtra ſibi conſiliare niſus eſt.

Angliæ Rex his ſucceſſibus tumidus, & inſoleſcens, rumorem ſparſit ſe Remos ociùs iturum pro ſuſcipienda regali unctione, cujus rei gnari Remenſes, & quòd Imperator Regi negotium faceſſeret in Burgundia, rebus omnibus ad obſidionem neceſſarijs Urbem muniérunt, victualibus præſertim, pro ſelecta militum turma ſuis expenſis contracta, ut patet ex Ludovici litteris, quibus pollicetur ſe repoſiturum cumulatiſſimè meritum. Anglus, quòd copiæ ſenſim effluerent, paci libenter conſenſit hortatu Cardinalis Amboſij, menſe Auguſto, quam Ludovicus gratam habuit, receptâ in ſponſam Mariâ Henrici Regis ſorore, poſt Annæ Britannæ obitum, at ipſe haud ita poſt vivis eripitur 1. Janu. anno 1514. nulla prole maſcula ſuperſtite.

An. 1514.

Franciſcus Valeſius Engoliſmenſis Comes, ſtirpis ſecundæ caput, regalis domûs Aurelianenſis, ob proximum maſculinæ conſanguinitatis gradum, Regni inſulas adeptus, Remis ſolitâ magnificentiâ inauguratur 25. Januarij anno 1514. Barones ab eo miſſi, qui ſe vades obtulerunt pro ſacra Unctionis pignore ſecurè reducendo hoc ordine numerantur in veteribus ſchedis, Philippus de Croy Comes Porcienſis, Franciſcus de la Rochefoucauld, Juſtus de Tournon, & Carolus de Breüil Sancerræ Comes. Hi præſtito ſacramento comites ſe præbuerunt ſacræ Ampullæ, quam Major-Prior San-Remigianus mulæ inſidens, umbellâ deſuper expenſâ per vaſallos

vaſallos Abbatiæ, detulit, Monachis præcedentibus uſque ad portam majoris Eccleſiæ, ubi Archiepiſcopus operiens eam honorificè ſuſcepit, tum magno ſtipatus comitatu, in chorum reverſus, ſumpto ex ea Chriſmate Regem inunxit præſentibus Regni Franciæ Megiſtanis & clariori nobilitate. ROBERT. DE LENONCOURT. LXXIX. ARCHIEP. An. 1515.

Rex prædeceſſorum ſuorum more ditiſſimis Remenſem Eccleſiam affecit donarijs; littera F. initalis Franciſci nominis, cappis acu inſerta ex panno aureo raſo, probat completum altaris ornamentum ex ipſius munificentia promanâſſe. Remis egreſſus cum ingenti Nobilium equitatu ivit ad S. Dionyſium, non regiam coronam recepturus, ut falsò ſibi perſuaſit Gillius, ſed quò tutelaris Franciæ ſibi conſiliaret opem. Paullo poſt inceſſit eum libido Ducatûs Mediolanenſis repetendi ab Auſtriacis, contra jus fáſque, ut videbatur, retenti: ſuperatis Alpibus cum numeroſo exercitu, Bononiam venit, ubi actum cum Leone X. de Pragmatica-ſanctione abroganda, & pacto ineundo, quod Concordata vocant, veteri diſciplinæ admodum infeſta, ac multis odioſa: adversùs hæc expoſtulationes à Clero & Academia Regi oblatæ ſunt; at hic ſurdas aures præbuit, quòd Pontificis amicitia tunc ei utilis eſſet, à quo tamen anno ſequenti deſertus eſt. Robertus Archiepiſcopus, qui velut Protopar Senatui aderat, cum iteratis litteris pactum confirmandi mandatum accepit, rogatus ſententiam, malorum ipſe futurorum præſcius, generosè interceſſit.

Rex ex Italia in Galliam reverſus Legatos ſuos Noviomum ablegat, quò pax ſanciretur cum Archiduce Auſtriæ, cui & filiam ſuam Ludovicam deſponſam promiſit; fœdus hoc ſummopere concupitum auguror, cùm Rex litteris ad primarias urbes datis 22. Decemb. anno 1516. permittat ut cives liberi fiant ac immunes à ſacramento fidelitatis, eo caſu, quo à conditionibus in eo contentis ipſe reſiliret. Remenſis urbis primores ad civicam domum vocati à Præfecto Jacobo Fillet hac de re conſulturi, ſpondent ſe in omnibus Regi obtemperaturos, conſenſuróſque fœderi illi, litteris ultimo die Januarij confectis. An. 1516.

Hoc eodem anno Leo X. habita ratione bellici Turcarum apparatûs, teſſerariam Crucem ubique publicari jubet, plenariámque Indulgentiam pollicetur omnibus, qui ſacræ huic militiæ nomen darent, occumberéntque fortiter pugnando adversùs Fidei noſtræ infenſiſſimos hoſtes. Noviomi Pontificis decretum, juſſu Franciſci Regis, ſollemniter vulgatum eſt, appenſum quoque vexillum in principis Ædis campanili, & affixæ bullæ apoſtolicæ in capella B. Annæ, quò Picardiæ provinciæ Nobiles, ſuorum prædeceſſorum exemplo, (qui Philippi I. ætate in Turcas animi robur egregiè teſtati ſunt) alacriùs ad claſſicum convolarent. Idem factum per omnes Campaniæ urbes reperio; at Principum ſimultatibus, quibus ſeſe Pontifices liberiùs immiſcebant, Chriſtianorum ardor multùm intepuerat, Leonis mentem ſuſpectam habentium, plerique enim hanc variè interpretabantur, præſertim in Germania, ubi Lutherus in Indulgentias ſtilum ſtrinxit: at ille Principes è contra in concordiam revocare ſtudebat, propoſitis inducijs per quinque annos.

Menſe Auguſto ſequentis anni Robertus Archiepiſcopus à Rege litteras accepit, quibus hic profitetur ſe conſcientiæ ſordes abluere velle, quò purior ſit tangendis ægrotis: monet igitur ut parati ſint diebus Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ. Omnium-Sanctorum, Natalis Domini, Purificationis, Annuntiationis, & Dominica in Palmis, quibus ſe manus impoſiturum virtute privilegij Regibus Francorum divinitus conceſſi, pollicetur. Regiæ litteræ ſic incipiunt. An. 1517. 1518.

A noſtre amé & feal Conſeiller l'Archeveſque de Reims, ou à ſes Vicaires. Noſtre amé & feal. Dieu noſtre Createur ſingulier, & protecteur du Royaume de France, entre les autres Privileges par leſquels ſa digne Majeſté Data Bloſii VIII. Auguſt.

ROBERT. DE LENONCOURT. LXXIX. ARCHIEP.

Majeſté à voulu decorer ledit Royaume, à donné & communiqué ſeulement aux Roys d'iceluy une grace miraculeuſe de toucher les malades des ecroüelles &c.

Publicum quoque per id temporis omnibus indictum eſt ſupplicium, ac generales ubique Cleri & populi inſtitutæ ſupplicationes, pro inita pace firmiùs ſtabilienda, quam ſummoperè cupiebat Rex Gallorum; at non ita viſum Superis, ſauciabat enim hunc vehementer facinus Germanorum, quo Carolum dignitate Imperij ornaverant, & cùm neuter alterius potentiam perpeti nequiret, in ſeipſos graviſſimum alebant odium, & ad omnem occaſionem ſibiipſis nocendi incubabant diligentiſſimè, cum ingenti orbis Chriſtiani damno, ac religionis pernicie.

An. 1519.

An. 1520.

Fœdus initum cum Henrico Angliæ Rege, quo Tornacum ejúſque territorium (traditis ipſi aureorum ſexcentis millibus) Franciſco redditum, Gallo-Flandris metum incuſſit, quibus ingrata Francorum vicinia, unde hos continuò de bello miſcere ſermones putabant, adversùs Belgium machinari, donec atrox incœpit per Robertum Marchianum, & Geldriæ Ducem, quibus Francus non defuit. Henricus Naſſavius totius Belgici exercitûs ductor, per Picardiam graſſatus, mox in Campaniam venit, captóque brevi Moſomo ignaviâ Præfecti, ad Maceriam impoſitum Moſæ oppidum ſubinde caſtra convertit, ejúſque muros ingenti circumvenit exercitu, conſumtíſque illic fruſtra pleriſque dierum ſeptimanis (Oppidum validiùs tuente Bayardo inclito Milite) ſolvere coactus eſt. Collectis poſtmodum è Flandria novis copijs, Comes Tornacum vehementius adoritur, quam poſt aliquot dies ingenti Regis dolore occupat, data illi optione, ut dicitur, vel Flandris ſe, vel Hannonibus adjungendi; at Cæſariani in Urbis præſidio poſiti, cum peſtilentia invexère animorum luem, diſſeminatis ibi Lutheri erroribus, quos nec ſedula Epiſcoporum cura, Cleri ſtudium, aut Regis terror hactenus exſtirpare radicitus potuerunt.

An. 1521.

An. 1522.

Acerbiſſima hæc erant tempora ab irato Numine ob Principum ambitionem, ac depravatos hominum mores; nam præter horrida bella, quæ paſſim ubique ſæviebant, peſtilentiam, & hæreſim; tanta fuit annonæ caritas, in Campania præſertim, anno 1520. ut plures fame abſumti fuerint: tunc Roberti Archiepiſcopi caritas Remis eluxit in pauperes, è quibus trecentos ſingulis diebus paſcebat in ſuo palatio, gratis etiam remittens debita ijs qui ſolvendo non erant, ex epiſtola nuncupatoria Johannis Campani, quæ ſic incipit: *Reuerendiſſimo & illuſtriſſimo Heroi, atque Antiſtiti D. Roberto de Lenoncourt Remenſium Archiepiſcopo &c. Nam ut cetera taceam, hoc anno in ſumma annonæ caritate ſupra trecentos quotidie pauperes magnificè educaſti, & tamen ære aliena (præſertim fiſco tuo debita) omnibus qui ſoluendo non eſſent, humaniſſimè remiſiſti; nihilo ſegnior in reparandis veteribus ſanis, aut edificandis nouis effectus.* Hoc elogio illuſtriùs nihil dici potuit, nec à Prælato quidquam fieri excellentius. Fama tenet frumentum præter ſpem in horreis multiplicatum, ut farina olim viduæ de Sarrepta, cùm famulos querentes illud defeciſſe, monuiſſet ut ab erogando non ceſſarent.

Scripta xxv. Cal. Nov. an. 1521.

Robertus ætate provectior, de grege ſollicitus, quem præſens alebat, cooperatorem ſibi delegit Petrum Lameſſon S. Petri Cathalaunenſis Abbatem regendis animabus idoneum ac Epiſcopum regionarium, aſſignata ei penſione centum quinquaginta ducatorum ſuper fructus Epiſcopij, cui Capitulum libere conſenſit.

Negotijs exhauſto ærario peſſimè ſuccedentibus in Italia, Rex pecunias mutuò ſibi dari ab omnibus Eccleſijs cathedralibus poſtulavit, unde è S. Theoderico prope Remos, ubi hærebat, miſit dominum de Sancto-Severino quatuor millia aureorum poſtulatum à Capitulo Remenſi, pro ſubſidio

Digitized by Goog

ſubſidio militum cis & ultra Alpes in hibernis degentium, & anno ſequenti, 12. Julij Ludovicus Picart & Johannes Lhuilier Cameræ Computorum Præſes iterum mittitur, cum litteris luctuoſum Galliæ ſtatum exponentibus, quibus Rex quinquaginta millia librarum à Capitulo ſibi concedi flagitat in moneta vel in ſupellectili, cenſum ſe ſoluturum ſpondens, imponendum ſupra regium patrimonium. Capitulum id à ſe pendi non poſſe dicit ob redituum decrementum, ac terræ de Poteſtatibus direptionem: addit ingentem pecuniæ vim hactenus à ſe ſolutam, ſolvendámque ſingulis diebus pro munitionibus ac cuſtodia urbis Remenſis. Quòd ad ſacram ſupellectilem à Commiſſarijs petitam attinet, ut inde, velut ſubhaſtatâ, pecunia conflari poſſet, reſponſum à Capitulo Regem de ea diſponere poſſe pro libito, ſibi verò non eſſe licitum res Deo ſacratas diſtrahere abſque ſacrilegij noxa. Digna pro tempore reſponſio, quæ legatos ancipites reliquit, ac dubios quid agerent.

ROBERT. DE LENON. LXXIX. ARCHIEP. *An.* 1523.

Regium tribunal Remis inſtituitur. Hæreſis Lutheri recèns nata, inter bellorum tumultus vires capit. Pax Cameracenſis. Robertus Archiepiſcopus poſt multa præclarè geſta defungitur.

CAPUT L.

BELLO Cæſarem inter & Francum acriùs recrudeſcente, Rex quò exactæ in nervos belli, & abſumtæ pecuniæ, aliam induſtriâ conquiſitam ſuperadderet, ſtatuit regales ſedes, ſeu tribunalia litibus dirimendis de novo inſtituere, & in eis adminiſtros fiſco utiles præfecturarum venalitate, quibus pecunia ociùs conflaretur. Regio decreto urbes novis tribunalibus ornandæ referuntur, & inter eas Remi, ob antiquitatis famam, opes, & Regum primitias recipiendi prærogativam. Ex concluſione capitulari colligo erectionis tabulas 2. Novemb. anno 1523. coram DD. Canonicis & frequenti populo lectas fuiſſe cum litteris Ludovicæ Reginæ Regni Moderatricis, & undecimo menſis ſancitum opem recèns ſtabilitis officiarijs impertiendam, permittendúmque ut Placita tenere poſſint, & Auditorium erigere intra fines ditionis Capituli, uſque ad feſtum S. Johannis, modò in juribus detrimenti nihil recipiat. Vix fungi cœperant officio, cùm Robertus Archiepiſcopus, Epiſcopus Laudunenſis, & Præfectus ejuſdem urbis, de prædicta erectione graviter conqueruntur, & eidem intercedunt; prætendebant enim ſuis privilegijs & juribus eſſe adverſam & nocivam. At novi officiarij, quò facultate ſibi indulta liberiùs, & remota omni obrogatione gauderent, Ludovicam, Rege ultra Alper profecto, Adminiſtram adeunt Lugduni agentem, obtinéntque ab ea ſuæ inſtitutionis litteras confirmatrices, quibus adverſariorum ardor retuſus eſt. Has hîc ſubnectere haud alienum putavi, ne Lector jejunus abeat. *An.* 1523.

LOüiſe mere du Roy, Ducheſſe d'Angouleſme, d'Anjou, & de Nemours, Comteſſe du Maine, & de Gyen, Regente en France, au premier Maiſtre des Requeſtes de l'hoſtel de noſtre tres cher & tres aimé ſeigneur & fils, Conſeiller de ſon Grand-Conſeil & de la Cour de Parlement à Paris ſur ce requis, ſalut & dilection. Le Procureur general de noſtre tres cher fils, & ſon Grand-Conſeil nos bien amés les habitans de la ville & Cité de Reims, & les officiers du ſiege nouuellement crée en *An.* 1524.

ROBERT. DE LENON. LXXIX. ARCHIEP.

en ladite ville, nous ont fait remonſtrer, combien que pour bonnes & juſtes cauſes noſtre tres honoré Seigneur & fils ait par ſes patentes etabli un Siege royal à Reims, auec nombre d'officiers pour l'exercice diceluy, gens capables, ſages, & experimentés au fait de pratique. Ce neanmoins noſtre cher & bien amé l'Archeueſque de Reims noſtre couſin, l'Eueſque & Duc de Laon &c. venans directement contre les letres de creation, tachent par tous moyens d'abolir ledit Siege, combien qu'ils ny ayent aucun intereſt, l'erection d'iceluy eſtant au contraire un bien ineſtimable pour la choſe publique. L'oppoſition faite par eux ayant eſté deuolüe au Parlement, & depuis traduite au Conſeil, où l'on à procedé tant ſur le principal, que ſur la jouyſſance des Officiers, eſtoit ſur le point de prendre un long trait, ſi à l'inſtante priere des deffendeurs, nous n'euſſions obvié à ces delais, declarans ſur ce noſtre intention & totale reſolution, &c. Pourquoy nous ces choſes conſiderées, recors & memoritifs des cauſes qui ont par cy devant meus noſtre Seigneur & fils de faire ladite erection du Siege de Reims, QVI EST DES PLVS ANCIENNES VILLES DE CE ROYAVME, en laquelle en ſon nouuel aduenement il a pris ſa courone & ſceptre royal, & à eſté oint de la ſainte Ampoulle, qui eſt & repoſe en l'Abbaye de S. Remy, ainſi que toute ancienneté ont eſté ſes predeceſſeurs Roys. Voulons par ce ladite creation avoir lieu en icelle ville de Reims, & la decorer, & augmenter pour le bien de la choſe publique, de prerogatiues & preeminences, & pour ces cauſes, aprés avoir eu ſur ce deliberation au Conſeil, avons dit & declaré, & voulons de grace ſpeciale que ceux qui ont eſté pourvens aux offices de Lieutenant, Procureur, Greffier & autres, jouyſſent de leurs offices, & les tiennent par maniere de prouiſion durant le procés & ſans prejudice d'iceux, ſans que l'Archeueſque, & Eueſque, & habitans de Laon puiſſent eſtre en aprés autrement receus à eux oppoſer ny appeler, defendant aux Gardes des Sceaux de la Chancelerie de leur octroyer aucune lettre, &c. Donné à S. Iuſte de Lion, le 22. Nouembre 1524

Sic Themidis templo, regia auctoritate Remis ſtabilito, officiarij quiete muneribus ſuis incubuêre, cum ingenti plebis commodo, quæ Lauduni pro levioribus cauſis litigare cogebatur; & licèt Ballivius Viromandenſis Præfectum particularem à multis retro annis haberet in eadem Urbe, alicubi enim lego Johannem Cauchon anno 1426. hoc potiùs fiebat, ne quid tentaretur in provocationis præjudicium, ſeu etiam prævention is, regio Judici (ut quidam putant) debitæ, quàm ut inde cives aliquid ſolatij reciperent. Porro nomina eorum qui præfecturam hactenus geſſerunt hoc ordine recenſentur.

Jacobus Fremin Præfectus-generalis annis 1516. & 1540.
Hieronymus Groſſane 1552. 1561. functus 1562.
Johannes Colbert 1563. 1580.
Laurentius Cauchon dominus de Treſlon 1590. 1594.
Reginaldus Goujon dominus de Thuiſy 1606. 1611.
Coſmas Braux dominus de Mery 1618. 1620.
Carolus Colbert 1620. 1642.
Johannes Beguin dominus de Coeny 1650. 1660.

An. 1525. Miſſi è Lugduno cum præfato diplomate vix redierant, cùm infelicis pugnæ prope Ticinum habitæ rumor ſpargitur, quâ Rex captus, & major exercitûs pars cæſa à Cæſarianis. Incredibile dictu eſt quantus mæror Gallorum corda pevaſit, ubique luctus, pavor, & triſtitia; quò citiùs vindicaretur non modò exhauſtæ provinciarum opes, ſed & Eccleſiarum vaſa argentea vendita ac ditior ſupellex.

Clades hæc Lutheranis jucunda fuit, qui inde virus hæreſeos latiùs diſſeminandi anſam arripuerunt; mox etiam quorumdam hominum errabunda colluvies,

colluvies, qui dicerent omnia bona eſſe communia, tranſito Rheno Galliam invadere minabantur: hos dux Guiſius, collectis ſubſidiarijs militibus per urbes Campaniæ & Picardiæ, internecioni dedit. Adversùs tot mala Gallorum cervicibus imminentia, plures conventus à Clero habiti ſunt, ſpecie quidem deſolatis Reipublicæ rebus ſuccurrendi, ſed veriùs ut nefandæ hereſeos propagationi occurrerent, quæ inter bellorum tumultus caput attollit. Concluſiones capitulares diei ſecundæ Martij anni 1528. fidem faciunt Robertum Archiepiſcopum Synodum provincialem indixiſſe, nominatóſque à Capitulo Decanum, Scholarcham, & Petrum Groſſane, ut ei intereſſent, diſcuteréntque, & approbarent ſi opus eſſet, quæ in ea proponerentur. Ex alia ejuſdem menſis quarto die, ſanxiſſe panem & vinum deferendum dominis Epiſcopis, & Abbatibus, ſeu etiam deputatis ad Synodum venientibus. Ex alia 8. die, patet dominum Archiepiſcopum, quòd ætate gravior eſſet, poſtulâſſe ut aliquis ex Suffraganeis vice ſua ritu ſollemni & in Pontificalibus celebraret die incœptionis Synodi. Quæ omnia probant inchoatam 9. menſis; at quid in ea decretum ſit, non invenio.

Robert. de Lenon. lxxix. Archiep. An. 1528.

Rebus propemodum acciſis in Italia Lautreci obitu, & Andreæ Dorie defectione; Ludoviſia Franciſci mater, & Margareta amita Imperatoris, Cameracum ingrediuntur de pacis hos inter Principes conciliandæ legibus acturæ: poſt varias ultro, citróque objectas difficultates, Auguſto menſe ingratis Gallo conditionibus compoſita pax eſt, quâ Flandriæ & Arteſiæ Comitatus, Gallo-Flandriæ urbes fineſque, Nerviorum civitas, territorium Sancti-Amandi, omni Francorum jure exuta ſunt. Galli nihilominus tot miſerijs feſſi, nuntio pacis alacritatem teſtati ſunt, Remíſque Regis mandato generalis ſupplicatio indicta 17. Auguſ. ac publicè cantatum *Te Deum* modulantibus organis. Sic Gallia calamitatibus trita paullulum reſpirare cœpit; & quoniam verſo Reipublicæ ſtatu, nihil uſquam priſci & integri moris Capitulum Remenſe retinebat; donec plenioris Synodi convocatione diu à Principibus exoptatâ, collapſa diſciplina ſuum nitorem recipere poſſet, cenſuit interim divinum Officium reſtituendum eſſe juxta Concilij Baſileenſis ſanctiones, & Concordata, in his præſertim quæ ſacros ritus ſpectant, Canonicorum frequentiam in choro, & diſtributiones. An. 1529.

Interea-loci Robertus Archiepiſcopus, velut ſtella firmamento, ſic diœceſi ſuæ jugiter affixus, virtutum radio cunctis prælucebat, leniebat ſuâ conſtantiâ miſerias & animi ægritudines, ac inculpatæ vitæ exemplo duriora quæque temperabat. Efficacius eſt dubio procul vitæ, quàm linguæ teſtimonium, habent enim opera ſuam facundiam tacente lingua. Quæ geſſit omnibus nota ſunt & obvia, non veraci modò Patrum traditione; ſed & tot expoſitis ſacras Ædes intuentium oculis characteribus, quot ſunt lapides in urbe Remenſi. Patris pauperum nomen, quo in memorijs inſignitur, ſatis innuit ad quid cenſum impendere ſoleret, eo præſertim tempore, quo plebs attrita calamitatibus nihil reliqui habebat quo vitam toleraret, niſi dignus Deo Antiſtes ſua caritate miſeriâ depreſſos relevâſſet: unde de eo veraciter dici poteſt quod de beato Patiente Epiſcopo ſcripſit Sidonius Apollinaris, qui frumentum pauperibus vigente annonæ caritate diſtribuerat: ſterilitatem ſcilicet ad ejus laudem nonnihil contuliſſe. An. 1530.

At his omiſſis, quorum Deus cum fenore remunerator eſt, multa in ornatum Eccleſiarum contuliſſe reperio; Cathedrali præſertim Virgini ſacratæ, cujus ſecundùm Deum ſtudioſiſſimus ſemper fuit, dedit primò centum aureos pro ſolutione operis & ornatûs frontis capellæ ſancti-Lactis, cujus portæ ex ære ſunt, ac eleganter fabricatæ; pueros choriales duos fundavit pro incremento divini Officij anno 1518. decoravitque chorum aulæis elegantiſſimis vitæ B. Virginis; dedit etiam maximam cappa-

Ex inventaf. capit. 14. Aug. an. 1521.

ROBERT. DE LENON. LXXIX. ARCHIEP. *An.* 1530.

rum, seu etiam ornamentorum vim ex panno aureo, byssо, holoserico, damascено, quibus omnibus propria cernuntur bipartita cum insignibus Remensis Ecclesiæ. Hic etiam perfecit majorem Palatij aulam, quam magnificè cœperat Cardinalis Briçonnetus, pulpita per varias Ecclesias, Mendicantium præsertim, struxit, clathra etiam lapidea & lacunaria, frontem quoque meridionalem Ecclesiæ S. Remigij, cujus regimen à pueris susceperat, anno 1506. complevit, hanc præterea vasis argenteis & sacra supellectili ditâsse, codices, quibus benefactorum inscripta nomina, testantur. Sanxit ultimis tabulis, quò festus dies Annuntiationis Deiparæ celebrior esset, horâ octavâ ut cantetur Antiphona *Gaude Maria*, in navi Ecclesiæ cum hymno *Inviolata*, collectis: *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes. Inclina. Fidelium*, organis, & è campanaria turre majoribus cymbalis perstrepentibus, cereis quoque super majus altare accensis & facibus ex pondo sex librarum, præter quatuor cereos, quos totidem pueri chorales ferre debent, pro quibus datur singulis Canonicis & Vicarijs manualis distributio, & eisdem ac plebi præsentibus quadraginta dies Indulgentiarum.

Statuit etiam ut singulis diebus in majori Missa Vicarius à Capitulo designatus, sacræ erogationis horâ suum donarium Sacerdoti offerat dicens: *Memento animæ defuncti Roberti quondam Archiepiscopi nostri.* ut item singulis diebus, statim ac primæ horæ officium inchoatur, Missa fiat in sacello sancti-Lactis, ubi sepeliri constituerat, à Canonico hebdomadario, majori cymbalo ex altera parte pulsato: quo ritu celebrari debeat docent ultimæ tabulæ, ut Presbyter Sacris operans die Dominica cùm habetur supplicatio, è claustro comitantibus pueris in Ecclesiam pergat, dicátque aspergens aqua lustrali tumulum *De profundis* cum collecta, & ut anniversarium funebre pro eo celebretur in Ecclesia, non secus ac pro alijs fundatoribus. Pro his sic constitutis dedit terram & dominium de Escueil, ac Vicecomitatum de Blaigni, cum omnibus annexis, quæ proprijs sumtibus comparaverat 28. Martij anno 1516. dedit etiam rusticum prædium in villa de Condé supra Matronam pro octava Ss. Sacramenti augustiùs facienda, anno 1532.

Hæc & alia Robertum religiosè operantem remuneraturus Deus ad se evocavit 25. Septemb. anno 1532. Funus ejus ad Ecclesiam sancti Remigij delatum est, cujus Abbas fuerat, justisque ab Ascetis piè exhibitis 14. Octb. rursum ad Ecclesiam cathedralem refertur, ubi eo stante in chori medio, sollemniter ei parentatum est triplici Missa, primâ à Nivernensi Episcopo, duabus alijs à totidem Abbatibus. Terræ mandatur in prædicto sacello, ut ipse constituerat; cor verò Abbatiæ S. Remigij reservatum est, tumulo ad pedes altaris sancti-Lactis exaratum legitur sequens epitaphium.

An. 1532.

HIC JACET REVERENDISSIMUS DOMINUS
ROBERTVS DE LENONCOVRT
QUONDAM REMENSIS ARCHIEPISCOPUS ET DUX,
FRANCIÆ PRIMUS PAR,
QUI OBIJT ANNO DOMINI M. D. XXXII. DIE XXV. SEPTEM.
Orate pro eo.

Capitulum, ad quod spiritualis directionis jus devolvebatur, Vicarios nominat Paulum Grandroux Scholarcham, & Thomam Cauchon, pro registris Odonem le Goix, pro sigillo Johannem Gerard, Pœnitentiarios Nicolaum Eusch Doctorem Theologum, & Nicolaum Plaudet Sandionysianum Regularem Canonicum; pro episcopalibus munijs Johannem de Pleurs Ruissiensem Episcopum.

Rex

Digitized by Google

ROBERT. DE LENON. LXXIX. ARCHIEP. *An.* 1532.

Rex, audito Roberti obitu, gnarum fecit capitulum ſe ad Remenſem cathedram nominâſſe filium Claudij à Guiſia Campaniæ Proregis: mox Philippus de Lenoncourt Vicedominus Remenſis ad Ducem mittitur ſciſcitaturus ab eo quem ex filijs deſignaret ad Archiepiſcopatum. XX Octob. anni 1532. Capitulum à Rege ſuſcepit litteras, quibus preces Deo fundendas jubebat per omnes Eccleſias diœceſis, ut Turcæ conſilium averteret, Chriſtianis Principibus bellum inferre meditantis: ſanxit deferendam in generali ſupplicatione iconem B. Virginis cum Reliquijs Ss. Nicaſij & Eutropiæ. X Februarij Robertus de Lenoncourt Abbas S. Remigij, & procurator Johannis à Lotharingia tituli S. Onufrij Cardinalis, Remenſis Archiepiſcopi deſignati, Capitulo retulit ſummum Pontificem Clementem VII. ratam habuiſſe prædicti Cardinalis electionem factam à Rege juxtà Concordata, petiitque ut in poſſeſſionem induceretur vi bullarum apoſtolicarum, quæ palam & omnibus audientibus lectæ ſunt. Decanus nomine Capituli reſpondit prædictum Cardinalem fauſta gratulatione recipiendum, modò præſens promittat ſe privilegia & libertates Capituli ſervaturum, quod procurator libenter pollicitus eſt, & mox *Te Deum laudamus*; in ſignum lætitiæ modulantibus organis decantatur.

JOHANNES A LOTHARINGIA LXXX. ARCHIEP. *An.* 1532.

Johannes Cardinalis à Lotharingia LXXX Archiepiſcopus, eo abſente peſtilens hæreſeos virus per diœceſim latenter ſerpit è Germania advectum, abdicat poſt quinque annos præfecturæ.

CAPUT LI.

JOHANNES à Lotharingia Cardinalis, Archiepiſcoporum primus, quem vi Concordatorum Rex ad infulas promovit, tertius Renati Hieroſolymorum & Siciliæ Regis, ac Ducis Lotharingiæ natus erat, & Philippæ Egmondanæ, Adolfi Geldriæ Ducis filiæ, quæ ſacro velata flammeo inter Clariſſas vivere delegit anno 1520. Horum poſteritas tanta claritate niteſcit, ut inter Europæ illuſtriores meritò accenſeri debeat, ob heroica geſta Antonij & Ludovici à Lotharingia Renati fratrum, Claudij I. Ducis à Guiſia, Caroli Cardinalis, & aliorum Principum ex eadem gente.

Bari natus Johannes 9. April. anno 1498. vix ætatis anno tertio lectus eſt Metenſis Epiſcopatûs Coadjutor ab Alexandro VI. cujus diploma retulit Frizonius in *Gal. purp.* obtinuit deinde Epiſcopatus Tullenſem anno 1517. Tervannenſem anno ſequenti, Narbonenſem anno 1520. Virdunenſem anno 1523. Lucenſem anno 1527. Valentiacenſem & Remenſem anno 1533. Albienſem & Lugdunenſem anno 1536. at ditiores tantùm retinuit, Tullenſem Narbonenſem, & Albienſem: præfecturas quoque Abbatiarum Gorzienſis, Fiſcanenſis, Cluniacenſis, Majoris-Monaſterij conſecutus eſt abdicatione Franciſci, ejuſdem Renati quarti filij, quem è Principibus Lotharingis ad Virdunenſem Epiſcopatum primùm aſſumtum referunt 22. Julij anno 1522: at nuntio Ordini eccleſiaſtico remiſſo, militiam profeſſus eſt cum Lautreco expertiſſimo Duce apud Neapolim cum exercitu à Rege miſſo, ubi & obijt.

A Leone X. Cardinalatûs infulis ornatur 5. Cal. Jul. anno 1518. titulo S. Onufrij, in gratiam Renati Ducis, quem maxima pollere auctoritate in

LORRAINE Parti de trois, coupé d'un, qui font huit quartiers: au 1. burelé d'argent & de gueules, qui eſt de Hongrie: au 2. ſemé de France, au lambel de gueules qui eſt de Naple-Sicile: au 3. d'argent à la croix potencée d'or & cantonée de quatre croiſettes de même, qui eſt Hieruſalem: au 4. d'or à quatre pals de gueules, qui eſt d'Aragon: au 5. ſemé de France qui eſt d'Anjou: au 6. d'azur au lion contourné d'or, couroné & lampaſſé de gueules, qui eſt de gueldres: au 7. d'or au lion de ſable couroné armé & lampaſſé de gueules, qui eſt de Juilliers: au 8. & dernier d'azur de croix recroiſettées au pied fiché d'or, & deux bars adoſſez de même, qui eſt de Bar: Et ſur le tout d'or à la bande de gueules chargé de trois alerions d'argent qui eſt de Lorraine.

JOHAN. A LOTHA. LXXX. ARCHIEP.

Aula probè ſciebat, dictitans ſe ob id quidquam Duci negare non poſſe, nec meritis recenter promoti: at huic cùm opes non eſſent pro ſumtibus itineris, quod ſe Romam facturum brevi moliebatur, urbes de Rembervillers, de Moyenvic, & de Baccarat, ex dominio Metenſis Epiſcopatûs dependentes, fratri Antonio Lotharingiæ Ducì oppigneravit 5. Janu. anno 1521. Ejurato poſtmodum prædicto Epiſcopatu in favorem Nicolai fratris ſui filij, recepit Remenſem Archiepiſcopatum, Claudio à Guiſia obſequiorum intuitu à Rege datum, & pro libitu diſponendum; at quòd Claudij filius tantæ molis par non eſſet ob teneram ætatem, Johannes ei ſufficitur, receptúſque eſt per procuratorem in Capitulo Remenſi, Reginaldo Cauchon Decano præſide, inſtallatúſque eſt per Paulum Grandroux Scholarcham, in abſentia majoris Archidiaconi, ad primas cathedras tam verſùs majus altare, quàm navim, menſe Feb. anno 1532. data regendi auctoritate in abſentia Roberto de Lenoncourt Commendatario S. Remigij, & Philippo de Lenoncourt Eccleſiæ Remenſis Theſaurario, quos Vicarios generales Archiepiſcopatûs conſtituit.

An. 1532.

Johannes, qui prædictam ſarcinam potiùs ſuſceperat, donec Claudij filius provectior eſſet, quàm ut munus obiret epiſcopale, Remos rarò invſſit, veniſſe tamen reperio 10. Martij anno 1533. in comitatu Regis, cum Franciſco Viennenſi, Henrico Aurelianenſi Duce, Cardinali Borbonio, & Claudio à Guiſia Campaniæ Præfecto, ubi Eleonoræ Reginæ Remos ſollemni pompa invectæ bene adprecatus eſt. Summus Pontifex, cui nota erat prædicti Cardinalis ſtrenuitas & in rebus gerendis prudentia, Legatum eum per Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem creavit: paullo poſt in Aulam reverſus, Regis amicitiam adeo ſibi conciliavit, ut nec ei, nec ſuis quidquam poſſe denegare ſæpius profeſſus ſit. Miſſus dicitur ad Carolum V. eo tempore, quo Rex Sabaudiam armorum vi uſurpare conſtituerat, exploraturus ſubtiliter mentem Imperatoris, & an ſpes eſſet Ducatûs Mediolanenſis obtinendi, quem Aurelianenſium Duci promiſerat; at nihil præter dolos & fraudes in eo reperit, aliud in ore, aliud in pectore geſtare ſolito. Selectus quoque fuit, velut vir induſtrius & ſagax, ut Delphini Franciſci obitum Regi nuntiaret, alijs hanc provinciam Principi ingratam recuſantibus.

An. 1533.

An. 1534.

Gliſcebat interim lues in perniciem animarum, per aliquot urbes diœceſeos, ſparſis lucubrationibus hæreſiarchæ Lutheri, quæ curioſis legendæ clam porrigebantur. Ut pernitioſo malo iretur obviam, datur negotium hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut ſtrenuè, ſeveréque in id genus hominum inquirerent: Capitulum Remenſe pro virili excubans parte, publicum inſtituit ſupplicium divino Numine precibus conciliando, adverſùs exſecrandas horum blaſphemias in ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum; doluit etiam ea res admodum Regi, qui & ad Archiepiſcopum litteras mittit, ut ijs profligandis, ac profundiùs exſtirpandis ſedulam navaret operam, ſaltem per Vicarios, quibus præſto fuit Capitulum Remenſe. Etenim ſicut anno 1527. ſanxerat, ut quilibet è Clero propter ſe facem ardentem haberet in majori ſupplicatione Sacramento peculiariter dicata, ſingulis opificum hæterijs cum facibus quoque eleganter decoratis pro more præcedentibus, quò clarior eſſet feſtivitas, teſtatiórque obſervantia in ſanctiſſimum Sacramentum. Sic & ſummum altare principis Ædis inſigniori fabrica ſtruere hoc anno decrevit, ut dicam inferiùs.

An. 1535.

Anno ſubſecuto ſummus Pontifex Regem Francorum arctiùs devincire cupiens, ob matrimonium Catharinæ Medicææ neptis ſuæ cum Duce Aurelianenſi, duplicem decimam à Clero extorquendam indulſit, ſpecie Turcis bellum inferendi, quæ haud multo poſt triplicata eſt, Rege Sabaudum in ordinem redigente, quòd aditum præbere nollet ad Ducatum Mediolanenſem

Mediolanenſem armis ſubjugandum. Imperator Regem ab incœptis revocaturus, ingenti exercitu Picardiam invadit, Naſſovio interim Tarvannam obſidente; ſed hic nullo facto operæ pretio, Gallis opem ferentibus, ſolvere coactus eſt. Ingenti tunc metu per Campaniam laboratum eſt, Remis præſertim timebatur, ideóque brachiales moletrinæ fabricatæ magno impendio, & latioribus terræ aggeribus muniti introrſum muri, civibus omnibus edicto Senatûs dorſo terram afferentibus. Hoc eodem anno nundinarum immunitati à Ludovico XII. obtentæ, earum præſertim quæ fiunt die feſto S. Magdalenæ, & in octava Epiphaniæ, ſubſidiorum adminiſtri obnitebantur, nihil libertatis mercatoribus linquentes; at rogatus Rex à Remis, exponentibus quid pro ſalute Regni geſſerint ſub deceſſoribus Regibus, litteris datis Bari 22. Aug. anno 1535. prædictæ nundinæ confirmantur. JOHAN. A LOTHA. IXXX. ARCHIEP. *An.* 1536.

Imperatore per Henricum Naſſovium, & Reuxij Comitem excurſiones per Picardiam faciente, à quibus illata pagis, viciſque clades maxima, Rex hunc ad ſuum Parlamentum velut Franciæ beneficiarium, propter Comitatus Flandriæ & Arteſiæ, citat decreto Senatûs Pariſienſis, cui interfuit Johannes Cardinalis Protopar cum aliquot Epiſcopis. Hic, armis proſpere ſuccedentibus in Arteſia, Romam perrexit miſſus à Rege, ut Imperatorem, conquerentem de non ſervato Madriti fœdere, refutaret. *An.* 1537.

Annus 1538. varijs inter Francos & Cæſarienſes bellis exactus, victoriâ nunc in Regem Francorum, aut in Cæſarem minutis prælijs inclinante, donec in ternos menſes pactæ ſunt induciæ, ac paullo poſt ad decem annos, quæ res ſubditis utriuſque Principis adeo jucundè accidit, ut publicè Numini, Diviſque gratias egerint templa ſubeundo. Refert Chron. Remigianum corpus ſanctiſſimi Francorum Apoſtoli amburbali proceſſione delatum fuiſſe cum alijs pretioſioribus Urbis reliquijs, ac repoſitum in ſuum mauſolæum die Jovis prima menſis Martij anni 1537. publicè enim expoſitum fuerat, quò lacrimis exoratus pacem populis tot calamitatibus attritis impetraret. *An.* 1538.

Inquiſitore Fidei Remos tranſeunte, hæreticus quidam convictus capite luit judicio civili, decretum condemnationis è theatro in navi principis Eccleſiæ altiùs erecto publicè recitatum eſt, ad terrorem alijs latentibus incutiendum. Johannes Archiepiſcopus, quem Romam miſſum à Rege vidimus, abdicavit coram Pontifice Remenſem Archiepiſcopatum, quo Carolus à Lotharingia Claudij filius Antonij Ducis Lotharingiæ frater conteſtim donatus eſt, cujus rei Petrus Pineau Vicedominus, & Electi procurator certum fecit Capitulum 26. April. anno 1538. petiítque ut prædictus Carolus vi bullarum apoſtolicarum reciperetur in Adminiſtratorem Sedis Remenſis, quod ingenti lætitia, & gratulatione factum eſt. Sic Johannes quinque tantùm annos rexit, numerando ab inita poſſeſſione ad reſignationem. Sadoletus meminit legationum quas egregiè poſtmodum in Germania explevit, & Gagnæus præfatione in Epiſtolas Pauli ſcholijs à ſe illuſtratas, refert doctrinam Apoſtoli familiariter ei explicâſſe ante ſuſceptam Germaniæ Legationem. Obijt in villa Neuviaci ſupra Ligerim Româ rediens 6. Maij anno 1550 funus delatum apud Joinvillam, tumulatur juxta fratrem à Guiſia Ducem in Eccleſia S. Laurentij, unde tranſlatum poſtea dicitur Nanceïum, ac terræ mandatum apud Franciſcanos.

Viri doctrina celebres qui Remis claruerunt ſub præcedentibus Archiepiſcopis.

SUb finem decimi quinti ſæculi, & initium ſequentis, quo de abroganda Pragmatica ſanctione rumor ubique ferebatur, ſtudia litterarum

JOHAN. A LOTHA. LXXX. ARCHIEP. An. 1538.

rum remitti penitùs cœperunt & langueſcere, quòd inſignioribus viris, & de Eccleſia optimè meritis, aditus non pateret ad honores & Beneficia, ſed aulicis dumtaxat, aut certè rerum forenſium peritis, & negotiatoribus, quò fit ut paucos admodum per longum temporis intervallum commendatione dignos reperiam, & ſi qui forſan generis claritudine aut aliquali doctrina fulſerint, in catalogis Dignitatum Eccleſiæ Remenſis & Abbatum commodius referentur.

Claruiſſe tamen in Academia Remenſi, necdum Univerſitatis jus adepta, comperio Johannem-Ludovicum d'Eſtrebé Rhetorem eximium, & eloquentiam Remis profitentem anno 1500. qui commentarium reliquit in librum Ciceronis *De Oratore* & *Ad Quintum fratrem* Franciſco I. Regi nuncupatum. Hic Pariſijs prælo commiſſus eſt per Michaelem Vaſcoſan anno 1540.

Johannes Vulteius Remus origine, per id quoque tempus floruit, ſed an apud nos litteras profeſſus ſit ignoro; hujus exſtant epigrammatum libri duo impreſſi Lugduni anno 1536.

CAROLUS A LOTHARINGIA LXXXI. ARCHIEP. An. 1538.

Carolus à Lotharingia LXXXI. Archiepiſcopus Urbem ſollemniter ingreditur. Bellum vehementius ardeſcit inter Imperatorem & Franciſcum Regem; at hi poſt exuſtas urbes & pagos redeunt in concordiam.

CAPUT LII.

DE LORRAINE-GUISE comme deſſus, le grand Ecu briſé d'un lambel à trois pendans de gueules.

SI quis virtutem ijs micantem donis, quibus pontificalis dignitas perfectiſſimè completur, umquam eſt aſſecutus, omnino Carolus fuit à Lotharingia, Principum ſui ſtemmatis decus, ſacri Purpuratorum Collegij oraculum, ac ſidus longè refulgens diœceſeos, & provinciæ Remenſis, in quem prædeceſſorum ſuorum decora, inſigniores tituli & prærogativæ inſtar radiorum ſolis confertim adunata, & conjeſta ſimul fuiſſe poſtea dicemus.

Joinvillæo in Campania Principatu naſcitur 17. Febr. anno 1524. patre Claudio à Lotharingia Guiſio Duce primario, Renati Ducis à Lotharingia juniori filio, Antonij Ducis fratre, & Johannis Cardinalis S. Onufrij; matre verò Antonietta Borbonia Franciſci Vindocinenſis Ducis majore natu filia, & Mariæ de Luxemburgo: Maria Jacobi Stuartij V. Scotiæ Regis uxor, Caroli quoque ſoror fuit, in Parthenone Remenſi tumulata; unde altera Maria orta eſt, quæ primùm Franciſco II. nupſit, ab Elizabetha dolo capta in carcerem detenta, ac demum immaniter capite truncata anno 1587. Sic Carolus tot parentum ſplendens honoribus, ad virtutes acutioribus non indiguit ſtimulis; ſed ſua ſponte ad eas animum haud ſegnitet adjiciens, ſuis moribus, velut in ſpeculo expreſſas, poſteris imitandas dereliquit.

Prima ſtudiorum rudimenta Pariſijs poſuit in Collegio Navarræo, ubi ea floreſcere cœperunt ſemina, quæ liberaliter illi à Deo data fuerant; tanta ſiquidem laborum aſſiduitate ſummum ingenium ad grammatices, amœniorúmque litterarum carpendos flores applicuit, ut ijs brevi affatim dives, mox Philoſophiæ ac Theologiæ ſcholaſticæ adyta penetrârit, quibus emenſis, ea ætate ſcientiarum apicem conſecutus eſt, qua alij ſe tirones in ijs profitentur: unde cùm ad myſteriorum arcana ſibi adytum fecerit

annum

Digitized by Google

annum ſextum-decimum agens, meritò ei applicari poteſt quod D. Paulus de Timotheo diſcipulo ſcripſit : *Ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad Fidem in Chriſto Jeſu*, eo vel maximè quòd tanti viri doctrina ijs expers dotibus non fuerit, quæ ad concitandos auditorum animos neceſſariæ ſunt, nec theſauro inviſo ſimilis, cujus Sapiens meminit; ſed inerat ei gratia tantâ ſuavitate auditores perfundendi, ut ob eloquentiam ab Olivario inſigni viro & Franciæ Cancellario velut naturæ prodigium haberetur, nulli omnino inter Oratores ſecundus, juxta anagrammatiſmum ingeniosè ab aliquo repertum.

Carolus a Lotha. LXXXI. Archiep. An. 1538.

2. Tim. 3. D. 15.

Carolus Lotaringus. Orator Gallicus unus.

Paulus V. ſapienter præſagiens, hunc non modò Galicanæ Eccleſiæ, ſed ſtatûs etiam bellorum fluctibus concuſſi columen futurum, ſtatim poſt obitum Roberti de Lenoncourt ad Remenſem Sedem deſtinaverat; at cùm novem tantùm eſſet annorum, Johannes à Lotharingia Cardinalis, Caroli patruus Archiepiſcopatum capeſſivit, quem, eo ad annos pubertatis provecto, lubens abdicat Pontificis aſſenſu, qui & bullas Romæ confici jubet, virtute quarum poſſeſſionem inijt 26. April. anno 1538. onûſque Adminiſtratoris in ſpiritualibus & temporalibus ex diſpenſatione ſuſcepit, anno ſexto-decimo necdum completo.

Conſecrationis munus ſuſcepit in caſtro Jonvillæo operâ Cardinalis de Givriaco Ambianenſis Epiſcopi, ineunte Februario anni 1545. & Maio proximè ſequenti Pallio archiepiſcopali ornatur, tradente id Roberto de Lenoncourt Cathalaunenſi Epiſcopo, Remis in principe Eccleſia; unde paullo poſt ad curiam evocatus, Ordinis S. Michaëlis, tunc in Gallia inſignioris, Cancellariatu à Rege donatus eſt.

Exactis ſubinde menſibus aliquot, animi ſui ſpecimen erga diœceſanos exhibiturus Remos redijt, ingreſſúſque eſt ſollemni & magnifico apparatu 6. Decemb. Tradunt acta capitularia ab Romano Pontifice impetrâſſe, ut quo die Remis inauguraretur, ij veniam criminum obtinerent, qui purgatis ritè conſcientijs ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium in Æde Mariana frequentâſſent, tántámque interfuiſſè populorum multitudinem, ut eam, quamquam ampliſſima ſit, ſuo ambitu continere non potuerit. Sacris expletis, Carolus, Seneſchallis nomine Capituli ſacramentum porrecto libello rogantibus, libenter ſe jura, libertatèſque ſervaturum pollicitus eſt, eodem ferè modo quo die præcedenti Remigianum Monaſterium adiens, Monachis idem poſtulantibus promiſerat. De Vicario deinde, qui diœceſim in abſentia moderaretur, cogitavit : Robertus de Lenoncourt Cathalaunenſis Epiſcopus, Johannis Cardinalis rogatu hoc onus antea ſuſceperat; at eo pariter in Cardinalium album à Pontifice maximo relato, Carolus id muneris Thomæ Cauchon Archidiacono Remenſi commiſit, legitúrque paſſim in actis publicis eo nomine, cum Jacobo Spifamio Univerſitatis Pariſienſis Cancellario, poſtea Nivernenſi Epiſcopo, qui ejurata Fide turpiter ad ſegreges deflexit.

Nulli tunc hoſtiles tumultus Galliam jactabant, quies ubique inducia- *An. 1539.*
rum beneficio, cùm cœptum tumultuari à Gandenſibus, ægre ferentibus ſubſidium vino impoſitum, multáque millia ab Hiſpanis, in nervos belli adversùs Francos ſuſcepti, ſuperioribus annis imperata, per injuriam ſeſe opprimi publicè querentibus, eáque convelli privilegia, quibus à Flandriæ Comitibus donati fuerant. Cúmque imperatum fuiſſet decreto Mechlinienſis Senatûs, ut petitam numerarent pecuniam, ad Franciſcum Gallorum Regem occultè ſcribunt, omnino ſeſe perfecturos uti totus Flandriæ Comitatus ei ſubjiciatur, ſi ſe, ſuáque omnia in ſuam protectionem ſuſciperet : ſed minimè placuit ſapienti admodum Regi & candido, aures tumultuanti

Franciſci I. ingenuitas expers omnis doli & vindictæ.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP.

tumultuanti & inconſtanti plebi accommodare, plus enim valuit apud eum fides induciarum, quàm illatarum à Cæſare injuriarum vindicta, legitimáque extorti ab ipſo Principatûs vindicatio; unde Gandavenſium litteras extemplo ad Cæſarem mittit, unáque retulit ingenuè quæ illi machinarentur. Cúmque frangendis eorum conatibus in Belgium ociſſimè viam capere ſtatuiſſet, opportunum ſibi judicavit ut Belgicos fines citiùs attingeret, per Franciam iter inſtituere, quod Franciſcus Rex candido nimis animo conceſſit, ſpe promiſſionis allectus, quam Cæſar poſtea turpiter elufit. Hoc Regis ingentes non modò penetravit animos; ſed vis contra fas, & jus gentium ſuis Legatis illata per Marchionem Paſcherium, quare mox indictum Cæſari bellum eſt, delectúque habito per Galliam, varias hoſtis ditiones, milite in quinque agmina partito, ſimul aggreditur; Luxemburgum ſcilicet Duce Aurelianenſi Carolo majori natu filio, Claudio Guiſiaco, & Franciſco Borbonio, qui Danvillæum, Iveſium, Luxemburgum, facilè ſibi ſubjecêre; Boloniæ Comitatum, unde præſidia è varijs oppidis à Cæſare poſita Antonius Vindocinenſis ejecit; Italiam Franciſco Borbonio Duce de Enguien, qui Cæſareas legiones in pugna de Serizoles devicit, atque proſtravit. Ob ſubſidia ad hunc apparatum neceſſaria, duplicatæ ſunt decimæ eccleſiaſticæ, petiítque à civibus Remorum Dux Guiſiacus decem millia librarum pro alendis copijs in Luxemburgo: Rex quoque pro exercitu quinquaginta millium hominum, ingentem vim pecuniarum ſibi ab urbibus pendere coegit, Remi 14640 libere contulerunt, ultra munitiones, & victualia horum expenſis in Luxemburgum delata.

An. 1540. *An. 1541.* *An. 1542.*

Præter hæc, Senatus bellum acrius renaſci ſentiens, murorum aggeres altiùs erigi curavit juxta caſtellum portæ Martis, Ragenarij Buiron, & S. Nicaſij, ænea quoque tormenta fabricari, quò Urbs omnibus neceſſarijs munita, hoſtem à mœnibus procul arceret. Ob egregiam in his à civibus navatam operam, Rex magiſtratui conceſſit pro ferendis oneribus, ut vino, quod ſuſpenſâ hederâ minutatim venditur, ſubſidium aliquod imponi poſſet, cúmque id à Clero exigere vellet, decreto Senatûs Pariſienſis liber hic declaratur anno 1544.

An. 1543. *An. 1544.*

Dum Francorum armis Luxemburgum, Hannonia, pleræque aliæ ditiones vaſtantur, Carolus ex Hiſpania in Italiam venit, inde in Germaniam, & quòd ſe imparem Gallorum armis ſentiret, quamvis tota pænè ſibi Europa famularetur, Principes Lutheranos, peſſimo exemplo, in ſocietatem aſcivit, Anglorúmque Regem Henricum, ob putidum chiſma ab Eccleſia licèt reſciſſum, contractíſque undique copijs Lanſrecium juſſit circumveniri; at injecto à Francis in oppidum præſidio, motis ab eo caſtris, Cameracum ſe contulit, ubi in ſumma collis crepidine, qui ad ſolis ortum imminet, validiſſimam ſtruxit arcem, ne Francus eam urbem inſideret, opportuno ad Belgium vexandum loco ſitam.

An. 1545.

Anno ſequenti, magnis ab Electoribus in Francos ſubſidijs impetratis, in Picardiam rurſum movit, & in Campaniam; caſtríſque Deſiderij-Montis oppidum cingit, capítque magnâ Hiſpanorum jacturâ, Renati præſertim Auraïcorum Principis, ſaxi è ruderibus vi bombardæ adacti impetu graviter cæſi, tum ad alia oppida ab Francis eripienda celeriter contendit.

Campaniæ fines per Lotharingiam, & Burgundiam ingreſſus, & ſecundùm Maternam ducto exercitu, Caſtellum S. Theoderici expugnat & diripit. Contigit hoc luctuoſiſſimo tempore, juſſu Regis S. Memmij Baſilicam inſignis ſtructuræ in ſuburbijs Cathalauni ſitam ſolo æquari, ne caſtris hoſtium ibi poſitis Urbi noceret, quam ſe obſeſſurum minabantur; flammis quoque Sparnacum abſumi, Victriacum, Caſtellionem, & alia Briæ oppida, quòd cibis & munitionibus referta uſui eſſe poſſent in Regni pernitiem & exitium, gladio, flammis & hoſtium latè graſſantium excurſionibus,

sionibus, quas haud procul Rex cum lectissimo equitatu contemplabatur. Fœdata gemebat Campania, cùm insignis Franciscanus, qui Cæsari erat à Confessionibus, cuncta hæc haud sine gemitu, nec siccis oculis suspiciens, Principum animos precibus conciliare nisus est, egítque feliciter ut positis odijs apud S. Johannem-de-Vineis in urbe Suessionica per Legatos convenientes, pax inter hos iterum coaluerit 18. mensis Octob. anno 1544. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1544.

Anglus interim in Picardia Boloniam vi ceperat, Monasteriolóque subacta prædabundus, schismaticorum more, per pagos insolentiùs excurrebat, locis sacris perinde ac profanis ignem subjiciens, quò majorem terrorem incuteret; at ingenti pecuniarum summâ oblatâ ab incœptis destitit, & in pacis leges jurat, quam mox secuta est rerum victu necessariarum flebilis penuria, immanísque lues ex caloribus, qui per æstatem omnia torruerant. Henricus Anglorum Rex schismatis auctor, mense Januario anni 1546. è vivis eripitur, & paullo post Franciscus Valesius, quem in obitu ob tria præsertim pœnituisse ferunt; quòd fœdus cum Turca percusserit, terrorem suis hostibus illaturus; quòd eo liberius assentiente Pragmaticæ-sanctionis usus desierit; & quòd pecuniam bello sacro destinatam in profanum usum convertisset. *An.* 1545. *An.* 1546. *Observatio.*

Carolus Henricum II. sacro Oleo imbuit Remis, Romam proficiscitur, fit Cardinalis, obtinet erectionem Pœnitentiariæ in dignitatem ecclesiasticam, diœcesímque quibusdam vallat constitutionibus.

CAPUT LIII.

HENRICUS II. cui viam ad Regnum Caroli fratris primogeniti mors nuper straverat, post ductas splendidè patri exsequias, indictásque preces per omnes Episcopatus scriptis ad eos 17. April. anno 1547. litteris, dedit operam ut sumtuosum erigeretur mausoleum in S. Dionysij, ubi celebris pugna de Marigni in marmore pario sculpta cernitur, tum de Inauguratione cogitans, diem 26. Julij selegit, quæ Sacris operante Carolo Lotharingo Remis eo apparatu & pompa peracta est, quam in Theatro nostro descripsimus, ubi & Parium Franciæ nomina relata sunt, & eorum qui se vades constituerant pro reducenda Ampulla, regia quoque dona Remensi Ecclesiæ data, & Abbatissæ S. Petri pro complendo restauratæ ab ea Ecclesiæ frontispicio, quibus & bullam Pauli III. adjecimus, qua Regi & Proceribus facultas data sumendi jentaculum ante celebrationem Missæ & ceremoniarum sacræ Unctionis; concessáque Indulgentia omnibus, qui ijsdem interfuissent. Hujus videndæ, si quis desiderio teneretur, consulat prædictum librum si voluerit. *An.* 1547.

Carolus inter Purpuratos adscitus est primâ mensis Augusti, diebus quinque ab Inauguratione Regis, quamvis Romæ præsens non esset, in gratiam Henrici recèns in solium provecti, quem sacro Oleo imbuerat, comitatúsque est Parisios, ut jucundo ingressui ejus interesset, ubi maxima omnium ordinum pompa & gratulatione fuit exceptus; mox is mandatum accipit eundi Romam cum Carolo Vindocinensi Sanctonensi Episcopo, dein Archiepiscopo Rotomagensi, quò summo Pontifici filialem obedientiam, à Christianissimis Regibus post susceptum Regni diadema exhiberi solitam, Henrici nomine protestarentur. Antequam ad illud iter se accingeret, petijt à Capitulo Remensi, ut singulis diebus in sacro Missæ

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP.

sacrificio Celebrans collectam recitaret pro felici itineris sui successu, & quamdiu eum contigisset abesse.

Romæ Pileum cardinalitium manibus Pauli III. suscepit 6. Cal. Aug. indito ei primùm Cardinalis Guisij nomine, quòd Guisij Ducis filius esset. Sunt qui dicant Cardinalis Andegavensis nomenclaturam ambivisse, eique obstitisse Regis Christianissimi Legatum, ob rationes fusiùs ab ipsis relatas. Spondanus, qui sacro hunc ostro vestitum refert cum Carolo Borbonio, subnectit quoque Caroli orationem ad Pontificem eodem anno. Johanne Cardinali vivis ablato anno 1550. Lotharingus Cardinalis indigitari voluit, quò à Ludovico fratre Cardinali, Guisio itidem nuncupato, distingueretur. Putant nonnulli mandatum accepisse inducendi Pontificem ad novum fœdus ineundum adversùs Imperatorem, Francis capitaliter infestum.

An. 1547.

Idem Cardinalis Pœnitentiarij officium, quo cathedralis Ecclesiæ Canonici, quandoque verò Regulares S. Dionysij perfuncti fuerant, gradu altiori duxit cohonestandum, ut qui insignitus eo fuisset Pontificis diplomate, discuteret ea peccata, quæ reservare solent Archiepiscopi. Præbendam igitur huic oneri annexuit, patronatus quoque & capellas, quibus gauderet is, qui Pœnitentiarius vocaretur, addito etiam dignitatis ecclesiasticæ titulo. Erectionis litteræ coram D D. Canonicis in capitulo recitatæ sunt 2. mensis Aprilis anno 1548. jura, prærogativas, & locum in choro eidem designandum continentes, quibus anxiè discussis & approbatis, conclusum est ut is post Dignitates locum quidem teneret in choro, non in capitulo. Modum recipiendi pœnitentes sanctiori-hebdomada ex rituali San-Dionysiano decerptum exhibuimus lib. 1. supplem. ad Flod. in quo videre est quàm antiquis Canonibus conformis esset Remensis Ecclesiæ disciplina: in actis capitularibus Hugonem Cadi anno 1300, & Johannem de Barro anno 1481. Canonicos Remenses Pœnitentiarios lego, ceterùm qui hactenus ab erectione hoc officio perfuncti sunt referuntur hoc ordine.

An. 1548.

Jacobus Bridou Doctor Parisiensis anno 1548.
Johannes Cossart Theologiæ Doctor anno 1561.
Johannes le Begue Theologiæ Doctor & Cancellarius Universitatis Remensis anno 1595. exemptus anno 1615.
Petrus Frizon Theologiæ Doctor Parisiensis anno 1620.
Nicolaus Regnault Theologiæ Doctor & Decanus Facultatis Remensis, anno 1630.
Johannes Lallement Theologiæ Doctor anno 1650.

Constitutiones jussu Caroli Cardinalis editæ in diœcesana Synodo anni M. D. XLVIII.

CArolus à Lotharingia diœcesi regendæ admodum intentus, sciens hæretica dogmata in vulgus spargi, sensimque Calvinianam sectam pullulare ob ignaviam Clericorum, aliquótque Pastorum perversos mores, sequentes articulos in lucem edidit, quò deinceps major delectus haberetur eorum, qui in sortem Domini admitti cuperent, Vicarijs suis dans in mandatis, ut sollicitè perlegantur in Synodo, & ab omnibus diligenter observari præcipiantur, horum hîc synopsim damus depromptam ex autographo.

Quinam eligendi ad curam animarum.

An. 1548. » EX memorialibus visitationum præcedentium eligantur ij, qui citra
» omne dubium judicati fuerint, & in grammatica, & in sacris litteris
» sufficienter scientiâ pollere, & in præsenti visitatione inquiratur solum-
» modo de vita, & moribus eorumdem, & maximè si incontinentiæ, aut
ebrietatis

ebrietatis vitio laborent : & ſi bonis litteris boni mores reſpondeant, inſcribantur in catalogo eorum, qui digni fuerunt reperti, quibus cura committatur animarum. « CAROLUS A « LOTHA. « LXXXI. « ARCHIEP. « An. 1548.

Alij autem in præſenti viſitatione examinabuntur ſeparatim ſuper aliquo paſſu Breviarij, primò de grammatica, ſecundò de ſacris litteris, videlicet de articulis Fidei, de Sacramentis, de expoſitione dominicalis Orationis, & expendatur ſcientia, & capacitas ſingulorum.

Diſtribuantur ſacræ unctiones in Eccleſia prope Fontes cum reverentia, ſicuti peractum eſt Calendis proximè præteritis.

Vicarij non baptizent abortivos, quos ſolent parentes ad aliqua pia loca deferre, ut vitam recuperent & baptizentur, niſi certa vitæ indicia oſtenderint per ſe, aut per teſtes fide dignos.

Similiter admoneant Matronas, ſeu obſtetrices, ne in eorumdem Vicariorum abſentia aliter faciant.

Admoneant Curati parentes parvulorum, ne permittant ſuos infantulos lactantes ſecum in lecto dormire, propter periculum ſuffocationis : item & Cuſtodes moneant in prono, ut bene adminiſtrent proventus Eccleſiæ, ac præparent computa ad reddendam rationem receptarum cùm requiſiti fuerint.

Non permittant Vicarij quæſtores verbum Dei populo proponere ; ſed, juxta permiſſionem illis factam ab Ordinario, denuntient populo advenire procuratorem talis, aut talis Sancti, ut populus Sancti auxilium imploret.

Alia ejuſdem anni.

CUm, inter cetera ſollicitæ prælationis, Paſtoriſque boni officia, non infimum locum ſibi vendicare videatur manuum impoſitio, juxta illud Apoſtoli : ***Nemini citò manum impoſueris***, optima ratione reverendiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus noſter ſequentia duxit ſtatuenda, quæ & nos Vicarius ejuſdem præſenti ſynodali conſtitutione ſtatuimus & ordinamus. « 1. Tim. 5. c. 22.

Primò, qui promoveri voluerint, in Quadrageſima & ante medium ejuſdem Quadrageſimæ, Decanis ſuis Ruralibus nomen, genus, & titulum ſub quo promoveri cupiunt, inſinuent, & notificent, ut poſtmodum aliqua ſub hoc à Decanis inquiſitione facta ante tempus conferendorum Ordinum, idem reverendiſſimus per reſcriptum ipſorum Decanorum certiorari poſſit de vita, moribus, ſcientia, & valore tituli promovendorum.

Item & quòd promovendi non priùs ſe examini repræſentent, quàm legitimè docuerint de ſufficienti titulo, ſive eccleſiaſtico, ſive patrimoniali, eòque approbato per præfatum illuſtriſſimum Cardinalem, vel Vicarium ejus, ne quid fraudis in eo committatur.

Promovendi in civitate, aut loco, ubi celebrabuntur ſacri Ordines feriâ quartâ, aut ad minus feriâ quintâ præcedenti ordinationem, compareant, ut per tres dies probentur ante promotionem.

Admoneant Decani nullos ad minores Ordines eſſe promovendos, niſi ſaltem in grammatica ſufficientes reperti fuerint.

Qui verò ad ſacrum Preſbyteratûs Ordinem promoveri voluerint, examinabuntur de Fidei articulis, de præceptis Decalogi, de Sacramentis Eccleſiæ, & de dominicæ Orationis expoſitione.

Item & circa reſidentiam Curatorum jubet illuſtriſſimus Cardinalis, ut omnes admoneantur in generali Synodo, prout nos eoſdem admonemus, ut omnes perſonaliter reſideant in ſuis Beneficijs parochialibus, nullúſque à perſonali reſidentia ſe excuſet, ceſſante legitima cauſa.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. an. 1548.

» Ad inquirendum verò de Vicariorum conſtituendorum loco Curatorum »legitima cauſa, abſentium vita, & moribus, vult idem reverendiſſimus »quòd diſtinguantur per certa intervalla tempora Calendarum, prout »Vicarij generales ejuſdem reverendiſſimi videbunt poſſe ſingulis Calendis »perſonaliter adeſſe, ad examinandam capacitatem eorum, qui ad deſer»viendum ſe præſentaverint, nec non reliquorum omnium Preſbyterorum, »ut annotentur ij, qui potuerint ſubſtitui loco indignorum, ſi qui fuerint »reperti, aut etiam qui potuerint in futurum ad deſerviendum præfici, ut ad »ſuas Calendas convocent omnes Preſbyteros ſive Decanos, tam deſervientes »quàm non deſervientes, paucis tamen relictis, prout viderint expedire.

» Curati legitimè excuſati à perſonali reſidentia provideant de Vicarijs »idoneis, & ſufficientibus, alioquin Vicarius generalis illuſtriſſimi Cardi»nalis idoneos eorum expenſis conſtituet.

» Idem illuſtriſſimus ſtatuit ut nullus ſive ſæcularis ſive regularis præſumat »prædicare in hac diœceſi, aut prædicantem recipere, niſi obtentis litteris »ab eodem illuſtriſſimo, aut ejus Vicario, eiſque viſis & perlectis: dili»genter autem prævidendum erit, ne inſufficientes admittantur, & quòd à »Decanis ſuis, ſi ſæculares fuerint, vel Superioribus aut Præpoſitis Mona»ſteriorum, ſi regulares exſtiterint, obtineant litteras teſtimoniales ſub »ſigillo authentico de probatis eorum moribus, & ſana doctrina.

» Prædicatores moneantur etiam à Vicarijs illuſtriſſimi, ut quando locus »occurret hodiernas hæreſes impugnandi, id ſedulò procurent, maximè in »villis in quibus putabuntur pullulare, & quòd in nullo devient à Fide »à ſacro-ſancta Romana Eccleſia recepta, & articulis à Facultate Pariſienſi »editis, & Chriſtianiſſimi Regis juſſu promulgatis & approbatis.

» Ad hunc finem quilibet Preſbyter habeat dictos articulos Facultatis »Pariſienſis, ut ſciat diſcernere inter ſanam doctrinam, & hæreſes hodiernas.

» Monentur etiam Decani-rurales, ceteríque Vicarij, ut diligenter ob»ſervent prædicatores prædictos in ſuis locis, ne quid contra prædicta »prædicent, & idcirco eorum prædicationibus interſint, & ſi (quòd abſit) »contigerit aliquem contra orthodoxam Fidem prædicare, ſtatim prædicti »Vicarij ſuis Decanis indicabunt, qui inquiſitione facta, tenebuntur Vicarijs »Illuſtriſſimi ſignificare, alioquin Preſbyter, in cujus Eccleſia contra or»thodoxam Fidem prædicatum fuerit, reus pœnæ condignæ ſubjacebit.

» Lectæ & publicatæ fuerunt præſentes ordinationes in aula palatij archie»piſcopalis Remenſis, die craſtino S. Synodi Remis ultimò celebratæ an. 1548. »congregatis ibidem DD. Decanis & Curatis civitatis & diœceſis Remenſis.

Articuli præcedentibus additi poſt luſtratam ab illuſtriſſimo Cardinali diœceſim anno M D. XLVIII.

An. 1548. » CAſus reſervati, ſtatutis ſynodalibus ſint inſcripti.

» Nulli recipiantur ad deſerviendum in hac diœceſi extranei, ſi »Remenſis diœceſis inveniri poſſint.

» Diebus ſeparatis Calendæ celebrentur, ut illis Vicarius domini adſit.

» Videat Vicarius domini, ſi injuncta & imperata in viſitatione per do»minum facta ſint impleta.

» Reſideant Decani, & omnes Curati, niſi ſint privilegiati, & nullus »admittatur ad vicariatum & coadjutionem, niſi qui à domino, aut ejus »Vicario examinatus fuerit.

» Duo habentes Beneficia, ſi in altero eorum reſideāt, ſecundum plu»ries in anno viſitent.

» Eccleſiarum parochialium Cuſtodes, & aliarum pecuniarum in publi»cos uſus convertendarum quæſtores, cogantur quotannis ad normam locorum

locorum Curatis, Majoribus, & Scabinis rationem reddere, de qua Curati chirographo ſuo fidem faciant. "CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1548.

Reſideant omnes Decani-rurales in ſuis decanatibus.

Curati aut Vicarij locorum, in quibus fiunt frequentes peregrinationes, non permittant inſolentias fieri, & nocturnas choreas.

Moneant omnes Curati ſuos parochianos, ne diebus Dominicis & feſtis, durantibus divinis Officijs tabernas frequentent.

Non ſinant Curati in diebus nuptiarum durantibus Veſperis choreas duci.

Diebus Dominicis & feſtis in tota diœceſi Remenſi prohibeantur mercimonia fieri, aut aliud quidpiam curribus vehi, rogentúrque Judices ſæculares, ut inſtitutum publicent, & obſervari procurent.

Curatis prohibetur, ne proprijs ovibus relictis, alias ſuſcipiant regendas.

Unaquæque Eccl. habeat vas ſeparatũ ad Oleum infirmorum recondendũ.

Habeat etiam una quæque Eccleſia tentoriolum quoddam, ad ſacros Fontes tegendos, ne in illis facilè ſordes labi poſſint.

Mendicantes autem Religioſi hujus diœceſis nullos admittant ad pœnitentiæ Sacramentum, & Euchariſtiæ communionem, ſine Parochi permiſſione, & quos admiſerint conſcribant, & Parochis referant.

Fiat ſtatutum de Sacerdotibus bis eadem die celebrantibus.

Omnes Preſbyteri aliarum diœceſum, qui poſt examen gnari reperti fuerint, recipiantur in hac diœceſi.

Alij item articuli anni M D. XLIX.

NOs Carolus miſeratione divina ſanctæ Cæciliæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis de Guiſia nuncupatus, Archiepiſcopus Dux Remenſis, primus Par Franciæ. Per hæc, quæ ſequuntur in congregatione Cleri Remenſis, per nos Remis facta 22. die Aprilis anno Domini 1545. duximus ſtatuenda, obſignaríque præcipimus. *An. 1549.*

Primò revocamus omnes gratias de non reſidendo per nos, ſeu Vicarios noſtros antea conceſſas, ordinamúſque ut omnes Curati perſonaliter deſerviant in ſuis Eccleſijs, niſi à Jure excuſentur, nec liceat Vicario noſtro quemquam à reſidentia eximere.

Reſideant etiam omnes Decani-rurales, ſeu Archipreſbyteri in ſuis decanatibus, & officio ſuo debitè ſatisfaciant; ſi qui noluerint reſidere, admoneantur, & eorum loco idonei præficiantur.

Idem fiat de Decanis, qui per nos in viſitatione noſtra reperti, ac judicati fuerint inſufficientes, & in eorumdem inſtitutionibus non omittatur clauſula, quòd prædicti poterunt ad nutum revocari.

Sic diſtinguantur tempora Calendarum, ut ſingulis Calendis aliquis Vicariorum noſtrorum poſſit adeſſe.

Examinentur in his Calendis omnes Curati, & non idoneis dentur ſufficientes adjutores.

Si qui etiam Vicarij non reperiantur idonei, loco illorum ſufficientes ponantur expenſis Curatorum; niſi ijdem Curati infra triennium ſibi præfigendum, alium ſufficientem præſentaverint.

Non liceat Curatis, aut Vicarijs prædictis, in adminiſtrandis Sacramentis cujuſque Sacerdotis operâ uti, niſi fuerit per Vicarios noſtros examinatus, & approbatus.

Prædicto Vicario noſtro non liceat cuilibet dare litteras dimiſſorias, niſi Beneficiatis, quos tempus à Jure præſcriptum ad ſuſceptionem ſacrorum Ordinum coartabit, idémque præmiſſo examine.

Idem Vicarius noſter die Martis ſingulis hebdomadis convocet in domo ſua venerabiles & diſcretos viros Magiſtros, Johannem Blavier, Jacobum Bridou, Johannem Tiercelet ſacræ Theologiæ Profeſſores; Guillelmum Noblin *Quorum opera & conſilio illuſtriſſ. Cardin. utebatur in moderanda diœceſi.*

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1549

„ Noblin alterum Officialium noſtrorum, Johannem Girard Sigilliferum
„ noſtrum, & Johannem le Jeune Promotorem noſtrum, ad tractandum de
„ negotijs Archiepiſcopatûs noſtri in ſpiritualibus maximè, præſente domino
„ Pontio Comite Secretario noſtro, qui omnia ab eis concluſa redigat dili-
„ genter in ſcriptis. In negotijs verò temporalia concernentibus advocen-
„ tur Ballivius & Procurator noſter.
„ Convocationem Concilij noſtri faciat modo prædicto in abſentia Vica-
„ rij noſtri generalis Magiſter Johannes Blavier eidem ſubſtitutus.
„ Datum ut ſupra.
„ Ita ſtatuimus, & ſupradicta volumus obſervari.
„ CAROLUS CARDINALIS GUISIUS

De hæreſi Calviniſtica, Caroli ſtudium ne virus per ſuam diœceſim pullulet.

CAPUT LIV.

HÆRESIS abyſſi fetus inter funeſtas diſſidiorum furias latenter ſerpens, animos tot hominum infecerat, ut vix hoc tempore ulla civitas eſſet in Gallia expers illius veneni : horum rabies exſecrandis in ſacro-ſanctum Miſſæ ſacrificium blaſphemijs & ſugillationibus primùm emicuit, quibus regiæ Urbis compita fœdè conſpurcata ſunt anno 1534. ex Tilletio ; at paullo poſt Calvino apud Genevenſes erecto principatu, ſcriptis ad ſymmiſtas libellis, audacioribus facem addidit ad atrociora perpetranda.

Impurus hic hæreſiarcha ortu ſuo provinciæ Remenſi putidam notam inuſſit, quem tamen in gremio pubeſcere non paſſa, velut monſtrum longiùs excuſſit. Noviomi natus eſt anno 1509. patre Gerardo Cauvino, pagi qui Pons-Epiſcopi dicitur accola, ubi reſtabant adhuc infauſta paternæ domûs rudera, quæ Alexander de Medicis, ſummus deinde Pontifex nomine Leonis XI. hàc tranſiens, velut ſerpentis antrum, ſpectare voluit, cùm Vervinum pergeret, ubi eo præſente pax inter Galliarum & Hiſpaniæ Reges coaluit. Gerardus Calvini pater Notarius erat apoſtolicus, & fiſci Procurator Noviomenſis Comitatûs, præcipua ei cura fuit quoquo modo filijs comparandi Beneficia eccleſiaſtica, nihilque prætermiſit laboris & induſtriæ, quæ in ipſo maxima erat, quò maturiùs id perficeret. Johannes Calvinus Capellaniâ donatus eſt ætate quindecim annorum, ſtatimque Pariſios conceſſit ad ſtudia litterarum, quibus vividum ingenium ſeriò applicuit, poterátque ſibi nomen bonum comparare, niſi aliò malignè detorſiſſet, cùm ipſe commentarium in librum Senecæ de *Clementia Principis* à ſe editum Abbati S. Eligij Noviomenſis nuncuparit annum agens vigeſimum ſecundum. Factus Paſtor Eccleſiæ de Marteville anno 1527. cùm necdum eſſet octodecim annorum, permutavit cum Cura Pontis-Epiſcopi, de cura gregis minùs ſollicitus, quàm de reditu, quo ad fordes abutebatur. Inita deinde familiaritate cum Sacramentarijs, quorum hæreſes ſenſim ſerpebant, facilè horum colloquio corruptus eſt, ſpéque nomen aliquod inter hos adipiſcendi, vendidit Beneficia ſua & patrimonium, criminis horrore, ut fertur, cujus ipſe convictus fuerat, & in Germaniam, fortunæ (ſi quam propitiam inveniret) ſe promittens, abijt, mox in Italiam, peragratiſque alijs regionibus, Genevam ſe recepit, ubi ſolio ſui principatûs erecto, inſignis prophetæ nomen haud ita poſt acquiſivit.

Mirum

Mirum eſt quomodo Noviodunum, ubi lucem hauſerat, & circumjacentes pagos hæreſeos lue non infecerit; nam præter aliquot è propinquis quos ſecum traxit, ac Præfectum, Civilem vocat Vaſſorius, ferè omnes utriuſque ordinis in avita religione perſtiterunt, ſtudio & pietate venerabilis Capituli ad diœceſis conſervationem ſedulò incumbentis, abſente Epiſcopo rebus alijs intento, per id temporis, quo dentibus Luporum oves patebant. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1549.

Calvinus per emiſſarios nihil reliqui fecit, quò libellis in vulgus ſparſis curioſos toxico hæreſeos imbueret; quidam ex pertinacioribus fanatico furore abrepti, ea nocte quæ vigeſimum diem Auguſti anni 1547. præceſſit, Crucifixum è minori cœmeterio Eccleſiæ S. Martini refixerunt, eúmque per lutum pertractum, ac impiè pedibus conculcatum, infami cippo juxta mercatum ignominioſè affixerunt; idem ab his perpetratum legitur anno ſequenti erga imagines Sanctorum, Deiparæ præſertim, & anno 1551. produnt annales prædictæ Urbis, ad tot exſecrandorum facinorum expiationem, à Clero indictum fuiſſe jejunium, publicáſque ſupplicationes, quibus plebs flebili voce ac cereis accenſis præ manibus, Dei miſericordiam imploraret.

Caroli Cardinalis præſentia multùm profuit, ne plerique Remis lue Calviniſtica inficerentur, erant enim qui ad nova dogmata proniùs aures accommodabant; alij ex conſortio cum ſectarijs, aut libellorum lectione nutare videbantur. Seniorum relatu accepi quoſdam abijſſe foras, ut inter ſe conventicula agerent, nonnullos ſecus S. Nicaſium in cretarijs fodinis, vel procul ab Urbe in pago de Varmeriville, at ne virus hæreſeos longiùs ſerperet in perniciem animarum, de purgandis animarum ſordibus verâ pœnitentiâ ſeriò admonet illuſtriſſimus Cardinalis, quò Deus lacrimis flexus & orationibus, imminens periculum ab eis amoveret. Sollemnis igitur ſupplicatio indicta eſt die ſancto Pachæ (quam poſtea obtentis à Sede apoſtolica Indulgentijs, ut deinceps ſingulis annis fieret annuo cenſu collato, inſtituit) quibuſdam ſuæ familiæ baldachinum ferentibus, & die ſequenti convocato Clero dixit apud ſe ſtatuiſſe totam diœceſim ſancitis legibus ad veterem normam revocare, ob id à ſancta Sede cùm Romæ ageret erectionem Univerſitatis obtinuiſſe, in qua excolerentur juvenes ad omnes ſcientias ſub Magiſtris à ſe deſignandis, quorum operâ uti poſſet ad decus, & reformationem ſuæ provinciæ. Tum Pariſios profectus, generali Procerum ſupplicationi interfuit, in eumdem finem à Rege indictæ, in qua detulit ipſe ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, auditíſque quorumdam ſuſurrationibus de religione liberiùs emiſſis, & avidè ſuſceptis, ut Francorum animi ad res novas proni ſunt, & ultra quàm dici poteſt curioſi, ingens malum portendi auguratus eſt, præſertim cùm in urbe principe conventicula fierent, confeſtímque Remos redijt, & ingreſſus capitulum longa concione peroravit, dixítque Deum enixiùs votis interpellandum pro unione Principum Catholicorum adverſus ſuccreſcentes hæreſes. Publicæ mox indictæ ſunt ſupplicationes per omnes Urbis Eccleſias, quibus ipſe frequens interfuit, timebat enim ne lupina rabies gregem ſuum invaderet. Auditis de obitu Pauli III. nuntijs Romam perrexit, ut præſens eſſet electioni Julij III. ſucceſſoris, tum in Galliam reverſus Claudij patris Campaniæ Proregis exſequias celebravit, exempti menſe Aprili anno 1549.

Hoc anno Bolonia Francis ab Anglo reddita eſt, páxque inter eos coaluit, quæ longam quietem polliceri videbatur; at necdum ad miſeriarum extrema ventum erat, adhuc enim Galliam ſceleribus conſpurcatam graviores manebant; ſiquidem mox inter Julium III. & Henricum II. ſimultas exarſit, minatúſque eſt Pontifex Galliæ Sacris interdicturum, quòd Octavianum Farneſium Ducem Parmenſem protegendum ſuſcepiſſet, odio Imperatoris tum cum Julio fœdere amicitiæ arctiſſimè conjuncti: ſic ex An. 1548.

levi

CAROLUS A LOTHA. IXXXI. ARCHIEP.

levi ſcintilla magnum incendium exoritur. Prohibet Henricus ne aurum, vel argentum è Gallia Romam deferatur, reclamátque adverſus Tridentini Concilij deciſiones, quòd Papa & Imperator Gallis infeſti eſſent : duplicem deinde ſacerdotio decimam imponit, jubétque Epiſcopos ad Synodum, quò per capita diſtributa citiùs exigatur.

An. 1549. Regiæ juſſioni obtemperans Carolus Cardinalis cathedralium Eccleſiarum deputatos cum Epiſcopis & Abbatibus Remos ob id venire admonet, laudátque coram eis Capituli Remenſis conſilium & pietatem in ſummi altaris fabrica ſumtuoſiùs erigenda, quæ ex ligno auro illita hactenus tantùm fuerat, ad eam ſumtus quoque conferre voluit, quò nihil ad magnificentiam deſideraretur. Ex marmore Leucopio integra conſtat, cubi figuram referens, cujus angulos tegunt columnæ cum capitellis quæ opertorium ſuſtinent, ſupra ſoculamentum eminet Virginis iconi recipiendæ diſpoſitum, & infra gentilitium inſigne Cardinalis ; opus quidem exquiſitum, ſi materiam ſpectes, at pro amplitudine templi haud ſatis erectum in ſublime : ſunt qui editius debuiſſe fieri dicant, lateráque habere arcuatim extenſa à poſterioribus columnis hinc inde poſitis ad pilas Eccleſiæ. Paulus Grandroux Scholarcha Remenſis argenteam tabulam dedit, lapillis è theſauro Eccleſiæ depromptis ornatam, ubi Cœna Domini ſculpta cernitur, poſitáque inter anteriores columnas medium altaris occupat.

An. 1550. Per id quoque tempus S. Remigij Abbatia menſæ archiepiſcopali unitur, Cardinale de Lenoncourt Commendatario ultro conſentiente ; at quòd hæc unio tolerata potiùs fuerat & gratioſè collata, quàm ſolito more diſcuſſa, inquit Chopinus, poſtmodum irrita fuit, ut alibi diximus. Pontifex in Cardinali vividum agnoſcens ingenium & propenſum in res ſacras, ei velut præſtantiori Eccleſiæ columnæ nihil denegare poterat, unde Univerſitatem Remis inſtituendi, Rege annuente, licentiam facilè conceſſit, quæ doctorum virorum matrix, diœceſi adverſùs Calviniani dogmatis ſatores conſervandæ multùm profuit, quamvis haud procul latibula eſſent, ſintque adhuc, ubi viget hæreſis, palámque caput attollit.

Academia quatuor conſtans Facultatibus Remis inſtituitur.

CAPUT LV.

UT excelſi ingenij virum maxima delectant, & illuſtria (habet enim hoc magnarum rerum ſpecies ut, ad ſe provocet & alliciat) ſic Carolus Cardinalis, quem celebris legatio Romæ detinebat anno 1547. ſublimia quæque volvebat animo, gradus, titulos, honores, quibus Sedem Remenſem exornaret. Etenim cùm ſatis animadverteret novâ Remis conſtitutâ Academiâ multorum juvenum ſaluti cautum fore, quos per varias Galliæ urbes inſperſus ab Magiſtris hæreſi corruptis error tranſverſos ageret ; ignaris civibus, apud Romanum Pontificem nomine Chriſtianiſſimi Regis inſtitit, ut eam permitteret ſtudiorum Univerſitatem erigi, eámque ſolitis ornaret privilegijs. Et ut Academiæ natales altiùs repetam, ſancitum reperio, & quidem Remis ſub Eugenio III. B. Bernardo inſtigante, de reſtituendis ſtudijs in primarijs Galliæ urbibus, quæ bellorum civilium acerbitate, & Clericorum ſocordiâ ab ijs pridem exſulabant : at ſalubre hoc conſilium apud nos, licèt de Remorum ſcholis præſertim actum fuiſſet, exſecutioni mandatum non eſt, Archiepiſcopis aliò mentem avocantibus, aut religioni priſtino nitori reſtituendæ potiùs intentis, quàm ſtudijs inſtaurandis, è quibus multùm detractum arbitror inſignium virorum

ſeceſſu

ſeceſſu intra Monaſteriorum ſepta, qui ſuſcepto Religionis habitu, vitæ ſolitariæ delitias ſcientijs præferentes, vacuas ſcholarum exhedras relinquebant. Tanti propoſiti gloria Henrico Regi Chriſtianiſſimo, & Caroli purpurati pontificij viri excellentis ingenij debebatur induſtriæ, qui nihil prætermiſit, quantùm facere, enitique potuit, quin ea ſtudia in altiſſimo gradu collocaret, ſumta occaſione litteratorum animos adhibitis præmijs ad labores pellicendi, quæ Univerſitatibus annexæ ſunt: litteratorum enim vulgus ſine ſucco & calore areſcit, ſi ſtatim pluvia aurea, vel præmij & honoris dignatio non ſequatur, quam bulla erectionis à Paulo ſummo Pontifice, octavo Idus Janu. anno 1547. conceſſa luculenter exponit his verbis.

Paulus Epiſcopus Servus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

IN ſupereminenti apoſtolicæ Sedis ſpecula, meritis licèt imparibus, diſponente Domino conſtituti, & intra mentis noſtræ arcana revolventes, quantùm ex litterarum ſtudijs catholica Fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoſcatur, & juſtitia colatur, ad ea per quæ litterarum ſtudia ubilibet excitentur, & humiles perſonæ eis incumbere deſiderantes id efficere poſſint, libenter intendimus, & in ijs noſtræ ſollicitudinis partes propenſiùs impartimur, prout pia catholicorum Regum, & Prælatorum eccleſiaſticorum præſertim ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium vota expoſcunt, nóſque, qualitate locorum penſata, in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sanè pro parte cariſſimi in Chriſto Filij Henrici Francorum Regis Chriſtianiſſimi, & dilecti Filij noſtrorum Caroli tit. Sanctæ Cæciliæ Preſbyteri Cardinalis de Guiſia nuncupati, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm Civitas Remenſis (in qua Chriſtianiſſimi Francorum Reges ſibi cælitus miſſum ſanctæ Unctionis, & curandorum languidorum munus, à pro tempore exiſtente Archiepiſcopo Remenſi ſuſcipiunt, & diademate regio coronantur, & in qua præfatus Henricus Rex munus prædictum à præfato Carolo Cardinali, qui etiam Eccleſiæ Remenſi ex diſpenſatione apoſtolica præeſſe dignoſcitur, & illius ratione Dux Remenſis, & primus Par Franciæ, ac dictæ Sedis Legatus-natus exiſtit, munus prædictum devotè ſuſcepit, & dicto diademate coronatus fuit) in regione admodum amœna & ſalubri conſtituta, ac amplis & ſpatioſis domibus repleta, necnon antiquitate nobilis, & temperie aëris, ac fertilitate agrorum, & copia Clericorum ac multitudine populi inſignis, diverſíſque celeberrimis, & præclaro opere conſtructis templis, ac tam virorum, quàm mulierum Monaſterijs ornata, & denique rerum omnium, quæ ad politicam vitam & victum humanum pertinent, copioſa & in ea vnum amplum & inſigne Gymnaſium ſeu Collegium conſtructum exiſtat: tam Henricus Rex, quàm Carolus Cardinalis præfati, non ignorantes, quantùm chriſtianæ Reipub. & Fidei orthodoxæ conducat, ut militans Dei Eccleſia viris litterarum ſcientiâ præditis, quorum opera æquum ab iniquo diſcernatur, lux veritatis ubique protendatur, & illam obumbrare nitentes diſſipentur, ubique locorum abundet: cupiunt ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac glorioſæ ejus genitricis ſemper virginis Mariæ honorem & reverentiam, necnon ipſius militantis Eccleſiæ exaltationem, & populorum tam dictæ Civitatis, quàm totius regni Franciæ, & Ducatûs Lotharingiæ ac Provinciæ Treverenſis, aliarúmque eidem Civitati circumvicinarum partium commodum & utilitatem, Univerſitatem ſtudij generalis in eadem Civitate erigi & inſtitui. Quare pro parte Henrici Regis, & Caroli Cardinalis prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum ut in eadem Civitate Univerſitatem ſtudij generalis in Latinis & Græcis, ac Hebræis & Caldæis

An. 1547.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1550.

»litteris, necnon Artibus, & naturali ac morali Philoſophia, & Theologia, »Canonicóque & Civili Juribus, necnon Phyſica & Medicina, ac alijs libe- »ralibus diſciplinis, & quibuſlibet licitis Facultatibus, ad inſtar Pariſienſis, »& aliarum dicti Regni Univerſitatum ſtudiorum generalium erigere, & in- »ſtituere, aliiſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate apoſtolica »dignaremur. Nos igitur pium & laudabile ipſorum Henrici Regis & Ca- »roli Cardinalis deſiderium in Domino plurimum commendantes, præfatum »Henricum Regem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & inter- »dicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à jure vel ab ho- »mine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus »exſiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie »abſolventes, & abſolutum fore cenſentes: hujuſmodi ſupplicationibus in- »clinati, Univerſitatem ſtudij generalis in Latinis, & Græcis, ac Hebræis & »Caldæis litteris, necnon Artibus, & naturali ac morali Philoſophia, & »Theologia, Canonicóque & Civili Juribus, necnon Phyſica & Medicina, »ac alijs liberalibus diſciplinis, & quibuſlibet licitis Facultatibus, ad inſtar »Pariſienſis, & aliarum Univerſitatum prædictarum, auctoritate apoſtolica, »tenore præſentium erigimus, & inſtituimus: ac eidem ſic erectæ & inſtitutæ »Univerſitati, illiúſque pro tempore exſiſtentibus Rectori, Magiſtris, Doc- »toribus, Lectoribus, Præceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus, Bidellis, »Nuntijs, & alijs Officiarijs, ac perſonis, membris & ſubditis, quòd »omnibus & ſingulis privilegijs, indultis, libertatibus, immunitatibus, exem- »ptionibus, favoribus, gratijs, prærogativis, honoribus, & præeminentijs »Pariſienſi, & alijs Univerſitatibus ſtudiorum generalium Regni hujuſmodi, »illarúmque pro tempore exſiſtentibus, Rectori, Magiſtris, Doctoribus, »Lectoribus, Preceptoribus, Scholaribus, Studientibus, Procuratoribus, »Bidellis, Nuntijs, & alijs Officiarijs, ac perſonis, membris & ſubditis in ge- »nere, vel in ſpecie, tam apoſtolica prædicta, quàm Regia auctoritatibus, aut »alijs quomodolibet conceſſis, ſeu legitimè præſcriptis, ac in poſterum con- »cedendis & præſcribendis, ac quibus illæ, & illi utuntur, potiuntur & gau- »dent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum uti, »potiri, & gaudere: necnon his qui in dicta ſic erecta Univerſitate, aut alibi »per tempus debitum ſtuduiſſe, ac ſcientia & moribus idonei eſſe comperti »fuerint, in Artibus, & Philoſophia, ac Theologia, & Juribus, necnon Phy- »ſica & Medicina, ac alijs diſciplinis & Facultatibus prædictis, Baccalaurea- »tûs etiam formati, & Licentiaturæ, ac Doctoratûs, & Magiſterij gradus, à »præfato Carolo Cardinali, & pro tempore exſiſtente Præſule ceu adminiſ- »tratore dictæ Eccleſiæ Remenſis aliàs juxta Concordata dudum inter claræ »memoriæ Franciſcum Francorum Regem & Sedem prædictam inita, ac »ipſius ſic erectæ Univerſitatis deſuper, per dictum Carolum Cardinalem »condendas conſtitutiones, obſervatis alijs modis, formis & temporibus in »eiſdem Concordatis expreſſis, recipere & ipſorum graduum ſolita inſignia »ſibi exhiberi facere, & poſtquam gradus hujuſmodi receperint, & illorum »inſignia eis, ut præfertur, exhibita fuerint, Facultates in quibus promoti »fuerint legere & interpretari, ac in eis diſputare, necnon quoſcumque actus »gradui, ſeu gradibus per eos receptis convenientes exercere, alijſque omni- »bus & ſingulis privilegijs, gratijs, favoribus, prærogativis & indultis, qui- »bus alij in Pariſienſi & alijs Univerſitatibus Regni hujuſmodi juxta illarum »conſuetudines & mores ad gradus prædictos promoti, de Jure vel conſuetu- »dine aut aliàs utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere »poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere, ac ab Univer- »ſitate ſtudij generalis Remenſis hujuſmodi omnibus & ſingulis venerabili- »bus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filijs Abba- »tibus, Prioribus, & alijs in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis perſonis,

eorúmque

corúmque Conventibus,& Capitulis, ac alijs ordinarijs collatoribus, ſeu per- « CAROLUS
ſonas idoneas ad Beneficia eccleſiaſtica præſentandi, vel nominandi, aut « A
perſonas ipſas in illis inſtituendi jus habentibus, ad Beneficia graduatis ſim- « LOTHA.
plicibus & nominatis ac debitè inſinuatis, in menſibus in eiſdem Concorda- « LXXXI.
tis expreſſis debita & affecta,nominari,ſeu etiam illis juxta eorumdem Concor- « ARCHIEP.
datorum continentiam & tenorem, debitè inſinuari, liberè & licitè valeant « An. 1550.
& debeant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi gradus ipſos in Pariſienſi, «
ſeu alijs Univerſitatibus ſtudiorum generalium regni hujuſmodi, juxta Con- «
ſtitutiones & mores prædictos ſuſcepiſſent. Necnon CAROLO Cardinali, «
& pro tempore exſiſtenti Præſuli, ſeu adminiſtratori Eccleſiæ Remenſis «
hujuſmodi, quod ejuſdem Univerſitatis Remenſis alumnos & Scholares, ad «
pro tempore exſiſtentis ipſius Univerſitatis Rectoris atteſtationem, aliàs «
juxta modum, formam, & conditiones eiſdem Concordatis, & ſuper hoc «
editis regijs ordinationibus contentos & expreſſos matriculare, ac pro ſa- «
lubri dictæ Univerſitatis Remenſis directione & conſervatione, ac Rectoris, «
Magiſtrorum, Doctorum, Lectorum, Præceptorum, Procuratorum Bidel- «
lorum, Nuntiorum, & aliorum Officiariorum Univerſitatis hujuſmodi ele- «
ctione, nominatione, inſtitutione, & quavis alia proviſione, ac Scholarium «
manutentione, quæcumque Statuta & ordinationes, licita & honeſta, ac «
ſacris Canonibus non contraria facere & edere, ac pro rerum, temporum, «
& perſonarum qualitate & varietate, mutare, corrigere, & reformare, ſeu & «
illa caſſare, alia de novo condere, ac ſuper illorum obſervatione quaſcum- «
que pœnas imponere: quæ poſtquam facta, edita, mutata, correcta, & «
reformata, ſeu de novo condita fuerint, eo ipſo, apoſtolica authoritate præ- «
dicta, confirmata, & approbata eſſe cenſeantur: & juxta eorum diſpoſi- «
tionem, ſublata quavis aliter judicandi facultate, judicari debeat, ac quic- «
quid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter «
contigerit attentari, irritum & inane decernere: necnon per ſe, vel ſuum «
in dicta Eccleſia Remenſi in ſpiritualibus Vicarium generalem, in ipſius «
Univerſitatis Rectorem, ac omnes & ſingulos Magiſtros, Doctores, Lecto- «
res, Præceptores, Studentes, Scholares, Procuratores, Bidellos, Nuntios, «
& alios Officiarios, ac perſonas alumnos & ſubditos, tam ſæculares, quàm «
quorumvis ordinum regulares, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, digni- «
tatis, & præeminentiæ exſiſtant (etiamſi exempti & eidem Sedi imme- «
diatè, aut alteri Prælato ſubjecti ſeu alienæ diœceſis fuerint) omnimodam «
tam civilem, quàm criminalem, & mixtam juriſdictionem: in ſibi ſubditos «
videlicet ſua ordinaria, in exemptos verò, ſeu alienæ diœceſis, eadem apo- «
ſtolica auctoritate exercere, eóſque viſitare, reformare, & corrigere, ac «
errantes punire & caſtigare: ac citra præjudicium privilegiorum Magiſtri «
Scholarium dictæ Eccleſiæ Remenſis, quibus ad præſens vtitur tantùm, & «
illis in ſuo robore permanentibus, ipſius Univerſitatis Rectorem, Magiſtros, «
Doctores, Lectores, Præceptores, & alios officiarios eligere, ſeu eorum ele- «
ctiones alijs committere, eáſque poſtquam factæ fuerint, confirmare & «
approbare, ſeu etiam alijs confirmandas & approbandas committere: «
necnon quos, ut præfertur, ſtuduiſſe, ac vita & moribus idoneos eſſe con- «
ſtiterit, ad gradus prædictos cum rigoroſo examine: & ijs quibus alumni «
Univerſitatis Pariſienſis in illa, à pro tempore exſiſtente Cancellario Eccle- «
ſiæ Pariſienſis promoventur, ac alijs per ipſum Carolum Cardinalem, ſi «
videbitur, de novo ſtatuendis modo, forma, & conditionibus promovere: «
omniáque & ſingula alia in præmiſſis, & circa neceſſaria facere & exſequi «
ac ad præmiſſa omnia, vices ſuas moderno, & pro tempore exſiſtenti ſuo «
in dicta Eccleſia Remenſi in ſpiritualibus Vicario committere liberè & licitè «
valeat auctoritate & tenore præmiſſis, concedimus & indulgemus. Ipſúmque «
Carolum Cardinalem, & pro tempore exſiſtentem dictæ Eccleſiæ Remenſis «

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1550.

„Præſulem, ſeu adminiſtratorem, Conſervatorem ejuſdem ſic erectæ „Vniverſitatis, illiúſque perſonarum quarumlibet, ac privilegiorum & indultorum apoſtolicorum, illi, ejúſque Rectori, Magiſtris, Doctoribus, „Lectoribus, Præceptoribus, Studentibus, Scholaribus, Procuratoribus, „Bidellis, Nuntijs, & alijs Officiarijs, ac perſonis alumnis & ſubditis pro „tempore conceſſorum, cum eiſdem facultate, auctoritate, & juriſdictione, „quas privilegiorum & indultorum apoſtolicorum dictæ Univerſitati Pari„ſienſi conceſſorum, Conſervatores, tam apud ſanctam Genovefam, quàm „apud Sanctum Mathurinum habent, & habere poſſunt, etiam perpetuò „conſtituimus & deputamus. Ac ut Magiſtrorum, Doctorum, Lectorum, „& Præceptorum Vniverſitatis Remenſis hujuſmodi laboribus conſulatur, „& pauperibus Scholaribus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, ſub„veniatur, quòd tredecim eleemoſynæ, paupertates nuncupatæ, in Eccleſia „ſeu Civitate Remenſi hujuſmodi fundatæ, & tredecim pauperibus con„cedi ſolitæ, ac diverſa ſimplicia Beneficia eccleſiaſtica, Patronagia nun„cupata, ad ipſius Caroli Cardinalis & pro tempore exſiſtentis Archiepiſ„copi Remenſis collationem, & quamvis aliam diſpoſitionem ſpectantia, „Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, & Præceptoribus, ac pauperibus Scho„laribus hujuſmodi afficiantur, & perpetuò affecta eſſe cenſeantur, eiſque, „& non alijs ad tempus, per ipſum Carolum Cardinalem ad hoc ſtatuen„dum conferri, ſeu concedi poſſint: & ſi illa non ſufficiant, etiam fructus, „reditus & proventus duarum Canonicalium Præbendarum ipſius Eccleſiæ „Remenſis, ad collationem & proviſionem, ac quamvis aliam diſpoſitio„nem ipſius Caroli Cardinalis, & pro tempore exſiſtentis Archiepiſcopi Re„menſis ſpectantium, eiſdem Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, & Præ„ceptoribus, ac pauperibus Scholaribus (ita tamen quòd propter hoc, „ipſius Eccleſiæ Canonici perpetuò non afficiantur, ſed tamdiu fructus, re„ditus & proventus prædictos percipiant, quamdiu eorum officio docendi & „legendi, ſeu ſtudendi inſtiterint, aut aliud deſuper per ipſum Carolum „Cardinalem, aut pro tempore exſiſtentem Archiepiſcopum Remenſem „ordinatum fuerit) concedi poſſint. Quódque omnes & ſinguli in diœ„ceſi Remenſi conſtituti Abbates, Priores, & alij quorumcúmque Mo„naſteriorum, & aliorum regularium locorum quorúmvis, etiam Mendi„cantium, ordinum Prælati & Superiores, qui ex fundatione vel ſtatuto, „aut aliàs decem & ultra unum, & qui viginti, aut triginta Religioſos ſeu „alias perſonas eis ſubditos vel ſubditas habent, ſeu habere deberent, duos „ex Religioſis ſeu ſibi ſubditis perſonis hujuſmodi, ad eamdem Vniverſita„tem Remenſem mittere, ac eis pro victu & veſtitu ac alijs neceſſarijs tan„tum, quantum illis in eorum Monaſterijs ſeu alijs regularibus locis mini„ſtrari conſuevit, impartiri: & ubi id quod eis in Monaſterijs & regulari„bus locis prædictis miniſtratur, non ſufficiat, id quod per dictum Carolum „Cardinalem, ſeu pro tempore exſiſtentem Archiepiſcopum Remenſem ſta„tutum & ordinatum fuerit, erogare teneantur. Et ad ea omnia, etiam „ſub ſententijs, cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, aliiſque opportunis juris & „facti remedijs, quacumque appellatione remota, invocato etiam ad id (ſi „opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis, cogi & compelli poſſint, perpetuò „ſtatuimus & ordinamus. Quocirca dilectis filijs Abbati Monaſterij de „Flavigneïo Eduenſis Diœceſis, & Vicedomino Remenſi, ac Reginaldo „Pyroti Metenſium Eccleſiarum Canonico, per apoſtolica ſcripta man„damus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu „alios, litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando „opus fuerit, ac quoties pro parte Henrici Regis, & Caroli Cardinalis „prædictorum fuerint requiſiti, ſollemniter publicantes, eiſque in præmiſſis „efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra omnia & ſingula

ſingulâ præmiſſa inviolabiliter obſervari: ac Rectorem, necnon Magi- "Carolus
ſtros, Doctores, Lectores, Præceptores, Studentes, Scholares, Procura- " A
tores, Bidellos, Nuntios, & alios officiarios, ac perſonas, alumnos & ſub- "Lotha.
ditos prætatos, ac alios quos dictæ litteræ concernunt, præmiſſis omnibus" lxxxi.
ac eiſdem litteris pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos, aut eo- "Archiep.
rum quemlibet, per quoſcumque, quomodolibet indebitè moleſtari; con- "An. 1550.
tradictores, auctoritate noſtra (appellatione poſtpoſita) compeſcendo,"
non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac Mo-"
naſteriorum & aliorum Regularium locorum prædictorum & Ordinum,"
quorum illa exſiſtunt, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis"
firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegijs quoque,"
indultis, exemptionibus & immunitatibus, ac litteris apoſtolicis ſub qui-"
buſcúmque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum"
derogatorijs, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibúſque, &"
alijs decretis quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis"
& innovatis: quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione,"
de illis, eorúmque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua,"
ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem impor-"
tantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita"
forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad ver-"
bum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent,"
præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alàs in ſuo robore"
permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus: con-"
trarijs quibuſcúmque; aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem"
ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non"
poſſint, per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de"
verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino"
hominum liceat hanc paginam noſtrorum abſolutionis, erectionis, inſti-"
tutionis, conceſſionis, indulti, decreti, conſtitutionis, deputationis, ſta-"
tuti, ordinationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu teme-"
rario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem"
omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe no-"
verit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarna-"
tionis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, octavo"
Idus Januarij, Pontificatûs noſtri anno quarto decimo. "

Rex Chriſtianiſſimus, qui prædictæ Univerſitatis erectionem annitente"
Cardinali procurârat, patentes ſuas litteras conceſſit privilegiorum confir-
matrices, & exemptionum à Paulo III. conceſſarum menſe Martio anno
1547. quæ ſimul cum erectionis bulla lectæ & publicatæ ſunt, ex Lib. IV.
Hiſtoriar. Auguſt. Thuani in ſuprema Pariſiorum Curia Præſidis, ubi ſic
habetur: *Apud nos prid. Cal. Febr. anno 1550. in Senatu recitata ſunt Regis* Auguſt.
& Pontificis diplomata, quibus jus Academiæ Durocortoro Remorum attri- Thuan. lib. IV.
buitur &c. ſub modificationibus tamen in confirmatione appoſitis, quarum:"
Prima reſcindit quod in bullis habetur, Regem abſolutum eſſe à ſententijs"
excommunicationis, & cenſuris, quas incurrere potuiſſet, quoad effectum;"
cùm inferre non poſſit, nec potuerit Regem his innodatum eſſe vel fuiſſe,"
aut pro qualibet cauſa excommunicationibus & cenſuris apoſtolicis ſub-"
jectum, nec derogare (bulla ſcilicet) juribus, privilegijs, ac prærogativis"
Chriſtianiſſimi Regis ac Regni. "

Decernit ſecunda de cauſarum cognitione, quæ ad tribunal Judicum"
ſæcularium ſpectant, ſtatuítque ut in materia civili Ballivius Viromanden-"
ſis, aut ipſius Præfectus, de ijs cognoſcat, titulúmque ſibi vindicet in"
decretis, citationibus & inſtrumentis; *Conſervatoris regiorum privilegiorum*"
Vniverſitatis Remenſis. Pro conſervatione verò privilegiorum apoſtolico-"

rum,

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1550.

„rum, vult ut Remensis Archiepiscopus, qui tunc erit, nominet aliquem „præter Officiales, ut in materijs criminalibus, Clerici tam simplices, quàm „Ordinibus initiati, judicium subeant Officialis vel vicemgerentis ejusdem: „laïci verò Ballivij Viromandensis, aut locum ejus tenentis, modò de his „casibus non agatur, qui vulgò privilegiati, seu reales vocantur; nam tunc „etiam Clerici ad sacros Ordines promoti jurisdictioni regiæ subduntur, hoc „est Ballivio Viromandensi, aut ei qui vices ejus obit; non enim titulo „Conservatoris regiorum priviligiorum, sed ex proprio officio horum causas „tunc discutit. Quod verò spectat ad provocationes à Conservatoribus „apostolicis, ritus hic sequetur, quem Mathurinorum, ac S. Genovefæ „Conservatores observant.

„ Sancit tertia quòd in prædicta Universitate duo tantùm erunt Tabel„larij, qui præsentes officio fungi tenebuntur, sub pœna privationis tam „officij, quàm privilegiorum à Rege concessorum.

„ Quarta eligendi Rectoris modum tradit, præcipitque à Doctoribus, & „scholarum Magistris, qui præsentes adsunt, idoneos, è quibus Archiepis„copus unum, quem voluerit, ad Rectoratûs infulas promovebit, juxta „statuta quæ postmodum fient.

„ Quinta vult ut litteræ testimoniales studiorum & gradûs conficiantur „juxta Concordata, regias constitutiones, & ut in Academia Parisiensi „observatur.

„ Sexta ut statuta facta, vel deinceps conficienda, ab Archiepiscopo „supremæ Curiæ præsententur legenda, corrigenda & reformanda, si opus „fuerit, antequam approbentur. Postrema vetat ne Licentiati fiant ab „Archiepiscopo, aut Vicario generali absque rigoroso examine, à superio„rum Facultatum Doctoribus subeundo, quibus, velut idoneis & capacibus „à prædictis repertis & oblatis, Archiepiscopus, vel Vicarius generalis „benedictionis gradum conferet, ut fit à Cancellario Parisiensis Ecclesiæ, „& Scholastico Aurelianensi. Actum in Parlamento die Jovis penultima „mensis Januarij anno 1549.

Administrorum, seu etiam Suppositorum Universitatis Remensis indiculus.

„ UNiversitas quatuor constat Facultatibus, Artium, Medicinæ, Juris „Canonici & Civilis, & Theologiæ. In Facultate Artium duæ sunt „nationes, Francica & Lotharinga, & duo Bidelli pro qualibet natione. „Facultates superiores duos habent pariter Bidellos, & sic Bidelli sunt „numero decem.

„ Item Procurator fisci Universitatis, Quæstor generalis, & Scriba. Hi „perpetui sunt.

„ Duo Advocati, & unus Procurator, qui consilio adsunt.

„ Præfectus, seu vicem-gerens in privilegiorum apostolicorum conserva„tione, Scriba seu Tabularius in conservatione.

„ Præfectus Ballivij Viromandensis Remis stabilitus *privilegiorum regio„rum Conservator.*

„ Advocatus, & Procurator regij in eadem conservatione.

„ Sex, vel octo Notarij in prædicta conservatione.

„ Promotorius unus privilegiorum apostolicorum.

„ Tabellarij duo, decreto Curiæ per sacramentum recepti.

„ Chartopolæ tres, quorum unus tenetur construere, & suis sumtibus „reficere, cùm opus fuerit, chartariam moletrinam in loco Fossa dicto in „territorio de Verpel diœcesis Remensis.

„ Librarij quatuor, major unus & tres minores.

Aurarius

Aurarius pictor unus. Scriptor Librorum. Bibliopegus unus. "CAROLUS
Pergamenarij duo Remis commorantes. " A
Prædicti officiarij, seu administri sunt numero quadraginta, quatuor "LOTHA.
Clericis comprehensis, & ad sacros Ordines promotis. " LXXXI.

Signatum CAROLUS A LOTHARINGIA. ARCHIEP.

Visis his quæ administratorum ac suppositorum Universitatis seriem con- *An.* 1550.
nebant, & diligenter examinatis à Curia, Rex suo decreto 6. Maij anno 1552. comprobavit tam prædictum numerum, quàm immunitates ipsis concessas, ea lege, ut prædicti sint conditionis cuilibet officio convenientis, ac præsentes munus suum obeant, deferatúrque singulis annis ad Curiam catalogus horum nomina & cognomina continens. Et ut Conservatores, Præfecti, & administri Universitatis nullam jurisdictionem exerceant in ijs quæ ad subsidia pertinent, sed horum cognitio Curiæ relinquatur.

Rex Christianissimus, ut suam in litteratos propensionem amplius testaretur, alijs litteris Remis datis 6. Octob. anno 1552. declarat Professores, Magistros & suppositos Universitatis immunes esse ab excubijs & custodia Urbis, impositionibus, tallijs, & subsidijs, quæ in subsidiorum Curia, Camera Rationum, & Parlamento, & in acta relata sunt, ut prædictis immunitatibus & privilegijs, ad instar Parisiensis, sine ulla contradictione gauderent, quas Henrici successores postmodum confirmârunt, Franciscus II. anno 1559. Carolus IX. anno 1561. Henricus III. anno 1575. Henricus IV. anno 1605. & Ludovicus XIII. anno 1610. quorum diplomata in Archivis cujusque Facultatis conservantur.

Academiâ Remensi sic stabilitâ, Carolus Cardinalis Collegium Bonorum-puerorum vetustate detritum, maximis impendijs reparari fecit, in quod scholæ Remenses, è vico Aulæarum-opificum, ubi hactenus perseverârant, translatæ sunt, Pauli Grandroux Scholarchæ operâ, anno 1546. licèt enim prædictum Collegium ab antiquo Musis consecratum esset, ut sub Ivello diximus, puerorum tantùm simul conviventium usui cesserat, donec eversis scholis vici prædicti, Paulus Grandroux Professores inde migrare jussit, probante Capitulo, ac Collegium occupare, dilatato priùs suis expensis pomœrio, & aucta dote, ut inscriptio lapidi incisa supra curvaturam majoris portæ fidem facit. Id quoque incrementum accepit novo ædificio Caroli munificentiâ, tam sex bursarijs, quàm Archimagistro destinato, prolatâ capellâ S. Patricij, ubi divinum quandóque celebratur Officium actus theologici fiunt, & Facultatum comitia; & Seminarij æde ab eodem proximè inchoata, cui successores fastigium imposuerunt. Prædicti Cardinalis symbolum visitur supra pinnaculum Ecclesiæ, pyramis scilicet cui adhæret hedera, cum hac epigraphe TESTANTE VIREBO, quam quidam interpretantur de gratia & auctoritate qua pollebat apud Henricum II. alij de gratia divina, cujus ope omnia possumus, & absque ea nihil.

Primum scholarum Præfectum instituit Nicolaum Boucher Canonicum Remensem tum Virdunensem Episcopum; proposuerat tam Professoribus Artium, quàm Theologiæ, certum stipendium assignare, & id quidem ab eo feliciter inchoatum est, nam quædam Beneficia primùm contulerat pro mercede Archimagistri, & quatuor bursariorum in Theologia, item pro Clerico capellæ, & pro duobus Professoribus in Theologia, & pro Primario, & sex Magistris in grammatica, pro tribus Professoribus Philosophiæ, duobus famulis aulæ, & janitore: puta pro Archimagistro quatuor bursarijs, & Clerico, patronatus de Joncheri super Sopiam. de Champignelle, Brimontel, Attigny, Trigny, Aci, Sancti-Clementis, Brandeville, Aoust, ac succursus la Fere, Aucerville, Sancti-Hilarij le Menuisier, Sancti-Quintini-parvi, quorum reditus summam quingentarum librarum æquabant tempore fundationis.

Professoribus

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1550.

Profeſſoribus deinde in Theologia, Primario, Magiſtris, famulis & janitori, ſummam mille librarum annui reditûs recipiendi ſupra Ducatum de Chevreuſe, & dominium de Dampierre, & eorum appendices in Vicecomitatu, aut Præpoſitura Pariſienſi ſitas, quem receptores Remos mittere tenentur. Archimagiſter horum diſtributionem faciebat vi primæ fundationis; at paullo poſt Carolus Proviſorem inſtituit, qui prædictos recipit cenſus, mercedéſque diſtribuit: horum tenetur reddere rationem ſingulis annis Archiepiſcopo, vel Archimagiſtro, Pœnitentiario præſente, & Ballivio Archiepiſcopatûs, diſtributio autem ſic ſe habet.

Archimagiſter centum libras recipit pro annuo ſtipendio.

Primarius pro alendis Magiſtris libras trecentas.

Primæ claſſis Magiſter centum viginti libras. Secundæ ſexaginta libras. Tertiæ quadraginta. Quartæ triginta. Quintæ viginti. Reliquum ædificiorum reſtaurationi reſervatur.

Secunda fundatione Carolus duos adhuc inſtituit burſarios, & Clericum unum capellæ, cum incremento dotis pro Theologiæ Profeſſoribus: burſarij recèns inſtituti recipiunt annuatim pro ſtipendio quinquaginta libras, & Profeſſores pro quinquaginta recipiunt ſexaginta: pro hoc ſupplemento data prædia ruſtica, & aliquot cenſus in villa de Murival.

Tertia dotatione minores burſarij quatuor inſtituuntur ex chorialibus pueris tam majoris Eccleſiæ, quàm ſancti Symphoriani, & ſanctæ Nutricis, ſingulis dantur ſexdecim libræ recipiendæ ſupra prædium in pago Sancti-Remigij-parvi, à Paulo Grandroux collatum. Litteris datis 26. Decemb. anno 1570. quatuor burſarij in Theologia eximuntur ab onere celebrandi Miſſas, ſancitúmque recepturos tantùm annuatim quinquaginta libras; Clerici capellæ duo ſupprimuntur, & horum vice capellani inſtituti, qui Miſſas & divinum Officium celebrare, Confeſſiones quoque excipere tenentur: hi cubiculum habent in majori æde, & quadraginta libras pro ſtipendio. Capitulum, quò in Collegij Univerſitatis augmentum ſe propenſius oſtenderet, patronatuum incorporationi conſenſit, impertiítque ſex mille libras, quæ ædificiorum reſtaurationi inſumtæ ſunt, & quoniam ubi antiquitus ſcholæ Remenſes exſtiterant, plures longo ordine conſtructæ ſunt ædes cum maximo Capituli emolumento; in pratello ſeu periſtylio erectum eſt cubiculum Profeſſoribus Juris Civilis & Canonici.

Antonius Furnerius prædictæ Facultatis Theologiæ Doctor, & Epiſcopus Baſilitenſis, ut ſe gratum erga prædictam Academiam teſtaretur, ubi ſtudiorum ſuorum curſum perfecerat, aliquot prædia reliquit in contractu inito 22. Novem. anno 1604. relata, quorum emptio ad ſummam viginti millia librarum aſcendit, pro dotatione ſex burſariorum in Theologia ex Baccalaureis cujuſque Licentiæ, quorum tres ex Regularibus erunt dotatis, vel Mendicantibus; inter hos, ſi ſit aliquis Sandionyſianus, præferri debet alijs, quòd dictus Antonius apud illos Religionis habitum ſuſceperit; tres alij ſæculares ſumuntur, vel ex cognatione ejuſdem, vel ex Remorum civitate oriundis, aut ex diœceſi, quibus dantur annuatim ſingulis quinquaginta libræ. Inſtitutus quoque hac fundatione Profeſſor in Theologia, qui apud S. Dionyſium legere debet, cui dantur centum & viginti libræ pro ſtipendio, quod augeri debet, ſi reditus augeantur. Et alio contractu menſis Januarij anno 1613. Antonius Beauchaine qui ultimam Furnerij voluntatem mandavit exſecutioni, duos Profeſſores addidit in Jure Canonico & Civili, & totidem in Medicina, cum ſtipendio centum florenorum pro ſingulis, duos quoque Baccalaureos in qualibet Facultate, quibus dantur ſingulis triginta libræ, modò frequentes interſint diſputationibus. Prædictæ fundationis Furnerianæ adminiſtratores ſunt Decanus majoris Eccleſiæ, Decanus Facultatis Theologiæ, & Prior S. Dionyſij Remenſis.

Quæ

Quæ de Remenſis Academiæ natali breviter hactenus ſcripſi, non ſic accipienda ſunt, quaſi ſuperioribus ſæculis litterarum ſtudia inculta jacuerint apud nos, aut neglecta; id haud ita eſſe ſatis apertè demonſtrant doctorum virorum nomina, quibus varijs in locis præſens hiſtoria conſperſa eſt, præſertim ſub Roberto Rege, cùm Remenſes ſcholæ & Magiſtrorum eruditione, & ſcholarium frequentiâ florerent: at tepeſcentibus ſtudijs decimotertio, & quarto potiſſimùm ſæculo. vivacioribus ingenijs magiſterij lauream apud Pariſios ambientibus, rurſum Caroli Cardinalis labore & munificentia priſtino ſplendori reſtituta ſunt, Vniverſitatis erectione, ad inſtar Pariſienſis, ubi ſuperiores ſcientiæ, religionis veritas, morum diſciplina, & Artium, non ære, non argento, auro; ſed ſtudio, vigilijs & induſtria promercales fiunt, propoſitis, ſi non pingui mercede, ſaltem honoribus & titulis in hoc ſtadium certatim currentibus, inter quos eminet, velut Academiæ caput, Rector magnificus, qui inſigne poteſtatis purpuram geſtat, & in humeros extenſam epomidem, cujus oræ pellibus varicgatis prætexuntur, ante quem Bidelli præeunt cum ſuis ſceptris, comitantur verò Magiſtri plurimi, obvertunt ora, venerantur, excedunt. Aïunt Carolum Cardinalem cùm Remis eſſet loco ceſſiſſe, & latus Rectori texiſſe, in rectoria ſcilicet ſupplicatione, quæ bis in anno fit, & cui ſolent intereſſe Doctores, Graduati cujuſcumque Facultatis, & Adminiſtri: nullibi enim dignitas hæc clariùs ſplendeſcit, aut emicat, quæ tamen brevis eſt, & ſublimior, quàm potens, cùm tota vis ipſius & potentia, ut ferè Ducis Venetorum, pendeat à Senatu.

Porro Rectorum nomina, à Scholarum Remenſium in Academiam litteris pontificijs & regijs erectione, hæc ſunt.

Rectorũ Vniverſitatis Remenſis Catalogus.

Joannes Blavier, Doctor Theologus Pariſienſis, & Eccleſiæ Remenſis Cantor Canonicus, ab illuſtriſſimo Cardinale Carolo à Lotharingia Remenſi Archiepiſcopo inſtitutus eſt primus Vniverſitatis Rector an. 1550 1551 & 1552.

Petrus Vvyet, Doctor Theologus Pariſienſis, Eccleſiæ Remenſis Canonicus, & Eccleſiæ Parochialis D. Stephani Curatus 1553.

Johannes Noblet, Doctor Medicus Pariſienſis, & Lector ordinarius.

Bartholomæus Alexandre, Artium Doctor.

Johannes le Senne, Doctor Medicus.

Hugo Meſlier, Doct. Theo. Pariſi. Gymnaſij magnus Magiſt. & Lector.

Nicolaus Vaucher, Artium Magiſter.

Johannes Coſſart, Doctor Theologus Pariſienſ. Eccleſiæ Remenſis Canonicus & Pœnitentiarius.

Jacobus Pigron, Artium Doctor.

Nicolaus Pintheau, Artium Doctor.

Balduinus Roncou, Doctor Theologus.

Petrus Preſtot, Artium Doctor.

Petrus Thomas, Doctor Theologus.

Johannes Cornu, Doctor Theologus 1565 & 1566.

Gerardus de la Lobe, Doctor Theologus.

Johannes le Beſgue, Licentiatus Theolog. Eccleſ. Remenſ. Canonicus.

Petrus Gilbaut, Juris Pontificij Doctor & Profeſſ. Eccl. Rem. Canonic.

Noelmus Gillet, Artium Doctor.

Petrus Millet, Artium Doctor.

Guillelmus le Beſgue, Artium Doctor 1572. & 1573.

Remigius Pavillon, Licentiatus Theologus.

Johannes Boucher, Artium Profeſſor.

Johannes Couſin, Doctor Theologus, Eccleſ. Remenſis Canonicus.

Johannes Vaſſongne, Doctor Theolog. Pariſienſis, Eccl. Rem. Canonic.

Johannes Ancelin, in utroque Jure Doctor, Eccleſiæ Remenſis Canonicus, Pœnitentiarius anno 1578.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1550.

Simon Droux, Philoſophiæ Profeſſor.
Johannes Caillet, Artium Doctor.
Michaël Ancelin, Philoſophiæ Profeſſor.
Thomas Picotin, Philoſophiæ Profeſſor.
Claudius Aubert, Artium Profeſſor.
Pontius de Germont, Doctor Theolog.
Johannes Aubert, Philoſophiæ Profeſſor.
Petrus Noizet, Jurium Doctor.
Jacobus Guerin, Artium Profeſſor.
Ægidius Fliche, Philoſophiæ Profeſſor.
Johannes de Foigni, Artium Profeſſor 1590. 1591. & 1592.
Franciſcus Hardy, Artium Profeſſor.
Johannes Galicet, & Jacobus Vilin, Artium Profeſſores anno 1594.
Marcus Germont Artium Profeſſor.
Petrus Robin, Jurium Licentiatus, & Eccleſiæ Remenſis Canonicus.
Claudius Dambraine, Doctor Medicus.
Guillelmus Lagnier, Licentiatus Theologus.
Theodoricus Moet, Artium Magiſter, & Eccleſiæ Rem. Canonicus.
Johannes Gauthier, Doctor Theologus, & Eccleſiæ Rem. Eccleſiaſtes.
Nicolaus Pinchart, Eccleſiæ Remenſis Scholaſticus, 1601. & 1602.
Johannes Boſſumé, Doctor. Theologus, 1603. & 1604.
Johannes Gomont, Licentiatus Theologus.
Matthæus Keliſſon, Doctor Theologus.
Guillelmus Parent, Doctor Theologus.
Guillelmus Gifford, Monachus Benedictinus dictus Gabriël à Sancta Maria, Doctor Theologus, Archiepiſcopus deinde Remenſis an. 1608.
Paulus Renaud, Doctor Theologus.
Pontius Geoffrin, Eccleſiæ Remenſis Canonicus.
Pontius Gautier, Jurium Licentiatus.
Petrus Mogis, Artium Profeſſor.
Claudius Pintat, Philoſophiæ Profeſſor.
Nicolaus Thulier, Licentiatus Theologus.
Petrus Dozet, Philoſophiæ Profeſſor, Eccleſiæ Remenſis Canonicus.
Iohannes Lallement, Artium Doctor.
Andreas Oudet, Artium Doctor.
Nicolaus Desjardin, Jurium Licentiatus.
Petrus Coquault, Jurium Doctor, Eccleſiæ Remenſis Canonicus.
Henricus Bazin, Licentiatus Theologus.
Claudius Violart, Jurium Licentiatus, Eccleſiæ Remenſis Canonicus.
Henricus Jobart, Jurium Licentiatus, Eccleſiæ Remenſis Canonicus.
Henricus Geoffroy, Philoſophiæ Profeſſor.
Nicolaus Bertrand, Doctor Theologus 1624. & 1625.
Iacobus de Syngery, Artium Doctor.
Henricus Melot, Artium Doctor.
Nicolaus Manneron, Artium Doctor 1628. & 1629.
Michaël Loreau, Doctor Theologus.
Johannes Roland, Artium Doctor.
Jacobus Godinot, Doctor Theologus 1632. 1633. & 1634.
Simon Pothé, Artium Doctor.
Claudius Gillat, Doctor Medicus.
Andreas Cloquet, Baccal. Theolog. & Eccleſiæ Rem. Can. 1637. & 1638.
Hubertus Bourin, Doctor Theologus.
Claudius Bourguet, Doctor Theologus 1640. & 1641.
Nicolaus Colin, Doctor Theologus 1642. & 1643.

Robertus

Robertus le Large, Artium Doctor 1644. & 1645. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1550.
Johannes Cruchart, Doctor Theologus.
Philibertus Queutelot, Doctor Theologus.
Franciſcus Duchemin, Jurium Doctor & Profeſſor.
Gerardus Audry, Artium Doctor 1649. 1650 1651.
Johannes Cloquet, Doctor Theologus.
Thomas le Fricque, Artium Doctor, 1653.
Jacobus Charlot, Doctor Theologus.
Oudardus Duchemin, Doctor Theologus.
Petrus Routier, Jurium Doctor & Profeſſor, & Eccl. Rem. Canonicus.
Michael de Blanzy, Artium Doctor.
Ludovicus Bonvent, Doctor Theologus.
Claudius Rouſſel, Doctor Theologus.
Thomas Mercier, Doctor Theolog. Jurium Univerſitatis propugnator acerrimus, & libertatis ejus vindex invincibilis 1660 1661 1662.
Franciſcus Joſſeteau, Artium Doctor. 1663.

Habuit & ſuos Cancellarios Univerſitas, quorum officium perpetuum cùm ſit, non multos ab hujus inſtitutione habes, hi ſunt.

Iohannes Bridout, Doctor Theologus.
Richardus du Pré, Canonicus Remenſis.
Iohannes le Beſgue, Doctor Theologus.
Petrus Dozet, Doctor Theologus, Eccleſiæ Remenſis Canonicus & Archidiaconus Campaniæ.
Ludovicus Eleonorius de Triſtan, Eccleſiæ Remenſis Canonicus, & Archidiaconus Campaniæ.

Præſidialis Curia Remis inſtituitur. Bellum recrudeſcit in Imperatorem. Regis exercitus Metas intercipit. Tarvannæ excidium. Caroli Cardinalis cura pro Regni, & diœceſanorum ſecuritate.

CAPUT LVI.

INterea-loci Rex ſubditorum utilitati conſulens, quibus durum erat ad cauſarum deciſionem aliò ſæpius evocari, præſidiales Curias in primarijs cujuſque provinciæ urbibus erexit, quò lites cum minori litigantium diſpendio, & ubi exortæ eſſent, breviùs finirentur. Sancitum eſt ut Conſiliarij numero ſeptem decernere poſſent, remota omni provocatione, uſque ad ſummam ducentarum librarum Turon. & decem librarum in annuo reditu; pro re præſenti verò uſque ad quingentas libras, & viginti in annuo cenſu. Henricus Remis agebat, cùm de prædictis ſedibus actum eſt, voluitque ut ea Urbs inter alias principem in decreto locum teneret, factúmque hoc turbido tempore, ut quo frequentiùs nihil, quàm arma perſtreperent, ornatu duplici Urbs noſtra fulgere incœperit, priori, Minervæ ſacro; altero, Themidi, ſub Cardinale Lotharingo. *An. 1551.*

Decreto de prædictis Curijs confirmato, Præſes Remis inſtitutus eſt cum Conſiliarijs octo, Greffiario provocationum, &c. horúmque tribunali, præter regiam ſedem urbis Remenſis, privilegiorúmque Academiæ conſervationem, ſedes quoque regales Cathalaunenſem, Sparnacenſem, Fimmarum, Virtutum, cum Balliviatu de Soudron, attributæ ſunt, Remíſque patentes litteræ ſubſignantur menſe Martio regni Henrici II. quinto, anno 1551.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP.

Addit Scipio Duplex crimina, à Præpositis & Viceseneschallis discuti solita, horum judicio subjeciſſe, & ut per præventionem, ſive concurrentiam ut dicitur, cum Præpoſitis terminarent, putà crimen adulterinæ monetæ, homicidij deditâ operâ perpetrati, furti publici &c. quæ priùs à ſupremo Senatu judicabantur. Tum anno 1557. Compendij aliud edictum prodijt Præſidialium auctoritatem adaugens uſque ad ſummam quingentarum librarum remota appellatione, & mille in rem præſentem; at eo Curiæ præſidiales non gaudent, quòd à ſupremo Senatu confirmatum non fuerit.

An. 1550.

Ceterùm nomina eorum, qui Præſidis officio perfuncti fuêre, hæc ſunt.

Johannes Broüet dominus de Telmon anno 1552. & 1580.

Laurentius Cauchon dominus de Treſlon anno 1590.

Reginaldus Goujon anno 1610.

Coſmas Braux dominus de Mery anno 1620.

Carolus Colbert anno 1630. & 1650.

Carolus Colbert filius.

Cathalauni per id quoque tempus Quæſtorum fiſci, ſeu etiam vectigalis regij Camera erecta eſt, ad quam è tota Campania ſubſidiales pecuniæ deferrentur; pluribus hæc conſtat officiarijs, qui & regiarum viarum curam habent. De novo prædicta fiebant, ſpecie quidem publicæ utilitatis procurandæ; at veriùs quò Rex à ditioribus pecuniam corrogaret ad ſumtus belli iam inſtantis in Imperatorem, malorum quæ provinciæ mox incubuerunt ſcaturiginis: ortum enim eſt non modò ob protectionem Octaviano Parmeſio impenſam, de quo ſupra; ſed quòd Carolus Imperator Sebaſtianum Volgeſterberg Henrico carum clam trucidari præcepiſſet, quem cùm decem cohortibus regiæ Inaugurationi interfuiſſe diximus. Hoſtis hic Gallorum implacabilis poſt victoriam Alemannicam inſoleſcens, totus erat in amplificando Imperio, firmandiſque rebus, quò & familiæ ſuæ hereditarium redderet, ſibique ſubactâ Galliâ, totam Europam ſubjiceret. Uſſit vehementer Franciæ Regem id facinus, & quòd potentiam cunctis Principibus metuendam perpeti nequiret, ad omnes ei nocendi occaſiones ſollicitè incubabat; unde à Germanis ſollicitatus ut Imperij à Carolo graviter oppreſſi protectionem ſumeret, profectus ipſe eſt menſe Aprili anno 1552. collecto exercitu triginta quinque millium peditum, equitum verò decem, húncque apud Victriacum convenire jubet, duce Anna Montmorenciaco, qui & ultra ſenſim progrediens per Lotharingiam, urbes Metas, Tullum & Virdunum callide intercipit, quibus pro imperatorijs, erecta ſunt Francorum inſignia. At vix ad exercitum Henricus ſe receperat, cùm Legati advolant nuntios pacis inter Imperatorem, & Germanos Principes initæ præferentes, lætus ſe Carolum ad id coegiſſe, in Galliam reflexit iter, Campanorum clamoribus inductus, hoſtiles Mariæ Auſtriacæ & comitis Reuxij copias metuentium, quæ incenſis Novioduno, Chauniaco, Roya, caſtro de Folembray, cum octingentis pagis, ac tota fœdè vaſtatâ Picardiâ, Stennacum, & Moſomum minabantur, ut inde Campaniam infeſtarent. harum velites oppidum de Beaumont in Argonia, & pagos uſque ad Grande-pratum jam exuſſerant; at regio adventante exercitu, Flandriam hi confeſtim repetunt, cepítque Rex Cimacum, Bullionem, & alia quædam Luxemburgi oppida, quò parta in Germanica expeditione faciliùs conſervaret.

An. 1552.

Sauciavit graviter Imperatorem Metenſis præſertim civitatis ereptio, obſedítque eam cum numeroſo admodum exercitu, cui præſens eſſe voluit 21. Novemb. poſtquam ubi aliquot ſediſſet diebus, ubi ſe vidit nihil proficere, ſed fruſtra conari contra fortiſſimos pugnatores (hanc enim defendebat lectiſſima nobilitas, Duce Franciſco Lotharingo) ſoluta obſidione turpiter retraxit ſe, acerbitatíſque ſuæ virus in Tarvannam Morinorum

caput

caput evomuit, cujus obſidendæ negotium dat Reuxio Comiti Flandriæ Præfecto: ab exiguo admodum præſidio tenebatur ea civitas, cum Reuxius exercitum admovit, at Francis fortiter ſeſe defendentibus, inter continuos labores morbo hic extinctus eſt. In ejus locum ſuffectus Bugnicurtius Regulus eâ tandem potitus eſt IV. Idus Junij. Ne poſtmodum is locus à Francis per vim aut furtum bellicum reciperetur, ac denuo cladibus hi Arteſiam inde labefactarent, Imperator dirui, ſacra, prophanáque in planum dejici juſſit: ſic priſcorum Morinorum civitas, inter Suffraganeas Remorum quinta, ab irato Carolo repulſam pati neſciente deleta eſt. Eccleſiaſtici ſine aris & focis abire coacti, per agros errabant panem oſtiatim quæritantes, veſteſque quibus nuditatem tegerent: ſcriptum ad Capitulum Remenſe, ut Canonicos Tarvannenſes eleemoſynis juvarent, at ſubſidijs exhauſtum, quæ ab eo continuè exigebantur, (decima ſiquidem Clero impoſita, quadruplicata fuerat) vix reſidui quidquam habebat, quo ſe toleraret, erogavit nihilominus pro ſua parte, & ut facultates patiebantur, dedítque his ornamenta, quibus uti poſſent ad ſacra peragenda.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1553.

Carolus Cardinalis, cui hæreſis propagatio inter tot bellorum furias ignota non erat, dabat operam ſibi ſubditum gregem ad priſtinæ pietatis & diſciplinæ paſcua revocare; nec contentus Statutis ad Paſtores rurales pro componendis moribus tranſmiſſis, publicas quoque preces in ſua Eccleſia inſtituit, ſupplicationem imprimis, quæ quotannis celebratur die Paſchæ horâ quartâ, qua defertur Ss. Euchariſtiæ Sacramentum; & alteram die Iovis majoris hebdomadæ, ei omnino ſimilem quæ Romæ fit eodem die, utráſque Indulgentijs celebres à ſummo Pontifice obtentis per modum Iubilæi, pro omnibus qui ijs interfuiſſent, quas etiam lucrantur Fideles nexibus peccatorum ſoluti, ſumtóque Euchariſtiæ ſacramento die Dedicationis matricis Eccleſiæ, quæ incidit in feſtum ſancti Lucæ.

Pariſios profectus Carolus Cardinalis Flodoardi autographum ad ſe mitti poſtulat, quò ſuis impenſis prælo hunc committeret, ſcripſítque in favorem Gentiani Herveti Amanuenſis ſui, ut fructus Præbendæ ei darentur, quoties ſecum eſſet in comitatu, litteris ad Capitulum miſſis 21. Martij anno 1554. quibus Canonicos Confratrum nomine afficit. Rogatus ab Antonio Duce Borbonio ut ipſe tamquam Metropolita conſentiret permutationi, quam ſatagebat, quorumdam jurium & bonorum apud villam de Marle, cum Aniſiaco Comitatu ab Epiſcopio Laudunenſi dependente, aſſenſu tam Johannis Docei Epiſcopi, quàm Cardinalis Vindocinenſis, qui annuam penſionem ſupra Epiſcopium retinuerat, delegit Officiales Remenſes cum Ambianenſi & Sueſſionenſi Decanis, qui diligenter inquirerent de prædictæ permutationis commodo, & incommodo, litteris datis in caſtro de Marchais, ubi Rex hoſpitabatur 18. Junij anno 1554. Hæc permutatio effectum ſortita non eſt, adhúcque Epiſcopus Comitatu Aniſiaco gaudet, quem Eccleſiæ Laudunenſi B. Remigius in ſtipendium Clericorum conceſſerat. An. 1554.

E Caſtello de Marchais Rex ad exercitum pergens ſtantem juxta Creciacum, illic commeatum victualium Remi mittere juſſi fuerunt; ſub finem Junij versùs Rentiacum caſtra locat, quò vices Flandris reponeret, qui ducibus Mariâ Hungaricâ & Reuxio Comite tot pagos, & villas incenderant. Conſilium ejus fuit Imperatorem præmiſſis velitationibus ad pugnam compellere, cùm Carolus Cardinalis de Regni ſecuritate ſollicitus, juſſit Remis generalem ſupplicationem fieri 19. Julij præſente Turnonenſi Cardinale, Epiſcopis quoque Sueſſionenſi, & Redonenſi, in ea ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum delatum eſt, Canonicis cereos geſtantibus, nudíſque pedibus gradientibus ad divinam opem promerendam, averrúncandáque mala, quæ Gallorum cervicibus impendebant.

Tunc

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1555.

Tunc enim, præter atrociſſimum bellum, & pullulantes hæreſes, laborabat populus rerum ad victum neceſſariarum penuriâ; per ſex ſcilicet menſes imber è cælo non defluxerat, torruerátque agros ſol nimio calore, ſed & paucæ admodum in vineis uvæ relictæ ob aſperitatem hiemis præcedentis.

Interea nunc Francis, nunc Hiſpanis in mutuum exitium arma ſtringentibus, copiæ in hyberna deductæ ſunt, & Belgicæ militiæ moderator datur Philibertus Emmanuel Sabaudiæ Dux, qui Heſdino veteri à Francis erepto, eóque funditus everſo, ejuſdem nominis alterum oppidum, mille paſſus inde loco bellicæ ſedi opportuniori, condere aggreſſus eſt anno 1553. perfecítque anno ſequenti. Carolus poſt graviſſimas ſtrages, quibus Europam afflixit, dolore ſauciatus, ut creditur, quòd Metenſis urbis obſidium non ſucceſſit, Imperio ad Ferdinandum fratrem tranſmiſſo; Lotharij exemplo, in Monaſterium Hiſpaniæ reliquum vitæ tranſacturus ſe recepit: ac ne priùs in viam ſeſe daret, quàm ſubditorum quieti cautum fuiſſet, omnem cum filio adhibuit operam, quò quinquennales cum Henrico Francorum Rege pangerentur induciæ, quæ ingenti lætitia per Galliam proclamatæ ſunt; at Pontificis ſuaſio, libido vindicandi, & innata Gallorum levitas perbreves effecêre, ut mox dicemus.

Carolus Cardinalis ſit Legatus-natus per Galliam à Paulo IV. Bellum Remis indicitur ab Anglo. Caleſium redit ad Francos. Pax cum Hiſpanis coaleſcit iniquis conditionibus ut religioni conſulatur.

CAPUT LVII.

CONCILIUM Tridentinum juſſu Pauli III. convocatum ab anno 1542. pro tuenda Fidei doctrina adverſùs hæreſes, & morum reformatione, inter funeſtos bellorum tumultus perſeverabat ſub Julio III. cùm hic finem vivendi fecit poſt Sedis annos quinque. Carolus Cardinalis acceptis de obitu ejus nuntijs, Romam ociùs advolat, ut Marcelli ſucceſſoris electioni intereſſet, cui brevì ab hac luce ſubſtracto ſufficitur Paulus IV. Maij 23. eodem anno.

Hic ortu Neapolitanus, familiâ Caraffarum, & Francorum ſtudioſiſſimus; Hiſpanorum, qui ſe in ambiendo Pontificatu pro alio fruſtratos ægre ferebant, ſic acuit invidiam, ut in eum Columnios & Vitellios, ei dudum infeſtos, ſuſcitarint, ne dominio eccleſiaſtico in Romania libere potiretur. Pontifex horum inſolentiâ ſtupefactus, & ſuæ ſecuritati conſulens, Carolum Caraffam Legatum in Galliam ablegat, efficítque ut ruptis ſatis temere inducijs, Henricus Rex collectum repentè exercitum, Guiſiano Duci in Italiam adverſus Hiſpanos regendum commiſerit. Sic Carolus Cardinalis, ob id creatus Legatus non eſt (ut plerique perperam ſcribunt) ſed adhuc Romæ tunc agebat cum Pontifice, quem facilè ſic devinxit, quòd apud Henricum magno in honore, & flagrantiſſimâ eſſet gratiâ, ut expoſitis ſuæ Sanctitati Remenſis Eccleſiæ prærogativis, ab ea ſibi reſtitui Legati-nati titulum, ſeu dignitatem obtinuerit, quam nomine tenus præcedentes Archiepiſcopi hactenus retinuerant, Pontifice ob natales, & orbi Chriſtiano notam Cardinalis eruditionem hanc liberaliter concedente, ut eâ, quamdiu ſuperſtes foret Remorum infulis nobilitatus, juribus quoque & auctoritate ipſi annexis frueretur, inſigni hoc diplomate, cujus autographum verbatim ſubjicimus.

Paulus

Digitized by Google

Paulus Epiſcopus &c. dilecto Filio Carolo tituli S. Apollinaris Preſbytero Cardinali de Lotharingia..... Cùm itaque, ſicut nobis nuper expoſuiſti, Sedes epiſcopalis Remenſis præcipuum Reipublicæ Chriſtianæ in Francorum Regno ſeminarium exſiſtat; quippe cujus Antiſtes B. Remigius Protochriſtianiſſimum eorumdem Francorum Regem Clodoveum, Regníque prædicti Proceres Baptiſmatis fonte regeneravit, Regémque ipſum Oleo cælitus demiſſo, quo etiam poſteri ad hunc uſque diem inunguntur, ſacravit, & tamquam primus alumnus cunabulis orthodoxæ Fidei in dicto Regno divinitus inſpiratæ præfuit. Ita ipſa inter ceteras partium illarum Eccleſias Primatum tenens, varijs prærogativarum, & antelationum honoribus, tum ab apoſtolica Sede, tum ab ipſis Chriſtianiſſimis eorumdem Francorum Regibus decorata reperiatur, ejúſque Præſul pro tempore exſiſtens, qui etiam Dux Remenſis, & inter duodecim Franciæ Pares primus nominatur in juridico Procerum Regni hujuſmodi Conventu, ſupremíſque Galliæ tribunalibus, magno totius Eccleſiæ Gallicanæ, atque adeo Sedis prædictæ circa jurium ſuorum, eccleſiaſticæque libertatis tuitionem commodo, pia Regum priſcorum providentia præſit, Romanorum verò Pontifici, prædeceſſorum noſtrorum beneficio & permiſſione, ab eo tempore, cujus initij memoria non exſtat, dictæ Sedis Legatus-natus habeatur, nec tamen ex hujuſmodi legatione fructum aliquem ſentiat, ſed inane, nudúmque illius nomen abſque ullo prorſus effectu penes ipſum Archiepiſcopum perdurare noſcatur. Et nos igitur tibi, ut quamdiu ipſi Eccleſiæ Remenſi præfueris dumtaxat, omnes & ſingulas, tam beneficiales, matrimoniales, & eccleſiaſticas, quàm alias quaſcumque, etiam criminales cauſas appellationum quarumlibet, quas atriorum, aliorum Officialium, ac Conſervatorum privilegiorum, & Abbatis S. Genovefæ, ſuorúmque Judicum, aliorúmque Judicum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Capitulorum, Collegiorum, & aliorum exemptorum locorum Civitatis & ſuburbiorum Pariſienſis prædictorum interlocutorijs, & diffinitivis ſententijs per quoſlibet de cetero interjici contigerit, quæque ad Sedem prædictam juxta Concordata immediatè devolvuntur, per te vel unum, qui Officialis legationis vocabitur, etiam ad venerabilium Fratrum noſtrorum Bituricenſis, & Burdegalenſis Archiepiſcoporum inſtar, quoad appellationum ab Archiepiſcopis, ejúſque Officialibus in negotijs perſonarum ipſius provinciæ Remenſis videlicet in Remenſi. Quo verò ad appellationum à Conſervatore & Abbate, aliíſque civitatis Pariſienſis Judicibus præfatis interjectarum cauſas hujuſmodi in Pariſienſis civitatibus per alium probum virum, ad id per te deputandum, etiam ſummariè dicta auctoritate apoſtolica audire, cognoſcere, decidere, nec non quoties ab illorum ſententijs appellari contigerit, cauſas appellationum hujuſmodi alij, vel alijs ſimilibus probis viris in eiſdem civitatibus reſpectivè per eoſdem finaliter audiendas, & decidendas, dicta auctoritate committere valeas. Et non obſtantibus &c.

Carolus a Lotha. lxxxi. Archiep. *An.* 1555.

Hic de eſt alib. quid.

Regi gratus fuit hic honos Cardinali à Pontifice delatus, bullámque abſque ulla modificatione Parlamentum approbavit, quâ & confeſtim uſus eſt, creato legationis Officiali. Capitulum Remenſe nuntijs acceptis, quòd Carolus Cardinalis redux ab Italia Pariſios adveniſſet, agendas Deo gratias cenſuit ſollemni ſupplicatione menſe Januario anni 1556. Eo Pariſijs moram trahente tres Status Balliviatûs Viromandenſis Remis conveniunt pro conſuetudinum reformatione; illic Rex paullo poſt advenit cum Cardinali, diverſatúſque eſt apud Bourdinum, & de Brichanteau cives Remenſes, cur non alibi, latet ratio. Sunt qui dicant Regem hîc à Cardinali perſuaſum fuiſſe, quò pacem nuper ſancitam cum Hiſpanis infringeret, in favorem Pontificis. Bello igitur recrudeſcente, quod Gallis malè ceſſit, Guiſianus in Italiam mittitur cum numeroſo exercitu, in Picardia verò Belgas nihil hoſtile

An. 1556. 1557.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP.

hostile volventes Architalassus Franciæ Gaspar Colignius aggreditur, noctúque belli furto Duacum ante lucem, ipso Regum festo, surripere conatur; at hic metu absterritus pedem referre compulsus est, eóque de loco Lendium copias convertit, ac in suam potestatem facilè redegit.

An. 1557.

Sic fractis inducijs, Philippus Hispaniarum Rex, Caroli patris exemplo, Anglos in societatem ascivit, obtinuítque ut Maria conjux ipsius bellum Francis indiceret, misso Remos Feciale, ubi Rex, Regina, & Delphinus nuptialibus ceremonijs præsentes aderant Ducis de Anguien cum Domicella de Sancto-Paulo, in domo abbatiali S. Remigij mense Junio anni 1557. celebratis. Rex antequam excederet, supplicationi anniversariæ de Ss. Sacramento interesse voluit, pedésque baldachinum sequebatur, delatum per aliquot aulæ Principes & Conestabulum, Helvetijs regiæ custodiæ tædas ardentes ferentibus: tum apud Corbiniacum perrexit, ægrotis manum impositurus, & ut inde Hispanorum apparatum observaret; jusserat siquidem Philippus, ut qui ferendis armis idonei essent, ad bellum Francis inferendum se componerent, præstóque adessent ad lustrum habendum. Ex omnibus ditionibus reperta peditum quinquaginta millia, & tredecim equitum, adulto ferè Julio Emmanueli Philiberto Sabaudiæ Duci copias cum tormentis regendas commisit; qui cum specie Rupemregiam obsidendi, quam in finibus Campaniæ operibus nuper Henricus munierat, Francos fefellit, aliorsum per Guisiam & Veromanduum castra movit, ac Sancti-Quintini oppidum ditionis caput obsidio circumvenit. Suppetias obsessis ferre conatus Præfectus equitum Franciæ Annas Montmorenciacus die S. Laurentio Martyri sacra, pugnam viribus impar cum hostibus committere cogitur, acriter utrimque certatum est; sed Hispanis victoria cessit, cæsis fugatisque omnibus signis, & è nobilitate pluribus captis & occisis. Dux ipse, quod pejus est, sauciatus in manus hostium venit, qui & paullo post oppido potiuntur peremptis præsidiarijs militibus: vita Gaspari Colignio indulta, & quibusdam alijs sectæ Calvinianæ, spe potiùs pro religione turbas per Galliam ciendi, quàm auri cupidine quo captivitatem lueret; at hic in custodia honorificè detentus, quibusdam suæ religionis Principibus mentem injecit dissidendi ab Hispanis, jugúmque dominationis excutiendi, quod incredibili Reipublicæ Christianæ damno peractum est duce Auraïco.

Luxit hanc cladem Gallia, supplicationésque per omnes Ecclesias ad placandum numen, in Francos iratum ob inconsultè fractas inducias, indictæ sunt, Remos regiæ litteræ 21 mensis Augusti perlatæ sunt, ex actis capitul. Subinde ex Italia Guisianus revocatur cum exercitu, paullóque

An. 1558.

post Regni Comitia celebrantur Parisijs, quibus Cardinalis stans pro Clero, disertissimè peroravit. Anglis, Germanísque ab Hispano domum remissis, Calesium Guisiæ Dux intercipit anno sequenti, Gisnásque cum magno mœrore Hispanorum, multùm siquidem incommodi Anglicanis & Belgicis navibus ex eo portu Franci possunt inferre: captum quoque in finibus Luxemburgensis Ducatûs oppidum Theodonis ab eodem Principe, & aliquot aliæ urbes ejusdem provinciæ, quod ei maximam gloriam peperit, obtinuítque paullo post regiorum exercituum Præfecturam. Ivit deinde Rex Calesium, ut ejus iniret possessionem, tum Parisios redijt, ubi nuptiæ celebrantur Delphini Francisci quindecim annorum cum Maria Stuart Scotiæ Regina.

Interim 1. Septembris humana reliquit Carolus V. supra omnes retro ætatum Principes in bellis susciendis felix, & laudabilis Imperator, quibus Hispanorum nuptijs auctum mirificè stabilivit Imperium; sed laudatior, si Lutheri hæreses in cunis adhuc vagientes extinxisset. Buzelinus ait Flandris

Buzelin.

obitum ejus luctuosum accidisse, præsertim quod ejus operâ omni Francorum

corum imperio exuti fuerint ; nec immeritò, hac ſiquidem ſuperioris dominij Flandriæ & Arteſiæ Comitatuum extorta ſubſtractione , fomitem bellorum poſt ſe reliquit, quæ ſubinde reviviſcunt, nec ſciri poteſt quem finem Deus daturus ſit. Unde annus 1558. necdum effluxerat , cùm novo utrimque delectu habito, Henricus & Philippus rurſum ſeipſos bellis laceſſere incipiunt : trium nihilominus menſium ſpatio intra munitiones caſtrorum ſeſe continent , levibus contenti velitationibus , cùm de pace concilianda agitur, quæ anno ſequenti compoſita eſt in Caſtro-Cameracenſi , præſentibus regijs adminiſtris, Cardinali à Lotharingia, & Perrenoto Atrebatenſi Epiſcopo , ingratis Franco admodum conditionibus , ſed neceſſariò ferendis, quòd hæreſis per Galliam ſenſim invaleſceret : Hiſpano ſiquidem & Duci Sabaudiæ urbes & caſtella reddita ſunt præcedenti bello capta, præter Metas, Tullum & Virdunum , nulla habita ratione expenſarum, quæ Galliam exhauſerunt, nec fuſi ſanguinis tot virorum , qui per viginti annos Regum obſequio ſe devoverant. Rex de ſuo libere remiſit pro bono Eccleſiæ periclitantis, ob multorum defectiones ad Calviniſmum tranſeuntium ; Epiſcopi ſiquidem apud Tridentinum adunati reſcripſerant concordiam inter Principes Catholicos omnino neceſſariam eſſe, quò liberior eſſet acceſſus Doctorum ad Concilium : at Hiſpani, temporis nequitiâ abutentes, extorſerunt à Francis confirmationem eorum quæ Madriti peracta fuerant captivo Rege,& interim Romæ pro ſubſtractione Epiſcopatuum Cameracenſis, Atrebatenſis, & Tornacenſis , majorîſque partis Tarvannenſis à Metropoli Remenſi gnaviter laborant, & pro erectione Cameracenſis in novam Metropolim. Dominus de Thou Præſes Pariſienſis Gallis illatam injuriam hac ſubſtractione deſcribens, culpam in Cardinalem rejicere veritus non eſt, qui cùm Regni Adminiſter eſſet, magnæ auctoritatis apud Pontificem, & Remenſis Archiepiſcopus , huic non interceſſit, ut facilè poterat. Sunt qui velint erectioni Sancti-Audomari , Iprenſis, & Brugenſis Eccleſiarum in epiſcopales Sedes ſub Metropoli Remenſi tantùm conſenſiſſe , non autem erectioni Cameracenſis in Archiepiſcopatum , cui Atrebatenſis & Tornacenſis obnoxiæ ſunt, quod mihi ſatis evidenter probare videntur convocatoriæ litteræ Synodi Remenſis anno 1562. ad quam prædictos Epiſcopos Carolus Cardinalis, ut intereſſent, juridicè convocavit. Quidquid ſit, omnem adhibuit operam Philippus, ne pugnantia Catholicæ Fidei dogmata per Belgium ſpargerentur , aut ſata vires acciperent , ut novi Epiſcopatus crearentur , quod ſcriptis ad Paulum Pontificem litteris diplomate obtinuit, quarto Idus Maij conſcripto, factúmque eſt ut veteribus quatuor Ultrajectenſi , Cameracenſi , Tornacenſi & Atrebatenſi , quatuordecim adjicerentur ſub Archiepiſcopis Mechlinienſi , Cameracenſi & Ultrajectenſi.

Carolus a Lotha. lxxxi. Archiep. An. 1558.

Dum externi tumultus pacis promulgatione pacificantur, nova ſubinde bellorum erumpunt incendia hæreticorum factionibus, qui rabie quadam abrepti ſacrilegis manibus paſſim altaria, Sanctorúmque imagines dejiciebant, lacerabántque. Conſtat ex actis capitularibus ultimo Novemb. an. 1557. indictam fuiſſe Remis ſupplicationem, quòd latenter & noctu quidam hæretici Crucem è quodam Cœmeterio avulſam per vicos civitatis ignominioſè traxiſſent, quæ mox à Clero honorificè relata eſt, concióque habita in viciniori Eccleſia , qua plebs concitatur ut tantum facinus pœnitentia & eleemoſynis luat.

Rex gnarus eorum quæ facta fuerant , monet Carolum Cardinalem ut fontes perquirat, quò de ijs pœna ſumatur ; quare ab Officialibus decretum Monitorium , latáque excommunicatio in eos, qui ſectariorum conventicula non revelâſſent , prorogatæ quoque precationes in eumdem finem , & 7. Auguſti anno 1558. addita generalis ſupplicatio, cui Cælitum infamis con-

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1559.

viciator, ſed pœnitens, adfuit cum tæda ardenti in ſignum contritionis. Luctuoſiſſima erant tempora, tam bellorum reliquijs quæ Regnum pecunijs & hominibus exhauſerant, quàm hæreticorum impunè graſſantium inſolentiâ: hi enim inter bellicos tumultus impiorum dogmatum venena pedetentim ſpargebant, aſpidis inſtar, cùm virus poſt morſum gliſcit per interiores corporis partes, donec cor inficiatur, vivénſque pereat. Per id tempus Eccleſia Remenſis polluta fuit malleoli ictu, in caput hominis impacti, ad altare proſtrati & orantis: hæc miniſterio Petri Meuſnier Epiſcopi Philadelphienſis menſe Martio reconciliatur, quem in Suffraganeum Cardinalis Lotharingus ſelegerat.

Carolus Franciſcum II. & Carolum IX. Remis inungit, ſtrenuè ſe habet pro Eccleſia adversùs hæreticos, curat ceremonias & cantum reformari in Eccleſia Remenſi, intereſt colloquio Poßiacenſi; formulam Fidei à Canonicis & Officiarijs profitendam præſentat Capitulo, bona Eccleſiæ oppignerantur pro ferendis belli ſumtibus adversùs Calviniſtas.

CAPUT LVIII.

PAX recèns ſancita utriúſque Principis ſubditos incredibili gaudio afficiebat, & ne in leges ipſius deinceps aliquid committeretur, placuit inſuper Henrico Regi, Philippo Hiſpano Elizabetham ſororem ſuam in matrimonium collocare: ob id ludi & certamina equeſtria Pariſijs celebrantur, cùm lamentabili caſu, & gemente Gallia, Rex è vivis eripitur 10. Julij anno 1559. funus ejus ad S. Dionyſij delatum eſt, ſacris operante Carolo Cardinale, qui & litteras ad Capitulum mittit, quò Remis ſolito apparatu juſta complerentur, precéſque fierent pro anima defuncti Regis.

Mors hæc omnino inſperata, hæreticis audaciam conciliavit, ſpes enim his affulgebat nefanda dogmata latiùs diſſeminandi ſub novello Rege vix è pueris egreſſo; at Deus optimus, cui de Eccleſia in extremis ſemper cura fuit, Regnum ejus breve admodum & tumultuoſum, columnis duabus, ijſque fortiſſimis ſuffulſit, Cardinale ſcilicet à Lotharingia, & Franciſco Guiſiano ejus fratre, quorum ſtudio & dexteritate priſca religio inter varios bellorum fluctus victrix perſeveravit; huic armorum Præfecturam; alteri verò fiſci regij, litteris patentibus, à Parlamento confirmatis, commiſit, quod implacabilium odiorum fomitis cauſa fuit; Borbonijs Principibus Guiſianos ſibi præferri pati neſcientibus.

Cardinalis ineunte Auguſto ſcripſit ad Capitulum Remenſe brevi Regem adfuturum pro ſacra Unctione ſuſcipienda, monétque, ut ex Archivis perquirat Remenſis Eccleſiæ privilegia, quò, poſt receptum diadema, Rex ſibi oſtenſa confirmare valeat. Regis officiarij haud ita poſt munus proprium expleturi Remos adveniunt, hos ſtatim ſecuta eſt Elizabetha Henrici II. filia & uxor Philippi Auſtriaci, ut Inaugurationis pompæ intereſſet, 14. recipitur ſub baldachino ex damaſceno albo à quatuor è primoribus Civitatis delato: erat hæc in lectica ſerico nigro cooperta, deductáque eſt uſque ad gradus principis Ædis, ad januam hanc Carolus Cardinalis operiebatur, comitatúſque eſt eam uſque ad majus altare, ubi fuſa oratione ſuſcepit benedictionem, indéque egreſſa, hoſpitio excipitur apud ſanctum Petrum-ad-Moniales.

Rex

Digitized by Google

Rex 16. die menſis Remos ingreditur eâ magnificentiâ, quam in Theatro noſtro retulimus, ſacrámque ſuſcepit Unctionem 18. menſis Septemb. de manu Caroli Cardinalis, aſſiſtentibus Navarræo Rege & ceteris utriuſque ordinis Regni Proceribus. Expletis ceremonijs confeſtim Pariſios redijt, operam daturus ne bellis civilibus infeſtaretur Gallia ob Principum ſimultates, quas hæretici clam fovebant oblato Borbonijs ſubſidio, quod præſagiens Cardinalis orationes curat fieri per ſuam diœceſim, ſingulíſque hebdomadibus duas in Urbe ſupplicationes, ex actis capitular. ubi & habetur hæreticum ſuæ pervicaciæ & erroris pœnitentem perijſſe ab Officiali, ut erecto tabulato in navi majoris Eccleſiæ, cum habitu pœnitentis comparere ſibi liceret, ſéque populo videndum exhibere tempore concionis. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1560.

Publica hac & humili hæreſeos abjuratione, Calviniſtarum audacia qui in Urbe latitabant repreſſa non eſt, cùm in ijſdem actis dicatur nonnullos eò impudentiæ pro rupiſſe, ut noctu Crucifixum deturbârint ex lignea Cruce, quæ major erat quàm nunc eſt, erecta in vico, quo itur ad S. Martinum, quem Clerus ob eam impietatem mærens honorificè repoſuit 4. Julij. Horreo contumelioſa verba referre, quæ in divinum Numen, ac Cælites nefarij illi paſſim intorquebant, inſitúmque horum odium in Ss. Euchariſtiam, ſacráſque Divorum reliquias: creſcente petulantia & perduellium multitudine, actum de Eccleſijs majori ſtudio cuſtodiendis, ne ſubriperent theſauros & vaſa argentea, aut ea ſacrilegè contaminarent

Dum effuſè per Galliam & petulanter ſæviunt heterodoxi, Carolus Cardinalis Remenſem diœceſim Ludovico Gaillard Cabilonenſi, tum Silvanectenſi Epiſcopo regendam tradidit, ut eo epiſcopalia munia obeunte, ſecuriùs in Aula verſari poſſet, hæreticorúmque clandeſtina conſilia detegere, qui & Regi & Regno inſidias palam auſi ſunt ſtruere apud Amboſium. Hic Architalaſſo templa ſpargendis erroribus petenti fortiter obſtitit in Conventu Bellotifontano, eíque præſto eſſe quinquaginta millia hominum, qui ſupplici libello ſubſignarint, procaciter jactanti reſpondit, quòd ſi quinquaginta millia haberet, his ſe oppoſiturum quadragies centena millia, hácque liberiori inſultatione, audacius nihil excogitari poſſe, cùm hactenus in Gallia à tempore Apoſtolorum, nulla præter Romanam culta fuerit religio, quam abſque ulla auctoritate ſcelerati quidam deſertores oppugnare audebant, dudum ſopitas hæreſes, & judicio Eccleſiæ damnatas, ab inferis reſuſcitando, Regem id tolerare non poſſe abſque ſuæ ſalutis jactura, & CHRISTIANISSIMI nominis opprobrio, ſibi tamen glorioſum eſſe, & fratri ſuo, quòd in conventiculis Miniſtri probro & contumelijs horum famam inquinâſſent, libelliſque obtrectarijs, quorum aliquot ad manus ſuas venerant, hos ſe diligenter ſervare in monimentum potiùs ſervatæ Fidei orthodoxæ, & inviolabilis obſequij in Regem, quàm libidinis vindictæ, ob famam tot ſannis impetitam.

Cùm in prædicto Conventu nihil ſtatutum fuiſſet in hæreticos, nec detractum aliquod de Guiſianorum auctoritate, quam infringere quidam conabantur, quò faciliùs Catholicis negotium faceſſerent; Rex Comitia Regni Meldis celebrare jubet, mox apud Aureliam tranſlata & inchoata 10. Decemb. quibus Balliviatûs Viromandenſis deputati eo ordine & numero interfuerunt, alibi à nobis recenſitis: è Clero etiam ſelecti Pariſios ire juſſi ſunt, ut quid Tridenti exponendum eſſet diligenter excuterent, commentarij quoque à ſingulis Epiſcopatibus in hunc finem confecti, querimonias, & labefactatum Eccleſiæ ſtatum continentes. Rex Comitijs adeſſe voluit, quò deputatis animos adderet, eíſque eſſet ſubſidio; at ijs necdum bene inchoatis morbo correptus, præmatura mortæ obijt 5. Decemb. anni 1560. Auditi ſingulorum ordinum deputati, ne incaſſum veniſſe viderentur; at pro Regni ſecuritate nihil concluſum: Epiſcopi tamen ſat

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1561.

multi Tridentum ociùs profecti sunt, ubi Pontifex Concilium jam incœperat.

Carolus Cardinalis relictis Comitijs Remos redijt mense Feb. periculosum enim censebat Cleri reformationem, quæ nationali Synodo debetur, Conventui politico committere, ubi latentes hæretici mixti cum Catholicis calculos ferre poterant: deputatorum major pars Caroli exemplum secuta, quid facto opus esset studiosè cum eo deliberârunt; hic verò manum primus operi admovens, Canonicos Remenses die Sabbati post Completorium in capitulum convenire petijt, ipsisque graviter exposito in quo Ecclesia versaretur discrimine, hos etiam atque etiam hortatus est, ut omnem operam impenderent ad mores religiosiùs componendos, divinúmque officium ad amussim perficiendum, choro frequentes adessent, psallerent attentè, & si quid in cantu superfluum foret, naviter resecarent; omnibus denique essent exemplo avita pietate & à veteribus Scriptoribus celebrata, quò supremum numen, ob scelera impensiùs offensum, placaretur, hujus se rei decretum optare à Capitulo in pignus aversi animi ab omni hæretica pravitate, quam totis viribus exstirpare satagebat: perpensa rei gravitate Capitulum sequentes articulos edidit in actibus capitular. relatos 26. Feb.

„ QUòd Canonici hujus Ecclesiæ Remensis juxta sanctorum Patrum
„ decreta, sacrorúmque Conciliorum Constantiensis & Basileensis, &
„ aliorum definitiones, divinis Officijs reverenter intersint, ut pote Matu-
„ tinis, Missis, & Vesperis, aliisque horis, nullúsque Canonicorum tempore
„ quo divinum celebratur Officium à choro discedat, alioquin illius horæ
„ fructu privetur.

„ Psalmodia, seu psalmorum cantus in præfatis horis sit moderatus, cum
„ pausa, mediatione, & verborum distinctione, habita tamen festorum ra-
„ tione, servetúrque concentus & symphonia in choro, omnisque discan-
„ tus procul absit, interdum verò ubi permittitur tertius, quintus, & octa-
„ vus, in hujusmodi psalmis decantandis, & his quidem brevioribus, ne
„ quorumdam psalmorum prolixitate Officium retardetur.

„ In præfatis horis tam in Invitatorijs, Antiphonis, Responsorijs, Hym-
„ nis, quàm Introitibus Missarum, Tractibus, Prosis, Offertorijs, nullus fiat
„ discantus, sed hæc omnia simplici, plano ac moderato cantu recitentur.

„ Similiter in Missis *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Magnificat*, *Nunc*
„ *dimittis*, cetera que hymni eo modo cantentur in choro absque musica &
„ organis, exceptis diebus sollemnibus, &c.

Præsens decretum lectum coram Cardinali; ab omnibus fuit approbatum, velut Canonibus conforme, & receptæ consuetudini Catholicæ Ecclesiæ consentaneum: quædam etiam constituta sunt pro Capellanis, Vicarijs, aliisque Clericis, petitúmque à Cardinali, ut singulis diebus sub finem Missæ sacram Synaxim sumerent Diaconus & Subdiaconus, quod ad aliud tempus remissum est.

Menses quinque ab obitu Regis effluxerant, cùm Regina mater, penes quam totius Monarchiæ regimen (approbantibus Comitijs) remanserat, Carolum IX. Inaugurationis pompâ sublimandum censuit: hic igitur, ea consulente, Remos petijt 13. Maij cum Henrico Navarræo Rege, Duce de Montpensier, Anna Montmorenciaco equitum Præfecto, & Guisianis Principibus, exceptúsque quanta fieri potuit magnificentiâ à civibus, & à Cardinale Lotharingo Archiepiscopo ad valvas Ecclesiæ reverenter exceptus. XV. mensis Maij ipso die Ascensionis Domini prædicti Cardinalis operâ sacro imbutus Oleo, Regni diadema suscepit, utriusque ordinis Proceribus manum de more admoventibus, ut fusiùs alibi dictum est; ubi & de dis-

An. 1561.

cordia

cordia inter Guiſianum Ducem, & Ducem de Montpenſier, pro honoratiori gradu exorta non nihil relatum. Tradunt Annales Cardinalem expletis ceremonijs, tanta ſermonis vi, & judicio impendentia mala Regi expoſuiſſe, ob impunè toleratam per omnes ferè provincias hæreſeos profeſſionem, cum vicinorum Principum ſcandalo, CHRISTIANISSIMI nominis jacturâ, & totius Monarchiæ ſubvertionis periculo, ut edictum mox latum fuerit menſe Julio ab omnibus Parlamentis comprobatum, quo vetitum erat, ne quis religionem aliam profiteretur præter Romanam, ne clandeſtini deinceps cœtus fierent, aut eos armis ſeptus, vel ijs expers quiſquam adiret, injunctúmque Miniſtris, ut relictis conſiſtorijs, ſolum ociùs veterent; at intanta rerum perturbatione edictum illud, præſenti morbo admodum conveniens, Architalaſſi pervicacia & importunitate revocatum eſt.

CAROLUS A LOTHAR. LXXXI. ARCHIEP. An. 1561.

Interea loci Carolus Cardinalis, qui aliquot menſes ab Inauguratione Remis moram traxerat, alterníſque vicibus cum Richardo du Pré conciones habuerat ad populum tempore Quadrageſimæ, ſartam tectam cupiens religionem, in ijs præſertim quos Deus curæ ſuæ commiſerat, formulam Fidei certis diſtinctam articulis contexuit, obtulítque Capitulo, ut Canonicus quilibet, imprimis recèns initiati eam profiterentur, cujus hic tenor eſt.

NOs ſubſignati Carolus miſeratione divina tituli S. Apollinaris ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis à Lotharingia nuncupatus, Archiepiſcopus, Dux Remenſis, Franciæ primus Par, ſanctæque Sedis apoſtolicæ Legatus-natus, Necnon Præpoſitus, Decanus, Cantor, & Capitulum inſignis Eccleſiæ Remenſis, Fide orthodoxa recipimus, & credimus poſthac recepturi & credituri duodecim articulos Fidei Catholicæ in Symbolo Apoſtolorum contentos; decem præcepta legis divinæ; ordinationes & Concilia Eccleſiæ Catholicæ; ſeptem Eccleſiæ Catholicæ ſacramenta à Chriſto ſalvatore noſtro inſtituta, Baptiſmum, Confirmationem, ſacrum Ordinem, Matrimonium, Confeſſionem ſacramentalem, ſacroſanctam Euchariſtiam, in qua verè & realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguis Chriſti continentur, & extremam-Unctionem, ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium inſtitutum à Chriſto in remiſſionem peccatorum, eſſe oblationem utilem tam pro vivis, quàm pro defunctis.

Similis profeſſum Fidei profeſſio lecta & approbata in Eccleſia Nemauſen. an. 1562. apud Vaſſerium fol. 1147.

Deum ſimiliter imprimis eſſe amandum judicamus, timendum, & orandum, & reverendum ſincerè; qui cæleſti beatitudine perfruuntur honorandos, imitandos, & orandos; Lutheranorum, Zuinglianorum, & Calviniſtarum, aliorúmque hæreticorum dogmata exſecramur, & abhorremus.

Hæc à Cardinale digeſta Fidei formula, quâ velut lydio lapide cujuſque Fides, ac religio probaretur, ab omnibus gratanter recepta fuit, & relata, ſeu deſcripta in tabula, ut ei præſentes Canonici, & quotquot deinceps in album reciperentur, ſubſcriberent; Cuſtodes quoque, liberi ſervientes, & Officiarij. Quidam inter Canonicos Groſſanus nomine repertus eſt tacitè ſubmuſcitans, quaſi refragari videretur; at ipſe ſeriò monitus adhibita comminatione libere ſatisfecit; ex officiarijs, qui ab hac ſe alienos tantùm verbis teſtabantur, abdicare coacti ſunt, datâ deinceps operâ, ut nullius Fidei profeſſio ab ea diſcreparet.

Ordinum Regni Conventu è Pontœſia ad Sanctum Germanum-in-Laya remiſſo ſub finem menſis Auguſti, actum de Regni procuratione, & ſtatu meliùs componendo, & in eo Cardinales Turnonenſis, Lotharingus, & à Guiſia, ferre non potuerunt injuriam Eccleſiæ irrogatam à Borbonio in gradu honorificio retinendo, unde exire coacti heterodoxis numero fortioribus campum reliquerunt convitia in Clerum, honores plus æquo (ut ſibi videbatur) ambientem, totis plauſtris offundentibus.

Factionis

CAROLUS A LOTHA. LXXXI.

Factionis hæreticæ primarij probè ſcientes, ſi nationalis Synodus cogeretur, Miniſtros in ea ſuffragium non laturos cum Epiſcopis, ſtatuerunt inter ſe colloquium à Rege poſtulare, in quo Fidei dogmata, de quibus controverti ſoleret, libere diſcuti poſſent, & expendi; quidam è Clero id omnino reſpuendum cenſebant, quòd ex legibus eccleſiaſticis aditus ad Synodos hæreticis non daretur, niſi ut errata cognoſcerent, ſéque ab Eccleſiæ gremio temere receſſiſſe faterentur: at Carolus Cardinalis timens, ne oblatam diſceptationem declinando, eo tempore quo legum eccleſiaſticarum vis intepuerat, præberetur quibuſdam occaſio inſultandi in Epiſcopos, velut ſuæ inſcitiæ conſcios, ac ſuſceptæ cauſæ diffidentes, cenſuit cum eis in arenam deſcendendum; eò vel maximè quòd Regina id percuperet, ſuadente imprimis Valentiæ Epiſcopo, quem novitati animum promùs inflexiſſe quidam aſſerunt. Sic poſthabita ſeniorum admonitione, Pij IV. Pontificis præſertim, qui per Cardinalem Ferrarienſem Româ miſſum ſuggeſſerat articulorum Fidei diſcuſſionem ad Concilium univerſale Tridenti convocatum omnino eſſe remittendam, Colloquium apud Poſſiacum indictum eſt menſe Auguſto, cui Ægidius du Pré, & Petrus Remy à Capitulo Remenſi deputati, cum Cardinale interfuerunt. Hic 6. Septemb. præliminari oratione de obſequio Regibus præſtando eleganter diſſeruit, tum de Eccleſiæ auctoritate, Scripturæ intelligentia, & Conciliorum; item de traditionibus, quas multùm prodeſſe docuit ad ea detegenda quæ latebant in Evangelio, & Epiſtolis S. Pauli; de veritate quoque Corporis Chriſti in Euchariſtia plura addidit, à Calviniſtis inutiliter oppugnata adverſùs communem Patrum conſenſum, finémque impoſuit luculenta paræneſi ad Reginam matrem Regni Adminiſtram, ut ſedulam ipſa daret operam, quò filius ejus excoleretur in vera religione, quam à Clodoveo anteceſſores ejus conſtanter & religioſè hactenus profeſſi ſunt.

An. 1561. *Carolus intereſt Concilio Poſſiacenſi.*

Percuntatus à Beza, & Petro Martyre famoſis Miniſtris, quis eos novi dogmatis præcones inſtituiſſet, & à quo miſſionem accepiſſent, nihil reſponſi retulit; ſed ad hoc obmuteſcentes ſtupefacti, petierunt paullo poſt ſibi tempus concedi, ut inter ſeſe de hac quæſtione conferrent, cui nihilominus non ſatisfecerunt, nec in æternum ſatisfacient. Colloquium 9. Sept. inchoatum, ſolutum eſt 6. Novemb. abſque ullo operæ pretio, partibus utriſque ſibi pro libitu victoriam vindicantibus, expertúmque eſt vel hoc exemplo prædicta colloquia de religione plus damni, quàm utilitatis parere. Ab Epiſcopis qui interfuerunt editæ referuntur quædam conſtitutiones pro Cleri reformatione, quas Carolus Cardinalis Capitulo Remenſi Remos reverſus propoſuit, ut habent acta capitularia 10. Novemb. Harum præcipua capita cantum Eccleſiæ, ac notarum detractionem tangebant, frequentiam quoque Canonicorum, & liberorum ſervientium, ſeu burgenſium in proprijs parochijs, & quod jam à Cardinale petitum fuerat, Communionem Diaconi & Subdiaconi ſaltem diebus Dominicis in Miſſa majori &c. quædam à Capitulo velut ſacris Canonibus, & pietati conformia, recepta ſunt; alia verò rejecta, quæ privilegijs & juribus adverſari videbantur.

Hîc ſatis mirari non poſſum Cardinalis in avita religione fulcienda ſuccenſum ardorem, eo præſertim tempore, quo Cardinalis de Chaſtillon inſignis deſertor Belvaci cœnam Calviniſticam cum ſuis celebrabat in domo epiſcopali, quo Ambianenſes Calviniſtæ Miniſtrum conduxerant novo dogmati prædicando, ſtatuerántque Sanctorum imagines è loculamentis deturbare, ac Cœnobiorum expilare cimelia; quo Abbatiſvillæ Toparcha & filius ejus admiſſis in propriam domum ſectarijs ad concionem, à commota plebe interfecti ſunt, cui novitas hæc diſplicebat; quo Cathalauni ſegregès in Catholicos violentas manus injicere moliebantur; & ut breviter abſolvam, ea tempeſtate, qua tota Gallia ſanguine Fidelium ſtagnabat.

gnabat. Unde tantùm abeſt ut Cardinalis Confeſſionem Auguſtanam Calviniſtis propoſuerit, quò duas religiones in unam faciliùs conciliaret, ut quidam falſò jactitant, quin potiùs Savernam profectus legitur, ut Ducem Vvittembergenſem à ſubſidio perduellibus ferendo removeret, ei graviter inſinuans Auguſtanam religionem propiùs accedere ad Romanam, quàm ad Calviniſticam. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1561.

Quo major erat cura hæreſim profligandi, eo ardentiùs nefarij præcones eam diſſeminabant, eorúmque calliditate civile bellum mox exarſit, cujus caput exſtitit Princeps Condæus, qui ad partes eorum, Guiſianis negotium faceſſurus, conſultò deflexit, quòd ſecundùm Regem, penes eos totum eſſet Galliæ Imperium, ut ſcribunt politici; quamvis ſectariorum ope captâ Aureliâ, tantâ atrocitate in Catholicos ſævierint, ut Vvandali, Hunni, Normanni, modeſtiæ laudem habeant, ſi quis comparat, præ iſtorum rapina, cæde, flamma. Navarræus Rex, Franciſcus Guiſianus, & militiæ Præfectus Sant-Andreas, optimam hoc bello Regi operam navârunt, & exhauſtis fiſci pecunijs, Clerus, habita ratione belli ſuſcepti pro religione, ſexdecim centena millia librarum è cenſu eccleſiaſtico per ſex annos depromi conſenſit, & ut Rex bona Eccleſiæ oppignerare poſſet, pro centum millibus librarum annui reditûs, recuperanda cùm rerum ſtatus ſedatior eſſet.

Hujus ſubſidij Carolus Cardinalis Capitulum Remenſe gnarum fecit 15. Julij, monuítque ut præſto haberent decem millia librarum, pro militum recèns conſcriptorum ſtipendio: & quoniam præcedentibus litteris regium conſenſum miſerat pro ſacrorum vaſorum, ſeu etiam lipſanothecarum oppignoratione, ingruente periculo ex Calviniſtis per Campaniam licenter graſſantibus, viginti millia librarum è ſacræ ſupellectilis venditione miſit ad Regem, qui & Baronem de Cerny Urbi præficit cum præſidiarijs militibus, quò ſectariorum molitionibus obſiſteret, quorum numerus, vires, & inſolentia magis magíſque in dies augebantur. Porro ſacrorum vaſorum indicem, quæ Capitulum vænire permiſit, alibi retulimus.

Caroli Cardinalis ad Concilium Tridentinum profectio, cum Imperatore & Rege Romanorum colloquitur, Remos reverſus provincialem Synodum indicit, ad quam Belgicos Epiſcopos evocat; an erectioni Cameracenſis Sedis in Archiepiſcopatum conſenſerit.

CAPUT LIX.

SACRO-SANCTA Synodus Tridentina, ob graves & inteſtinos bellorum tumultus à Calviniſtis ſuſcitatos, bis interrupta, cogitur de novo Pauli IV. auctoritate anno 1562. ac ſequenti pæne adulto finijt. Hanc Catholici tot miſeriarum pertæſi, cùm ijs medendis velut alexipharmacum exiſtimarent, urgerétque vehementiùs Francorum Rex Epiſcopos, ut frequentes ei intereſſent, per litteras ſerió admonuit, ac inter alios Cardinalem à Lotharingia, cujus præſentia, licèt Aulæ admodum eſſet neceſſaria, hunc tamen præ ceteris adfuturum Pontifici Rex eſt pollicitus, interfuítque de facto cum inſignium Doctorum lectiſſimo comitatu, inter quos hi velut clariores referuntur, Nicolaus Maillard Decanus Facultatis Pariſienſis, Johannes Peletier, Antonius Democharès, Simon Vigor, Claudius de Saintes, Gentianus Hervet &c. Capitulum Remenſe è ſuo gremio aliquos *An.* 1562.

Digitized by Google

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1562.

aliquos etiam delegavit, Richardum du Pré Thesaurarium, Jacobum Archadet Vicedominum, Nicolaum Breton, & Antonium Colart Canonicos Remenses, quibus injunctum singulis Sessionibus interesse, juráque ac privilegia tueri dudum à summis Pontificibus Metropolitanæ Ecclesiæ concessa, eáque nihilominus Concilij censuræ & judicio humiliter submittere.

Die 13. Novemb. Tridentum ingreditur Cardinalis à Lotharingia, exceptus longiùs extra Urbem à Cardinale Madrutio Tridentino Episcopo & à Principum Oratoribus, ad portam Urbis à Cardinalibus Legatis, qui hunc honorificè comitati sunt usque ad hospitium, die 23. ejusdem mensis litteras sibi à Christianissimo Rege depositas obtulit, quibus Sanctitati obedientiæ votum exhibet, rogátque ut Cardinali velut secretorum conscio fidem in omnibus habeat, qui & Galliæ labem optimè nosceret, & remedium. Ea de re, cùm inter purpuratos sedisset, concionem luculentam habuit pronis auribus auditam, quæ à plerísque latinè & Gallicè ob patheticam eloquentiam edita est. Dici vix potest in quanta fuerit æstimatione apud omnes, quanta observatione cultus & honoratus; Pontificis quidem decreto Cardinalibus Legatis misso, quibus intimatum ne ulla sessio haberetur ante ipsius adventum, & hoc meritò, erat enim Galliæ oraculum, columen Ecclesiæ, insigni præditus judicio, & ut generis claritudine, sic & facundiâ nulli secundus. At licèt pro stabiliendis, quæ in Synodo sancirentur, omnium nationum suffragia necessaria essent, quod probè noverat, Pontificémque summopere veneraretur, ferre tamen non potuit ut gradus & honores Regi Christianissimo debiti, promiscuè ei & Hispano redderentur, contra morem hactenus usurpatum; cúmque de his ad Pontificem rescripsisset, nec ipse, ut par erat, remedium adhiberet, severè & acriter potestatus est, etiam in fine Synodi, ut Scipio Duplex fusiùs retulit in vita Caroli IX.

Cardinali per id tempus Pontifex Abbatiarum Cluniacensis, & Majoris-Monasterij bullas concessit, pro quibus Bretonius Amanuensis suo nomine ei grates rependit, cum humilis obsequij protestatione. Exstat prolixior epistola ad Bretonium missa de residentia Episcoporum, quam de jure divino esse contendebat, & de sacramento Ordinis, ut è Gallico idiomate in Italicum versa, Pontifici, & Cardinali Borromæo præsentaretur, ubi hic se paratum esse quidem dicit vitam & sanguinem profundere Catholicæ religionis gratiâ, & pro sanctæ Sedis incremento; at id esse vult salvo Galliæ honore, propria quoque salute & fama: unde addit se quorumdam Italicorum consilia probare non posse, qui ut Sedis apostolicæ gloriam altiùs provehant, Regnorum ab ea defectionem pro nihilo ducunt, cùm certum sit Regni Francici obedientiam pluris esse debere, quàm blandiloquentium assentationes. Agit in prædicta epistola de auctoritate Episcoporum, eorumdémque institutione, de potestate Papæ, de Synodis Constantiensi, Basileensi, & Florentina, ad mentem Francorum, de alijs item quæstionibus ad exercenda potiùs ingenia, quàm in ædificationem propositis, quæ Concilij clausulam retardabant.

Gentianus Hervet vir insignis doctrinæ à Carolo Cardinale rogatus dissertationem texuit de residentia Episcoporum adversùs P. Lainez Jesuitam, ubi hanc ad jus divinum exertis rationibus revocat, docétque irritos fore tot pro reformatione labores impensos, si Episcopi in proprijs diœcesibus non resideant. Calviniſtæ interim in Drocensi campania cum Catholicis pugnam ineunt 19. Decemb. hísque victoria cessit, pro qua Remis die 26. mensis Decemb. gratiæ divino Numini redditæ, indicta quoque sollemnis supplicatio, quam excepit concio ad populum, & postero die celebres exsequiæ pro ijs qui in pugna fortiter occubuerant.

Doctoribus de Matrimonij controversijs Tridenti disceptantibus, Carolus Cardinalis 12. Feb. ad colloquendum cum Ferdinando Imperatore, & Rege

Rege Romanorum apud OEnipontem proficiſcitur, ubi perhumaniter ab his ſuſceptus & cultus eſt. In relatione colloquij ad Regem miſſa, præd.ctorum Principum mores, & vota pro felici rerum omnium ſucceſſu, quæ in Concilio fiebant, graphicè depingit, indolémque Cardinalium Mantuani, Seripantis, Varmenſis, & Simonettæ, qui Concilio præerant, Epiſcoporum animos, & ingenia Doctorum cujuſque nationis, queritúrque Ultramontanos præ Italicis in parvo admodum eſſe numero, ob id deciſiones abſque longiori mora expediri non poſſe. Quod ad libertatem ſpectat dubia proponendi, propriamque mentem aperiendi, nuſquam majorem fuiſſe aſſerit, Præſidentibus neminem cujuſque conditionis eſſet interrumpentibus; unde fit ut de Concilij exitu optimè ſe ſperare dicat, eò vel maximè quòd tot Imperatores Reges & Reſpublicæ in id conſpirent, quorum Legati præſentes aderant, præter Hiſpanum. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. an. 1562.

Addit in ſecundo congreſſu Franciæ religionis ſtatum Imperatori breviter aperuiſſe, tumultuúmque ab hæreticis ſuſcitatorum hiſtoriâ patefactâ; graviter conqueſtum fuiſſe de Imperio & Britannia majore, quòd in ijs rebelles refugium non modò haberent, ſed inde pecuniarum vim, hominúmque, & alia ſubſidia referrent in Regis ac Regni exitium. Unde Imperatorem enixiùs rogavit, ut ſibi ipſi conſulat, in quem ſimilia fieri poterant à Proteſtantibus pariter in Germania mixtis cum Catholicis, Regem porro ſtatuiſſe armis ſuam tueri dignitatem &c. Carolus in eo itinere quinque tantùm dies inſumſit, rediſtque Tridentum 22. menſis Febr. ubi haud ita pridem reſignaverat Abbatiam Majoris-Monaſterij in favorem Johannis de la Rochefoucauld Clerici Pariſienſis, retenta penſione decem mille librarum, ac libera dependentium ab ea Beneficiorum collatione, quam ei Pontifex indulſit bulla 13. Cal. Janu. anno 1562. cui in Cardinalis commendationem ſequens elogium attexuit. ***Quem divina Clementia magnis illuſtravit gratiarum muneribus, ad perſonam cujus paterna conſiderationis dirigentes intuitum, quæ Romanam Eccleſiam, cujus honorabile membrum exſiſtit, ſuorum honorat plenius magnitudine meritorum, dignum duximus, imo debitum reputavimus, ut eam dignis honoribus & gratijs proſequamur.***

Fratris cædes in obſidione Aurelianenſi magnum ei dolorem attulit, ſtatuítque reliquum vitæ in propria diœceſi tranſigere, unde Remos reverſus informando gregi ad pietatem plurimùm operæ contulit eâ dicendi gratiâ, & venuſtate ut auditorum animos ad ſe raperet. Vigeſimâ Maij Capitulo propoſuit Concilij Tridentini deciſionem de qualitate & officio Dignitatum, & Canonicorum Eccleſiarum cathedralium, in viginti-quatuor articulos redactam, cujus autographum vidi in Archivo archiepiſcopali; at recepta non fuit, nec exſecutioni mandata, quòd quidam articuli juribus & privilegijs Canonicorum adverſarentur. Nonnihil etiam præfatus eſt de modo recuperandi bona eccleſiaſtica, decreto regio oppignerata, aut alienata; & de erectione Seminarij, ubi juniores Clerici ad pietatem, cantum eccleſiaſticum, & ceremonias erudirentur: hoc ultimum à Capitulo fuit approtum, concluſúmque ut duæ Præbendæ in Clericorum alimoniam expenderentur, ut dicam inferiùs. XIX. April. idem Cardinalis petijt ut decimus-octavus Canon decretorum octavæ Seſſionis legeretur, ubi de promotione Curatorum, & de examinatoribus, qui in diœceſana Synodo eligi debent, nominavítque Petrum Remy Archidiaconum, Johannem de Sully Præpoſitum, Guillelmum Noblin Decanum, Johannem Coſſart Pœnitentiarium, Petrum Vviet Doctorem Theologum, Johannem le Begue Baccalaureum, Claudium de Launois S. Remigij Priorem, & Antonium Furnerium Canonicum Regularem S. Dionyſij Remenſis. Sanxit denique Concilij Tridentini decreta de diſciplina eccleſiaſtica ſeparatim edenda, quò publicè perlecta & approbata, religioſè ab omnibus ſervarentur. an. 1563.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. an. 1564.

Novem menſes effluxerant à reditu Cardinalis, cùm apud ſe propoſuit ſuæ Metropolitanæ ſuffraganeos Epiſcopos ad Synodum convocare, & eò citiùs, quòd nihil ſpei ſupereſſet obtinendi Tridentinorum decretorum in Gallia obſervationem: vocatis igitur ad capitulum Canonicis, habitáque coram eis parænetica oratione de officio Clericorum, morum correctione, & optima vivendi norma, dixit ſe indicturum Synodum ad 27. menſis Novembris, monens ut deligerent aliquos, qui ſingulis intereſſent congregationibus. Et 20. menſis ad capitulum rediens, addidit ſe ex generalibus Concilijs nonnulla collegiſſe ſtatuta circa mores & diſciplinam, quæ per diœceſim Synodi provincialis auctoritate obſervari cupiebat; ea tamen vulgare noluiſſe, donec à Delegatis Capituli diligenter excuſſa, & ab omnibus probata fuiſſent. Actis Cardinali gratijs à Capitulo, Decano, Cantori, Archidiacono, & quibuſdam alijs examinandi cura demandata eſt, quæ ad novem-decim capita redacta, coram Capitulo lecta ſunt & approbata 23. Octobris. Hæc publici juris facere ſtatueram collectis à me ſchedulis MSS. ut à Secretario Synodi ex ore Patrum excepta fuerant, quas Gallicè traductas in hiſtoriam vernaculè ſcriptam accuratè retuli: at Concilium haud ita pridem edidit dominus de la Mechiniere, cum actis Concilij in novem-decim congregationes diſtributis, in quarum tertia agitur de ſubſtractione trium Epiſcopatuum à provincia Remenſi, & erectione Cameracenſis Eccleſiæ in novum Archiepiſcopatum, cui ſubſtractioni Chriſtianiſſimum Regem conſenſiſſe narrat idem de la Mechiniere in præfatione ad acta Concilij Remenſis, quod mirum videri poſſet, cùm V. C. Jacobus Thuanus lib. xxii. Cardinalem ob id prævaricationis arguat, quaſi tacitum fœdus nuper cum Hiſpano initum (ut à pleriſque dicebatur) hac conniventia obſignaverit; at tanti Principis ingens animus, candor & integritas vetant, ne de eo tale judicium feramus: imo ejuſmodi Sedium avulſionem cum Francici nominis dedecore, & jactura factam ægre tuliſſe certiſſimum eſt; nec ſatis etiam mihi perſuadere poſſum Chriſtianiſſimum Regem huic conſenſiſſe, cùm de hac conquerendum apud eum ſub finem Synodi Patres cenſuerint, & Carolus Cardinalis prædictos Epiſcopos, Cameracenſem imprimis, nulla habita ratione pontificij diplomatis, ad Synodum comparere juſſerit, iſſque vocationi ſe obſequentes non præbentibus, rem ad Synodum iterum detulerit, eáque conſulente ſequentem ad hos miſerit epiſtolam, ne Remenſis Eccleſiæ juribus, proprio honori, & officio defuiſſe videretur.

Thuan. lib. 22.

Carolus miſeratione divina tituli S. Apollinaris S. R. E. Presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus, Dux Remenſis, primus Par Franciæ, & ſanctæ Sedis apoſtolicæ Legatus-natus: noſtris comprovincialibus Eccleſijs & Capitulis Cameracenſi, Atrebatenſi, & Tornacenſi, gratiam & pacem à Deo per Chriſtum.

» QUod nuper provincialis Concilij diem, & officij noſtri Metropolitani
» ratione, & iuris ordine, vobis, omnibúſque ſociis & fœderatis Ec-
» cleſijs indixiſſemus, Fratres cariſſimi, & ad præſtitutum diem minimè ſte-
» tiſſetis, litteræ nobis allatæ ſunt à Suffraganeo, & collega noſtro Epiſcopo
» Cameracenſi, quibus opponit Cameracenſem Eccleſiam antea Cathedralem,
» in Metropolitanam erectam eſſe, ejúſque juriſdictioni Coepiſcopos noſtros
» Atrebatenſem, & Tornacenſem, unà cum ſuis Eccleſijs ſubiacere, à noſtra
» verò provincia perpetuò ſegregatos, & poteſtate liberatos. Sed cùm earum
» litterarum veritatem attentiùs inſpiceremus, primùm deprehendimus Hiſpa-
» niarum Catholicum Regem harum rerum omnium apud Sanctitatem pon-

tificiam

tificiam oratorem extitiſſe, eamdémque hiſce de rebus, cum litteris frequenter, tum verbis ab ea interpellatum: in inſtrumento verò procuratorio eamdem ſua ſponte, & ultro totum hoc negotium abſolviſſe, quæ parum inter ſe cohærere nobis viſa ſunt. Tum præceptum eſſe, ne res conficeretur, niſi vocatis ijs ad quos quomodocumque pertinet; at cùm admonendi Chriſtianiſſimi Regis, & metropolitani Epiſcopi quotidie poteſtas eſſet, quinquennio quidem poſt unus Metropolitanus, & per occaſionem certior factus eſt, cóque modo uterque indictâ cauſâ damnatus. Demum rem omnem contra ſanctorum Pontificum, Conciliorum Nicæni, Epheſini, Calcedonenſis, Canones ſuſcepiſſe; quod cùm ita eſſe nobis ſit perſuaſum, ſtatuimus omni ratione adhibere juris remedium, ne quod ad provinciæ ornamentum, à ſummis Pontificibus per anteceſſores de manu in manum nobis traditum eſt, noſtrâ negligentiâ ab alio occupatum, ut probrum nobis objici poſſit. Ceterùm quàm durum eſſe ſcribitis contra ſtimulum calcitrare, quoties Eccleſiam Remenſem, quæ vos in Chriſto genuit, agnoveritis; parata eſt ambabus manibus, omníque ut ſemper antea caritate vos amplecti, numquam cariſſimis Filijs, neque re, neque conſilio defutura. Datum Remis in Concilio noſtro provinciali Idib. Decemb. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1565.

Ex his manifeſtum relinquitur Cardinalem oſcitantiæ, ſeu etiam prævaricationis inſimulari non poſſe, ut acta Concilij accuratiùs pervolventi patebit, quæ ſummâ diligentiâ ex adverſarijs amanuenſium, ut ab his verbatim excepta fuerant, collegi; at cùm jam edita ſint à domino de la Mechiniere tomo xxxv. Conciliorum, eadem iterum prælo committere, licèt in quibuſdam varietas ſit, operæ-pretium non putavi.

Hanc eamdem Remēſis ſedis dignitatē conſequentes Archiepiſc. nunquā non aſſeruēre adverſus Epiſcopū Cameracenſem, ſed imprimis illud egregiè præſtitit illuſtriſſimus & reverendiſſimus Carolus Mauritius le Tellier Archiepiſcopus, Dux Remenſis, per proteſtationem nuper editam.

Carolus diœceſi abſcedit Coepiſcopis cauſam approbantibus; huic hæretici ſtruunt inſidias. Remis fit ſupplicatio, qua defertur corpus S. Remigij. Conficit Carolus teſtamentum & Remis inſtituit Seminarium.

CAPUT LX.

EXPLETA Remenſi Synodo Carolus Pariſios ire diſpoſuit, hæreticorum tecnas & conſilia exploraturus; at cùm paſtoralem aſſiduitatem jure divino neceſſariam præcedenti Synodo definiviſſet, neminémque legibus ipſius ſolvi poſſe, niſi forſan ad tempus, & ex gravi neceſſitate à Metropolitano probata, perfectæ ſubmiſſionis exemplum relicturus, à tribus Epiſcopis ſuæ Metropoleos litteras ſui diſceſſûs cauſam, & eorum aſſenſum continentes, expetijt, quas proprijs obſignatas ſigillis, ut in Archivo conſervantur, referemus.

NOS Carolus Sueſſionenſis Epiſcopus, Hieronymus Comes Cathalaunenſis, & Iohannes Dux Laudunenſis, Pares Franciæ, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Notum facimus quòd data præſentium in civitate Remenſi illuſtriſſimus & reverendiſſimus DD. Cardinalis S. Apollinaris de Lotharingia nuncupatus, Archiepiſcopus, Dux Remenſis, & Metropolitanus noſter ſignificavit nobis ſe nihil magis in votis habere, quàm ut oves ſuas agnoſcere, eáſque verbi divini prædicatione paſcere, & ea omnia, quæ ad omnipotentis Dei gloriam, & conſcientiæ ſuæ exonerationem ſpectant, exſequi; & propterea reſidentiam perſonalem in ſuo Archiepiſcopatu exhi- *An.* 1565.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1565.

„bere poſſit. Sed quando in ea incidimus tempora, ut propter malevolorum „audaciam, & multorum forſan de religione Catholica malè ſentientium, „erga eum impiam voluntatem, in dicto ſuo Archiepiſcopatu ſibi reſidere „non poſſe videatur, noſtram de ea re petijt ſententiam. Cum autem ſatis „ſupérque conſtet de inimicitiarum erga eum cauſis, optimèque noverimus „quantùm tanti, támque de Repub. Chriſtiana benemerenti Principis jactura, „non modò huic Regno; ſed univerſo orbi Chriſtiano, hac maximè tem„porum iniquitate eſſet allatura, idcirco nos illuſtriſſimum Cardinalem „præfatum, his de cauſis ab Eccleſia & diœceſi Remenſi ſecedere, ínque „tutiorem locum ſe recipere poſſe declaramus, & ſentimus &c. Remis in „palatio de Tau tertio Id. Maij an. 1565.

Cardinalis diſceſſurus ſuæ diœceſis curam probis ac doctiſſimis viris reliquit; luſtravit tamen priùs majus Hoſpitale Remenſe cum Capituli Deputatis, penes quos tunc Hoſpitalis regimen ſtabat, viſáque pauperum multitudine, ſeipſum ac ſucceſſores obſtrinxit ad aliquod ſubſidium præſtandum ijs, qui licèt integris viribus, ſuo tamen labore languidam familiam tolerare non poterant: hujus exemplo Clerus, & cives Remenſes aliquid ſe pariter erogaturos ſingulis hebdomadibus ſpoponderunt, quòd religiosè ſatis hactenus eſt obſervatum.

Sexto Julij die Remis egreſſus, ivit Sueſſionem, ubi à Principe Condæo velut conſobrino honorificè cultus & ſuſceptus eſt, muſſitantibus hæreticis, quibus Cardinalis dignitas & eruditio æquè exoſa tunc erat & ſuſpecta. Inde Pariſios perrexit, ſuæ familiæ Principibus, lectiſſima nobilitate & aliquot armatis militibus comitantibus; Præfectus militum Monmorenciacus Inſulæ Franciæ Toparcha, legibus vim fieri reputans, Rex enim vetuerat ne quis catapultâ, vel ſtropio tectus incederet, in vico Sancti-Dionyſij eum aggreditur, tantóque impetu in comitatum irrupit, ut Cardinalis coactus fuerit in vicinam domum ſe recipere; hanc injuriam ægre decoquendo ab homine illatam, qui in Lotharingicæ ſtirpis Principes ſimultatis neſcio quid retinebat, Rex diſcordiarum ſemina radicitus tollere cupiens, in mutuum hos complexum venire juſſit apud Molendinum.

An. 1566. Haud abſque ſingulari Dei providentia contigit, ut hoc luctuoſiſſimo tempore, quo in ſacroſanctam Euchariſtiam contumelioſa verba proferebant ſacrilegi obtrectatores, à cacodæmone obſeſſa Lauduni exorciſmis operante Epiſcopo liberata fuerit, præſente & virtutem præbente Sacramento, ad Calviniſtarum confuſionem, qui illuc magnâ frequentiâ convenerant; coacti etiam nolentes agnoſcere, qua præditi ſint auctoritate veri ſucceſſores Apoſtolorum in Eccleſia Catholica.

Carolus probè ſciens hæreticas factiones quibuſdam Aulæ Principibus non diſplicere, ut turbatis rebus, ex Regni direptione & exitio fortunam cumularent, ſtatuit omnem de ſeipſo aufere ſuſpicionem repentino reditu in propriam diœceſim, quò eorum conſilia tutiùs deprehendere poſſet; at ſibi ab his paratas inſidias rediens vix evadere potuit, cum ſuæ ſupellectilis diſpendio & vitæ periculo. Remenſe capitulum ingreſſus 14. Junij decretales litteras Pij V. Pontificis obtulit pro Tridentini Concilij obſervatione, petens ut in acta à Baſilicano Libellione referentur, quod factum eſt nemine refragante; obtinet quoque ſemipræbendarum ſuppreſſionem, ob tenuiores reditus, ſpondens ſe unionem menſæ abbatialis Signiacenſis proſecuturum in Curia Romana cum menſa capitulari, quò Canonicatus pinguiores eſſent, & amplioris reditus.

An. 1567. Fuit annus proximè ſecutus Regno admodum lugubris & funeſtus, heterodoxorum inſidijs in Regem ipſum Meldis redeuntem, & tumultibus per omnes ferè provincias excitatis, ſpecie ſiquidem propriam ſectam tuendi, quaſi nupero congreſſu Eliſabethæ uxoris Philippi Hiſpani cum Carolo Rege

Rege apud Baïonam, nova coïsset inter eos confœderatio, statuunt aliquot urbes ex celebrioribus opportuno loco sitis intercipere, Helvetios in subsidium Regis evocatos internecioni dare, & Cardinalem expellere ex Aula, quem omnium discordiarum incentorem prædicabant. Condæus magna militum manu Suessionem de improviso aggreditur & capit, ubi tanta atrocitate milites in Ecclesias, sacráque reliquias & imagines desæviunt, ut Turcæ, præ horum insolentia, modestiæ laudem mereantur. Idem præstitum per minores urbes, oppida & vicos diœcesis, cum Christiani nominis, si tamen hoc digni sint, dedecore & infamia. Remis quoque trepidatum, quòd suarum partium ibi homines essent, inter quos notatur quidam dominus de Vermericourt. Detectæ insidiæ cives ad strictiores compulerunt excubias, inducti etiam in Urbem præsidiarij milites, pro quorum stipendio Clerus pecuniam contulit, sacræ supellectilis oppignoratione. Pugna Sandionysiana mox secuta est, felix & fausta Catholicis, pro qua actæ Deo gratiæ per omnes Ecclesias 14. Januarij. Grassantibus per Campaniam hæreticis, Carolus Cardinalis longè celebrem Remis supplicationem indicit, qua sacra Sanctorum liptana per Urbem perlata sunt, imprimis verò sanctissimi Remigij Francorum Apostoli, cujus capsa è proprio sepulcro post hominum memoriam educta non fuerat; longâ siquidem patebat experientiâ nusquam prædicti Tutelaris opem à Remis imploratam sive tempore famis, & pestilentiæ, sive etiam siccitatis, aut inundantis pluviæ, quin eam certò retulerint, ut mox etiam contigit in prælijs de Jarnac & de Moncontour, quibus hostium copiæ à regijs cæsæ sunt & profligatæ. Referunt memoriæ capsam hac supplicatione vigintiquatuor Senatorum humeris delatam, in suæ observantiæ & religionis monumentum; Carolus interfuit nudis pedibus, quò toti Clero pietatis exemplum foret, & Eucharistiam majori civium parti postero die ministravit ad altare B. Magdalenæ, ubi sepulturam delegerat.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1568.

Suessionem hæretici intercipiunt, ac Ecclesias expilât & vastant.

In Hispaniam profecturus, Virdunensi Episcopo vices suas per diœcesim commisit, Franciscum à Lotharingia fratris filium ad Canonicatum Remensem promovit per obitum Roberti Grossane, præcipiens ut inter minores locum reciperet, nulla habita ratione suæ nobilitatis. Canonicis Suessionensibus omnibus bonis spoliatis tradi jussit calices, & ornamenta, ex conclusione capit. 16. Martij ubi sic habetur *Dalmatica & tunica de panno aureo raso ex dono Francisci I. petentibus data sunt &c.* Missus igitur à Regina matre Catharina, ut Regi Hispano condoleret ob Elizabethæ uxoris obitum, & ut alteram Elizabetham Maximiliani Imperatoris filiam in uxorem pro Carolo postularet, legatio fortunatè cessit, eámque redux in Galliam apud Macerias excepit, quæ Regi nuptiali nexu sociata est 26. mensis Novembris Cardinalis Borbonij ministerio; at paullo post à Lotharingo Regina coronam suscepit 26. Martij anno 1571. præsentibus Borbonico, Guisiano, Astensi, & Pellevæo, Cardinalibus.

An. 1569. 1570.

An. 1571.

Rege Metas pergente, Carolus itineris comes esse voluit, quò faciliùs Ecclesiæ sub Præfecti tyrannide gementi pacem conciliaret, Sacrísque in Æde principali primâ Dominicâ Quadragesimæ celebratis, Rege præsente perelegantem habuit concionem, qua testimonijs Scripturæ & Patrum ostendit hæreticos dæmonibus pervicaciores esse, cùm Filij Dei divinitatem confitentes, potentiam negarent in transsubstantiatione; licèt dæmon dixerit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Nihil reliqui faciebat vir bono publico natus, quin singulis momentis Ecclesiæ proficeret. Certior factus Pontificem reprobâsse Breviarium à Sanctæ-Crucis Cardinale collectum, quòd contractius esset & nimis abbreviatum, Capitulo confestim significavit, monens ut vetus Remense, quo Clerici per totam diœcesim utebantur, reformaret. Nova insuper suppelectile sacristiam

Matth. 4. 3.

suæ

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1571.

suæ cathedralis Ecclesiæ locupletavit, thesaurúmque auxit ditissima Cruce auro illita, in cujus pegmate inclusa servatur pars notabilis Ligni Vitæ, coronæ spineæ, vestis purpureæ, arundinis &c. Dedit præterea insignem lipsanothecam, qua sanctissimum defertur Sacramentum cum Baldachino phrigio, gemmis & auro texto: tum se gravioribus prepeditum cernens negotijs eo tempore, quo ætas vergebat ad occasum; ne inter varias, quas pro Regni salute obire solebat, peregrinationes, mors irreperet hæreticorum sibi insidiantium dolo, testamenti tabulas confecit, quæ tanti Cardinalis pietatem in Deum, firmitatem in Fide, ac mundanæ gloriæ contemptum egregiè testantur, quas in historia vernaculè conscripta subjecimus.

Antequam discederet, de erigendo Remis Seminario, in quo juniores Clerici ad virtutem & ceremonias Ecclesiæ erudirentur, juxta Concilij Toletani decisiones, Tridenti renovatas, seriò cogitavit, perfecítque ut ante obitum fundamenta ponerentur amplissimæ cujusdam domûs in vico qui Barbastrum nuncupatur, constructæ, ubi per integros octodecim annos prædictum stetit Seminarium, ex inscriptione lapidi incisa ad exterius portæ fastigium, & quæ etiamnum remanet: quamvis domus tota quanta est cum ambitu à Patribus Carthusianis pridem empta fuerit, eáque velut subsidio utantur. Ut verò tam juniores Clerici, quàm ijs præpositi haberent unde viverent, propositerat ex consensu Capituli duas ad hoc annectere Præbendas majoris Ecclesiæ, quarum una communitati; altera Præposito cederet: unde hoc titulo haud ita post Nicolaus Pinteau Doctor Theologus eâ potitus est, cui Claudius Paillot succesfit, & post hunc Nicolaus Mevilier, qui omnes in Seminario commorantes, Clericis excolendis, aut ad pietatem informandis dabant operam. Statuerat etiam in prædictæ domûs ampliorem dotem conjungere decem præbendulas, quas vulgo paupertates S. Rigoberti nuncupant, Capellas sui palatij, & Castri de porta Martis, decimas de Beru, legata Thomæ Cauchon, & Claudij Charpentier, Prioratum de Ventelay, Præposituram de Villa-dominica, & aliquot alios census in tabula fundationis recensitos, quæ omnia in Capitulo lecta & approbata sunt, & ab eo è Canonicis quidam selecti, qui horum omnium in Curia comprobationem sedulò persequerentur. At Cardinale è vivis sublato, opus hoc egregiè excogitatum, ad exitum perduci non potuit, pleraque ex his ad propriam scaturiginem redierunt: Seminarium tamen stetit studio illustrissimi Cardinalis à Guisia Caroli successoris in Archiepiscopatu, qui è Barbastro, in locum Collegij bonorum-puerorum contiguum, illud transtulit, quòd longius ab Ecclesia cathedrali distaret; ubi sat elegans & amplum constructum ædificium cum aula communi, officinis & bibliotheca, quam multis instructam voluminibus optimè coopertis vidimus. Datúmque Capitulo jus litteris 18. Julij anni 1578. choriales pueros quatuor, post consuetum Ecclesiæ præstitum obsequium, præsentandi, ut in eo recipiantur, si locus vacuus fuerit, Præpositúmque obligandi ad Seminaristas deducendos diebus Dominicis & festis, ut divino intersint Officio majoris Ecclesiæ, juxta leges fundationis.

Aliam quoque superaddidit longè celebrem fundationem, qua vult singulis annis duo celebrari anniversaria, primum die festo S. Matthiæ Apostoli pro salute Francisci à Lotharingia Ducis Guisiani fratris sui, aliud die Mercurij post festum S. Luciæ, vel eo die, quo obitus ejus contigerit, cui Canonici omnes, Capellani, Vicarij, Custodes, adesse solent majoris campanæ sonitu, quæ pervigilio festi horâ septimâ per semihoram pulsari debet. Sanxit etiam ut singulis diebus Dominicis Adventûs Domini, fiat supplicatio post Vesperas & statio in navi Ecclesiæ, Cantore & Subcantore vestitis cappis sericis, cum baculis, incipientibus hymnum *Inviolata.* & *Mittit ad Virginem &c.*

Præcipit

Præcipit etiam ut die Jovis majoris hebdomadæ poſt Chriſmatis conſecrationem, à Diacono miniſtrante, comitantibus alijs Diaconis & Subdiaconis, deferatur Ss. Sacramentum ad altare S. Crucis, eo ordine & ritu in ceremoniali deſcripto; & ut poſt Matutinas prædictæ diei inſtruatur proceſſio ad ſeptem ſtationes in totidem altaribus diſpoſitas, cum majori Cruce ex dono ipſius proveniente; prima ſtatio fit ad altare S. Crucis in capite Eccleſiæ, ſecunda ad altare ſanctæ Catharinæ quod eſt in majori Hoſpitali; tertia ad altare S. Nicolai in eodem Hoſpitali; quarta ad altare parochiæ S. Michaëlis; quinta ad altare Ss Jacobi & Chriſtophori in ſacello veteris Congregationis; ſexta ad altare B. Mariæ in navi Eccleſiæ; & ſeptima ad majus altare. Crux defertur à quatuor Seminariſtis albâ indutis, alijs comitantibus octo tædas geſtantibus, choro interim ſeptem pſalmos pœnitentiales recitante cum litanijs *Aufer à nobis.* CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1572.

Vult item fieri ſingulis annis in perpetuum ſollemnem ſupplicationem die Paſchæ ante Matutinas, qua deferatur ſanctiſſimum Sacramentum ab Archiepiſcopo, vel à primarijs Dignitatibus, progrediendo ab altari per chorum & navim Eccleſiæ, & inde per ambitum chori, pro quibus dedit in augmentum Præbendarum, & ut Canonici ad reſidentiam magis alliciantur, quatuor mille libras annui reditus, accipiendas ſupra Ducatum de Chevreuſe, & dominia de Meudon & de Marchais; hæc enim Carolus ad hanc ſummam oppignerat, quæ redimi poteſt ab heredibus, octoginta millibus florenorum numeratis.

Aſcetæ Remigiani PP. Minimos Remis in ſuo S. Coſmæ Prioratu excipiunt favente Archiepiſcopo Cardinali Abbate Commendatario.

CAPUT LXI.

ENITUIT hoc anno Cœnobitarum S. Remigij & Caroli Cardinalis Abbatis Commendatarij munificentia in ſancti Franciſci de Paula Sodales, quos in urbis Remenſis ſinum velut profugos exceperunt, hic & illi prædeceſſorum gloriam æmulantes, quibus maxima fuit erga novellas Religioſorum familias propenſio, quas in decus Cleri, & ad plebis ſalutem promovendam natas & inſtitutas eſſe comperiſſent.

Severioris hujuſce inſtituti glorioſus Patriarcha in Galliam venerat ſub Ludovico XI. tantúmque nominis acquiſivit ob varia quæ in eo relucebant chariſmata, ſacram inediam ſcilicet, humilitatem, & miraculorum donum, ut hic adhuc inter homines degens, pro Sancto haberetur, perinde carus omnibus ac mirabilis: inter proſpera illud haud ultimum cenſeri debet, quòd Ordinem ſuum viderit à ſummo Hierarcha approbatum, propagatum per omnem Italiam, & receptum in Gallia; & quod raro contigit, ipſemet mox ab obitu inter Cælites relatus ſit à Leone X. juxta Genebrardum & Volaterranum. Scribit Argentreus Dionyſium Briçonnet Remenſem Archidiaconum, ob id à Franciſco Engoliſmenſi Comite miſſum ad Leonem X. anno 1507. hic fauſta legatione velut augurio ſignificâſſe tanti Patris alumnos aliquando Remis pedem fixuros celebri Conventu, quem Sanremigiani cum Carolo hoc anno Sodalibus hinc inde diſperſis velut aſylum ſtabilire diſpoſuerunt: domo ſiquidem de Bracacurte Lingonenſis diœceſis in favillas redacta, Calviniſtarum rabie, qui per Campaniam impunè graſſantes ſacra quæque loca impijs manibus dejiciebant anno 1569. Antonieta de Borbonio Caroli mater (cui locus ille carus erat) per curſorem ociùs eum monuit ut curam Patrum gereret, quos prædicti Conventus

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1571.

ventûs casus exsulare compulerat. Carolus probè sciens quantùm utilitatis & fructus ex horum concionibus, & conversatione promanaret, hos Durocortum venire jubet, per Vicarios suscepit, & aluit in palatio suo archiepiscopali; tum animo versans quo pœne nascentem Ordinem devincire posset, duobus, quæ jam inchoaverat, Academiæ scilicet & Seminario, novi Conventûs erectionem addere statuit in honorem Trinitatis. Unde 10. Januarij anni 1572. ex Aula rediens, quò recèns à se propositum firmiùs stabiliretur, de conditionibus dotis seriò egit cum Patre le Tellier Provinciali, decrevitque Conventum statuere intra fines dominij S. Remigij & in ipso fundo, Monasterij, de consensu Monachorum, Administratoris præsertim Prioratûs sanctorum Cosmæ & Damiani, ubi prædicti Patres sedem fixerunt, retinéntque in hodiernum diem, quibus idem Cardinalis Archimonasterij impensis aliquot domos emptas de novo superaddidit cum hortis contiguis, pro struendis ædificijs, ut tam Ascetæ Remigiani, quàm ipse Carolus, & eorum successores, Conditoris nomen retinerent, quæ omnia mense Aprili anni 1596. à Rege Christianissimo laudata sunt, & 5. Julij à superiori Senatu confirmata. Vix ædificiorum moles, cellulæ, & triclinia surrexerant, cùm fortuito incendio deformata corruunt 15. mensis Septemb. an. 1580. Fertur id contigisse famuli incuriâ, qui storeæ candelam sopore pressus admoverat; at ut de novo fierent, non mediocrem paullo post pecuniæ vim contulerunt Henricus III. Francorum Rex, Ludovicus item Cardinalis à Guisia Remensis Archiepiscopus Archimonasterij Commendatarius, Capitulum Remense, & primarij cives, quorum stemmata hinc inde picta, aut lapidibus insculpta cernuntur. Crescentibus eleemosynis, brevi id opus, quod cernitur, fastigium accepit, collatisque in unum amicorum symbolis, actum de construenda nova Ecclesia, cui primarium lapidem posuit Ludovicus Cardinalis anno 1583. dedicatio tamen remissa est ad annum 1630. quo Henricus Clausse Cathalaunensis Episcopus, à summo Pontifice delectus fuerat Remensis Archiepiscopatûs Administrator in spiritualibus & temporalibus, Henrico à Lotharingia ob juventam necdum satis idoneo; tunc enim consecrata fuit 27. mensis Aug. in honorem Dei, Reginæ Angelorum, & B. Francisci, ut ex inscriptione palam fit, quæ ut constructionis, sic & consecrationis dies & annos subjicit his verbis.

JESUS ✠ MARIA.

Ad laudem sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.

LUdovicus Lotharingus Cardinalis à Guisia, Archiepiscopus, Dux Remensis, Primus Par Franciæ, Legatus-natus, Archicœnobij divi Remigij Abbas prima hujus Ecclesiæ fundamenta ab eo benedicta jecit in honorem Dei omnipotentis, & Deiparæ Virginis Mariæ Angelorum Reginæ, & divi Francisci de Paula hujus Ordinis Minimorum Institutoris VI. *Id. Maij An. M. D. LXXXIII.*

Ad gloriam Dei.

Anno 1630. die secunda Augusti. illustrissimus DD. Henricus Clausse Episcopus Cathalaunensis hanc Basilicam dedicavit in honorem B. Mariæ Angelorum Reginæ, & sancti Francisci de Paula, altare quidem majus in honorem ipsius Dominæ Angelorum; altare autem, quod est ad meridiem, in honorem sancti Francisci de Paula; altare verò versùs septemtrionem in honorem beatæ Virginis & sanctorum Cosmæ & Damiani, altare demum majori posteriùs versùs orientem, in honorem sancti Iohannis Baptistæ, cum reliquijs sanctorum Livinij Martyris, & Memmij Episcopi Cathalaunensis in singulis altaribus capsulis plumbeis inclusis.

Prædicti

Prædicti Conventûs dotem Carolus ſuper Monaſterij reditus & dominia aſſignaverat ſingulis annis recipiendam; erat hæc quingentorum, ut fertur, aureorum; at ſucceſſores, quibus gravis & oneroſior videbatur, ſolutionem prorogantes, prædictam à ſeipſis ſarcinam excuſſerunt; & ſic Minimorum Remenſis familia indotata permanſit. Refert Chopinus litem in Pariſienſi Senatu intentam fuiſſe à D. Franciſci ſodalibus in prædictos Archiepiſcopos, non quòd hos deturbâſſent à ſuo Conventu, ut falsò ipſe ſupponit, ſed ob conventam à Carolo dotem, denegatam, habitáque ratione multorum, qui ibi à prima inſtitutione habitum Religionis induerant, tribus decretis interpoſatis annis 1589. 1590. & 1594. confirmatum pactum inter Cardinalem & Patres Minimos initum; at Philippus du Bec ſtatim ac Commendatarius renunciatus eſt, lite renovata, petijt arreſta Curiæ retractari, nullitatis contractum arguens, bullámque Clementis VIII. oneroſioris dotationis confirmatricem, & ejurato Judice, ad civile tribunal provocans, Curia ſecretiori ſeceſſu litem dirimendam cenſuit 19. Maij 1598. Patres ab eo tempore, an juri ſuo diffidant, neſcio, ab Abbatibus omnino nihil impetrare potuerunt.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1571.

Præter Archimonaſterij Aſcetas præcipuos fundatores, ac Cardinales à Lotharingia & Guiſia Commendatarios Abbates, acceſſit in partem Carlota de Rapponel relicta Andreæ du Drac Pariſienſis Conſiliarij, & Maria du Drac Huberti Comitis de Saint-Souplex uxor, cujus ſumtibus frons Eccleſiæ conſtructa eſt anno 1610. Proſtant etiam in Eccleſia & in clauſtro clarorum virorum inſignia, quibus patet aliquid certatim contuliſſe ad prædictæ domûs perfectionem & incrementum, inter quos eminet Henricus Aurelianenſis Marquiſius, qui latus unum clauſtri vitreis feneſtris tegi & exornari fecit, ob id inter benefactores meritò computandus.

Ceterùm tot Religioſis vitæ ſanctimoniâ, & victûs aſperitate, & ſcientiarum luce nitentibus prædicta refulſit familia, ut maximum urbi Remenſi hactenus præſtiterit, majúſque in dies polliceatur ornamentum. Hi agmen ducent, qui flagrantis ſapientiæ ſtudio acres ad virtutem ſtimulos ſubjecerunt, ac præclara eruditionis ſuæ decora populo tam Remis, quàm per diœceſim feliciter exhibuerunt, Jacobus le Gouſt Concionator inſignis anno 1591. Daniel Vorot ſtupendæ doctrinæ an. 1601. & 1608. Ægidius Camart Retellinus, Ordinis Generalis anno 1622. Franciſcus la Far, factus Regienſis Epiſcopus an. 1624. Abraham Patron anno 1636. & Franciſcus Bourgoin an. 1641. & plures alij, qui tractando Dei verbo, & convertendis ad Deum erronibus ſtrenuam navârunt operam. His adduntur haud minore gloria digni, qui ſanctæ converſationis redolentes fragrantiâ, regulari quoque diſciplina fulſerunt, Hippolitus Raulin pietatis cultor eximius, Johannes le Maire integerrimæ ac laudatiſſimæ vitæ, Johannes Mopinot Remus, Nicolaus Fondeur Retellinus, Pontius Jambar ex S. Nicaſij alumno inter ſodales S. Franciſci receptus, tribus generalibus Capitulis interfuit, obiitque Francicam luſtrans provinciam Collegæ generalis titulo, Hyeronimus Frizon ob virtutes per totam Galliam notus, & alij bene multi, quos hîc brevitatis gratiâ prætermitto, cùm plerique noſtro hoc vixerint ſæculo, tantóque ferveat ardore nobile hoc inſtitutum, ut ex norma vivendi admodum aſpera, optimis colloquijs, & humilitate, quilibet exempla ſumere poſſit ad bene & inculpatè vivendum.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1572.

Conſtitutiones Carolus Clericis ſuæ diœceſeos præſcribit, intereſt electioni Gregorij XIII. Pro Clero concionem habet coram Rege, cui & ſalubria dat conſilia pro Regni ſtatu optimè componendo, moritur cum ſummo totius Galliæ mœrore.

CAPUT LXII.

EA dum Remis fierent, quæ antea breviter expoſui, Carolus Cardinalis, qui anno præcedenti totius diœceſis parochias incredibili diligentia luſtraverat, Synodum menſe Aprili anno 1572. adunavit, quò Paſtores hortaretur ut ovibus regendis ſollertiùs intenderent, daréntque operam ne ſynodales Conſtitutiones, quas ipſe dictaverat, oſcitanter exſequerentur, quibus cautum ab eo, ut in ſeligendis Catechiſtis, & ſcholaribus Magiſtris, ſeu etiam in Clericorum receptione, percautus & diligens haberetur delectus, juxta ſequentes articulos, quos hîc ex pridem editis exhibemus.

„ CUm in noviſſimo viſitationis noſtræ diœceſeos curſu, juxta ea quæ in „ ſingulis ejuſdem parochijs aliqua animadverſione, aut recenti ordina„ tione egere videbantur; pro tempore ac otij, quo tunc fruebamur, exiguitate, „ quædam quibuſdam parochijs, ac earum Cuſtodibus injunxerimus, quæ „ reliquis non minùs neceſſaria, atque opportuna cognoſcuntur: nunc ge„ neraliter atque ex æquo omnibus & ſingulis noſtræ diœceſeos parochijs, „ Parochíſque injungenda cenſentes, ea quæ ſequuntur ordinamus, & ſtatui„ mus, quæ in poſterum ſynodalium ſtatutorum vim, ac vigorem ſortiri jube„ mus; ac præcipimus.

„ Ac primùm, quoniam indecorum eſt in Eccleſijs, in quibus verbum Dei „ aſſiduè prædicatur, non reperiri ſacrarum Litterarum & Evangeliorum biblia, „ ordinamus & injungimus omnibus & ſingulis Cuſtodibus ſeu rectoribus fa„ bricarum Eccleſiarum parochialium dictæ noſtræ diœceſis, ut quàm primùm „ dictarum fabricarum impenſis, ſi modò earum reditus id ferre poſſit, emant „ ſacrorum librorum volumen editionis latinæ vulgatæ, ac per nos approban„ dæ, & collocent illud in ſua Eccleſia catenâ ferreâ ligatum ſuper pulpitum „ retro majus altare, ſive alio loco qui magis idoneus reperietur, ad quod „ recurrere poſſint tam Curatus, quàm ij quibus opus fuerit.

„ Ijſdémque impenſis ac eodem loco habeatur aliud volumen nuncupatum „ *Catechiſmus ad Parochos*, per ſanctiſſimum dominum Pium V. ex decreto „ Concilij Tridentini evulgatum.

„ Præcipimus autem omnibus & ſingulis Parochis dictæ noſtræ diœceſis, „ ut ſingulis diebus Dominicis, quoties inter Miſſarum ſollemnia pulpitum „ aſcendent, & alta & intelligibili voce Epiſtolam & Evangelium dictæ Do„ minicæ currentis gallico ſermone proferre, ac pronuntiare, atque inter„ pretari ſemper aliquid ex eis, uti judicabunt pro tempore magis expedire, „ juxta creditum illis à Domino Deo talentum, atque auditorum capacitatem.

„ Nec tamen præterea deſinant populum ſuum in ijs exercere, quæ ſibi „ imperata repererint, legendo dictum Catechiſmum ad Parochos, veluti „ in articulis Fidei, præceptis Decalogi, ac in inſtitutione, uſu, & efficacia „ ſacramentorum.

„ Ut autem in Evangeliorum ac Epiſtolarum prædictarum verſione delectus „ optimus habeatur, eam verſionem valde probamus quæ ſub Magiſtri Nico„ lai Cheſneau Preſbyteri Raſtreu Remenſis diœceſis nomine nuper in lucem prodijt,

Digitized by Google

prodijt, cum orationibus commodiſſimè adjectis, ex typographia Johannis de Foigny noſtri Typographi brevi volumine, quod ab omnibus & ſingulis noſtræ diœceſis Curatis comparari, atque aſſervari, legíque præcipimus. « CAROLUS A LOTHA.

Statuimus inſuper quòd deinceps in ijs oppidis & pagis noſtræ diœceſis, quibus id opportunum, & utile eſſe cenſebitur, quíque impenſas ferre poterunt, aut ſponte volent, ſit unus ſcholæ Magiſter probatæ litteraturæ, per nos, aut Vicarios noſtros deſignandus & approbandus, qui juventuti inſtituendæ, tam in primis litterarum elementis, quam in catecheſi Chriſtiana exercenda præficiatur, cui ex annuis Eccleſiæ reditibus, aut aliunde, uti commodiùs fieri poterit, de ſalario ac ſufficienti ſtipendio provideatur. Ut autem perpetuò pueri juxta dictam noſtram ordinationem in ea catecheſi erudiantur & exerceantur, dicti ſcholæ Magiſtri & Catechiſtæ, qui huic muneri per nos, aut dictos Vicarios noſtros præficientur, libros catecheſim continentes, ac per nos approbatos, atque edi juſſos, eos etiam qui ſub nomine Edmundi Auger Societatis Jeſu circumferuntur ſecum ferant, quos etiam ſcholares emere teneantur, ſingulíſque diebus Dominicis unâ horâ ante Veſperas in Eccleſia reddant pueri rationem de ijs Catechiſmi articulis, quos per hebdomadam didicerant, examinati per dictum ſcholæ Magiſtrum, ſeu alium Catechiſtam, Curato, populóque, quo ad fieri poterit, præſente, ut doceatur univerſa plebs, & ea quæ ad ſalutem pertinent ſæpius auribus atque intellectui inculcata, difficiliùs excidant. Quòd ſi tunc Curatus vel Catechiſtes pluribus verbis velint coram populo materiam amplificare, atque explicare, præterquam quod id ſibi maximæ laudi, ac Deo placens miniſterium futurum eſt, nobis occaſionem præbebunt eos ad ampliores dignitates & gradus provehendi. « CAROLUS A LOTHARINGIA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1572.

Quoniam verò comprobatum eſt plurimos ad tonſuram clericalem, per quam ad ſacros Ordines, atque eccleſiaſtica miniſteria patet aditus, accedere, ſæcularis fori declinandi potiùs cupiditate, quàm perſequendi inſtituti eccleſiaſtici aut Eccleſiæ inſerviendi deſiderio ductos; ordinamus & ſtatuimus eos deinceps ad eam non admittendos, qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint, quíque legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicij fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

Ex his autem ſingulis annis non plures, quàm duo ex ſingulis noſtræ diœceſis parochijs ad prædictam tonſuram admittentur, qui à Curato loci eligentur, ab eóque cum litteris commendatitijs ad Magiſtrum Seminarij Remenſis mittentur, qui eos examinabit an ſciant legere & ſcribere, & an probè catechiſati fuerint, & ſi catecheſim memoriâ teneant, & de articulis in ea contentis reſpondeant: tunc nobis offerentur tonſurandi in habitu decenti, ſcilicet lineo ſuperpellicio & tonſura in capite ad nummi menſuram. Hi autem ſinguli pro juribus omnibus epiſcopalibus Seminario tres ſolidos Turon. numerabunt, nec aliud quidquam amplius ab eis pro litteris, & regiſtro exigetur, præter aurei-ſolaris decimam partem.

Injungimus etiam Decanis-ruralibus & Eccleſiæ noſtræ Archidiaconis, ut tam illi in Calendis, quàm hi in eorum viſitatione, ſedulò inquirant an his noſtris ordinationibus ſit ſatisfactum, curéntque ne tam ſalubre inſtitutum negligatur.

Ex his liquidò patet quantum laboris & ſtudij impenderit Carolus in componendo Clero, rebúſque ritè perficiendis, quæ ad promovendum Dei cultum pertinerent: prædictæ conſtitutiones, quæ cum Seminarij legibus multum habent commercij, ſatis innuunt omnia ſua conſilia in id collimâſſe, ut ad exitum perduceret ea quæ mente volverat; at cùm nova ſubinde occurrerent, pleraque imperfecta manſerunt, vel deficiente cenſu An. 1573.

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1573.

(facultates enim munificentiam non æquabant) vel Regni negotijs aliò mentem rapientibus, vel præcipiti morte mox secuta, quæ his fastigium imponere non permisit. Præter Academiam Remensem & Collegium novis exhedris, ampliori area, & circum ædificijs instructum, aliud Mussiponti erigendum consuluit, primariúmque lapidem certo fundamenti loco statuit Ducis nomine, qui & tantæ molis primam sibi gloriam conditoris jure sibi vendicat, bonis quoque legibus & institutis administrationem Hospitalis Remensis temperavit. Cogitavit de Vidula pro onerarijs navibus ferendis aptando; de nundinali atrio inter duo Civitatis mercata construendo, pro quo ligna in saltu Joinvillæo jam incisa erant & dolata; de transferendis Monialibus Aurei-montis in Ecclesiam Sanctæ-Nutricis; & de unione Signiacensis Abbatiæ cum Ecclesia Remensi, pro ampliori Præbendarum dotatione.

Receptis de obitu Pij V. nuntijs, Rege annuente Romam subijt, quò successoris electioni interesset : ipsius adventu Cardinalium conclavis maximo affectus est gaudio, statimque ac Gregorius XIII. in Pontificem renuntiatus est, Capitulum Remense litteris 9. Julij scriptis eodem anno gnarum fecit, eóque ibi moram per novem menses trahente, Calvinistarum cædes contigit luce divo Bartholomæo sacra, tam Parisijs, quàm in alijs urbibus; illata (ut fertur) ob machinationes in Regem sæpius paratas, & quòd audacter & publicè minarentur se Galliæ statum eversuros, nisi templa suæ sectæ concederentur, & libera facultas nova dogmata securè profitendi. Carolus lugubrem suæ patriæ statum, in conclavi sæpius differens coram Cardinalibus, luxit, obtentáque Remensis Archiepiscopatûs coadjutoria in favorem Francisci Lotharingi, fratris filij, & facultate erigendi Academiam Mussiponti in Lotharingia, Remos redijt anno sequenti, illúcque Rex, Regina & Principes profecti, adulto mense Octobri egerunt de medijs exstirpandi radicitus bellorum zizania, quæ factionibus hæreticorum ubique succrescebant. Eodem tempore vivis subtractus est Franciscus à Lotharingia Guisianæ familiæ flos lectissimus, cujus egregia indoles, & ad virtutem innata propensio per omnia patruo similem futurum, si vixisset, pollicebantur; at Deo meliora providente raptus est anno ætatis quartodecimo, viatico de more patrui manibus recepto, ac tumulatus in sepulcro Guisianis destinato ponè sacellum S. Crucis. Ludovicus à Lotharingia ei successit in Canonicatu & Archiepiscopatu.

Idem annus celebris fuit urbium Sancerræ & Rupellæ obsidione, quò Rex Calvinistis negotium faceseret, quibus prædictæ urbes erant refugio; Bartholomicam enim cædem ulturi, bellum civile per omnes provincias incenderant. Andegavensis Dux Poloniæ Rex electus, cùm mense Februario Rupellam applicuisset, obsidio acriùs instituruus, à Clero Rex subsidium petijt, indicto ob id Conventu in octavis Ss. Sacramenti, ubi rogatus Carolus concionem habere, pro Clero coram Rege elegantissimè peroravit, promisítque Clerum suppeditaturum pro vindicandis undecim centenis millibus librarum annui reditûs urbanæ domui Parisiensi oppigneratis; & quò vices rependeret Duci Andegavensi tot egregia edenti facinora pro Ecclesiæ Catholicæ tuitione, addit permittente Rege daturum octoginta librarum millia, quibus uteretur pro sumtibus itineris Poloniæ mox suscipiendi. Caroli concionem judicij plenam, & eloquentiæ alibi retulimus, ne plus satis hic liber excurreret.

In hist. Galliæ scripta necdum edita.

Andegavensis Dux Henricus ad iter Poloniæ cum lectissimo equitatu se accingens, Remos transijt, ubi hunc Carolus perhonoriticè suscepit, comitatúsque est eum usque ad Regni confinia, idem Rex facere moliebatur; at subitò correptus morbo apud Vitriacum in Campania, ulteriùs progredi non potuit. Indictæ sunt puerorum supplicationes per omnes Ecclesias

Digitized by Google

Ecclesias pro ipsius valetudine; his quæ Remis celebratæ sunt 14. Maij Carolus interfuit nudis pedibus, multùm siquidem morbi fama Catholicos angebat, ob mala quæ toti Regno imminebant à Calvinistis: Rex nihilominus mærore potius animi, quàm morbo oppressus egit animam in ipso juventutis flore 30. Maij anni 1574. Carolum hæc mors præmatura acerbissimè punxit, eóque die justa Remis celebrata sunt, elogijs funebribus Regi parentavit, multa de inculpata ipsius vita differens, & quanto hunc odio persecuti sint hæretici à juventute, sumto pro concionis (quæ omnium ultima fuit) argumento, prophetico versu psalmij, quem de Christo Patres interpretantur: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israël.* tum perrexit funebres exlequias acturus apud S. Dionysium in Francia.

Carolus a Lotha. lxxxi. Archiep. *An.* 1574.

Psal. 128. A.

Calvinistæ Regis obitu ab armis non discedere, sed munitiora quæque loca occupare, successoris metuentes adventum, cujus ardorem sæpius experti fuerant. Hic auditis de obitu fratris nuntijs, relictâ Polonia in Franciam ocius redijt, obviúmque habuit Cardinalem Lugduno, ubi eum præstolabatur, contulítque cum eo de Regni statu & incolumitate: fertur Regi consuluisse ut simonias ab Ecclesia radicitus exstirparet, conferret Beneficia bene merentibus & idoneis, non feminis, aut militibus; Ordinem equestrem institueret de Christi Passione, quibus pro Commendis daretur certa reditûs temporalis portio de consensu Pontificis, & sic canonicæ electiones restituerentur.

Cardinalis Consilium novello Regi, ut egregiæ erat indolis, & verè Catholicus, admodum placuit, inter suscipiendi regiminis primitias ecclesiasticum regimen ad antiquum morem revocare constituerat; at præposterè id adversarij interpretantes, de Cardinale è medio tollendo nefariè cogitârunt, unde Regem usque Avenionem comitatus, cùm die festo B. Virginis mense Decembri in Ecclesia concionem audiret, sensit sibi caput dolere, coactúsque confestim egredi, & lectum petere. Rex sæpius eum invisit durante morbo, monitúsque est secretò à Cardinale ut Deum ex animo coleret, Catholicam regionem fortiter tueretur, hæresimque profligaret, fratrum exemplo: vehementer quoque Navarræum obtestatus est, ut in ea religione, quam recèns professus fuerat, inconcussè perseveraret; tum deficientibus corporis viribus se ad instantem mortem præparavit generali confessione facta Edmundo Auger S. J. P. recitatis deinde Fidei professione, septem psalmis pœnitentialibus, hymno de Passione, & alijs orationibus, mane horâ quartâ, die S. Stephani ad Superos evolavit VII. Cal. Janu. anno ætatis quadragesimo nono cum decem mensibus, anno 1574. *Summo Calvinistarum voto*, inquit Genebrardus, *sive quia sua auctoritate, & consilio illorum conspirationes disturbabat, sive quia in Conventu Possiaco Petrum Martyrem, Bezam, & decem alios Ministros luculenta oratione lethaliter vicerat, & universo Conventui piacularet reddiderat.* Princeps bono Reipublicæ Christianæ natus, clypeus Regni, litterarum cultor, & malleus hæreticorum. Egregio is fuit aspectu, corpore magnus, alios enim toto capite superabat, facie oblonga, directis oculis, fronte lata & exporrecta, frequens divino Officio, propria manu dans eleemosynas, populum pascens verbo Dei, ac seipsum & convivantes lectione tempore prandij; vir pius, liberalis, eloquens, ac necessarijs pollens dotibus ad veterem disciplinam postliminio restituendam, resistendúmque malevolis, Ecclesiæ, ac Regni perniciem molientibus. Prædictas animi dotes Joachimus du Bellay sequenti descripsit elogio.

Genebr. ad ab. 1574.

Quod cunctis natura dedit, quod Numina & astra,
Quod fortuna potens, Carole, solus habes.
Ingenium, formam, eloquium florémque juventæ,
Virtutem, atque animo præmia digna tuo.

Tanti

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. *An.* 1574.

Tanti viri obitus Galliæ lugubris fuit, hunc externa planxerunt Regna, mærore ſacrum replevit Conſiſtorium, víxque Catholicus aliquis fuit, qui triſtitiam teſtatus non ſit, ne incliti protectoris caſum in rem ſuam verterent heterodoxi ; at luxit hunc imprimis Remenſis civitas, quam in multis devinxerat. Capitulum delectos ab ipſo officiarios in munere obeundo perſeverare juſſit, ac de exſequijs curam ſuſcipiens, ſanxit ut Rector Academiæ cum Doctoribus & Baccalaureis medium inter alas teneret locum ab ultima Dignitate in pompa funebri, cùm funus Remos adveheretur. Cardinalium enim Guiſij, ac Pellevæi, ultimæ voluntatis exſecutorum ſtudio delatum fuit 30. Januarij anno 1575. horâ duodecima, tumulatúmque in marmoreo cenotaphio, quod de morte cogitans ſibi poſuerat, cui aureis litteris inſculpta ſequens epigraphe.

D. O. M.

CAROLUS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS A LOTHARINGIA, ARCHIEPISCOPUS, DUX REMENSIS, PRIMUS PAR FRANCIÆ, S. SEDIS APOST. LEGATUS-NATUS. DE MORTE ET RESURRECTIONE COGITANS SIBI VIVENS POSUIT ANNO M. D. LXXIII. PONTIFICATUS SUI ANNO XXXV. VIXIT ANNOS XLIX. MENSES X. DIES VIII. HORAS IV. OBIJT ANNO DOM. M. D. LXXIV. VII CAL. JANUARIJ.

Requieſcat in pace. Amen.

EGO CREDIDI QVIA TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI QUI IN HUNC MUNDUM VENISTI.

Viri doctrinâ celebres qui ſub Carolo Remis vixerunt.

CAPUT LXIII.

ACTIS Caroli Cardin. coronidem impoſiturus, haud alienum duxi aliquot litteratorum hîc attexere nomina, quorum operâ uſus eſt in Synodis, & in regenda Academia, quam Remis ſtabilivit ; cùm enim honos alat artes, mercéſque ſtudioſis ſtimulos addat, Carolus, cui nec remunerandi ſtudium defuit, nec poteſtas, ſat multos in comitatu, eóſque doctrinâ inſignes habuit viros, quibus & de Canonicatu, aut majori Sacerdotio proviſum fuit, cum ſummo Eccleſiæ bono, ut ſequens catalogus indicabit.

Gentianus Hervet.

Gentianus Hervet Aureliæ natus, ac in tribus linguis Hebraïca, Græca & Latina egregiè verſatus, interfuit Concilio Tridentino, ubi tantùm nominis ſibi comparavit, hæreticos luculentis Patrum teſtimonijs revincendo, ut omnibus fuerit admirationi. Evocatus dicitur ab Aurelia per Johannem de Genlis Noviodunum, ut Vicarij-generalis munus obiret anno 1554. at Carolus cognita viri erudione cùm Tridenti ageret, arctiùs ſibi eum adſtrinxit Canonicatûs Remenſis collatione, quem obtinuit anno 1570. Inter præclara ingenij ſui monimenta exſtat tractatus de Sacramento Euchariſtiæ; traductio Clementis Alexandrini cum ſcholijs, & aliquot epiſtolæ, quibus malorum

Digitized by Google

malorum ſcaturiginem Cardinali aperit, attribuitque præcipiti Prælatorum nominationi, abſentiæ eorum à ſuis Sedibus, multitudini ſubſidiorum, ac decimis ſine delectu Sacerdotio impoſitis. Unde enixiùs hunc hortatur, ut horum moderationem obtineat à Rege &c. Obijt anno 1584. quieſcítque in exteriori capitulo Remenſi cum epitaphio græcè & latinè ſcripto. Innocentius Thevet de eo ſic loquitur. CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. An. 1574.

Aureliæ natum, conſervat Remica tellus
Corpus, ſed mores, ingeniúmque libri.

Nepotem habuit ejuſdem nominis, ſuæ profectionis comitem ad Tridentinam Synodum (licèt tunc admodum eſſet juvenis) ex celebrioribus tota Gallia Medicis, & in herbarum natura, & virtutibus diſcernendis nulli ſecundus, qui Medicinam in Academia Remenſi, Græcúmque ſumma cum laude profeſſus eſt, artémque ad diem mortis uſque ingenio ſano & integro exercuit, ſublatus anno ætatis octuageſimo ſecundo, apud Carmelitas Remenſes ſepultus. Hujus operâ patrui commentaria in Clementem Alexandrinum edita ſunt, ut ipſemet declarat in epiſtola ad Lectorem, quam ipſis præfixit.

Richardus du Pré.

Richardus du Pré unus ex duodecim Doctoribus à Carolo IX ſelectis pro Tridentina Synodo, Remenſis Eccleſiæ Theſaurarius, Eccleſiaſtes, & Academiæ Cancellarius, doctrinâ præclarus pietate inſignis, & qui ſe invincibilem præſtitit pro morum reformatione in provinciali Synodo Remenſi. Ingenij quidem ſui nullum poſteritati reliquit monumentum, at eruditiſſimæ ipſius conciones tantùm ipſi nominis conciliârunt, ut inter illuſtres meritò cenſeri debeat. Humana reliquit 14. Aprilis anno 1570. in exteriori capitulo tumulatus.

Nicolaus Colin.

Nicolaus Colin in litteris humanioribus, hiſtoriâ eccleſiaſticâ & prophanâ egregiè verſatus, Theſaurariam obtinuit poſt Richardi obitum; fuit Carolo Cardinali à Secretis, vertítque in Gallicum Granatenſis opera, & aliquot preces horarias, ſitus prope Gentianum in capitulo Remenſi

Promovit etiam Carolus Cardinalis ſibi caros (quorum operâ uſus fuerat) ad dignitates eccleſiaſticas, ut Nicolaum de Pelevè ad Archiepiſcopatum Senonenſem; Nicolaum Pſaume ad Virdunenſem Epiſcopatum, qui decreta Concilij Tridentini primus collegit, edidítque Chriſtianiſſimi Regis aſſenſu, & Carolo benefactori ſuo nuncupavit anno 1564.

Nicolaum Boucher Seminarij Remenſis Protopræfectum, qui Caroli Cardinalis Vaudemontenſis in Epiſcopatu Virdunenſi ſucceſſor fuit, Johannem de la Rochefoucault Majoris-Monaſterij Abbatem Commendatarium renuntiatum Caroli beneficio &c. Tulit quoque hæc ætas inſignes aliquot Concionatores; Antonium Furnerium de quo ſupra, Nicolaum Huſſon, utroſque S. Dionyſij Remenſis alumnos, Petrum Gilbaut Vicedominum utriuſque Juris peritiſſimum; & aliquot alios de Ordinibus Mendicantium.

Nicolaus Beguin.

Nicolaus Beguin Remenſis Eccleſiæ Canonicus, in chronologia tam ſæculari, quàm eccleſiaſtica excelluit; ingenij ipſius acumen, & ſtili elegantia eminet in tribus libris de feſto Paſchatis, quos Carolo dedicavit anno 1561. De eo Gentianus Hervet in ſcholijs ad Clementem Alexandrinum lib. I. præclaram facit mentionem his verbis: *In Regum quoque Perſarum chronographia, varia eſt ſupputatio, quam facile & acutè tradit Nicolaus*

CAROLUS A LOTHA. LXXXI. ARCHIEP. an. 1574.

Nicolaus Beguinus, noſter haud ita pridem collega in Eccleſia Remenſi, in ſuo brevi quidem, ſed accurato & elaborato Calendario apoſtolico Opinor prædictum Beguin uſum libello raro & admodum exquiſito S. Cypriani, cui titulus eſt *Cæcilij Cypriani de Paſcha Computus.* qui Remis in bibliotheca adſervatur, ubi hic Auctor tradit Chriſtum manducâſſe Paſcha cum Diſcipulis, VI. Id. April. V. feria, paſſúmque altera die feria VI.

Nicolaus Bocher.

Nicolaus Bocher Rhetoricam in Academia Remenſi profitebatur anno 1562. tantúmque laboris inſumſit in Ariſtotelicæ doctrinæ ſecretis eruendis, ut apologiam pro ipſius Ethicis conſcripſerit adversùs Audomarum Thaleu Eraſmi fratrem, quam Carolo Cardinali obtulit, ubi doctorum hominum columen hunc & Mecœnatem indigitat.

Tribus his alius ejuſdem nominis Nicolaus Cheſneau addi poteſt, laudatus ab eminentiſſimo Cardinali ob traductionem Evangeliorum, & Flodoardi hiſtoriæ.

Johannes Munier.

Johannes Munier ignobili loco natus in pago de Roſſy prope Celtum-ſancti-Remigij in diœceſi Remenſi, artem gauſapinam exercuit uſque ad annum ætatis vigeſimum ſecundum, quo & Grammaticæ operam dedit tanto conatu & improbo labore, ut Artium lauream obtinuerit anno ætatis vigeſimo-ſeptimo, ac Theologiæ anno triceſimoquinto. Navarræi Collegij Socius, concionibus habendis poſtmodum ſic incubuit, ut certatim eum Eccleſiaſtem ambirent Epiſcopi. Erat hic eloquens, gravis, & ad auditorum animos permovendos incomparabilis, fuci verò & vanitatis hoſtis acerrimus; unde verba nimio ſtudio affectata, lutum & paleas, præ cæleſti elocutione, vocitabat. Canonicatum obtinuit in Eccleſia Noviomenſi, domini de Blegnei liberalitate, electúſque fuit ut ei in Epiſcopatu ſuccederet, at deceſſit necdum adepta poſſeſſione 9. Julij anno 1594. Fertur id non ab omnibus probatum, quòd infimæ ſortis eſſet pro tanta dignitate, quàſi verò ex tuguriolo ingens animus oriri non poſſet, aut hiſtoria non referat etiam eximiè infulatos, qui ex animi claritudine potiùs, quàm ſanguinis nobilitate, famam retulerunt.

LUDOVICUS A GUISIA LXXXII. ARCHIEP. an. 1574.

Ludovicus à Guiſia ſit LXXXII Archiepiſcopus. Henricus III. Remis inauguratur. Pontifex pro Anglis exſulibus reſcribit Capitulo. Sedanum hæreticæ pravitatis fit receptaculum.

CAPUT LXIV.

INTER tot bellorum furias, quibus ab heterodoxis Gallia miſere concutiebatur, quis Sedem Remenſem alti ſanguinis Rectore, & ſtrenui ac fervidi ingenij indiguiſſe non videat? Caroli recèns geſta pro avita religione, imminénſque periculum id ſuadere videbantur; at Rex, cui in Lotharingos amor altiùs inſederat ob Caroli memoriam, ſtatuit ex eadem gente ſucceſſorem ei providere, Ludovicum ſcilicet à Lotharingia, Franciſco Duce Guiſio Principe, Franciæ Cambellano patre, matre Anna Ateſtina, in lucem Dampetræ editum 6. Julij anni 1556 Jam Cluniacenſis, S. Dionyſij, Fiſcanenſis, S. Remigij, & Dervenſis Monaſteriorum

Digitized by Google

riorum Commendatarium ; tot enim Beneficijs ob avorum egregiè facta cumulatus legitur, cùm vix pubertatis annos exceſſiſſet. Inita poſſeſſione Archiepiſcopatûs per procuratorem anno 1574. & jucundo adventu in aliud tempus remiſſo, Vicarios-generales & adminiſtros eoſdem retinuit, quorum operâ patruus uſus fuerat in regenda diœceſi. LUDOVIC. A GUISIA LXXXII. ARCHIEP.

Interea Rex, qui poſt obitum Caroli IX. aliquantiſper hæſerat in Gothia, menſe Februario inſequentis anni Remos venit, divinam Unctionem more majorum recepturus : à civibus magnificè & fauſtis acclamationibus excipitur cum campani æris, ac tormentorum æneorum fremitu, aliiſque lætitiæ ſignis : vicus quoque à decumana porta ad palatium varijs emblematum figuris, & inſcriptionibus ſplendebat, ut atrocitas temporis ferre potuit, quo bellis inteſtinis civium opes, & ærarium publicum penitùs exhauſta. Habet ſchedula regiorum obſidum 13. Febr. die Dominica perilluſtres viros Carolum de Luxemburgo dominum de Ligni, Franciſcum de Luxemburgo Rouſſ. dominum, Henricum de Chilly Comitem de la Rocheguyon, & Franciſcum Chabot Marquiſium de Millebot, ſummo mane miſſos à Rege petitum ſacram Ampullam apud S. Remigium, quæ præſtito ſacramento, ut ſolet, ritu ſollemni delata eſt per dominum de Montigny Vicepriorem, in abſentia Abbatis & Prioris-majoris, in manus Ludovici à Lotharingia Metenſis Epiſcopi, lecti pro explenda Inauguratione depoſita eſt, quòd Ludovicus idoneæ ætatis (erat enim tantum viginti annorum) & caracteris expers, Conſecratoris officio fungi non poſſet. Fertur Carolum de Roucy Epiſcopum Sueſſionenſem interceſſiſſe, dicebat enim ſibi, velut provinciæ Remenſis Decano, abſente Archiepiſcopo, jus conſecrandi Regem deberi ; at Rex libenter hunc honorem Lotharingo detulit, habita ratione nuptiarum, quas brevi contracturus erat cum Ludoviſia Vaudemontana. Sic prædictus Metenſis Epiſcopus Sacris operatus eſt, Regémque cæleſti Chriſmate delinivit, adſtantibus utriuſque ordinis Paribus, & infinita propemodum nobilium virorum multitudine. Ex actis capitularibus colligo Regem fabricæ Eccleſiæ Remenſis quingentos aureos contuliſſe, præter navim argenteam pergrandi admodum achati, velut ſuppedaneo, ſubnixam, ubi Urſulæ ſodales, quas Undecim-mille-Virgines vocant, eleganter admodum dedolatæ viſuntur. An. 1574. An. 1575.

Regi poſt Inaugurationem multas difficultates devorandas hæreticorum factiones ſubminiſtrârunt duce Condeo, qui ingentem Alemannorum exercitum mox in Gallias invexit ; motus quoque ab Alençonio Duce excitati, pro hereditatis ſibi attributæ ſupplemento. Rebus utcumque compoſitis anno 1577. Rex menſe Novembri Regni Comitia Bleſis indixit, quæ ad 15. Decemb. prorogata ſunt. Balliviatus Viromandenſes convocati, ut veteri more Deputatos deligerent, Remenſis ſuos, ut anno 1560. egerat, cùm Aurelijs coacta ſunt, ſeparatim elegit, obnitenti regio Præfecto Laudunenſi, quòd antiquitus in ſuo Balliviatu prædictæ deputationes fierent : reſponſum erectione regii Balliviatûs, à Laudunenſi independentis, apud Remenſes, prædictum morem meritò mutatum fuiſſe & antiquatum. Lego injunctum Deputatis, ut de Calviniſtarum vaſtationibus querelam facerent, diceréntque Servis Dei decimas ab his denegari, inaudita tributa imponi villicis, ſeu ruſticanis hominibus ; milites quoque regios petulanter, ac ſine diſciplina vivere : utrum de hiſce querelis ratio habita ſit, neſcitur ; quædam ſchedulæ habent à trium ordinum Deputatis generalibus concluſum, quò publicis morbis ociùs remedium adhiberetur, unicam religionem, & hanc Catholicam in Regno eſſe permittendam, nequicquam reclamantibus Navarreo, Condeo, & Politicis. An. 1576. An. 1577.

Gregorius XIII. memor geſtorum Caroli Cardinalis recèns mortui, & eorum quæ à Guiſijs fiebant pro incolumitate religionis, quò ſui amoris

LUDOVIC. A GUISIA LXXXII. ARCHIEP.

specimen clariùs in eos exhiberet, Pileum cardinalitium Ludovico mittit 9. Martij anni 1578. titulum tamen, seu Galerum, nusquam habuit, ex Frizonio, quòd hæc ijs tantum tradantur, qui Romam personaliter adeunt, anno sequenti fit Ordinis sancti-Spiritus Præceptor primâ Januarij.

An. 1578.

Anglia gemente ob suscitatum schisma ab Henrico VIII. persecutionemque in veros Christianos, plures ex his quò tempestatem declinarent, extorres patriâ fieri non dubitârunt, è quibus haud pauci ductore Alano è Belgio migrare jussi Remos concessêre, ubi Piorum caritatem in sublevanda horum inopia statim experti sunt: Pontifex pro his ad Capitulum Remense rescripsit, hortatúsque est ut eos benignè excipiat, foveátque quantùm poterit hac epistola.

An. 1578. „ Dilecti Filij, salutem & apostolicam benedictionem. Pietas vestra spectatissima, & zelus Dei gloriæ, cujus habetis gravissima apud vos „ testimonia, nos dubitare non sinit, quin in hac causa quam vobis propo- „ nimus vestro muneri, hominum prædicationi, nostræ exspectationi, præ- „ clarè respondsuri sitis. Alanus Præfectus hujus Collegij, quod Duaci consti- „ tuimus, ab impijs ejectus, contulit se in istam Civitatem cum ijs quos „ secum habebat. Rogamus per eumdem Christum ipsum, cujus causa agi- „ tur, ut eos quàm commendatissimos habeatis, vestráque humanitate am- „ plectamini; eos verò cùm commendamus, in singulis Christum ipsum, qui „ in illis ejectus est, commendamus. Quantùm porro Christo debeatis, ipsi „ præclarè intelligitis, itaque longiores esse non debemus, Deus & Dominus „ noster, qui hanc vobis de re tam præclarè merendi offert facultatem, tuea- „ tur & cumulet vos suâ gratiâ, atque omni felicitate. Datum Romæ apud „ S. Petrum sub anulo Piscatoris die 18. Maij anno 1578. Pontificatûs nostri „ anno sexto.

Ex conclusione Capituli 20. Junij habetur Provisoribus Hospitalis mandatum fuisse, ut pro excipiendis tam Doctore Alano, quàm socijs exsulibus habitaculum perquirerent, & ex eo mox translati sunt ad domum canonialem, erigendo Seminario idoneam. Genebrardus de Gregorio XIII. differens in Chronologia ad an. 1584. ait hunc Remis Anglorum Seminarium erexisse, Lorettæ Sclavorum, & Ponti Mosellæ in Lotharingia Scotorum. Jubilæum generale à Pontifice pro obtinenda pace, extirpandísque hæreticis concessum Remis primùm fuit anno integro, quo & preces indictæ per omnes Ecclesias. Pontificis zelum Rex æmulatus, sancti-Spiritus Ordinem instituit sub conditionibus in Henriciano codice contentis, quarum una est, ut Rex inungendus Fidei sacramentum faciat in manus Remensis Archiepiscopi, nec Beneficium in Commendam conferre possit, donec illud præstiterit ad requisitionem Archiepiscopi; hoc autem à Regni sacramento distinguitur, & ad veteres ceremonias de novo accessit.

An. 1578.

Vide Henri. Cod. lib. 18. tit. 11. fol. 246.

Hoc anno Conventus PP. Minimorum fortuito casu flammis exustus est, ab octodecim annis erectus; dormitorium item Franciscanorum; & circa festum Paschalis tanta tempestas desævijt, ut ventorum vi plura ædificia corruerint, rosa imprimis majoris Ecclesiæ versùs Meridiem, cum pinnaculis aliquot Ecclesiarum, hæc impendentium malorum præludia fuerunt ac prognostica.

Confrates Adventùs Dom. & Octav. St. Sacramenti fundantur liberalitate D. Scaevant Consil. in Curia Paris. & Can. Rem.

Ludovicus à Lotharingia ætatem adeptus sacris Ordinibus idoneam, Presbyter consecratur Parisijs die festo Purificationis B. Mariæ ministerio Nicolai Fumee Bellovacensis Episcopi, ac paullo post fit Episcopus per manum eminentissimi Cardinalis Borbonij in sacello S. Clementis apud S. Dionysium, adsistentibus Ambianensi & Noviomensi Episcopis.

An. 1580. 1581. 1582.

Subinde Sodalitas Pœnitentium à Rege Parisijs instituitur, albæque vestes benedicuntur per Nuntium apostolicum pro his, qui prædictæ sodalitati nomen

nomen dediſſent. Miſſæ quoque ſunt pro reformatione Calendarij ad Capitulum litteræ ex parte Regis, quò juxta Pontificis decretum reformatio inciperet; menſe Decembri Canonici quatuor nominantur à Capitulo, qui huic rei diligenter incumberent, darentque operam ut obſervatis temporum mutationibus, feſtorum mobilium ſollemnitates, ob ſacra myſteria rectiùs ad proprium locum remittantur. LUDOVIC. A GUISIA LXXXII. ARCHIEP. An. 1582.

Calviniana lues interim graſſabatur, libellis per urbes vafre, & occultè diſſeminatis, commercióque cum hominibus eadem labe infectis & cohabitatione. Fertur apud Sedanum Calviniſtam primum Navicularium fuiſſe, è Belgio ob hæreſim projectum, & abire juſſum. Cardinalium Caroli & Ludovici curâ, & ab his injecto terrore, factum eſt, ut quotquot hæreſeos toxico imbuti Remis latitabant, aut in vicinioribus locis apud Sedanum pedetentim ſe receperint, ſub auſpicijs Carlotæ de la Marck Ducisſæ de Bullonio, ac Sedani ſupremæ dominæ, quæ Henrico de la Tour Vicecomiti de Turenne & Franciæ Mareſchallo nupſit anno 1590. Novæ religionis initia tanto ardore foverunt ambo, promoverúntque, ut Sedanum in Regni limitibus ſitum, brevî eorum propugnaculum evaſerit, qui propinatum hæreſeos virus hauſerant, inter funeſtas diſſidiorum furias provinciæ terror, ac religioſi Ordinis deſertorum receptaculum, ab eo præſertim tempore quo Mareſchallus Carlotæ teſtamento ejuſdem urbis ſupremus dominus factus eſt; tunc enim decimas pagorum Principatûs, ſtipendio Miniſtrorum applicuit, templum in Urbis meditullio amplæ & elegantis ſtructuræ erexit, ſtruxit bibliothecam, & Academiam, ac in eo Profeſſores inſtituit & dotavit. Sic vera religione ſenſim langueſcente Catholicis aliò migrantibus, & inhibitione facta Paſtori ne palam & publicè, ſed clam & ſub pallio S. Euchariſtiam ægrotis deferret, hæreſis altas radices egit, viréſque continuò cepit & incrementum ad noſtram ætatem, qua Ludovicus XIII. datis pluribus dominijs prædicti Mareſchalli filijs, Sedanum Regno incorporavit.

Miniſtri duo ultimis hiſce temporibus doctrinâ celebres admodum contulerunt pro fovenda hæreſi per totam provinciam; primus nomine David Blondel multorum librorum editione famoſus, quos ipſe linguâ patriâ & latina, cùm Roceij Miniſter eſſet, ſummo labore contexuit: erat ipſe ex territorio Remenſi, in veteri hiſtoria & decretis Pontificum optimè verſatus, integer quoque & candidus, unde ad ſynodos ſuæ ſectæ ſæpius evocatus tantam ſibi famâm comparavit, ut Hollandi illuſtrandæ patriæ, majoris forſan ſtipendij illecebrâ, hunc Amſtelodamum venire petierint; at vix urbem hanc ſalutaverat, cùm oculis captus eſt, & paullo poſt obijt. Alter Molinæus dictus, toti Galliæ notus eſt ob varias ipſius lucubrationes, eleganti ſtilo ac polito contextas, & conflictu ſæpius habito cum P. Coton S. J. de controverſijs Fidei: argutus hic ſophiſta fuit, eloquens, & calvinianarum partium acerrimus propugnator, miniſteriúmque ſuum obſtinatè admodum ad ultimam uſque vitæ periodum explevit, vitâ functus ætate quidem provecta, ſed ſano ingenio, ut fertur, anno 1656. Nunc vera religio velut poſtliminio reſtituta in dies floret, augetúrque ſtudio inſignis D. Faber Sedani Gubernatoris & Mareſchalli Franciæ, ut alibi diximus.

LUDOVIC. A GUISIA LXXXII. ARCHIEP. An. 1582.

De Seminario Anglicano Remis ſtabilito, & inſignioribus viris qui ibidem litteras profeſſi ſunt, aut inde prodierunt.

CAPUT LXV.

DOCTOR Pitſeus de ortu & virtutibus Cardinalis Alani, Anglici Seminarij Inſtitutoris & Protomagiſtri differens, ait inſignem hunc pietate virum, cùm apud ſe anxiè cogitaret quo tandem modo populares ſuos hinc inde perſecutionis procellâ diſperſos, ac velut è naufragio ereptos, in unum congregaret, ſtatuiſſe Remis, ac Duaci, Principum auxilio, his Seminaria duo procurare, quò ſimul collecti canonicè viverent, inſtituendíſque juvenibus darent operam, qui de ſua ſalute ſolliciti, ex Anglia in Gallicas oras turmatim transfretabant. Remenſi, quod poſterius erectum eſt, octo vel decem Doctores, vel Licentiatos frequentius hæſiſſe addit, quorum alij ſacram Scripturam interpretabantur, alij ſcientiam ſcholaſticam docebant, Jus canonicum, & Fidei controverſias; quidam etiam refutandis erroribus dediti, aut Martyrum victorijs excipiendis, laboribúſque Confeſſorum, qui diverſa Europæ loca velut extorres peragrabant, amplam Hiſtoricis ſcribendi materiam ſuppeditârunt. Erant inter eos qui, alijs hiſce operibus intentis, providebant de rebus ad vitam neceſſarijs, de libris, ac veſtibus, ſecundùm cujuſque ſtatum ac conditionem.

Singuli Profeſſores ſeparatas habebant cellulas, quibus inſtar claſſium utebantur in excolenda juventute ſub nutu & imperio Doctoris Alani totius familiæ ſummi Proviſoris, quam ea gravitate, ſtudio & moderatione regebat, quæ virum decet apoſtolicum, debiles inaudita lenitate ferendo, viribus autem integros & vegetos ad fortiora quæque ſuis concionibus provocando; adeo ut celebris hæc Societas ſub tanto Magiſtro brevi virtutum omnium ſchola evaſerit, Muſarum ſedes, ac inſignium virorum domicilium, quorum hîc ſynopſim damus, quòd Urbem & Academiam noſtram ſua eruditione, doctrina, pietate, laboribúſque pro Fide Chriſti ſuſceptis mirum in modum nobilitârint.

Guillelmus Alanus primum dignitatis locum meritò ſibi vendicat, ob egregiè navatam operam in excipiendis profugis ex Anglia. Hic graſſante hæreſi cùm oceanum trajeciſſet, quò à perſecutione tutus eſſet & immunis, Duaci primùm pedem fixit, ubi Magiſterij gradu recepto, Canonicatu donatur in Eccleſia Cameracenſi; at Seminarium aliud proviſurus in Galliam venit, obtentis litteris à Gregorio XIII. ad Archiepiſcopum & Capitulum Remenſe, pro ſtabilienda domo in urbe Remenſi. Vix ibi ſe receperat, cùm Ludovici Cardinalis munificentiam expertus eſt in annua penſione centum aureorum, & Canonicatûs collatione, cujus poſſeſſionem inijt 28. Martij anno 1584. Famâ reconditioris ejus doctrinæ Romam uſque pervulgatâ, à Sixto V. Pontifice evocatus, ac velut avitæ religionis defenſor benignè exceptus, in ſacrum Collegium adoptatur ſub titulo S. Martini 7. Aug. anno 1587. ex litteris ipſius ad Capitulum ſcriptis. N. Colin Theſaurarius ob novam dignitatem ipſi congratulatus eſt nomine Capituli; & Canonicatus ejus, quo per tres annos potitus eſt, datur.

Richardo Baret inſigni Theologo, & in ſacra Scriptura apprime verſato, acta Capituli referunt hunc obtentis prius litteris à Rege, quibus in civem adoptatus eſt, ad Canonicatum perveniſſe Cardinalis Alani reſignatione.

Pitſeus, qui elucubrationum ejus meminit, commentarij præſertim in aliquot Scripturæ libros, ait ſe neſcire ubi vixerit, & quando deceſſerit; veriſimile

verisimile est Remis obijsse, ac in claustro majoris Ecclesiæ sepultum, cujus erat præbendatus.

Edmundus Campianus Londini in Anglia natus, à Bosio recensetur inter eos qui Remis in Seminario studuerunt. Fuit hic admodum eloquens, scriptis contra hæreticos clarus, divinarúmque litterarum peritissimus; at, si verum est Patrum societati nomen dedisse, cúm Romam pergeret anno 1575. Remis quidem aliquandiu commorari potuit, sed non in Anglico Seminario, cùm per id tempus necdum esset erectum. Insignis hic Christi Athleta martyrij agonem fortiter Londini explevit 3. Cal. Decemb. anno 1581. relictis aliquot ingenij operibus à Pitseo relatis in sua bibliotheca.

Thomas Bosius de signis Ecclesiæ Dei lib. 18.

Robertus Sayerus Londini primùm litteris dedit operam; at recrudescente in Anglia adversùs Catholicos persecutione, Elizabethæ Reginæ crudelitate, in Galliam transijt, cursùmque studiorum explevit in Seminario Rem. sub Alano anno 1584. tum suscepto Magisterij gradu in Academia, Romam ivit, colobiúmque Benedictini Ordinis induit apud S. Justinam de Padua, Venetiisque obijt in Monasterio S. Georgij ultimo Octob. anno 1602.

Hunfridus Helins celebris Jurisconsultus, relictâ patriâ, Duacum concessit, ubi Juri pontificio, & civili perfectè se dedit, tum Româ rediens, ubi perrexit cum Alano, Remos venit, prædicti Cardinalis opera prælo daturus: hæsit aliquandiu in Seminario, donec bello civili exardescente anno 1588. egredi coactus cum alijs, ivit Mussipontem, ubi Jus summa cum laude docuit, obiitque anno 1604.

Rogerus Caduvalladerus, relictis pro Christo parentibus & patriâ, inops ac pæne nudus mare trajecit, venitque Remos, ubi Philosophiæ cursum complevit in Seminario; ad Presbyteratûs Ordinem deinde promotus, suis popularibus hæreseos crassissima nube involutis auxilium laturus, capitur in Anglia apud Hereford, martyrio sublatus anno 1610.

Henricus Hollandus Poeta insignis, Philosophus, ac Theologus, ex Anglia Duacum venit, inde Remos, ubi publicis concionibus, ac Bibliorum traductioni dedit operam; tum in patriam reversus ut amicis periclitantibus ferret opem, cùm se incassum laborare cerneret, in Belgium redijt, Theologiámque apud Marchianenses Benedictinos professus est, ubi & defungitur anno 1611. tractatum de sacrificio Missæ edidit & aliquot poetices opera.

Thomas Vvorthingtonus Lancastriæ natus, stirpe nobilis, acri & vivido ingenio, Duaci primum studuit, ubi & Baccalaureatûs gradu insignitur, Presbyter ordinatus redijt in Angliam, ut vineam Domini excoleret; at interceptus, pulsúsque in exsilium anno 1588. venit Remos, ubi positivam Theologiam docuit in Seminario. Tanti viri lucubrationes à Pitseo referuntur, inter quas exstat catalogus eorum qui in Anglia martyrio nuper occubuerunt, adhuc clarebat anno 1610.

Guillelmus Gifford illustri familia natus, ab Alano Cardinale vocatus, Romam mittitur litteris operam daturus, expleto Theologiæ cursu redijt in Galliam, & Regulam Benedictinam professus, Remis per undecim annos Theologiam scholasticam docuit Academiæ Rector renuntiatus, fitque Remensis Archiepiscopus anno 1622.

Guillelmus Bishopus pluris duxit è numero exsulum esse, inopiámque pati in Anglico Seminario, quàm in patria longiùs degere cum periculo salutis; calcatis igitur mundi honoribus, ad quos ob natales aspirare facilè posset, divitiique patrimonio relicto, animum Theologiæ studio appulit, quo Remis peracto, confutandis hæreticis multum laboris sustinuit, scriptis, & vita, & castimonia clarus, adhuc vivebat anno 1612.

Matthæus Kelizon, cùm inter Puritanos se periclitari animaverteret, ad suos se contulit Remis agentes, Romam postea adijt studia Theologiæ completurus,

Digitized by Google

Ludovic. a Guisia lxxxii. Archiep. an. 1582.

completurus, Presbyter factus in Franciam redijt, Theologiámque summa cum laude in Universitate Remensi professus est, cujus & Rector fuit anno 1606. cunctis ob integritatem carus, & acceptus: scripsit de Anglorum novitia religione, Subtosij deliramenta confutavit, Duacum deinde petens anno 1611. quò suos inviseret, hanc urbem postmodum suis laboribus, libris, ac morte nobilitavit.

Eduardus Vvestonus Londini natus, se undique hostibus vallatum sentiens eo tempore, quo in Catholicos sæviebat persecutio, satius duxit patriam deserere, ac patrimonium, quàm in discrimen adduci perdendæ salutis; sic libero suscepto exsilio, Remos petijt, animum in doctrina collocaturus, scripsit de triplici hominis officio, adhúcque florebat anno 1610.

Richardus Broughtonus amœnioribus litteris, Philosophia, ac linguarum Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ peritiâ clarus, Londino Remos venit, ubi Presbyter ordinatur anno 1584. Angliam postea repetens totum se Dei obsequio mancipavit, quò segreges ad veritatis lucem revocaret: egregiè refellit ac confutavit cujusdam libelli calumniam. *Quòd vir Catholicè Romanus, non poterat esse bonus subditus.*

Eduardus Mahuns ex amplissima familia natus, ac parentibus avitæ religioni fortiter addictis, Remos adhuc puer mittitur cum Henrico fratre, ubi per annos septem amœnioribus litteris animum appulit sub Johanne Pitseo, illustrium virorum libelli Auctore, Romam deinde pergens, inde in Angliam, Benedictini Ordinis habitum suscepit, fortè in Lotharingia, tractatum edidit *de Fundamentis veteris Ecclesiæ*, vivebátque ad huc anno 1611.

Rodulfus Buklandus peractis Londini studijs in Jure, quò persecutionis procellas devitaret, in Franciam venit, Remísque per septem annos Philosophiæ ac Theologiæ studuit, tum flagrans desiderio visendi sacra Apostolorum limina, Romam ivit, vovítque se convertendis popularibus operam impensurum, ad quos diversos tractatus anglicè scripsit.

Johannes Pitseus catalogi illustrium virorum sui temporis Concinator egregius, eâdem causâ, qua ceteri, patriam hæreseos labe infectam reliquit, venítque Remos, Ubi Rhetoricam, græcámque linguam præclarè docuit, tum peragratis Germaniæ provincijs, Liverduni in Lotharingia mortalitatem explevit anno 1616.

Carolus Trugianus divitis patrimonij heres, at paterna & avita religione ditior, quam ipse honoribus prætulit, patriam sordibus hæreseos inquinatam fugiens, quò suæ saluti consuleret: hic Remis amœnioribus litteris animum applicuit sub Johanne Pitseo, Romam deinde vocatus à Cardinale Alano, funebrem ejus orationem texuit hoc titulo: *Planctus de morte Cardinalis Alani* adhuc in vivis erat anno 1611.

Johannes Bridguvater, blanditijs Puritanorum irretitus fertur, pro quibus aliquandiu militavit; at ejurato Anglicæ religionis ministerio, stipendijsque illi attributis, paupertatem amplexus est in Remensi Seminario, ubi librum evulgavit, qui inscribitur *Consertatio Ecclesiæ Gallicanæ* an. 1588.

Rodulphus Schirvunius insignis Philosophus, ac in linguis Latina, Græca, & Hebraïca optimè versatus, Româ rediens, Remense Sodalitium frequentavit anno 1580. tum in Angliam vela faciens, quò suis opem ferret, inusitata pro Fide tormenta perpessus est, crudelitérque Londini discerptus spiritum Deo reddidit anno 1581.

Richardus Bristolius tot virorum fortium æmulatus exempla, relictâ sathanæ synagoga, se Duacum velut in portum salutis contulit, ubi & Seminarij Primarius fuit, & Theologiæ Professor; at Cardinalis Alanus, qui ejus operâ egebat in Remis constituendo Seminario, ad se eum accersivit, ut scholarum caput esset anno 1580. aliquot edidit opuscula, annotationes

annotationes præſertim in novum Teſtamentum, morbo correptus ſe in Angliam deferri curat, ubi & mortuus eſt anno 1582. LUDOVIC. A GUISIA LXXXII. ARCHIEP. An. 1582.

Guillelmus Reginaldus, à Miniſtris ſeductus, cùm ex pueris vix exceſſiſſet, Romæ abdicata hæreſi, in Galliam venit, receptúſque eſt ab Alano ut ſcripturam, linguáſque Græcam & Hebraicam doceret in Remenſi Seminario; tractatum edidit, cui titulus eſt: *De juſta Reipublicæ auctoritate in Principes hæreticos.* quem Cardinalis Sega Clementis VIII. Legatus Remis exſiſtens cum elogio approbavit: Calvino Turciſmum inchoaverat, cui extremam manum addidit Guillelmus Gifford poſt ipſius obitum, qui Remis contigit, ubi & ſepultus traditur. anno 1594.

Gregorius Martinus, è celebrioribus fuit qui Remis litteras profeſſi ſunt in linguis Græca, & Hebraïca peritus admodum erat, Poëta excellens, & Orator facundiſſimus, texendis libris, quos laudat Pitſeus, multum operæ poſuit, donec quadragenarius mortalitatem explevit 28 Octob anno 1584. Jacet in Eccleſia S. Stephani cum hoc epitaphio.

Quem tulit umbroſis tenerum Sunthſaxia ſilvis,
Gallica qua ſpectat Regna Britannus ager.
Oxoniúmque ſuas juveni, cui tradidit artes,
Nam fuit Oxonio ſpéſque, decúſque ſuo.
Quique Duacenas ſtudio divina petendi,
Quærit, & hinc ſedes Roma beata tuas.
Quémque revertentem, & morum probitate, pudore,
Doctrinâ ornatum, religione, Fide.
Suſcipit afflicta Remis pietatis aſylum,
Anglorum Remis clara patrocinio.
Poſt congeſtatos noctéſque, diéſque labores,
Dum ſibi, dum patriæ conſulit uſque ſuæ.
Hic animam Chriſto, Martinus, & oſſa ſepulcro,
Cùm pariter Judæ, & feſta Simonis erant.
Reddit ubi denos quater eſt producta per annos
Vita, ſinit lapſis, & redit ordo ſacris.

Hos è majori numero tot inſignium virorum carptim ſelegi, de quibus copiosè Boſius ſcripſit duodecimo libro *de ſignis Eccleſiæ*, ut inde pateat quantam nominis claritudinem urbes recipiant ex indulto profugis Doctoribus, & ob Fidem malè habitis, hoſpitio; majorem haud dubiè noſtra contraxiſſet, ſi bella civilia hos alió migrare non compuliſſent poſt moram duodecim annorum: aliquot ætate noſtrâ vidimus pari doctrinâ & pietate celebres, qui adepto Magiſterij gradu in Academiâ Remenſi, totos ſe poſtea convertendis popularibus ſuis impendentes, odio Fidei in Anglia exagitati, & excruciati glorioſo martyrio vitam compleverunt.

Conſilium provinciale Remis à Ludovico Cardinale cogitur. Supplicationes in albis fiunt per Campaniam. Mutuo fœdere coeunt Principes adversùs hæreticos.

CAPUT LXVI.

LUDOVICUS, qui Metropolim hactenus per Vicarios rexerat, quò acriùs ad Cleri Gallicani negotia difficilimis hiſce temporibus mentem appelleret, proprium munus auſpicari voluit à celebri & jucundo in Urbem ingreſſu, & à Synodi provincialis indictione; quod ut rectiùs perficeret,

LUDOVIC. A GUISIA LXXXII. ARCHIEP. *An.* 1583.

perficeret, convocatoriam ad Episcopos mense Octobri mittit epistolam pro die sexto Januarij festo Epiphaniæ; at cùm nuntius, quem Romam ablegaverat pro obtinendo Pallio necdum redijsset, prorogata est ad diem vigesimam-quintam ejusdem mensis. Indictionis epistola Remis 27. Septembris data est, & sic incipit.

LVdovicus miseratione divina S. R. E. Presbyter Cardinalis à Guisia nuncupatus, Archiepiscopus & Dux Remensis, primus Par Francia &c. reverendis Fratribus Episcopis, nec non venerabilibus Abbatibus, Decanis, Capitulis, Conventibus, Prioribus, ceterísque nostræ Remensis provinciæ ecclesiasticis personis, quæ de jure vel consuetudine adesse solent, &c. salutem.

„ Cùm tantis hactenus Ecclesia nostra Gallicana procellis & calamitatibus „ sit agitata, ut id summæ atque ineffabili Dei clementiæ & pietati unicè sit „ referendum, quòd illa jam non penitus disturbata corruerit, illud etiam „ profectò dici verbis, aut mandari litteris non potest, quanta ejus bonitate, „ & prudentia effectum est, ut non tantùm eadem Ecclesia, in eo in quo „ nunc est pessimo & periculosissimo statu quodammodo retineatur. Verùm „ etiam ea nobis relicta sunt remedia quibus præclarissimum illud primitivæ „ Ecclesiæ ornamentum eidem restitui, inque pristinos honores & libertates „ ea vindicari posse videatur: neque enim certè potentius quidquam tantis „ malis remedium à mortalibus excogitari, aut à divino, immensóque cle- „ mentiæ fonte peti potuit, quàm hæc, quæ nobis generalium Conciliorum „ decretis, & sacrorum Canonum constitutionibus, &c.

Omnibus pro die Concilij ritè ordinatis & dispositis, Petrus Remy major Archidiaconus & Vicarius-generalis, Capitulo alterius prorogationis litteras obtulit, quibus Concilium ad mensem Maïum remittebatur: dilatio hæc consultò sic præfixa est, quò Cardinali sat temporis esset ad obtinendam dispensationem per nuntium suum (quem Romam miserat) pro celebranda Synodo, quamvis Pallio de more necdum insigniretur, & sine quo Synodis præsidere, vel Ordines conferre non debent Metropolitani. Pontifex habita ratione meritorum prædicti Cardinalis, rescripto indulsit ei ut semel dumtaxat Synodum habere posset, cujus tale est initium: *Dilecto Filio nostro Ludovico S. R. E. Presbytero Cardinali à Guisia nuncupato. Dilecte Fili mi salutem & apostolicam benedictionem. Exquisita tua circumspectionis industria promeretur, ut Romana Ecclesia, &c.*

Prædicta dispensatione obtenta Ludovicus Remos venit, cum Capitulo de ceremonijs duplicis sui ingressûs collocuturus; Prior, Ducalis dictus, ultimo prædicti mensis contigit, ea celebritate & pompa quam alibi descripsimus, cohonestantibus hanc diœcesanis Episcopis, nobilium, officiariorum, ac vasallorum ingenti multitudine; Archiepiscopalis eo pariter apparatu die sequenti expletur, qui Cardinalis dignitatem & magnificentiam decebat. Actum postea de celebrando Concilio, ad quod die præscripto Episcopi, Abbates, & Capitulorum deputati frequentes se contulerunt. Habent acta capitularia, quartâ Maij è Canonicis tres fuisse delectos, qui D. D. Episcopis denuntiarent se privilegia Capituli inconcussa tueri velle, in provincialibus Concilijs vocem deliberativam & decisivam dudum sibi concessam, hanc in præsenti petere, alioquin definitionibus se interfuturos. Quid horum petitioni Antistites responderint, non satis comperi; patet tamen ex actis Concilij, Capituli Remensis deputatos interfuisse, coactámque Synodum, ijs consentientibus, in principe Ecclesia, ubi sedibus de more dispositis, Cardinalis primitias Deo obtulit incruento Sacrificio, quod ei primum fuit & sollemne, tum brevi concione Synodum auspicatus est, quæ sic incipit.

Per

Digitized by Google

Permagnum & perilluſtre, &c. qua vehementer lætari ſe dicit Præſulatum ſuum ordiri à præclara & celebri actione, quæ Eccleſiæ, ut ſperabat, jam dudum hæreſeos fluctibus quaſſatæ, profutura ſit, Salomonis exemplo, qui ſuæ ſapientiæ primitias templi ſtructurâ dedicavit, Chriſti quoque Domini, qui Hieruſalem ingreſſus, à zelo Domûs Dei, diſciplinæ eccleſiaſticæ, ac ſacerdotalis auctoritatis reformatione inchoata, ſuo facto docuit reſecanda primùm eſſe vitia, moréſque ad normam Patrum reſtituendos, quò inveteratus tepor, præcunte gratia, recaleſcat; ad hoc ſeneſcentem Eccleſiæ ſtatum omnes provocare, hortatíque Chriſtianiſſimi Regis pietatem, & memoriam eminentiſſimi Cardinalis patrui ſui, qui reverſus à Concilio Tridentino, nihil ſalubriùs eſſe duxit Synodi convocatione: huic, licèt ſe parem non ſentiat, ſperare tamen ſe tot ſapientium virorum ſtudio & induſtria ſubnixum, non nihil ad promovendam Dei gloriam perfecturum: *Attendamus igitur nobis*, inquit, *& univerſo gregi nobis commiſſo, juxtà monitum Apoſtoli, demúſque operam ut ab eo labes omnis peccati abſtedat, quod efficacius fieri non poteſt, quàm Chriſti præcepiis fortiter inhærendo, quibus monemur ita populis moribus prælucere, ut noſtris provocati exemplis, Deo fidele ac pium exhibeant obſequium: quòd ſi officiorum noſtrorum memores, ipſis non defuerimus, arefacta religio reflorescet, ac ſpecioſa ejus fient ſecundùm annos priſtinos.* Sin minus timendum eſſe, ne Ezechielis dicta nobis exprobrentur, augurari tamen meliùs de illis ſe aſſerit: Ludovic. a Guisia lxxxii. Archiep. An. 1583. Ad. 10. v. 18.

Finita concione, litteræ Epiſcoporum nomine, Abbatum quoque, & Deputatorum ad Capitula & Conventus miſſæ ſunt, ut Deo preces fierent, & ſupplicationes, ab illis quidem ſingulis diebus, à Curatis verò feſtis & Dominicis pro felici ſucceſſu & exitu Synodi, canerentúrque litaniæ majores cum collecta de Sancto-Spiritu. Concluſum prima ſeſſione doctrinam ſacri & œcumenici Concilij Tridentini inconvulſè ab omnibus tenendam eſſe, donec uſquequaque in Francia reciperetur; obſervandam quoque eſſe eamdem Fidei profeſſionem, cujus formula ſit incipit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ*, cui addita ſunt quædam Fidei Catholicæ capita de traditionibus apoſtolicis, de ſacrarum Scripturarum interpretatione, de juſtificatione, de Miſſæ ſacrificio, de Purgatorio, de Reliquijs Sanctorum, de Indulgentijs, de Primatu Eccleſiæ Romanæ, & de Concilijs, quæ omnia Remis apud Johannem de Foigny Typographum regium edita ſunt, cum cenſura Romæ adhibita, ſequentibus articulis.

De cultu divino, tredecim Canonibus.
De Breviario, Miſſali, & Agendis, tribus Canonibus.
De diebus feſtis, octo Canonibus.
De ſortilegijs, tribus Canonibus.
De Sacramẽtis in genere, duobus Can.
De Baptiſmo, xiii. Canonibus.
De Confirmatione, tribus Canonibus
De Pœnitentia, viii. Canonibus.
De Euchariſtia, xxiii Canonibus.
De Ordine, ix. Canonibus.
De Matrimonio, xii Canonibus.
De extrema-Unctione, v. Canonibus.
De Sepulturis, xiv. Canonibus.
De Seminarijs, xvi. Canonibus.
De Clericis in genere, xviii. Canon.
De Regularibus, xxii. Canonibus.
De Curatis, ix. Canonibus.
De Capitulis & Canonicis, xiv. Can.
De Epiſcopis, xviii. Canonibus.
De Simoniacis, xv. Canonibus.
De uſura, v. Canonibus.
De Juriſdictione, vii. Canonibus.
De Viſitationibus, xii. Canonibus.
De Synodis diœceſis, vii. Canonibus.
De Synodis provincialibus.

Conſtitutis his ſanctionibus, futurum provinciale Concilium Sueſſionis indictum eſt die Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha anno 1586. tum Epiſcopi præſentes autographo ſubſcripſerunt hoc ordine.

Nos Ludovicus Cardinalis à Guiſia Archiepiſcopus Remenſis definientes ſubſcripſimus.

Ludovic. A Guisia lxxxii. Archiep. *An.* 1584.

Ego Carolus de Roucy, Episcopus Suessionensis subscripsi.
Ego Valentinus du Glas, Episcopus Laudunensis subscripsi.
Ego Nicolaus Fumée, Episcopus Bellovacensis subscripsi.
Ego Cosmas Clausse, Episcopus Cathalaunensis subscripsi.
Ego Claudius Episcopus, Noviomensis subscripsi.
Ego Geoffridus Martonius, Episcopus Ambianensis subscripsi.
Ego Ludovicus de Creil, Procurator reverendissimi Silvanectensis Episcopi, ejus nomine interfui, approbavi, & subscripsi.

Synodus eodem modo finijt quo cœperat, celebrato scilicet, augustiori qua licuit pompa, Missæ sacrificio, quo peracto Cardinalis mitrâ depositâ induit pluviale, seditque juxta altare, habens hinc inde Episcopos ad latera, Deputatis in sedibus sibi assignatis consistentibus, psalmos interim, precesque Musicis ad harmoniam occinentibus, quibus finitis major Archidiaconus beati Matthæi Evangelium recitavit : *Respiciens Iesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro &c.* Hymnus *Veni creator* postea inchoatur a choro, tum Cardinalis resumtâ mitrâ Secretario præcipit Synodi decreta clarè & intelligibiliter proferre ab his verbis incipiendo : *Testantur antiqua Patrum monimenta &c.* recitatis deinde horum nominibus, qui Synodis adesse debebant, notatisque asterico absentibus, Cardinalis iterum mitram deposuit, vertènsque se ad altare collectam recitavit *Exaudi Domine supplicum preces &c.* tum sedens, Episcopis, procuratoribus, Prælatis ac Deputatis præsentibus, sic fatur : *Reverendissimi Fratres, dilectissimi Filij, placétne vobis ad Dei gloriam & honorem, & Catholicæ Ecclesiæ amplificationem, decreta Concilij nostri provincialis Remensis vobis perlecta approbari, & Concilium ipsum finiri & concludi ?* Secretarij mox jussi sunt per subsellia Deputatorum, Abbatum & procuratorum suffragia expetere, à quibus responsum, se consensum quidem præbere, salva contestatione ab his facta sub initium Synodi, quibus ad Cardinalem relatis, vertit se rursum ad Episcopos & dixit : *Quid igitur vobis videtur reverendissimi Fratres ?* omnes eadem voce respondent, se eadem approbare sub ijdem conditionibus. Cardinalis mox vultu ad populum verso dixit finitum esse Concilium ; cantatur postea *Te Deum laudamus*, & Cardinalis benedictionem præsentibus impertijt : *Christus Dei Filius, qui est initium & finis &c.* Archidiaconus clara voce proclamat : *Recedamus in pace*, cui responsum à Cantoribus *In nomine Domini Amen.* & sic ad propria quisque revertitur.

Concilij provincialis studium in rectiùs stabilienda morum disciplina, populis ad pietatem stimulum admovisse videtur, impulissèque ut Dei opem adversùs hæreses publicis & hactenus inauditis supplicationibus implorarent, quæ hoc anno pluribus in locis fieri cœperunt : sive enim hanc mentem è Concilio redeuntes Episcopi suis diœcesanis afflaverint ; vel Christianissimi Regis exemplum, qui Pœnitentium Confratriam Parisijs nuper erexerat, ingens virorum turba, feminarum, & puerorum, cujusque sexûs, ætatis, & conditionis, Clerum ad decem & viginti leucas sequuta est mensibus Julio, Augusto & Septembri, Clericis Ss Sacramentum, vel Beatorum Reliquias, laïcis verò, pueris præsertim, albis vestibus indutis, ligneas Cruces ferentibus ; pia quidem, sed lugubri admodum voce litanias canentibus, piásque alias preces, cum suspirijs, fletibus, & ejulatu, quò Deum peccatis graviter læsum citiùs ad misericordiam flecterent, pacémque consequerentur. Litaniæ sic incipiunt.

Sancta Maria. Quæsumus almum,
Poscere Regem, Iure memento,
Salvet ut omnes, Nos jubilantes,
Kyrie eleison, Qui pretioso.
Sanguine mundum, Eripuisti,
De maledicti, Fauce draconis
O vere Deus, Trinus & unus.
Exaudi preces, Populi hujus.
Sancta Maria Ora pro nobis.

Campaniæ

Campaniæ ſupplicationes quædam ad B. Mariam de Spina in diœceſi Cathalaunenſi pergebant, aliæ ad Corbeniacum, Laudunum, Altum-villare, plures ad B. Virginem de Lætitia. Remi, quò caritatis in eos ſpecimen exhiberent, ad ſeptuaginta millia ex varijs diœceſibus tranſeuntes aluerunt, receperúntque hoſpitio. Ludovicus Archiepiſcopus amburbiales, quæ noctu Remis fiebant, ſuo exemplo confirmavit, ſæpius enim has cum domeſticis nudis pedibus ſequutus eſt, indixítque generalem menſe Sept pro rerum publicarum proſpero exitu, in qua perlata ſunt, præter vitale Lignum & iconem Virginis, ſanctorum Nicaſij & Eutropiæ ſororis capita, plebe in albis veſtibus ſequente. Omitto alias à quibuſdam è Clero per diœceſes Laudunenſem, Cathalaunenſem & Sueſſionenſem deductas, approbante Cardinali, & lotorum Epiſcopis. *An. 1584.*

Franciſci Ducis Andegavenſis Regis fratris, ac Regni heredis obitu, rerum facies penitùs eſt mutata; hæretici ſiquidem certa ſpe elati, ſibíque blandientes quòd brevi habituri eſſent Regem ſuæ religionis, audaciùs ſe adverſùs Catholicos efferre, horum perniciem machinari, milites conſcribere: Catholici nihilo ſecius id præſagientes, unionem Peronæ cœptam ſtudioſiùs renovare, præſidiúmque in Principibus Lotharingis quærere, quòd hi, præter Dei gloriam, ac hæreticæ pravitatis exitium, aliud nihil ſpirare viderentur. Sic inficias quis ire non debet, prædictam confœderationem anno 1576. natam, quò Calviniſtarum & Politicorum nefarijs conatibus fortiùs occurreretur, à populis ingenti plauſu exceptam fuiſſe, imo aliquatenus juſtam ac tolerandam, cùm Rex ipſe Henricus caput illius exſtiterit, cujus id conſilium fuit, ut una dumtaxat religio permitteretur in Gallia; & ſi hoc fœdus, ut cœperat, perſeverâſſet, tot non emerſiſſent calamitates, quibus eadem Gallia miſere fœdata eſt, ac pæne ſubmerſa. At poſt dicti Ducis obitum, tradunt Hiſtorici fœderatos Principes alió mentem convertiſſe, ſibíque primarias urbes officioſè devinctas, obſequentes religionis prætextu reddidiſſe. Notant etiam in majoribus provincijs præter fœdus commune, aliud peculiare clam à Politicis quibuſdam fotum, ſub experto duce, qualis fuit dominus de Sancto-Paulo in Campania, cujus molitiones dubio procul erupiſſent, ſi ſceptrum à Principibus regio ſanguine ortis ad externos tranſiiſſet.

Icti fœderis Principes edicto ſubnixi, in acta Pariſienſis Senatûs relato, die 18. Julij anno 1585. Campaniæ urbes præſidio muniunt, decernúntque, præter Catholicam religionem ſymbolo Apoſtolorum contentam, aliam in Francia non eſſe ferendam: Rex qui ſe ejuſdem eſſe animi profeſſus fuerat, jubet Miniſtros ociùs è Regno diſcedere, præſidiarias urbes deinde Fœderatis indulget, Remos, Cathalaunum, Auguſtam Sueſſionum, Sanctum-Deſiderium, Divionem, Belnam &c. Subinde ducenta millia aureorum Duci Guiſio data, pro expenſis delectûs à ſe habiti militum externorum, cum exoneratione à centum & viginti millibus, è Quæſturis generalibus aliàs receptis. Coacto Clero apud Sanctum-Germanum, cui Ludovicus Cardinalis interfuit cum Deputatis Capituli, ducenta millia aureorum pro fœdere ſervando, à Rege poſtulata; hoc in itinere domus, ſeu palatium Remenſe, Pariſijs pro Archiepiſcopis prope Franciſcanos ſitum, à Ludovico oppigneratum eſt, quod Guillelmus Gifford Archiepiſcopus poſtea omnino mancipavit. Præſules conceſſo Regi quod petierat ſubſidio, ſacramento ſe obſtrinxerunt bonorum eccleſiaſticorum ceſſionem deinceps non permiſſuros, quod Regi denuntiatum eſt per Claudium d'Angennes Noviomenſem Epiſcopum, præſentibus Borbonio, & Guiſio Cardinalibus. *An. 1585.*

Henricus Dux à Guiſia, Campaniæ, & Briæ Præfectus, ingreſſum in urbem Remos magnificè celebrans 13. Octob. anni 1586. à Clero in cappis recipitur, qui ut ſuæ obſervantiæ pignus in eum exhiberet, promittit ſe *An. 1586.*

LUDOVIC. A GUISIA LXXXII. ARCHIEP.

preces fusurum pro libertate Reginæ Scotiæ ejus consanguineæ, quam Elizabetha Anglia contra jus gentium captivam tenebat: acta capitularia referunt singulis diebus, quamdiu vixit, ab Hebdomadario recitatam collectam in Missa. Fœderati accepto nuntio de delectu recèns habito in Germania, & quòd ingens exercitus ad 40000. millia brevi cum Calvinistarum copijs conjungi deberet, Remis coeunt 27. Maij anno 1587. consilium capturi, quid hoc in discrimine facto opus esset. Fertur præter Cardinalem Borbonium, Vindocinum, Guisium, & Duces à Guisia, Aumallium, Meduanum, Regem quoque ac Reginam matrem interfuisse; tantus enim terror Campaniam invaserat, ob imminentes copias, & militum indisciplinatè viventium effrænatam audaciam, ut agri hoc anno inculti permanserint, quod annonæ caritatem nimiam peperit. Senatus Remensis, quò pauperum miseriam fame laborantium aliquatenus sublevaret, validiores exhauriendis fossis, ac novis aggeribus circa Urbis ambitum, retro S. Nicasium præsertim, evehendis, applicuerunt, data è publico ære mercede, quò laboribus hi vitam tolerarent.

An. 1587. Germanorum agmen plus terroris attulit, quàm malis; vix enim superatâ Lotharingiâ Gallias salutaverat, cùm longo itinere fessum super Ligerim moram faciens, quò vires redintegraret, pedetentim effluxit: major tamen illius pars ulterius ausa progredi, cæsa & profligata est in pago de Auneau 24. Novemb. eodem anno. Victoria hæc Guisij virtute parta, & quam Johannes de Serres ementitis suis figmentis obscurare nititur, multorum acuit invidiam, quòd suis acclamationibus nimiùm hunc plebs extolleret; vel certè quòd inde, ut quidam volunt, ansam arripuerit regiam auctoritatem invadendi. Ob hæc, Regi (qui delatis sermonibus aures facilè præbebat) valde suspectus postmodum esse cœpit; habent enim virorum fortium gesta, ut ipsimet plerúmque causa sint exitij, ut ei re vera fuisse postea videbimus.

Hoc anno Ludovicus Cardinalis Seminarios Remenses è Barbastri domo, ubi hos patruus locaverat, in aliam demigrare jussit, quæ in curiam majoris Collegij aditum habet, quò Professores commodius audire possint. Prædictam demigrationem approbavit Capitulum, consensitque ut Patribus Carthusianis Barbastri domus vendi possit, ea conditione, ut millia librarum sex à Capitulo data, in prædicta Seminarij domo recens exstruenda expenderentur. Tum Cardinalis Capitulo vices repensurus, quòd bona sua æris alieni nomine erga dominum de Sardigni, eo requirente, obligâsset, extinctioni duarum Præbendarum consensit, seu earum incorporationi mensæ Capituli pro stipendio Vicariorum Ecclesiæ. Tradit Chopinus Capitulum à Sixto V. obtinuisse, ut duæ Præbendæ proximè vacaturæ extinguerentur bulla derogante constitutionibus editis adversùs
An. 1588. uniones 1. Decemb. anni 1588. At cùm Antonius Colart paullo post Leonardo Marquet nepoti suum Canonicatum resignâsset, hic Capitulo se sistit, petens ut in gremium Canonicorum virtute litterarum apostolicarum reciperetur; interceſſit Capitulum ob prædictam unionem, sed ille ejurato judice ad Senatum Parisiensem provocavit. Chopinus pro Leonardo causam egit, dixitque Præbendas Ecclesiæ Remensis in custodia Regis esse, absque cujus assensu extingui non poterant: addebat unionem obtentam fuisse præcipitanter, porrecto tantùm libello supplici, nec observatis regulis Juris. Quæstio diu agitata fuit, dictúmque, hanc in secreto, seu sanctiori consilio esse cognoscendam 21. Januarij anno 1592. Enituit eodem tempore Ludovici de Gonzagues Rethelli Ducis, & Henrietæ de Cleves uxoris pietas in pauperes, celebri fundatione, qua sexaginta virginibus legitimo matrimonio procreatis, natísque intra suarum ditionum ambitum, annuatim dotem assignat, quò honestè, & viris idoneis

idoneis, ac Catholicis elocentur. Singulis dos eſt quinquaginta librarum, quibus dominia ſua oppignerârunt : Rethellium, ac Præpoſituræ de Caſtello, de Macerijs, de Doncherio, & de Altomonte jus habent nominandi quindecim, juxta modum in pactione fuſius declaratum Pariſijs anno 1588. edita. Et id ne aliquando excidat, volunt illuſtriſſimi teſtatores, ſi prædicta dominia vel horum pars allienari contigerit, ut ſemper & æternum oppignerata maneant, juxta articulum ſeptuageſimum-ſextum fundationis. Ludovic. a Guisia lxxxii. Archiep. An. 1588.

Ludovicus Cardinalis Bleſis occidit. Fœderatorum augetur ſocietas. Laborat Capitulum Remenſe pro Archiepiſcopatu, an Philippus Lenoncurtius Cardinalis eo donatus ſit?

CAPUT LXVII.

REGNI negotijs in gurgitem miſeriarum delapſis ob Politicorum factiones, qui ſe hæreticis nuper conjunxerant, & Rege tot motibus obruto, quid ageret neſciente; Comitia Bleſis ab eo indicta ſunt, quò remedium publicis morbis idoneum requireret. Aſſentatores aulici illuſtriora Guiſij facta, mox à victoria Alemannica, verborum aculeis configere aſſueti, eum Regi adeo ſuſpectum, & odioſum reddidêre, ut è medio hunc, maximè poſt munitiones vicis Lutetiæ adhibitas, tollere decreverit. Cùm igitur Cardinalis, fratris fortunæ Regi odioſæ addictus, Bleſis ad Comitia trium ordinum convenisſet, & ad ea Rex diſſimulandi ſollers Guiſium Ducem pertraxiſſet, primùm Dux ejus juſſu trucidatur 23. Decembris, modo ab Hiſtoricis Francorum fuisùs deſcripto.

Tradit Johannes de Serres Cardinalem ſtrepitu ſicariorum, qui fratrem necaverant, territum evadere voluiſſe; at retentum ab excubitoribus, retruſúmque in cubiculum haud procul à Regis conclavi, cum Lugdunenſi Archiepiſcopo. Conſultatione poſtmodum habita, quid de eo faciendum, erat enim major difficultas, ut qui Deo conſecratus eſſet, & in epiſcopali gradu; vicit eorum ſententia, qui ferro tollendum cenſebant, quòd vir acrioris ingenij, & animi impotens (in cuſtodia enim traditus Regi minitabatur) ſturpis ultor futurus eſſet. Ludovico his in anguſtijs cum Lugdunenſi Archiepiſcopo, qui ſecum detinebatur, degente, ambo proxima nocte precibus ad Deum fuſis, mutuis exhortationibus ad conſtantiam, atque etiam ſacramentali Confeſſione, ad necem proximam animum confirmavêre. Tandem evocatus in obſcura, prius monitus ut Domino ſe commendaret, ictibus haſtarum confoſſus die ſequenti occubuit. Ejus corpus & fratris calce viva conſumtum, oſſa verò cremata, & in ventos ſparſa; quod fuſiùs recenſent hujus ævi Auctores, Thuanus præſertim lib 53. du Haillan lib. 36. Spond in ſupplemento, & alij. *Thuan. Du Haillan. Spond. ad an. 1588.*

Sic deceſſit Ludovicus Cardinalis, Remenſis Archiepiſcopus, anno ætatis trigeſimo-quinto, poſt quatuordecim annos prælaturæ. Capitulum audito mortis nuntio de officiarijs legendis cogitat, Vicarius generalis fit Franciſcus Brulart, cui data eſt poteſtas conferendi Beneficia Sede vacante, Officiales Petrus Gilbault, & Nicolaus l'Eſcamouſſier; Promotor Hubertus Simon; Secretarius Nicolaus Colin Theſaurarius; & Petrus Serval Archidiaconus Campaniæ Conſervator privilegiorum apoſtolicorum Univerſitatis. Tertia-decima die Februarij Cardinalis exſequiæ celebrantur à Clero, quibus Hubertus Maurus Eccleſiaſtes ſuo more peroravit.

Rex,

SEDES VACAT. *An.* 1588. Rex, qui Ducis ac Cardinalis interitu, Principum unionem extinctam credebat, ejus incremento valde territus est, nova enim in dies ei accessio fiebat indignatione populorum, ob tale patratum facinus defectionem minitantium: præter hos nutabat Sorbona, an Regi ulterius parendum esset; unde nomen ejus è publicis precibus erasum est, plébsque Remorum in Cardinalis morte læsa, & quæ vix sedari poterat, copiarum duces seu Capitaneos tam ex parte Cleri, quàm urbicæ domûs recipit, qui ad portas excubent. Fervidiores Facultatem theologicam adeunt, ut deliberet super articulos à Sorbona missos: utrum Poloniæ Regi deinceps obsequendum esset, qui clam hæreticos fovens, eorum consilia callidè & dissimulanter tegebat. Arbitror Sorbonæ decretis Remenses acquievisse, cùm ab his concluſum sit articulos Fœderatorum recipiendos, aliarum civitatum exemplo.

Contigit acerbissimo hoc tempore duas partes esse in Gallia, Regiorum qui Navarræo adhærebant; & Fœderatorum, adeo ut provinciæ Regijs ac Fœderatis mixtæ, sibi invicem bellum inferrent, urbes, familiæ, patres in filios. Laudatur Cathalaunum, quòd ferè totam Campaniam in Regis obsequio continuerit, Remis dominus à sancto-Paulo imperabat, sæpiúsque cum vicinis, qui pro Regijs stabant (& à quibus Sparnacum capitur) manus conseruit. Hos velut hæreticos Catholici abhorrebant, observabántque lustratis eorum domibus an in his laterent libri prohibiti; hi enim ut detegerentur, Remenses nihil reliqui fecêre, monitoria in eos publicata, indulgentiæ ijs interdictæ, injunctúmque Presbyteris ne absolutionem ijs impertirent. Scholastici Universitatis, quò se à Fœderatis stare clariùs probarent, arma sumsêre, publicatúmque è suggestu, ut vectigalia Remos delata tuendæ religioni impenderentur.

Capitulum se Patre orbatum sentiens, & diœcesim ab hostibus undique vallatam, censuit à Pontifice petendum Archiepiscopum; & quò rectiùs in re tanti momenti procederet, Prælatos, Capitula, & Conventus provinciæ Remensis hortatur, ut pro mitiganda Dei ira preces fundant, pro futura item Pastoris electione, & pro felici armorum successu adversùs hæreticos. Eo igitur 16. April. & 17. coacto concludit aliquem è gremio Canonicorum nominandum, qui Pontifici præsentetur, opus post Concordata periculosæ plenum aleæ; siquidem cùm in Franciscum Brulart majorem Archidiaconum potior pars inclinâsset, & eo recusante, in Petrum Frizon Ecclesiæ Decanum, ille è capitulo ociùs exivit, amicos forsan consulturus, regressus postea interceſſit ijs omnibus quæ acta fuerant. Interim Decanus Frizon, & Serval Archidiaconus Campaniæ, nomine Capituli rescribunt ad Cardinales de Pellevé & Alanum, ut ipsis procurent facultatem eligendi Archiepiscopum apud summum Pontificem.

An. 1589. Lugubri ac funesta Henrici III. morte nuntiata, quæ contigit secundâ Augusti anno 1589. Fœderati nova consilia inierunt, parati centies potiùs occumbere morti, quàm novæ religionis Principem admittere, quod vitio omnino dari non poterat, Calviniſtarum rabiem dudum expertis, & ab omni prorsus factione alienis: quid enim religio non potest, præsertim si eam periclitari viderimùs? Sanè divinæ providentiæ beneficium fuit, quòd Navarræus Ecclesiæ nomen dederit eo tempore, quo tota pæne Gallia victricibus ejus armis parebat: cùm enim exercitum hic trifariam divisisset mense Septembri, Marescallus de Aumont ductor unius partis, quæ Campanensis dicebatur, in prospectu Remorum transiens, tormenta bellica in Urbem explodere jussit, quò cives terreret; sed dominus à Sancto-Paulo Fœderationis Mareschallus ijs animos fecit novo præsidio in Urbem injecto, irruptiones vir bellicosus sat prospere faciens, cujus invicti animi robur in pugna Amandina prope Vitriacum nuper enituerat.

Ex actis Capitul. 29. Novemb.

Cardinali

Cardinali Borbonio à Senatu Pariſienſi Regni herede pronuntiato, ſingulis diebus collecta dicebatur à Canonico hebdomadario pro ipſius incolumitate; ſubinde Carolus à Lotharingia Dux Meduanus Regni Procurator Remos litteras mittit menſe Decembri, quibus Clerum monet ut cælum indefeſſis precibus laceſſat pro felici ſucceſſu armorum ſancta Unionis. Tanta hic eminebat auctoritate, ut Canonicus Præbendam nepoti reſignaturus, hanc in manum prædicti Ducis Regalia durante remiſerit, pro qua litteræ ei conceſſæ ſunt à Secretario Unionis nomine Senault, donec generalia Regni Comitia indicerentur. Imo Franciſcus Brulart ad Archidiaconatum Remenſem collatione Ordinarij dudum promotus, ne caduci jure Beneficium quiſquam peteret, novis proviſionibus in Regalia obtentis à prædicto Carolo, & à ſanctiori-Senatu, ſe iterum in poſſeſſionem induci poſtulavit, res enim adeo confuſæ erant, ut nemo de ſua fortuna non diffideret. SEDES VACAT. An. 1589.

Pontifex, quò populum in eo conſilio nullum alium admittendi Regem præter Catholicum melius contineret, Jubilæum promulgat, quod Remis receptum eſt cum litteris Cardinalis Caïetani Legati à Latere 23. Feb. anni 1590. Alijs item litteris prædicti Legati monitorijs ad Capitulum 6. Martij, Conventui Turonenſi, quem Cardinalis Vindocinenſis (creditus fautor hæreticorum) brevi convocare debebat; interceſſum ab eo eſt. Ob victoriam in pugna Ivriaca obtentam à Rege, copiarúmque ejus adventum prope Pariſios, perculſâ Campaniâ, ſupplicatio Remis indicitur 12. Martii; corpúſque S. Remigij è mauſoleo extractum, ducitur per Urbem cum alijs Tutelarium pignoribus 20. Martij. Leguntur deinde Fidei articuli, & ſanctæ Unionis in majori Eccleſia, quam omnes profiteri juſſi ſunt: nuſquam plebis pietas clariùs enituit, anni enim ferè reliquum jejunijs, ſupplicationibus, & viſitandis oratorijs (in quibus ſanctiſſimum quieſcebat Sacramentum) conſumtum eſt, quò ſcilicet mentes, Navarræi victorijs territæ, aliò avocarentur. An. 1590.

Lutetiâ annonæ caritate ad ſummum diſcrimen adductâ, Ducis Parmenſis adventu reſpirante, Remi præſidium Hiſpanicum recipiunt. Subinde Rex Sedanum pergens, matrimonium Carlotæ Bullioneæ, prædictæ urbis heredis & dominæ cum Turenico Vicecomite, quem Mareſchalli baculo inſigniverat, approbavit; ſicque Ducis Lotharingiæ ab Unione ſtantis conatus repreſſi, prædicti Mareſchalli virtute, qui nocte nuptias antecedente Stanacum furtivo bello intercipit.

Capitulum diœceſis curam gerens Sede vacante, Gabriëlem Noviomenſem Epiſcopum in Vicarium generalem pro munijs epiſcopalibus explendis eligit vigeſimo Junij, & decimo Septemb. Franciſcus Brulart ingreſſus Capitulum paræneticam habuit orationem de turbido Regni & Chriſtianitatis ſtatu, dixítque deprecandum aſſiduè tam pro ſucceſſu armorum adverſùs Navarræum, quàm pro electione futura novi Pontificis, Regis Galliæ, Archiepiſcopi Remenſis, & Præfecti Campaniæ.

Gregorius XIV. ad Petri ſolium evectus, Fœderatis animos fecit novi ſubſidij ſponſione. Paullo poſt Cardinalis Caïetanus Legatus à Latere Remis magno apparatu recipitur 13. Maij anno 1591. Miſſámque ritu ſollemni celebravit die Pentecoſtes: tum 3. Julij à deputatis Capituli confirmationem petit monitorij à Sede apoſtolica miſſi, declarátque Clericos immunes eſſe à cenſura qui arma ferrent pro aſſerenda religione. Quod ad monitorium attinet, Curiæ Parlamenti pars, quæ Cathalaunum ſeceſſerat, vitij illud arguit ob excommunicationem in eo contentam; at Pariſienſis & Turonenſis Curiæ decretum illius abrogant, flammíſque addicunt. Eodem tempore generalis fit Conventus Remis Principum Lotharingiæ, & aliorum qui à partibus eorum ſtabant, quo ſancitum eò arctius cum Hiſpanis fœdus An. 1591.

Digitized by Google

SEDES VACAT. An. 1591.

fœdus ineundum, quòd Unionis vires invalidæ essent, nec satis præsidij in ea esset, aut pecuniæ ad diutius regijs copijs resistendum; ob id Præses dominus Janin in Hispaniam mox ablegatur. Fons-Mauberti, Corbeia, Fanum Sancti-Quintini, Castellum-Theodorici, Noviodunum, & alia loca Regi se subdunt: Remis ænea tormenta, cum ingenti colubrario adhuc in Armamentario existente, metu obsidionis eliquantur. Duce Guisio è custodia 15. Aug. subtiliter elapso, Remis actæ Deo gratiæ in Ecclesia Remensi, Nuntio apostolico præsente; haud ita post idem Dux Remos veniens, à præsidiarijs militibus Hispanis & Italis, cum gaudio recipitur, oblatúmque ei, velut Campaniæ Præfecto, baldachinum; musica pro *Te Deum laudamus*, Psalmum *In exitu Israël de Ægypto* modulante: ejus libertate & præsentia, Regnum invadere cupientium libido aliquatenus repressa est.

Psal. 113.

An. 1592.

Gregorius XIV. mense Octob. vitâ functus Innocentium IX. successorem habuit, qui statim Jubilæum indixit per Galliam, Remisque recipitur 19. Januarij anno 1592. ac promulgatur 26. ejusdem mensis, Sacris operante Episcopo Placentino Cardinalis Caïetani Subdelegato; cúmque Capitulum Remense Romæ per Decanum Petrum Frizon nihil reliqui faceret pro obtinendo Archiepiscopo, nec quidquam promoveret, magistratus Urbis huic se adjunxit, Pontificem orans ut Remensis Ecclesiæ dudum viduatæ miseratione commoveretur, epistolæ Italicâ linguâ scriptæ autographum adhuc in urbico Tabulario servatur.

Acta capitularia his narrandis de industria secutus sum, quò error clarius pateat eorum, qui Philippum Lenoncurtium Cardinalem titulo S. Onufrij inter Remenses Archiepiscopos reponunt, quasi Guisio successor datus sit à Pontifice; quorum opinio eò magis improbanda videtur, quòd nomen ejus nullibi appareat, nec possessionem usquam inierit per se, vel per procuratores. Verum quidem est Capitulum acerbissimo hoc tempore multùm laborâsse pro habendo Archiepiscopo, Magistratúmque urbicum se conatibus ejus adjunxisse, missis pro eadem re Romam litteris, indéne sequitur Pontificem nominâsse Lenoncurtium? Imo Capituli auctoritas seu jurisdictio, quæ per diœcesim tres annos absque intervallo viguit, evidens argumentum est Sedem vacâsse usque ad Pellevæum. Quòd si Philippus Lenoncurtius bullas forsan à Pontifice obtinuit, hæ cum eo Romæ sepultæ sunt, ubi animam egit, & non Remis, ut quidam Auctores falsò asserunt; sic eo è serie Archiepiscoporum jure ejecto, hanc persequemur in Pellevæo, quem Ludovicus à Guisia successorem habuit, ut mox dicemus.

NICOLAUS DE PELLEVE' LXXXIII. ARCHIEP. An. 1592.

Ecartelé au 1. & 4 de gueules à une tete humaine d'argent au poil levé d'or qui est Pellevé: au 2. & 3. d'argent semé de fleurs de lis de sable, qui est de Fay.

Nicolaus de Pellevé Cardinalis LXXXIII. Archiepiscopus. Fœderati Parisijs coeunt Regem electuri. Henricus IV. Carnuti inauguratur. Pellevæus obit Rege Lutetiam ingresso.

CAPUT LXVIII.

EO statu res erant, Navarræo Romæ post Henrici III. obitum necdum pro Rege habito, cùm Clemens VIII. Pontifex litteris Remorum enixè rogatus ut viduatæ Metropoli subveniret, Nicolaum de Pellevé sanctæ Praxedis Cardinalem, propria auctoritate ad Archiepiscopatum provexit, non exspectato Regis decreto, quòd Francia in miseriarum barathrum

barathrum tunc devolutâ, nullus à Fœderatis Catholicus Rex agnoſceretur. Natus is fuit 15. Cal. Novemb. anno 1518. parentibus Carolo Pellevæo domino Joyaci, & Helena de Fay, qui eum litteris imbuendum ſummo ſtudio curaverunt, tantúmque profecit in Juriſprudentia, ut eam publicè in Bituricenſi Academia cum laude fuerit interpretatus. Parlamenti Pariſienſis deinde Conſiliarius factus, ac paullo poſt Libellorum ſupplicum Magiſter, ſecretiori Conſilio adſcribitur, creatúrque Ambianenſis Epiſcopus ab Henrico II. poſt obitum Franciſci de Piſſeleu anno 1555. Intereſt hoc titulo Comitijs generalibus in aula S. Ludovici celebratis 9. Januarij; cúmque ardoris pro religione ſpecimen paſſim ederet, Ludovico Lotharingo Senonenſem Archiepiſcopatum abdicante, ad eum aſſumptus eſt anno 1563. In Scotiam poſtea à Paulo IV. miſſus anno 1569. Nuntij apoſtolici functus eſt dignitate, ad exſtirpanda hæreſum ſemina, & Fidem Catholicam ijs in partibus conſervandam, qua ex legatione apud Reginam magnum ſibi nomen comparavit.

NICOL. DE PELLEVE' LXXXIII. ARCHIEP. An. 1593.

Abſens purpuram impetrat Regis gratiâ, concedente Pio V. Pontifice anno 1570. ſextodecimo Cal. Junij ſub titulo Ss. Johannis & Pauli, deinde Praxedis. Romam profectus Galerum accepit anno 1571. duodecimo Cal. Julij, tum à Gregorio XIII. fit Primicerius Congregationis Epiſcoporum, & patrocinio Regnorum Scotiæ & Hiberniæ, ac Clericorum S. Hieronymi condecoratur. Ibi pro Fœderatis Legati munus obiens, rogatur à Capitulo Remenſi ut curam impendat cum Cardinale Alano apud Sixtum V. pro obtinendo Archiepiſcopo, poſt necem Ludovici Cardinalis: hinc fluxit error eorum qui ſibi perſuaſêre ab eo tempore Philippum Lenoncurtium prædicto Ludovico à Guiſia datum ſucceſſorem, quod commentitium eſſe adhuc probatur tum ex litteris Sixti V. datis 22. Julij anno 1590. quæ indicant Petrum Frizon Decanum Romam in hunc finem miſſum, necdum aliquid profeciſſe; tum ex capitulari concluſione 28. Junij anno 1591. qua patet Archidiaconum, & Theſaurarium ejuſdem Eccleſiæ nominatos eſſe à Capitulo, ut cum Renata S. Petri Abbatiſſa conſilium ineant quid Pellevæo ſcribendum ſit pro obtinendo Archiepiſcopo, dictúmque Pellevæum congratulatorias litteras 6. Julij anno 1591 ab eodem Capitulo accepiſſe, quibus Senonenſis & Remenſis Archiepiſcopi nomine inſcribitur, ſicque ſole ipſo clarius eſt, Sedem omnino vacâſſe donec Pellevæus Clementis VIII. decreto prædictæ Sedi fuit incardinatus.

Lectis proviſionis litteris in Capitulo ſecundâ Octobris, præſens inijt poſſeſſionem 4. ejuſdem menſis, poſtquam jucundum ingreſſum celebrâſſet, & hunc purè archiepiſcopalem, Capitulo rogante ut ſe ob ætatem eximeret à conſuetudine nudis pedibus incedendi ab Eccleſia ſancti Remigij ad ſacellum beatæ Catharinæ. Tali modo igitur aſſumtus ad regimen Eccleſiæ Remenſis, in hoc præſertim incubuit, ut Legati-nati prærogativam renovaret, Caroli Lotharingi Cardinalis exemplo; unde quidam ſcribunt à Pontifice ſibi indultam facultatem cognoſcendi de ſententijs latis ab Officiali Remenſi, quamvis facultas Carolo data latiùs pateret, ut vidimus.

Dux Parmenſis, ſoluta Rotomagi obſidione, altera in Galliam expeditione Remos tranſijt cum Ducibus à Guiſia, & Meduano; & quoniam præſidiarij milites urbis Sparnaci excurſiones faciebant cum totius regionis vaſtatione, Mareſchallo de Sancto-Paulo prædictam Sparnacum obſidendi cura demandatur, extractis ex armamentario Remenſi munitionibus, & tormentis bellicis, eáque expugnatâ menſe Junio regijs ſuccedunt Fœderati milites duce domino de Sancto-Stephano; at eamdem Rex brevi recepit, Mareſchalli de Biron & aliquot militum damno, ibíque dominus de Vignoles præficitur à Rege, cui & equitatum & peditatum dat, ne dictus de Sancto-Paulo latiùs excurreret; ſed Sparnacum inter & Ca-

NICOL. DE PELLEVE' LXXXIII. ARCHIEP.

thalaunum angustiùs coarctaretur, velut inter malleum & incudem.

Clemens VIII. Innocentij successor Hispanorum factionibus indesinenter oppressus, (ijs enim Fœderatorum Principum Unio admodum cordi fuit) Cardinalem Sega in Galliam mittit ut Legati apostolici munus obiret in Comitijs generalibus pro Regis electione coactis. Hæc, Curia Cathalauni stabilita nequidquam contradicente, inchoantur 25. Januarij anno 1593. sollemni supplicatione Sacro operante Pellevæo Archiepiscopo in principe Ecclesia, & Johanne Boucher Doctore Sorbonico concionem habente insectationibus refertam potiùs, quàm zelo pietatis aut religionis sale conditam. Cardinalis Sega sibi à Pontifice imperata brevi absolvit concione tempori accommodata: tum Hispanensis Legatus nomine Regis Catholici subsidium offert, modò de eligendo Rege seriò agatur. Pellevæus ipsi gratias egit selecta oratione, quæ Francum hominem omnino sapiebat, quamvis hic ex Fœderatis flagrantissimus esset; ostendit enim quibusdam exemplis ex historia sumtis Hispaniam Galliæ multis titulis devinctam esse, quòd ipsius ope Sarracenorum jugum excussisset, recepissetque lucem Evangelij.

An. 1593.

Dum Comitia agerentur, Lotharingiæ Dux Remos venit mense Maio collocuturus cum Guisio, & Meduano Ducibus; hi enim tres clam ad Regnum aspirabant, ut & Sabaudus Lotharingo recedente: alij Parisios perrexerunt, visuri quid in Comitijs fieret. At multis Regis nominatio displicebat, actúmque tantùm est de Tridentino Concilio recipiendo, & de inducijs inter Regios & Fœderatos pangendis, quas paullo post Henrici Regis conversio secuta est, Ducis item Nivernensis legatio ad Pontificem, ejusdémque Regis inauguratio. Difficultas statim orta est de loco & chrismate, & quòd in Comitijs Blecensibus cautum fuerat, ne Rex quispiam reciperetur, nisi Ampulla Remensi consecratus; at habita ratione præsentis status, quòd urbs Remorum Henrico non pareret, & quòd ejusmodi articulus diceretur à Fœderatis consultò insertus, ne Navarræus Regno succederet, concluſum est nullam esse necessitatem eundi Remos, sacrum aliud chrisma sufficere, nec deferendum Remensis Archiepiscopi privilegio, penes quem hactenus steterat inungendi Regis prærogativa. Carnuti igitur Rex per Episcopum loci ex oleo, quod apud Majus-Monasterium servatur, inunctus est, assistentibus Regni Paribus per delectos Nobiles, excepto Cathalaunensi Episcopo Comite, qui præsens adfuit.

Vix nuntius Parisios allatus fuit de Regis ad Fidem Catholicam conversione, cùm plebis subitò facies mutata est, lætisque acclamationibus Urbs tota percrebuit. Pellevæus febre laborabat lecto detentus in Senonensi palatio apud Parisios, auditis lætitiæ signis & clamoribus inquirere cœpit quidnam esset, non enim credebat cives tam subitò Regem exceptu-

An. 1594.

ros; at aliquo ex domesticis ingressum ejus in Urbem certò confirmante, vertit vultum ad parietem meditaturus quisnam rerum futurus esset exitus, nam se Legati apostolici ac Fœderatorum partibus mirum in modum illaqueaverat, at cogitationes, quæ turmatim menti occurrebant coquere non valens, deficientibus corporis viribus confestim expiravit 26. Martij anno 1594.

Sic obijt Nicolaus Pellevæus, Præsul inter illustriores, ac de religione bene meritos spectabilis, qui negotijs sibi à Pontificibus commissis egregiè perfunctus est: Concilio Tridentino interfuit cum Carolo Lotharingo, & alijs Conventibus, quibus se avitæ religionis tenacem exibuit & columen. Carpitur ab Historicis, quòd plusculum se Hispanorum voluntati mancipârit; cùm patriæ, si quid in eo esset ingenij, omnino deberet. Cardinalis d'Ossat epist. 86. præfractè obstinatum vocat, omnis moderationis hostem & prudentiæ. Curia Parlamenti Parisiensis suo decreto 16. Feb. dato

anno

anno 1595. ſanxit Regaliam fuiſſe apertam in Remenſi Archiepiſcopatu, vivente adhùc Pellevæo, ex quo quis inferre poſſet nuſquam habitum fuiſſe pro Archiepiſcopo. NICOL. DE PELLEVE' LXXXIII. ARCHIEP. An. 1594.

At, quamvis partibus Fœderatorum conſtanter adhæſerit, dici non debet id intuitu Hiſpanorum feciſſe, aut ut eos ſuo palparet obſequio, cùm domeſtici ejus ſæpius teſtati ſint, hunc in magnam reductum penuriam, vaſa argentea & omnem ferè ſupellectilem vendidiſſe pro alenda familia, ne recepta duorum millium aureorum penſione, quam multoties Hiſpanicus Legatus ei Regis ſui nomine obtulerat, lucrum temporale venatum fuiſſe videretur: ob id Henricus IV. magni virtutem ejus faciebat, cuſtodéſque ad eum miſit, cùm Pariſios ingreſſus eſt, ne quid nocumenti à quoquam acciperet. Et ſi animam egit, nuntio accepto quòd Pariſienſes in verba Regis juráſſent, hora inſtabat migrationis ejus à corpore, quæ ſeptuageſimo-ſeptimo ætatis ſuæ anno contigit. Corpus ejus ad Eccleſiam Cæleſtinorum deportatum, manſit ibi quatuor annos, Remos deinde tranſlatum menſe Octob. anno 1598. per portam de Flexamburgo depoſitum primò eſt in Eccleſia S. Remigij, inde deductum ad Cathedralem, ubi ſepulturam habet ad latus altaris B. Mariæ Magdalenæ ſub tumba, cui exaratum eſt ſequens epitaphium.

D. O. M.

AC æternæ memoriæ Nicolai de Pellevé S. R. E. Preſbyteri Cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, Archiepiſcopi, Ducis Remenſis, primíque Franciæ Paris, quem cum generis antiqua nobilitate, animi fortitudo, vitæ integritas, ſingularis eruditio, pietatiſque & juſtitiæ ſtudium ad ampliſſimos honores gradatim provexit; nam primùm in Senatorium ſupremæ Pariſienſis Curiæ ordinem adſcriptus, deinde ſupplicum Libellorum in aula regia Magiſter eligitur: mox Ambianenſis factus Epiſcopus, in ſanctius Regis Conſilium adoptatus, in Scotiam pro reſtituenda religione Catholica à ſummo Pontifice & à Franciſco II. Franciæ & Scotiæ Rege cum ampliſſima poteſtate mittitur. In Regnum Galliæ reverſus ſit Archiepiſcopus Senonenſis, & in ſacram Tridentinam Synodum proficiſcitur, unde rediens cùm Rex Carolus IX. longè à Lutetia occupatus abeſſet, ſanctiori Regis Conſilio Lutetiæ conſtituto cum auctoritate Procancellarij præficitur, quo in munere Regi & Regno utilem operam navavit. Tandem à Pio V. ſummo Pontifice S. R. E. Cardinalis creatur, qui dignitati ne deeſſet Romam profectus, multos ibi annos gravioribus Eccleſiæ negotijs incubuit. Sed dum civili tempeſtate Remenſis hæc Eccleſia ſuo Paſtore orbata fuiſſet, ſenis hujus fidei tam perſpectæ committitur, cujus muneris exſequendi ſtudio cùm in Galliam remeâſſet, plenus dierum, ac in ſpem melioris vitæ erectus, altero poſt anno ex hac mortalitate deceſſit,

Nicol. de Pelleve' lxxxiii. Archiep. An. 1594.

die xxvi. menſis Martij anno Salut. M. D. LXXXXIV. ætatis vero ſuæ LXXVII.

ANIMA EIVS DEMORETVR IN BONIS.

PELVE DECUS PATRIÆ, SPES MAXIMA PELVE TUORUM,
QUOS FOVET AONIO GALLICA TERRA SINU.
ET DUM DIRA FREMUNT REVOLUTA PER ÆQUORA VENTI,
DICERIS ET DUBIÆ PORTUS, ET AURA RATI.

Quid Remis actum per tres annos quibus Sedes vacat, & à Fœderatis Urbs occupatur.

CAPUT LXIX.

REGE poſt ejuratam hæreſim, & inaugurationis pompam fauſtis acclamationibus Pariſijs recepto, qui hactenus ab eo magis averſi fuerant; provinciæ urbes, populi, pronis mentibus certatim ei exhibuerunt obſequia: at necdum à Sede apoſtolica data abſolutione, ad ſacerdotia virtute Concordatorum promotis valde laborandum fuit pro bullis obtinendis apud Pontificem, eò minùs ad id propenſum, quòd Rex pronior eſſet in vindicando temporali Beneficiorum, quæ inconſulto eo, vel non conſentiente collata fuerant. Unde mirum videri non debet, ſi acerbiſſimis hiſce temporibus, Sedes Remenſis viduata legatur uſque ad annum 1597. Capitulo jus ſuum tuente per officiarios à ſe ſelectos, ut videre eſt ex actis capitularibus.

At licèt Remis efflictim jus ſuum tueretur Capitulum, Philippus du Bec, cui diploma datum fuerat à Rege ſtatim poſt obitum Pellevæi, necdum obtentis bullis à Pontifice (Romam enim ire Rex vetuerat) per diœceſim nihilominus Vicarium generalem in ſpiritualibus habuit, ex decreto Pariſienſi primâ Maij dato, anno 1595. quo Remenſi Archiepiſcopo, vel Vicario ejus generali facultas datur concedendi proviſiones Theſaurariæ S. Marculfi, vacantis per obitum Auguſtini Soüin, ut reipſa præſtitit eodem anno menſe Julio: unde patet Philippum du Bec pro Archiepiſcopo ex tunc habitum fuiſſe, Capitulo è contra juriſdictionem ſibi deberi contendente; proviſiones in tali caſu conceſſæ ſic incipiunt: ***Nicolaus Robillard Presbyter Canonicus, Remenſis Eccleſiæ Vicedominus, necnon illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini Philippi du Bec Archiepiſcopi, Ducis Remenſis Vicarius &c.***

Qui à partibus Fœderatorum acriùs ſteterant in urbe Remenſi, præſidia augenda cenſuerunt, curârúntque portis fidos excubitores ponendos, quò ab inſidijs tutiores eſſent, eo præſertim tempore, quò ſenſim Unio diſſolvebatur: plebs ſiquidem, quæ ſe ad Fœderatorum cauſam adjunxerat ſolo religionis intuitu, audita Regis converſione, ardorem ſubitò remiſit, adeo ut dominus à Sancto-Paulo ſanctæ Unionis Mareſchallus vultu eorum conſpecto, mutata pariter corda facilè deprehenderit: hac motus diffidentia caſtellum portæ Martis mox invadere, quò Urbi tutiùs dominaretur, arcem ſtruere apud Sanctum-Nicaſium, ſeriem eorum, qui ſibi adverſarentur, tranſcribere, è quibus nonnullos, etiam è Clero, defectionis prætextu, exſilio mulctare decernit.

Cives,

Digitized by Google

Cives, qui prædicti Mareſchalli horrebant tyrannidem, coeunt per Urbis regiones, editoque tumultu currunt ad arma, arcem eo abſente invaſuri; at horum nuntio accepto confeſtim rediens, noctu reſti è foſſatis ſurſum trahitur, intrátque per crenellum, corbe hunc evectum ferunt, ſícque ſuis redditus, Urbi ſe formidabiliorem deinceps præbuit, quàm antea, malè tamen ei ceſſit Unionis fracturam in ſuum compendium non vertiſſe. E contra Ducisſa Guiſiana, quæ filios in Regis gratiam reſtituere ſatagebat oblatis urbibus, quæ à partibus eorum ſtabant, gnara Regem dixiſſe, nihil in eis conſideratione dignum præter natales agnoſcere, Remóſque ab his non pendere, conſilium inijt de Mareſchallo Urbem occupante, amandando, quò reditus filiorum ad Regem illuſtrior eſſet. SEDES VACAT. An. 1594.

Dux igitur à Guiſia Remos adiens menſe Aprili, occaſionem captat rixam movendi, quod ei facilè fuit, cùm enim cives impotenti dominatu premere ſolitus eſſet; hi de eo graviter apud Guiſium conqueruntur, quòd præſidium nuper populum vexaturus in immenſum auxiſſet: Guiſius ſtatuto eum è medio tollendi die S. Marci ad eum venit in clauſtro Canonicorum commorantem, domóque ſimul egreſſi, pergenteſque cœpit ab eo Guiſius quærere, cur præſidium eo inconſulto auxiſſet; Mareſchallus arroganter reſpondet, providere debuiſſe Urbis ſecuritati in ejus abſentia; Dux replicat certiorem fieri debuiſſe, ille è contra enſis manuarium tangens addit in hoc officium ſuum explêſſe, Præfectóſque provinciarum in Mareſchallos Franciæ jus non habere. His laceſſitus Dux gladio hunc perfodit, antequam proprium ipſe eduxiſſet gladium: milites quidam è Mareſchalli cuſtodia in Ducem & comitatum irrumpere voluerunt; at plebs commodè his fuit auxilio, víque hos quotquot erant in caſtellum retruderunt.

Sic è vivis abijt Mareſchallus à Sancto-Paulo, è gregario milite ad honoris faſtigium proſpere evectus, & qui Hiſpanorum fretus præſidio, Campaniam occupare tentabat Macerijs erecta arce munitiſſima expenſis Philippi II. qua velut profugio uteretur, ſi res malè ceſſiſſent. Si audax illud facinus Guiſium reddidit infeſtum Fœderatis, commodum indubiè ei fuit ad aucupandam Regis gratiam; nam Remis, quæ nutu ejus pendebat, poſito præſidio ſub ducibus de la Briſſiere & de Grand-val, eo tempore quo Rex Laudunum expugnabat, vidènſque Ambianum, Bellovacum, Abbatiſvillam, Caſtrum Theodorici, Retellium, Caſtrum-Porcenſe, Vitriacum, exçuſſo Fœderatorum jugo ad Regis partes tranſijſſe, ſenſímque totam diſſolvi Unionem, ſecretò cum Rege paciſcitur, pacémque obtinet redditis priùs Remis, Ruperegia, Fimis, Montecornuto, Guiſia, & alijs. Icti fœderis Dux certos facit Remenſes, publicatíſque articulis, jurant in verba Regis, defectionémque ſacramento firmant in aula archiepiſcopali 22. Auguſti anno 1595. præſentibus Duce Guiſio & D. Damour in Senatu Pariſienſi Conſiliario. Die altera reductionis authenticum tam Ducis, quàm Urbis Remorum, in Curia præſidiali ac per Urbis compita promulgatur, cum inſigni plauſu & alacritate populorum fauſtum hunc diem exſpectantium. Subinde præſidiarij milites excedunt ab Urbe, datúrque facultas civibus caſtellum portæ Martis evertendi, quod brevi ſolo æquatur. Guiſius, qui urbium deditione in gratiam Regis proſpere redierat, patere ſibi quoque viam putavit ad Præfecturam Campaniæ; at cùm Dux Nivernenſis ea jam potiretur, Provinciæ Præfecturâ donatus eſt à Rege, & Theſſalarchiâ ad ortum. An. 1595.

Hubertus Maurus Remenſis Eccleſiaſtes & Canonicus, ex flagrantiſſimis unus qui claſſicum cecinerunt hoc cruento & civili bello, Remis tutum ſe non ſentiens, abdicatis ſuis Beneficijs, in Lotharingiam ſeceſſit menſe Junio,

SEDES VACAT. An. 1595.

Junio, Canonicatum ejus obtinuit Julius Boulenger Doctor Theologus, in Regalia. Petro Frizon Decano, qui ſibi nomen inter Fœderatos comparaverat, ab aquis de Spa redeunti portæ clauduntur mandato domini Damour. Et Petrus Vviet Canonicus Remenſis, Decanúſque Academiarum Pariſienſis & Remenſis, ætatis anno nonageſimo animam Deo reddidit poſt aliquot edita ſui ingenij monimenta.

Philippo du Bec Romæ per nuntios pro obtinendis bullis Archiepiſcopatûs ſollicitante, urbicus Senatus litem intendit in Curia præſidiali adversûs Capitulum, quò ad regimen majoris Hoſpitalis cum deputatis ejuſdem admitteretur: Canonici, penes quos per multas annorum centurias prædicti Hoſpitalis adminiſtratio ſteterat (dotatum enim pridem fuiſſe dicebant ab Archiepiſcopis & Canonicis, indéque nomen Hoſpitalis beatæ Mariæ præ ſe ferre) in ſua poſſeſſione ſe tueri omnimodis conati ſunt, prohibuerúntque ne Fratres aut Sorores alios Adminiſtratores agnoſcerent, obtemperaréntque decreto præſidialis Curiæ, ſub pœna Juris, aut infractionis votorum. At prædictæ Curiæ ſententiam, quæ conſtitutionibus Comitiorum Aurelianenſium nitebatur, Parlamento confirmante, Hoſpitale regi cœpit per ſex Adminiſtratores, quorum duo è gremio Canonicorum aſſumuntur, nominantúrque à Capitulo; alij quatuor laïci, ab urbico Magiſtratu, excluſis Seneſchallis, quòd hi nominent prædictos duos cum alijs in Capitulo.

Per id tempus nugator quidam in Campaniam veniens, ſe Caroli IX. & Elizabethæ Auſtriacæ uxoris ejus filium audacter venditabat; vultus ejus, loquela, & ceteræ corporis dotes multos è vulgo mutare faciebant, deceptos quarumdam apparitionum relatione ab ipſo facta, quæ futuræ ſortis præſagia eſſe videbantur. Remis hic interceptus, in cuſtodiam mittitur, haud ſine ipſi aſſentientium dolore, qui vices ejus deflebant, juvabántque victu, & veſtibus; dicebat enim ſe natum Gallia bellis civilibus ardeſcente, datúmque nobili viro Pictavienſi dicto la Ramée, à quo natalium certiſſima argumenta acceperat; addebat noctu ſibi ſpectra apparuiſſe, monuiſſéque ut Regni iniret poſſeſſionem, quod extractioni ſuæ debebatur. In ejuſmodi ineptijs conſtanter perſeverans, præſidialis Curiæ ſententiâ majeſtatis damnatur, quam Parlamenti decretum firmavit, addidítque ut reſti ſtrangulatus igni traderetur, jactis in aërem poſtea cineribus, & ventorum ludibrio expoſitis.

Philippus du Bec LXXXIV. Archiepiſcopus, Coadjutorem obtinet Ludovicum à Lotharingia, defungitur.

PHILIPPUS DU BEC LXXXIV ARCHIEP. An. 1595. 1596.

CAPUT LXX.

VIX in Aulam Pellevæi obitûs fama pervenit, cùm Rex Philippum du Bec, qu ipartibus ejus tenaciter adhæſerat, in ejus locum ſubrogandum cenſuit, diplomate ad eum miſſo 25. Julij anno 1594. Hic ex veteri familia dominorum du Bec in Normannia traxit originem, patre Carolo du Bec domino de Boury & de Vardes, matre verò Margareta de Beauvillers. Leguntur Michael du Bec Cardinalis de S. Stephano ſub Clemente V. anno 1312. Jordanus du Bec, Joannes du Bec Epiſcopus Maclovienſis, ex eadem gente. Philippus, cùm reconditæ eſſet ſcientiæ, linguarum peritus, & infula epiſcopali dignus, ex Decano S. Mauritij Andegavenſis, ad Vennetenſem cathedram in Armorica primùm aſcendit, ceſſione Sebaſtiani de l'Aubeſpine

Fuzelé d'argent & de gueules.

l'Aubeſpine anno 1559. quo nomine Concilio Tridentino adfuit, ubi doctrinæ, & pietatis abſolutiſſimum exemplum præbuit: tum, Antonio de Crequi ad Epiſcopatum Ambianenſem tranſlato, ſucceſſor ipſi datur in Epiſcopatu Nannetenſi, quem Capellæ regiæ, ac Muſicæ magiſterio cumulavit; Ordinis ſancti-Spiritus Præceptor poſtea factus, Comes conſiſtorianus, ac poſtmodum, Rege in Eccleſiam reverſo, Remenſis Archiepiſcopus. Laborandum tamen ipſi plurimùm fuit pro obtinendis bullis à Pontifice, non quòd gratis peterentur in favorem Præſulis à Principum Fœdere pridem averſi; ſed ob additam ſupplici libello conditionem legibus contrariam, ſcilicet ut ipſi eodem momento daretur in Coadjutorem tredecim annorum Princeps, Coadjutoriæ autem non niſi bene meritis & diu in vinea Domini laborantibus dari ſolerent. Adde quod petentium mens erat, ut in bullis nulla fieret mentio Monaſterij S. Remigij cum Archiepiſcopatu, auctoritate Pontificis Rege petente, conjuncti: hæc autem unio diſſolvi non poterat incognitâ cauſâ, & Pontifice non conſentiente, ut eminentiſſimus Cardinalis d'Oſſat domino de Vilieroy ſignificavit ſuis litteris Romæ datis 22. Martij anno 1597. quare cunctatio hæc non ideo à Pontifice facta eſt, quòd Philippus ex eorum Epiſcoporum numero fuerit, qui Regem in gremium Eccleſiæ receperunt apud S. Dionyſium, ut quidam ſcripſêre, cùm prædicta Coadjutoria enixè petita non ſucceſſerit, ob eámque certò cunctatum ſit, Philippo interim Vicarium in ſpiritualibus per diœceſim habente, ut ſupra diximus. PHILIP. DU BEC LXXXVI. ARCHIEP. An. 1596.

Philippus titulo primi Paris, bullis Roma necdum receptis, Comitijs Rotomagi coactis interfuit menſe Novembri anno 1596. ut colligi poteſt ex concluſione facta 17. Maij anni ſequentis, qua Clerus Remenſis rogat, ut grata habeat duo millia aureorum ei à Rege conceſſa, ac Beneficiarijs impoſita per diœceſim, quòd ſe cum alijs deputatis præſentem Rotomagi exhibuerit. Cùm autem bullæ ejus datæ ſint 5. Januarij anno 1597. veriſimile eſt pecuniam hanc Regis decreto conceſſam, ijs obtinendis impenſam fuiſſe; bullæ autem Capitulo oblatæ fuerunt per Petrum Gilbaut Vicedominum, prædicti Philippi procuratorem, 13. Auguſti anno 1598. quibus lectis, in poſſeſſionem inducitur, ſacramento priùs de more exhibito, ſub conditione idem iterandi, cùm Philippus Archiepiſcopus præſens adeſſet. An. 1597.

Pellevæi Cardinalis funus Remos advenit menſe Septembri, quò juxta ultimæ ejus voluntatis diſpoſitionem terræ mandaretur: hæc à Philippo de Pellevè fratris defuncti filio, qui funus comitatus fuerat, palam exhibita eſt, qui & tres caſulas argento textas, juxta Cardinalis votum, Eccleſiæ obtulit, & Pileum cardinalitium, qui nunc pendet è tholo. Decimâquartâ die Octobris dum Philippus du Bec præſens initurus eſſet poſſeſſionem, Capitulum ſanxit Matutinas in principe Eccleſia, vigiliâ receptionis canendas, & quòd Decanus, & Scholarcha ipſi tantùm reverentiam exhiberent, nullo facto homagio, quòd hæ dignitates à Capitulo immediatè penderent. Philippus, peracta nocte apud S. Remigium, ut moris eſt, 18. Octobris Monachis præeuntibus cum cappis, progreditur uſque ad ſacellum beatæ Catharinæ, ibique Præpoſito Remenſis Eccleſiæ præſentatur, Majore-Priore ad eum hæc verba dirigente: *Ecce Paſtor veſter &c* tum recedentibus Monachis, & cum Canonicis pergens Archiepiſcopus verſùs Eccleſiam, introducitur in navim per majorem Archidiaconum hæc dicentem: *Reverendiſſime Pater ego Archidiaconus Remenſis vos in hanc veſtram Eccleſiam in nomine Domini introduco &c.* An. 1598.

Philippus miſſam ritu ſollemni & pontificio celebrare non potuit ob ſeniles annos, & infirmam valetudinem, ſupplevit Hieronymus Sueſſionenſis Epiſcopus, Sacróque operanti Cantor, & Archidiaconi ſuas partes egerunt,

Digitized by Google

PHILIP. DU BEC LXXXIV. ARCHIEP.

egerunt, petita indemnitate. Præsul hic nactus occasionem juramentum Remensi Ecclesiæ præstitit 27. Octob. præsentibus Præposito, Cantore, & Pœnitentiario, inductúsque est in tertiam chori sellam, seu cathedram dextra parte, tam infernè quam supernè versùs altare. Ea igitur ætate receptus Philippus quæ in occasum vergebat, vix aliquid dignum operari potuit in commodum suæ diœcesis vel Ecclesiæ, multis enim laboribus à pueris perfunctus, vires sic attriverat, ut membris omnibus captus videretur: morbum hunc seu paralysim ipsum invasisse ferunt apud S. Mauritium Andegavensem, cùm Regis Confessionem exciperet. Se rebus quidem gerendis exultissimum pridem exhibuerat, impertierátque præclara suæ eruditionis decora populo Dei pro concione, adeo ut inter illustriores totâ Galliâ cênseretur, ut probant quædam opera ab eo relicta, *de Pace*, & *Sacramento Eucharistiæ*, ubi vividum ingenium elucet cum eloquentia singulari.

An. 1598.

Bello Hispanis indicto à Rege, qui Præconem Atrebatum ablegat 16. Decemb. anno 1594. Comes de Fuentes exercitui Flandrico præfectus post decessum Archiducis Ernesti, Cheriacum prope Peronam intercipit, Dourlans, & Cameracum, quamvis Dux Rethelius in eam ingressus fuisset cum lectissima equitum turma: his adduntur Calesium, Guinium, Ardea sub Alberto, Rege Feram in Picardia obsidente, quam 15. Maij anno 1596. expugnavit; at Ambianum furtivo bello captam toti provinciæ terrorem incussit, cogitúrque Rex collecto ingenti exercitu, castra ad ipsius obsidionem confestim ponere: eâ captâ, & excursionibus Atrebatium fatigante, agitur de pace inter Reges, quæ apud Vervinum concluditur 2. Maij anno 1598. publicatúrque Remis cum buccinarum sonitu & ingenti gaudio 16. Junij. Finis hujus belli, sequentis fuit initium adversùs Sabaudum, qui Marchionatum Salutij contra jus retinebat.

An. 1594.

An. 1596.

An. 1598.

Philippus du Bec suas sensim vires deficere sentiens, de Coadjutore eligendo cogitavit, conjecítque oculos in Ludovicum à Lotharingia; & quamvis viginti tantùm esset annorum, sciens hunc à Clero & populo vehementer expeti, quibus majorum, Caroli præsertim Cardinalis, cara erat memoria, & quòd Rex facilè consensurus esset, ob recèns à Guisio fratre præstita obsequia in Massilia Regno asserenda, Johanni de Piles Præposito syngraphum dedit, ut Romam mitteretur. Pontifex votis ejus annuit litteris bullatis undecimo Calend. Janu. anno 1601. concessis, quarum pericopen, quòd in urbis Remensis commendationem multa congerat, hîc referre non pigebit. Sic autem Pontifex loquitur.

An. 1599.

An. 1601.

„ SAnè, cùm venerabilis Frater noster Philippus Archiepiscopus plusquam
„ septuagenarius, ob ingravescentem ætatem hujusmodi, & varias ægro-
„ tationes, aliáque incommoda, quibus assiduè detinetur, regimini Eccle-
„ siæ Remensis, cui præest, cuique Monasterium S. Remigij Remensis Ordinis
„ S. Benedicti apostolica auctoritate perpetuò unitum exsistit, & in qua qui-
„ dem Ecclesia Ampulla odoratissimi liquoris oppleta cælitus demissa, quo
„ Clodoveus primùm, posteríque deinceps Francorum Reges, Galliæ Re-
„ gnum administraturi, in ipsa Remensi civitate, hac speciali prærogativa ce-
„ teris Franciæ urbibus præfulgente, sacrantur, religiosè observatur: cujúsque
„ Ecclesiæ Præsul pro tempore exsistens, eorumdem Regum Unctor, Dux,
„ primúsque Par Franciæ exsistit, de cetero per seipsum uti expedit, inten-
„ dere non valeat, & propterea cupiat te longo usu, & consuetudine vitæ
„ cognitum, in Coadiutorem perpetuum, & irrevocabilem in eodem regimine
„ &c. in spiritualibus & temporalibus deputari. Nos igitur, qui Ecclesiæ
„ prædictæ statum in calamitosis factionum, & discordiarum Franciæ mo-
„ tibus, retroactis temporibus misere vexatam, auctoritate, & industria

bonæ

bonæ memoriæ Caroli, tituli Sancti Apollinaris à Lotharingia, & Ludovici S. R. E. Presbyterorum Cardinalium à Guisia nuncupatorum, patruorum tuorum, qui etiam dictæ Ecclesiæ Remensi eâdem tempestate præfuerunt, conservatam accepimus &c. "PHILIP. DU BEC LXXXIV. ARCHIEP.

Patet ex verbis in bulla contentis Monasterium S. Remigij Romæ habitum fuisse pro conjuncto cum Archiepiscopatu, cùm Ludovicus utriusque Coadjutoriam obtinuerit, quibus revera potitus est Philippus du Bec, quamvis inde ditior non fuerit, quòd pensionem decem millium librarum Mareschallo Bullionæo annuatim penderet; unde campanili cadente super pinnaculum in latere Ecclesiæ S. Remigij, cujus lapsu vitrea rosa ruit cum parte dormitorij & claustri, Philippus velut Abbas totum restaurare coactus est, quod Ludovicus successor perfecit, utriusque insignia muro præfixa id adhuc apertè testantur. An. 1601.

Hoc eodem anno 3. April. obijt Renata Lotharinga Claudij Guisij Ducis filia, & Antonietæ Borboniæ sancti Petri Remensis Abbatissa, post quinquaginta quinque annos regiminis. Hæc, quæ pietate digna natalibus claruit, de novo potius struxit, quàm reparavit Monasterium, cui Renata altera successit, de cujus virtute alibi fusius Hubertus quoque Maurus Remensis Ecclesiastes facundissimus, ac Unionis buccina, 10. Maij decessit anno 1602. An. 1602.

Philippus in graviorem lapsus paralysim, quæ nervorum fit solutione, cùm morbi vis in alteram tantùm corporis partem incumbit, sola mente liber, quæ tamen per tres annos in eo vivida semper fuit, tabescens, & languore fractus, in suo palatio tandem exspiravit ætatis anno octuagesimo quinto, quarto Idus Janu. anno 1605. Exsequiæ à Clero, solito apparatu celebratæ sunt, corpus verò depositum ad latus altaris sanctæ Crucis prope claustrum, seu sepimentum chori, è regione tumuli Nicolai de Pellevé Cardinalis ad dextram positi; ita ut horum Archiepiscoporum tumuli, cum Caroli Cardinalis cenotaphio ad caput Ecclesiæ, trianguli formam repræsentent, ad quam epitaphij sequentis Auctor alludit, eò quòd hi tres Archiepiscopi Concilij Tridentini definitionibus interfuerint, quibus sua doctrina adminiculo fuerunt, velut anguli in triangulo, qui seipsos fulciunt, sustentant & respiciunt in æquali distantia. Epitaphium sic se habet. An. 1605.

ADES CIVIS OPTUME, SPECTA ADVENA.
NEC MIRARE, SI MORARIS REMORUM AD MEMORIAS.
TRIA SUNT OMNIA.
SI TIBI COR, SENSUS, ANIMUS;
TERGEMINIS HONORIBUS.
MONUMENTA VISE, QUIBUS IN TRIANGULUM CONDITI JACENT.
HEU! TERNI ARCHIEPISCOPI.
CAROLUS CARDINALIS A LOTHARINGIA,
NICOLAUS CARDINALIS DE PELLEVE',
PHILIPPUS DU BEC.
EHEV ΠΑΝΤΑΤΑΤΘΟΙ.
LUXERUNT UT SIDERA, VIXERUNT UT NUMINA,
DIXERUT IN TRIDENTINO UT ORACULA.

DEO DILECTI.	SUBDITIS AMABILES.	SIBI CONSPICUI.
FIDE.	MUNIFICENTIA.	ERUDITIONE.
PIETATE.	MANSUETUDINE.	SAPIENTIA.
SANCTIMONIA.	JUSTITIA.	GLORIA.

APPENDIX AD METROPOLIS REMENSIS HISTORIAM.

Hoc hiſtoricũ ſequentiũ Abbatarum Cõpendium, iuxta ſeriẽ chronologicam ſecundo huiuſce operis libro Auctor ipſe enarrat; at ne ut inquit, nimium extraneret, ipſemet illud ad calcem rejecit.

Igniacenſis Abbatia, quarta Claravallis filia, à Raynaldo de Pratis Remorum Archiepiſcopo fundatur.

CLARAVALLE Ciſtercij filia, Theobaldo Campaniæ Comite juvante, fundata in diœceſi Lingonenſi, Ciſtercienſis Ordo quem Benedictini ſurculum nullus ambigit, agente imprimis S. Bernardo ſic propagari cœpit, ut palmites ejus hinc inde diffuſi brevi totum orbem compleverint. Egreſſus ſiquidem vir inclitus de Ciſtercio anno 1115. & Abbas Clarevallenſis inauguratus à Guillelmo Cathalaunenſi Epiſcopo, Monaſterium ſibi commiſſum ſic rexit, ut & virtutis famâ & opibus ſenſim creverit, multis ad illud tamquam ad Hieruſalem cæleſtem confluentibus, quos & generis nobilitas, & pietatis amor, ac profeſſio commendabat. Cùm autem excreſcente Religioſorum fecunda ſobole celebrius in dies evaderet, plures de novo Eccleſiæ erectæ ſunt, & ad leges Ciſtercienſes inſtitutæ per Remenſis provinciæ diœceſes, Epiſcoporum munificentiâ, & Nobilium, qui ſanctimonia & morum ſuavitate Clarevallenſis pellecti, dulciſſimâ ejus præſentiâ frui certatim ambiebant, aut ſaltem diſcipulorum ejus, quos ad virtutem ſub arctiſſima vivendi regula informaverat. Ut igitur optimis eorum moribus, vitæ exemplo, ac beatiſſimi Bernardi colloquijs ad ſummum tranſeundo recrearentur, multi ad novas ædes conſtruendas ſumtus contulerunt, inter quas meritò excellit, & primas tenet apud nos Igniacum, quinque leucis diſtans à Durocorto, quod Reginaldus Archiantiſtes Bernardi ſtudioſiſſimus à fundamentis exſtruxit cum ampliſſima dote, ut palam fiet ex ſequentibus tabulis, quas ex tabulario Igniacenſi fideliter extractas, ut inde fundationis annus colligatur, exhibemus.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Raynaldus Eccleſiæ Remenſis, licèt indignus, Miniſter: omnibus, qui ſe ſanctæ Eccleſiæ filios eſſe cognoſcunt, bravium ſupernæ hereditatis. Cùm primùm ad regimen Eccleſiæ Remenſis diſpoſitio divina nos evocavit, honeſtorum virorum cura nobis fuit conſortium eligere, & eorum contubernio delectari. *An. 1116.*

Viſum igitur fuit Spiritui ſancto & nobis, Monachos de Clariſvallibus adſciſci, & ut in parochia noſtra illius Ordinis Abbatiam conſtrueremus, eis totam terram de Montaon cum valle ſua, & totam coſtam qua aſcenditur versùs Curvam-villam, & uſque ad ſilvam quæ eſt verſùs Longam-villam cum ipſa ſilva, cum aqua, & pratis, terris cultis, & incultis. Contulimus etiam eis quidquid habebamus Igniaci cum circumjacentibus ſilvis, videlicet Foreſtbelois, quidquid etiam juris noſtri erat in communi ſilva, & quidquid à Pontio de Arceïo emimus ex ſupradicta, ob noſtrorum recordationem

IGNIACENSE MONAST. An. 1130.

„recordationem peccatorum, ſignis, & probabilium perſonarum teſtimonijs, „abſque ulla retentione eis contulimus.

„ Signum totius Capituli Remenſis Eccleſiæ cujus ſigillo hæc Charta mu„nita eſt.

„ Signum Odonis Abbatis ſancti Remigij. Sig. Joranni Abbatis ſancti „Nicaſij. Sig. Guillelmi Abbatis ſancti Theoderici. Sig. Urſionis Abbatis „ſancti Dionyſij. Sig. etiam Sugerij Abbatis ſancti Dionyſij Pariſienſis.

„ Signum Nicolai Archidiaconi. Sig. Hugonis Archidiaconi. Sig. Joffridi „Decani. Sig. Leonis Cantoris. Sig. Adæ, Alberti, Odonis Preſbyterorum. „Signum Boſonis, Drogonis Diaconorum.

„ Actum Remis anno incarnati Verbi 1126. Indict. v. Regnante Ludovico „Francorum Rege anno XIX. Archiepiſcopatûs autem domini Reginaldi „anno III.

„ Fulchradus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit.

Ex data præcedentis tabulæ patet à vero aberrâſſe Auctorem cujuſdam diſtichi, qui fundationem Igniaci, ac Religioſorum ingreſſum remittit ad annum 1120. cùm Remenſis Eccleſiæ gubernaculum Raynaldus necdum ſuſcepiſſet.

Grex Idus ſexto Martii novus Igniacum vint,
Annus erat Domini Mille & centeſimus & vingt.

Porro Ludovicus VI. ratam habuit prædicti Monaſterij dotationem, ab Archiepiſcopo factam, diplomate dato anno 1128. cujus initium ſic ſe habet. *Miſericordiæ & pietatis opera &c.* ubi ijſdem ferè verbis repetit ea quæ in ſuperiori charta continentur, cui ſubſcripſêre Primores Regni hoc ordine.

Signum Rodulfi Comitis Viromandenſis. Signum Ludovici Buticularij. Signum Hugonis Conſtabularij. Signum Alberici Camerarij. Dapifero nullo. Data per manum Simonis Cancellarij.

Exſtat alia tabula, apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana, donationes tam Archiepiſcopi, quàm aliorum quorumdam Nobilium paullo uberiùs continens, cujus fragmentum hîc non abs re fuerit exhibere, ut prædicti Cœnobij incunabula dilucidiùs evulgentur.

An. 1130.

„RAynaldus divina diſpenſatione Remenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, „dilectis in Chriſto Filijs Roberto Igniacenſis Monaſterij venerabili „Abbati, ejúſque Fratribus in eodem Monaſterio B. Mariæ monaſticam „vitam profeſſis, eorúmque ſucceſſoribus in eadem obſervantia permanſuris „in perpetuum. Quia quæ ad Religionis cultum pertinere dignoſcuntur, „æternam animabus ſalutem conferre credimus, cùm primùm ad regimen „Eccleſiæ Remenſis diſpoſitio divina nos evocaret, ſumma cura nobis fuit, „ac ſtudium, honeſtorum ac religioſorum eligere conſortium, & eorum con„tubernio delectari. Dignum igitur viſum fuit Spiritui ſancto & nobis, viros „de Monaſterio Claræ vallis adſciſci, & ut in parochia noſtra veſtri Ordinis „Abbatia conſtrueretur, eniti: ob hoc ſiquidem B. Mariæ matri miſericor„diæ quietum, & ab omni exactione liberum quidquid Igniaci habebamus, „contulimus cum circumjacentibus ſilvis, Foreſt videlicet & Beloys uſque „ad ſummitatem montium, ubi diviſio facta eſt: & metis & foſſato & vijs &c.

„ Signum Joſleni Sueſſionenſis Epiſcopi. Sig. Urſionis Virdunenſis Electi. „Sig. Bernardi venerabilis Abbatis Clarevallenſis. Sig. Remenſis Eccleſiæ, „cujus ſigillo hæc ſcriptura ſigillata eſt. Sig. Odonis Abbatis ſancti Remigij. „Sig. Ingelranni Abbatis Altivillaris. Sig. Guillermi Abbatis ſancti Theode„rici. Signum Joranni Abbatis ſancti Nicaſij. Sig. Gilberti Abbatis ſancti „Dionyſij. Sig. Fulconis Sparnacenſis Abbatis.

„ Signum Hugonis Archidiaconi. Sig. Frederici Præpoſiti. Sig. Leonis „Decani. Sig. Gervaſij Cantoris. Sig. Hugonis Theſaurarij. &c.

Actum

Actum Remis anno incarnati Verbi M. C. XXX. Indict. VIII. Regnante Ludovico Francorum Rege glorioſiſſimo anno XXIV. Archiepiſcopatûs autem Raynaldi II anno V. "IGNIACENSE "MONAST. "An. 1130.

Drogo Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit.

Igniacenſi Cœnobio rebus omnibus ad aſceticam vitam neceſſariis decenter inſtructo, celebriores è Clero Remenſi lucrum ducebant hebdomadas, & menſes integros in eo cum Religioſis tranſigere, meditationi mortis, aliiſque exercitijs dantes operam, Raynaldi, & Samſonis Archiepiſcoporum exemplo, quibus & iſtud otium dulce fuit, in cóque ſe ad virtutem exercuerunt cùm magno fenore gratiarum. Et ut hunc ſeceſſum, tamquam paradyſum terreſtrem, carum ſibi fuiſſe admodum teſtarentur, ſepulturam in eo poſt obitum delegerunt non tantùm prædicti Archiepiſcopi, ſed & Balduini duo matricis Eccleſiæ Præpoſiti, Theobaldus de Pertico Archidiaconus Remenſis, aliique complures, quamvis nihil ſculptum in tumbis, longo ordine per clauſtrum diſpoſitis, habeatur. Accedit ad hujus loci commendationem, quòd unum ex celebrioribus Ciſtercienſium ſeminarijs fuerit, ex quo viri graves, & in religione probatiſſimi ad Claræ vallis, Signiaci, & Valliſregiæ Abbatias gubernandas aſſumti reperiantur, in cóque ſit inſignis & prædives bibliotheca, cujus ſæpius meminit P. Sirmundus in Notis ad Concilia Gallicana.

Viſitur in capitulo ſepultura Valerani, Andreæ de Baldemento filij, qui, cùm Theobaldo Comiti Campaniæ carus eſſet, Canonicos regulares in locum ſæcularium ſufficiendos procuravit in Eccleſia Sparnacenſi. Hic vir genere ac virtute nobilis, aſceticam vitam profeſſus ſub B. Bernardo, lectus eſt ab eo Urſi-campi Abbas in pago Noviomenſi, & per Igniacum tranſiens, cùm rediret à Capitulo generali, lethali morbo correptus, animam ibi Deo creatori reddidit anno

Galcherus de Nantolio prope Remos, Igniaco multa bona contulit, meritóque inter benefactores numeratur: unde, ob ea quæ anno 1224. teſtamentali pagina delegavit, intra ambitum clauſtri ſepelitur cum hac ſepulcrali epigraphe.

G . . . . . de Nantolio lapidi qui ſubjacet iſti,
In cæli ſolio requieſcat munere Chriſti,
Igniaci cineres, cæli ſit ſpiritus heres.

Helvidis domina de Nantolio ibidem pariter quieſcit, cùm Aelide Galtheri matre, ut ſequens teſtatur inſcriptio.

Hîc jacet Helvidis domina de Nantolio mater amborum.
Hîc jacet domina Aelidis de Nantolio.

Meminit Martyrologium Gallicum tranſitûs piæ memoriæ Nicolai Monachi Igniacenſis IX. Feb. ſpectatæ ſanctitatis viri & miraculorum fulgore illuſtris.

Chronologica Abbatum Monaſterij Igniacenſis enumeratio.

ROBertus Protoabbas cenſendus eſt, ex charta Reginaldi fundatoris. Is forſan eſt, qui Vvibertus nominatur in Chartulario Signiacenſi, ubi juſſu beati Bernardi Clarevallenſis duodecim Aſcetas Igniacenſes ab eo miſſi ſunt ad monaſticum Ordinem in eo Cœnobio ſtabiliendum. Sub eo claruit Balduinus, Herſendis filius ex familia dominorum de Caſtellione.

Forſan in eſt Humbertus dictus ad quē ſcribit B. Bern. epiſt. 141. quòd Abbatiā ſuam dimiſerat.

Verricus legitur in Chartophilacio S. Nicaſij Remenſis anno 1143.

Bernardus, ex Abbate Signiacenſi Igniacum transfertur, & per aliquot annos Abbatis perfunctus munere, ad proprium rediit Monaſterium.

IGNIACENSE MONAST.

Concordia Fratrum de S. Gemma cum Fratrib. Igniac super decima territorij de Raro sic incepit : Samson Dei gratiâ Rem. Archiep. & Ioſſen. Sueſſ vocatus Epiſc dilectis Filijs Gerrico Igniac. Abbati. &c.

Guerricus vir ſingularis ſanctimoniæ, nominatur in pacto cum Religioſis de S. Gemma inito anno 1151. concionémque texuit de purificandis & adornandis cordium affectibus, quæ cum operibus S. Bernardi paſſim editur. Hic, cùm in choro lectionem in officio nocturno legeret, eum Angelus veſte candida & fulgidiſſima induit: magnæ & invincibilis fuit patientiæ, aſſiduos & acutos morbos æquo animo ferens. Fuerat autem hic Guerricus Canonicus & Magiſter ſcholæ Tornacenſis, diſcipulus S. Bernardi.

Goffridus S. Bernardi Amanuenſis ac vitæ ejus Auctor, ſocietatem inijt cum Remigianis anno 1155. inde Abbas Clarevallenſis anno 1162.

Petrus ſtirpe nobilis, regebat anno 1166. & 1170. nominatur cum elogio in Epiſtola Alexandri III. ad Ludovicum VII *Licet venerabilis vir Igniacenſis Abbas non ſit adeo litteratus, cùm tamen Dominus per eum frequenter miracula operari dignetur, de ſanctitate ejus non eſt quomodolibet dubitandum.* Invitus ad clavum Abbatiæ Claræ vallis admovetur anno 1179. & poſt decem annos regiminis, Fuſciniaci extremum ſpiritum exhalavit IV. Calend. Novemb. anno 1189. quem ſanctitatis opinione celebrem tradit Chronicum Autiſſiodorenſe, ei ſubrogatur in Igniacenſi Cœnobio.

Gerardus, ex Abbate Signiacenſi, ſed abjectâ poſt aliquot annos paſtoralis officij ſarcinâ, apud Signiacum redijt. Legitur anno 1180. in tabulario ſancti Dionyſij Remenſis pro decimis de Brolio.

Iulianus, ſubſcripſiſſe legitur in Chartulario S. Dionyſij Remenſis an. 1193.

Nicolaus, in Chartophilacio ſancti Nicaſij anno 1218.

Renardus, Cellerarius Signiacenſis fit Abbas apud Igniacum, ex Chronico Signiacenſi.

Radulfus de Pinis, transfertur ad Claramvallem an. 1226. ubi Guillelmum Remenſem Archiepiſcopum ſepulcro condidit eodem anno,

N...., terram de Monthaizon Galcherus de Caſtellione abdicat, conſentitque ut dominio Igniacenſi uniatur anno 1289.

Guerricus II. anno 1307.

Ponchardus ex Signiacenſi Abbate.

Alardus, nominatur in Tabulario S. Dionyſij Remenſ. anno 1333.

Johannes, præſtitit obedientiam Eccleſiæ Remenſi anno 1347. ſubſcripſitque publico inſtrumento viſitationis Reliquiarum ſancti Nicaſij anno 1359.

Nicolaus anno 1419.

Theobaldus, filius Petri de Luxemburgo, Ludovici Sancti-Pauli-Comitis frater, & Armenteriæ Regulus, matrimonij vinculis ſolutus, relictis omnibus, Ciſtercienſium inſtitutum, veſtémque amplexus eſt apud Igniacum an. 1457. tantúmque profecit in ſtadio virtutis, ut ob animi decora primùm Igniacenſes anno 1466. & Urficampenſes Monachos rexerit; dein Cenomanenſem Eccleſiam, cujus infulis ornatur anno 1468. inter Purpuratos deinde adſcriptus, ſed priuſquam ea fulgeret dignitate mors ipſum vivis eripuit.

Johannes legitur in Chartulario Eccleſiæ ſancti Remigij Remenſis anno M. CCCC. LXVI.

Digitized by Google

BELLÆVALLIS MONAST. An. 1133.

Bellævallis Cœnobij Ordinis Præmonſtratenſis initia & progreſſus, & quot à primis Canonicis per diverſas provincias Eccleſiæ cum Cellis excitatæ.

MONASTERIUM Bellævallis in Argoniæ Toparchia ſitum, quod ſtatim à Remenſi Synodo, ubi & Præmonſtratenſis Ordo confirmatus eſt, habuit exordium; & quod ad loci etymon ſpectat, ferunt Dioletum olim vocitatum, quòd ibi tempore ethniſmi deformis Deus coleretur, poſtmodum verò Locum-virentem dictum, ob amœnam fortè pratorum viriditatem, ſalubritatem aëris, cælíque temperiem: unde nomen Bellævallis, & Aureævallis tandem ſortitus eſt, ut in charta fundationis nuncupatur. Hunc pridem Heribertum quemdam Eremitam ſanctitate vitæ celebrem habitâſſe fert traditio, quaſi Deus prædictum locum nomini ſuo dicandum futuris temporibus tanti viri reclusione deſignâſſet.

Igitur Præmonſtratenſis Ordinis fama longè latéque percrebreſcente, B. Nortberti ſanctimoniâ, quem inter Patres Concilij Remenſis enituiſſe vidimus, dominus Adalbero de Chini Virdunenſis Epiſcopus rem Deo gratiſſimam, ſibi, proximíſque proficuam facturum ſe credidit, ſi aliquam ibi Præmonſtratenſium coloniam aggregaret, quod & reipſa præſtitit anno 1131. miſſis viginti FRATRIBUS ex Monaſterio S. Petri-de-Monte Ordinis Canonicorum-Regularium, qui ſub regimine Philippi Abbatis ex Cœnobio Præmonſtratenſi ſelecti, vivere cœperunt juxta Regulam S. Auguſtini, & ſtatuta novi Ordinis ab Nortberto recèns inſtituti, ut ex charta fundationis clariùs patebit, quam ex Tabulario Bellævallis excerptam liberali affectu mihi exhibuit reverendus Prior Bellævallis, cum alijs ad prædicti Monaſterij notitiam pertinentibus.

Charta fundationis Monaſterij Bellævallis Ordinis Præmonſtratenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus- « *An. 1133.*
ſancti. Albero Dei gratiâ ſanctæ Virdunenſis Eccleſiæ humilis Miniſter « & Servus, univerſis Catholicæ Fidei cultoribus tam futuris, quàm præſen- « tibus. Cùm omnibus piè viventibus, rectéque petentibus ſit favendum, & « eorum neceſſitatibus pro amore Chriſti clementer ſubveniendum, illis « tamen præcipuè inclinandus eſt affectus compaſſionis, qui militare viden- « tur ſub titulo Religionis veræ: bonum eſt enim, & valde bonum pauperes « Chriſti ſuſcipere, in quibus ipſe Chriſtus ſuſcipitur, in quibus vita æterna « promereretur, & quod eis impenditur, centuplum recipietur. Hac igitur « promiſſione confiſus, & prædeceſſorum meorum benefactis, & exemplo « commonitus, ego Albero ſanctæ Virdunenſis Eccleſiæ Proviſor indignus « domnum Rodulfum virum religioſum, qui amore paupertatis, & zelo « arctioris religionis Eccleſiam ſancti Petri-de-Monte reliquerat, in qua « viginti annis Abbas vixerat, & cum eo Fratres ejus ſequaces pro amore « Chriſti ſuſcipere decrevi in terris, ut & ego ſuſcipi merear in cælis. Ter- « ram ergo quamdam, quæ vulgo Aureavallis dicebatur, nunc autem alio « nomine Vallis-ſanctæ-Mariæ nuncupatur, quam Comes Raynaldus de « Barro à me in feodo tenebat, à quo Comes Henricus de Grand-pré eam- « dem terram eodem modo habebat, ab utróque Comite in manu noſtra « redditiam,

BELLÆ-VALLIS MONAST. *An.* 1133.

» redditam, ſupradicto Abbati, & ſuis Fratribus, & ejus, ac eorum ſucceſſo-
» ribus ſub Regula S. Auguſtini in eadem Religione degentibus, integre &
» libere conceſſimus, & ad Deo ſerviendum cum omnibus appenditijs ſuis,
» terris cultis & incultis, pratis, ſilvis, aquis, ſicut fines ejus protenduntur,
» ab una parte uſque ad Haudumele, & inde uſque ad Manhival, exinde verò
» ad campum Join, deinde ad Perticatam, dein ad Lauzonſar, à quo
» uſque ad Cruſtam, à Cruſta ad campum Belini, cum monte etiam, &
» uſque ad Dolinſart, & uſque ad Petram Goudrimets, ab illo uſque ad
» Fronayſal, & inde ad Belchelime, & uſque ad rivulum ubi labitur in aquam
» Unamme, & inde ad Raoulfolie, & uſque ad metam Baltros cum Halbau-
» mont, & quoddam pratum hujus alodij extra terminos illos ſitum, quod
» dicitur in Dodonis-Broil, utroque Comite Raynaldo ſcilicet, & Henrico
» concedente, & petente, necnon & conventu Capituli noſtri laudante,
» eiſdem Fratribus prædictam terram plenariè & irrefragabiliter donavimus.
» Ad judicium tamen, quòd terra illa fundus fuerit Eccleſiæ Virdunenſis.
» Statuimus quòd Abbas ſupradicti loci, ſi exigente eccleſiaſtica neceſſitate,
» ab Epiſcopo vocatus fuerit, & Epiſcopus Catholicus fuerit, ter in anno
» Virdunum veniet, & negotijs Eccleſiæ Virdunenſis fideliter intererit, nec
» hoc dimittet, niſi fortè Epiſcopi illius, in cujus diœceſi manet, debitis
» obſequijs impeditur, vel aliquâ legitimâ cauſâ detentus venire non potue-
» rit. Ad conſervandam præterea caritatem, & providendam animarum
» ſalutem, prædicti Fratres in communione orationum ſuarum nos ſuſce-
» perunt, & quòd defunctorum FRATRUM Virdunenſis Eccleſiæ apud
» eos, & ſuorum apud nos mêmoria plenariè haberetur, & nos ipſis, & ipſi
» nobis conceſſerunt. Hæc, Deo inſpirante, domno Abbati Rodulfo, & ſuis
» Fratribus, ut prædiximus, devotè tradidimus, & ut rata, illibatáque per-
» maneant, ſigillo noſtræ auctoritatis munire curavimus, & teſtes idoneos,
» qui interfuerunt ſubſcripſimus. Si quæ ergo eccleſiaſtica, ſæculariſve per-
» ſona huic noſtræ paginæ contraïre temere præſumſerit, & bonorum Fra-
» trum quietem injuſtè perturbaverit, primò, ſecundò, tertióve commo-
» nita, niſi reſipuerit, & ſatisfecerit, perpetuo anathematis vinculo ſubjaceat,
» & communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti hîc, & in
» extremi examine judicij aliena fiat.

» Signum mei ipſius Alberonis Epiſcopi Virdunenſis. Signum Alberti
» Primicerij. Signum Martini Decani. Signum Richardi Archidiaconi. Signum
» Andreæ Archidiaconi. Signum Johannis Archidiaconi. Signum Stephani
» Cantoris. Signum Hugonis Theſaurarij. Signum domni Hugonis Abbatis
» Præmonſtratæ Eccleſiæ.

» Actum eſt Virduni anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo
» triceſimo tertio. Epacta XII. Indictione XI. Concurrente VI.

Quanto verò divini amoris igne ſuccenſi fuerint ſelecti ſodales, è quibus novella hæc familia primùm coaluit, vel ex hoc conſtare poteſt, quòd Philippus horum caput & Rector, è præcipuis B. Nortberti diſcipulis dicatur aſſumtus, reliqui autem arctioris vitæ ſtudio Eccleſiam B. Petri reliquerunt, Præmonſtratenſem Ordinem profeſſuri; quos inter velut ſol inter aſtra fulgebat Rodulfus vir magnæ religionis, qui cum viginti annos alijs præfuiſſet, humilem tamen obedientiam abbatiali dignitati prætulerit, ſubeſſe potiùs eligens, quàm præeſſe. Unde fit ut multi Nobiles è vicinia, odore ſanctitatis eorum & ſalubri converſatione pellecti, multa bona eis contulerint ad egeſtatem Fratrum ſublevandam, ac præter Alberonem Epiſcopum Virdunenſem, Henricum de Grandiprato, & Reginaldum de Bar, nominatos in tabula fundationis, Necrologium quoque meminit Gerardi primi Valdemontani Comitis, & Heluidis uxoris, domini de Altreïo, Angulbrandi nominati Moſomenſis caſtri, ſub Archiepiſcopo Remenſi

Remenſi, Toparchæ, item & filij ejuſdem nominis, quorum ſepulcrum adhuc cernitur paullíſper elatum ex lapidibus quadratis in ſacello Ss. Petri & Pauli Apoſtolorum, plurium quoque aliorum in tanto numero, ut in prædicto codice pluſquam ducenta quinquaginta plenaria ſervitia pro benefactoribus, ſingulis annis celebranda, numerentur. BELL. ÆVALLIS MONAST. An. 1133.

Ceterùm Bellevallenſes ſub Philippo Præſule (quem Hugo primus poſt Norbertum Præmonſtratenſis Abbas itinerum ejus ſocius ac laborum ad virtutem imbuerat) tot & tantos religionis ac doctrinæ radios hinc inde ſparſerunt, ut brevi à diverſarum regionum incolis ad novas Eccleſias conſtruendas exciti fuerint, factáque ſit Bellavallis quinque Filiarum parens, Stagni ſcilicet ſeu Piſcinæ in Epiſcopatu Virdunenſi prope Hattonis-caſtrum, eodem Alberone Virdunenſi Epiſcopo ſumtus ad id conferente, Septem-Fontium in Epiſcopatu Lingonenſi prope Clarum montem, Filabonis-montis in Epiſcopatu Tullenſi Burgundiæ Comitatui vicini, & ſanctæ Crucis, quæ pariter Juſti-montem produxit in Epiſcopatu Metenſi. Prædictum autem Cœnobium ſanctæ Crucis in ſuburbio olim Metenſi conſtructum, & à centum annis in urbem titulo S. Elegij tranſlatum, fuit ab initio Gallorum & Germanorum receptaculum, qui morum diſſimilitudinem non ferentes, impetrârunt à Capitulo generali, ut ex uno, duo Monaſteria fierent, ſicque Germani Juſti-montis æde conſtructa in eam ſe receperunt, Galli verò apud ſanctam Crucem.

Porro ex Bellevallenſium Filiabus aliæ quædam prodierunt, nam ex Flabonis-monte fluxit Stivagium in Tullenſi diœceſi, inter Voſagiæ montes ſitum, ſuæ quondam fundatricis ſanctæ Richardis Imperatricis induſio dives, juriſdictione epiſcopali in ſeculares ſubditos gaudens. Ex quo pariter Bonum-fagetum initium habuit, Mirecuriâ oppido duobus circiter milliaribus diſtans. Ex Septem-fontibus in eodem Epiſcopatu Tullenſi orta eſt Mira-vallis haud procul à Novo caſtro diſcreta; Juſtus-mons Salinam ſeu Salinam-vallem in eodem Epiſcopatu Metenſi edidit prope Vicum, Gallicè Vic, urbem à Comitibus Salineis anno 1280. fundatam, ubi adſervatur quædam zona byſſina longitudinem unius ulnæ ſuperans, coloris purpurei, quæ à multis retro ſeculis B. Virginis eſſe creditur. In prædictæ filiationis Monaſteria Bellevallenſis Abbas jus paternitatis habuit, ab iſque poſt viſitationem, non ſuis, ſed eorum expenſis, ſingulis annis factam, marcam argenti ex debito recipiebat, habebátque omnimodam ferè diſpoſitionem & electionum confirmationem, adeo ut nullius eſſet roboris quæcumque eo non probante tentata fuiſſent.

Vigente autem regulari obſervantia in Bellavalle, pluſquam ſexaginta ſodales diverſis in locis abbatiali dignitate donati ſunt, cùm interim alij in parœias ab Epiſcopis collatas mitterentur, ad nutum Superiorum amovibiles, alij verò libris in pergameno ſcribendis occuparentur, quos effrena Calviniſtarum rabies in vallem effuſa cum imaginibus & ornamentis accenſo rogo penitus exuſſit. Sed & eadem Abbatia confraternitate gaudebat cum pluribus diverſi Ordinis Monaſterijs quoad bonorum operum communicationem, & ſuffragia pro defunctis, quæ paſſim reperiuntur in Necrologio, qualia ſunt ſancti Victoris Pariſienſis, Cuiſſiacenſe, Buciliacenſe, de Cheeryaco, Maurimontanum, Septem-fontium, de Cartovoro, Monialium S. Petri Remenſis, ſancti Pauli Virdunenſis, S. Mariæ Moſomenſis, B. Mariæ de Aureavalle. In aliquot horum, ſi ſodalis quiſpiam cauſâ diſcordiæ confugiſſet, ex confraternitatis fœdere recipi debebat donec lis utrimque compoſita fuiſſet.

Silentio obvolvendum non eſt inſignem olim à prima Bellævallis fundatione Monialium Præpoſituram exſtitiſſe Bellevallenſium regimini immediatè ſubjectam apud Creciacum, Henrici Ruſi de Altreïo munificentiâ

præſertim

BELLE-VALLIS MONAST. *An.* 1133

præsertim dotatam, & Odonis fratris ejus, qui Præposituræ locum cum appendicijs pro susceptione suæ matris, & sororum liberaliter concesserat, ex charta Henrici Remensis Archiepiscopi, qua reditus prædicti Monasterij à benefactoribus concessi confirmantur anno 1172. Quod verò uno & eodem tempore Moniales simul ibi Deo militaverint, bonisque Monasterij nutritæ fuerint, incertum est; hoc solum constat plures quàm decem hoc loco vixisse, ac tandem communi Abbatis, Conventúsque Bellevallensis consilio decretum fuisse, ne deinceps numerus excederetur, ut patet ex decreto Capituli generalis Præmonstratensis anno 1288. in Archivis adservato, cujus initium sic se habet.

„ Universis præsentes litteras inspecturis G. Dei patientiá Abbas Præ-
„ monstratensis, & Abbatum ejusdem Ordinis Capitulum generale, salu-
„ tem in Domino Salvatore. Noverit universitas vestra, quòd cum olim tem-
„ pore domini Goscilonis Abbatis Bellævallis in Argonia, ipse & Conventus
„ suus sollemne juramentum præstiterunt, quòd in domo Sororum de
„ Crisseyo, quæ est Ecclesiæ Bellævallis immediata possessio, nullam de
„ cetero reciperent Sororem ibidem, donec receptarum numerus esset ad
„ decennarium imminutus, & postmodum tres indutæ sunt in domo
„ ipsa, auctoritate sui Superioris, & Ordinis Fratrum, qui juramentum
„ quoddam emiserant &c.

Hæc Præpositura dudum in Commendam abijt, nec ullas hactenus ibidem Sanctimoniales extitisse restant vestigia. Alia quædam à Bellavalle sacra loca dependent, sed quæ nunc diruta sunt, vel flammis absumta, ut Chalogne prope Dunum-castrum, Prioratus S. Stephani, Annement prope castrum Mosomense divo Nicolao sacrum, præter parœcias de Vallibus in Dioleto, cum succursu de Tailly, de Noaco, de Fossatis, & Longovado ad Crucem, quibus præsentat Abbas Curiones ab Archiepiscopo Remensi examinandos.

Curionem nominat de gremio Canonicorum si velit etiam ad duas posteriores; nam quo ad alias habent MSS abbatem & ejus Suffectum eas regere, tamquam sibi omnino subjectas & de quibus sint rationem reddituri.

Abbatum Bellævallis catalogus.

Philippus hic fuit etiam Abbas Piscinæ, seu Stagni.

PHilippus Remensis, primus Abbas, enuntiatur in bulla Innocentij II. anno 1138. & Eugenij III. anno 1145. quo verò die, vel anno renuntiatus sit, non satis compertum, etiam ex tabula fundationis. Probabile est Rodulfum sancti Petri-Montis Abbatem, cujus ipsa meminit, ejúsque Concanonicos-Regulares in Bellævallis eremo anno circiter 1131. ab Alberone Virdunensi Episcopo susceptos, sub regimine Philippi rigorem Præmonstatensis Ordinis tentâsse, donec authenticis super donatione Rodulfo & fratribus ejus facta litteris expeditis, Philippus in Abbatem Præmonstatensem post Hugonem, cujus discipulus fuerat, assumtus est Sammarthani desijsse asserunt decimo Januarij anno 1170.

Johannes, de quo nihil præter nudum nomen habetur.

Theodoricus, duos fundos cum nemoribus accepit à dominis Angubrandis de Altreïo, in quibus ædificarentur duo pagi de Belloclaro, & Summaltra.

Gosselinus, Vvisepiam & Bordam à venerabili Capitulo Virdunensi in eleemosynam accepit.

Dominicus.

Drogo, huic parœciam de Tailly Vvillelmus Remensis Archiepiscopus, & Abbas S. Dionysij regendam concesserunt anno 1180.

Theodericus, pacificavit cum Odone Abbate S. Dionysij Remensis pro parœcia de Tailly anno circiter 1190.

Johannes, locum dictum de Vvamella suscepit à dominis de Altreïo.

Amilius, composuit cum Monialibus de Avenay pro Vallibus & Vvamella, coram Henrico Remensi Archiepiscopo.

Philippus

Digitized by Google

Philippus cum dicti Monaſterij Abbatiſſa litem habuit pro Tricernario, & cum Abbate Moſomenſi & dominis d'Autry pro terra d'Avennes. BELLEVALLIS MONAST. An. 1133.

Odo, villam Belliclari erexit cum domino Goberto de Aſpero-monte, & ab eodem cenſum Caſtriduni pro anniverſario ſtabilivit.

Theodoricus.

Nicolaus.

Jacobus de Vvimy ex Abbate Bucilienſi.

Johannes, vixit circa annum 1286. ex Bibliotheca Ordinis Præmonſtratenſis pag. 1078. col. 2.

Johannes de Lounignes vel Loignes electus anno 1303. rexit tredecim annis, ſepultúſque eſt ante majus altare prope gradus preſbyterij ſub lapide ſepulcrali cum hoc encomio.

Archimandrita pollens laudabili vita,
Iohannes de Loignes jacet hîc, per ſæcula dignis
Laudibus, in Chriſto grege commemorandus in iſto,
Quem ſi noſſe velis, prudens, pius, atque fidelis,
Moribus ornatus, annis tredecim trabeatus
Paſtoris bravio fuit intus munere dio
Ob an. M. CCC. LVI. Orate pro eo.

Notandum tamen Abbatem hunc præfecturam ſuſcepiſſe anno 1303. ut conſtat ex libro pergameneo, quem in ingreſſu ſuæ dignitatis fieri curavit, ubi reditus Monaſterij, recepta & expenſæ faciliori methodo conſcriberentur, & poſt tredecim annos Abbatiâ ſe exuiſſe, cui ſuffectus eſt Balduinus, at eo obeunte, rurſum idem Johannes infulas induit, ut dicam poſtea, igitur.

Balduinus de Bellomonte vir raris animi dotibus inſigniter ornatus in locum Johannis aſſumtus, preſbyterium novo opere conſtruxit, cum ſacellis quatuor adjacentibus & ſacriſtiam, quam ſacris ſupellectilibus ditavit. Monaſterium quoque novis ædificijs auxit, ac reditibus, ita ut ob egregiam ejus adminiſtrationem, non tam reparatoris, quàm fundatoris nomen jure ſibi vendicare poſſit: quantâ verò caſtimoniâ, puritate, ceteriſque virtutibus, quæ Præſulem decent, præditus fuerit, memoria ejus, quæ hactenus viget inter Religioſos traditione recepta, teſtari poteſt. Hic poſt triginta duos annos regiminis viam univerſæ carnis ingreſſus, ſpiritum Deo reddidit decimo Cal. Aug. an. 1348. corpúſque ejus quieſcit ante majus altare ſub albo lapide marmoreo, cui inciſa eſt effigies Abbatis cum hoc epitaphio.

HÎC JACET D. BALDUINUS DE BELLOMONTE QUONDAM ABBAS HUJUS ECCLESIÆ.

Devotus, ſobrius, pius, ac induſtrius Abbas,
Vt ſolis radios virtutum luce micabat,
Ius latriæ dans Eccleſiæ tu multiplicâſti,
Ac ideo ſine fine Deo ſic te ſociâſti,
Annis octo quater nos paſcens ut pia mater,
M ſemel, & C. ter, ter. Xhriſtus te capit æther.
Tu ſpiramen, das Auguſtas ante Calendas
Luce Pater dena, requiéque potiris amæna.

Annis octo quater ideſt triginta duobus annis. M ſemel, ideſt anno milleſimo. C ter id eſt trecenteſimo. Ter Xhriſtus, id eſt quadrageſimo-octavo, nam in hac voce Xhriſtus tres reperiuntur litteræ arithmeticæ nempe X. ſecundùm græcum, quod denarium ſignificat, qui denarius ter multiplicatus efficit triginta. Deinde triplex V. efficit quindecim. Triplex I. tria. Itaque ter X. ter V. ter I. ſimul ſumta efficiunt numerum octavum ſupra

Digitized by Google

tuali, probante ſummo Pontifice, ſeparavit anno 1607. ac poſt viginti annos præſulatûs, cum Tenolienſi Abbatia permutavit. BELLÆ-VALLIS MONAST.

Franciſcus Antonius de Joyeuſe, Antonij de Joyeuſe filius multùm laboravit pro reformatione inducenda in Monaſterium Bellævallis, perfecitque tandem, quod mente conceperat, anno 1622. cooperante nobiliſſimo viro Roberto de Joyeuſe domino de ſancto-Lamberto Abbatis fratre, quæ reformatio primùm radicem egit in Monaſterio-novo ſanctæ Mariæ-majoris Muſſiponti anno 1611. ac poſtmodum per diverſas provincias pullulavit, Archimandrita Præmonſtratenſi totius Ordinis Generali eamdem approbante, pro qua Paulus V. Statutis ritè per Cardinales diſcuſſis, pontificium diploma conceſſit Romæ apud Sanctam Mariam-majorem anno Incarnationis 1617. quinto decimo Cal. Auguſti, Pontificatûs ſui an. 13. *An.* 1133.

Prædictus vero Antonius de Joyeuſe tandem matrimonium inijt, Comésque Grandisprati factus eſt, rediénſque ab obſidione urbis Trevirenſis in morbum incidit apud Caſtellionenſes Congregationis Ciſtercienſis, obiítque trigeſima die Auguſti anno 1632.

Renatus Ludovicus de Fiquemont, per reſignationem Antonij de Joyeuſe ejus conſanguinei poſſeſſionem inijt an. 1623. migrat 40. Octob. an. 1654.

Petrus de Bertier, Epiſcopus Montalbanenſis regius Eccleſiaſtes & Eleemoſinarius, à Rege Ludovico nominatus, jus ſuum tranſtulit in dominum Claudium de Joyeuſe Comitis de Grandiprato fratrem quarto Julij hujus anni 1655. adhuc vivit.

Signiacenſis Cœnobij Congregationis Ciſtercienſis primordia ex veteris bibliothecæ ejuſdem chronologico libro excerpta.

SIGNIACUM, olim Signeïum, Ordinis Ciſtercienſis in territorio Porcenſi Filia Igniaci ſub Claravalle, exordium tale habuit ex MS. codice qui in tabulario Monaſterij adſervatur. S. Bernardus Abbas Clarevallenſis, quem diu converſatum in diœceſi Remenſi diximus, ad partes territorij Porcenſis veniens, ejuſdem terræ primarijs Anſelmo videlicet Comiti de Ribodimonte, Henrico Comiti Caſtri-Portuenſis, Clarembaldo domino Roſetenſi, & Rodulfo domino de Turno, promiſit quòd quantùm de ſuis poſſeſſionibus eidem ad conſtruendum Cœnobium conferrent, tantùm ſpatium in cæleſti patria poſſiderent, qua promiſſione præfati Toparchæ freti, affatim de ſuis poſſeſſionibus contulerunt ad Signiacenſe Cœnobium conſtruendum. SIGNIACENSE COENOBIUM. *An.* 1134.

Anno igitur incarnati Verbi milleſimo centeſimo triceſimo-quarto, XV. Calend. April. Humbertus Abbas Igniaci vir totius ſanctitatis, juſſu ſancti Bernardi duodecim Monachos elegit ex eodem Conventu, quibus præfecit D. Bernardum virum generoſæ indolis ac ſummæ prudentiæ, qui ex Canonico-regulari S. Auberti Cameracenſis colobium monachale induerat apud Igniacum. Hi igitur duodecim Fratres cum ſuo Abbate Signeïum appulſi, ſedem primum fixerunt in loco qui Dreſia vocatur, donec oratorium cum ædificijs aſceticæ vitæ neceſſarijs conſtrueretur; ad quod Theobaldus Campaniæ Comes munificum ſe præbuit; brevíque factum eſt, ut qui penuriâ rerum temporalium laborabant, Deo operante opibus creverint ad augendum numerum Monachorum. Per id tempus Vvillelmus Abbas ſancti Theoderici, poſthabito præſulatûs honore, apud Signiacum factus eſt Monachus, ut divinæ ſpeculationi quantò ſecretius, tantò devotiùs, & ferventiùs inhæreret: hic enim præter religionis & virtutis in-

SIGNIACENSE COENOBIUM. *An.* 1134.

signia, in litterarum scientia peritissimus habebatur; ita ut septem liberalibus artibus esset sufficienter imbutus. Et quoniam B. Bernardo carus erat & familiaris, idem Sanctus à Capitulo Cistercienſi obtinuit ut cum duobus Monachis, sicut Abbas, hospes loqui posset, & quò vellet eos deduceret extra claustrum. Ad hunc D. Bernardus librum apologeticum, & alium *de Gratia & libero arbitrio*, pluréſque epistolas scripsit, in quibus, quid de eo sentiat liquet legentibus.

Vvillelmus itaque optato potitus otio & quiete, amores venustæ Rachelis, Lippæ liæ præferens, dulcis Rachelis amplexibus cupitis fruebatur, & aliquotiens cum Maria ad pedes Domini sedens audiebat verbum illius cum sancto David psallens & dicens: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; unde & plerúmque Fratribus de plenitudine cordis sui verba æternæ vitæ propensiùs eructabat. Porro cùm idem Vvillelmus in lectionem quorumdam librorum Magistri Petri Abaëlardi incidisset, quiddam, hæresim sapiens, invenit, unde graviter motus, capitula in quibus perversa dogmata continerentur collegit: quibus patet Abaëlardum non nihil contra Fidem, Patrúmque sanctiones docuisse; quod cum S. Bernardo innotuisset, Magistrum Petrum tanta dexteritate ad palinodiam compulit, ut ad verba ejus se juraturum promitteret. At eo recedente, iniquis stimulatus consilijs, resilivit, donec in Concilio Senonensi, ad quod S. Bernardum vocari fecerat, nec volens recipiscere, nec valens resistere spiritui, quo Sanctus loquebatur, Sedem apostolicam appellavit. *Pſal. 84 v. 9.*

Subinde Domnus Arnulfus frater domni de Moriaumes S. Nicasij Asceta, vir tam generis nobilitate, quàm vitæ merito conspicuus, cælestis desiderij ardore succensus in eodem pariter Signiacensi Cœnobio arctiorem vitam professus est. Gerardus quoque frater domini de Orcimonte Abbas Florinensis, cum duodecim socijs Signiacum concessit. Hi tres memorati viri novellæ tunc congregationi, quasi tria luminaria refulgentes sancta conversatione, & pietatis exemplo plurimùm profuerunt.

Florinenses verò Monachi ægre ferentes se pijssimo Abbate destitutos, Romam mittunt, quò à summo Pontifice obtineant ut ad eos per censuram ecclesiasticam reverti cogeretur; at Gerardus, cum Apostolo posteriorum oblitus, ad priora se extendens, intendebat potiùs ad vocem Domini admonentis eum persequi ad bravium supernæ vocationis, quàm ad ea quæ reliquerat, redire: unde anathemate percussus, quòd justis apostolicis parere renuisset, Romam proficiscitur, ubi cùm ad domini Papæ pedes provolutus supplex postulâsset, ut liceret sibi reliquum vitæ in Signiacensi Cœnobio Domino deservire, summus Pontifex ei denegavit assensum, jussítque ad suos Florinenses reverti. Ille statim recessit ad hospitium tristis, & confusus, nemini quidquam loquens, ut pote adhuc excommunicatus, sed juxta asinum, quem secum adduxerat, solus in stabulo manducabat; quæ res, cùm ad notitiam summi Pontificis perveniſſet, accersiri fecit sanctum virum ad se, excommunicationis vinculo eum absolvit, & cum benedictione apostolica ad propria remisit, concedens ei ut apud Signiacum deinceps posset conversari. Ipse igitur reversus, ob fervorem ordinis & vitæ meritum functus est officio Prioratûs, tum plenus dierum & virtutûm defunctus est, corpúsque ejus, eo petente, sepultum est in cœmeterio sub stillicidio tecti Oratorij ut citiùs putrefieri posset, vel ut habent MSS. juxta murum oratorij contra altare sanctorum Martyrum, ubi multis postmodum claruit miraculis.

Cùm igitur tumulus ejus à populis frequentari cœpisset, venerabilis Abbas D. Bernardus cum quibusdam Fratribus ad eum accessit, & quasi cum vivo loqueretur dicebat: *Quid est Frater? nos de sanctitate vitæ, & conversationis tuæ minimè dubitamus, quorsum ista miracula? visne*

sæcularibus

Digitized by Google

ſæcularibus ad ſepulcrum tuum venientibus, quietem hujus monaſterij perturbari? in nomine Ieſu Chriſti præcipimus tibi quatinus à perpetratione miraculorum deſiſtas, alioquin corpus tuum extra Monaſterium ſepelietur. Ab illa die & deinceps miracula fieri ceſſarunt, ne Patres liberiori ſæcularium acceſſu amplius perturbarentur.

SIGNIACENSE COENOBIUM. *An.* 1134.

Quòd verò ſpectat ad Vvillelmum Abbatem ſancti Theoderici, quem naſcentis familiæ Signiacenſis primordia conſecrâſſe diximus, vitam S. Bernardi Clarevallenſis exorſus eſt ſcribere, ipſo quidem vivente, ſed penitus ignorante; acciditque ei contra deſiderium ſuum, ut, ſicut in præfatione ejuſdem vitæ vereri ſe dicit, præoccupatus morte non expleverit quantum animo conceperat ſtilo mandandum: ipſe autem vitam eamdem uſque ad tempus ſchiſmatis contra Innocentium Papam à Petro-Leonis conflati, fideliter & eleganter digeſſit, curſum autem vitæ ſuæ ſancto fine complens, obdormivit in Domino. Corpus ejus in clauſtro juxta introitum capituli ſepulturæ traditum eſt. Arnulfus quoque, ſeu Monachus, ſeu Abbas S. Nicaſij, de quo ſupra, paullo poſt ad Superos exceſſit, ſepultúſque eſt in clauſtro ante armarium.

De eo Martyrol. Gall. 22 Feb. Signiaci obiit Gerardus Monachus in vitâ miro religionis amore, & poſt inſigni miraculorum glorîâ conſpicuus.

Abbatum Signiacenſium nomenclatura.

BErnardus Signiacenſis Abbas primus rexit viginti duos annos, donec ab Igniacenſibus in Rectorem electus eſt; at cùm eis præfuiſſet per aliquod tempus, ſenio confectus ab onere abſolvitur, & Signiacum rediens migrat ad Dominum, cui ſucceſſit.

Alardus de Gennilaco, Signiacenſis Monachus anno 1156. Hic clauſtrum de nigris lapidibus ædificavit, columnas quoque, baſes & capitella veteris clauſtri reſtituit inter dormitorium Converſorum, & domum latomorum, cúmque apud Laverniacum veniens præcepiſſet Converſis, ut altare S. Remigij amoverent, Converſis autem id facere renuentibus, ipſemet cœpit illud deſtruere; ſed confeſtim à planta pedis uſque ad verticem paralyſi percuſſus, ab opere ceſſavit, ſerò pœnitens quòd altare S. Remigij confringere aggreſſus eſſet. Ceſſit poſt decem & octo annos ob debilitatem corporis, ſtatimque mortalitatem explevit in ſenectute bona, ſepultus in capitulo.

Balduinus, ex Igniacenſi Monacho præeſt duobus annis, ſcilicet uſque ad annum 1178.

Gerardus, ejuſdem loci Prior, electus poſtmodum Igniacenſis Eccleſiæ Abbas; ſed abjectâ poſt tres annos paſtoralis officij ſarcinâ, apud Signiacum redijt, ubi & mortuus eſt.

Vvalterus, ex Abbate Bonifontis fit Signiacenſis anno 1181. antea Monachus Igniacenſis, egit animam poſt quatuor annos regiminis.

Guido, ex Priore Signiacenſi lectus anno 1185. cùm quatuor annis & dimidio præfuiſſet, ipſo petente ab onere officij abſolutus eſt.

Stephanus, Monachus Signiacenſis, etiam poſt duos annos ceſſit an. 1192.

Jacobus Remenſis, ex Subpriore Clarævallis factus Abbas Signiaci, colonam duodecim Monachorum miſit ad locum qui dicitur Eſtivias, nunc Vallis-ſancti-Lamberti in Leodienſi provincia, præficiens eis Guidonem, cujus ſupra memini. Præfuit autem Jacobus ferè per quinquennium, & præfecturam abjiciens, apud Claramvallem, unde venerat, remeavit anno 1197.

Gerardus le Begue, rexit ſeptem annis & totidem menſibus. Ægidius ſedit quinque annis, ac propter injurias domini Caſtri-Porcenſis, qui etiam vitæ ejus inſidiabatur, Igniacum, unde aſſumtus fuerat, regreſſus, ab onere officij ſui ſublatus eſt anno 1201.

SIGNIACENSE COENOBIUM.

Hugo, Prior Longipontis Ægidio succeſſit, poſt quinque annos regiminis abdicat anno 1207. poſtmodum verò fit Abbas Frigidimontis, ac tandem Longipontis, ei ſubrogatur.

Petrus, Subprior Longipontis, Abbas duobus annis, quo amoto.

An. 1134. Ægidius, Cellerarius Igniacenſis ſecundò factus Abbas Signiac. an. 1209. præfuit novem annis. Ipſe oſſa Vvillelmi quondam Abbatis S. Theoderici, Arnulfi S. Nicaſij, & Gerardi Florinenſis Abbatum, de tumulis, in quibus uſque ad illud tempus jacuerant, levavit, & eadem intra murum Oratorij juxta introitum Eccleſiæ à parte clauſtri in quadam theca, cum honore debito collocavit: huic tranſlationi vicini Abbates interfuere.

Renardus, ex Cellerario Signiacenſi, poſt tredecim annos fit Abbas Igniacenſis anno 1226.

Hugo, item ex Cellerario Signiacenſi ſedit tribus annis, & ſeptem menſibus anno 1230.

Herbertus de Valcellis, à villicatione ſua amotus eſt poſt quatuor annos & ſeptem menſes.

Martinus, ex Cellerario Igniacenſi, cùm octo annis & tribus menſibus præfuiſſet, Cathalauni è Capitulo generali rediens obiit; corpus ejus Signiacum relatum eſt, & in capitulo à ſex Abbatibus honorificè ſepultum an. 1238.

Poncardus, ex Cellerario Vallisregis, rexit decem annis anno 1248.

Robertus de la Baſſée, ex Cellerario Signiacenſi per quinque annos & quatuor menſes.

Bertrannus de Givron, per octodecim annos, anno 1273.

Arnulfus de Ventelayo, functus eſt Abbatis officio annis quatuor & menſibus quinque.

Johannes de Avia, ex Magiſtro Converſorum Signiacenſium tribus annis & quatuor menſibus.

Poncardus de Vvaſſigniaco, per ſex annos & menſes novem.

Poncardus, regimen ſuſcepit, ac deinde in Abbatem Igniac. electus eſt.

Johannes de Vatigny.

Arnoldus de Vaſigniaco.

Johannes à Caſtro-Porcenſi.

Gerardus de Nouvion.

Johannes de Morgny.

Johannes de Ceſa.

Guillelmus Leodienſis.

Ogerinus de Sezane, fit deinceps Igniacenſis; ſub eo reformatio Signiacenſium inducitur.

Nicolaus de Suippe.

Gobertus de Charlange.

Triſtandus de Bizet, ex Monacho Clarevallenſi ultimus Abbas regularis, Epiſcopus Santonenſis.

Carolus de Bourbon, Cardinalis ex ceſſione Triſtandi.

Annibal de Ruſſelay, Italus, Carcaſſonnenſis Epiſcopus.

Ludovicus de Ruſſelay, præcedentis nepos anno 1602.

Antonius de Bourbon, Comes de Moret Henrici IV. Francor. Regis filius naturalis anno 1620.

Armandus Johannes du Pleſſis, Cardinalis de Richelieu.

Marchus de Baradat.

Henricus de Baradat, Superioris frater, ex ejus reſignatione.

Ceterùm prædicto Signiacenſi Monaſterio Vvillelmus Remorum Archiepiſcopus privilegium contulit (annuente Remenſi Capitulo) quidlibet vendendi, & emendi abſque ulla exactione in urbe Remenſi; item & habendi domum cum omni libertate, quod, cùm archiepiſcopalis juriſdictionis non ignobile ſit teſtimonium, haud abs re hîc duximus inſerendum.

Vvillelmus

SIGNIACENSE COENOBIUM. An. 1134.

VVillelmus Dei gratiâ Remensis Archiepiscopus S. R. E. tituli S. Sabinæ Cardinalis, apostolicæ Sedis Legatus: universis præsentes litteras inspecturis salutem. Res gestæ scripto transferuntur ad posteros, & ejus beneficio docetur ignorantia, & oblivio submovetur. Ea propter universis sanctæ matris Ecclesiæ Filijs notum facimus, quòd nos dilectis nostris in Christo Abbati, & Conventui Monasterij Signiacensis, Cisterciensis Ordinis, de voluntate & assensu Remensis Ecclesiæ, concessimus in perpetuum immunitatem & libertatem emendi, & vendendi libere in civitate nostra Remensi, & per totam terram nostram & Ecclesiæ Remensis, quidquid sibi putaverint necessarium, ducendi quoque, & reducendi res eorum, sine solutione telonei, sestellagij, vinagij, & absque ulla alia exactione ab ijs exigenda.

Domum etiam eorum, quam acquisiverunt, & ædificaverunt Remis, in loco qui vocatur Merochel, eisdem Abbati & Conventui concessimus cum propriso, & pertinentijs ejusdem domûs possidendam in perpetuum, & habendam eam liberam, ea videlicet libertate, qua in eadem domo & ejusdem propriso vendere valeant & emere, sicut superius est expressum: nec infra clausuram ejus, sive propriſium, quisquam hominem capere, sanguinem effundere, seu aliam violentiam, absque eorum licentia, valeat exercere. Hoc salvo quòd si dictam domum, vel ejus propriſium ad manum laicalem redire contigerit, omnis nostra jurisdictio, quam prius habebamus in eisdem, ad nos similiter revertatur.

In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo nostro, nec non & Remensis Ecclesiæ communiri fecimus. Datum anno gratiæ millesimo centesimo nonagesimo primo.

Quibus initijs Cœnobium Calvomontanum ad eam amplitudinem in quam nunc est, aut fuit, pervenerit.

COENOBIUM CALVOMONT. An. 1147.

COENOBIUM de Calvomonte Ordinis Præmonstratensis, si quædam exceperis, antiquitatis dignitate cetera pœnè nostræ diœcesis antecellit: nam fertur eo loco olim dumis, ac sentibus obsito oratorium ædificatum à sanctissimis Bertholdo & Almundo S. Remigij discipulis, ubi anachoriticam vitam professi, usque ad obitum in maxima austeritate, ac sanctimonia vixerunt. Bertholdus, seu Berthaldus Theoldi & Berthæ filius Regis & Reginæ veteris Scotiæ, quæ nunc Hibernia vocatur, migravit ad Superos anno 525. decimâ sextâ Junij ex codice Calvomontano. An Almundus ejusdem itineris comes, is sit, qui Tarvannæ Ecclesiæ præfectus est à Remigio, non ausim asserere.

Horum vestigia complures æmulati, ibidem postmodum corpus jejunijs & orationibus attrivère, ut se Deo hostiam vivam & placentem consecrarent, quorum nomina latent adhuc, aut exiderunt: his succesſère Canonici sæculares, quibus bona, Heremitis pridem concessa, confirmat Rodulfus Rem. Archiepiscopus anno 1111. At B. Nortberti discipulis vitæ exemplo, ac jugi prædicatione per totam regionem clarescentibus, cuidam ex illis venit in mentem prædictum sibi locum comparare, quem præfatus Bertholdus suâ sanctificaverat pœnitentiâ, ad quod multùm contulit Rogerus Comes Castri-porçensis, cujus sepulcrum & Elidis matris ejus nuper repertum est, cùm veteris Monasterij funditus everterentur ædificia, Claudij le Roy primi Commendatarij sumtibus exornata. Sic igitur Comite Porcensi Henrico pariter approbante, ut Præmostra-

COENOBIUM CALVOMONT. An. 1147.

tenſes Clericis ſæcularibus ſubrogarentur, anno 1147. fit nova Eccleſia, expenſis, ut creditur, prædicti Comitis, ac ſtudio Regularium, Cæſarij imprimis, quem novellæ huic familiæ præfectum legimus.

Prior Eccleſia dedicata fuerat à S. Arnulfo Sueſſionenſi Epiſcopo Cœnobita Benedictino, circa annum 1082. ex Liſiardo in ejus vita; at novam alter Arnulfus de Petrafonte Sueſſionenſis Epiſcopus conſecravit, quam ſacræ reliquiæ auro, & gemmis pretioſiores mirificè commendant, tranſtulitque Hugo Sueſſionenſis Epiſcopus anno 1248. nam præter Ss. Bertholdi, Amantij, & Viviani, poſſidet etiam corpora beatarum Olivæ & Libertatis, in ſumma veneratione apud incolas pagi, quæ velut Bertholdi ſpirituales filiæ, in ſilva Calvimontis cellulas habuiſſe dicuntur, cum oratorijs diſtinctis à ſe invicem, & fonticulis, è quibus febricitantes, cùm aquam hauſerint, ut plurimùm ſani recedunt: Bertholdus tamen tutelaris ſibi nomen vendicat, cujus memoria, ut poſteris altiùs inſideret, pro inſigni crucem argenteam in campo cæruleo Monaſterium retinuit, quæ crucem ſancti Bertholdi indigitat, quàm ipſe primitus in culmine montis infixit. At quamvis, ob tanti viri recordationem, Præmonſtratenſes ibidem per quingentos & amplius annos vota Deo ſolverint, contigit hac tempeſtate ut dominus Galinet Commendatarius, non ſatis perpenſa loci ſanctitate, cujuſdam Nobilis cupiditati paullo liberius indulgens, transferri hoc egit Monaſterium ex colle, ubi hactenus fuerat, in vallem pari itinere à Caſtro-Porcenſi diſparatam: unde factum eſt, ut Religioſi diſcedere coacti, ædificijs ſus déque ſupra ſepulturam Patrum disjectis, ſecum aſportârint inter ſacras ſupellectiles tutelarium ſuorum corpora die S. Johannis Baptiſtæ, & quidem clanculum ac ſine ulla ſollemnitate, ne Calvimontis accolæ huic furtivæ tranſlationi intercederent, qua ſuorum patronorum amabili præſentia orbantur, utinam non eorum ſuffragio, ac interceſſione apud Deum.

Porro elenchum Abbatum plenum exhibere non poſſumus, ſed interpolatum, quem ex varijs tabularijs excerpſinus.

Abbatum Calvimontis ſyllabus.

JOhannes, nominatur in bulla Eugenij tertij, qua ſubrogationem Præmonſtratenſium approbat anno 1147.

Cæſarius, vir ſpectatæ virtutis & doctrinæ, memoratur in Chartophilacio S. Nicaſij Remenſis anno 1158. pacificavítque cum Guidone Abbate pro terra de Remoncourt.

Atelmus, ex charta Tabularij Calvimontis anno 1191.

Johannes, exceſſit tertio Nonas Januarij ex Necrologio.

Albiacus, anno 1183.

Ponſardus 26. Feb.

Sequentes in Necrologio adhuc leguntur.

Johannes.

Audelmus.

Galterus.

Johannes de Logny.

Nicolaus de Baucigny.

Simon de Achaires, poſtea Cuiſſiacenſis Abbas.

Johannes Lochin.

Gobertus de Roquigny.

Odo, anno 1241.

Petrus de Banagny, anno 1246. obijt 26. Novemb.

Johannes, anno 1252.

Simon, anno 1285. & 1310.

Johannes,

Digitized by Google

Johannes, vovit obedientiam Eccleſiæ Remenſi anno 1348. COENOBIUM CALVOMONT.

Johannes, præſtitit juramentum anno 1350.

Radulfus, legitur anno 1383.

Petrus le Boucher de Roquigny, anno 1426. Hic agnoſcit litteris propria manu ſubſignatis, Robertum de Bethune Vicecomitem Meldenſem, & Iſabellam de Chaſtelain reliquiſſe lampadem argenteam, in qua impreſſa habebantur inſignia prædicti Roberti ac Johannæ de Chaſtillon dominæ de Calvomonte, prioris ſuæ conjugis, Eccleſiæ S. Bartholdi, ut jugiter luceret coram feretro prædicti S. Confeſſoris, cui præterea, ſcilicet Abbati, ſummam centum librarum præfata Iſabella contulit, ut oleum ad id neceſſarium ſuppeditaret 16. Novemb. anno 1429. *An.* 1147.

Petrus Fuiart, anno 1517.

Gobertus Couſin, ultimus Regularium eligitur anno 1529. functus anno 1560.

Claudius le Roy, inijt poſſeſſionem anno 1560. migrat anno 1614. eo ſedente Cœnobium exuſtum eſt, quod ipſe ſuis expenſis reſtruxerat, ab hæreticis Sedanenſibus die Ss. Trinitatis.

Stephanus Galinet, adepta poſſeſſione anno 1615. Abbatiam reſtruxit ubi nunc eſt anno 1623. obiitque menſe Auguſto anno 1638.

Euſtachius Picot, Canonicus ſanctæ Capellæ Pariſienſis vivis exemtus anno 1648.

Cyrus vel Ciricus de Villers la Faye, Capellæ regiæ Præfectus nominatus ad Epiſcopatum Petrogoricenſem.

Bonifontis Cœnobium & an dominis de Ruminiaco ſuæ fundationis & initia debeat.

BONIFONTIS Cœnobij in Teraſcia, Signiaci Filiæ ſub Claravalle, incunabula certiùs evulgari non poſſunt, quàm ex veteri membrana in Tabulario Signiacenſi adſervata, cujus antigraphum ad me tranſmiſit vir doctrinæ non vulgaris D. Bertrandus Tiſſier mihi amiciſſimus, ex qua tamen Sammarthani, qui idem munus pariter ab eodem acceperunt, quod ad prædicti Monaſterij fundationem ſpectare videbatur, in ſuæ Galliæ Chriſtianæ tomo quarto retulerunt his verbis. BONIFONTIS MONAST. *An.* 1154.

ANno ab Incarnatione Domini 1152. dominus de Ruminiaco quamdam villam, quæ tunc Seriſontes vocabatur, quod nomen mutatum « eſt in Bonifontem, ad conſtruendum ibi Cœnobium domno Bernardo « tunc Abbati Signiacenſi contulit. Domnus igitur Bernardus Abbas duo- « decim Monachos de Conventu Signiaci eligens, ad dictum locum deſti- « navit, præficiens eis Abbatem Theodoricum virum religioſum & hone- « ſtum; & quia poſſeſſio illa quam dominus de Ruminiaco contulerat pro « fundatione Bonifontis minùs ſufficiebat ad ſuſtentationem Fratrum Do- « mino ibidem famulantium, dictus B. de poſſeſſionibus Signiacenſis Ec- « cleſiæ tres grangias eidem loco contulit, videlicet grangiam de Mortin- « ſart, & aliam quæ dicitur Vvalepia, & tertiam quæ dicitur Cuiny. «

Igitur prædicti duodecim Fratres cum Abbate ſuo Theodorico nulla- « tenus à Signiaco diſcedere voluerunt, niſi ſub tali conditione, quòd cùm « aliquis Monachus, vel Converſus de eorum Conventu moreretur, tan- « tùm pro eo ab unoquoque Monacho, vel Converſo Signiacenſis mona- « ſterij fieret, quantum pro unoquoque eorum fieri conſuevit; & ipſi « quoque

BONIFON-TIS MONAST. *An.* 1154.

„ quoque pro Signiacenſibus idem ſe perpetuò facturos ſpoponderunt.
„ Quòd videlicet a tempore illo ab utriſque firmiter, & fideliter uſque ad
„ tempus Domni Martini, per annos ferè nonaginta obſervatum eſt.

Huc uſque Chronicon Signiacenſe.

Cetérum, licet dominus de Ruminiaco villam prædictam ad Cœnobium ibidem conſtruendum dederit anno 1152. non videtur tamen niſi anno 1154. fundatum, ut indicant tabulæ Ciſtercienſis Monaſterij, quibus habenda eſt fides: cauſa hujus moræ ea fuit, quòd ſufficiens non eſſet ea poſſeſſio, quam dominus de Ruminiaco contulerat ad Cœnobium exſtruendum, ideo multi alij plurima beneficia paullo poſt largiti ſunt, inter quos accenſentur Odo de Silviniaco & Reginarius frater ejus, pijſſima quoque domina Giſla nuncupata, & Vvalterus filius ejus, Herbertus de Gente, Raynaldus de Roſoy, aliique nonnulli, quorum donationes in bulla Alexandri III. ſigillatim referuntur. Samſon quoque Archiepiſcopus, pro ea propenſione animi, qua in prædictam Congregationem ferebatur, non modò Nobiles hos ad aliquid ſuppeditandum hortatus eſt, ſed & altare de Vvaleppe prope Saviniacum in alimoniam Monachorum contulit, ut conſtat ex veteri charta, cui inſcriptum eſt: *Ex dono domini Samſonis Archiepiſcopi Remenſis altare de Vvalapia cum appenditijs ſuis.*

Illuſtratur hæc domus inſigni Priore B. Thoma, quem inter viros ſanctimoniâ illuſtres, quos protulit Ciſtercium, Johannes Abbas, & miſſale antiquum Ordinis, tum & catalogus de proſpero & adverſo ejus ſtatu, atque ex eis recentiores omnes commemorant, haud tamen certum qua ætate floruerit.

Eccleſia eſt inſignis & magnificæ ſtructuræ, ad quam peregrini ex tota vicinia confluunt ob reliquias B. Capraſij Martyris Agennenſis, quæ in eo religiosè conſervantur, cujus feſtum incidit vigeſimâ Octob. juxta Martyrologium Romanum.

Porro juxta introitum Eccleſiæ ſepultus jacet in clauſtro primus fundator Nicolaus de Ruminiaco, & alij Dynaſtæ, quorum ſeriem retulimus lib. 2. cap. 25. pag. 251. in alijs partibus clauſtri.

Synopſis Abbatum ex varijs Schedis, ſeu Chartophilacijs excerpta.

THeodoricus primus Abbas, Signiacenſis Monachus, ex narratione ſuperiùs relata anno 1154.

Vvalterus ei ſucceſſit, ſtetque Abbas Signiaci anno 1181.

Petrus, nominatur in Chartulario S. Nicaſij Remenſis, ubi modium frumenti dat Priori de Ruminiaco pro quibuſdam paſcuis juxta Monaſterium ſuum ſitis, anno 1185.

Stephanus, electus anno 1190. obijt 7 Maij ex Necrol.

Gerardus, quædam paſcua Monachis Prioratûs de Ruminiaco conceſſit anno 1206.

Rodulfus, legitur pariter in Chartulario ſancti Nicaſij Remenſis anno 1210.

Johannes I. in eodem Chartulario anno 1248.

Ægidius, refertur ibidem annis 1266. & 1277.

Goſvinus, ad Superos exceſſit 19. Decemb. ex obituario Bonifontis.

Johannes II. exceſſit 20. Maij

Gobertus, vivere deſijt 25. Maij.

Guido I. vendidit molendinum de Beliſe cum quibuſdam paſcuis in eodem loco ſitis, ex conſenſu Capituli generalis, Monachis de Signiaco anno 1311. Eo ſedente Galcherus de Caſtellione quinque modios frumenti

frumenti annuatim percipiendos Abbatiæ impertijt, quos ſuo diplomate confirmavit Guillelmus de Tria Remenſis Archiepiſcopus anno 1359. BONIFONTIS MONAST. *An.* 1154.

Guido II. vitæ finem impoſuit 19. Septemb. anno 1375.

Nicolaus, mortem oppetijt decima Maij.

Ludovicus.

Johannes Kint III. in ſerie Abbas XXXI. ut etiam habet ejus epitaphium, quod eum anno 1532. octavo Auguſti obijſſe refert, ſícque multi deſiderantur.

Johannes d'Averhoult IV. regularis Abbas, an Commendatarius fuerit, non conſtat. Hunc ex traditione quidam putant Monachum fuiſſe S. Nicaſij Remenſis.

Johannes de Coucy V. Franciſci I. Regis Eleemoſynarius, ex illuſtriſſima ſtirpe de Couciaco prognatus, parentibus Rodulfo domino de Vervins ex Helena de la Chapelle Abbas Commendatarius, totum Monaſterium reparavit, exceptâ Eccleſiâ elegantis ſtructuræ, quæ integra remanſerat. Idem vivens ſibi ſepulcrum in ea ſat inſigne conſtruxit, in quo tamen cor illius dumtaxat repoſitum eſt, corpus verò Vervinum in Mauſoleo gentilitio delatum. Porro in epitaphio Eccleſiæ Bonifontis dicitur Johannes mortuus anno 1584. vigeſimâ ſeptimâ Decemb. poſt regiminis annos quadraginta ſex. Ab eo tempore Commendatarijs traditum eſt hoc Monaſterium, haud ſine regularitatis & bonorum jactura, quod nunc poſſidet juxta morem ſæculi.

Nicolaus de la Lane Pariſinus.

Ellantium Ciſtercienſis Congregationis Monaſterium, Comitum Regiteſtenſium liberalitate fundatur.

ELLANTIUM MONAST. *An.* 1154.

NOBILES pietatem Antiſtitum in promovendis novorum Ordinum principijs æmulati, certatim quoque in ſuis Dynaſtijs horum exemplo & hortatu ad id ſumtus ſuppeditabant, unde brevî factum eſt, ut provinciæ Remenſis diœceſes Monaſterijs, veluti firmamentum ſtellulis, reſplenduerint. Inter ea quæ ſub Samſone Archiepiſcopo initium habuêre, Ellantium occurrit Congregationis Ciſtercienſis haud ignobile Cœnobium in pago Retellienſi ſitum, cujus fundator non exſtitit Hugo Nivernenſis & Retellienſis Comes, ut referunt Sammarthani, cùm tempus non cohæreat; ſed Vviterus Odonis Caſtellani Vitriacenſis & Mathildis filius, qui, patruis decedentibus ſine liberis, Comitatui Retellienſi ſucceſſit ex parte matris, ac Beatricem Godefridi Namurcenſis Comitis filiam duxit, ex qua prodijt Beatrix altera uxor Rogerii Siciliæ Regis an. 1150. Conſtantiæ mater, cuius illuſtris eſt memoria, ob matrimonium cum Henrico V. Imperatore contractum.

Quòd verò Ellantium Vviteri Comitis liberalitate primitus erectum ſit, ſuadent donationis tabulæ, quibus Monachis impertit quidquid habebat in eodem loco. *Tam in terris, quàm in ſilvis ad omnes ſuos uſus; tamen quòd nemus non exſtirpabunt cauſâ agriculturæ, paſtum animalium per plana, uſque ad viam quæ ducit de Altomonte ad Doncherium per Saponam, terram de Arleio, totam piſcaturam quam habebat in Barro flumine*, &c. Huic donationi ſubſcripſerunt filij eius Manaſſes, Henricus, Albertus Remenſis Canonicus, & Balduinus.

Seſe pariter munificos præbuerunt Hugo Regiteſtenſis Comes, & Felicitas uxor ejus Comitiſſa de Beaufort, erga Ellantium Monaſterium, imo prædictu

ELLANTIUM MONAST. *An.* 1154.

prædictus Hugo præcipuus fundator cenſetur Ellantij, ut & Prioratí de Altomonte, & Hoſpitalis Retellenſis, ob ea quæ ex ſuis opibus ſuper-addidit : unde poſtquam deſiit ab humanis, in Ellantio Conventu humo mandatus anno 1228. cum hoc epitaphio.

Hugo Comes primus jacet hoc ſub marmore limus.
Quod nunc eſt, erimus : licèt quod erat modò ſimus.
Limus enim fuimus omnes, ad idemque redimus.

Hugo primus Comes hîc dicitur, non nomine, cùm alius eum præceſſerit, ſed quòd primus forſan Comitum in hac Eccleſia fuerit tumulatus, niſi epitaphium illud ſit Hugonis primogeniti prædicti Hugonis.

Cenotaphio uxoris tale inſcribitur diſtichon.

Hîc Comitem comitata virum Comitiſſa locatur
Felicitas, pro qua bonitas, pietáſque precatur.

Hugo ex Felicitate quatuor reliquit liberos Hugonem, Johannem, Galcherum, & Manaſſem qui ſucceſſivè Comitatum tenuerunt. Ultimus hic in eadem capella tumulatur cum fratribus, quorum pariter proſtant epitaphia, cum hac inſcriptione.

Hîc Maneſſerus quondam Comes eſt tumulatus,
Miles ad arma ferus, morum virtute probatus,
Simplex, atque pius, tormentum non patiatur
Sanctis ſit ſocius, æterna luce fruatur.

Obijt Iſabella anno 1272. Manaſſis Comitis relicta, nupſit poſtea Nicolao de Charbogne domino de Attrcïo, jacétque apud Ellantium cum hoc epitaphio patriâ linguâ confecto.

Iſabeau la Comteſſe giſt ſous cette lame,
Volontiers oyoit Meſſe, Dieux ait mercy de l'ame,
Des lieux de Cry fut née mou eſtoit bonne Dame,
Jeſus-Chriſt couronné l'ame ait en ſon royaume.

In ſacello juxta latus ſiniſtrum chori conſpicitur tumulus marmoreus Philippi Comitis Nivernenſis ex regia ſtirpe Burgunda, in Azincurienſi pugna interfecti, cum Gallico pariter epitaphio.

Porro cùm Ellantium Loci-Regij, vel Regij, gallicè Loroy diœceſis Bituricenſis Filia dicatur, veriſimile eſt inde Coloniam advectam fuiſſe Monachorum, qui prædictum Monaſterium inſtituerunt, cùm in alijs Abbatijs id factitatum legamus, quæ Filiæ titulo indigitantur.

Abbatum ſeries.

B. Rogerus primus Abbas, natione Anglus, novellæ Congregationi præficitur, miraculis celeberrimus, cuius corpus iacet in capella navis Eccleſiæ.

Godefridus, vixit annis 1248. & 1258.

Radulfus, anno 1273.

Gavinus, anno 1293.

Nicolaus I. anno 1299.

Reginaldus, anno 1308.

Nicolaus II. ſedit anni 1322. & 1346.

Gerardus

Digitized by Google

Gerardus de Vendreſſe, annis 1431. & 1437.
Arnulfus, anno 1455.
Hugo de Iuleïo, Commendatarius, anno 1523.
Iohannes Gadicet, anno 1529.
Claudius de Villers, Abbas Moſomenſis & de Ellantio, obijt vigeſimâ-quintâ Auguſti anno 1545.
Claudius de Ioyeuſe ex familia Comitum de Grandi-prato.

COENOBIUM VALLIS-REGIÆ An. 1154.

Cœnobij Vallis-regiæ Congregationis Ciſtercienſis primordia.

VALLISREGIA, diœceſis Remenſis, Igniaci Filia, vivente adhuc Clarevallenſi Abbate S. Bernardo habuit initium, liberalitate, non Johannis, ut habent Sammarthani, ſed Hugonis Comitis Roceij, Cholet cognominati, qui Anelinam primò, poſtmodum verò Richildem Conradi Imperatoris ſororem duxit uxorem, Comitatúmque Rocciénſem rexit ab anno 1116. ad annum 1159. quo Sybillæ S. Petri Remenſis Abbatiſſæ ſatisfecit pro giſtis in ſuo Monaſterio contra jus, ac per vim uſurpatis, liberó que habuit Guiſchardum qui ei ſucceſſit in Comitatu, Adelam Galcheri Caſtellionenſis conjugem, Mabiliam, Ebalum, Hugonem, Clementiam &c. Nec eo inficias Johannem Roceij pariter Comitem, Guiſchardi filium, eidem Cœnobio multa contuliſſe, ob quæ fundatoris titulum aliquatenus mereatur; at neceſſe eſt, ut antiquiorem ſupponat, ſi epocha vera ſit, ad quam prædicti Monaſterij natales referuntur: forſan Johannem hunc quidam putant ſumtus ſuppeditâſſe ad Monachos ibi ſtabiliendos, quòd ſepulturam habeat intra murum dextrum chori infra preſbyterium Eccleſiæ, cujus dedicatio celebratur quinto idus Octobris; at id omnino nihil concludit, cùm Johannes de Roucy Laudunenſis Epiſcopus is ſit, qui epitaphium avo Johanni poſuit, & aviæ Margaretæ: eadem Eccleſia aliorúm quoque Procerum de Roceïo ſepulcris exornatur. Porro Abbatum ſeries, qui huic præfuerunt, ex ſchedis Cœnobij, aliſque codicibus collecti referuntur hoc ordine.

Abbatum Vallis-regiæ ſeries.

ADam. à B. Patre Guerrico Abbate Igniaci cum duodecim Fratribus ad Vallemregiam in Cœnobium erigendam miſſus, obijt anno 1186. tertio Calendas Februarij, cùm præfuiſſet annis triginta & octo.

Robertus, rexit annis triginta ſeptem, abſumtus Idibus Aprilis an. 1223.

Vvillelmus, triceſimo primo regiminis anno migrat, tertio Idus Septembris anno 1254.

Alardus, ſedit annis trigintanovem, defungitur decimo octavo Calendas Martij anno 1283.

Nicolaus, defecit decimo octavo Calendas Septembris anno 1307.

Johannes, legitur in Tabulario Nicaſiano anno 1315.

Stephanus, ceſſit è vita undecimo Calendas Aprilis anno 1348.

Gerardus, rexit octodecim annis, occidit tertio Idus Junij anno 1367. An is ſit, qui menſe Septembri obijſſe legitur in Necrologio, incertum.

Johannes de Poily, præfuit novem annis, moritur nono Calendas Januarij anno 1393.

Thomas,

Digitized by Google

INDEX.

A.

ABAGARI Regis reliquiæ, 141.
Abbates Commendatarij quid curant, 445. 533.
Abbatiarium plurimarum immunitas unde, 423.
Abbatiæ Ss. Remigij, Nicaſij, & Dionyſij ſerviente libero donantur, 437.
Abaïlardus, 275. Ceſpitat circa myſterium Trinit. 330. In Concil. Sueſſ. damnatur, 331. Cluniaci Monachum induit, 332.
Abſolutio pœnitentium qualis olim, 149.
Academia Remen. celebris ſub Gerberto, 77. Sub S. Brunone, 133. *& ſeq.* 427. Quatuor Facultatibus conſtans à Carolo Lothar. inſtituitur, 792. A Paulo III confirmatur, 793. ab Henrico II. 797. Suppoſitorum index, 798. Profeſſorum privilegia, 799 Qui eis reditus aſſignati, 799. 800. Rectoris prærogativæ, 801. Eorum qui in hac dignitate fulſerunt catalogus, *ibid & ſeq.* Item & Cancellariorum, 803.
Adalbero Rem. Archiepiſ. 1. Canonicos ad canonicæ diſciplinæ obſervantiam revocat, ac ſcholas reſtituit, 2. Monachis Moſom. Cœnobium concedit, 3. *& ſeq.* Convocat Synodum apud Montem-S.-Mariæ, 11 & 12 Monachis reſtituit Monaſt. S. Theoderici, 17. *& ſeq.* Franciæ creatur Cancellarius, 30. Infidelitatis arguitur quòd faveret Ottoni Imperatori, 33. Purgatur, 34. Hugonem Capetum in Regem inungit, 36. Cancellariatûs dignitas ei aſſeritur, *ibid.* Durè Carolo Regnum ambienti reſcribit, 38 Moritur, *ibid.*
Adalbero Laudunenſis Epiſcopus, 29. Intereſt Concilio S. Baſoli, 45.
Adalbero Metenſis Epiſcop. intereſt Concilio Remenſi, 97.
Adalbero Abbas S. Vincentij Laudun. obtinet Eccleſiam de Alto-monte, 210.
Adalgerus Clericus Laudun. proditoriè Urbem Carolo tradit, 57.
Adalgiſus Remenſis Scriptor, 377.
Adam de Courlandon Decanus Laudun. violenter in vincula conjectus, 486.
Adamus Canonicus Rem. inſtitutum Canonicorum Regul. amplectitur, 146.
Adela Daniæ Regis uxor Harlebec tradit S. Theoderico, 21. 22. 182.
Adelaïs Imperatrix religioſiſſima femina, 50.
Ademarus de Montil Archidiaconus Rem. fit Epiſcop. Metenſis, 610.
Advocatorum aviditas repreſſa, 355. Violentia refrænata, 359.
Ægidius de Rodemach Remenſibus infenſus, 632.
Aimarus Hennequin Abbas Sparnac. ac Epiſcopus Redonenſis, 258.
Aimericus S. Theoderici ac S. Remigij Abbas, 26.
Airardus S. Remigij Abbas Eccleſiam novam ædificare aggreditur, 88.
Alanus Doctor Anglus Remos ſe recipit, 834. Fit Cardinalis, 836.
Albericus è Canonico Rem. Aquitaniæ Primas, 285.
Albericus Cardinalis Epiſc. Oſtienſis, 352.
Albericus de Humbert Archidia. Pariſ. fit Archiep. Remenſis, 466. Eccleſiam incenſam reædificat, 471. Claves Urbis à Scabinis repetit, 477. Contra Albigenſes proficiſcitur, 478. In orientem transfretat, 489. Rediens Papiæ moritur, an ibi ſepultus, 490.
Albero Epiſcop. Virdunenſis Bellævallis fundator, 871.
Albertus Diaconus Cardinalis, 307.
Albertus è Monacho Criſpinenſi, Anachorita, 308.
S. Albertus Leodienſis Epiſcopus, 428. Romam petit ac Cardinalis creatur, 429. Ab Archiep. Remenſi conſecratur, *ibid.* A Satellitibus Imperatoris trucidatur, 430. Bruxellas transfertur, 431.
Albigenſes hæretici, 421. 461. 467. 478. 525.
Alençonius Dux Henrici III. frater, 833.
Alexander II. Papa creatur, 119. Ad

Digitized by Google

Gervaſium Rem. Archiep. ſcribit, 121. & 128.
Alexander III. Canonicos Rem. hortatur ut erga ſedem Romanam ſint fideles, 374. Gallias petit, 388. In Italiam redit, 390.
Alexander Leod. Epiſcopus ad Concilium Piſanum proficiſcitur, 321.
B. Alexander Ciſtercienſis Converſus, 481.
Alfonſus Comes S. Ægidij, 346.
Alfonſus Comes Pictavienſis, 561.
Aliminius Abbas S. Benedicti in Anglia adeſt Concilio Remenſi, 97.
Altaria ab Epiſcopis conceſſa laïcis, 68. Cœnobitis, 83. & ſeq.
Altus-mons in diœceſi Rem. caſtrum olim munitiſſimum, 211.
Alviſius Abbas Aquicinctenſis, 303.
Ambianorum civitas vaſtatur, 257. Caput S. Johan. Baptiſtæ poſſidet, 468. Moneta corrupta 248. Pugnatorum numerus in prælio Bovinenſi, 481. Furtivo bello capitur ab Hiſpanis, 856. Mox ab eo ejecti, *ibid.*
Ambunayum vicus diœceſis Remenſis, 638.
Amedeus Archidiac. Rem. Cardinalis Salucienſis, 654.
Ampulla ſacra nuſquam fuit ab Anglis ſublata, 634. Ad Ludovicum XI. ægrotantem defertur, 757. Ejus Barones in unctione Franciſci I, 772. Henrici III. 833.
Anacletus Antipapa, 304. Remis excommunicatur, 308.
Andreas Epiſcopus de Nicè, 637.
Andreas Prior S. Maximini Trevirenſis, 318.
Andreas Ghini Theſaurar. Rem. Epiſcopus Tornacenſis, 610.
Andreas è Monacho Ciſtercienſi Epiſcopus Atrebatenſis, 390.
S. Andreæ Remenſis Eccleſia, 643.
Annonæ caritas, 403. 774. 806.
Anſegiſus Ss. Canonum Collector, 561.
Anſelmus Aſceta Remigianus Auctor Itinerarij Leonis IX, 137.
Anſelmus è Canonico Regul. S. Dionyſij Rem. primus Abbas Cyſonienſis, 152. 303.
S. Anſelmus Cantuar. Archiep. Auctor libri de Incarnat. Verbi, 103.
Anſelmus S. Vincentij Laud. Abbas conſecratur Epiſcopus Tornacenſis, 350.
Antonius Fournier Canonicus Reg. S. Dionyſij Concionator egregius ac Epiſcop. Baſilitenſis, 157. Sex burſarios, duos Profeſſores in Jure canonico & civili, totidémque in Medicina dotat, 800.
S. Antonij Noſocomium Remis extruitur, reliquiæ plurimæ ibidem, 452.
Antonius dominus de Conflans, 667.
Appamienſis Epiſcopus audentior à Philippo detinetur, 598.
Archidiaconus non eligatur, niſit ſit aut Preſbyter aut Diaconus, 355.
Archidiaconus Rem. Juſtitiam ac Officiales ſibi proprios habuit, 544.
Archidiaconi Remenſes, Cardinales. *Vide* Canon. Rem.
Archiepiſcopus Remenſis, Regni ſummus Cancellarius-natus, 118. 119. Sedis apoſt. Legatus-natus, 371. 373. 406. 437 507. Ei ſoli Reges Francor. inungere licet, 56. 118. 243. 411. Cur primus Par, 493. 495. Peronam ingrediens exſules reſtituit, 497. Item Inſulas intrans bannitos revocat, 513. Jus ejus in Eccleſia Laudun. ſede vacante, 574. Quia Par Franciæ, excommunicari non poteſt, 700. Eccleſiæ poſſeſſionem nudis pedibus aſſequi ſolitus, 849. Qui fuerint cardinalitiâ purpura ſublimati; Vvillelmus ad Albas-manus, 410. Guido Paré, 459. Simon de Cramaud, 701. Reginaldus Carnotenſis. 717. Guillelmus Briçonnet, 764. Carolus de Carecto, 767. Johannes à Lotharingia, Carolus à Lothar. 785. 775. Ludovicus à Guiſia, 834. Nicolaus de Pellevé, 848. Antonius Barberinus. Qui ad ſummum Cancellarij gradum evecti; Heriveus, 119. Adalbero 1. Gervaſius, 117. Reginaldus de Carnoto, 715 Robertus Briçonnet, 761. Qui ſpeciali Legatione decorati, Samſon, 371. Guillelmus ad Albas-manus, 411. Guido Paré, 459. Guillelmus de Janivilla, 507. Henricus de Brana, 515. Carolus à Lotharingia, 806.
Arnoldus de Brixia hæreſiarcha, 330.
S. Arnulfus à latronibus perimitur, 3. Miraculis claret, 4. Moſomum transfertur, 5.
Arnulfus Remenſis Archiepiſcopus, 39. Hugoni ac Rob. ſacramentum præſtat, 40. Remorum Prædones anathemate percutit,

Digitized by Google

percutit, 41. Ab Episcopis Galliæ apud Papam accusatur, 44. Exauctoratur, 45. Reatum fatetur, 46. Ab Eginaldo defenditur, 47. In Synodo iterum arguitur, 54. Sedi suæ restituitur, 55. *& seq.* Decedit, 62.
Arnulfus Aurellian. Episcop. in Synodo S. Basoli Arnulf. Rem. increpat, 45.
Arnulfus Fland. Com. Insulâ pulsus ad Regem Franc. confugit, 131.
Arnulfus dominus de Ruminiaco, 257.
Artaldus Remensis Archiepiscopus, 6. 29.
Artevaldus Flandros ad defectionem inducit, 628. perimitur, 629.
Ascelinus Abbas S. Basoli Justitiam &c. Septem-salicum abdicat, 400.
Atrebatenses Franciæ dominio restituti, 445. Eorum copiæ in pugna Bovinensi, 481. Episcopum habent proprium, 205. Nobili donantur privilegio ab Urbano II, 209.
Attiniacum oppidum Rem. diœcesis celebre 217. Remensi datur Ecclesiæ, 230.
Auctor quidam sciolus acriter perstringitur, 562. 563.
S. Augustinus Regulámne Canon. Regularibus scripserit, 144. *& seq.*
Augustiniani Eremitæ Remis excepti, 607.
Aurelianensis Dux Regni Administer, 686.
Ay oppidum Rem. diœcesis vino celebre, 71.
Azelinus Laudun. Episcopus, 44. Carolum Lotharingiæ Ducem prodit, *ibid.* A Guiberto de Novigento carpitur, 45. Harduinum Noviomensem Episcopum insimulat, 63.
Azenarius Abbas S. Remigij, 225.
Azincuriana pugna infelix, 704.

B

Baldericus Arnulfum Remensem incusat, 47.
Baldericus Burgulienſis Abbas, Poeta, 201. Raynaldum Rem. laudat, 211. 212. Robertum Abbatem S. Remigij tuetur, 222. Episcopus Dolensis factus interest Concilio Remensi, 263.
Baldericus Chronici Cameracensis Auctor, 202.
Balduinus du Bourg Comitis Regitest. filius, Rex Solymorum, 189.
Balduinus Junior Comes Fland. 444.
Balduinus Comes Gisnensis Vvillelmum Rem. hospitio excipit, 409.
Balduinus Comes Hannoniæ Atrebates vexat, 361.
Balduinus de Grandi-prato Martyr, 342.
Balduinus à Pratis Suffraganeus Remensis, 736.
Balduinum Flandriæ Comitem quidam nebulo ementitur, 511.
Ballivius Laudunensis, 419.
S. Balsemiæ Ecclesia collegiata Remis, 414. Reliquiæ, 415.
Bandodachar Sultanus Ægypti, 563.
Basina Clodionis uxor quot susceperit filios, 188.
S. Bartholomæi reliquiæ Remis in Ecclesia S. Symphoriani adservatæ, 240.
Bartholomæus è Thesaurario Rem. fit Laudunensis Episcopus, 250. Bona Monasterio S. Remigij ablata restituit, 260. Plurima construit Monasteria, 286. 369. Ecclesiam Laudunensem ex integro reædificat, 368. Factus Monachus Cistercienſis à successore accusatur, *ibid.* Purgat se *ibid. & seq.*
Beatrix Comitissa Regitest. nubit Rogero Regi Siciliæ, 190.
Becciorum familia, 854.
Beguardi & Beguinæ hæretici, 610.
Beguinæ religiosæ quædam feminæ Remis olim stabilitæ, 603.
Belgenciacum, 234. 363.
S. Bellandæ Virginis reliquiæ, 474.
Bellum in Flandria inter Robertum Frisium & Arnulfum, 131.
Belvacensis Ecclesiæ status 223. 224. Illustrium virorum nutrix, 512.
Belvacensis Episcopus quo tempore Par Franciæ creatus, 494. De præcedentia disceptat cum Lingonensi, 604.
Bellovacenses Communia gaudent 327. Iis eapropter Henricus Episcopus adversatur, 387. Eorum copiæ in pugna Bovinensi, 481.
Benedictini Monialibus in Ecclesia S. Johan. Laudun. suprogantur, 299.
Benedictus Antipapa Gallis acceptus, 686.
Berengarius hæreseos virus spargit, 110. Priùs Doctor celebris, 133.
Berleïus pater Raynaldi Contracti Rem. Archiepiscopi, 177.
Bernardus de Melun Abbas Mosomensis, 15.

Bernardus Viromandenſis Comes, 72.
Bernardus Epiſcop. Autiſſiodorenſis, 359.
S. Bernardus intereſt Concilio Trecenſi, 293. Canonicos Regul. in Eccleſia Sparnacenſi ſubſtituit, 295. 296. Intereſt Concilio Remenſi, 307. Sæpius apud Carthuſianos diverſatur, 318. A Remenſibus in Archiepiſcopum poſtulatus, 318. Remenſis Eccleſiæ ſtatum luget, 329. Gallos in Saracenos excitat, 246. Dux Sacræ militiæ eligitur, 347. Sanctorum albo inſcribitur, 402.
Berneredus Abbas S. Criſpini & Cardin. pietate inſignis, 410 457.
Bernerus Abbas Moſom. corpus S. Arnulfi transfert, 13.
Beroldus Sueſſionenſis Epiſcopus, 66. Intereſt Concilio Remenſi, 97.
S. Bertini corpus transfertur, 102.
Bertrandus Abbas Moſom. jurium ſui Monaſt. vindex, 14.
Bertrandus de Nocumento per gratiam exſpectativam Abbas S. Dion. Remenſis, 155.
S. Bertulfus apud Moſomum cultus, 17.
Bibliotheca Eccleſiæ Remenſis MSS. prædives, 473.
Biogardus Ambianenſis Epiſcopus, 276.
Bituricenſis Eccleſiæ ſtatus, 329.
Blaſphemiæ prohibentur, 481. *& ſeq.*
Bochardus Avenienſis Laudun Clericus cur anathemate percuſſus, 483. Capite plectitur, 484.
Bolonienſes proprium ſibi Epiſcopum poſtulant, 371. Ab Ang'o invaduntur 785. Francis. reſtituuntur, 791.
Bonifacius Papa & Philippus Pulcer diſſident, 598.
Boſo Abbas Moſom. Monaſterium muris cingit, maïus altare argento & auro ornat, ac S. Victoris corpus transfert, 12.
Boſo Portuenſis Epiſcopus, 263.
S. Botiani Confeſſoris reliquiæ, 30.
Bova Caſtrum agri Laudunenſis munitiſſimum, 194.
Bovinenſis pugna Gallis glorioſa, 481.
Brandenaïcæ Eccleſiæ lugendus ſtatus, 445.
Briçonnetorum familia, 761.
Briennæ Comites, 665.
Bruno è Canonico Rem. Lingonenſis Epiſcop. 39. Synodo Remenſi intereſt, 45.
Bruno Tullenſis Epiſcop. ſummus Pontifex creatur, 87. *Vide.* Leo IX.
S. Bruno Canonicus & Scholarcha Remenſis, 133. Cura ſecedit, 134. 173. Cancellarius Eccleſiæ Remenſis *ibid.* Varia ejus encomia, 135. *& ſeq.* Cuidam chartæ in Mon. S. Baſoli adſervatæ ſubſcripſit 171. Moritur, 225.
Bruno Trevirenſis Archiepiſcopus, 258.
Bullonium ab Epiſcopo Leodienſi emptum, 294.
Burchardus Abbas S. Baſoli intereſt Syn. Compedienſi, 179.
Burchardus Abbatiâ S. Remigij donatur, 221.
Burchardus Ss. Canonum Collector nominatiſſimus, 562.
Buxitus locus ubi S. Timotheus martyrio affectus eſt 125 Supplicatione triennali celebris, *ibid, &* 634.
Byzantium à Gallis expugnata capitur, 468.

C.

CAdalous adverſùs Alexandrum II. Antipapa, 119. Anathemate percuſſus moritur, 120.
Calendarum à Curionibus celebrandarum modus, 787. *& ſeq.*
Caleſium ab Anglis capta diripitur, 630. A Guiſio intercipitur, 808.
Calix S. Remigij, 474.
Callixtus Papa Remis Concilium celebrat, 262. *& ſeq.* Moſomum proficiſcitur cum Imperatore collocuturus, 266.
Calvinus corrumpitur, ac Genevam petit, 790. Hæreſis ejus ſpargitur, 791. 853. Calviniſtarum furor, 251. 809. 811. 815. Cædes Bartholomæana, 828.
Cameracum ab Anglis obſeſſa, 621.
Campania unitur dominio regio, 76. Ejus Comites, 71. Cur hominium præſtabant Rem. Archiepiſcopis, 66. 72. Remenſis Eccleſiæ poſſeſſiones invadunt, 71.
Campaniæ Gubernatores, 722. Campani peſte laborantes S. Theoderici opem implorant, 182. Campanorum copiæ in pugna Bovinenſi, 481.
Campanula in ſacrificio Miſſæ cur pulſanda, 460.
Cancellarij Franciæ è Remen. Archiepiſcopis; Heriveus, 119. Adalbero I. Gervaſius, 117. Reginaldus Carnotenſis,

Digitized by Google

tenſis, 715. Robertus Sariçonnet, 761.
Cancellariatus Remenſis Eccleſiæ ſupprimitur, 536. Qui in ea dignitate claruerunt, 536. *& ſeq.*
Cancellarij Univerſitatis Remenſis, 803.
Canonici Cathedralium jura ſua tuentur adverſùs Epiſcopos, 517. Inſulenſes Remenſis Archiepiſcopi auxilium poſcunt, 302. Sueſſionenſes ab heterodoxis ſpoliantur, 821. Tarvannenſes in ſumma mendicitate ab Hiſpanis redacti, 805.
Canonici-Regulares ſequebantur ſtatuta Concilij Aquigſ. 144. Auguſtiniani, quo tempore inſtituti *ibid.* Cur tam ſubitò dilatati, 145. Conſtituuntur in Eccleſijs Ciſonienſi, 303. Sparnacenſi, 296. S. Dionyſij Remenſis, 139. Non poſſunt effici ſæculares, 396.
Canonici Remenſes quibus gaudeant privilegijs, 214. Fratres vocati, 259. 464. 465. 486. 536. 545. 552. 623. Eorum infringere jura Henricus tentat, 392. Malefactores ſuos excommunicant & abſolvunt, 423. Quam rigida eorum antiquitus diſciplina, 432. A communitate recedunt *ibid. & ſeq.* Servientes liberos à Vvillelmo obtinent, 437. Ineunt ſocietatem cum Laudunenſibus, Taurinenſibus, Ratiſponenſibus, Compoſtellenſibus, 465. Severi erga privilegiorum ſuorum violatores, *ibid.* Diſſentiunt cum urbico Magiſtratu, 518. Urbe pelluntur, 519. Quo ritu recepti, 525. Matutinum à media nocte ad auroram remittunt, 622. De Suffraganeis conqueruntur, 715. Cardinalitia purpura inſigniti; Mattheus Canonicus Rem. Cardinalis Albanenſis, 238. Guillelmus Archidiaconus, Cardinalis de Brayo, 589. Petrus Canonicus Diaconus Cardinalis S. Marci in Vialata, 354 Melior Vicedominus Rem. Camerarius Cardin. Ss. Johan. & Pauli, 458. Ottobonus Cancellarius & Archidiaconus Rem. Card. ac demum ſummus Pont. Hadrianus V. 536. Guido de Bolonia Archidiaconus Rem. Cardinalis & Epiſcop. Portuenſis, 610. Guillelmus Archidiaconus, Cardin. S. Vitalis *ibid.* Amedeus Archidiaconus Rem. Cardin. Salucienſis, 654. Guillelmus Filaſtrius Decanus Rem. Card. S. Marci, 693. *& ſeq.* Nicolaus Archid. Rem. Card. ac ſummus Pontif. anno 1249. Jacobus de Mantenay Archid. Rem. ſub Clemente Geben. Baldazar Archid. Rem. Card. de Florentia an. 1388. Antonius de Chalans Card. an. 1397. Ardoinus Archid. Rem. ac Card. Ss. Coſmæ & Damiani an. 1425. Ad pontificias Sedes evecti; Bruno è Canonico ad Lingonenſem, 39. S. Gerardus è Canonico, ad Ambianenſem, 77. Vvido è Can. ad Rem. 81. Manaſſes è Can. Rem. & Archid. ad Camerac. 209. Odo Caſtellioneus è Can. ad Romanam, 212. Manaſſes II. ad Rem. 218. Rodulfus Viridis è Præpoſito ad Rem. 342. Mattheus è Canon. ad Albanenſem, 283. Albericus è Can. & Scholarcha ad Bituricenſem, 285 Bartholomæus è Can. & Theſaurario ad Laudunenſem, 286. Rothradus è Can. ad Cathalaunenſem, 455. Guillelmus de Janivilla è Canon. & Archid. ad Remenſem 496. Henricus de Brana ex Archid. ad Remenſem, 511. Thomas de Beaumets è Præpoſito ad Rem. 541. Johannes de Courtenay è Canon. ad Rem 561. Reginaldus de Corbolio è Can. & Archid. ad Pariſienſ. 587. Reginaldus de Nantolio è Decano ad Belvacenſem, 589. Robertus de Lenoncourt ex Archidiac. ad Remenſem, 597. Ademarus de Montil ex Archid. ad Metenſem, 610. Andreas Ghiny è Theſaur. ad Tornacenſem, 616. Ludovicus Theſart ex Archidiacono ad Remenſem, 651. Milo de Dormans è Canonico ac Præpoſito ad Bellovacenſem, ac ſummum Franciæ Cancellariatum, 653. 654. Petrus Cauchon è Vicedomino ad Bellovacenſem. Jacobus Juvenalis Urſinus è Canonico & Archid. ad Remenſem, 726.
Carceraria, quid, 603.
Cardinales qui in Eccleſia Remenſi claruerunt *Vide* Archiepiſcopus Remenſis *&* Canonici Remenſes.
Canum pugna ſtupenda, 709.
Carolus Calvus Prioratum S. Vvalpurgis fundat, 228.
Carolus Pulcer Francorum Rex Remis inungitur, 608.
Carolus V. Remis inauguratur, 650. Moſomum regio dominio reſtituit, 659. Remenſibus nundinas concedit, 660. Magnificentiſſima ejus fundatio in Eccl.

Digitized by Google

Remenſi, 660. *& ſeq.* Donaria ab eo eidem congeſta, 664.
Carolus VI. Remis diadema recipit, 670. Cum Imperatore colloquitur de pace Eccleſiæ, 684. Sapientiſſimè ſchiſmatis radices reſecat, 692. Obit, 708.
Carolus VII. Franciæ Delphinus, 706. Burgundum interficiendum curat, 707. Remis ſacratur, 715.
Carolus VIII. Remis coronatur, 758. Ejus munificentia in Remenſ. Eccl. *ibid.*
Carolus IX. Remis inungitur, 811. Ei inſidiantur hæretici, 810. In morbum incidit, 818. Mortuus commendatur à Carolo Cardin. 819.
Carolus de Carecto Rem. Archiep. 767. Abdicat, 768.
Carolus à Lotharingia Archiep. Rem. 781. Remos accepto pallio ingreditur, 783. Henricum II. ſacro oleo imbuit, ac purpurâ donatur, 785. Romam petit, 786. Pœnitentiariam in dignitatem erigit, ac Conſtitutiones condit *ibid & ſeq.* Curat ne diœceſis labe hæretica inficiatur, 719. Univerſitatem Remis inſtituit ac reditibus ditat, 792. Plebis ſaluti invigilat, 805. Fit Legatus per Galliam, 806. Franciſcum II. inungit, 811. Statuta pro majoris Eccleſiæ Canonicis promulgat, 812. Ad Concil. Trid. proficiſcitur, 815. Qualiter exceptus, 816. Cum Imperatore Colloquitur, 817. Synodum convocat ad quam Suffraganeos recens ſubtractos comparere jubet, 818. Eccleſiam Rem. donarijs locupletat, 822. Remis Seminarium erigit, *ibid.* Conſtitutiones Clericis præſcribit, 826. *& ſeq.* Migrat, 829.
Carolus Lotharingiæ Dux Ludovici IV. filius cur Regno excidit, 36 Laudunum furto occupat, 37. Vicinos agros vaſtat, 40.
Carolus Cardinalis Borbonius Rex renuntiatur, 847.
Carolus à Lotharingia Dux Meduanus Regni Procurator, 847.
Carolus Bonus Comes Flandriæ necatur, 301.
Carolus Andegavenſis Regno Siciliæ donatur, 558.
Carolus Dux Mantuæ & Retellij, 193.
Carolus IV. Imperator obtinet partem reliquiarum S. Nicaſij, 658.
Carolus V. Imp. 447. Galliam impeti turus Lutheranos ſibi ſociat, 784. Obſidionem Metenſem ſolvere cogitur, 804. Tarvannam funditus diruit, 805. Imperium deponit, 806. Migrat, 808.
Carmelitæ Remis excepti, 610.
Carthuſia Montis-Dei fundata ab Odone S. Remigij Abbate, 309. Peperit Carthuſiam Montis ſancti-Petri ac Vallis-Dei, 310. Conſtruitur ex eleemoſynis B. Gibriano factis, 314. 316. Renovatur ex integro ab Nicolao de Clinchamp S. Remigij Abbate, 316. Reliquijs plurimis ditiſſima, 318.
Carthuſiani degunt ſub Regula S. Benedicti, 314.
Caſtellaniæ Ducatûs Remenſis, 495.
Caſtellio nobile oppidum ſupra Matronam, 81. Incendio abſumitur, 784. Dynaſtæ, 212. 217. Comites Caſtri-Porcenſis, 340.
Caſtricenſis pagus, 187. 338.
Caſtri-Porcenſis Comites, 338. Prioratum in ſua ditione fundant, 334.
Caſtrum-Ledi, dominium Gervaſij Rem. Archiepiſcopi, 113.
Cathalaunenſis Eccleſiæ ſtatus, 329.
Cathalaunenſes quo tempore Franciæ Pariatu nobilitati, 494. Eorum militares copiæ ſub Ludovico VII. 291. Moneta, 322.
Celſini diſcipuli S. Remigij reliquiæ, 416.
Cenſurarum eccleſiaſticarum uſus nimius, abuſus, 423. *& ſeq*
Ceſſationes à Divinis, 423. 424. 444. 512. 547. 580. 605. 611. 619. 622. Prohibentur, 581.
Chriſma gratis conferendum, 356.
Chriſogonus Diac. Card. Concil. Remenſi intereſt, 263.
Chriſtophorus de Conflans Comes de Vezilly, 669.
Ciſtercienſis Congregatio, 309.
Claudius à Guiſia Campaniæ Præfectus, 779. 780. Interfectus à Calviniſtis, 817.
Clarembaldus Silvanectenſis Epiſcopus, 290.
Clariſſæ Remis ſtabiliuntur, 503. Abbatiſſarum Catalogus, 505. Pluribus reliquijs ditatæ, 506.
Clarus-mariſcus olim Remis Monialium Cœnobium, 643.

Clemens

Digitized by Google

Clemens V. convocat Concilium generale Viennæ, 601.
Clemens VI. Jubilæum ad quinquaginta annos reducit, 622.
Clemens VII. Gebennenſis Antipapa, 659. Calliditas ejus, 670. 671. Firmatur miraculis B. Petri de Luxemburgo, 675. Francis acceptus, 677.
Clericorum & Monachorum percuſſores excommunicantur, 356.
Cliſſonius Magiſter equitum, 677.
Clodionis progenies, 188.
S. Clodoaldus dat S. Remigio Duziacum, 5.
Cluniacenſe Monaſt. ad S. Sedem nullo medio pertinet 267. 268. Ejus Cœnobitæ, 309.
Cochinardus Remorum Præfectus, 749. Cives vexat, 750. Calamitate tabeſcens emoritur, 751.
Cœmeteriorum immunitas, 356.
Collegium Bonorum-puerorum Remis, 534. A Carolo Lotharingo reparatur, 799. Remenſe Pariſijs fundatur, 581. Amplius redditur ac novæ accreſcunt fundationes, 685. Inſtauratur, 719. Cardinalis Monachi Pariſijs, 610. Cameracenſe, 635.
Commendarum initia, 742. Quid de ijs ſentiat Maſſonius *ibid.* Commendatariorum qualis cura, 445. 535.
Comitia, Aldenardæ, 68. Sparnaci, 71. Pariſijs 411. 650. 658. 743. Aureliæ 811. Bleſis 845.
Communiæ *vel* Communio quid, 248. Ejus inſtitutio, 325. Adverſùs Eccleſiaſticos erecta, *ibid.* & 327. 413 In prælio Bovinenſi acriter certant, 481.
Compendienſes celebri palatio famoſi, 35. Communiâ donantur, 328. Copiæ earum in pugna Bovinenſi 481. Canonici à juriſdictione Sueſſ. Epiſcopi declarantur immunes, 179.
Computus Gallicus, 635. 653.
Conceptio B. Mariæ immaculata aſſeritur, 674. Celebranda indicitur 647. & 482
Concilium Remenſe ſub Leone IX. 96. *& ſeq.* Auguſtodunenſe contra Manaſſem Rem. Antiſtitem, 175. Claromontanum ſub Urbano II. 204. Bellovacenſe ſub Conone Legato, 256. Remenſe ſub Calixto, 262. Trecenſe ubi Templarior. Ordo probatur, 293. Stampenſe de electione Innocentij II. 304. Remenſe ſub Innocentio II. 305. Remenſe ſub Eugenio III. adverſùs Porretanum, 352. Ejus Acta *ibid* Turonenſe ſub Alex. III. pro reformatione Cleri, 389. Lateranenſe ſub Alexandro III. 410. Remenſe ſub Folcmaro Legato 422. Lateranenſe ſub Innocentio III 482. Lugdunenſe ſub Innoc. IV. 535. Lugdunenſe ſub Greg. X. 568. Viennenſe ſub Clemente V. ubi Templar. Ordo ſupprimitur 601. Conſtantienſe, 705. Baſileenſe, 715. Piſenſe Contra Julium II. 772 Tridentinum, 815.
Concordata conſtituuntur, 773.
Confitens peccatum à mortis periculo divinitus liberatur, 205.
Conflantij Dynaſtæ, 666.
Cono Abbas Virdunenſis plurimi à Pontifice æſtimatus, 389.
Conradus Imper. Remigianorum bona confirmat, 325. 360.
S. Coſmæ Remenſis Eccleſiæ Canonicis ab Abbate Remigiano datur, 401. Removentur, fitque Prioratus 737. *& ſeq.* Patribus Minimis conceditur, 823. Viri illuſtres qui in ea claruerunt, 825.
Conſtantia Philippi I. filia nubit Hugoni Campaniæ Comiti, 229. Deinde Boamundo Principi Barrenſi, 231.
Conſtantia Ludovici VII. uxor Aureliæ coronata, 370. Obit, 372.
Conſtantius Canon. & Decan. Remenſis commendatiſſimus, 79.
Conventio inter Archiep. Remenſem & Epiſcop. Leodien. pro Bullonio, 294. 548.
Coraldus Portuenſ. Epiſc. Card. Philippi Auguſt. exſequias celebrat, unà cum Guillel. Remenſi, 508.
Corbeienſis Cœnobij immunitas, 128.
Corbeienſium copiæ in pugna Bovinenſi, 481.
Corbiniacum Prioratus privilegio à Leone IX. donatur, 108.
S. Cornelij Laudunenſis Canonici, 423.
Coterelli Bituricenſes hæretici, 421.
Courteniorum proſapia, 561. 597.
Crepida B Mariæ Remis aſſervatur, 473.
Creſſiacenſis infelix pugna, 630.
Croij Toparchæ Comites Caſtri-Porcenſis, 341.
Crucifixi imago talari veſte induti, 416.
Crucis dominicæ unde tot particulæ, 476.

Digitized by Google

Cultura Remenſis à Vvillelmo civibus conceſſa, 419.
Cuno *ſeu* Cono Cardinalis Henricum Imp. excommunicat, 256.
Curionum *ſeu* Curatorum officia, 787. *& ſeq.*

D.

DAimbertus Archiep. Bituricenſis Synodo Rem. intereſt, 45.
Daimbertus Senon. Archiep. Ludovicum VI. Aurelianis inungit, 243.
Decanatus-rurales Remenſis diœceſis, 615.
Decanorum-ruralium officia, 787. *& ſeq.*
Decurſio equeſtris ſollemnior, 619.
Dervenſis Abbatia Cathalaun. diœceſi aſſeritur, 99. 100.
Diaconia, quid? 469.
S. Dionyſij Remenſis Eccleſia ædificatur à Gervaſio Archiep. 113. 138. Canonicis regul. conceditur, 139. Dedicatur, 143. *vide* Monaſt. S. Dionyſij.
S. Dionyſius Galliæ Protector, 192. Theca reſerata corpus ejus reperitur, 109. Eccleſia conſecratur, 333. Ejus inimunitas, 119.
Dionyſius Exiguus, 562.
Dionyſius Briçonnet Epiſcop. Maclov. Abbas Sparnacenſis, 298.
Doctorum virorum ſtupenda raritas, 137.
Dolenſis Epiſcopus cum ſeptem ſuffraganeis à Turon. ſubtrahitur, 99. Litigat cum eodem, 414.
Dominicani Remis ſtabiliuntur, 499.
Dominicus Abbas S. Theoderici Eccleſiam à fundamentis ædificat, 24.
Doncherium oppidum à Monaſt. S. Medardi dependens, 59. A Comitibus Campaniæ invaditur, 82.
Dragonenſis Epiſcopus S. Timothei corpus transfert, 633.
S. Drauſius à militibus invocatus, 398.
Drogo Tarvannenſis Epiſcopus ſede ſua injuſtè pellitur, 70. Concilio Remenſi intereſt, 97.
Drogo S. Nicaſij Prior, tum Abbas S. Johan. Laudun. demum Epiſcopus Cardin. Oſtienſis, 287.
Drogo de Altovillari Scholarcha Rem. ac Poeta, 590.
Dulcomenſis pagus, 114. 187.
Duziacum S. Remigio conceditur à S. Clodoaldo, 5. Altare ejus Moſomenſibus datur, 62.

E.

EBalus è Laïco Remenſis Archiep. 63. Gerardum Camerac. Epiſcop. ſibi adverſantem ſentit, 64. Bonorum Eccleſiæ ſtrenuus defenſor, 65. Mortem oppetit, 70.
Ebalus I. Roceij Comes terras Remenſis Eccleſiæ invadit, 194. 235. Quanta ejus potentia, 194.
Ebalus II. Comes Roceïenſis Saracenis bellum infert, 196.
Ecbertus Trevirenſis Archiepiſcopus Remenſibus addictus, 40.
Eccleſiæ per Gallias paſſim ex integro ædificatæ, 60.
Eccleſiæ olim à Nobilibus uſurpatæ, 211.
Eccleſiæ ac Regni unio, 598.
Eccleſiarum immunitas, 356.
Edeſſa Civitas à Saracenis capta, 346.
Eduardus Rex Angl. Philippo hominium præſtat, 618. Rebellantes Flandros juvat, 621. Fugam ſimulat ac Gallos fundit, 630. Remos obſidens repellitur, 644. *& ſeq.*
S. Eligij corpus transfertur, 370. Ejus Eccleſia Remis, 410.
Elinandus Laudunenſis Epiſcop. Archiepiſcopatum Rem occupat, 177.
Elizabeth filia Comitis Namur uxor Regit. Comitis, 189.
Elizabeth de Ruminiaco Duci Lotharingiæ nupta, 255.
Engilbertus dominus de Conflans, 666.
Euguerannus de Couciaco graſſatur, 486. Anathemate percutitur, 487. Iterum, 488. Pœnitet & abſolvitur, 489.
Eon hæreticus Remis damnatur, 358.
Epiſcopatuum Camerac. Atrebat. & Tornac. à Metropoli detractio, 809.
Epiſcopi lites eccleſiaſticas ſuprema auctoritate dijudicabant, 281.
Epiſcopi Rem. provinciæ Papam obteſtantur ut S. Ludovicus in Ss. album referatur, 569.
Epiſcoporum reſidentia, 816.
Ermina revelationibus commendata, 679. Obit, 680. Quid Gerſonius de ea ſenſerit, 681.
Eryſipila ſeu ſacro-igne percuſſis Noſocomium Remis exſtruitur, 452.

Digitized by Google

Eſſui, quinam apud Cæſarem populi, 186.
S. Euchariſtia à flammis illæſa, 671. Feſtum ejus inſtituitur, 558. Remis celebratur, 616. Supplicatio ſolemnis quotannis celebranda indicitur, 780.
Eudo hæreticus, 358.
S. Everardus Comes Ciſonienſis, 303.
Eugenius III. Anſelmum Epiſcop. Tornac. conſecrat, 350. Remigianorum bona confirmat, 351. Remis Concilium celebrat, 352. Eccleſiam Cathalau. dedicat, 359.
Eugenius IV. Concilium Baſileenſe Ferrariam transfert, inde Florentiam, 717.
Euſebius Audavenſis Epiſcop. Concilio Rem. intereſt, 97.
Euſtachius Vicecomes Cathalaun. 293.
Euſtachius dominus de Conflans, 666
Euſtachius Vicecomes de Auchi-le-chaſtel, 668.
Examen per ignitum ferrum, 247.
Expeditio in terram-ſanctam, 205. 231. 346. 425. 468. 532. 539.

F.

FAlſarij bullarum apoſtolicarum, 446.
Fernandus Flandriæ Comes, 479. Excommunicatur, 480.
Ferricus Dux Lotharin. homagium facit Abbati S. Nicaſij, 255.
Ferricus Caſſinel è ſede Autiſſiod. ad Remenſem transfertur, 674 veneno ſublatus, *ibid.*
Feſtum corporis Chriſti inſtituitur, 558. Remis celebratur, 616.
S. Fiacrij reliquiæ, 240.
S. Firmini ſodalitium, 730.
Flandri ignaria lue laborantes S. Theoderici ope ſanantur, 183. 217. Pluribus prælijs domiti, 585. 600. 617. Diris devoventur, 606. 621. Seditioſi ac ſæpe à Comitibus deficientes, 705. Abſolvuntur à reſortitione in Senatu Pariſienſi, 742.
Flinenſe Monaſterium, 572.
Fœdus-ſacrum, 843. Qui ejus auctores, 844. Guiſiorum nece augetur, 846. Rege in Eccleſiæ gremium recepto diſſolvitur, 852. 853.
Folcmarus Trevir. Archiepiſcopus, 422.
Francia terrarum domina, 291.
Franciſcus I. Remis inauguratur, 772. Concordata inducit contra electiones, 773. Pecuniam ab Eccleſijs corradit, 775. Bello capitur, 776. Moriturus trium pœnitet, 785.
Franciſcus II. Remis diademate Regni donatur, 811. Obit, 812.
Franciſcus à Lotharing. Canonicus Remenſis, 821. Migrat, 828.
Francorũ Reges qui tingit, 118. 243. 411.
Franciſcani Remis ſtabiliuntur, 502. Macerijs, 759.
Fratres Pœnitentiæ de Sacco Remis excepti, 552.
Fridericus Comes Tullenſis, 293.
Fridericus Imperator partes Antipapæ tuetur, 388. Remigianorum poſſeſſiones confirmat, 364.
Fridericus Leodienſis Epiſcopus conſecratur, 263.
Frollandus Silvanect. Epiſcop. intereſt Concil. Rem. 97.
Fulbertus Carnotenſis ad Guid. Silvanect. ſcribit, 64 Ad Ebalum Rem. Archiepiſcopum, 65. Ad Guid. Silvanect. pro inauguratione Henrici I. 67. Ad Ebalum Rem. adversùs Herbertum, Cenom Comitem, *ibid.*
Fulco Abbas Corbeïenſis adeſt Concil. Rem. 97.
Fulco Abbas S. Theoder. delegatus in cauſa Abbatis S. Nicaſij ac Valcheri de Ruminiaco, 25.
Fulco primus Abbas Sparnacenſis, 297.
Fulco è Monacho Remigiano Eſtonum in Dania Epiſcopus, 390.
Fulradus Abbas Vedaſtinus exauctoratur, 59.
Furnenſis pugna, 585.
Fuxenſes domini Comites Retellij, 193.

G.

GAlcherus Archidiac. Leod. Cancel. Remenſis, 191.
Galchèrus de Charbogne Aſceta Remigianus nobili ſanguine ſatus, 191.
Galterus dominus de Conflans, 663.
Galterus Briennæ Comes, 665.
Galterus Laudunenſis Archidiac. 248.
Galterus Rem. Canonicus Pœta inſignis, 417.
Gallia peſtilentiâ vexatur, 630.
Gallicanæ Eccleſiæ ſtatus, 329, 330.
Galo Epiſcopus Belvacenſis creatur, 224. A Rege rejicitur, *ibid.* & 225.

Garnerus

Garnerus Epiſcopus Laudun. à Scabinis impetitur, 516.
Gaſpar Colignius, 808.
Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus, 276.
Gaufridus S. Theoderici ac S. Medardi Abbas, demum Epiſcopus Cathalaun. 15.
Gelaſius Papa Gallias petit, 262.
Gentianus Hervet Canonicus Remenſis, 816. 830.
S. Georgij Martyris reliquiæ, 240.
Gerberga Regina Marſnam Remigianis concedit, 323.
Gerardus Abbas corpus S. Theoderici transfert, 25.
Gerardus I. Camerac. Epiſcopus, 61. Monaſterium Florinenſe perficit, *ibid.* Adalberonem Laudun. Epiſcopum perſtringit, 65. Ad Ebalum Rem. de Adalberonis ſimonia conqueritur, *ibid.* Eruditione ac moribus ſpectatiſſimus, 77.
Gerardus II. è Præpoſito S. Vedaſti Camerac. Epiſcopus, 205. Intereſt Concilio Compendienſi, 179.
Gerardus de Montigny Canon. Rem ac Regius Advocatus celebris, 610.
S. Gerardus è Monacho Corbeï. Abbas Silvæ-majoris, 219.
Gerardus de Ceriſy in Eccleſia Laud. interfectus, 248.
Gerbertus Hugonis amicitiam ſibi conciliat, 33. De Arnulfo male ſentit, 43. Ei in Archiepiſcopatu Rem. ſufficitur, 47. Patria ejus ac ingenium, 48. Profeſſio Fidei, 49. Bona eccleſiaſtica invadentes anathemate percutit *ibid.* Decretales nomine Romanorum Pontificum vvlgatas non admittit, 51. Perorat in Concil. Moſom. 54. Remorum Sede relicta Italiam petit 55. Summus Pontifex renuntiatus Rem. Eccleſiam nobili privilegio honeſtat, 56. Azelinum Laudun. Epiſcopum increpat, 57. Obit, 60. Plura de eo, 77.
Gervaſius Rem. Archiepiſc. primum Cenoman. Epiſcop. 112. Ab Heriberto Comite in carcerem injectus, 113. Rem. Archiepiſcopus Eccleſias S. Nicaſij & S. Dionyſij ac ſcholas Remenſes, reparat, 113. 114. 115. Cervum ſuis impenſis ære fuſum ante valvas palatij archiep. erigit, 115 Stephani IX. papæ litteras accipit *ibid.* A Nicolao arguitur, 116. Philippum I. inungit, 117. Ad Remenſem Archiep. Regis Unctionem pertinere demonſtrat, 118. Summus ſit Regni Cancellarius, 118. 119. Ad Papam Nicolaum ſcribit pro Regni negotijs *ibid.* Ad Alexandrum de Reginæ nuptijs 120. Binas ab Alexandro litteras accipit, 121. Alias 128. Diem ultimum claudit, 129. De ejus apparitione poſt obitum diſſertatio, 130.
Gervaſius filius Comit. Regiteſt. Rem. Archiep. vocatus patri ſuccedit, 189. 342.
Gervaſius de Caſtellione Remenſis Eccl. Vicedominus, 81.
S. Gibrianus apud Remigianos miraculis claret, 314. 345. Corpus ejus transfertur, 344. 611. Confraternitas ſub ejus nomine inſtituitur, 617. *& ſeq.*
Gilbaudus Abbas Moſom. poſtea Flaviniacenſis, 14.
Gilbertus Abbas S. Dionyſij Remenſis ad Præmonſtratenſes tranſit, 152.
Gilbertus Porretanus, 329. Ejus dogmata excutiuntur, 352. 357.
Giſlebertus Turon. Archiep. Concilio Rem. intereſt, 263.
Giſlebertus Roceij, & Rem. Comes, 196.
S. Gobertus de Altomonte, 211.
S. Godefridus Abbas de Novigento, 203. recuſat Abbatiam ſancti Remigij, 221. Creatur Epiſcopus Ambianenſis, 234. Romam proficiſcitur, 246. Ad Carthuſiam ſe recipit, 257. A Synodo Remenſi revocatur, 258.
Godefridus Namurcenſis, Comes Caſtriporcenſis, 339.
Godefridus dominus de Ruminiaco, 254.
Godefridus è Monacho S. Nicaſij, Abbas S. Medardi, & Epiſc. Cathalaun. 377.
Godefridus primus Prior Montis-Dei, 317.
Goffridus Vindocinenſis, 288.
Goffridus Archiepiſc. Lugdun. intereſt Concilio Remenſi, 263.
Goiffridus Pariſ. Epiſcopus Synodo Compend. adeſt, 179.
Goteſchalcus Epiſcopus Attrebat. abdicat, 371. 389.
Gothofridus Pariſienſ. Epiſcopus, Franciæ Cancellarius, 131.
Goſvinus Abbas Aquicinct. 307. Quanti à Papa factus, 353. Pecunia quam erogat multiplicatur in marſupio, 398.
Gotielmus Preſbyter Cardinalis, 307.
Grandisprati Comites, 341.
Gratianus Ss. Canonum Collector nominatiſſimus, 562.

zed by Google

Gregorius IX. Remenſes anathemate percellit, 519.
Gregorius XI. Romæ ſedem reſtituit, 651.
Gregorius Diaconus Cardinalis, 307.
Gualcherus de Caſtellione Francorum Conſtab. Comes Caſtri-porcenſis, 340.
Gualdricus Laud. Epiſcop. 247. Ejus crudelitas & avaritia, *ibid.* & 248. Crudeliter necatur, 249. Ejus epitaphium, 250.
Guarini Abb. S. Victoris epiſtola ad Can. Rem. pro Canonum obſervantia, 432.
Guarini Goujon Canonici S. Symphoriani teſtamentum, 603.
Guibertus Abbas de Novigento, mordax, 248. 257.
Guido Caſtellionenſis Rem. Archiepiſc. *Vide* Vvido.
Guido Paré Remenſ. Archiepiſc. 459. Monachus Ciſterc. ac Generalis, 460. Creatur Remenſis Archiepiſcopus, 461. Gandavi moritur, ibique ſepultus, 464.
Guido de Roya Rem. Archiepiſc. 676. Urbem ingreſſus lites movet, 677. Antipapæ Benedicto addictus, 684. 686. Diſſidet cum Capitulo pro collatione Præbendarum, 685. Synodum Remis convocat, 688. Miſerè perimitur, 692.
Guido de Guiſia Sanctimoniales Trevirenſes vexat, 258.
Guido Cremenſis, Antipapa, 390.
Guido de Bolonia Archidiaconus Remenſis, Cardinalis, 610.
Guido dominus de Conflans, 666.
Guillelmus ad Albas-manus Archiepiſc. Rem. *Vide* Vvillelmus.
Guillelmus de Janivilla Archidiac. Rem. factus Epiſcop. Lingon. approbat Regulam Vallis-ſcholarium, 496. Remenſis Archiepiſc. creatur *ibid.* Dominicanos, Franciſcanos, ac Clariſſas Remis excipit, 499. *& ſeq.* Fit apoſtolicus Legatus, 507. Celebrat exſequias Philippi Auguſti ſimul cum Portuenſi, 508. Ludovicum VIII. inungit, *ibid.* Hominem exuit, 509. Apud Claram-vallem tumulatus, 510.
Guillelmus de Tria, è ſedo Bajocenſi ad Remenſem transfertur, 611. Carmelitas Remis admittit, 612. Silvanectis Synodum convocat, 613. Philippum Valeſium ungit, 616. De juribus Capituli ac Scabinatûs decerpit, 619. Moritur, 620.
Guillelmus Briçonnet Remenſis Archiep. 763. Fit Cardinalis, 764. Ludovico XII. Sacram unctionem confert 765. S. Timothei Eccleſiam viſitantibus indulgentias impertit, 766. Archiepiſcopalis aulæ frontem exſtruit *ibid.* Præfecturâ Gotiæ donatur, ac ſe Archiepiſcopatu abdicat, 767.
Guillelmus Gifford. Remenſis Archiepiſcopus, 802. 837.
Guillelmus Cathalaunenſis Epiſcopus, columna Doctorum, 276.
Guillelmus de Brayo Canon. Remenſis, S. R. E. Cardin. 589.
Guillelmus Epiſcopus Santonenſis, 264.
Guillelmus de Tria Decanus Laudunenſis, Cardinalis, 556.
Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, 498.
Guillelmus Epiſcopus Prænestinus, 307.
Guillelmus Archidiaconus Rem. Cardin. S. Vitalis, 610.
Guillelmus S. Theoderici Abbas, 15. 287. An Auctor libelli de vita ſolitaria, 319.
Guillelmus Fillaſtre Abbas S. Theoderici, & Epiſc. Virdun. deinde Tornac. 26. 694.
Guillelmus Fillaſtrius Decanus Remenſ. Cardinalis S. Marci, 693. Legatus apoſtolicus & Archiepiſc. Aquenſis, 694.
Guillelmus de Illinijs Abbas S. Nicaſij fautor Clementis Antipapæ, 671.
Guillelmus Comes Nivernenſis, 264.
Guillelmus Dux Gueldriæ, 671.
Guillelmus Dux Normanniæ donatur Comitatu Flandriæ, 301. 302.
Guillelmus de Tignovilla Mercatorum Pariſienſium Præfectus, ab Academia Pariſienſ. vocatur in judicium, 691.

H.

HÆretici vivi combuſti, 525. 526.
Haimericus Diaconus Cardin. ac Cancellarius, 307.
Halinardus Archiepiſc. Lugdun. intereſt Concilio Remenſi, 94.
Harduinus Noviom. Epiſcop. ab Azelino Laudun. accuſatur, 63. Pellitur in exilium, 68. An fuerit reſtitutus, *ibid.*
Hato vivarienſis Epiſc. Concilio Rem. intereſt, 263.
Haydericus Abbas Moſom. Calixtum II. hoſpitio excipit, 13.
S. Helenæ corpus transfertur, 207.
Henricus I. Francor. Rex Remis inauguratur, 67. Obit, 119.
Henricus II. Remis diadema ſuſcipit, 785.

Digitized by Google

Diſſidet cum Julio III. 791. Prohibet ne Romam pecuniæ deferantur, 792. Germanorum Principum adverſus Imperatorem patrocinium arripit, 804.
Henricus III. Poloniam petens Remos tranſit, 818 Remis inungitur, 833. Guiſios mactari jubet, 845. Diem obit, 846.
Henricus IV. Fœderatos in pugna Ivriaca ſternit, 847. plurima oppida invadit, 848. 849. Ad gremium Eccleſiæ revocatus inauguratur, 850. Lutetiæ excipitur, *ibid.* Bellum Hiſpanis indicit, 856.
Henricus Archiepiſc. Rem. Ludovici VI. filius, 385. Ciſtercienſis fit Monachus, *ibid.* Ad cathedram Belvacenſem aſſumitur, 386 A Samſone Remenſi conſecratur, 378. Ad Remenſem transfertur, 388. Alexandri partes adversùs Antipapam tuetur, *ibid.* Gratiæ ei ab Alexandro referuntur, 390. A quo admonetur, 393. Academiæ Pariſienſis Adminiſtrator à Papa conſtituitur, 396. Nundinas Paſchales Remis inſtituit, 399. Obit, 403.
Henricus de Brana Archiep. Remorum eligitur, 511. Vaſallorum homagia recipit, 512. Primarium lapidem ponit Eccleſiæ Nicaſianæ *ibid.* Remenſem provinciam viſitat, 513. Libertatis eccleſiaſticæ acerrimus vindex, 515. 516. 520. 522. 527. Moritur, 529.
S. Henricus I. Imperator Ottoni III. ſuccedit, approbátque bona Remigianorum, 58. Cum Rob. Rege Francor. colloquitur, 62. Obit, 66.
Henricus III. Imperat. confirmat bona S. Remigij in Germania, 87.
Henricus IV. Imperat. Alexandro II. opponit Cadaloum Antipapam, 119.
Henricus V. Imper. Remos vaſtaturus in Campaniam intrat, 290.
Henricus I. Rex Angliæ intereſt inunctioni Philippi filij Ludovici VII. 303.
Henricus II. Rex Angliæ intereſt inaugurationi Philippi Auguſti, 412.
Henricus Campaniæ Comes, 75.
Henricus Comes Caſtri-porcenſis, 339.
Henricus I. Comes Grandis-prati, 342.
Henricus III. Comes Grandis prati ducit Ermentrudem ſororem Bartholom. Laudunenſis Epiſcop. 342.
Henricus Comes Trecenſis Collegiatæ Eccleſiæ Virtuti fundator, 439.
Henricus Dux Guiſianus, 843. In pago de Auneau Alemanos fundit, 844. Dirè trucidatur, 845.
Henricus Epiſcop. Virdun. Præſulatum abdicat, 303.
Henricus de Soliaco Legatus apoſtol. in Gallias, 411.
Henricus Senonenſis Archiepiſcopus, 239.
Henricus Humolarienſis Abbas Remigianis præficitur, 172. Obtinet inſigne privilegium à Philippo Rege, 181.
Henricus de Maupas du Tour Abbas S. Dionyſij Remenſis, 157.
Heribertus Comes Trecenſ. Virtutum invadit, 28.
Herimarus Abbas S. Remigij Eccleſiam perficit, 90. Inter Abbates qui Concil. Rem. interfuerunt primus ſubſcripſit, 97. Inter Abbates qui Unctioni Philippi adfuerunt primus nominatur, 118. Canonicos in Eccleſia S. Timothei inſtituit, 123. 402.
Heriveus Remenſis Archiepiſc. Caſtrum Moſom. munit, 6. Eccleſiam S. Dionyſij Rem. conſecrat, 138.
Hermannus Abbas S. Martini Tornacen. Scriptor, 276.
Hermannus Præpoſitus Inſulenſis, 303.
Hermannus Comes de Grandi-prato, 342.
Hiacinthus Diaconus Cardinalis, 353.
Hildebertus Epiſcopus Cenom. intereſt Concil. Rem. 263.
Hildegardis Comitiſſa Pictavienſ. à viro repudiata, 264.
Hildefunſus Rex Hiſpaniæ, 308.
Honorius Papa Petri ſolium aſcendit, 290.
Hubertus Faber peritiſſimus thecam S. Gibriani cudit, 345.
Hucbaldus Caſtri-porcenſis Comes, 339.
Hugo Capetus à Francis in Regem expetitur, 35. Ab Adalberone Remis inauguratur, 36. Johanni Papæ Arnulfi proditionem manifeſtat, 43. Ad eumdem de eodem ſcribit, 52.
Hugo d'Arcy è Monacho Benedict. & Abbate Ferrarienſi fit Laudun. Præſul ac poſtea Remenſis, 634. Conſiliarius in ſacro Regis conſiſtorio, 635. Collegium Cameracenſe fundat Pariſiis, Moritur, 635.
Hugo Aurelianenſis Decanus, creatur Epiſcopus Laudun. 250.
Hugo Dienſis Epiſcopus Legatus apoſtolicus, 175.
Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, 321.

Digitized by Google

Hugo Lingonenſis Epiſcopus, 97. A pluribus de multis accuſatur, 99.
Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus intereſt Concil. Rem. 97.
Hugo Noviomenſ. & Tornacenſ. Epiſcopus, 68.
Hugo Sueſſionenſis Epiſcopus, à malevolis impetitus, 396.
Hugo Rotomag. Archiepiſcopus, 333.
S. Hugo Abbas Clun. interrogatur de Simonia in Rem. Concil. 58.
Hugo Abbas S. Remigij è benefactoribus Montis-Dei, 315.
Hugo S. Dionyſij Rem. Abbas Lamberti Atrebat. Epiſcopi familiaris, 152 Ad bellum ſacrum profectus occumbit, 153.
Hugo Leodienſis Epiſcopus recuſat Remenſem Archiepiſcopatum, 510.
Hugo Campaniæ Comes dat Monachis Moliſmi Prioratum S. Vvalpurgis, 229. Attiniacum Eccleſiæ Remenſi, 230. Remigianis quædam, 231.
Hugo Cholet Roceij Comes, 197. Vallem-regiam fundat, *ibid. &* 885.
Hugo dominus de Rumimaco homagium facit Abbati S. Nicaſij, 255.
Hugo de Sillery, 401.
Hugo Vicedominus Cathalaunenſis, 422.
Hugo Roberti Regis primogenitus, in Æde S. Cornelij Compend. ſepultus, 66.
Hugo dominus de Conflans, 666.
Hugo I. Regiteſt. Comes excommunicatur, 185. Pœnitens abſolvitur, 186. Prioratum de Nouvy exſtruit, 189.
Hugo filius Comitis Regiteſt. fit apud S. Remigium Monachus, 189.
Hugo III. Regiteſt. Comes Cœnobij Ellantiani, S. Goberti de Alto-monte, & Xenodochij Retellienſis benefactor inſignis, 190.
Hugo IV. Regiteſt. Comes Capitulum Braquenſe ditat, 190.
Humbertus Viennenſis Delphinus, è Dominicano Remenſis Archiepiſcopus, 637. Erga Carthuſienſes affectus, 638. Apud Dominicanos Pariſienſes ſepelitur, *ibid.*
Humbertus Lugdunenſis Archiepiſcopus Concilio Rem. adeſt, 263.
Humbertus Rubeus Cardinalis S. Clementis, 307.
Huſſitæ hæretici in Hungaria, 705.

I.

Jacob de Conflans Baro de Vezilly dux ſtrenuiſſimus, 668.
S. Jacobi Apoſtoli caput, 402.
Jacobus Juvenalis de Urſinis Rem. Arch. 717. Ejus in Remenſem Eccl. propenſio, 718. Fit Patriarcha Alexandrinus, ac reſignat, 729.
Jacobus Jeffrin Abbas S. Dion. Rem. erga matricem Eccl. ſummè affectus, 156.
Jacobus de Ruminiaco fundat Sacrum in Eccl. Nicaſ. quotidie horâ 5. faciendũ. 255.
Jacobus dominus de Montchalon, 340.
Jacobus de Bazoches Epiſcop. Sueſſion. S. Ludovicum Remis inungit, 511.
Jacobus Pantaleon de Curtopalatio *vide* Urbanus IV.
Illinus Trevirenſis Archiepiſcopus, 365.
Immunitas plurimarum Abbatiarum unde, 423.
Incendiariorum pœnæ, 356.
Ingelramni Laudun. Epiſcopi erga S. Remigium affectus, 232.
Ingelramnus Codiciacenſis bona Monaſt. S. Remigij reſtituit, 260.
Ss. Innocentium feſtivitas quo ritu olim à Simphoniacis pueris celebrata, 769.
Innocentius II. è Monacho fit ſummus Pontifex, 304. Remis Concilium celebrat, 305. Baſilicam S. Medardi conſecrat, 308. Fundationem Montis-Dei confirmat, 312.
Innocentius IV. Lugduni Concilium congregat, 535. Abbatibus indulget privilegia, 539.
Joffridus Conſtantienſis Epiſcopus intereſt Concilio Rem. 97.
Johannes Rex Remis inungitur, 634. In Angliam captivus abducitur, 640. Defungitur, 650. Ejus imago argentea B. Nicaſio oblata, 621. Ad Eccleſiæ nunc ſtantis conſtructionem impenditur, 619.
Johannes Rex Angliæ anathemate percutitur, 469.
Johannes de Brienne Hieroſolymorum Rex, 469.
Johannes de Courtenay Rem. Archiep. 561. Suffraganeos viſitat, 562. In Syriam proficiſcitur, 563. Obit, 564.
Johannes de Vienna Rem. Archiep. 620. Reges Navarræ & Caſtellæ conciliat, 620. Ad reſidentiam compellitur, *ibid.* Novioduni Synodum convocat, 626.

Digitized by Google

Romam pergit, 628. Johannem Regem inungit, 634. Decedit, *ibid.*
Johannes de Credonio è Sede Cenomanenſi ad Remenſem transfertur, 639. Ab urbe cur ſe ſubducit, 640. De Remenſibus expoſtulat, 647. *& ſeq.* Carolum V. inaugurat, 650. Apud Franciſcanos Pariſ. ſepelitur, 651.
Johan. Juvenalis Urſinus ex Laudun. fit Remor. Antiſtes, 729. Indulgentias obtinet die feſto Dedicationis Eccleſiæ Rem. 730. Sueſſioni Synodum congregat, 732. Puellam Aurelian. à culpa removet, 736. Ludovicum XI. inungit, 740. Teſtamentum condit ac defungitur, 743. Ejus ſcripta, 745.
Johan. à Lotharing. Archiep. Rem. Card. 779. Legatus per Epiſcop. Virdunenſem, Metenſ. & Tull. 780. Abdicat, 781.
S. Johannis Baptiſtæ caput in Gallias tranſlatum, 486.
Johannes Cremenſis Epiſcopus, 263.
Johan. Balue Card. Epiſcop. Andegav. & Abbas Commen. S. Theoderici, 26.
Johannes Monachus Cardinalis Legatus, 598. Pariſijs Collegium ædificat, 610.
Johan Morinorum Epiſcop. 225. 276. 302.
Johannes Hoſtienſis Epiſcopus, 307.
Johannes Sareſberienſis, 389. Henricum Rem. Archiep. nimij rigoris accuſat, 391. Plura de eo, 454.
Johannes Canart Abbas S. Remigij, 715.
Johannes Gerſonius Cancellarius Pariſienſis, 695.
Johannes Gilmer Abbas Moſomenſis omnia ædificia Cœnobij inſtaurat, 16.
Johannes Gonnion Abbas S. Dionyſij Rem. concionum concinnator, 155.
Johannes de Lariſvilla Aſceta Remigianus, Scriptor, 695.
Johan. Munier Eccleſiaſtes doctiſſimus ad Epiſcop. Noviomenſem electus, 832.
Johannes Sago Abbas S. Theoderici Chorum Eccleſiæ eleganti ſtructura ædificat, 25.
Johannes de Varennis Canon. Rem. celeberrimus, 675. *& ſeq.* A Clemente Geben. diſcedit, 678.
Johannes Ulteſus Remenſis, Poeta, 782.
Iona palatium celebre in pago Remenſi, 227. Prioratus ſub nomine S. Vvalpurgis, 228. Datur Conſtantiæ Philippi I. filiæ, 229 Monachis Moliſmenſibus, *ibid. & ſeq.*
Jorannus Abbas S. Nicaſij, 252. 317. Laudatur, 322.
Joſbertus Abbas criptam ſupra S. Theoderici ſepulcrum conſtruit, 24.
Joſſelinus Epiſcopus Sueſſionenſis ab Alex. Papa inſimulatur, 128. Obit, ac laudatur, 363.
Iſabella Philippi Auguſti conjux, 412. Ungitur à Senonenſi apud S. Dionyſium, 413.
Iſemburgis Philippi Aug. uxor à Vvillelmo Rem. coronatur, 443.
Jubilæus centeſimo quoque anno celebrandus conceditur, 598.
Julianus Cardinalis, Concilij Baſileenſis Præſes, 716.
Iulius Preſbyter Cardinalis, 353.
Iurenus Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, 352.
Ivellus ex Turon. fit Rem. Archiepiſcop. 533. Scholaſticis Collegij Remenſis ſtatuta conficit, 534. In Syriam proficiſcitur, 539. Cum Suffraganeis litigat, 540. Moritur, 541.
Ivo Cardinalis Legatus in Gallias, 334. 349.
Ivo Carnotenſis Epiſ. an primus Regulæ Auguſtinianæ Auctor, 145, Raynaldum Rem. monet de divortio Regis, 199. Increpat Epiſcopos Philippo adulantes, 201. Manaſſis II. Rem. electionem tuetur, 216. Stephano de Garlanda adverſatur, 223. Partes ejus ſuſcipit, 224. Statum Remenſis Eccleſiæ deſcribit, 244.
Ivo Sagienſis Epiſcopus intereſt Concilio Remenſi, 97.
Ivo Sueſſionenſis Comes, 346.
Ioyoſæ domini, Comites de Grandiprato, 344.

L.

LActis B. Mariæ aliquæ guttæ Remis, 475. 575.
Laïci eccleſiaſtica negotia dijudicare prohibentur, 355. Decimas non debent poſſidere, *ibid.*
Lambertus Atrebatenſis primus Epiſcopus, 205. Ab Urbano II. conſecratur, 208 Fœdus cum Sandionyſ. Remenſib. init, iiſque altare de Ays concedit, 220.
Lambertus Oſtienſis Epiſcopus, 263.
Lambertus Tornacenſis Epiſcopus, 276.
Lavalliorum familia, 747.

Digitized by Google

Laudunenſis Eccleſia parochia Remenſis Eccleſiæ, 39. Ex homicidio polluitur, 148. Flammis conſumitur, 249. A Bartholomæo reparatur, 250. Quibus gaudet privilegijs, 409. Ceſſat à Divinis, 581.
Laudunenſis Epiſcopus quando Par Franciæ inſtitutus, 494.
Laudunenſe Capitulum animi mœrorem Remenſi pandit, 486. Viris illuſtribus conſpicuum, 514. 551. Cum Remigianis init ſocietatem, 606.
Laudunum proditorie intercipitur, 37. Quibus moribus cives affecti, 248. Communiâ donantur, *ibid.* Eâ abrogatâ tumultuantur, 526. Epiſcopum obtruncant, 249. Communiâ privantur, 413, 582, In Epiſcopum inſurgunt, 526, Eccleſiam ſanguinis effuſione fædant, 581, Quomodo ſatisfaciunt, 582,
S. Laurentij reliquiæ, 416.
Lautrecij domini, Comites Retellij, 192.
S. Lazari Remis olim Eccleſia, 643.
Lenuncurtiorum familia, 707.
Leo Abbas Sedis apoſtol. Legatus, in cauſa Arnulfi, 47. 52. 54. 55.
Leo IX. in Gallias venit, 91. Baſilicam S. Remigij dedicat, 93. In ea Concil. celebrat, 95. *& ſeq* S. Remigij corpus transfert, 102. Altare majus S Remigij nobili privilegio exornat, 107.
Leodienſes pro Epiſcopi electione ſciſci, 428.
Leothericus Bituric. Archiep. Concilio Rem. intereſt, 263.
Leprotrophij Remenſis privilegia, 399. 406. 420. 452.
Lethaldus Monachus S. Remig. primus Moſom. Abbas, 3.
S. Leudomeri, Cathalaun. Epiſcopi reliquiæ, 151.
Leuthardus hæreticus, 56. Fanaticus, 61. Virtuto oriundus, 438.
Lietbertus fit Cameracenſis Epiſcopus, 87.
De Ligno Dominicæ Crucis diſquiſitio, 476.
Lingonenſis Eccleſiæ ſtatus, 330. Quo tempore Epiſcopus Par Franciæ inſtitutus, 494.
Lotharius Rex confirmat bona Mon. S. Vincentij, 10. S. Theoderici corpus transfert ac Monaſt. poſſeſſiones confirmat, 19. 21. Remis pactum init cum Imperatore, 30. Moritur, 34.
Lotharius Sedis Leodienſ. invaſor, 429. 430.
S. Lucæ Evangeliſtæ reliquiæ, 240.
Ludovica Cæſarea de Conflans, 669.
Ludovic. V. Franc. Rex Remis diadema ſuſcipit, 30. Patre mortuo regnat, 34. In Adalberonem Rem. infenſus, 35. Compendij ſepelitur, *ibid.*
Ludovicus VI. Aurelianis inauguratur, 243. In Eccleſiarum prædones arma movet, 257. Ejus oratio in Concilio Rem. 264. Remos petit, 305. Obit, 324.
Ludovicus Junior Remis unctus, 305. Remos contendit, 324. Communias approbat, 326. Theobaldum Campaniæ Comitem odit, 328. A B. Bernardo perſtringitur, 329. *& ſeq.* Epiſcopos inſequitur ac Victriacum comburit, 334. Sæpiſſime coronatus, 348. Eleonoram reijcit, 363. Conſtantiam ducit, 370. Erga Eccleſiam Morinenſem munificus, 371. Peregrinatur ad tumulum S. Thomæ Cantuarenſis, 411.
Ludovicus VIII. Remis coronatur, 508. Aquitaniam invadit, 509.
Ludovicus IX. Remis inungitur, 511. A Saracenis capitur, 515. De eo conqueruntur Epiſcopi Rem. Prov *ibid* 520. Epiſcopos ac Scabinos conciliare ſtudet, 523. Dux ſacri belli conſtituitur, 535. Innocentium IV. Lugdun. inviſit, 540. In Syriam proficiſcitur, *ibid.* Excæcatorum Xenodochium conſtruit, 541. Archiepiſcopum Rem. cum Scabinis reducit, 544 Burgundionum & Lotharingor. lites dijudicat, 545 In Africam transfretat, ac ad Superos evadit, 564. In Sanctorum numerum adſcribitur, 587.
Ludovicus X. Campaniæ Comes, 602. Remis inauguratur, 604. Flandros adoritur ac migrat, *ibid.*
Lud. XI. Remis conſecratur, 740. In S. Remigium propenſus, *ibid.* Æger S. Ampullam ad ſe deferri poſtulat, 755. *& ſeq.* Moritur, 757.
Lud. XII. Remis diadema Regni ſuſcipit, 765. Ejus edicto canitur in Miſſa *O Salutaris hoſtia*, 772.
Ludovicus Theſart è Sede Bajocenſi ad Rem. tralatus, 652. Obit, 653.
Ludovicus à Guiſia Rem. Archiepiſcopus, 831. Cardinalitiâ purpurâ donatur, 634. Synodum convocat, 839. Seminarium Remenſe è priori domo in aliam transfert, 844. Bleſis trucidatur, 845.

Ludovicus à Lotharing. Coadjutor datur Philippo du Bec, 856.
Ludovicus Flandr. Comes intereſt unctioni Philippi Valeſij, 616.
Ludovicus de Gonzagues primus Dux Retel. quàm munificus in pauperes, 844.
Ludovicus Maleanus, Flandriæ Comitatum à Philippo accipit, 630. Defungitur, 671.
Lugdun. Archiepiſcopus in Concilio Rem. ſe à ſimonia illæſum denuntiat, 97.
Lutherana hæreſis, 776. Serpit, 780.

M

MAceriæ oppidum Rem. diœceſis, 187. Canonicorum Collegio nobilitatum, 407. Deſcribitur, 408. Naſſovij conatibus reſiſtit, 774.
Machaut vicus diœceſis Rem. 191.
B. Magdal. parœcia Remis inſtituitur, 658.
Magdalena de Chaſtillon, 669.
Malatota quid? 513.
Manaſſes I. Rem. Archiepiſcopus, 165. Simoniacus, 166. Confirmat donationem factam Monaſt. Maurimontano, 168. Cur à Gregorio VII. increpatur, 171. Impia ejus dicta, & facta, 173. Remigiani ab eo excommunicati, Papæ juſſu ſolvuntur, 174. Quàm id acerbè tulerit *ibid.* Damnatur in Concil. Auguſtod. 175. Exauctoratur in Concilio Lugdun. 176. Moritur, *ibid.*
Manaſſes II. Rem. Archiepiſcopus, 216. Ejus proſapia, 217. Præpoſitus ac Theſaurar. Rem. 218. Synodum cogit, 221. Jurium ſuorum vindex, 223. Plurima Eccleſiæ S. Remigij largitur, 234. 235. Quandonam obierit, & ubi ſepultus, 236.
Manaſſes Rem. Archidiaconus Epiſcopus Camerac. 209.
Manaſſes Regiteſtenſis Comes, 188. 189.
Manaſſes Comitis Regiteſtenſis filius, 189.
Manaſſes Comes Caſtri-porcenſis, 339.
Manaſſes Comes Gervaſio Rem. infenſus, 127. 128.
Mancipium quid? 141.
Manichæorum hæreſis reliquiæ in Flandria, 395.
S. Marculfi Ædem Reges ſtatim ab inauguratione inviſunt, 712.
S. Mariæ ſodalitas apud Nicaſianos, 687.
Maria Abbatiſſa Rameſſienſis Theodorico nubit, 368.
Maria Philippi Audacis uxor à Petro Rem. inuncta, 568.
Marſna Prioratus, 321.
Martinus V. Concil. Baſileenſe indicit, 716.
Maſſonij de Commendis ſententia, 742.
B. Mathildis obit prope Laudun. ac miraculis claret, 480.
Mathildis filia Comitis Regiteſt. 189.
S. Mauri Martyris reliquiæ, 415. 416. 473.
S. Maurilius Archiepiſc. Rotomag. origine Remus, 79.
Maurimons *vide* Monaſt. Maurimont.
S. Mauritij reliquiæ, 241. Prioratus Remis fundatur, 274. A Jeſuitis occupatur *ibid.*
Melchior Legatus apoſtolic. 444.
Melior Vicedominus Rem. Cardin. 458.
Melodunum regium palatium, 485.
S. Memmij Cathalaunenſ. Eccleſia ſubruitur, 784.
Mendicantes Ordinariorum ſibi jura adciſcunt, 578. Non admittendi ad Pœnitentiam & Euchariſtiam adminiſtrandam abſque Parochi licentia, 789.
Merolilanus Scotus Martyr Remis cultus, 240.
Metropolitani officium in viſitandis Suffraganeis, 225. 537.
Milo Epiſcop. Matiſc. intereſt Synodo S. Baſoli, 45.
Milo I. Epiſcopus Tarvan. reconciliat Eccleſiam S. Symphoriani 316. Humilitas ejus prædicatur, 371.
Milo II. Epiſcopus Tarvannenſ. à ſummo Pontifice conſecratur, 371.
Milo de Dormans Rem. Præpoſitus ac Epiſcopus Belvac. 653.
Miſſi-dominici, 417.
Mitrâ an antiquitus Epiſcopi uterentur, 269.
Moimet caſtrum fortiſſimum diruitur, 709.
Monachorum percuſſores excommunicantur, 356.
Monaſterium Aureimontis O. A. unitur Abbatiæ S. Dionyſij Remenſi, 698. Hoſpitali S. Antonij, 700. Demum redditur Monialibus, *ibid.*
Monaſterium Bellævallis O. P. ab Alberone Epiſc. Virdun. fundatur, 871. Quot Abbatias produxerit, 873. Abbatum catologus, 874.
Monaſterium Bonifontis O. C. conſtruitur, 881. Abbatum ſeries, 882.
Monaſterium Calvimontis. O. P. 870.

Digitized by Google

Sacris reliquijs dives, 880. Abbatum ſyllabus *ibid.*
Monaſterium Ciſonienſe, O. A. 303.
Monaſt. Ellantij O. C. 883. Plures in eo Retellij Comites ſepulti, 884. Abbatum nomenclatura, 884.
Monaſt. Florinenſe O. B. habet partes reliquiar. Ss. Timothei & Mauri, 62.
Monaſt. Flinenſe O. C. fundatur, 572.
Monaſterium Igniacenſe O. C. 867. Viri illuſtres in eo ſepulti, 869. Abbatum enumeratio, *ibid.*
Monaſt. Lætienſe O. B. maxima ſacrar. reliquiarum copia dives, 469.
Monaſt. Maurimontanum O. B. reparatũ, 167. Olim à Comite Nanceij fundatum, 168. A Drogone domino de Vihenna infeſtatur qui & reſipiſcit, 169. *& ſeq.*
Monaſt. Moſomenſe O. B. reſtituitur ac donatur reliquijs S. Arnulfi, 3. 7. Synodus in eo à Leone Legato celebratur, 6. Abbatum catalogus, 12. Incendio perit, 14. Pluribus ſacris reliquijs locupletatur, 16. Altare majus ab Arnulfo conſecratur, 62.
Monaſt. Præmonſtrat. in fundo S. Vincentij Laudun. fundatur, 270. 308.
Monaſterium Floriacenſe, O. B. 304.
Monaſterium S. Dionyſij Rem. O. A. Canonicis-regular. conceditur, 140. Ejus bona confirmat Philippus I. 141. Alexander III. 142. Ludovicus VII. 143. Ejus prærogativæ, 146. *& ſeq.* Ei olim Urbis theſauri, civium opes Chartæ concreditæ, 147. Sacra quædam pignora poſſidet, 151. Abbatum ſeries, *ibid & ſeq.* Plurimis poſſeſſionibus ab Epiſcopis uitatur, 152. Annualia Canonicorum S. Symphoriani percipit, 153. 398. Serviente libero donatur, 437.
Monaſterium S. Johan. Laudun. O. B. flammis conſumitur, 249. Monialibus exactis Monachos recipit, 299. Olim celeberrimum *ibid.*
Monaſterium S. Mariæ Sueſſion. O. B. plurimis reliquijs Ss. dives, 468.
Monaſter. S. Nicaſij Rem. O. B. muris vallatur, 573. Serviente libero donatur, 437. *Vide* S. Nicaſius.
Monaſterium S. Nicolai Ribod. O. B. ab Anſello fundatur, 178.
Monaſt. S. Quintini Belvac. O. A. 172.
Monaſt. S. Petri Rem. O. B. vocatum Monaſt. rotundum, 84.
Monaſter. S. Remigij O. B. in cuſtodiâ Regis, 576. Menſæ archiepiſcopali aliquamdiu unitum, 792 *Vide* S. Remigius.
Monaſterium S. Salvij prope Valencenas, O. B. 233.
Monaſterium S. Stephani Rem. O. A. pro Canonicis-regular. fundatur, 530. Monialibus ceſſit, 531.
Monaſt. S. Theoderici O. B. Monachis reſtituitur, 17. *& ſeq.* Clericis per plures annos ceſſit, 18. Primùm S. Barthol. dicatum, 19. Adela Daniæ Regis uxor plurima ei confert, 21. In illud Franc. Reges divertunt, 23. Abbatum ſeries, 24. Sacræ ejus reliquiæ, 27.
Mon Sparnacenſe O. A. datur Canon. regul. 196 Abbatum index, 297.
Mon. S. Vincentij Laud. O. B. reparatur, 9. Eſt ſecunda ſedes Epiſcopatûs Laudunenſis, 10.
Monaſt. Vallis-regiæ O. C. 885. Abbatum ſyllabus, *ibid.*
Monaſt. Victoriæ O. A. Silvanect. ædificatur, 48. Menſæ Epiſcopali Silvanect. unitur, 759.
Mons-acutus caſtrum munitiſſimum, 194. Diruitur, 718.
Mons-Deſiderij, 784.
Mons-falconis, 35.
Mons-Reguli Nicaſianis datur, 279.
Moſomenſe oppidum, 5. Regio dominio incorporatur, 659.
Muſica in Eccleſia Rem. admittitur, 741.

N.

NAſſavius vaſtatâ Picardiâ Campaniam ingreditur, 774.
Neapoleo de Romangnia Archidiac. Remenſis, 610.
S. Nicaſius Gallos à peſte liberat, 6. 31. Reliquiæ ejus è Tornaco Remos referuntur, 122. Canonici S. Ludovico coſtam ejus concedunt, 545. Nicaſiani mediam oſſis coxæ partem Carolo IV. Imperatori, 658. Feſtum ſervandum indicitur, 546. Eccleſiam Gervaſius reparat, 113. 122. Primarium ædis nunc ſtantis lapidem ponit Henricus, 512.
S. Nicolaus de Roceio, Prioratus, 195. 196.
S. Nicolai Capella de Virlozeto diruitur, 643.
Nicolaus Sueſſionenſis Scriptor, 246.

Digitized by Google

Nicolaus de Ruminiaco Prioratûs S. Petri fundator, 251. 252. Anathemate percutitur, 254.
Nicolaus Episcopus Noviomensis, 526.
Nicolaus de Hanapijs Patriarcha Hierosolymitanus, 589.
Nicolaus de Clamangis Remensis Canonicus, 678. 696.
Nicolaus Cardinalis S. Crucis in Hierusalem, 715.
Nicolaus Colin Thesaurarius Remensis, 831.
Nicolaus Boucher Rem. Seminarij Protopræfectus ac Episcopus Virdun. 831.
Nicolaus Beguin Rem. Canonicus doctus Chronologus, 831.
Nicolaus Bocher Rhetoricæ professor famosus, 832.
Nicolaus Pellevæus Cardinalis, Rem. Archiep. 848. Fœderis-sacri ad Curiam Romanam Legatus, 849. Remis sepelitur, 855.
S. Nivardus Monast. Altivillarienſis fundator, 71.
Nivelo de Cherisy Episcopus Suess. à Vvillelmo Rem. consecratur, 407.
Normanni Gallias infestant, 185.
Nortbertus Remos venit, 170. In possessione S. Vincentij Præmonstratum ædificat, 171. Interest Concilio Remensi, 307.
Nosocomium S. Antonij Remis exstruitur 448. Parisijs pro Excæcatis S. Remigio dicatur, 543.
Noviomenses Communiâ gaudent, 248. Tumultuantur ac severè puniuntur, 489. Eorum lex adversùs Ecclesiasticos iniqua abrogatur, 410. Episcopus choro addictos excommunicare non potest, 407. Clerici ad Ebalum & Episcopos provinciæ scribunt, 68. Noviomi decretum de bello Turcis inferendo promulgatur, 773.
Nouvy Prioratus à Sylvamajore dependens, 189. 218. A Patribus Cong. S. Vitoni detinetur, 219.
Nundinæ Paschales ubi & à quo Remis institutæ, 399. Ad eas adventantibus Indulgentiæ impertitæ, 406. In Urbem translatæ, 419. S. Dionysij & Magdalenæ à Carolo V. concessæ, 660.
Nuptias regales quis benedicere solitus, 199.
S. Nutricis Eccl. Collegiata Remis, 414.

O.

OBertus Episc. Leodiensis Bullonium à Godefrido emit, 294.
Octavianus Diaconus Cardinalis, 353. Antipapa, Victor dictus, 374. Moritur, 390.
Octavianus Farnesius Dux Parmensis, 791.
Odalricus Aquensis Episcopus exsul, 3.
Odalricus Canon. Remensis S. Augustini regulam amplectitur, 146. Fit S. Dionysij primus Abbas, 151.
Odo Cardinalis de Chastillon hæreticus, 814.
Odo Castellioneus, *Vide* Urbanus II.
Odo Campaniæ Comes, 72.
Odo Dux Burgundiæ, 605.
Odo Fortis dominus de Ruminiaco, 254.
Odo Remensis Canonicus ac postea Abbas S. Medardi, 377.
Odo S. Remigij Abbas fundat Charthusiam Montis-Dei, 309.
Odo de Soliaco Parisiens. Episcopus, 466.
Odo Silvanect. Episcop. interest Synodo S. Basoli, 45.
Odo Subprior S. Victoris Paris. fit Abbas S. Dionysij Remensis, 152.
Officij divini cessatio ob aliquam Ecclesiæ irrogatam injuriam, 83. *Vide* cessatio divini Officij.
Officialium Curia quo tempore erecta, 282 395.
Oleum-sacrum gratis impertiendum, 356.
Optimum-caput ideſt Mala-testa vel Mala-tota, 513.
Ordinationes, à Schismaticis & hæreticis factæ, irritantur, 356.
Organa silent Ecclesiâ aliquo mærore afflictâ, 83.
Ad Ordines sacros promovendi quomodo examinandi, 787.
S. Oriculus Martyr in Prioratu Syndunensi, 114.
Orthlenus, Basileensis Episcopus, 365.
Otto Comes ab Adalberone debellatur, 4.
Ottone II. Imp. mortuo succedit Otto III. 31. S. Remigij bona confirmat, 32. 51. Moritur, 58.
Ottobonus Archidiaconus Rem. S. R. E. Cardinalis & Cancellarius, 536. Litigat cum Capitulo Rem. 554. Creatur summus Pontifex Adrianus V. 570. Plura de eo, 588.

Digitized by Google

P.

PAgus, ideſt tractus, 338.
Pallium prærogativa ſpecialis Remenſis Eccleſiæ, 189. 411. Quando eo Archiepiſcopi utantur, 462.
Pandulfus Norvicenſis Epiſcopus, 508.
Paſchalis Papa per Legatos Philippum anathemate percutit, 222. Trecis pro electionibus Concilium convocat, 342. Imperatoris territus minis conceſſit inveſtituras, 256.
Pares Franciæ quando inſtituti, 412. 491. *& ſeq.* Lites circa majora Regni feuda dijudicant, 485. Eccleſiaſtici, præter Lingonenſem, è provincia Rem. 493.
Penſiones olim indultæ abſque Papæ licentiâ, 410.
Pertiſus tractus, 187.
Peronam Remenſis Archiep. ingrediens exules reſtituit, 497.
Peſtis graviſſima Gallias vexat, 631. 754.
Petrus Barbet Rem. Archiepiſcopus, 567. Mariam Philippi Aug. uxorem Pariſijs inungit 568. Pontificem orat pro canonizatione S. Ludovici, 569. Compendij Synodum cogit ob ceſſationes à Divinis, 570. Impertitur à Scabinis, 572. Ei Philippus pro Comitatu Campaniæ homagium facit, 575. Philippum Pulcrum inungit, 578. Pariſijs hoſpitium pro Remenſibus Archiepiſcopis conſtruit, *ibid.* Religioſos Mendicantes comprimit, 580. Bonifacij cur odium incurrit, 586. Decedit, 587.
Petrus Trouſſeau è ſede Pictavienſi ad Rem. transfertur, 702.
Petrus Laval Rem. Archiepiſcopus, 746. *& ſeq.* De Capitulo conqueritur, 748. Andegavum ſecedit, 749. Remos redit, móxque à Rege malè habitus recedit, 751. Carolum VIII. inungit, 759. Defungitur, 760.
Petrus Aiſcelinus Epiſcopus Laudunenſis Cardinalis, 670. Veneno ſublatus, 672.
Petrus Belvacenſis Epiſcopus, 276.
Petrus Damiani, Legatus ad Gallias, obit, 120.
Petrus Diaconus Cardinalis Legatus pro divortio Philippi Regis, 447.
Petrus de Alliaco Epiſcopus Camerac. Cardinalis, 684.
Petrus de Collemedio Præpoſitus Audomarenſis, 523.
Petrus de Latiniaco Epiſcop. Cathalaun. Franciæ Cancell. accuſatur, 604.
Petrus Cantor Pariſienſ. in Decanum Rem. electus, 442. Fit Monachus Ciſtercienſis, 443.
Petrus Cellenſis Abbas S. Remigij Vicarius Rem. Archiepiſcopi, 390. Plura de eo, 456.
Petrus de Eſſone è Monacho S. Medardi, Abbas Moſom. 15.
Petrus Remenſis Canon. Cardinalis, 394.
Petrus Picardus S. Victoris Canonicus regularis, 275.
Petrus de Riga Canonicus Remenſis, 146. Ejus Scripta, 375.
Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, 321.
Petrus Cugnerius, 617.
Petrus le Gouverneur ob manus in Canonicum Remenſem injectas quomodo punitus, 586.
Philippus I. Remis inungitur, 117. Uxorem rejicit pellicem inducens, 199. Epiſcoporum monita reſpuit, 200. Fidelium cœtu removetur, 202. Pellice ejecta in gratiam ab Urbano receptus, 217. Ad vomitum rediens à Paſchalis Legatis excommunicatur, 222. Abſolvi poſtulat, 234. Moritur, 243.
Philippus Ludovici VI. primogenitus Remis ſacratur, 302. Ex equo decidens moritur, 304.
Philippus Auguſt. Remis diadema ſuſcipit, 412 Hæreticos inſequitur, 421. In Syriam proficiſcitur, 425. Iſemburgem uxorem rejicit, 444. Hoſtes in pugna Bovinenſi ſternit, 481. Moritur, 507.
Philippus Audax Remis inauguratur, 565. Perpiniani decedit, 578.
Philippus Pulcer Remis inungitur, 578. Diſſidet cum Bonifacio, 508. De quibuſdam inſimulatur, 598. Obit, 603.
Philippus Longus Remis Regni inſulis decoratur, 604. Auguſtinianos Remis collocat, 607. Moritur, 608.
Philippus Valeſius, Remis coronatur, 616. Saracenos imperiturus decimam imponit, 619. Iohannem primogenitum B. Nicaſio devovet, 621. Gallis tributum ſalis imponit, 629.
Philippus du Bec Rem. Archiepiſcopus 852. Poſſeſſionem adipiſcitur, 855. Moritur, 867.
Philippus Aurelianenſis Epiſcopus, 508.

Philippus Drocenſ. Epiſcopus Belvacenſis pugnans capitur ab Anglis, 446.
Philippus Flandriæ Comes Regis Philippi tutor, 411. In obſidione Acræ moritur, 426.
Philippus Dux Burgundiæ Caroli VI. tutor, 670.
Philippus Burgundus magnus Franciæ Camerar. Comes Regiteſt. 192.
Philippus la Coque Abbas S. Nicaſij, 654.
Philippus Nivernenſis fundat Conventum Bethleemiticum, 759.
Pictavienſis pugnæ infelix exitus, 640.
Plagiotri Domini, 184.
Pœnitentiaria Remenſis in dignitatem eccleſiaſticam erigitur, 786. Eorum, qui in ea claruerunt, elenchus, 786.
Pœnitentium qualis olim abſolutio, 149. Qualis reconciliatio, 150.
Pœnitentium ſodalitas Pariſijs inſtituta, 834.
Poncardus Aſceta Remigianus, Hiſtoricus, 654.
S. Poppo Monachus S. Theoderici fit Abbas Stabulenſis, 22. 80.
Populicani, ſive Publicani hæretici, 396.
Poſſiacenſe colloquium, 814.
Præfecti-Prætores regij tribunalis Remis erecti, 776.
Præfecti-Urbani Remenſes, 732.
Præpoſitura Eccleſiæ Remenſis à ſæcularibus diu detenta Capitulo redditur, 290.
Præſidialis curia Remis inſtituitur, 803.
Præſidentium ſyllabus, 804.
Pragmatica ſanctio, 716. Tollitur, 742. Penitus abrogatur, 773.
Preſbyteri conductitij interdicuntur, 355.
Principes Canonicatus ambiebant, 562. 598.
Prior S. Remigij Collegij Pariſijs ædificati Adminiſtrator, 581.
Prioratus de Tin, à S. Remigio dependens, 8. De Petingen à S. Theoderico, 25. Syndunenſis, à S. Remigio, 114. Ventiliacus, à Majori-Monaſterio, 85. Turris-ſupra-Maternam, à Cluniaco, 184 271. S. Nicolai de Roceïo, à Cluniaco, 195. Altimontis, à S. Vincentio Laudun. 210. S. Thomæ, à S. Remigio, 218. De Nouvy, à Silva-majore, 218. S. Vvalpurgis, à Moliſmo, 227. Corbiniacenſis, à S. Remigio, 232. Ruminiacenſis, à S. Nicaſio, 251. B Mariæ Retellenſis, à S. Remigio, 261. S. Mauritij in Urbe Rem. à Majori-Monaſt 274. De Marſna, à Remigio, 321. B. Mariæ de Caſtro-porcenſi, à S Nicaſio, 334. Valis-Scolarium, 530.
Publicani hæretici in Flandria, 396.
Pudicus Epiſcop. Nannetenſis intereſt Concilio Rem. 97.
Puella Aurelianenſ. Aureliam obſidione liberat, 710. Carolum Remos inungendum deduxit, 711 *& ſeq.* Ab Anglis capta morti addicitur 713. Quare, *ibid.*

Q

Quæſtorum fiſci camera Cathalauni erigitur, 804.
S. Quintini tranſlatio, 544. Canonicis quædam à Guidone oppidum Communia gaudet, 148. Ab Hiſpanis invaditur, 808. Rem. conceduntur, 686.
S. Quintini Belvacenſis Abbatia, 172.
Quercetani, ut vaſalli Abbatis, S. Ampullam comitari tenentur, 634.

R.

Rabodus Noviom. Epiſcop. intereſt Concilio Compend. 179.
Radulfus, Cantuarienſis Decanus, 389.
Radulfus Comes Caſtri-Porcenſis, 349.
Radulfus Comes Viromand. 292. 305.
Radulfus Rem. Decan. diſciplinæ canonicæ zelator, 455.
Ragenoldus, Roceïenſis, & Remenſis Comes, 195.
Raimbaldus Abbas, S. Theoderici corpus transfert, 24.
de Rameru Dynaſtæ, 196.
Raſtrum Comitum Retellij inſigne 187.
Rationali in veſtibus ſacris Remenſes Archiepiſcopi utuntur, 475.
Raymundus Comes Toloſan. Albigenſium fautor, 467.
Raynaldus I. è Theſaurario Turon. Archiep. Remenſis, 177. Ejus progenies, *ibid.* Approbat fundationem S. Nicolai Ribodimont. 178. Synodum Compendij celebrat, 179. Romam petit, 180. Monachos Caſæ-Dei in Monaſt. Nicaſ. conſtituit, 181. Plures Synodos convocat, 201. 203. 206. Moritur 211. Patriarcha nominatur, 212.
Raynaldus II. è Sede Andegav. ad Rem. transfertur, 288. Dotes ejus, 290. Philippum inungit, 303. A ſchematico contemtus 320. Moritur, 324.

Digitized by Google

Raynaldus Comes Virdunenſis, 304.
Reges Francor. ſæpius coronati, 200. 201. Quis inungat, 56. 118. 411. 412.
Reginaldus de Carnoto Rem. Archiep. 703. Fit Regni Cancellarius ac Carolum VII. inungit, 715. Ad Remenſes ſcribit, *ibid.* Litteras à Baſileenſib. Patrib. accipit, 716. Cardinalis creatur, 717. Migrat, 710.
Reginaldus de Corbolio Archidiac. Rem. Pariſienſis Epiſcop. 587. 588.
Reginaldus de Nantolio Decan. Rem. Belvacenſis Epiſcopus, 589.
Regiteſtenſis urbis origo, 186. Vocabulum, 187. Tractûs caput, 188. Ejus prærogativæ, *ibid.* Ducatui Nivernenſi unitur, 192. Erigitur in Ducatum, 193. Comitum & Ducum ſeries, 188. Regiteſtenſis Prioratus fundatur, 261.
Regula priſcorum Canonicorum Regul. unde deſumta, 144. Auguſtinianorum quando cis Alpes advecta, 145.
Reliquiæ Ss. humi ſternuntur in ſignum mæroris, 82. 83. 486.
Remenſis Archiepiſcopus. *Vide*, Archiepiſcopus Remenſis.
Remenſes Canonici. *Vide*, Canon. Rem.
Remenſis Eccleſia plurimis olim poſſeſſionibus ditiſſima, 65. 71. Ejus dignitas, 209. Habet diadema Regni, 216. Regum Mater & Regni caput, 217. In Rodulfi electione diviſa, 342. Cur in ea non inauguratus Lud. VI. 243. Ejuſdem ſtatus, 244. 329. S. Bernardum in Paſtorem poſtulat, 328. Priſca obſervantia laudatur, 432. *& ſeq.* Bona ejus Nobiles ripiunt, 71. 447. Pro electione Pontificis diſſidet, 459. Poſſeſſiones ejus confirmat Innoc. III. 461. Incendio perit, 469. Reparatur & datur ejus deſcriptio, 471. Gazophilacij ſupellex, 473. Privilegia, 535. 568. Dedicatio ob Indulgentias celeberrima 730. 736. Muſicam admittit, 742. Deflagrat, 754. Caroli VIII. liberalitate reſtauratur, 758. Majus altare è marmore leucopio conſtruitur, 792.
Remenſes Communiâ donantur, 326. Sumtus pro Regum unctione ſuppeditant, 508. Scabini cum Capitulo diſſentiunt, 518. Archiepiſcopum & Canonicos Urbe ejiciunt, 519. Quo eos ritu recipiunt, 529. Scabini in Archiep. & Capitulum inſurgunt, 518. Damnantur ac mulctantur, 523. Ob collectam tumultuati, excommunicantur, 526. Abſolvuntur, 530. A vectigalibus immunes pronuntiantur, 604. Peſte graviſſima affliguntur, 631. A Rege Præfectum accipiunt, 632. Ballivio Viromandenſi cur ſubjecti, 720. Ab Urbico Senatu reguntur, 641. 723. Quando Ducatûs titulo honeſtati, 412. Nundinis ditantur, 399. 419 660. Quot militum copias Regibus olim miniſtrarint, 291. Urbem aggeribus ac muris vallant, 582. *& ſeq.* 655. Obſidetur ab Anglo, 644. Quot ei olim portæ, 677. Regio tribunali nobilitatur, 775. Præſidiali Curia illuſtratur, 803.
S. Remigius miraculis claret, 89. 95. 631. Corpus ejus transfertur, 101. Regni tutelaris & patronus, 363. Gallos à peſte liberat, 631. Feſtum ejus celebrandum decernit Leo IX. 104. Idem conſtituit Clerus Gallicanus, 105. Eccleſia à Leone IX. conſecratur, 88. *& ſeq.* Ab eo Concilium in ea celebratur, 95. Altare ejus nobiliſſimo privilegio exornatur, 107. Interdicti tempore à Divinis non ceſſat, 423. 548. Inſignitur ſanguine Chriſti Domini, 468. In eam Ludovici XI. liberalitas, 740.
Retellium, *Vide* Regiteſte.
Richardus Pique Remenſis Archiep. 657. Carolum VI. inungit, 670. Antipapæ adverſatur, *ibid.* Teſtamentum condit, 672. Migrat, 673.
Richardus Moſomenſis Abbas erga Carthuſienſes beneficus, 13. 314.
Richardus Rem. Decan. 59. Monachum induit, 78. Fit Abbas S. Vitoni, 22.
Richardus Legatus ad Gallias ut Philippum I. abſolvat, 234.
Richardus Virdun. Archidiac. Remenſ. Archiepiſcopatum recuſat, 342.
Richardus du Pré Cancellarius Academiæ Remenſis, 831.
Richarius Tungrenſis Epiſcopus, 339.
Richerius Senonenſis Archiepiſcopus Synodo Rem. intereſt, 201.
S. Rigoberti reliquiæ aliquamdiu in Eccleſia B. Dionyſij Rem. ſervatæ, 138. Nunc in Eccleſia principe, 473.
Robertus Rex Franc. inungitur, 36. Cum Henrico Imp. colloquitur, 62. Migrat, 70. Miraculis claret, *ibid.*
Robertus de Courtenay Remenſis Archiepiſcopus

chiepiſcopus, 597. Eccleſiam B. Mariæ Sueſſion. viſitat, 598. Compendij Synodum convocat, *ibid.* Ludovicum X. inungit, & Philippum Longum, 604. Silvanecti Synodum congregat, 605. Carolo diadema imponit, ac obit, 608.
Robertus Briçonnet Rem. Archiep. 761. Moritur, 761.
Robertus de Lenoncourt Rem. Archiep. 770. Urbem ſollemniter ingreditur, *ibid. & ſeq.* Ab Archiepiſcopatûs beneficiarijs homagium recipit, 771. Franciſcum I. inungit, 772. In pauperes liberalis, 774. Synodum convocat, 777. Quantum de populi ſalute ſollicitus, *ibid.* Remenſem Eccl. periſtromatibus ac ſacris veſtibus ornat, ac ad Superos migrat, 778.
Robertus Cantuarienſis Archiepiſ. 109.
Robertus Abbas S. Remigij ſcientiâ clarus, 137. Exauctoratur, 221.
Robertus Arienſis Præpoſ. Atrebatenſem & Tornacenſ. Sedem occupat, 402.
Robertus S. Ludovici frater, 511.
Robertus Comes Atrebatenſis, Philippum Valeſ. tuetur, 616. Cur ab eo deficit, 619.
Robertus Friſius Philippi Regis copias fugat, 131.
Robertus Fland. Comes bona S. Theoderici confirmat, 183. Injuſtè ablata reſtituit, 194.
Robertus Bethun. Comes Flandriæ Gallorum hoſtis, 604. 605. Moritur, 609.
Roceïenſium Comitum potentia, 194. Origo & progenies, 195.
Rodulfus Viridis Archiep. Remenſis, 241. Cur conqueſtus de Ludovici VI. inauguratione, 243. Regi ſacramentum præſtat, 244. Erga Remigianos & Nicaſianos munificus, 245. Ivonem conſulit, 246. Parentat Galdrico Epiſcop. Laud. 249. Sepelitur in Eccl. B. Remigij, 282.
Rodulfus Abbas concedit corpus beati Theodorici per Flandriam deferri, 25.
Rodulfus Comes Creſpeïenſis plurima ſancto Remigio largitur, 131.
Rodulfus Trevirenſis Præpoſitus, 412.
Rogatianus poſſeſſiones ſuas B. Remigio confert, 187.
Rogerus Belvacenſis Epiſcopus, 66.
Rogerus Cathalaunenſis Epiſcop. intereſt Synodo Compendij, 179.
Rogerus Cameracenſis Epiſcop. à Vvillelmo Rem. conſecratur, 411.
Rogerus de Roſeto Laudunenſis Epiſcopus, 402. Nuptias Philippi Auguſt. & Iſabellæ benedicit, 412.
Rogerus vel Ragenoldus Comes Roceij bona S. Theoderici invadit, 19.
Rogerus Comes Caſtri-Porcenſis, 339.
Rogerus Comes de Janivilla, 293.
Romanus Diaconus Cardinalis, 307.
Rorico Laudun. Epiſcopus Monachos in Monaſt. S. Vincentij reſtituit, 9. *& ſeq.* Obit ac laudatur, 29.
Rorico Ambianenſis Epiſcopus intereſt Synod. Compend. 179.
Roſcelinus Clericus Compend. hæreticus, 203.
Robertus Abbas Prumienſis intereſt Concilio Remenſi, 97.
Rothardus Cameracenſis Epiſcopus, 29.
Ruminiacenſes domini terras S. Nicaſij invadunt, 251. Reſtituunt, 252 Eorum genealogica ſeries 253 Ruminiacenſis Prioratûs fundatio, 251.
Ruſticus Cardinalis Innocentium in Gallias comitatus, 307.

S.

SAlis tributum quando Gallis impoſitum, 619.
Samſon Rem. Archiep. 328. Ejus proſapia 319. A. B. Bernardo celebratur, 330. S. Gibriani reliquias transfert, 344. Eugenio cur increpatus, 347. A. B. Bernardo deffenditur, 348. Divini Officij ſtudioſus, 361. Quanto apud Sugerium in honore, 362. Ægre tulit Reginam non à ſe coronari, 370. Ab Alexandro dilaudatur, 372. *& ſeq.* Moritur, 373. Commendatur, 374.
Sanctimoniales ad Regulam S. Benedicti & Auguſt. remittuntur, 334.
Scabini Remis reſtituti, 416. Eorum origo, 417. Communiæ protectores, 418.
Scholæ burgi S. Remigij, 395.
Scholarcha Remenſis inſtituitur à Vvillelmo, 418.
S. Sebaſtianus res Monaſt. S. Medardi invadentem percutit, 81.
Sedanum heterodoxorum aſylum, 835.
Seguinus Senon. Archiep. Synodo S. Baſoli intereſt, 45. 47.
Seibertus Abb. Moſom. Decan. & Preſbyteros Decanatûs ad officium reducit, 14.
Seminarium Remis erigitur, 832 Aliud

Digitized by Google

pro Anglis exſulibus, 836. Viri illuſtres qui in eo claruêre, *ibid. & ſeq.*
Sepultura gratis conferenda, 356.
Septem-ſalicũ turris à quo ædificata, 400.
Servientes Canonicorum liberi à quo conceſſi, 437.
Sigefridus Abbas Gorzienſis, 97.
Simon de Cramaud Rem. Archiepiſcopus, 696. Pro Schiſmatis extinctione laborat, 697. Abbatiam de Aureomonte unit Monaſt. S. Dionyſij, 698. Purpura donatur, ac obit, 701.
Simon de Bria Cardinalis Legatus Canonicis favet, 571.
Simon Epiſc. Noviomenſis, 278. Divortium Radulfi Comitis approbat, ac ſuſpenditur, 349.
Simon Abbas S. Nicolai de Boſco, 377.
Simon Monfortius, 461.
Sindunenſis Prioratus fundatur, 114. Ibi Robertus Abbas exauctor. ſe recipit, 121.
S. Sixti Eccleſia, 281. Reliquiæ, 473.
Sparnacum oppidum Rem. diœceſis, 70. Eccleſiæ Rem. dominium, 71. A Camp. Comitibus invaditur, 72. Ejus prærogativæ *ibid.* Flammis conſumitur, 784.
Stephanus S. R. E. Legatus Theobaldum Ambianenſem ſubmovet, 30. Ad Gervaſium Rem. ſcribit, 115.
S. Stephanus Cathalaunenſis Eccleſiæ patronus, 359.
Stephanus Cantuar. Electus cum Suffraganeis ac Monachis Angliâ pellitur, 469.
Stephanus Curtinenſis Rem. Præpoſitus, 602. In Archiepiſcopum poſtulatur, 636.
Stephanus de Garlanda ad Sedem Belvacenſem petitus, 223.
Stephanus ſanctæ Genovefæ Abbas ad Rem. Canonicos ſcribit, 433.
Stephanus de Givry Epiſc. Trecen. 693.
Subdiaconis Cœlibatus præcipitur, 354.
Sueſſiones à Burgundis vaſtantur, 704. Ab heterodoxis diripiuntur, 821. Canonici erga Laudunenſes affecti, 487. Epiſcopus Sueſſion. Martyrio coronatur, 540. Primus inter Suffraganeos Rem. provin. 541. Regem non poteſt vngere ſine Capituli licentia, 565. 566.
Sugerius Abbas S. Dionyſij Eccleſiam conſtruit, 333. Ad Samſonem Rem. Archiep. ſcribit, 362. Moritur, 363.
Suplicatio Ss. Sacramenti, 780. Corporis S. Remigij, 821. 847. In Albis veſtibus, 842. Fœderis ſacri, 850.
Sybilla Atrebatenſis Comitiſſa Samſonis Rem. Archiep. opem implorat, 361.
S. Symphoriani Rem. Eccleſia, 236. Cur ad Apoſtolos vocata, 237. Archiep. olim Sedes, *ibid.* Collegiata eſt & parochialis, 238. 240. Quibus olim prædijs ditata, 299. Pluribus ſacris reliquijs nobilita *ibid & ſeq.* Polluta, reconciliatur à Milone Tarvan. 316.
Synodus ad Montem S. Mariæ pro Monaſterijs S. Vincentij Laud. & S. Mariæ Moſom. 9. *& ſeq* Silvanectenſis in prædones, 41. S. Batoli in cauſa Arnulfi Rem. Archiep. 45. Moſom. in cauſa Arnulfi & Gerberti, 54. Rem. de eadem re *ibid.* Sueſſionenſis pro conſecratione Bertoldi, 63. Ad Montem S. Mariæ pro cauſa Harduini Noviom. Epiſcop. *ibid.* Sueſſionenſis pro Abbatia S. Quintini, 172. 173. Compendienſis pro Canonicis S. Cornelij, 179. Remenſis in Nobiles Eccleſiam vexantes, 194. Trecenſis de divortio Philippi Regis, 201. Remenſis eadem de cauſa, *ibid.* Sueſſionenſis adverſus Roſcelini hæreſes, 203. Remenſis pro Sede Atrebatenſi, 206. Remenſis pro eccleſiaſtica diſciplina, 221. Remenſis pro Monaſterio S. Salvij, 233. Trecenſis in cauſa Huberti Silvanectenſis, 234. Remenſis de ſeceſſu S. Godefridi Ambian. 258. Remenſis in bonorum Eccleſiæ deprædatores, *ibid.* Sueſſionenſis adverſus Abaïlardum, 275. Belvacenſis, pro elevatione corporis S. Arnulfi, 276. Senonenſis in Abaïlardum, 331. Pariſienſis contra Albigenſes, 507. Bituricenſis contra Albigenſes, 509. Sanquintiniana & Laudunenſis adverſus eccleſiaſticæ libertatis violatores, 515. Sanquintiniana cum ſtatutis pro eccleſiaſtica libertate, 520. Compendienſis cum decretis, 621. Silvanectenſis cum conſtitutionibus, 522. Sanquintiniana cum actis, 527. *& ſeq.* Silvanectenſis pro decimis Clero imponendis, 529. Compendienſis adverſus Clericorum oppreſſores, 564. Compendienſis ob ceſſationes à Divinis, 570. Remenſis adverſus Religioſos-mendicantes, 580. Compendienſis cum ſtatutis ſub Rob. de Courtenay, 598. Silvanectenſis contra uſurpatores bonorum eccleſiaſticorum, 605. Silvanectenſis ſub Guillelmo de Tria cum decretis,

cretis, 612. Silvanectenſis ſub eodem, 617. Noviomenſis pro eccleſiaſtica diſciplina ſub Johan. de Vienna, 623. Remenſis pro ſchiſmatis extinctione, 688. *& ſeq.* Sueſſionenſis ſub Johanne de Urſinis, 732. & ejus ſtatuta, 735. Remenſis contra hæreſes Lutheri ſub Rob. de Lenoncourt, 777. Remenſis de moribus Clericorum ſub Carolo Lotharing. 816. Remenſis pro eccleſiaſtica diſciplina ſub Ludovico à Guiſia, 839.

T.

TArvanna ab Anglis capta diripitur, 630. Funditus à Carolo V. diruitur, 805.
Templariorum Ordo in Concil. Trecen. approbatur, 293. In Viennenſi ſupprimitur, 601.
S. Thaddæi Apoſtoli reliquiæ, 241.
Theobaldus Cantuarienſis Archiep. 333.
Theobaldus Epiſcopus Pariſienſis, 359.
Theobaldus Rex Navar. Camp. Comes in expeditione ſacra moritur, 564.
Theobaldus Comes Campaniæ laudatiſſimus decedit, 362.
Theobaldus Camp. Comes in obſidione Accij mortuus, 462.
Theobaldus Perticenſis Archid. Remenſis ambit Archiepiſcopatum, 459.
Theobaldus Prior S. Martini Pariſ. 244.
Theobaldus Ambianenſis Epiſcopus exauctoratur, 29.
Theobaldus Campaniæ Comes, 74 75 76.
Theobaldus Dux Lotharingiæ, 255.
S. Theodericus miraculis claret, 18. 182. 183. 185. Corpus ejus transfertur, 21. 24. Per urbes Belgij defertur, 25. Ejus opem Flandri implorant, 183. 217.
Theodoricus Comes Flandriæ, 346.
Theodoricus ob nuptias cum Abbatiſſa excommunicatur, 368.
Theodevinus Epiſcopus Cardinalis, 353.
S. Theodulfi Abbatis reliquiæ, 138.
Theophania Imperatoris Ottoni uxor, 32.
Thomas de Bellomeſo Præpoſitus Rem. à Nobilibus in vincula conjectus, 527. Fit Remorum Archiepiſcopus, 541. Recipit homagium ab Epiſcopo Leod. 542. Litigat ac paciſcitur cum eodem, 548. Fratres de Sacco Remis excipit, 552. Moritur, 553.
S. Thomæ Prioratus à Monaſt. S. Remigij dependens, 218.
S. Thomas Cantuar. Archiep. intereſt Concilio Rem. 385. Angliam repeturus S. Drauſium Sueſſioni viſit, 398. Peregrinatio ad ejus tumulum celebris, 409. 411.
Thomas de Courcellis Ambianenſis Canonicus, 717.
Thomas de Marna Montis-acuti dominus, 194.
Thomas Leodienſis ſcriptor, 389.
Thomas Codiciacenſis, prædo, 256. 257. 260.
S. Timothei Abbatia Remigianis datur, 2. Canonicis à Gervaſio & Azenario conceditur, 122. Ex bonis S. Remigij ditatur, 123. Ejus Canonici Abbati ſubjiciuntur, 124. Eorum obſervantia olim quanta, *ibid.* & 634. Sollemnis ſupplicatio ad Buxitum, 125. 634. Pluribus ſacris pignoribus dives, 126.
Tornacenſes proprium ſibi poſtulant Epiſcopum, 276. Obſiſtit Ivo Carnot. 277. Item & Callixtus, *ibid.* Potiuntur optatis, 349. Canonici conqueruntur de Engueranno Codiciacenſi, 488.
Tranſlatio S. Arnulfi, 13. S. Theoderici, 20. S. Botiani, 31. S. Gibriani, 144. S. Mauri Martyris, 415. S. Alberti Leodienſis, 431. Reliquiarum plurimarum ex oriente in Gallias, 468. S. Timothei, 513. S. Theoderici, 518. S. Quintini, 544. S. Gibriani, 611. S. Timothei, 633. S. Macræ Virginis & Mart. 672. S. Helenæ Imperatricis, 697. S. Rigoberti Remenſis Archiepiſcopi, 731.
Trecenſium Comitum origo, 72. Urbis prærogativæ, 712.
Trevirenſis Archiepiſcopus à ſimoniæ labe ſe alienum teſtatur, 97.
Trevirenſes ad Rodulfum Rem. ſcribunt, 259. Pro electione Archiepiſcopi diſſident, 422.
S. Trinitatis Eccleſia Remenſis, 283.
Turrium-ſuper-Matronam Prioratus, 184.
Turſtinus Eborac-Archiepiſcopus à Calixto Remis conſecratur, 263.
Typographica ars à quo & ubi adinventa, 418.

V.

VAllis-ſcholarium Ordo, 456. Remis recipitur, 530.

Digitized by Google

Varx caſtrum diœceſis Remenſis, 4. ditio Monaſt. Moſomenſis. 184.
S. Vallarici Monachi an Epiſcopo Ambianenſi ſubjecti, 246.
S. Vedaſtus à B. Remigio Atrebati præfectus, 206.
Veliacum Rex Moſomo cum Canonicis commutat, 659.
Venceſlaus Imperator de Schiſmate cum Carolo confert, 684.
Ventiliacus Prioratus fundatur, 85. *& ſeq.*
Veſtium pompa Epiſcopis & Clericis prohibita, 354.
Veſontionenſis Archiep. ſe à ſimonia illæſum profitetur, 97.
Vezeliacenſis conventus pro recuperatione terræ ſanctæ, 346.
S. Victoris Confeſſoris reliquiæ Moſomi coluntur, 6.
Vicedominatus Eccleſiæ Remenſis ei reſtituitur, 290. 417.
Victoriacum comburitur, 334. 784.
Vicus oppidum, poſſeſſio ſancti Medardi Sueſſ. à Comite Campaniæ invaditur, 82.
Viennenſium familia, 620.
S. Vincentij Monaſterium reparatur, 9. *& ſeq. Vide*, Monaſt. ſancti Vincentij.
Vincenilla ab Eccl. Rem. diſtrahitur, 17.
Virdunenſes cum Remenſibus bellum gerunt, 558.
Viromanduos Philip. Aug. aggreditur, 421. In dominium Francicum revertuntur, 422. Balliviatu ampliſſimo decorantur, 720. Comitum ſeries, 71 *& ſeq.*
Virtutum pagus & oppidum in Campania, 438. Remenſis Eccleſiæ dominium, abſtrahitur 24. 439. Canonicorum Collegio & duabus Abbatijs celebre, 440. Comites ejus, *ibid. & ſeq.*
Univerſitas Remenſis *vide.*
Academia Remenſis.
Voſuenſis tractus in Campania, 187.
Urbanus II. Canon. Rem. 180. Monachus ac Prior Cluniac. Cardin. ac ſummus Pontifex, 213. Lambertum in Atrebat. Epiſcop. conſecrat, 208. Ejus erga Remenſem Eccl. amor, 209. S. Brunonem cur Romam accerſit, 213. Concilium ad Clarummontem celebrat, 213. Confirmat privilegia Canonicor. Rem. 214. Eccleſiæ pace reddita decedit, 222.
Urbanus IV. ſutoris filius ac Lauduni puer Symphoniacus, 514. Ejus ſtudia & dignitates, *ibid.* Feſtum corporis Chriſti celebrandum curat, 515. 558. Papa creatur, *ibid.* Eccleſiæ Laudunen. privilegium concedit, 550. Capitulum Rem. interdicto ſupponit, 554.
Urbanus VI. cui opponitur Clemens VII. Gebennenſis, 659.
Urſinorum familia, 717.
Urſio Belvacenſis Epiſcopus intereſt Concilio Compendienſi, 179.
Urſio Epiſcop. Silvanect. intereſt Concil. Comp. 179. Franciæ Cancellarius, 182.
Urſio ſancti Dionyſij Rem. Abbas, Virdunenſis Epiſcop. creatur, abdicat, 152.
Walterus Comitis Creſpeïenſis filius, 131.
S. Walpurgis in Prioratu de Jona colitur, 228. *& ſeq.*
Warinus Belvacenſis Epiſcopus, 66.
Wibertus Preſbyter Cardinalis, 707.
Wido Caſtellioneus Rem. Archiep. 81. De ſimonia in Concil. Rem. interrogatur, S. Bertini corpus transfert, 109. In Eccleſia S. Remigij tumulatus, 111.
Wido Clericus Simoniacus, 69.
Wilderordus Argentinæ Epiſcopus, 51.
Willelmus ad Albas-manus Rem. Archiepiſcopus 403. Epiſcopus Carnotenſis, 404. Archiepiſcopus Senon. *ibid.* Ad Sedem Rem. transfertur, 405. Ad nundinas Rem. venientibus Indulgen. concedit, 406. Eccleſiam Marchianenſem dedicat, 407. Ad S. Thomæ Cantuar. ſepulcrum peregrinatur, 409. Romam ad Concil. Lateran. proficiſcitur, fitque Cardin. 410. Remenſibus Archiep. Reges inungendi prærogativam aſſerit, 411. Scabinos Urbi reſtituit, 416. Civibus Culturam concedit, 419. Ejus in Remigianos amor, 420. Regnum adminiſtrat, 421. 426. Quanti à Rege factus, 422. Iſemburgæ Philippi Auguſt. uxori coronam imponit, 444. Per Germaniam Legatus creatur, 446. Moritur, 453.
Willelmus Abbas S. Theoderici, 25. *vide* Guillelmus.
Witerus Comes Regiteſtenſis plurima Ellantio confert, 189.
Wlricus Abbas ſancti Auguſtini in Angliæ, intereſt Concilium Remenſi, 94.

FINIS.

Digitized by Google

Nomina locorum idiomate vulgari reddita.

Aculiacacurtis, *Aguilcourt*, v.
Altreium, *Autry*. vicus.
Altũvillare, *Hautvillers* Ab.
Altuſmons, *Aumont*. Caſt.
Aquicinctum, *Anchin*. A.
Atrebatum, *Arras*. C. E.
Atteiæ, *Attis*. v.
Atriniacum, *Attigny*. v.
Aureuſmons, *Ormont*. A
Axona & Azona, *Aine*. Fl.
Balbeneæ, *Balbingers*. v.
Bapalma, *Bapaume*. Opid.
Beccum, *le Bec*. Ab.
Belluſmons, *Beaumont*. A
Betanacurtis, *Betancourt*. v.
Betignivilla, *Betniville*. o.
Biunna, *Bienne*.
Bleſæ, *Blois*. Opidum
Bonusfons, *Bonnefontaine*. A
Bova, *la Bove*. Caſt.
Brachæ, *Braux*. v.
Branſoniſcurtis, *Brãſcourt* v
Breviliacum, *Brevillers* v.
Burgolium, *Bourgueil*. Ab.
Brueriæ, *Bruieres*. opidul.
Buſſolium, *Biſſeuil* v.
Caleſium, *Calais*. O.
Calmiſiacum, *Chaumuſi* v.
Calvuſmons, *Chaumont*. o.
Campigniacũ, *Chãpigny*. v.
Carolilocus, *Charlieu*. A.
Carlopolis, *Compiegne*. O.
Carolopolis *Charleville* O.
Caſa-Dei, *la Chaiſe-Dieu*. A.
Caſtellio, *Chaſtillon*. O.
Caſtellum-Alardi, *Chaſtelleraud*. O.
Caſtricenſis, *Le Caſtrois*.
Caſtrum-Ledi, *Chaſteau du Loir*. O.
Caſtrum Porcenſe & Portuenſe. *Chaſteau Porſean*. O.
Caſtrum Raynaldi. *Chaſteau Renaud*.
Caſtrum Theodorici, vel Caſtrum S. Theoderici. *Chaſteau Thiery*. O.
Celtum, *Saux*. v.
Celtum S. Remigij. *Saux S. Remy*.
Cenomanum, *le Mans*. C. E.
Cernacum, *Cernay*.
Charus, *le Cher*. Fl.
Clariacus, *Clairoy*. v.
Clarus-mariſcus. *Clairmariſt*. A.
Claruſmons, *Clermont*. V E.
Cluniacum, *Clugny*. Ab.
Codiciacum, Cociacum & Couciacum. *Coucy*. O.
Colliſmedius, *Collemieu*.
Compendiũ, *Compiegne*. O.
Corbeniacum, *Corbeny*. o.
Corbolium, *Corbeil*. O.
Cors-Anſorum, *Courtiſot*. v
Creciacum, *Crecy*. o.
Credonium, *Cran*. O.
Creſpinum & Creſpeium. *Crépy*. O.
Cors-monaſterij. *Cormonſtreuil*.
Cruſniacum, *Crũy*. v.
Culmiſiacum, *Cormicy*. O.
Cultura, *la Couture*.
Curceium, *Courcy*. v.
Curmola, *Courmeley*. v.
Damvillæum, *Dãvillers*. o.
Dervum, *Der*, vel *Derf*. quod eſt Silva,
Doncherium, *Donchery*. o.
Duodeciacum, & Duziacum. *Douzy* o.
Dulcomenſis. *Dormois*, vel *Doumois*.
Durocortum, vel Durocortorum. *Reims*. C. A.
Ellantium, *Elan*. Ab.
Enona, *Aa* Fl.
Erpeium, *Erpy*. v.
Eſcolium, *Escuil*. v.
Evaſium, *Ivoix*. O.
Fanum-Audomari. *S. Omer*. C. E
Fanum Pauli, *S. Paul* O.
Feria, *la Fere*. O.
Fimmæ, *Fimes*. O.
Firmitas, *la Ferté*. o.
Floriacum, *Fleury*. A.
Florinæ, *Florennes*. A.
Frigidus-mons, *Froimont*. A
Gerſonum, *Gerſon*. v.
Gevodia, *le Gevodan*.
Gothi, *Gueux*. v.
Guartenæ, *Gartinges*. v.
Grueriæ, *Gruieres*. v.
Guinicurtis, *Guinicourt*. v.
Guſa & Guiſia, *Guiſe*. O.
Hermondivilla, *Hermonville*. v.
Humolaria, *Hõblieres*. A.
Inſula, *Iſle*. v.
Inſulæ, *Lille*. C.
Iohannis-villa, *Ioinville*. o.
Iveſium, *Ivoix*. O.
Latiniacum, *Lagny*. O.
Liardum, *Liart*. v.
Ligeris, *la Loire*. Fl.
Lingonæ, *Langres*. C. E.
Luniacum, *Logny*. v.
Launeium, *Launoy*. o.
Layrium & Layerium. *Letry*, v.
Maceriæ, *Meziers*. O.
Majuſmonaſterium, *Marmoutier*. Ab.
Maricola, *Marolles*. A.
Marſna, *Merſenne*.
Materna & Matrona, *la Marne*. Fl.
Maurimons, *Moirmont* A.
Mechlinia, *Malines*. C. A.
Meduana, *Mayenne*. O.
Melodunum, *Melun*. O.
Mimatæ, *Mande* C. E.
Moliſmus, *Molesme*. A.
Monaſt. Der venſe *Mouſtier* ſeu in Dervo. *en Der*.
Monſacutus, *Montaigu*. caſt.
Monſcornut⁹, *Moncornet*. o.
Mons deſiderij, *Mont-Didier* O.
Monsfalconis, *Mõtfaucon*. o.
Monsfelix, *Montlhery*. o.
Mons-Reguli, *Mortul*.
Monſpeſſulanus, *Montpellier*. C. E.
Mons-Sanctæ-Mariæ, *Mont-Noſtre-Dame*. v.
Mons S. Petri, *S. Pierremont*. v.
Mons S. Remigij, *Mont S. Remy*. v.
Montrolium & Monaſteriolum. *Montreuil*. O.
Morinum, *Terouene*. C. E.
Moſomum & Moſomagum. *Mouzon*. O.
Moſa, *la Meuſe*. Fl.
Nantolium, *Nanteuil*. v.
Nervij, *Tournay* C. E.
Nigella, *Neſle*, o.
Nocumẽtum, *Nuiſement* v.
Nogentum & Novigentum. *Nogent*. A.
Novidunum, Noviomum & Noviomagum. *Noyon*. C. E.
Noviomagum, *Nimegue*. O.
Noviomum, *Nouvy*. prio.
Novumcaſtellũ *Neuchatel* v
Paulicurtis, *Polcourt*. v.
Pertenſis & Pertiſus. *le Pertois*.
Petrapons, *Pierre pont*. v.
Põsfabricatus, *Põtfavergé* o.
Porcenſis & Portuenſis. *le Porcean*.
Radulficurtis, *Raucourt*. v.
Regiteſte & Rethellium. *Rethel*. O.
Rentium, *Rentz*. O.
Reciacum Roceium Rocum & Roſcium. *Roucy*. o.
Ribodimons, *Ribmont*. O.
Roſeium, *Roiſy*. v.
Ruminiacum, *Rumigny* v.
Rumoldicurtis, *Remõcourt* v
Rupes-Cavardi, *Rochechouard*. o.
Rupefregia, *Rocroy*. O
Quercus, *le Chéne*. o.
Sacrũ-Cæſaris & Sincerinm. *Sancerre*. O.
Salix S. Remigij, *Saux S. Remy*. v.
Sa. Mathildis ſeu Sa. Menechildis. *St. Menehou*. O
Sta. Walpurgis, *Sainte Waubourg*. v.
S. Petri-Mons, *S. Pierremont*. v.
S. Baſolus, *S. Bâle*. Ab.
S. Germanus de monte, *S. Germainmont*. v.
S. Lætus, *S. Lié*.
S. Petrus vivus, *St. Pierre le vif*. Ab.
S. Salvius, *St. Sauve*. Ab.
Sindunum, *Senuc*. v.
Septem ſalices, *Sept-ſaux*. v.
Silva-major, *la Scauve*. Ab.
Silvanectum, *Senlis*. C. E.
Sparnacum, *Epernay*. O.
Stadonenſis *Le Stenay ou Sedanois*
Summaturba, *Sõmetourbe*. v.
Tardanẽſis, & Tardenſis *Le Tardenois*
Tarvanna, *Terouene*. C. E.
Tendenſcauda, *Tinqueux* v.
Terra de Poſteſtatibus, *La terre des Potez*.
Theodoniſvilla, *Thiõville*, O
Triangulus, *Traignel*. v.
Valliſcella, *Vaucelle*. A.
Vallis-Dei, *La val-Dieu*. A.
Valliſregia, *La Valroy*. A.
Vallis-Rodiginis, *Val de Roignon*.
Velocaſſes, *le Vexin*.
Veromandia & Viromandia *le Vermandois*.
Victoriacum & Victriacum. *Vitry*. O.
Vicus, *Vic*. o.
Vicus S. Remigij, *Vieux-Saint-Remy*. v.
Vidula, *la Vêle*. Fl.
Villa aſinorũ & Villa ad nodos. *Villaneuds* v.
Villadominica, *Villedemãge*.
Villa in ſilva, *Ville en Seve* v.
Vilzetum, *Verlouſet*.
Vindeniſſa, *Vendereſſe*. o.
Vindocinum, *Vendôme*. O.
Virtutum & Virtutes. *Vertus*. O.
Voſagus, *la Voge*.
Vouſenſis, *Le Vouſois*.

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORVM SACRÆ Facultatis Theologiæ Remenſis.

SUbſcriptus ego in Univerſitate Remenſi ſacræ Theologiæ Doctor & Decanus teſtor & affirmo, has D. GUILLELMI MARLOT lucubrationes *Tomum ſcilicet ſecundum hiſtoriæ inſignis Eccleſiæ Remenſis*, tanquam gemmas, ex felici felicioris ingenij ſtudio erumpentes, debito cùm honore excipiendas, & in veneratione habendas, in quibus non modò nihil diſſentaneum Fidei aut religioni Catholicæ, immò plurima valdè, quæ in lucem evulgata non parum ſtudioſos promovere, promotos illuſtrare, & illuſtratos valeant Eccleſiæ toti prodeſſe, an. Domini 1679. vigeſimâ-ſextâ Martij.

H MELOT Preſbyter, ſacræ Theologiæ Doctor & Decanus, & Eccleſiæ Parochialis S. Hilarij Paſtor.

EXteris admirationi eſſe & venerationi gloria fuit, & debita laus METROPOLIS REMORUM, ſed ſuis vix notam eſſe puduiſſet, niſi ſacros ejus faſtos ab incunabulis duxiſſet Frodoardus gentis, Urbis, & Eccleſiæ decus; & ejus veſtigijs inhærens, ad dies noſtros eoſdem celebres duxiſſet, de Schola & Clauſtro inſigniter meritus DOM. GUILLELMUS MARLOT, Cujus *Tomum hunc ſecundum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Remenſis*, inoffenſo pede legere poteris, quippe qui authoris pietatem redolens & eruditionem, nihil continet à fide & morum regulis alienum. Ita lecto opere cenſuit Remis, die Martis 24. à Domini 1679.

D. EGAN in ſacra Theologia Doctor & Profeſſor ordinarius, & facultatis Theologicæ Syndicus, nec-non Collegij Vniverſitatis Archididaſcalus, & S. Sixti in Vrbe Paſtor

HAud ſatis erat Dom. GUILLELMO MARLOT multa ſui ingenij, ſuæque eruditionis præclara monumenta ætate mediâ dediſſe publico, ſuum ſinere non poterat ſcientiâ profundior, maturior ætate, inter libros canus, majorum rerum capax otiari animum, inertem eſſe manum, calamúmve, glorioſam meditabatur, & innocentem inaudito miraculo, grandioríque & inſigniori, ceteris jam publico datis opere ſui nominis apotheoſim, invigilans revocando ad vitam Frodoardo, & ad noſtra tempora protrahendo, evoluendo, & enucleando annos, & acta inſignis Eccleſiæ Remenſis, ut cuderet Annales, ſingulos illius annos fideliter, ſuámque ſimul feliciter aſſerendo memoriam longioribus annis: bipertitum opus eſt, & jam primùm prodit in lucem *Tomus ſecundus*, non impar altari, in quo Lector criticus ne vel leve offendiculum invenire poterit, niſi nodum quærere velit in ſcirpo, pompam abhorret ſtilus ejus, calamiſtros, fucum, cincinnos, ſed terſus eſt, facilis, candidus, ut decet Hiſtoricum, Religioſum virum, & antiquum Doctorem Theologum, veritati & fidei Catholicæ doctrina nihil habet alienum, ſolida eſt, nullis admixta vel fabellis, vel dubijs, pia eſt, profunda & gravis, perfectè reſpondens, tum dignitati materiæ, tùm Authoris ſui pietati, profundæ eruditioni & venerationi. en illius operis critica, ſi tamen juſtum criticæ nomine donari poſſit encomium, en judicium quod palam, & publicè profert Remis primo Aprilis anno Domini 1679.

MICHAEL DE BLANZY Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor in Collegio Vniverſitatis Remenſis, nec-non Eccleſiæ Collegiatæ Ss. Martyrum Timothei, & Apollinaris Canonicus.

PERMISSION.

A Tous ceux qui ces preſentes Lettres verront, Jean Beguin Eſcuyer Seigneur de Chaalons ſur Veſle, Conſeiller du Roy, Lieutenant general au Baillage de Vermandois, Siege Royal & Preſidial de Reims, Salut, Sçavoir faiſons, que veu la Requeſte à Nous preſentée par Protais Lelorain Imprimeur demeurant à Reims, tendante à ce qu'il Nous plaiſe luy permettre d'imprimer le ſecond tome de l'Hiſtoire de Reims, compoſé par feu le Sieur Marlot Grand-Prieur de l'Abbaye de S. Nicaiſe, pour lequel il auroit fait des grands frais & avances pour parvenir à ladite impreſſion & de l'expoſer en vente au public, ledit livre y mentionné intitulé *Metropolis Remenſis Hiſtoria, Tomus ſecundus*, Les Approbations de Maiſtres Henry Melot, Daniel Egan & Michel de Blanzy, Docteurs en Theologie, & conſentement du Procureur du Roy : Nous permettons ledit livre eſtre imprimé, vendu & debité. Donné à Reims le premier jour d'Avril mil ſix cens ſoixante dix-neuf.

Signé, LE PHLIPPONNAT, Greffier.

ERRATA.

NOnnulla in hujuſce operis libro primo, & ſequentis initio, irrepſêre menda, tum ex litterarij Structoris inſcitia, tum ex Correctoris abſentia ; leviora quivis facilè deprehendet, eáque Lector humanus benignè caſtigabit, graviora hîc exhibentur.

pag 8. *lin.* 35. præſidit *lege* præſedit.
pag. lin. 48. priora *l.* prora.
pag. 16. *l.* 1. *poſt* Abbatibus. *l.* ut.
lin. 27. Fiquermont *l.* Fiquemont
pag 21. *li.* 22. Monocho. *l.* Monacho.
l. 48. Præſbyter *l.* Preſbyter *& ita alibi.*
pag. 50. *lin.* 1. momens *l.* monens.
l. 6. non *l.* nos.
lin. 22. *poſt* magnarum *l.* rerum.
pag. 51. *lin.* 47. muti *l.* miti.
pag. 63. *lin.* quidam *l.* quemdam.
pag. 66. *li.* 39. fœdum *l.* feodum.
p. 72 *l.* 47. utramarino *l.* Ultramarino.
pag. 74 *li.* 42. *Prunienſis l. Pruvinenſis.*
pag. 80. *li.* 41. Beloaco *l.* Belloloco.
pag. 83. *li.* 30. ſeptennio *l.* ſeptimo.
p. 86. *l.* 46. cõformãte *l.* confirmante.
pag. 86. *li.* 21. Ternannenſi *l.* Tarvannenſi. *& ita alibi.*
pag. 95. *lin.* declaravit *lege* declarabit
pag. 109. *li.* 40. Banonis *l.* Bavonis.
pag. 126. *li.* 31. projecti *l.* Præjecti.
pag. 147. *li.* 2. Latinis *l.* latiùs
pag. 157. *li* 1. obſtruxit *l.* obſtrinxit.
pag. 173 *lin.* 28. Abbatis *l.* ablatis.
pag. 293 *l* 32. ſcholorum *l.* ſcholarum.
pag 512. *l.* 33. Juvavimus *l.* Juravimus.
pag. 555. *lin.* 52. ſolidos *l.* ſolitos.
pag. 566. *l.* 7. *poſt Compiegne tollè virgulam.*



gitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google